UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Adami Tanneri E Societate Iesv, S. Theologiæ D. Et In Academia Ingolstad. Professoris, Theologiæ Scholasticæ Tomus ...

Cum triplici Indice

De Fide, Spe, Charitate, Ivstitia, Religione, caeterisq[ue] virtutibus [et] vitijs: ac varijs hominum statibus. Secvndae Secvundae S. Thomae Aqvinatis Respondens

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1627

urn:nbn:de:hbz:466:1-72877

Visual Library

Th. 424a.

D. VI
10.

R. P.

ADAMI TANNERI
SOC. IESV,

THEOLOGIAE
SCHOLASTI-
CAE

TOMVS
TERTIVS.

Collegii Soc. Iesv Paderborne

R. P.

ADAMI TANNERI

SOC. IESV,

THEOLOGIAE

SCHOLASTI

CAE

TOMVS

TERTIVS.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO DOMINO LEOPOLDO, ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET WIRTENBERGÆ, COMITI HABSPVRGI, TYROLIS, ET GORITIÆ, LANDGRAVIO ALSATIÆ, &c.

CVI hunc de Fide, Iuſtitia, Religione, cæteriſque annexis Virtutibus, Scholaſticæ Theologiæ Tomum, SERENISSIME PRINCEPS, aut maiori offerre iure deberem, aut promptiore deuotione vellem, præter SERENITATEM VESTRAM, inueni neminem. Ea fidei religioniſque in Auguſtiſsima Domo AVSTRIACA vniuerſâ puritas, & ſplendor, cum ingenti zelo coniunctus, toto terrarum orbe emicat, vt quod ipſa ſibi quondam ſui ſplendoris ac ſublimitatis, in RVDOLPHO, primo eiuſdem familiæ Cæſare, fundamentum

præstruxit, singularem scilicet fidem ac religionem in Magnum illud & Diuinissimum FIDEI MYSTERIVM, id non solùm hactenus in seipsa inconcussum tueatur, sed etiam magnis incrementis, in subditos sibi populos ac gentes, quantumuis vndique magna vi obsistentibus ac obnitentibus inferi portis, summâ constantiâ fortunatissime propaget; ac sicubi forsan collapsum est, denuò erigat ac restituat.

Et vero est, cur in hoc genere, inclitæ AVSTRIACÆ DOMVI speciatim iure meritissimo obstrictam sese profiteatur TYROLIS, cum adiunctis Prouincijs SERENITATIS VESTRÆ Imperio subditis. Iam enim ex propinquo incendio, ab Orco, Lutheri follibus excitato, grauis nidor ipsam etiam Tyrolim afflauerat: iam prope ipsam Tyrolis Metropolim, & Archiducalem Residentiam OENIPONTVM, patriam meam, scintillæ exitialis incendij in publicum conspectum sese dederant: iam alijs quibusdam prouincijs, Catholicorum alioqui & Optimorum Principum imperio subiectis, pertinax flamma, perruptis repagulis, in grande incendium eruperat: cum ecce insuperabili fortitudine ac constantia, Sereniſsimus Archidux FERDINANDVS, feliciſsimæ memoriæ

Princeps, Patruus & Anteceſſor SERENITATIS VESTRÆ, ſeſe pro tuenda domo Domini, veraque & auitâ Maiorum fide & religione defendenda, impenetrabilem MVRVM oppoſuit; ſuaque authoritate, cura, & induſtria periculum ita auertit, vt & Tyrolim, & cæteras ditiones ac prouincias ſuas omnes ab eo ſectarum vndique graſſantium incendio feliciſſime ſeruaret.

Quo factum pariter eſt, vt Gymnaſium Collegiumque Societati noſtræ, iam antea à pijſſimo & Auguſtiſſimo Cæſare FERDINANDO, inclitæ memoriæ AVO SERENITATIS VESTRÆ, in eadem vrbe Oenipontana liberaliſſime erectum ac fundatum, propagando, vna cum bonis literis, pietatis ſtudio, maiores tam in Iuuentute, quam reliquo populo, lætioreſque fructus faceret; & non mihi ſolum, ſed & innumeris alijs, iam inde à prima pueritia eius inſtitutione formatis, magno ad optabilem totius reliquæ vitæ decurſum commodo emolumentoque eſſet.

Quod ſi vera FIDES & in DEVM RELIGIO, totius pietatis ac felicitatis Chriſtianæ fundamentum eſt, ſine qua placere DEO, ac ſaluus eſſe nemo poteſt; quâ qui carent, iam à Deo iudicati, æterniſq; ſupplicijs addicti ſunt: quid nõ Principi ſuo debent fideles ſubditi, omneſque eorum

posteri; qui eidem ipsam etiam veram fidem & religionem in acceptis referre debent? qui si aut alium in sua patria habuissent Principem, aut aliam quampiam nacti fuissent patriam, eodem infidelitatis caliginoso incendio, pari cum popularibus conditione, æternum fortasse inuoluti perijssent.

Equidem SERENISSIME PRINCEPS, hoc beneficium, secundum Deum, à Patria, Patriæque Rectoribus potissimum acceptum, tanti æstimo, vt vel ob hanc maxime causam, iuxta Aristotelis doctrinam, censeam, nec parentibus, nec patriæ eiusue Rectoribus pro acceptis beneficijs æqualem gratiam reddi vnquam posse.

Cuius mei sensus, apud SERENITATEM VESTRAM, eiusdem nunc patrij soli Dominum ac Moderatorem, hoc ipsum de Virtutibus Opus, exstare volui publicum monumentum: vt quia tantis beneficijs paria facere non possum; scripsisse tamen; & ad posteritatis memoriam, meam ipsius obligationem, perpetuus debitor futurus, quasi publicis tabulis consignasse videri possem.

Accedunt propria & peculiaria SERENITATIS VESTRÆ, non in meam solum personam

(quam

(quam & Ingolstadij, & Viennæ, præter omne meritum singularibus gratiæ suæ fauoribus sæpius prosecuta est.) sed tum in Societatem nostram vniuersam, tum præcipue in hanc Superioris Germaniæ Prouinciam, præclarissima ARCHIDVCALIS beneuolentiæ & beneficentiæ documenta; quæ tum promouendis ac perficiendis, tum dotandis ornandisque pluribus Collegijs, ac in ijs etiam hoc Ingolstadiensi Collegio liberalissime edidit, & nos scribendo quidem inumbrare, sed opere exæquare nunquam possumus.

Facit nimirum hoc in SERENITATE VESTRA, præter ingenitam Austriacæ benignitatis indolem, & Sanguinis, & Virtutum cum AVGVSTISSIMO FERDINANDO Cæsare Fratre similitudo; vt cuius MAIESTATI quidem SERENITAS VESTRA libens cedit, quantum tamen ad singularem beneuolentiæ, beneficentiæque affectum erga Societatem nostram, suppar non immerito videatur; dignus tanto CÆSARE FRATER, pluriumque Augustissimorum Cæsarum, Regumque Maximorum dignissimus NEPOS, PATRVELIS ac PATRVVS. Cuius inclitæ gratiæ & fauori nos etiam deinceps submissiissime commendamus,

DEVM

DEVM OPT. MAX. ſupplicibus votis enixe rogantes, vt SERENITATEM VESTRAM, vna cum SERENISSIMA CONIVGE, Tyroli, cæteriſque ſubditis ſuis, tum etiam Societati noſtræ, & vniuerſæ Eccleſiæ, in multos annos quam diutiſſime ſaluam & incolumem ſeruet. Ingolſtadij, ipſo feſto die Purificationis Sanctiſſimæ & Immaculatæ Deiparæ Virginis. Anno M. DC. XXVII.

SERENITATIS VESTRÆ

Humillimus ſeruus

ADAMVS TANNER.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV PER GERMANIAM SVPERIOREM.

CVm Tomus tertius Theologiæ Scholasticæ, secundæ secundæ parti Summæ Theologicæ S. Thomæ Aquinatis respondens, à P. Adamo Tannero, Societatis nostræ Theologo, & in Academia hac Ingolstadiensi antehac Professore compositus, à deputatis Patribus lectus, probatusque sit: ego Gualterus Mundbrot Societatis IESV per Germaniam Superiorem Præpositus Prouincialis, potestate ab admodum R. P. Mutio Vitelleſco, eiusdem Societatis Præposito Generali, ad id mihi concessa, typis in lucem vulgari permitto. In cuius rei fidem hoc testimonium chirographo, sigilloque nostro munitum dedi. Ingolstadij 28. Augusti Anno 1626.

GVALTERVS MVNDBROT.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ INGOLSTADIENSIS.

THeologicum opus hoc, Summæ Diui Thomæ de Aquino respondens, ab admodum R. P. Adamo Tannero Societatis IESV, SS. Theologiæ Doctore, ac in diuersis celeberrimis Vniuersitatibus Professore conscriptum; à compluribus Theologis lectum, atq; ob eruditionis vberrimæ præstantiam, accuratißimamq; docendi rationem, ab omnibus approbatum; ego quoque approbo; & (quia vniuersis S. Theologiæ studioſis maxime profuturum videtur) luce publica dignißimum censeo.

LEO MENZELIVS, SS. Theologiæ Doctor, & Professor; Vniuersitatis Ingolstadiensis Procancellarius, &c. loco & nomine Theologicæ Facultatis Decani.

POTE-

POTESTAS
BIBLIOPOLÆ FACTA,
A R. P. PROVINCIALI SVPERIORIS GERMANIÆ SOCIETATIS IESV.

CVM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto, omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus, serio firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterũ edendos, intra S. R. Imperij, Regnorum, & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum, fines, simili, vel alio characteris genere, aut forma, siue in toto, siue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam, seu palam, citra iudicium, ac testimonium supradictorum Patrum audeat, vel præsumat: Concedo ego Gualterus Mundbrot, Societatis IESV per Germaniam superiorem Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id facta ab admodum Reuerendo P. N. Generali Mutio Vitelleſco) Ioanni Bayr, Ciui & Senatori Ingolstadiensi, impensasque typographicas facienti, vt per Guilielmum Ederum Typographum Ingolstadiensem, excudendum curare, excusumque distrahere libere possit (nemine ius eius interuertente) tertiũ tomum Scholasticæ Theologiæ, à P. Adamo Tannero Societatis IESV Theologo conscriptum, atque à deputatis ad id Theologis lectum & approbatum. In quorum fidem hoc ei testimonium dari curauimus, manu sigilloque nostro communitum. Ingolstadij 7. Octobris, Anno M.DC. XXVI.

Gualterus Mundbrot.

INDEX

INDEX

QVÆSTIONVM ET DVBITATIONVM DISPVTATIONIS I.

DE FIDE.

Quæstio I. De notione & obiecto fidei.

Dubium I. *Quænam sit notio nominis fidei, quæue eius in hoc loco significatio.*

II. *Quodnam sit obiectum materiale fidei, seu complexum seu incomplexum; idque tum totale communitatis tum etiam attributionis, atque etiam formale Quod.*

III. *Quodnam sit obiectum formale Quo fidei, an reuelatio diuina & qualis; & an præter hanc requiratur distincta ratio formalis sub quâ.*

IV. *An, & quomodo ipsa etiam diuina reuelatio per fidem diuinam credenda sit.*

V. *Vtrum obiectum fidei possit esse falsum; seu an falsi quidpiam possit diuina fide credi.*

VI. *Vtrum obiectum fidei possit esse euidens, seu visum, seu scitum.*

VII. *An & quisnam inter fidei veritates sit ordo; & an eæ per certos articulos recte distinguantur: & vtrũ articuli seu notitia fidei successu temporis creuerint; ita quidem vt Ecclesia nouos aliquos fidei articulos credat, quos Apostoli & Ecclesia vetus non crediderunt.*

VIII. *Quid & quotuplex sit fidei Symbolum; & quænam sit in specie articulorum fidei in Symbolo ratio & enumeratio.*

Quæstio II. De priuata propositione, adeoque de motiuis fidei ad credibilitatem eiusdem spectantibus.

Dubium I. *Quid & quotuplex sit fidei propositio; & quomodo tum à reuelatione distinguatur, tum ad fidem concipiendam vniuersim necessaria sit.*

II. *Qualis propositio seu credibilitas obiecti fidei generatim requiratur ad hoc, vt fides concipi possit, & debeat.*

III. *Quibus modis fides proponenda sit; speciatim à quo, & per quæ motiua generatim fides proponi debeat.*

IV. *An & quibus motiuis Catholica fides euidenter sit credibilis.*

V. *An propositio ad fidem requisita adeo infallibilis esse debeat, vt in obiectum falsum cadere nullo modo possit*

Quæstio III. De publica propositione, deque iudice controuersiarum fidei, speciatim vero de Ecclesia.

Dubium I. *An præter priuatam propositionem aliqua publica, viua, visibilis & infallibilis auctoritas in Ecclesia sit necessaria; quæ & fidei Symbolum ordinet, & S. Scripturam explicet, ac cetera credenda proponat, & controuersias definiat ac decidat.*

II. *Quid sit Ecclesia, & quinam sint in Ecclesia.*

III. *Quænam generatim sint proprietates & notæ veræ Ecclesiæ.*

IV. *Quænam sit vera Ecclesia; an item & quâ ratione ex notis Ecclesiæ probetur, solam Catholicam & Romanam esse veram Christi Ecclesiam.*

Quæstio IV. De Summo Pontifice, & Concilijs.

Dubium I. *An publica illa auctoritas fidei magistra & iudex controuersiarum fidei, resideat siue in toto cœtu fidelium; siue penes Magistratum sæcularem; an potius penes Ecclesiæ Præsules & Episcopos.*

II. *An omnes Episcopi inter se quoad potestatem regendi Ecclesiam sint pares, an potius tum inter ipsos Apostolos, vnus ceteris potestate & auctoritate præstiterit Petrus; tum pari ratione etiamnum in Ecclesia vnus aliquis sit Petri Successor, cæteris omnibus Episcopis superior.*

III. *An Successor ille Petri, & omnium Episcoporum, adeoque totius Ecclesiæ caput; & iudex controuersiarum fidei sit Pontifex Romanus.*

IV. *An Romanus Pontifex iure diuino sit caput Ecclesiæ, & an sit de fide huic numero Pontificem esse verè Pontificem, & totius Ecclesiæ caput, & an is aliquando ea potestate possit excidere.*

V. *An Pontifex aliquando ab ea potestate exciderit & degenerarit in Antichristum.*

VI. *An & qua ratione Pontificis definitio sit infallibilis; etiam cum extra concilium generale aliquid circa fidem definit; & vnde constet, eum publica authoritate aliquid definire.*

VII. *Vtrum Summi Pontificis auctoritas sit etiam infallibilis in decretis morum, ac speciatim in approbatione Religionum & Canonizatione Sanctorum.*

VIII. *Quænam sit auctoritas Conciliorum; & vtrum Concilium generale sit supra Pontificem.*

Quæstio V. De norma fidei; speciatim de scriptura Sacra & traditionibus; deque resolutione fidei.

Dubium I. *An sit aliqua scriptura sacra, seu quod idem est, aliquod verbum Dei scriptum; & vnde dignoscatur, quibusque libris contineatur.*

II. *Quænam editio Scripturæ habenda sit pro legitima & authentica.*

III. *An præter Scripturam seu verbum Dei scriptum admittendæ sint traditiones.*

IV. *An traditiones seu verbum Dei non scriptum sint eiusdem, authoritatis cum verbo Dei scripto; & qua ratione legitimæ traditiones dignoscantur ab illegitimis.*

V. *Quænam sit totius fidei resolutio.*

Quæstio VI. De ipso habitu fidei secundum se eiusque subiecto remoto.

Dubium I. *Quid sit fidei habitus, & in qua potentia, & an qualemue habitum voluntatis adiunctum habeat.*

II. *Virum fides sit practica, itemque vna, perfecta, infusa, & Theologica virtus, eaque tam à charitate separabilis, quam per eam veluti formam perfectibilis.*

III. *An & qua ratione fides certitudine tum scientias naturales tum alias virtutes & habitus intellectuales superet.*

IV. *De subiecto remoto fidei; speciatim an in primo statu innocentiæ tum Angeli, tum homines fidem habuerint; itemque an siue in Beatis, siue in dæmonibus, aut hæreticis nunc sit fides.*

V. *An & qua certitudine quisque in seipso fidei præsentiam agnoscere possit: & quinam sint eius effectus: deque intellectus & scientiæ fidei affinibus donis.*

Quæstio VII. De actibus fidei tum internis, tum externis: deque gratijs gratis datis fidem concernentibus.

Dubium I. *Quid & quotuplex sit actus fidei; quid credere & quotuplex, & quomodo distinguatur credere Deo, credere Deum & credere in Deum.*

II. *Qua, & quotuplex sit necessitas actus fidei: speciatim an & quid necessitate medij necessario credendum sit omnibus.*

III. *An & quid necessitate præcepti credendum sit omnibus; & quando præceptum fidei obliget.*

IV. *An & qua ratione actus fidei sit meritorius, ac necessario bonus.*

V. *An & qua ratione externa confessio fidei necessaria sit ad salutem, quæue in ea re obseruandæ sint regulæ.*

VI. *Qua ratione gratiæ gratis datæ se habeant ad fidem; quot item & quænam sint; & quæ singularum sit ratio, an etiam sint habitus.*

Quæstio IIX. De infidelitate, alijsque vitijs fidei oppositis.

Dubium I. *Quæ & quot sint vitia fidei opposita; speciatim de infidelitate, an semper sit peccatum, non obstante ignorantia.*

II. *In quonam obiecto sit peccatum infidelitatis; & quantum sit peccatum.*

III. *Quot sint species infidelitatis; & qualis inter eas quoad grauitatem sit comparatio.*

IV. *An omnes actiones infidelium sint peccata.*

V. *Quid sit hæresis & apostasia; & quomodo inter se differant.*

VI. *Quænam apostatarum & hæreticorum sint pœnæ.*

VII. *De peccato blasphemiæ; speciatim etiam in Spiritum Sanctum; quid, quale, quantum, & quotuplex hoc sit peccatum.*

Quæstio IX. De modo publicè ac priuatim agendi cũ infidelibus, speciatim de permissione libertatis credendi.

Dubium. I. *An & qua ratione infideles communi iure compellendi sint ad fidem.*

II. *Virum nihilominus infidelium ritus & errores aliquando sint tolerandi; ipsisque infidelibus supra fideles dominium permittendum.*

III. *An & qua ratione cum infidelibus de toleranda infidelitate, seu religionis libertate pacisci, eisque impunitatem & securitatem permittere liceat.*

IV. *An & quousque hæc pacta & promissa obligent, necessarioque seruanda sint.*

V. *An & qua ratione cum infidelibus etiam in priuato conuictu, tum cooperando ad aliquod opus infidelitatis, tum etiam disputando communicari possit.*

DISPVTATIO I.

De prima virtute Theologica; nempe de Fide.

S. Thomas 2. 2. quæst. 1. vsque ad quæst. 16. inclusiuè.
Magister & Scholastici Doctores lib. 3. sentent. dist. 23. 24. & 25.

INter Theologicas Virtutes, cum natura ordine prima sit fides, vt constat ex dictis tom. 2. disp. 3. q 4. dub. 3. eademq; insuper sit fundamentum omnis virtutis Christianæ, merito Theologi cum S. Thoma specialem virtutum tractationem à fide ordiuntur. Præsens autem disputatio nouem quæstiones complectetur. I. De notione & obiecto fidei. II. De priuata propositione, adeoq; de motiuis fidei ad credibilitatem eiusdem spectantibus. III. De publica propositione fidei; adeoq; de Ecclesia velut Iudice controuersiarum fidei. III. De Summo Pontifice & Conciljs. V. De Norma fidei; adeoq; de scriptura sacra, aliisq; regulis, ac resolutione fidei. VI. De ipso habitu fidei secundum se, eiusq; subiecto remoto. VII. De actibus fidei tum internis, tum externis; deq; gratis gratis datis fidem concernentibus. VIII. De infidelitate fidei opposita. IX. De modo publicè ac priuatim agendi cum infidelibus; speciatim de permissione libertatis credendi.

QVÆSTIO I.

De notione & obiecto fidei.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 1. a. 1. vsque ad 9. inclusiuè.

ABsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. Quænam sit notio nominis fidei; quæue eius in hoc loco significatio. II. Quodnam sit obiectum materiale fidei, seu complexum, seu incomplexum; idque tum totale communitatis, tum etiam attributionis, atque etiam formale Quod. III. Quodnam sit formale obiectum Quo fidei; an reuelatio diuina; & qualis; & an præter hanc requiratur distincta ratio formalis sub qua. IV. An & quomodo ipsa etiam diuina reuelatio per fidem diuinam credenda sit. V. Vtrum obiectum fidei possit esse falsum; seu an falsi quippiam possit diuina fide credi. VI. Vtrum obiectum fidei possit esse euidens, seu visum, seu scitum. VII. An & quisnam inter fidei veritates sit ordo; & an eæ per certos articulos recte distinguantur: & vtrũ articuli seu notitiæ fidei successu temporis creuerint, ita quidẽ, vt Ecclesia nouos aliquos fidei articulos credat, quos Apostoli & Ecclesia vetus nõ crediderũt. VIII. Quid, & quotuplex sit fidei symbolum; & quænã sit in specie articulorũ fidei in symbolo ratio & enumeratio.

DVBIVM I.

Quænam sit notio nominis fidei; quæue eius hoc in loco significatio.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 1. a. 1.

1 VIrtutis fidei explicatio merito ab eius obiecto inchoatur; quandoquidem ab obiecto desumitur ratio ac specificatio cuiusq; habitus; ita tamen vt prius hac dubitatione notio nominis fidei, quæ nonnullam habet difficultatem, nobis explicanda sit.

Ea verò notio ex ipsa nominis etymologia non male indagatur. Et quidem *Fides in latino sermone ab eo dicitur appellata*, inquit Augustinus epistola 19. ad Hieronymum, *quia fit quod dicitur*; secutus vtique Ciceronem lib. 1. de officijs vbi itidem ait: *Credamus quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem.*

2 Juxta hanc nominis etymologiam, fides primò ac ex ipsa vi nominis, significat fidelitatem; seu veracitatem in seruandis promissis. Quo modo vsurpatur fidei nomen Rom. 3. v. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* A qua significatione non multum abscedit illa, qua fides generatim significat veritatem in dictis; siue hæc distincta sit à fidelitate; siue non; qua ratione dicimus, esse hominem nullius, aut probæ fidei. Eodemque sensu Cicero cit. lib. 1. de officijs, vtrumque hoc significatum coniungens, definit fidem, esse *dictorum conuentorumque constantiam ac veritatem.* Hinc vero idem nomen, per quandam attributionem seu analogiam, & accommodationem vsus, varijs etiam alijs rebus, ad fidelitatem seu veritatem ordinem quemdam habentibus accomodatum est; quicquid Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 6. & Michael Medina de recta in Deum fide lib. 1. cap. 1. vsum huius vocis, in scriptura & sanctis Patribus ad duas tantum significationes contrahant.

3 Secundò igitur vocabulum fidei significat promissionem, quam fidelitas adimplet; iuxta illud 1. Timoth. 5. v. 12. *Habentes damnationem, quia primam fidem* (seu promissionem) *irritam fecerunt.* Tertio significat authoritatem seu existimationẽ bonam, quam parit fidelitas seu veracitas, iuxta Leuit. 6. v. 2. *Anima quæ peccauerit & contempto Domino negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius depositum fuerat &c. reddet omni &c.* Et Eccli 27. v. 17. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum suum.* Et eodem sensu in iure ciuili lib. 22. ff. extat titulus 4. *de fide instrumentorum*, qui etiam habetur in Iure Canonico tit. 22.

4 Quarto valde probabile est, fidem significare in scriptura etiam fiduciam, seu spem firmã obtinendi rem promissam vel concupitam, vt docent Roffensis a. 1. contra Lutherum, Vega q. 1. de iustif. Arragonius & Bannes hic q. 1. a. 1. Gregorius de Valentia q. 1. pun. 1. iuxta illud Matthæi 14. v. 31. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* & Iacobi 1. v. 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Quæ tamen, vt & similia omnia loca, nõ malè etiam explicari possunt, iuxta sextum significatum inferius referendum de ipsa credulitate; conuenienter illi Marci 11. v. 24. *Omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Vt proinde non improbabiliter contra Sectarios huius temporis, qui eã significationem fiduciæ potissimum ac perpetuò vrgent, dixerit Sotus lib. 2 de nat. & grat. cap. 6. eam significationem in tota scriptura nusquam reperiri; de qua tamen re non est magnopere cõtendendum.

Quintò significat fides etiam conscientiã, cui conformatur fidelitas & veracitas, iuxta illud Rom. 14. v. 13. *Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est; quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Quo sensu etiam Innocentius III. Capit. vltimo de præscriptionibus, statuit vt nulla præscriptio valeat, *absq; bona fide.* Eodemque sensu dicitur aliquis *bonæ* vel *malæ fidei possessor.* Ex quibus tamen significationibus nulla ad hunc locum propriè pertinet.

Sexto igitur tum in sacris scripturis, tum 5
apud Scriptores cæteros, tam Ecclesiasticos, quã prophanos, quicquid cum Melanchthone in loco de iustif. alijsque Sectarijs obstrepant Valla lib. 5. Elegantiarum cap. 30. & Budæus in Annotationibus ad pandectas ff. de seruo corrupto leg. 1. Fides vsitatissime, ac bene etiam latine significat credulitatem seu assensum intellectus, quem quis promittenti seu asserenti adhibet, seu propter authoritatem humanam, & dicitur *fides humana*; seu propter auctoritatem diuinam, & dicitur *fides diuina*: Quo sensu etiam frequentissimè dicitur, Fidem aliquis facere, vel habere, siue adhibere dictis. Ita Sanctus Augustinus lib. de spiritu & lit. cap. 31. *Aliter*, inquit, *dicimus, non mihi habuit fidem; aliter autem, Non mihi seruauit fidem. Nam illud est, non credidit, quod dixi; istud, non fecit, quod dixit.* Speciatim autem de humana fide loquuntur Cicero lib. 2. de diuinitat. versus finem: *Insanorum visis fides non est adhibenda.* Et Virgilius lib. 4. Æneidos: *Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deorum.* Et ipse etiam Ecclesiasticus cap. 29. v. 18. *Vir bonus fidem facit proximo suo.*

De fide diuina eodem sensu sermo est Matthæi 9. v. 28. *Creditis, quia id possum facere vobis? dicunt ei, vtique Domine, tunc tetigit oculos eorum dicens: secundum fidem vestram fiat vobis.* Et Hebr. 11. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei; vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* De qua etiam fide inferius v. 6. dicitur: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

Atque hoc sensu propriè fidei nomen in hac 6
tractatione accipitur: ita quidem vt significet tum ipsum actum assentiendi Deo reuelanti, qui communiter in scripturis significatur per vocem credere, iuxta citata scripturæ testimonia, & illud Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; tum etiam ipsum habitum seu virtutem, qua Deo reuelanti assentimur, secundum illud 1. Cor. 13. v. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas &c.* adeoque generatim denotet habitum vel actum credendi, idq; propter auctoritatẽ Dei dicentis siue reuelantis.

Et nihilominus tamen septimo Fidei vocabulum per habitudinem quandam ad præcedentem significationem, significat nonnunquam tum quemlibet assensum alicuius propositionis, quo modo argumentum dicitur oratio faciens fidem; & in eundem sensum locutos fuisse Philosophos Arabes notat S. Thomas q. 14. de verit. art. 1. & in 3. d. 14. q. 1. a. 1. q. 2. tum etiam materiam seu obiectum talis assensus, seu veritatem ipsam cui assentimur, vt notauit Magister in 3. distinct. 23. & constat ex scriptura Galat. 3. vers. 3. *Ex operibus legis spiritum accipitis? an ex auditu*

fidei?

fidei. Et v. 5. *Qui ergo tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis? an ex auditu fidei?* hoc est, ex auditu doctrinæ fidei. Et v. 23. *Prius autem quam veniret fidei* (seu doctrina Euangelicæ fidei) *sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ revelanda erat.* Et in symbolo Athanasij eodem sensu dicitur: *Hæc est fides Catholica. &c.* Quæ proinde significatio tametsi huius loci propria non sit, non est tamen ita aliena, quin subinde etiam in Theologica tractatione de fide usurpetur, & adhibeatur; quod quidem quando fiat, satis ex circumstantijs & subiecta materia intelligi poterit.

7 Easdemque fidei acceptiones referunt etiam Alensis 3. part. q. 74. memb. 1. Bonauentura in 3. dist. 23. circa textum litera B. & Gabriel in 3. dist. 23. q. 2. qui addunt etiam quasdam alias, sed vel minus vsitatas, vel sub præcedentibus comprehensas; vtquòd significet *cognitionem patriæ*, aut *fidei Sacramentum &c.* Illud rectius, & ijs quæ diximus consentaneè Gabriel loc. cit. post vndecim fidei acceptiones ex Alensi relatas: *Harum acceptionum* inquit *tres sunt magis in communi vsu: nam fides aliquando accipitur pro actu; quandoque pro habitu; quandoque pro obiecto. Pro actu est assensus veritatis reuelatæ. Pro habitu est habitus ex eiusmodi assensibus frequentatis acquisitus, vel immediatè à Deo infusus, inclinans intellectum ad assentiendum veritatibus reuelatis. Pro obiecto est veritas credita, aut res per ipsum significata.* Ex quibus omnibus colligitur, fidem in præsenti significare actum vel habitum intellectus, quo Deo reuelanti assentimur.

8 Neq; verò Sectarij huius temporis vniuersim negant, esse aliquam eiusmodi fidem, siue pro actu, siue pro habitu Deo reuelanti credendi seu assentiendi, sumatur; aut aliquando in scripturis fidei vocabulum eo sensu accipi: sed in hoc turpiter errant, quod negent ipsi, hanc esse fidem iustificantem seu saluificam; quem errorem partim in materia de gratia q. 4. dub. 3. reiecimus; partim inferius q. 5. vberius refellemus. Hæc in præsenti de notione & significatione nominis fidei satis.

DVBIVM II.

Quodnam sit obiectum Quod fidei, seu complexum, seu incomplexum; idque tum totale communitatis, tum attributionis, atq; etiam formale Quod.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 1. 2. 6. 7. 8. 9.

9 SVpponimus ex dictis tomo 1. disput. 1. q. 3. dub. 1. obiectum fidei, vti & cuiusque habitus intellectualis, multiplex esse. Et primo quidem generatim, aliud dicitur obiectum Quod; aliud obiectum Quo. Obiectum Quod, aliud est solum materiale; idque vel complexum vel incomplexum: hoc rursum vel est partiale solum, vel etiam totale; aut communitatis, aut attributionis.

Aliud est obiectum formale Quod; quod est ipsum obiectum totale attributionis, cum adiuncta ratione formali Quæ, secundum quam, siue ob quam obiectum illud materiale proprie ac per se ab habitu consideratur, quale in physica v. g. dicitur esse corpus naturale vt naturale. Obiectum formale Quo, dicitur etiam ratio formalis obiectiua sub qua, vel propter quam alicui propositioni assentimur; & in quam proinde etiam ratio ipsius assensus resoluitur: siue illa ratio secundum se spectetur, quam Capreolus q. 4. prologi art. 1. vocat *rationem cognoscendi*; siue spectetur vt actu quasi informans obiectum cognitum; quo modo ab eodem dicitur *ratio cogniti.*

Quibus consentit S. Thomas hic q. 1. a. 1. vbi 10
ait: *Cuiuslibet cognoscitiui habitus obiectum duo habet, scilicet id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale obiectum; & id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti. Sicut in scientia Geometriæ materialiter scita sunt conclusiones; formalis verò ratio sciendi sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur.* Et in 3. sentent. dist. 34. q. 1. a. 1. quæstiunc. 1. docet, in obiecto visus, obiectum formale (Quo) esse lumen, quod facit colorem actu visibilem, materiale verò, colorem. Et in eundem sensum Capreolus loc. cit. docet, formalem rationem obiectiuam alicuius habitus, dici illud, quod est causa cognoscendi obiectum, tanquam mouens intellectum ad cognitionem &c. vt fusius deduximus loc. cit.

Quibus positis, ad explicandam rationem fi- 11
dei, de duplici eiusdem obiecto, Quod, & Quo, hoc & sequenti dubio distinctè agendum est; ita quidem vt hoc dubio primo generatim obiectum materiale fidei, tum incomplexum, tum etiam complexum; deinde verò etiam obiectum totale tum communitatis, tum attributionis, ac denique etiam obiectum formale Quod eiusdem fidei exponamus.

ASSERTIO I. Obiectum materiale fidei 12
incomplexum, generatim loquendo, sunt omnes illæ res, de quibus elicitur assensus fidei: materiale verò complexum, sunt ipsæ veritates quibus per fidem assentimur. Ita S. Thomas hic cit. q. 1. a. 1. vbi ait: *Si consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia &c.* scilicet vt ibidem ad 1. & 2. dicitur, *ea quæ pertinent ad humanitatem Christi, & ad Sacramenta Ecclesiæ, vel ad quascunque creaturas, & omnia illa, quæ in sacra scriptura traduntur.*

Eadem est communis Doctorum sententia. Ratio sumitur ex ipsa notione terminorum. Vocatur enim obiectum incomplexum habitus intellectualis, quod est subiectum predicationis seu enunciationis, ad eundem habitum pertinentis; quales respectu fidei sunt res omnes, de quibus assensum fidei elicimus, seu de quibus per fidem aliquid cognoscimus. Obiectum vero complexum alicuius habitus intellectualis, sunt ipsæmet veritates, quibus per eundem habitum assentimur.

ASSERTIO II. Cum veritates fidei obiectum 13

eius complexum dicuntur, id non conuenit fidei, aut ipsis veritatibus fidei secundum se; sed tantũ ratione nostri; qui videlicet eiusmodi veritates per modum compositionis apprehendimus. Ita S. Thomas cit. a. 2. vbi ait: *Obiectum fidei dupliciter considerari potest. Vno modo ex parte ipsius rei creditæ: & sic obiectum fidei est aliquid incomplexum; scilicet res ipsa, de qua fides habetur. Alio modo ex parte credentis: & secundum hoc, obiectum fidei* (per modum veritatis creditæ) *est aliquid complexum, per modum enuntiabilis.* Nimirum quia, vt ante dixerat S. Thomas ibidem, *modus proprius humani intellectus est, vt componendo & diuidendo veritatem cognoscat: & ideo, ea quæ sunt secundum se simplicia, intellectus humanus cognoscit secundum quandam complexionem: sicut è conuerso intellectus diuinus incomplexe cognoscit ea, quæ sunt secundum se complexa.*

14 Quare etiam Caietanus hic cit. q. 1. art. 2. ex mente S. Thoma docuit, obiectum fidei per se esse aliquid incomplexum, loquendo non modo de rebus ipsis, de quibus aliquid creditur, sed etiam loquendo per se de veritate, quæ creditur; quæ si secundum se spectetur, & abstrahendo ab intellectu humano, nullam habet complexionem intellectualem, sed est ipsa connexio rerum inter se à parte rei existens. Quare etiam Angeli adhuc viatores, fidem eiusdem speciei cum nostra fide habuerunt; & tamen non ideo per modum compositionis (vt pote quæ Angelis non competit) fidei veritatibus assensi sunt. Qua ratione etiam conciliari possunt diuersæ Doctorum sententiæ in 3. dist. 24. quorum aliqui dixerunt, obiectum fidei esse complexum, alij incomplexum. *Vtrumque enim vere opinatum fuit apud antiquos; & secundum aliquid vtrumque est verum,* vt loquitur S. Thomas cit. a. 2.

15 Notandum tamen quod S. Thomas docet eodem a. 2. ad 2. tametsi, vt dictum, obiectum fidei ex parte hominis credentis, loquendo de veritate credita, sit aliquid complexum; tamen actum credentis *non terminari*, vt loquitur S. Thomas, *ad enuntiabile* (hoc est, non formaliter ad ipsam enũtiationem seu notitiam apprehensiuam enuntiationis) *sed ad rem. Non enim formamus,* inquit, *enuntiabilia, nisi vt per ea de rebus cognitionem habeamus, sicut in scientia, ita & in fide.*

Ex quibus colligitur, obiectum fidei (eadem est ratio cuiusuis alterius habitus intellectualis) non ita dici complexum, quasi ipsemet assensus fidei pro obiecto (immediato) habeat aliquam propositionem re ipsa formatam in intellectu credentis. Hæc enim nunquam est sine assensu; sed includit ipsam notitiam iudicatiuam seu assensum, adeoque est actus, non obiectum fidei: & per se absurdum est, dicere, intellectum, dum aperte falsam propositionem apprehendit, cui dissentiat, prius errorem committere debere efficiendo mente falsam eiusmodi prædicationem. Quin etiam fundamentum, quo nititur ea sententia siue persuasio, aperte falsum est: quasi videlicet apprehendi propositio non possit, nisi faciendo formaliter propositionem; cum tamen ad quamuis rei apprehensionem sufficiat, rem apprehensam obiectiue, non formaliter esse in intellectu.

Nec vero etiam existimari debet, ipsam notitiam complexam apprehensiuam, esse proprie obiectum Quod ipsius assensus seu fidei, seu alterius habitus intellectualis: *non* enim *terminatur* actus fidei (aut scientiæ) *ad enuntiabile*, inquit Sanctus Thomas loc. cit. Cuius etiam hæc aperta ratio est; quia actus fidei, aut scientiarum, non sunt actus reflexi, sed directi; neque conceptus seu notitiæ rerum signa sunt instrumentalia, quæ cognosci debeant, prius, quam res repræsentatæ cognoscantur, sed sunt signa formalia. Quare non possunt dici obiectum Quod, sed vt sumum obiectum, Quo, per modum signi formalis, mediante, ipsa veritas obiectiua, quæ in ipsis rebus est, cognoscatur. 16

Sententia igitur nostra, & S. Thomæ est: obiectum fidei (per modum veritatis creditæ) esse complexum ratione nostri, non formaliter & intrinsecè, sed denominatiuè per denominationẽ extrinsecam ab ipso actu seu assensu fidei, seu etiam notitia apprehensiua veritatis fidei. 17

Quod quidem nihil aliud est, quam ipsam veritatem reuelatam, complexè, hoc est, per plures conceptus, (intellectu tamen interim nullã omnino prædicationem seu enuntiationem, siue vt loquuntur, *compositionem propositionalem* formaliter faciente) apprehensam, notitiâ scilicet complexa apprehensiua, non iudicatiua, (quas quoad hoc recte distinguit Marsilius in prologo q. 2. a. 1.) esse obiectum fidei, cui assentimur: ita quidem vt non ipsa complexio intellectus sit obiectum, cui assentimur, sed medium, quo intellectꝰ concipit, & assentitur veritati credendæ. Atq; hoc ipsum etiam est, quod S. Thomas indicauit, cum diceret, obiectum fidei esse complexum *per modum enuntiabilis.* Atque hæc generatim ad obiectum Quod materiale fidei pertinent. Nunc speciatim de obiecto totali (partiale enim nulla speciali opus habet explicatione) tum communitatis, tum etiã attributionis, ac deniq; de obiecto formali Quod agendum est.

Assertio III. Obiectum totale communitatis fidei, non est aliud, quam ens in latissima acceptione, prout aliquam ad Deum habet attributionem, seu habitudinem. Hæc est mens S. Thomæ hic cit. q. 1. art. 1. & colligitur ex dictis superius, & in simili, de Theologia tom. 1. disp. 1. q. 3. dub. 1. Ratio est. Quia sicut Theologia, ita & fides, seu fidei assensus est de omni genere entis, etiam latissime accepti; vt videlicet comprehendit non solum Deum & creaturas quascumque, sed etiam negationes & priuationes; quales cernuntur in peccatis, alijsque malis etiam naturalibus. In quem sensum etiam Marsilius libro 1 prolog. q. 2. a. 5. refert opinionem Ægidij asserentis subiectum fidei, seu Theologiæ, ad quod omnia reducuntur sicut ad genus vniuersale, esse *Ens diuinum*: sed malim dicere, Ens Deum aliquo modo respiciens, vt notaui etiam tom. 1. disp. 1. q. 3. dub. 1. 18

Assertio IV. Deus, seu veritas prima in essendo, est obiectum fidei tum primarium, tum etiam adæquatum, & totale attributionis. Prima pars traditur à S. Thoma cit. a. 1. & est extra cõtro- 19

uersiam

uersiam. Ratio est; non solum quia Deus, cum vtique sit obiectum aliquod fidei, ex dictis, omnibus alijs rebus creditis antecellit; sed etiam quia fides ipsius Dei est maxime necessaria, & ad salutem requisita, iuxta illud Heb. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Accedit, quòd fidei succedit, & ex parte obiecti respondet cognitio beatifica, iuxta illud 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem;* Visio autem beatifica vtique circa Deum principaliter versatur, vt suo loco fusius dictum.

20 Secundam partem tradit S. Thomas cit. art. 1. vbi ait: *nihil sub assensum fidei cadere, nisi secundum quod habet aliquem ordinem ad Deum: prout scilicet per aliquos diuinitatis effectus homo inuatur ad tendendum in diuinam fruitionem. Et ideo,* inquit, *etiam ex hac parte, obiectum fidei est quodammodo veritas prima* (nimirum in essendo) *in quantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum. Sicut etiam obiectum medicinæ est sanitas; quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem.* Vbi S. Thomas expresè sentit, Deum esse obiectum fidei totale attributionis, ad quod scilicet omnia cætera obiecta referuntur. Eadem est communis Doctorum sententia.

21 Neque contrarium reipsa videtur sentire Scotus in 3. dist. 25. q. 2. vbi ait: *Non potest autem dici, quod fides infusa habeat vnitatem ex obiecto primo, scilicet Deo, quia Deus non mouet in ratione obiecti ad cognitionem omnium credibilium: nec in Deo, vt in obiecto, concipiuntur omnia credibilia, vt ex illo deduci possint: licet contineat omnia, vt causa effectiua omnium.* Quibus verbis non negat Scotus, fidem cæterorum obiectorum, quæ credimus, referri ad fidē ipsius Dei; sed solum negat, Deum in ratione obiecti mouere ad cognitionē omnium credibilium, ita vt ex eo deduci possint cætera: id quod tamen ad obiectū attributionis non requiri, dictum est tomo 1. disput. 1. q. 3. dub. 1.

22 Probatur eadem assertionis pars, tam ex scriptura; quæ idcirco fidem passim appellat *fidem Dei*, siue *in Deum* siue *ad Deum.* Marci 11. v. 22. *Habete fidem Dei.* Item 1. Thessal. 1. v. 8. Hebr. 6. v. 1. &c. Tum ratione; quia fides principaliter spectat Deum, ac cognitionem Dei; cætera verò omnia obiecta credit propter Deum, & quatenus ad Deum manifestandum ordinantur, iuxta Prou. 16. v. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus;* vtique etiam cognitionem fidei in credentibus. Et Ephes 1. v. 17. *Deus det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in Sanctis; & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis eius.* Quibus verbis expresè docetur, reuelationem & illuminationem fidei referri ad cognitionem ipsius Dei. Idem habetur Coloss. 2. v. 2. *Instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris, & Christi IESV.* Idem habet Augustinus lib. 4. de ciuit. Dei cap. 20. vbi ait: *Fidei primum, ac maximum officium est, vt in verum credat Deum.* Et lib. 11. de ciuitat. Dei. cap. 2. dicit, etiam ipsum Christum hominem esse viam, qua fides ad Dei cognitionem tendat.

Ex quibus colligitur primo, immerito à Caluino lib. 2. Instit. cap. 6. & lib. 6. cap. 2. reprehendi Theologos, quòd obiectum fidei constituant Deum, & Christum taceant. 23

Non enim tacent; sed eundem vt Deum sub primario obiecto fidei comprehendunt; vt hominē verò, seu quoad humanitatē, non quidē primariū fidei obiectum statuunt; cum vt sic nō sit vltimus finis noster; sed secundū ei locū à primo tribuūt.

Secundò colligitur, falso Sectarios huius temporis, distinguentes inter fidem historicam, & iustificantem, principale obiectum fidei iustificantis constituere promissiones de remissione peccatorum per Christum. Nam vt tom. 2. de grat. dictum, & inferius q. 5. magis patebit, vna & eadem fides est, quę credit Deo reuelanti (quā isti nouè fidem historicam vocant) & quæ iustificat, ab Apostolo definita Hebr. 11. cuius principale obiectum est Deus, vt probauimus. Actū verò eius non esse fiduciam, sed assensum, partim dictum est dubio 1. partim magis patebit cit. q. 5. 24

Assertio V. Obiectum fidei formale Quod est Deus vt Deus, siue sub ratione diuinitatis. Ita cum S. Thoma hic q. 1 a. 1. & apertius 1. part. q. 1. a. 7. Caietanus, Bannes, alijque interpretes hic cit. a. 1. Gregorius de Valentia q. 1. pun. 1. post Albertum in 3. dist. 23. a. 12. Alensem 3. part. q. 79. memb. 6. & Capreolum in prolog. sentent. q. 4. a. 2 & est communis Doctorum; etsi Argentina in prologo sentent. q. 1. a. 1. & alij nonnulli aliter quandoque docuisse videantur, rati, obiectum principale fidei esse Deum, vel sub ratione glorificatoris, vt Gregorius Ariminensis q. 4. prologi, vel sub ratione Saluatoris, vt Durandus in 3. dist. 24. vel sub alia, vt videre est apud Marsilium q. 2. Prologi a. 5. vbi de Theologia loquens generatim, prout etiam fidem comprehendit, secundum eam nominis declarationem, quam ibidem a. 2. præmiserat, decem hac de re Doctorū sententias recenset, vt fere etiam suo loco in simili de obiecto Theologiæ retulimus tō. 1 disp. 1. q. 3. dub. 1. 25

Probatur assertio. Quia quodlibet est obiectum formale Quod alicuius habitus secundum eam rationem, quam habitus ipse per se ac principaliter respicit, & secundum quam ipsum est obiectum præcipuorum actuum eiusdem habitus: atqui talis est Deus secundum rationem Deitatis, respectu fidei: Ergo. &c. Maior patet. Minor probatur. Quia illam rationem præcipue ac per se respicit habitus, quam non in ordine ad aliud, sed in ordine ad quam, seu ob quam, alia respicit: sed Deum vt Deum propter se, & propter hunc alia fides respicit. Ergo. &c. 26

Minor hæc ita declaratur. Quamquam enim per fidem quædam cognoscantur de Deo, quæ ipsi non competunt, nisi per respectum ad creaturas, inquantū scilicet earum Creator, Saluator, aut glorificator est; tamē multa etiā cognoscit de Deo, quę ipsi secundū se, qua Deus est, competūt, v. g. quod sit Omnipotens, omniscius, Trinus & vnus &c. quæ quidem ita sese habent vt non hæc 27

propter

propter illa, sed illa propter hæc cognoscantur: non enim ideo cognoscimus Deum secundũ se, vt cognoscamus Deum secundum respectum ad creaturas; sed hęc potius cognitio refertur ad illam; tum quia magis concreta, adeoq; posterior, tum quia ratione obiecti quodammodo inferior est illa; vt etiam in simili de Theologia diximus loc. cit. Vnde etiam confirmatur præsens assertio. Nam fides, velut propriushabitus principiorum Theologiæ, conuenit ex parte obiecti incomplexi Quod, cum ipsa Theologia; cuius obiectum formale Quod esse Deum vt Deum, ibidem probauimus.

28 Neque obstat, quod vt obijcit Durandus loc. cit. multa conueniunt Deo, vt Deus est, quæ naturali ratione de eo cognoscuntur. Nam hæc ipsa quoq;, tum ab ijs, qui demonstrationem de ijsdem non habent, vt omnes fatentur, tum ex veriori sententia, etiam ab habente eorũ demonstrationem, per fidem quoq; credi possunt, vt dicetur dub. 6. Et quamuis non possent, sunt tamen adhuc alia, quæ de Deo secundum se creduntur, v.g. Trinitatis mysterium, & ratio singularum personarum in Deo, quæ naturali ratione cognosci nõ possunt. Quare posset nihilominꝰ Deus vt Deus, inquantum cadit sub rationem formalẽ propter quam, siue sub qua (per quam satis nihilominus distinguitur fides ab alijs habitibus, idẽ alioquin obiectum Quod habentibus) esse principale & formale obiectum Quod fidei, etiamsi naturales illæ veritates de Deo per fidem credi nullo modo possent.

DVBIVM III.

Quodnam sit obiectum fidei formale Quo; speciatim an sit diuina reuelatio, & in quo hæc consistat, qualisuè sit; & an præter hanc, detur distincta ratio formalis obiectiua sub qua.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 1.

29 DE hac re non eodem modo loquuntur Theologi. Nam primò Aureolus apud Capreolum in 3. distinct. 24. q. 1. & Ariminensis in prologo q. 4. a. 2. fauente etiam Scoto in 3. d. 23. q. 1. ipsam diuinitatem pro formali & vltimata ratione seu causa credendi assignant. Secundò Parisiensis tract. de fid. & leg. auctoritatem DEI præcipientis pro formali ratione obiecti fidei cõstituit. Tertio recentiores nonnulli docent, formalem credendi rationem esse Deum, vt est causa efficiens habitus seu luminis fidei, illuminantis non modo intellectum credentis, sed ipsum etiam obiectum creditum, ad eum modum, quo lumen illuminat obiectum visibile. Ita Bannes hic q. 1. a. 1. dub. 1. ad 3. & fere consentiunt Arragonius & Zumel eodem a. 1. & indicat itidem Scotus in 3. dist. 23. q. 1. a. 2. Cæterum quarta & communis sententia formale obiectum Quo, seu rationem formalem propter quam, seu per quam fidei, statuit esse primam veritatem in dicendo, seu diuinam reuelationem; quam tamen rursum non omnes eodem modo explicant, vt dicemus.

Vt verò simul omnia comprehendamus, quæ 30
ad rationem obiecti formalis Quo fidei pertinẽt, hæc quinque sequentibus assertionibus breuiter explicabimꝰ. 1. An seu prima veritas in dicendo, seu reuelatio diuina sit formale obiectum fidei. 2. quid sit ea reuelatio, an etiã comprehẽdat aliqua signa externa. 3. qualis esse debeat ea reuelatio; an obscura; an publica: an potius sufficiat etiam priuata; eaque vel consistens in infusiore habitus fidei; vel in speciali notificatione, quæ subinde quibusdam sanctis accidit: item an requiratur immediata reuelatio, an sufficiat mediata. 4. An reuelatio ipsa immediatè, an potius propositio reuelata sit obiectum formale Quo fidei. 5. denique an præterea assignanda sit distincta ratio sub Qua.

ASSERTIO I. Obiectum formale Quo fidei, 31
seu ratio formalis Qua, siue propter quam, est prima ac summa in dicendo veritas seu auctoritas Dei aliquid reuelantis. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 1. Caietanus, Medina, Bannes, Arragonius ibidẽ, Gregorius de Valentia q. 1. pun. 1. §. 4. Canus libro 12. locorum cap. 3. post Alensem 3. part. q. 78. memb. 4 Altisiodorensem lib. 3. summæ tract. 3. cap. 1. q. 3. Albertum in 3. dist. 23. a. 7. & 12. Bonauenturam dist. 24. a. 1. q. 2. & 12. Richardum dist. 23. a. 4. q. 3. Durandum dist. 23. q. 7. num. 12. & dist. 24. q. 1. & 2. Capreolum dist. 24. q. vn. a. 1. Gabrielem dist. 23. q. 2. art. 1. & Marsilium in 3. q. 14. contra Aureolum, & Parisiensem, locis cit.

Probatur assertio ex scriptura, quæ fidei assen- 32
sum apertè resoluit in auctoritatem infallibilem Dei loquentis seu reuelantis, Matthæi 16. v. 17. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Ioannis 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*, hoc est, diuina auctoritate reuelauit. Rom. 4. v. 3. & Geneseos 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo* (nempe reuelanti, siue loquenti) *& reputatum est illi ad iustitiam.* 1. Thessal. 2. v. 13. *Cum accepisset is à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Et 1. Ioan. 5. v. 6. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est, quoniam testificatus est de filio suo, Qui credit in filium Dei, habet* (siue obseruat & acceptat) *testimonium Dei in se. Qui non credit filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quo testificatus est Deus de filio suo.* Idem verò est Deus loquens, dicens, testificans, reuelans. Et plura eiusmodi passim occurrunt, vt Isaiæ 55. Ioannis 12. & 18. 2. Cor. 13. Galat. 1. 1. ad Timoth. 3. 2. Petri 1. Idem docet S. Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus cum ait, *fidem esse circa simplicem & semper existentem veritatem.*

33 Ratio est: tum quia omnis fides proprie nititur auctoritate dicentis: Ergo fides diuina & infallibilis, de qua hic agimus, auctoritate infallibili dicentis seu reuelantis Dei. Tum quia ratio vltimata credendi, in quam fidei assensus resoluitur, est hæc ipsa summa veritas seu auctoritas Dei; licet interim hæc ipsa veritas ratione nostra oriatur, ac supponat alias Dei perfectiones, nempe cognitionem veram & falli nesciam, ex parte intellectus; & bonam affectionem, nesciam mentiri, ex parte voluntatis.

Quo fit vt quærens, cur Deus sit aut vnde cognoscatur esse prima veritas, non quærat causam assensus fidei, sed causam rei, seu ipsius obiecti formalis Quo fidei. Quærenti autem cur credamus Deo loquenti, recte respondetur, quia ipse est prima ac summa veritas; nec in hac quæstione vlterius fit processus. Nam si quis vlterius pergat quærere, cur primæ veritati credamus, is nulla dignus est responsione, vt recte notauit Caietanus hic q. 1. a. 1. Similiter etiamsi per impossibile fides præcepta non esset, adhuc tamen fides esset: contra vero si fides præcepta quidem esset, sed per impossibile à Deo summa veritate reuelata non esset, fides non esset; ex quibus duę illæ priores sententiæ superius relatæ facile refelluntur.

Assertio II. Rectè etiam pro obiecto fidei
34 formali Quo, seu ratione sub qua, assignatur infallibilis Dei reuelatio; ita quidem vt hæc sit immediata ratio credendi, sed non vltimata. Ita Caietanus, Medina, Bannes, Gregorius de Valentia locis cit. Et sumitur ex S. Thoma infra q. 5. art. 3. vbi ait: *Formale obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima.* Similia habet 1. part. q. 1. a. 1. & art. 2. ad 2. vbi ait, *Super reuelationem diuinam fundari sacram scripturam*, seu doctrinam, adeoque etiam fidem quæ nititur scriptura. Eadem videtur mens & sententia aliorum, quos citauimus, excepto Arragonio q. 1. a. 1. qui dicit, reuelationem non esse de intrinseca ratione formali obiecti fidei, sed tantum se habere tanquam causam sine qua non: idemque ait communiter sequi Theologos nostri tęporis. Sed loquitur de reuelatione, quatenus significat externa signa, quibus Deus suum conceptum patefacit, de quibus assert. sequęte.

35 Probatur assertio, tum ex citatis scripturis, quibus expressè in Dei reuelationem seu testimonium reducitur fidei assensus: tum ratione; quia auctoritas infallibilis Dei non obit munus rationis, seu causæ formalis, ex parte obiecti fidei, secundum se nude spectata, sed vt obiectum materiale fidei aliquo modo informat. Informatio autem ista fit per reuelationem. Vnde quærenti cur credas, optimè respondebis; quia Deus reuelauit. Sicut etiã in humana fide, non nuda auctoritas alterius, sed loquentis seu testificantis aliquid, adeoq; ipsum testimonium alterius, recte pro ratione credendi assignatur.

Dixi, amen ratio immediata, sed non vltimata.
36 Quia vt superius dictum, vlterius quæri potest cur credam Deo reuelanti; cui recte respondebo, quia Deus est summa & prima veritas. Quo fit, vt tota & adæquata ratio assentiendi ex hoc vtroque constituatur; quod est reuelatio primæ ac summæ veritatis, seu prima & summa, veritas aliquid reuelans. Consentit his Albertinus tom. 1. princip. 3 coroll. 4. à n. 10. vbi dicit, veritatē primam esse rationē formalē Qua in assentiendo, dictionem autem Dei obscuram, esse rationē formalem sub qua, in assentiendo. Vbi rationē formalem obiectiuam, siquidem secundū se & absolute spectetur, vocat rationem formalem Qua; si verò consideretur vt reipsa informans quasi ac denominans obiectū materiale, vocat rationem sub qua, seu modum informatiuum ipsius rationis formalis Quæ. Sed quæ terminorum distinctio parum videtur vsu recepta.

Assertio III. Reuelatio diuina, prout est obiectum formale Quo fidei, comprehendit tum 37
primario ipsum cōceptū diuinę mentis de aliqua veritate credenda, seu loquutionem Dei internā; tum secundario etiam signa illa externa, quibus Deus ipse velut instrumētis quibusdam, proprio nomine & auctoritate, conceptum suum reuelando exprimit: quæ proinde etiam ad rationem formalem obiecti fidei secundario pertinent. Significant Caietanus, Bannes, loc. cit. dū absolute reuelationem Dei pro ratione formali obiectiua fidei constituunt. Et sumitur ex S. Thoma in 3. dist. 29. q. 1. a. 2. ad 2. & de veritate q. 14 a. 8. ad 16. & 1. part. q. 1. a. 3.

Idē expressē docent Albertinus loc cit. & Gre- 38
gorius de Valentia q. 1. pun. 1. §. 5. vbi ait, *reuelationem diuinam, prout est ratio sub qua obiecti fidei, significare conceptum diuinum infallibilē de aliqua veritate, prout manifestatur nobis per asseuerationem scriptoris canonici, aut alicuius alterius legitimi definitoris.* Rectius dixisset, prout manifestatur per ipsam inspirationem diuinam, Prophetis, aut Canonicis scriptoribus factam. Ratio assertionis est; quia reuelatio dicit conceptū mentis aliquo modo exterius manifestum, siue vt loquitur Gregorius de Valentia, manifestationē seu significationē veritatis à Deo cognitæ: Ergo vtrumq; includit, & conceptum scilicet diuinæ mentis, & signa quædam, quibus ille manifestetur.

Dixi verò, signa, *quibus Deus ipse &c.* qualia nimirum sunt, tum inspiratio seu attestatio Dei interna Prophetis seu canonicis scriptoribꝰ primitus facta; tum ipsa etiam scriptura sacra, qua velut instrumento Deus suam voluntatē ac mentē hominibus suo nomine & auctoritate patefacit. Cætera signa verò, quibus homo, vel alia creatura suopte arbitrio & auctoritate, mentē Dei pandit, in quibus etiam esse videtur asseueratio canonici scriptoris, & Pontificia definitio, cū sint ipsa reuelatione posteriora, eamq; supponant, ad fidei dumtaxat propositionem, siue regulam cognoscendę reuelationis, non ad ipsam reuelationē, & rationem formalē obiecti fidei spectare existimo.

In quem sensum recte etiam dixit Caietanus
hic quæst. 1. a. 1. *Reuelationem diuinam esse rationem* 39
formalem obiecti fidei; auctoritatem autem Ecclesiæ ministram obiecti fidei, seu infallibilem regulam proponendi & explicandi ea, quæ sunt fide tenenda.

Similia

Similia habet Canus lib. 2. locorum capit. 2.

Etsi Gregorius de Valentia q. 1. pun. 1. §. 5. de assueratiõe Canonici scriptoris & Ecclesiastici definitoris loquens, vtramque partem probabilem censet, eam nimirum vna cum ipso conceptu diuino esse rationem formalem obiecti fidei; ita vt ex conceptu diuino, & assueratione scriptoris seu definitoris, ratio formalis adæquate cõfletur: aut eam assueriationem solum esse conditionem, sine qua diuinus conceptus non esset (nobis scilicet) ratio formalis sub qua obiecti fidei. Quorum tamen prius illud ipsemet hac etiam ratione parum probabile reddit, cum ibidem subiungit: *si assueratio scriptoris, seu definitoris, partim ponatur ratio formalis obiecti, consequenter dicendum esse, non esse in definitore actum elicitum ab habitu fidei, sed ad quoddam genus Prophetiæ potius pertinere; quatenus scriptor vel definitor Dei afflatu veritatem infallibiliter testatur.* Quasi S. Paulus assueuerans, se Epistolas suas diuino instinctu scripsisse, actum fidei de hoc obiecto non elicuerit: quod parum videtur probabile, vt magis patebit inferius.

40 Assertio IV. Reuelatio diuina, quatenus est obiectum formale fidei, necessario debet esse obscura; ita saltem, vt res ipsas reuelatas in se euidentes non faciat. Hæc assertio est communis Doctorum, & est extra controuersiam; quam speciatim tradit S. Thomas hic q. 1. a. 6. ad 2. vbi ait: *Ratio formalis credibilis est, vt sit non visum.* Et a. 4. ait: *Nec fides, nec opinio potest esse de ipsis visis, aut secundum sensum, aut secundum intellectum.* Similia habet a. 5. de obiecto scito. Quod quidem acceptũ de viso aut scito formaliter, extra controuersiam est.

41 Probatur assertio aperte ex scriptura Heb. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* 2. Pet. 1. v. 19. *Cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Vbi generatim docetur, fidem esse notitiam rerum non apparentium, seu obscurarum & ineuidentium, saltem quatenus per fidem cognoscuntur.

Ratio est; Quia fides tam quoad exercitium, quam quoad specificationem, est libera & volũtatis motionem prærequirit, vt docet etiam Sanctus Thomas cit. a. 4. vbi ait: *Fides importat assensum intellectus ad id, quod creditur: Assentit autem intellectus alicui dupliciter. Vno modo; quia ad hoc mouetur ab ipso obiecto* (seu euidentia obiecti) *quod est vel per se ipsum cognitum, sicut patet in principijs primis, quorum est intellectus: vel est per aliud cognitum; sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moueatur ab obiecto proprio, sed per quandam electionẽ, voluntarie declinans in vnam partem magis quam in aliam. Et si quidem hæc sit cum dubitatione & formidine alterius partis, erit opinio: si autem sit cum certitudine, absque tali formidine erit fides.* Ita S. Thomas; cuius tamen ea distinctio, inter fidem & opinionem, parum est vsu recepta; & potest fides humana non minus cum formidine esse coniuncta, quam opinio. Eodem modo q. 5. art. 2. docet, fidem diuinam esse *ex ordine* seu *affectu voluntatis ad bonum.* Et q. 2. a. 9. ad 2. expresse docet, fidem esse liberam, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem.

Ex quibus colligitur, reuelationem factam per ipsam visionem beatificam, quam habent Angeli, alijque beati de ijs rebus, quas in DEO clare vident, iuxta S. Thomam 3. cont. Gent. capite 124. non posse esse rationem credendi: quod omnes fatentur, iuxta expressam doctrinam Apostoli 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Vbi Apostolus fidei cognitionem visioni beatificæ opponit. Idem dicendum est, de reuelatione, si quæ per experimentalem & sensibilem cognitionem ita fiat, vt ipsum obiectum, cui assensus præbetur, sensui euidenter manifestum reddatur; quo tamen modo nequaquam Apostolis ipsum Incarnationis mysterium innotuit; neque illud significatur 1. Ioannis 1. v. 1, *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ &c. annuntiamus vobis.* Aliud enim viderunt, aliud crediderunt. Viderunt hominem, sed crediderunt Deum, vt passim Sancti docent. 42

Assertio V. Probabilius videtur, reuelationem, cui velut obiecto formali immediate fides nititur, seu ob quam formaliter aliquid diuina fide creditur, ita etiam obscuram esse debere, vt (saltem qua talis est) neque dicentem quidem, seu reuelantem Deum euidenter ostendat. Hæc assertio videtur communis Doctorum, quam inprimis tradunt Hugo Victorinus l. 1. de Sacramẽtis part. 5. cap. 14. & part. 6. c. 14. Alensis in summa de virtutib⁹ collat. 35. a. 2. Gandauensis quodl. 7. q. 14. ac præcipuè Durandus in 3. d. 23. q. 9. n. 12. qui idcirco negant, Angelos, eo quod habuerint euidentiã reuelantis, habuisse proprie fidem Idẽ sentiunt Bañes, Gregorius de Valentia, Albertin⁹, & alij citandi, p sequenti assertione, cõtra Vasquiũ 3. part. tom 1. d. 53 n. 5. & 1. part. d. 135. c. 3. qui docet, fidem generatim niti testimonio, seu auctoritate Dei reuelantis, etiamsi ipsius testimonij, seu reuelationis euidentia habeatur. Quod etiã significant Caietanus hic q. 1. a. 4. & Arragonius q. 5. a. 1. alijq; nonnulli recentiores. 43

Probatur assertio ex scriptura, quæ vt dictũ vniuersim docet, obiectũ fidei esse obscurũ, nempe saltem quatenus per fidẽ cognoscitur: quod autẽ per euidentem reuelationẽ cognoscitur, vt sic non est obscurum, sed euidens, vt inferi⁹ dicetur. 44

Ratio est. I. Fidei actus ex sua ratione liber est, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem: vnde etiam prærequirit piam motionem voluntatis, vt antea ex S. Thoma dictũ, & magis patebit quæst. sequenti: quod autẽ euidens est in attestante, quoad specificationẽ liberũ nõ habet assensũ, vt docet etiã S. Thomas q. 5. a. 2. pfertim ad 1. & 2. impossibile enim est, ei veritati dissentire, quæ per quodcunq; mediũ, seu extrinsecum, seu intrinsecũ, euidenter vera esse cognoscitur; quãdoquidẽ hoc vniuersim spectat ad euidentiã, vt auferat de obiecto euidenter cognito, seu dubitãdi, seu dissentiendi facultatem. II. Alias fides non differret à Prophetia, vtpote quæ hoc solum à

fide

fide differre videtur, quod habet euidentiam reuelantis, vt colligitur ex S. Thoma 2.2.q.171.a.5. & q.14. de veritate a.1. & docet Bannes hic q.1.a.1. Ex quo vlterius sequeretur, fidem esse in Christo, non secus ac prophetiam. III. Alioquin assensus fidei non esset obscurus, sed in nostro proposito euidens; vtpote nitens ratione formali, per quam euidens fieret credenti, verum esse quod credit; quandoquidem naturaliter euidens est, esse verũ, quod Deus reuelauit. Si ergo simul etiam euidens fiat, Deum hoc vel illud reuelasse, eaq; reuelatione assensus nitatur, is iam non erit obscurus, sed euidens; omnis enim assensus nitens ratione formali sub qua euidenti, est euidens.

46 Quare nihil etiam ad propositum facit discrimen inter euidentiam extrinsecam obiecto, & intrinsecam; quando obiectum vel perse, vel per aliquid sui, quo cum tanquã cũ sua causa necessariã conexionẽ habet, cognoscitur aliqua euidẽti cognitione; quasi hæc solũ repugnet obiecto formali fidei, nũ illa. Quia si obiectũ vndecunq; demũ sit euidenter verũ, eiq; sub ea ratione assentiar, impossibile est, vt is assensus non sit euidens, adeoq; vt sit assensus fidei. Et differentia illa principij intrinseci, vel extrinseci (supposita vtriusq; euidentia) inducit quidem differentiam demonstrationũ, iuxta Aristotelem, & cõmunẽ Philosophiam, vt alia sit demonstratio quia, alia demonstratio ppter quid; sed non facit, vt talis deductio vniuersim nõ sit demonstratio, seu vt obiectũ ita demõstratũ, generatim loquendo, non sit euidẽs.

47 Quod confirmatur etiã ex demonstrationibus Mathematicis; quæ cum habeantur rectissimæ & euidentissimæ, nonnunquã tamen procedere videntur, ex principijs eiusmodi extrinsecis, vt videre est in hac ijsdẽ vsitata demonstratione: Quæ sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se: hæc sunt æqualia vni tertio: Ergo sunt æqualia inter se. Vbi sane æqualitas ad vnũ tertium, non est causa, seu principium intrinsecũ, seu vlla omnino causa essendi, cur hæc sint æqualia inter se, sed est causa solũ extrinseca cognoscendi, vt etiam tradit Vasquez cit. 1. part. d. 135. c. 3. vbi licet neget, eam conclusionẽ esse euidentẽ, quę nitatur antecedẽtibus seu præmissis euidentibus, siquidem hæ solum contineant principia extrinseca; quę ratione etiam consequenter negat, eam, quã retulim[9], mathematicã collectionẽ, esse demonstrationẽ; id tamen plane est alienũ à cõmuni sensu Doctorũ, ac ipsius Aristotelis, qui mathematicas demonstrationes pro euidentissimis habuit.

48 Dices. Prophetæ & Angeli habuerunt fidẽ eiusdem rationis nobiscũ; & tamẽ nõ caruerunt euidentia reuelantis, ex cõmuni, contra Victoriã, & Bañem q.5.a.1. Respondeo, in his duplicẽ assensũ distinguendũ esse; vnũ propheticũ, nitentẽ euidentia reuelantis; quæ in Prophetis forte diutius non durabat, quã ipsũ lumen propheticũ, quod eis inerat transeunter, adeoq; non per modũ habit[9], sed *passionis transeuntis*, vt loquitur S. Thomas q.171.a.2. Alterũ assensũ fidei, nitẽtẽ reuelatione diuina obscura; siquidẽ nil obstat, vnũ & idẽ vtroque modo reuelari: sicut etiã inter homines vnus alteri se varijs modis manifestare potest, puta pulsu, scripto, voce, visu; quorũ alia euidenter notificantẽ ostendant, alia non item. Imò eadẽ reuelatio Prophetæ facta, quæ durante lumine propheticõ eidem antea fuerat euidens, postea desito illo lumine potuit esse obscura. Deniq; euidẽtia reuelantis etsi non possit esse ratio formalis obiectiua fidei, potest tamen conferre ad propositionem obiecti, qua suppositа fides assentiatur veritati reuelatæ, propter ipsam reuelationem diuinam, abstrahendo ab eius euidentia: quæ proinde reuelatio, quatenus per modum obiecti formalis fidem terminat, sit & dicatur obscura negatiue, hæc est, non clara vt sic, prout in assertione indicauimus.

Fateor tamen, ob hoc ipsum argumentum, oppositam sententiam esse probabilem; cui nõ49 nihil fauet etiam S. Thomas infra q. 5. a. 2. vbi videtur admittere, posse assensum fidei niti assueratione prophetica, etiamsi euidens sit, hoc Prophetam dicere à Deo: neq; enim ideo idipsum quod reuelatũ est, in se euidens esse. Verba eius sunt: *Alio modo voluntas mouere potest intellectum ad assentiendum, quia intellectus conuincitur ad hoc, quod iudicet esse credendum his, quæ dicuntur; licet non conuincatur per euidentiam rei. Sicut si aliquis Propheta pronuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando: ex hoc signo conuinceretur intellectus videntis, vt cognosceret manifeste, hoc dici à DEO, qui non mentitur. Licet illud futurum, quod prædicitur, in se euidens non esset: vnde per hoc ratio fidei non tolleretur.* Ita S. Thomas. Sed quem reuera non loqui de vera & virtuosa fide, manifeste patet ibidem, præsertim responsione ad 1. & 2. vbi eam fidem attribuit dæmonibus, & vocat fidem *quodammodo coactam*, ex signorũ euidentia; & distinguit contra veram fidem, quæ est donum gratiæ.

ASSERTIO V. Obscuritas ea reuelationis, non50 quidem præcise vt est negatio, sed quatenus certũ & positiuũ quendã modũ reuelationis significat, carentẽ euidentia, est de intrinseca ratione formali obiecti fidei. Ita expresse docent Bannes hic q. 1.a.1. du.1. & a.4. du.1. Gregorius de Valentia q. 1.pu.1.§.5. & Albertinus cit. princip.3. coroll. 4. n.18. & significat S. Thomas hic q. 1. a.4. & 6. & q.4 a.1. & in 1. 2. q.67.a.3. & q.14. de verit.a.1. Capreolus in 3.d.24. q.1. etsi contrarium dixerit Durandus in 3.d.24.q.1. qui negat, *non visum* pertinere ad rationem formalem fidei, cum obscuritas comitetur fidem tanquam *conditio*.

Probatur assertio: tum quia hac ipsa ratione, fides distinguitur essentialiter à cæteris habitib[9], nimirum à lumine gloriæ, præstante euidentiam intuitiuam; à scientia infusa, quæ præbet euidentiam saltem abstractiuam, & à prophetia, quæ habet euidentiam reuelantis, vt superius dictum. Tum quia omnis differentia essentialis habitus, seu assensus, desumitur ab obiecto, adeoq; à simili differentia obiecti: atqui vero euidentia & ineuidentia sunt differentiæ essentiales actuum & habituum naturalium: ergo desumuntur, adeoq; supponunt similes differentias ex parte obiecti: ac proinde ineuidentia obiecti dicto modo explicata, pertinet ad rationem intrinsecam & formalem obiecti fidei. 51

Dixi

52 Dixi verò, non vt præcisè est negatio; quia negatio non est de essentia entis positiui; obscuritas autem, de qua loquimur, explicatur quidem per negationem, quasi à posteriori, sicut v. g. remissus calor explicatur per negationem intensi; sed formaliter & intrinsece non est negatio, sed aliquis certus modus reuelationis, qui facit aliquo modo cognoscere, sed non clare.

53 Assertio VII. Reuelatio diuina, de qua agimus, non consistit in priuata illustratione cuiusq; credentis, prærequisita alioquin ad credendum: ac proinde nec Deus, vt est causa efficiens habitus, seu luminis fidei; nec ipsum fidei lumen, est obiectum formale Quo fidei, siue ratio formalis obiectiua; sed potius ratio formalis effectiua, seu causa efficiens assensus fidei. Hæc assertio est contra authores tertiæ sententiæ superius relatos, nimirum Scotum in 3. d. 23. q. 1. a. 2. Bannem hic q. 1. a. 1. dub. 1. ad 3. Arragonium eodem a. 1. & Zumel 1. part. a. 3. q 2. qui Deum vt causam efficientem luminis seu habitus fidei, seu ipsum lumen ac habitum fidei; vel cognoscibilitatē per habitum ac lumen fidei, dicunt esse rationem formalem sub qua fidei. Additq; Bannes illam ipsam reuelationem, quæ dicitur obiectū formale fidei, consistere in eiusmodi efficiētia habit⁹ seu luminis fidei, priuataq; cuiusq; credentis illuminatione per infusionē habitus fidei &c. Nostra vero assertio est mens & doctrina S. Thomæ, vt videbim⁹, & cōmunis aliorū Doctorū; quā speciatim tuetur Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 4. n. 10. & 36.

54 Probatur & declaratur assertio. Primo enim authores oppositæ sententię planè confudisse videntur rationē credendi effectiuam, cum ratione credēdi obiectiua, quæ dicitur ratio formalis obiecti, seu formale obiectum Quo fidei. Etenim, vt rectè notarunt Michael Medina de fide l. 5. c. 11. & Gregorius de Valentia q. 1. pu. 1. §. 5. in omni potentia, vel habitu cognoscētē duplex assignari potest ratio, p quā, vel propter quam cognoscendi, vel assentiendi. Prima ex parte subiecti; quæ est ipsa vis effectiua cognitionis potentię cognoscenti insita, vel addita; altera ex parte obiecti, quæ est ratio quædam non effectiue vt sic, sed obiectiue mouens potentiam vel habitum ad assensum seu cognitionem obiecti materialis.

Exemplis res fit clarior. Ratio sub qua, & per quā potentia visiua mouetur à colore, vel lumine, ex parte quidē obiecti, censetur esse ipsū lumē afficiens colorē: siue quod ad luminis visionē attinet, ipsa per se claritas luminis; ex parte verò potentiæ, est innata vis, & quasi congenitū quoddā lumē ipsi oculo. Similiter in scientia ratio sub qua, ex parte obiecti, seu formale obiectum quo, sunt principia, quibus obiectum siue conclusio fit actu scibilis, vt expresse docet S. Thomas hic q. 1. a. 1. ratio vero, seu causa cognitionis ex parte intellectus, est lumē naturale intellectui insitū. Demū in habitu principiorum ratio sub qua, siue propter quā, ex parte subiecti, est lumen naturale intellectus; ex parte vero obiecti, non est hoc ipsū lumē, vt authores illi dixerunt, sed ipsamet claritas seu euidentia obiecti.

55 Hoc posito, qua ratione lumen fidei obiectum eius materiale afficiat, & in ratione actu credibilis constituat, nunquā sanè isti authores explicarint. Aut enim est sermode lumine, quod ipsimet actui fidei insit, seu potius, quod sit ipsa fidei cognitio & assensus: & hoc vt sic ratio formalis credendi, ex parte obiecti, seu formale obiectum Quo fidei esse non potest; cum obiectū cognitionis sit prius cognitione, adeoq; à cognitione distinguatur & præsupponatur, non cōstituatur. Aut loquuntur, vt sanè faciunt, de habitu fidei sed & hic, vt & alij habitus supernaturales, in homine adulto, q primum ad fidē conuertitur, posterior est, non tantū obiecto fidei, sed etiam actu, sicut & omnis forma sua dispositione, qua acquritur, vt suo loco docui: & quamuis prior esset, intellectum quidem illuminaret ad credendum, sed obiectum non magis afficeret, quam quiuis habitus suum obiectum.

Quod si de illuminatiōe actuali, per modū gratiæ præuenientis, fidei præuia loquerentur, aliquanto propius quidē fortassis ad veritatē accederent; sed ne sic quidē omnino attingerent. Tum quia hoc ipsum gratiæ auxiliū tenet se potius ex parte potentiæ quā confortat & adiuuat, quā ex parte obiecti mouentis ad assensū: tum quia gratia præueniens & inspirans fidem supponit obiectum fidei cum sua ratione formali obiectiua, solumq; ad eius assensum inuitat & adiuuat. 56

Secundo, proinde in nulla potētia, vel habitu cognoscitiuo, ipsemet habitus, imo nec cognoscibilitas per habitū (idem dico de innato lumine, seu vi cognoscitiua ipsius potentiæ) rectè dici potest ratio formalis obiectiua habitus vel potentię; quia ratio hæc debet esse prior ipsa potentia seu habitu, quem specificat: illa autē cognoscibilitas vt sic, cū sit denominatio ab ipsa vi cognoscitiua habitus, vel potentiæ, est posterior ipso habitu vel potentia. De qua re contra Molinā, & alios quosdam pluribus actum est tom. 1. disp. 1. q. 3 dub. 2. 57

Tertio, dicere, reuelationē, cui fides innititur, solum aut præcipue in priuata illuminatione, quæ cuique credentium sigillatim accidit, esse positā, vt Bannes, & non nulli oppositæ sententiæ authores asserunt, non satis videtur scripturæ & rationi consonū. Etenim Apostolus Ephes. 2. v. 20. de fidei ratiōe obiectiua, ac fundamēto loquens, ait, nos *super ædificatos esse super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; quos nimirum *dedit Deus in ædificationē corporis Christi*. Ephes. 4. v. 12. ita vt Ecclesiæ *fundamēta* sint in *montibus sanctis*, Psal. 86. v. 1. 58

Deinde cum ex certa omnium Catholicorum sententiâ, regulariter loquendo, nihil credi possit, nisi ab Ecclesia propositum; cumq; inprimis etiam reuelatio, cui fides præcipue innititur, debeat per fidem credi, vt dicetur dubio sequenti, neutiquam apparet, quonam modo fides, tanquā ratione formali obiecti, præcipue nitatur priuata singulorum credentium illuminatione seu reuelatione; quæ nec ab Ecclesia credenda proponitur, nec etiam regulariter vllo modo fidei certitudine cognoscitur, vt suo loco ex veriori sententia dicetur.

Quarto deniq; hæc sententia S. Thomæ, quem illi Doctorem laudant, nullo modo consentanea est. Hic enim, vt vidimus dubio 2, nunquā habitū 59

ipsum

ipsum vocat rationem formalem obiecti, sed aliquid quod obiectiue seu velut mediũ cognitum moueat & cõcurrat ad cognitionem obiecti materialis, vt videre est hic q. 1. a. 1. Tum quia idẽ ipse q. 2. a. 3. ad 2. docet, lumen fidei habere se ad principia fidei, sicut lumen naturale intellectus ad principia naturalia: at vero hoc non se habet vt ratio formalis obiecti, vt supra dictum. Tum quia idem S. Thomas hic q. 5. a. 3. ait, formale obiectum fidei esse *veritatem primam, secundũ quod manifestatur in scripturis sacris & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima*; cum tamen illuminatio priuata nec in scripturis sacris, nec aliquâ propositione Ecclesiæ manifestetur. Deniq; 1. part. q. 1, a. 8. ad 2. expresse ait: *nostram fidem inniti reuelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt; non autem reuelationi, si qua fuit alijs Doctoribus facta.*

60 Nec obstat, quod priuata etiam illuminatio & motio gratiæ excitantis, fidei præuia, nomine reuelationis (late scilicet loquendo) in scripturis quandoque afficiatur, iuxta illud Matthæi 11. v. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et ibidem vers. 27. *Neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Et Matthæi 16. vers. 17. *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*; nimirum tum externâ & publicâ, tum etiam internâ & priuatâ reuelatione. Quò spectat etiam illud Ioannis 6. v. 45. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit* (per illuminationem internæ gratiæ congruæ,) *venit ad me.* Denique illud 1. Ioannis 5 v. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Hæc inquam, non obstant; quia hanc reuelationem dici existimandum est, nõ qua ipsa fidei certitudo, proprie loquendo, tanquam ratione formali obiecti secundum se ipsa nitatur; sed qua & niti posset, si sufficienter proposita foret, & reipsa quoque nitatur acceptatio siue certitudo fidei quoad nos: vtpote qua vt sic credenti applicetur diuina reuelatio, inprimis per fidem credenda, rationemque formalem obiecti fidei reipsa sustinens.

61 Assertio VIII. Nihilominus probabilius videtur, ad fidem diuinam gignendam sufficere reuelationem etiam illam, quæ priuatim nonnũquam Sanctis obuenit; ita vt reuelatio diuina quatenus significat rationem formalem fidei, comprehendat non solum reuelationem publicam, quæ fit toti Ecclesiæ, sed etiam reuelationes priuatas quæ Sanctis nonnunquam priuatim accidunt; si modo ijsdem sufficienter proponantur. Ita docent Vega lib. 9. in Trident. cap. 3. Catharinus opusc. & Apologia de certitudine grat. Arragonius hic quæstione 1. articulo 3. sub finem, & significat Sanctus Thomas quæstio. 1. art. 1. vbi vniuersim docet fidem inniti veritati diuinæ tanquam medio, ideoque assentire alicui, quia est à Deo reuelatum. Tametsi non pauci ex Theologis contrarium sentiant, speciatim Caietanus hic q. 5. a. 3. Sotus lib. 3. de nat. & grat. c. 11. dub. 3. Canus l. 12. locor. c. 3. & 4. Gregorius de Valentia quæst. 1. part. 1. §. 5. Bannes quæst. 1. art. 1. dub. 3. post Magistrum in 3. dist. 23. qui omnes docent eiusmodi reuelationibus nec ipsos quidem Sanctos, quibus factæ sunt, assentiri per fidem diuinam, de qua loquimur; sed aut per prudentiam infusam, vel donum prophetiæ seu consilij, aut per auxilium aliquod actualis gratiæ: siue quod necesse sit, materiam fidei commune bonum Religionis concernere; siue quod præter assignatã antea rationẽ formalẽ fidei, ad credendum fide diuina necessariam putant propositionem Ecclesiæ, vel vt spectantẽ ad rationem formalem fidei; vel potius vt conditionem sine qua non; cui doctrinæ fauet etiam nonnihil S. Thomas hic q. 5. a. 3. & 1. part. q 1. a. 8. & q. 2. de virtutibus Theologicis a. 13. ad 6. Sed qui facile intelligi potest, de eo, quod fit ordinarie: quia nimirum tales reuelationes, seu veritates reuelatæ sufficienter proponi non solent, vt ab omnibus in communi credantur. 62

Probatur assertio primò ex scriptura Hebr. 11. vbi laudatur fides Abrahæ, Saræ, Isaac, Gedeonis, Barac, Samsõnis, Iephte &c. etiam ijs in rebus ac reuelationibus, quæ proprie ac immediate Ecclesiæ communitatem non concernebant, vti fuit egressus Abrahami ex Chaldea, generatio Isaac &c. quo spectat etiam peregrinatio Iacobi in Mesopotamiam, post apparitionem in Bethel acceptam. 63

Secundo probatur ex Cõcilio Trident. sess. 6. c. 12. & 13. & Canone 16. vbi dicitur: *Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certo habiturũ absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* Vbi sermo est de certitudine fidei, de qua huius temporis sectarij loquebantur, quorum errori Canon iste opponitur; sentit ergo Concilium, ob eiusmodi priuatã & specialẽ reuelationẽ, si cui extraordinariè facta sit, certitudine fidei credi id posse.

Tertio idem probatur ratione. Tum quia summa & infallibilis certitudo, cum obscuritate coniuncta, est propria & intrinseca ratio fidei; eademque etiam cernitur in assensu eiusmodi reuelationis sufficienter propositæ: Ergo supponit rationem formalem obiecti.

Tum quia propositio Ecclesię solum spectat ad applicationem obiecti, vt dicetur quæst. 3. quæ non variat rationem formalem habitus: nec materiæ seu veritatis reuelatæ conditio mutat rationem habitus & assensus; cum nos etiam multa hodie credamus, quæ per se non pertinent ad communem Religionis seu Ecclesiæ statum, vt Tobiam habuisse canem. &c. Tum quia & Angeli & homines, in omni statu, & peculiariter etiam in statu gratiæ Apostoli, fidem eiusdem rationis habuerunt, cuius nos habemus, vt colligitur ex Apostolo 2. Corinth. 4. vers. 13. *Habentes eundem spiritum fidei*; & tamen plerique ex illis (Angeli scilicet, Patriarchæ, Apostoli) fidem conceperunt immediate ob reuelationem Dei, seu Christi, non interueniente alia Ecclesiæ propositione: quin etiam Patriarchæ plerique nonnullas habuerunt reuelationes de rebus priuatis, quas omnes eadẽ fide diuina crediderunt, vt colligitur etiam ex Epistola ad Rom. Ergo fides 64

vniuersim non pendet aut ex propositione Ecclesiæ, aut ex eo quod materia illius communem Religionem concernat.

Denique accedit, quòd non potest conuenienter assignari vllus habitus, qui eiusmodi reuelationibus priuatis saltem cum obscuræ sunt, assentiatur, præter fidem; non prophetia, vt quæ nititur reuelatione euidente: nec consilium, aut prudentia; quia per hæc non elicitur assensus siue iudicium speculatiuum, sed solummodo practicum: Multo minus hæc versantur immediate circa Deum, tanquam circa obiectum. Quod.

65 Neque obstat primò, quod dissentiens eiusmodi priuatæ reuelationi hæreticus non dicitur. Quicquid enim sit de nomine hæresis (quod cõmuni vsu accommodatum videtur, ad errorem contra communem Ecclesiæ fidem,) talis certe infidelitatis peccatum incurrere dissentiendo potest: tametsi alioqui peccatum illud communiter non sit, nec in scripturis dicatur infidelitas, sed durities, aut tarditas cordis; eo quod illi, qui ita dissentiunt, communiter non ita veritati diuinæ, cum formali infidelitate aduersantur; siue quia non satis aduertunt, Deum esse qui loquitur; siue quia non existimant, verba reuelationis eo sensu proprio accipienda, quem prima fronte præseferunt.

66 Nec obstat secundò, quòd alij, quibus eiusmodi reuelationes factæ non sunt, ijs communiter non assentiantur per fidem. Hoc enim mirum non est, eo quod non ita communiter proponuntur, vt illis tanquam diuinis reuelationibus per fidem diuinam alij assentiri possint aut debeant; licet alioqui ex signis quibusdam de ijs iudicium vtcunque probabile ferre liceat. Nam si quocunque modo à fide Ecclesiæ dissentiant, certissimum indicium est, eas à Deo non esse. Si vero contrariæ non sunt, vlterius videndum erit, an ad pietatem conferant, an eum cui fiunt reddant magis humilem, & Ecclesiæ ac suis superioribus obedientem; an cum moribus & cõditione hominis conspirent &c. Nec dubito, posse, absolute loquendo, reuelationem eiusmodi priuatam etiam alijs, quibus facta non est, per certa argumenta & motiua ita credibilem reddi, vt prudenter etiam per fidem diuinam ei assentiri liceat.

67 Nec obstat tertiò, quod fides talium reuelationum non dicitur Catholica. Hoc enim ad nomen tantum pertinet: de re autem constat, fidē infusam vnam tantum esse, iuxta illud Ephes. 4. v. 5. *Vnus Dominus, Vna fides, vnum baptisma*, & iuxta S. Thomam q. 4. a. 6. Quæ quidē fides Catholica dicitur, quatenus vniuersalis est tā quoad materiam, quam quoad personas, quibus competit. Vnde licet fides huiusmodi reuelationum eadem re sit cum fide Catholica, hoc tamen nomine communiter non appellatur, sed commune fidei infusæ nomen retinet.

68 Assertio IX. Ad reuelationem diuinam, quatenus est obiectum formale fidei, nihil interest, siue veritas credenda secundū se immediate sit à Deo reuelata, siue tantum mediate, & quatenus in alia propositione immediate reuelata continetur, modo reuera sit reuelata, & vt talis sufficienter proponatur. Ita docent Scotus in 3. dist. 35. Canus l. 6. locor. c. vlt. Vega in Trident. l. 1. c. 29. Vasquez 1. part. disp. 5. c. 3. & disp. 7. n. 7. Arragonius 2. 2. q. 11. a. 2. Bellarminus l. 3. de Ecclesia c. 15. & l. 3. de iustif. c. 8. & l. 4. de amissione gratiæ c. 11. Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 3. pun. 2. Gillius tom. 1. l. 1. tract. 2. c. 5. n. 5. idemque docui tom. 1. disp. 1. q. 5. dub. 3. tametsi nonnulli aliter sentiant; primo quidem Bannes hic q. 1. a. 5. ad 1. vbi docet, eiusmodi propositiones esse de fide mediatè tantum, non autem per se ac immediate: ex quo sequi videtur, nos illis per fidem immediate & secundū se assentiri non posse, etiam suppositō discursu.

Secundò Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 2. putat, eiusmodi propositionem tunc tantum per fidem credi posse, quando vel infertur ex duabus propositionibus de fide, vel cū in discursu, habente vnam de fide, & alteram euidentem, præmissa de fide est vniuersalis, nō autem quādo est particularis; cum in hoc casu conclusio, non intelligatur esse reuelata in illa præmissa reuelata, vtpote particulari. 69

Sed ratio assertionis est generalis; quia ad hoc vt aliquid sit de fide, adeoque possit & debeat à me per fidem credi, satis est, si sit reipsa à Deo reuelatum, atque ita propositum, vt euidenter sit credibile, id esse reuelatum, saltem suppositis alijs principijs fidei. Sed tales sunt hæ propositiones, de quibus loquimur; quia per se loquendo, qui reuelat aliquid, reuelat etiam ea, quæ cum eo necessario connexa sunt; & cui credibile est aliquid, est etiam credibile id, quod necessario connexum est; si modo connexio ipsa sit manifesta. 70

Quo argumento generatim probauimus loc. cit. omnem conclusionem, euidenter deductam, siue ex duabus reuelatis, siue ex vna reuelata & altera euidenti, obiectiuè esse de fide; imo etiam reipsa per fidem credi posse, si ea euidentia credenti sit perspecta; quandoquidem hoc ipso per discursum Theologicum certo & euidenter innotescit, conclusionem Theologicam contineri in propositione reuelata.

Et confirmatur assertio: tum quia nemo negare potest, propositionem particularem sub vniuersali reuelata contentam, esse reuelatam, adeoque de fide; v. g. hunc infantem à me baptizatum esse in gratia. &c. Tum quia generatim loquendo, nulla est reuelatio, quæ non fiat per aliquod medium tanquam signum internæ conceptionis diuinæ, vt superius dictum: Ergo per se nihil interest, siue mediate, siue immediate aliquid sit reuelatum; modo simul etiam sufficienter proponatur tanquam reuelatum, & assensus non ipso discursu proponente & manifestante reuelationem, sed reuelatione ipsa immediate nitatur, vt mox dicetur. 71

Assertio X. Reuelatio diuina est obiectum formale Quo fidei, vt afficiens ipsum obiectum complexū, seu veritatē fidei, non vt afficit aliquā propositionē ex qua veritas fidei per discursum 72

dedu-

deducatur: ac per hoc fides essentialiter differt á Theologia, cuius immediatum obiectum formale est, propositio reuelata; non ipsa diuina reuelatio. Ita ex instituto docui 1. part. disputat. 1. q. 3. dub. 2. Eademq; est communis Doctorum sententia, quam speciatim tradunt Caietanus hic q. 1. a 1, Vega loc. cit. Valentia q. 1. pu. 2. qui ex cõmuni docent, fidẽ à Theologia hoc ipso differre, quod illa assentitur suo obiecto imediate propter diuinã reuelationẽ, hęc vero non nisi mediãte discursu, seu quod idẽ est, ob ꝓpositionẽ reuelatã, ex qua conclusio Theologica infertur; quidquid Vasquez 1. part disp. 5. c. 3. cum nonnullis dixerit, & fidem, & Theologiã, per discursũ assentiri suo obiecto; cum hoc tamẽ discrimine; quod hæc pro medio assumat alias veritates reuelatas; illa verò ipsamet reuelationem veritatis, cui assentitur: quod etiam indicat Bannes hic q. 1. a. 4. Et fundamentum huius sentẽtiæ est, quia intellectus per fidem non assentitur veritati reuelatæ nisi propter diuinam reuelationem: Ergo saltem natura prius habet assensum de diuina reuelatiõe quam assentiatur ipsi veritati reuelatæ: quod sine discursu non accidit.

73 Sed hæc sententia videtur improbabilis: Nam aut vult, fidem aliquando tantũ, non semper, ita per discursum assentiri propositioni reuelatę, aut vult id semper ac necessario fieri. Si primũ, concidit eius fundamentum & ratio, quæ aut vniuersim concludit, aut nihil concludit. Et licet aliquis assentiri possit alicui veritati, prævio discursu, etiam illo, qui pro medio assumit reuelationem, v. g. quidquid Deus dicit est verum, Deus hoc dicit: Ergo &c. tamen iste discursus neque ad fidem necessarius est, neq; ad fidem pertinet; sed ad habitũ Theologiæ. Sicut etsi quis possit vti discursu, circa assensum primorũ principiorum, puta, Quidquid naturæ lumen ostendit, est verũ: hoc ostendit: Ergo &c. tamen ipse habitus principiorum hunc discursum non facit, neq; assentitur veritati propriè per discursum, sed immediate ob eorum euidentiam.

74 Si autem secundum dicitur, magis est falsa & improbabilis sententia. Nam aut assensus ille prior reuelationis, ex quo conclusio credenda deducitur, est assensus fidei, aut alicuius habitus acquisiti; quia nullus habitus intellectualis infusus prior fide assignari potest; sed neutrum est. Non primum: quia vel ille elicitur sine discursu, & tunc habetur intentum: aut necessario prærequirit aliũ discursum; & tunc dabitur in eiusmodi assensibus processus in infinitum. Accedit, quod si ratio aliquid probaret, etiam probaret Angelos in statu primæ creationis per discursum assensos fuisse rebus fidei; vtpote quibus etiam ipsi propter diuinam reuelationem assentiebantur.

Dicendum ergo, fidẽ sine discursu in suũ obiectum tendere, quod est veritas reuelata, qua talis, per modũ vniꝰ credibilis; vtcumq; alioqui ꝓ discursum credendi applicetur, vt dicetur quæst. sequenti eo modo, quo visus ferturin colorẽ sub ratione lucidi, & habitus principiorũ in principiũ euidens, vt recte dixit Valentia loc. cit.

Assertio XI. Præter reuelationem Dei obscurã, velut rationem formalem obiectiuam, per quam, seu propter quam, non datur alia distincta ratio formalis sub qua. Hanc assertionem generatim contra Molinã, alioſq; noñullos, fuse deduxi tom. 1. d. 1. q. 3. dub. 3. vbi generatim probaui, ꝑter rationẽ formalẽ obiectiuã Qua, siue ꝓpter quã alicuius habitus cognoscitiui, non dari distinctã rationem formalem sub qua. Ratio breuiter est, tum quia per rationem formalem Qua, siue per quam, aut propter quã, sufficienter distinguũtur habitus inter se; vti & in proposito, fides per reuelationem obscuram hactenus explicatam. Tum quia reuera nulla potest assignari ratio formalis sub qua, distincta à ratione formali Qua, siue propter quã. Tum quia ea distinctio noua est, & antiquis Doctoribus incognita, vt ibidem fusius demonstraui. 75

Obiectiones autem, quę in contrariũ obijciuntur, speciatim quod reuelatio publica fidei communis etiam videatur ratio credendi hæreticis, qui tamen veram fidem diuinam non habent, dissoluimus loco cit. vbi diximus, posse quidem etiam hæreticos aliquid credere, tanquam à Deo reuelatum, ita vt hoc solum dicat conditionem aut partem materialis obiecti; sed non vt dicat rationem formalem credendi; quia reuera non credunt propter ipsam diuinam reuelationem per se terminantem actum credendi; sed solum propter authoritatem rationemuè humanam, qua diuina reuelatio ijsdem proponitur aut proponi existimatur.

DVBIVM IV.

An etiam diuina reuelatio per fidem credi possit, aut debeat, ad hoc, vt sit ratio formalis obiectiua assensus fidei.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 1.

Hæc res ex instituto disputata non fuit ab antiquioribus Scholasticis; sed nostro primum tempore à nonnullis in dubium vocata; quæ quia ad cognoscendam rationem formalem obiectiuam, ipsamque certitudinem fidei, ex ea ratione pendentem pertinet, est hic nonnihil explicatius pertractanda. 76

Est ergo recentiorum quorundam Theologorum noua sententia, ipsam reuelationem diuinã, quam rationẽ formalẽ obiectiuã fidei esse diximꝰ, non esse credendam fide diuina; sed satis esse, vt credatur fide humana, siue alio assẽsu humano & naturali. Quæ quidem sententia dupliciter explicari potest. Primo, vt sit quæstio tantum de nomine; quod fiet, si per reuelationẽ diuinã non intelligatur cõmunis illa, & publica ac externa veritatis fidei reuelatio, olim per Prophetas, ac postea per Christum & Apostolos facta & toti Ecclesiæ proposita; quam in cõmunibus fidei veritatibus solã & vnicã esse rationẽ formalem fidei dictũ est 77

dub. præcedenti, sed interna, propria, specialis, & priuata illuminatio fidei, quę priuatim singulis credentibus, per infusionē habitus fidei accidat, quamq; Bannes, & alij nonnulli docent, esse illā ipsam reuelationem, quæ est ratio formalis obiectiua fidei, vt eodem dubio præcedenti dictum.

78 Atque hoc sensu verè quidem dicitur, reuelationem diuinam per fidem diuinā ordinariè credi nec posse, nec debere; quia in particulari, fide diuina certum non est, hunc aut illum hominem singularē, aut nos singulos, qui credimus, habere habitū fidei diuinæ, vt generatim docuimus to. 2. disp. 6. q. 4. dub. 5. & rursū dicetur inferi⁹ quæst. 5. Verum hoc sensu dubitatio hęc ad propositū non pertinet; neq; eo sensu intelligunt recentiores illi suam illam assertionem, qua dicunt, ipsam Dei

79 reuelationē non esse credendā per fidem diuinā.

Secundo igitur quæstio est de re ipsa, intelligendo per reuelationē diuinā, illam ipsam publicam reuelationem & manifestationē Prophetis & Apostolis à Deo factam, qua cōmunis & publica Ecclesiæ fides nititur; quamq; dubio præcedenti diximus esse rationem formalem obiectiuā fidei: quo etiam sensu de reuelatione diuina loquuntur dicti recentiores, cum negant, eam esse per fidem diuinam credendam.

80 Cuius quidem sententiæ hæc possunt esse argumenta. I. Si enim ipsa quoq; reuelatio diuina per fidē creditur, vel credenda est, tum illa credi debet peraliam reuelationem priorē; & hæc rursum per aliā. &c. & sic dabitur processus in infinitum; quod est absurdum.

81 II. Etiam in alijs habitibus, vel actibus cognoscitiuis, ratio formalis cognoscendi, non cadit sub ipsam cognitionē eiusdē habitus vel actus; ita vt tanquā obiectū eodem habitu cognoscatur, vti videre est in speciebus sensibilibus, aut etiam intelligibilibus, mouentibus ex parte obiecti ad cognitionem; itemque in vario modo abstractionis, qui à plerisque ratio formalis sub qua in scientijs speculatiuis dicitur. Idemque accidere videtur, in ratione formali obiectiua assensus principiorum; siue ea dicatur ipsa claritas principij apprehensi; siue species intelligibilis extrema repręsentans.

82 III. Ad credendum aliquid per fidem diuinā, videtur sufficere probabilis cognitio reuelationis diuinæ: ergo saltem vniuersim non est necessarium, ipsam reuelationem diuinam credere per fidem diuinam. Consequentia patet. Antecedens probatur; tum quia similis probabilitas sufficit ad credendum alicuius hominis dictum. Tum quia reipsa sæpe videtur assensus fidei de aliquo obiecto reuelato concipi præuia tantū probabili notitia ipsius reuelationis; vt quando in Clementina 1. de Sumā Trinitate opinio Theologorū aiens paruulis & adultis in baptismo conferri gratiam, definitur esse probabilior quā contraria negans: quod tantumdem esse videtur, ac si concilium dixisset, probabilius esse, quod aiens opinio sit reuelata, quam negans. Item quando Theologi docent, in varijs materijs, probabile esse, aliquid esse reuelatū & de fide, licet certò non constet de reuelatiōe, v. g. Deiparā sine peccato cōceptā &c.

Huiusce modi enim obiectis assentiri nos posse per fidem diuinā, ex eo etiam confirmatur, quia non remanet aliud motiuum, quam diuina reuelatio probabiliter proposita, cui proinde pro arbitratu assentiri & non assentiri, etiam per fidem diuinam, de qua loquimur, quilibet videtur posse. Similis casus est, cum quis fidei assensum concipit ob aliquod miraculum, solum humana attestatione, seu morali certitudine cognitum, vt patet ex Euangelio, vbi legimus multos solis Christi miraculis ad credendum impulsos; speciatim illo Ioannis 4. versu 39. *Multi Samaritanorum crediderunt in eum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis*; quod fuit humanum, ideoque causauit fidem humanam in Samaritanis: at fides humana est probabilis & fallibilis: ergo ea sufficit. 83

IV. Denique huc referri potest; quod multi sentiunt, actum electionis, quo volumus media propter finem, non habere pro obiecto volito ipsum finem, sed solum media, vt speciatim post Ariminensem, Marsilium, docet Vasquez 1. 2. disputat. 38. cap. 2. Eadem autem videtur esse ratio reuelationis, quando veritas reuelata creditur propter reuelationem. Ex quo concluditur, eo saltem actu, quo credimus aliquid reuelatum, propter diuinam reuelationem, non simul credi ipsam reuelationem. Ex quo vlterius infertur, etiam absolute loquendo, nunquam esse necessariū, vt ipsa reuelatio per fidē diuinam credatur.

Cæterum hæc sententia negans, reuelationem diuinā per fidem diuinam esse credendam, rursum varijs modis intelligi potest. Primò, vt solum neget, per ipsum actū fidei, quo obiectū aliquod materiale diuinitus reuelatum credimus, simul etiam credi posse, aut debere ipsam diuinam reuelationē, propter quam credimus, iuxta sensum & intentionem argumenti, secundo & quarto loco propositi. Secundò, vt neget, ipsam reuelationem diuinam, siue in ipso assensu fidei, circa obiectum aliquod reuelatum, siue etiam extra hunc assensum, speciali actu, tanquam obiectum Quod necessario esse credendum. Tertio vt simpliciter asserat, reuelationem diuinam per fidem diuinam nunquam, aut non semper posse credi; quo quidem tendere videtur primum & tertium argumentum superius propositum. De quibus singulis sentiendi modis, siue quis ita re ipsa quandoque senserit, siue non, vt nostrum iudicium distincte feramus, sequentes assertiones statuimus. 84

Assertio I. Adeo certum est, reuelationes aliquas diuinas, quibus fidei diuinæ assensus nititur, posse saltem seorsim, & assensu distincto ab eo quo credimus obiectum aliquod materiale fidei, per fidem diuinam credi, vt contrarium planè sit contra fidem. Ita supponunt omnes Doctores, in varijs materijs, quibus hac de re agunt. Probatur primo ex scriptura, in qua inter alia obiecta fidei, hoc ipsum directe sæpe asseritur & affirmatur, DEVM hoc vel illud dicere, aut reuelare; vt cum toties in scriptura dicitur: *Hæc dicit Dominus. Ego Dominus, &c.* quidquid autem scriptura 85

ex

ex mentes spiritus sancti asserit, id tanquã obiectũ Quod per fidem diuinam explicite vtiq; credi potest.

Probatur secundo ex definitione Ecclesiæ; quæ in suis definitionibus sæpe contestatur, hoc vel illud esse de fide certum, aut per fidem credendum; quo ipso testatur, etiam esse diuinitus reuelatum: ergo hoc ipsum potest fide diuina
86 credi. Tertio accedat ratio; quia multæ reuelationes veritatum fidei sunt expresè & directe, à Deo in scriptura reuelatæ, vt superius dictum: ergo nihil illis deest, quo minus per fidẽ diuinam credi possint.

Denique de fide est, adeoque per fidem credi potest & debet, hos vel illos libros esse canonicos: ergo etiam de fide est, adeoque eadem fide diuina credi potest, ea quæ in ijsdem libris asseruntur, esse diuinitus reuelata; seu quod idem est, libros eosdem continere reuelationem diuinam, de rebus ab ipsis scriptoribus canonicis in ijsdem libris assertis; quandoquidem ex fide constat, ea quæ in libris canonicis ex mente scriptoris asseruntur, esse diuinitus reuelata. Neque verò, vt opinor, est, aut fuit quisquam Catholicorum vnquam, qui hanc assertionem negaret, vel oppositum doceret.

87 Assertio II. Idem dicendum est, de omnibus omnium veritatũ reuelationibus, quæ ab Ecclesia definitæ, & tanquam ex fide credendæ, publica & infallibili authoritate fuerunt propositæ, Videtur itidem extra controuersiam apud Catholicos. Ratio est; quia Ecclesia definiens aliquid esse de fide, ita vt oppositum sit hæreticum, hoc ipso definit, id esse diuinitus reuelatum; quandoquidem nihil est de fide certum, nisi quod diuinitus reuelatum est; cum reuelatio diuina sit totalis & adæquata ratio omnis assensus & certitudinis fidei, vt dictum dubio præcedenti. Ex quo sequitur, de singulis veritatibus fidei, siue in scriptura expresse contentis, siue alioquin in Concilijs generalibus definitis (vt de solis Pontificis definitionibus hoc loco nihil dicã) diuina fide credi posse, eas diuinitus esse reuelatas.

88 Assertio III. Idem vniuersim dicendũ, de quibuslibet veritatibus fidei diuinæ; nempe diuina fide credi posse; eas esse diuinitus reuelatas; ita quidem vt nihil fide diuina credi possit, nisi pariter etiam de eodem obiecto credi possit, id esse diuinitus reuelatum. Hæc assertio nõ est tam certa, & extra controuersiam: siquidem noñulli ex Doctoribus superius relatis significant, posse aliquod obiectum materiale fide diuina credi, cum tamen de reuelatione eiusdem solum habeatur, & haberi possit assensus & notitia probabilis, vt ex tertio argumento colligitur.

89 Sed nostra assertio est cõmunis Doctorum, qui sentiunt vniuersim, reuelationem diuinam respectu cuiuslibet veritatis per fidem creditæ, esse medium cognitum, ad quod ipse etiam assensus fidei terminatur, vt inferius assertione 6. & 7. dicetur. Ratio est, quia obiectũ fidei non est veritas reuelata secundũ se nude spectata sed formaliter vt reuelata, adeoque spectata simul cum ipso modo reuelationis: Ergo ad hoc, vt ea per fidem credi possit, necesse est vtrumque, & veritatem scilicet credendam, & reuelationẽ ipsam, simul ac ijsdem motiuis credenti proponi; ac proinde fieri non potest, vt ipsa veritas credenda sufficienter per fidem diuinam credenda proponatur, quin simul ijsdem motiuis ipsa etiam reuelatio sufficienter credenti proponatur: ergo cum supposita hac propositione, possit homo, ex hypothesi, ipsam veritatem reuelatam credere, poterit etiam ipsam reuelationem credere; ita scilicet vt eam ipsam veritatem, quam vt reuelatam credit, credat esse reuelatam, si non directe per illum ipsum fidei assensum, quo veritatem illam materialem credit, certe tamen per assensum distinctum; de quo hactenus nihil laboramus.

Atque hæc ad possibilitatem credendi reuelationem pertinent: nunc ad necessitatem eam credendi deueniendum, quam sequentibus assertionibus explicamus; primò quidem agendo de necessitate quoad specificationem, deinde etiam de necessitate quoad exercitium actus. 90

Assertio IV. Reuelatio diuina, in omni materia, seu veritate reuelata, ac per diuinam fidem credita, non solum modo explicato per fidem diuinam credi potest, sed quoad specificationem etiam debet; ita vt non sit licitum homini, eam non credere. Loquor de reuelatione circa veritatem, per fidem diuinam creditã, adeoque sufficienter ad credendum propositã. Quo sensu assertio hæc est itidem communis Doctorum, qui vniuersim sentiunt ac & supponunt, fidem diuinam omnium veritatum diuinitus reuelatarum, si quidem sufficienter propositæ sunt ad credendũ, esse necessariam, saltem quoad specificationem; ita vt non sit integrum, vel arbitrarium homini, credere vel non credere; sed necessario oporteat credere, si aliquem actum assensus vel dissensus circa eam veritatem aut materiam velit elicere, vt inferius q. 6. dicetur: tametsi contrarium nonnulli recentiores dixerint, distinguentes inter propositionem fidei sufficientem, & requisitam ad hoc, vt possit credi fide diuina; & vt necessario etiam debeat ita credi; quasi non semper id quod potest diuina fide credi, debeat etiam necessario, saltem quoad specificationem actus, eadem fide credi; quæ est itidem noua & singularis sententia, ex instituto q. sequenti refutanda. 91

Ratio assertionis est: Tum quia auctoritas primæ veritatis, ac diuinæ reuelationis, talis ac tanta est, vt nefas sit ei dissentire; Si quidem sufficienter ad fidem faciendam sit proposita. Tum quia nihil potest per fidem diuinam credi, nisi id euidenter fiat credibile, oppositumque eius secundum prudens iudicium plane sit incredibile, vt dicetur quæst. sequenti. Ergo hoc ipso imprudenter se geret, quisquis supposita sufficiente propositione reuelationis, ei fidem non adhibet. Tum quia etiam in humanis, quando aliquid sufficienter proponitur ac redditur credibile fide humana, ob 92

auctoritatem loquentis, nonnullam iniuriam facit loquenti si quod dicitur falsum esse credat: nec adeo fieri potest, vt prudēter quis eo casu testanti fidē non habeat. Deniq; in scriptura grauiter reprehenduntur, sæpe etiam puniuntur illi, tanquam tardi corde ad credendum, qui reuelationi diuinæ sufficienter propositæ fidem non adhibuerunt, vt patet in Zacharia & Apostolis. Atque hæc de necessitate credendi reuelationem quoad specificationem actus. Necessitas verò quoad exercituum actus, sequentibus assertionibus explicatur.

93 Assertio V. Reuelatio diuina externa, de qua loquimur, prout dicit rationem formalem obiecti fidei, est ratio ac medium credendi per modum obiecti cogniti: ac proinde quoties assensum fidei diuinæ circa veritatem reuelatam elicimus, necesse est, vt simul, vel etiam ratione quadam prius eliciatur assensus aliquis circa ipsam reuelationem, tanquam rationem & mediū credendi obiectū reuelatū. Hæc assertio, loquendo de reuelatione non interna & priuata, sed de externa, quā dubio præcedenti ex communi, diximus esse rationem formalem obiecti fidei, videtur extra controuersiam apud Doctores. Nam & illi, qui negant, reuelationem diuinam esse credendam fide diuina, fatentur tamen, eam esse rationem credendi per modum medij cogniti; cui proinde necesse sit aliquo saltem assensu naturali fidem adhibere.

94

Neque id negant Bannes, & alij cum ipso sentientes, qui reuelationem Dei internam ac priuatam, pro ratione formali obiectiua fidei assignant: nihilominus enim sentiunt, reuelationē publicam & externam necessario, vt medium aliquod credendi, sub assensum credentis cadere debere. Idemque multò magis sentiunt Vasquez, & alij, qui cum fidem discursiuam faciant, ipsum assensum reuelationis, præuium assensui fidei de obiecto reuelato, pro medio credendi assignant, vt dictum dubio præcedenti.

Eadem est plane sententia S. Thomæ, & communis veterum Scholasticorum, quorum proinde auctoritate assertio primum comprobatur.

95 Etenim reuelationem diuinam in assensu fidei esse rationem credendi, per modum medij cogniti, sentit S. Thomas hic q. 1. a. 1. vbi docet, veritatem primam, seu reuelationem diuinam, habere se ad assensum fidei, sicut principia scientiæ ad assensum conclusionis, cum ait: *Cuiuslibet cognoscitiui habitus obiectum duo habet; scilicet id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale obiectum, & id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio obiecti. Sicut in scientia Geometriæ materialiter scita sunt conclusiones: formalis verò ratio sciendi, sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur. Sic igitur* (adeoque simili ratione) *in fide, si consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud, quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia à Deo est reuelatum. Vnde ipsi veritati diuinæ fides innititur tanquam medio.* Vbi necesse est, S. Thomam loqui de medio cognito, qualia sunt media demonstrationis, cum quibus veritatem primam seu reuelationē diuinā comparat.

Et quæst. 2. a. 1. ad 1. ait: *Habet tamen fides inquisitionem quandam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum; puta quia sunt dicta à Deo, & miraculis confirmata.* Si itaque dictum, seu reuelatum esse aliquid à Deo, cadit sub inquisitionem credentis, necesse est, vt terminet intellectum credentis, tanquam medium seu obiectum cognitū. 96
Item eadem q. 2. a. 2. ait: *Aliud est formalis ratio obiecti; quod est sicut medium, propter quod tali credibili assentitur. Et sic ponitur actus fidei credere Deo: quia formale obiectum fidei est veritas prima, cui inhæret homo, vt propter eam creditis assentiat.* Vbi docet S. Thomas, eatenus veritatem primam, seu reuelationem diuinam esse, ac obire rationem formalem obiecti fidei diuinæ, quatenus homo per ipsum actum fidei credit Deo, vtique dicenti seu reuelanti; hoc autem non fit, nisi apprehenso Deo, seu veritate prima, eiusque reuelatione.

Et ne quis existimet, id non fieri in quouis actu fidei, mox ibidem ad 1. subiungit S. Thomas: *Per ista tria* (credere Deo, credere Deum, & credere in Deum) *non designantur diuersi actus fidei, sed vnus & idem actus, habens diuersam relationem ad fidei obiectum.* Vbi plane sentit S. Thomas, per quemlibet actum fidei credi Deo; & sic Deum reuelantem terminare intellectum credentis. 97
Item eadem q. 2. a. 3. ait S. Thomas: *Ad hoc, quod homo perueniat ad perfectam visionem beatitudinis, præexigitur quod credat Deo, tanquam discipulus Magistro docenti.* Vbi rursum indicat, in omni fidei actu necessarium esse, vt apprehendatur Deus, tanquam medium cognitum, ob cuius auctoritatem credatur; sicut discipulus credit Magistro docenti; cuius vtique doctrinam cognoscere & apprehendere necesse est.

98 Eadem est communis, & consentiens Doctorum sententia in 3. dist. 23. qui cum Magistro itidem docent, per quemlibet actum fidei nos credere Deo. Quod explicans Magister ait: *Credere Deo, est credere vera esse, quæ loquitur seu reuelat:* ergo sentit, locutionē, seu reuelationē Dei necessario apprehendi tanquā mediū cognitū, propter quod alicui veritati assentiamur fide diuina.

Secundò probatur eadem assertio omnibus illis scripturæ, & SS. Patrum testimonijs; in quibus fidei diuinæ assensus explicatur, per credere Deo loquenti, seu testificanti; quibus proinde simul etiam indicatur, ipsum Deum loquentem, seu attestantem, esse rationem credendi per modum medij cogniti. 99

Vnde etiam tertio accedit ratio. Tum quia in omni fidei actu, necessario creditur Deo reuelanti, seu attestanti, vt dictum: hoc autem non fit, nisi apprehensa attestatione seu reuelatione diuina, tanquam obiecto ac medio cognito: Ergo necesse est, in omni fidei assensu, attestationem seu reuelationem Dei terminare intellectū, tanquam obiectum & medium cognitum, cui assentiamur. Tum quia fides diuina, secundum proportionem, eodem modo se habet ad Deum loquentem, seu reuelantem, sicut fides humana se habet ad hominem loquentem seu testantem: atqui cum per fidem humanam quidpiam credimus, propter hominem loquentem seu testantē, 100

necesse

necesse est, hanc ipsam hominis attestationem apprehendere tanquam obiectum cognitum, cui assentiamur; ita vt hæc per modum medij cogniti sit ratio assentiendi alicui dicto, per fidem humanam: Ergo etiam in fide diuina, necesse est, vt reuelatio seu attestatio diuina, tanquam mediũ, seu obiectum cognitum terminet intellectum credentis.

101 Quæ res proinde adeo clara & testata est, vt etiamsi nonnulli Doctores, pro ratione formali & immediata credendi, assignent reuelationem, positam in priuatâ illuminatione cuiusq; credẽtis, per infusionem habitus fidei, vt dubio præced. dictum; quam quidẽ per modum medij cogniti intellectum credẽtis terminare minime est necesse; nõ tamen illi negent, nec negare possint, reuelationẽ illam diuinã publicã, & publica auctoritate ab Ecclesia propositam, quam & illi admittunt, & nos ex vera sententia docuimus, esse rationem formalem obiectiuam fidei, per modũ medij seu obiecti cogniti necessario terminare intellectum credentis, vt dictum.

102 Assertio VI. Ad hoc, vt reuelatio diuina per modum medij cogniti obeat rationem formalẽ obiectiuã fidei, ita scilicet, vt propter eam aliquid fide diuina credamus, non satis est, eam humana fide, seu naturali quouis assensu credere; sed requiritur, vt eam simul, aut aliqua ratione prius, assensu fidei diuinæ credamus. Hæc assertio videtur potissima in hac controuersia; quam proinde vel maximè negant recentiores initio citati. Ita verò apertè docent Capreolus, Caietanus, Canus, & Gregorius de Valentia; qui idcirco dicunt, in assensu fidei reuelationem diuinam credi propter seipsam, sicut lumen videtur per seipsum, vt dicetur resp. ad 1. Idem expresse docent Vasquez, & omnes illi, qui, vt præcedenti dubio dictum, fidem faciunt discursiuam; cuius principium sit assensus fidei diuinæ circa ipsam reuelationem.

Idem sentit S. Thomas 1. 2. q. 12. a. 4. vbi ait: *Idem actus cadit super obiectum, & super rationem obiecti; sicut eadem est visio coloris & luminis, vt dictum supra* quæst. 8. art. 3. ad 2. *Et est simile de intellectu; quia si absolutè principium & conclusionem consideret, diuersa est consideratio vtriusque: in hoc autem, quod conclusioni propter principia assentit, est vnus actus intellectus tantum.* De quo tamen postremo exemplo non est nobis laborandum.

Eadem est mens & sententia Sancti Thomæ, & veterum scholasticorum, cum docent, quouis actu fidei diuinæ, credi Deo attestanti: ex quo sequitur, nullum elici actum fidei diuinæ, quin simul, aut etiam ratione, naturâ vel tempore prius eliciatur assensus fidei diuinæ, circa ipsam reuelationem seu attestationem Dei; adeo vt oppositam sententiam voce tantum hactenus defensam, apud nullum auctorum typis defensam legerim.

103 Ratio huius rei, & quidem meo iudicio euidens est. Quia reuelatio diuina est ipsa ratio formalis obiectiua, idque per modum medij cogniti assentiẽdi veritati reuelatæ per assensum fidei diuinæ; qua etiam certitudo eius assensus per se ac immediatè nititur; ad eum modum, quo assensus conclusionis nititur principijs seu assensu principiorum; quod expresse docet S. Thomas q. 1. a. 1. vt dictum: Ergo ad eliciendum assensum fidei diuinæ circa veritatem reuelatam, necesse est, vt reuelatio non minus certa sit credenti, quã ipse assensus fidei diuinæ circa veritatem reuelatam, quam propter reuelationem credimus; iuxta receptũ illud principium, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; quod in simili prorsus materia vsurpat Aristoteles lib. 1. Poster. cap. 2. tex. 5. At verò si reuelatio humana solum fide, non etiam per diuinam fidem credatur, fieri non potest, vt ea æque certa sit credenti, ac ipsa veritas per diuinam fidem credita: quia per se constat, fidem humanam, seu alium quemuis assensum naturalem quoad certitudinem, fidei diuinæ æqualem non esse: Ergo necesse est, reuelationẽ ipsam per diuinam fidem credi.

Secundò. Impossibile est, vt ipse per se assensus fidei diuinæ vltimatè resoluatur in assensum fidei humanæ; esset enim tunc fides prorsus incerta & fallibilis; vt dicetur q. 4. Et tamen idem assensus fidei diuinæ resoluitur in reuelationem diuinam eiusq; assensum: Ergo assensus hic non est assensus naturalis seu fidei humanæ. 104

Tertiò. si fides diuina assentitur obiecto reuelato, solum propter reuelationem creditam fide humana, tunc fatendum erit, etiam hæreticos vere ac formaliter credere propter reuelationem diuinam; quandoquidem constat, etiam illos fide humana credere reuelationem diuinam, saltem in ijs obiectis, quæ nobiscum communia habent; sed consequens plane est absurdum; tũc enim ex parte saltem obiecti, nihil deesset, quò minus etiã ipsi fide diuina credere aliquid possent. Sit ergo certum, nunquam elici posse fidẽ diuinam de veritate reuelata, nisi simul aut etiam quadam ratione prius eliciatur assensus fidei diuinæ, etiam circa ipsam reuelationem diuinam; idque siue eodem actu fidei diuinæ, quo credimus veritatem reuelatam, siue diuerso; de quo assertione seq. agendum.

Assertio VII. In omni assensu fidei diuinæ, 105 quo credimus obiectum reuelatum, simul & eodem assensu diuinæ fidei credimus etiam ipsam reuelationem, tanquam rationem credendi obiectum reuelatum, per modum medij cogniti. Ita Capreolus, Caietanus, Canus, Gregorius de Valentia citandi resp. ad 1. idemque necessario sentiunt omnes Theologi, qui docent, fidem non esse discursiuam, vt dictum dub. præcedenti. Idem supponunt S. Thomas alijque Scholastici in 3. d. 24. dum actum fidei explicant per Credere Deo; eumque actum docent, esse vnum ac simplicem actum diuinæ fidei: etsi contrarium sentiat Vasquez, cum alijs, qui cum fidem discursiuam faciant, asserunt, reuelationem diuinam non credi per illum eundem actum, quo credimus obiectum reuelatum, sed per actum distinctum, ac saltem naturâ priorem assensu fidei circa obiectum reuelatum, vt qui ex illo per modum conclusionis deducatur; quam tamẽ sententiam dubio præcedenti refutauimus.

106 Probatur assertio his argumentis. I. Si quouis actu fidei diuinæ, quo obiectum reuelatum creditur, simul credatur Deo dicenti seu reuelanti, necesse est, vt eodem illo actu simul credatur diuina reuelatio: sed verum est antecedens: Ergo & consequens. Maior probatur; quia credere aliquid alicui, nihil aliud est, quam credere eum hoc vel illud vere asserere; seu vt Magistrum superius assert. 5. loquentem vidimus, credere vera esse, quæ loquitur; ita vt obiectum adæquatum eius actus sit, non solum obiectum materiale, quod à dicente fuit contestatum, sed etiam ipsa eiusdem contestatio siue asseueratio, tanquam ratio formalis credendi per modum obiecti cogniti, vt ex ipsa notione terminorum patet; & à posteriori etiã ex eo colligitur; quia si quis crederet quidem aliunde ipsum obiectum materiale, à dicente assertum ipsi tamen assertioni nõ crederet, ratus asserentẽ id nõ scire, sed fingere, &c. is reuera non diceretur asserenti credere. Minor probatur tum omnibus testimonijs scripturæ, & SS. Patrum, qui actum fidei explicant per credere Deo; quod etiam faciunt S. Thomas, alijque Theologi, qui vt vidimus, hunc actum credere Deo, sentiunt per se non esse actum distinctum à cæteris actibus fidei, sed potius in omnibus actibus fidei inuolui. Tum quia hoc ipsum, quod est credere aliquid propter Deum reuelantem, nihil aliud est, quam credere aliquid DEO reuelanti: cum ergo quouis actu fidei credatur aliquid propter diuinam reuelationem, necesse est, vt quouis actu fidei diuinæ credatur Deo reuelanti.

107 II. Quando per actum fidei humanæ credimus homini loquenti seu testanti, tum simul cũ obiecto materiali, ipsa etiam auctoritas seu attestatio loquentis per modum medij cogniti terminat assensum fidei humanæ; ita vt obiectum eius adæquatum sit, hunc hominem, hac vel illa in re vera loqui. Ergo etiam auctoritas Dei reuelantis, per modũ medij cogniti, simul cũ obiecto reuelato, terminat assensum fidei diuinæ.

108 III. Ad eliciendum assensum fidei diuinæ, circa obiectum reuelatum, necesse est, vt eliciatur etiam aliquis fidei diuinæ assensus circa ipsam reuelationem, sicut assert. 6. dictum est. Ergo necesse est, vt assensus ille reuelationis, vel reipsa sit distinctus ab assensu obiecti reuelati, vel vt sit re ipsa idem. Si posterius dicatur, habetur intentum. Prius dici non potest: quia tunc fides esset discursiua, vtpote non immediate nitens ipsa reuelatione diuina, sed assensu reuelationis, ex quo velut assensu principij eliceret assensum veritatis reuelatæ; quandoquidem ad discursum non requiritur, vt assensus principij etiam tempore antecedat assensum conclusionis; satis est, vt assensus ille & re ipsa sit distinctus, & naturâ prior assensu conclusionis: sed consequens est falsum, ac refutatum dubio præcedenti.

109 IV. Credere aliquid propter diuinam reuelationẽ, includit hoc ipsum, Credere aliquid à Deo esse reuelatũ: ergo includit assensum diuinę reuelationis; ac proinde in omni assensu fidei diuinæ, simul & eodẽ assensu creditur diuina reuelatio.

Denique sicut se habet electio medij ad finem, ita etiam se habet fides diuina circa obiectum reuelatum ad assensum ipsius reuelationis: sicut enim propter finem eligimus media, ita etiam propter reuelationem diuinam credimus obiectum reuelatum: sed vnus & idem actus electionis necessario simul aliquo modo terminatur ad medium ac finem: ergo etiam vnus & idem actus fidei diuinæ simul terminatur ad reuelationem, & ad obiectum reuelatum. Ex quibus colligitur, necessario fatendum, ipsam etiam reuelationem diuinam esse diuina fide credendam, adhoc, vt aliquid credatur fide diuina.

Ad argumenta contrarię sententię ita respondetur. Ad primum negatur sequela. Ratio est; quia tametsi in assensu fidei necessarium sit, credere ipsam etiam reuelationem, vt dictum, non tamen necesse est, eam credere propter aliam distinctam reuelationem (esto hoc subinde fieri possit, vt assertione prima insinuauimus;) sed supposita sufficienti propositione, quæ non minus ex parte obiecti reuelati, quam ipsius reuelationis ob parem vtriusque obscuritatem, necessaria est, satis est credere reuelationem, propter se ipsam; siue dicamus, reuelationi ipsi non credi vt reuelatæ, sed vt ipsa reuelatio est; sicut regula non adhibetur vt regulatum, sed formaliter vt regula; quemadmodum cum Capreolo in 3. dist. 24. q. 2. respons. ad argum. contr. 4. concl. Caietano q. 1. a. 1. dub. 4. & Cano lib. 2. locorũ cap. 8. respondet Gregorius de Valentia q. 1. punct. 1. §. 5. diffic. 8. siue fateamur (quod verius ac planius est, & recte addit Valentia ibidem) ipsam etiã reuelationem credi vt reuelatam, non quidem necessario per aliam reuelationem, sed per se ipsam; sicut lumen aut lucem videmus per seipsam, vt recte etiam dixit Caietanus loco citat. 110

Id autem hoc modo facile explicatur. Sicut enim loquutio quæuis humana dicit & notificat audienti non solum aliquid aliud, sed etiam seipsam, vt quotidiana experientia patet: ita etiam reuelatio diuina, præterquam quod obiectum aliquod fidei materiale dicit & reuelat, simul etiã seipsam notificat, non quidem reflexe, & in actu quasi signato, sed in actu exercito. Quo fit, vt simul ac propter eandem ipsam reuelationem credamus & obiectum reuelatum, & ipsam reuelationem.

Ad secundum respondetur, si proprie loquamur de ratione formali obiectiuâ propter quam, eam in omni habitu intellectiuo, talem esse debere, vt per modum obiecti partialis terminet ipsam potentiam ac habitum; cum hoc tamen discrimine, vt si habitus sit discursiuus, actu distincto assentiamur principijs, quæ sunt ratio formalis obiectiua, propter quam assentimur conclusioni, sicut dictum est dubio præced. Si autem habitus non sit discursiuus, tunc vnus & idem actus simul terminetur, & ad obiectum materiale, & ad ipsam rationem formalem obiectiuam. Sicut enim vno & eodem actu videmus colorem & lumen, vno & eodem actu electionis volumus finem, & media propter finem. &c. Ita etiam 111

vnus

vnus & idem assensus principiorum simul terminatur ad principia & ad ipsam claritatem, quæ in connexione vtriusque extremi, suppositâ cognitione terminorum, cernitur; quam dubio præced. diximus esse rationem formalem obiectiuam assensus principiorum: quamquâ hoc ipso, quod ea ratio non est aliquid à parte rei distinctũ ab ipsis principijs, quibus assentimur, assensus ille non ita distinctè ad ipsam rationem assentiendi ferri deprehenditur. Quæ verò præterea in obiectione exempla adducuntur, ad propositum non pertinent; nam species sensibiles, vel intelligibiles, itemq; varia abstractio obiecti cogniti, proprie non sunt ratio formalis obiectiua, propter quam alicuius habitus siue actꝰ intellectiui, vt pluribus dictum tomo 1. disp. 1. q. 1. dub. 3.

112 Ad tertium respondetur, falsum assumi; nam ad credendum aliquid per fidem diuinam, non sufficere absolute probabilem assensum reuelationis, sed requiri fidem diuinam, circa eandem, ex instituto probauimus assert. 6. Ad probationes antecedentis respondetur. Ad I. Disparem plane quoad hoc esse rationem fidei humanæ, & diuinæ. Sicut enim ipse assensus fidei humanæ solum est probabilis, ita ad credendum aliquid per fidẽ humanam, sufficit notitia & assensus probabilis humanæ contestationis. Aliter se res habet cũ fide diuina; quę hoc ipso, quod infallibiliter assentitur veritati reuelatæ, propter reuelationem, necessario etiam simul infallibilem requirit & continet assensum circa diuinam reuelationem; cũ hæc sibi inuicem pari proportione respõdeant, vt superius argumentati fuimus. Ad secundum respondetur, nec in casu Clementinæ; nec in controuersia de imaculata Virginis Conceptione; nec in vlla simili materia, vbi de ipsa reuelatione dubitare licet, elici de eadem materia posse actum fidei, ob defectum propositionis sufficientis; quæ cum ad credendam diuina fide reuelationem nõ sufficit, non etiam sufficit ad credendum obiectum reuelatum, & contra; vt ex instituto dicetur quæst. sequenti.

113 Et quamuis ante ipsum assensum fidei, tam de veritate reuelata, quam de ipsa reuelatione, ex parte quidem propositionis, ac per modum conditionis prærequisitæ; (quâ oppositæ sententiæ auctores cum ratione credendi confudisse videtur) sufficiat fides humana, adeoq; certus gradus probabilitatis, is tamẽ nõ excludit assensum fidei diuinæ, tã de veritate reuelata quã de reuelatione subsequentẽ, sed potius viã ad eũ sternit. Quò fit, vt nulla plane sit cõsequentia, si dicas, in casu conuersionis Samaritanæ, aut Samaritanorũ, per modũ proponentis, seu applicantis obiectũ fidei, sufficiebat probabilis aliqua notitia miraculi, per humanã contestationẽ accepta: Ergo nulla penitus requirebatur fides diuina ipsius reuelationis, quod perinde est, ac si dicas; ad sciẽtias mathematicas cõparãdas, per modũ proponentis obiectũ, sufficit fidelis & erudita instructio Magistri: ergo nõ requritur assensus sciẽtificꝰ de ijsdẽ obiectis.

Quod si quis alicui propositioni solũ assentiatur, propter reuelationem diuinam probabiliter cognitam, is nequaquam erit assensus fidei diuinæ, sed naturalis solum assensus fidei humanæ, qualem assensum etiam habent hæretici, cuius pinde assentiendi ratio non est ipsa reuelatio diuina, sed probabilis solũ persuasio de reuelatione diuina, vt dictum assert. 6. & dubio præc. sub finẽ.

Ad quartũ respondetur, falsum itidem assumi, 114
& ex ipso eius oppositio probari nostrum propositum, vt superius dictum assert. 7. Quænam autem & qualis propositio reuelationis sufficiat ad credendum aliquid fide diuina, ex instituto dicetur quæst. sequenti.

DVBIVM V.

Vtrum obiectum materiale fidei possit esse falsum; seu an aliquid falsum per fidem diuinam credi; Deusque falsum testari possit.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 3.

EGimus hactenus de obiecto fidei, tam formali, quam materiali, quoad substantiam spectato; sequitur vt cum S. Thoma agamus, de conditionibus quibusdam accidentalibus obiecti materialis fidei, qualis est, tum veritas, tum obscuritas seu ineuidentia eiusdem, tum etiam certa eius distributio per articulos, & in vnum symbolum collectio, ac denique per temporum series incrementum. Et quod ad primum attinet, sensus propositæ dubitationis est, an per fidem diuinã & infusam credi aliquid possit, quod re ipsa verum nõ sit; an potius obiectum fidei necessario ac infallibiliter sit verũ; vbi simul etiam de infallibili auctoritate Dei attestantis disserendum est. 115

Ratio vero dubitandi, esse potest. I. Quia nihil videtur obstare, quo minus Deus, saltem per absolutam potentiam, falsum docere, vel testari, seu persuadere possit. Qualis enim hac in re potest ostendi implicatio contradictionis? Imo de facto Deũ id noñunquã feciſſe, colligi posse videtur ex scriptura multipliciter. Primo cum asserit, Deum aliquos decipere: Vt Iob. 12. v. 19. *Ducit Sacerdotes inglorios, & optimates supplãtat, cõmutans labium veracũ, & doctrinã senum auferens.* Et v. 24. *Qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium: palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.* Item Ezechielis 14 v. 9. *Et Propheta cum errauerit, & loquutus fuerit verbũ: ego Dominus decepi Prophetam illũ:* id quod pluribus exponitur v. 4. & 5. 116

Secũdo cum testatur etiam propheticè prædicta quandoque impleta non fuisse. Vt 4. Regum 20. v. 1. vbi ab Isaia mors imminens prænuntiatur Ezechiæ, quæ tamen postea in plures años dilata est. Item Ionæ 3. v. 4. vbi ex mandato Dei Ionas palam inclamat: *Adhuc quadraginta dies; & Ninive subuertetur*; quod tamen postea non accidit. 117

Tertiò cũ indicat, noñ ullos etiã diuino spiritu inspiratos falsum dixisse, vt Abrahamũ Gen. 22. v. 5. *Ego, & puer illuc vsq; properantes, postquã adorauerimus*

mus, reuertemur ad vos. Iacob Geneſis 27. verſ. 19. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau.*

Quarto cum etiam ipſa ſcriptura contradictionibus non videtur vacare. Cum igitur fides per ſe & quidem præcipue nitatur diuina reuelatione, certe ſi hæc falſa eſſe poteſt, etiam fidei ſubeſſe falſum poterit.

118 II. Sunt quædam veritates ſeu propoſitiones fidei, pẽdentes ex varijs circumſtantijs particularibus, quæ non poſſunt niſi fide humana conſtare. v. g. hanc hoſtiam, quam ex fide adoramus, eſſe conſecratam; Concilium Tridentinum fuiſſe verum ac legitimum Concilium, ac proinde habere auctoritatem infallibilem; hunc vel illum in inuiduo eſſe verum & legitimum Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem, &c.

III. Judæus fidelis olim ſub veſperam Natiuitatis Chriſti credens, Chriſtum naſciturum, potuit hunc ſuum actum continuare vſque ad præteritum inſtans Natiuitatis: Ergo poteſt aliquis fidei actus eſſe falſus.

119 IV. Fides ſaltẽ vt cõditione quadã ſine qua nõ, ſiue vt ratione applicãte obiectum credendũ, nititur humana propoſitione, qua obiectum fiat credibile, vt patebit quæſtione ſequenti. Ea vero propoſitio ita ſe habet ad fidem, vt ſi illa falſa ſit, aut eſſe poſſit, etiam fides conſequens falſa ſit, aut eſſe poſſit; ſed illa poteſt eſſe falſa. Ergo, &c. Maior hæc per ſe patet: non enim poteſt eſſe verus aſſenſus ille, qui ſequitur propoſitionem falſam, hoc eſt, de obiecto falſo. Minor probatur: tũ quia nec ex parte hominis fidem proponentis, vt qui falli & fallere poteſt; nec ex parte rei, quæ proponitur; nec ex parte mediorum, quibus nititur credibilitas fidei, quicquam obſtat, quo minus aliquid falſum fiat alicui euidenter credibile. multa enim falſa ſunt probabiliora adeoque credibiliora veris: Ergo propoſitio requiſita ad fidẽ poteſt eſſe falſa, adeoque de re falſa.

120 V. Ex his igitur ſic vlterius licet argumentari: Nec ipſa reuelatio diuina per ſe; nec propoſitio ſeu motiua externa impedire videntur, quo minus rationabiliter poſſit dubitari, an non hæc omnia, quæ per fidem proponuntur, ſint falſa, ergo ſaltem non poteſt fidei aſſenſus adeo certus & indubitatus eſſe; vtcumque forte à parte rei de obiecto certiſſimo. Antecedens probatur. Quia ipſa reuelatio fidei cum ſit obſcura, non poteſt eſſe medium certo cognoſcendi hoc vel illud eſſe diuinitus reuelatum, adeoque nec adimere facultatem dubitandi. Deinde non obſtantibus motiuis, ac propoſitione externa, abſolute fieri poteſt, vt id quod proponitur ſit falſum. Cur ergo adeo certa & indubia fide rebus fidei aſſentiar; eſto ſecundum ſe ſint certiſſimæ.

121 VI. Nihil videtur obſtare, abſolute loquendo, quo minus Deus propter honeſtum finem ſibi cognitum, per hominem aliquem faciat miraculum; qui tamen interim ea gratia abuſus, aſſeueret, id fieri propter confirmationem alicuius rei, quæ falſa eſt; quamtumuis interim Deus rem illam nec affirmare, nec confirmare intendat. Id vero cum accidit, perinde videtur eſſe, ſecundum humanam exiſtimationem, ac ſi Deus ipſe eo miraculo falſum conteſtetur: Ergo ſecundum exiſtimationem humanam, auctoritas Dei conteſtantis non eſt omnino infallibilis.

VII. Denique nihil videtur obſtare, quominus Deus per ſe ipſum in intellectu humano producat, ſeu habitum ad errorem inclinantem, ſeu ipſum etiam actum erroris. Quod rurſum ſi fiat, Deus author erit erroris; cuius proinde in perſuadendo ſeu reuelando auctoritas non ſit habenda infallibilis. His tamen non obſtantibus, de propoſita dubitatione ſequentes aſſertiones ſtatuimus. 122

Assertio I. Fidei diuinæ non poteſt vllo modo ſubeſſe falſum, ac proinde per fidem diuinam nihil credi poteſt, niſi verum. Ita S. Thomas hic q. 1. a 3. & ceteri Theologi omnes ibidem, & in 3. diſt. 24. aut 25. Eſtque id adeo de fide certum, vt nihil magis per fidem credatur, quam certiſſima & veriſſima eſſe omnia, quæ per fidem creduntur. Probatur aſſertio ex ſcriptura Heb. 11. v. 1. vbi fides definitur, *ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum* (ſeu conuictio) *non apparentium.* Ex qua vtraque appellatione colligitur fidei ſoliditas, & certitudo; maxime quia alioquin nec ſpes quidem firma ac certa eſſe poſſet. 123

Huc ſpectat illud Apoſtoli 2. Cor. 1. verſ. 19. *Dei filius IESVS CHRISTVS qui vobis per nos prædicatus eſt, per me & Siluanum & Timotheum, non fuit Eſt & Non; ſed Eſt in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo Eſt* (conſiſtunt:) *ideo & per ipſum Amen Deo, ad gloriam noſtram.* Vbi Apoſtolus & prædicationem fidei & promiſſiones Dei firmas ac immobiles ſtare conteſtatur. Plura aſſert. 2.

Ratio aſſertionis, quam S. Thomas, & omnes Theologi afferunt, eſt; quia reuelatum, ſiue conteſtatum à prima veritate, eſt certiſſimum & veriſſimum; adeo vt falſum eſſe multo modo poſſit; alias enim prima veritas falleret, quod implicat in terminis, quia eo ipſo iam non eſſet, prima & ſumma veritas in dicendo: atqui omnia, quæ per fidem creduntur, reuelata ſunt à prima ac ſumma veritate in dicendo, ſcilicet à Deo; cum nihil credatur, niſi ſub reuelatione diuina, tanquam formali & adæquata ratione fidei: ita quidem, vt quemadmodum *nihil ſubeſt alicui potentiæ, vel habitui* (vt loquitur S. Thomas) *aut etiam actui, niſi mediante ratione formali obiecti; ſicut color videri non poteſt, niſi per lumen, & concluſio ſciri nõ poteſt, niſi per medium demonſtrationis: ita nihil poſſit cadere ſub fidem niſi inquantum ſtat ſub veritate prima* (ſeu reuelatione diuina,) *ſub qua nullum falſum ſtare poteſt, ſicut nec non ens ſub ente, nec malum ſub bonitate.* Accedit, quod nulla virtus intellectualis poteſt tendere in falſum, iuxta Ariſtotelẽ 6. Eth. c. 3 & S. Thomam hic cit. a. 3. ad 1. Fides autem eſt virtus intellectualis, Ergo &c. 124

Dices primo. Virtutibus appetitiuis, vt iuſtitiæ, fortitudini; imo etiam ſpei, & charitati, poteſt ſubeſſe falſum: cum & multi ſperent ſe habituros vitam æternam, quam non habebunt; & multi diligantur tanquam boni, qui tamen boni non ſunt; ergo & fidei. Reſpondetur cũ S. Thoma 125

cit. a. 3. ad 1. aliam quoad hoc rationem esse virtutum moralium; aliam intellectualium. Singulæ enim perficiunt mentem in ordine ad proprium formale obiectū: illæ quidem ad bonum morale, cui opponitur malum morale: hæ ad bonum intellectus, hoc est verum, cui opponitur falsum. Quo fit, vt quia harum obiectum directe aduersatur falso, non possit vnquā esse falsum; illarum vero obiectum, quia est bonū morale, quod non repugnat aliquando niti opinione speculatiue falsa, ideo fit, vt aliquis iuste, fortiter, temperate, agere possit, soluendo debitum existimatum, sternendo eum, qui prudenter hostis Reip. iudicatur, reddendo coniugale debitum ei, quæ merito coniunx existimatur; tametsi forte reipsa nec illud sit debitum, nec iste hostis, nec ista coniunx.

126 Accedit, quod vt ibidem notauit S. Thomas, nec spei, nec charitati proprie loquendo subest falsum. Nam nec per spem speratur vita æterna tanquam absolute & citra conditionem obtinenda, sed solum vt possibilis & acquirenda sub conditione finalis perseueran tiæ; in qua re non fallitur ille, qui postea eam sua culpa non consequitur. Neque charitatis formale & vltimatum obiectum est proximus, aut eidem inhærens bonitas, sed Deus propter quem diligitur proximus. Vnde fit, vt nec illa quidem fallatur circa suum obiectum formale. Quod similiter etiam dici potest de omnibus virtutibus moralibus: nunquam enim ipsæ falluntur circa obiectum suum formale; semper enim iustitia tendit in obiectum formaliter iustum; temperantia in obiectum formaliter temperatum; & sic de cæteris. Et denique nec virtutes quidem morales per se niti principio falso, contra quosdam fusius ostendimus tomo 2. disputatione secunda, quæstione sexta, dub. 1.

127 Dices secundo. Ad prudentiam in particulari spectat iudicare, an hoc vel illud sit temperatum, iustum &c. in quo tamen iudicio potest esse falsitas, etiamsi procedat à prudentia infusa. Respondetur, ad prudentiam non spectare in particulari absolute iudicare, hoc vel illud secundum se, & à parte rei, esse iustum, temperatum &c. sed solum vt dictum loco citato, id esse probabile seu probabiliter tale; siue vt alij respondent, hic & nunc esse appetitui recto, hoc est, iusto, temperato conforme, adeoque formaliter & practice, secundum habitudinem scilicet ad operantem, iustum &c. in quo nunquam errat. Fides autem, quia secundū S Thomam q. 4. art 2. ad 3. simul est practica & speculatiua, idcirco nec ad practice, nec ad speculatiue falsum inclinare seu disponere potest, vt de speculatiuo quidem hactenus probatum est; de practico dicetur inferius q. 6. vbi docebimus, fidem nunquam posse elicere actum malum.

128 Dices tertio: attamen actum temperantiæ versari posse circa obiectum re ipsa ac materialiter non temperatum, puta circa mulierem alienam, quæ inuincibiliter existimetur propria vxor, cur ergo non etiam fides possit versari circa obiectum materialiter falsum? Respondetur, diuersam esse quoad hoc rationem mali & falsi. Nam obiectum materialiter ac secundum se malum, potest formaliter, prout in operantis intentionem cadit, esse bonum, quatenus scilicet consentit cum regula rectæ rationis ipsius operantis, hic & nunc vere iudicantis, probabile esse, id obiectum, omnibus spectatis, esse honestum ac licitum sibi; quod satis est, vt obiectum virtutis moralis esse possit. At vero propositio materialiter falsa, non potest esse formaliter vera; quandoquidem veritas & falsitas ipsius desumitur per conuenientiam vel disconuenientiam eius, cum re ipsa, quidquid sit de iudicio seu dispositione operantis.

Assertio II. Hæreticum est dicere, Deum vnquam actu & re ipsa, siue per se, siue per alium falsum dixisse. 129 Ita ex communi censent Bannes hic quæstio. 1. art. 3. & Gregorius de Valentia q. 1. punct. 3. contra Priscillianistas, contrarium olim sentientes; teste Augustino lib. de hæresib⁹; item contra Armenos, teste Guidone Carmelita apud Castro Verbo *Deus* q 3. Probatur omnibus illis scripturæ testimonijs, quibus docetur Deum esse omnis mendacij expertem. Vt Num. 23. v. 19. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur* Ad Titum 1. v. 2. *Quam promisit, qui non mentitur Deus.* Mentiretur autē, si vlla ratione falsum diceret; quandoquidem omnia sciens, nunquam potest ignoranter falsum dicere. Huc spectant etiā illa, quibus suprema Dei veritas cōmendatur. Ioan. 3. v. 33. *Qui accepit eius testimoniū, signauit, quia Deus verax est.* Rom. 3. v. 4. *Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax.* Lucæ 21. v. 33. *Cœlum & terra transibunt; verba autem mea non transibunt.*

Quæ quidem testimonia non solum probant, 130 Deum per se ipsum non mentiri, aut fallere, sed nec per alios. Tum quia loquuntur de DEO, prout nunc re ipsa loquutus est; loquutus est autem fere semper per alios. Tum quia in scriptura non minus tribuuntur Deo, quæ per alios, quam quæ per seipsum loquutus est, vt patet Isaiæ 1. vers. 2. 10. & 24. Ieremiæ 2. vers. 1. 5. 9. Ioannis 14. v. 14. Hebr. 1. vers. 1. optime 1. Thessal. 2. v. 13. *Quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus DEI, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Tum quia in moribus vtrumque eiusdem rationis est, per se, aut per alios falsum dicere. Ratio; & plura alia loca adducentur inferius assert. 4. Et potest, hac de re pluribus videri Augustinus de mendacio, & in alio libro contra mendacium.

Assertio III. Hæreticum quoq; est dicere, 131 Deum de potentia ordinaria posse docere siue testari falsum, siue per se, siue per alium. Ita docent Gregorius de Valentia & Bannes locis cit. etsi Canus l. 2. locorum c 3. non audeat simpliciter hæreticum pronuntiare eum, qui asserit, Deum, iuxta legem ordinariam, posse docere falsum per alterum: cum tamen hæc duo non sint distinguēda, vt supra dictum. Probatur ex scriptura tum citatis testimonijs; tum speciatim illo Heb. 6. v. 18. *Vt per duas res immobiles* (promissionem ac iusiurandum) *quibus impossibile est mentiri Deū, fortissmū solatiū habeamus, qui confugimus, ad tenendā propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmā.*

Ratio est; quia vel potentia ordinaria accipitur pro illa, qua Deus facit ea, quæ iam decreuit; & tum ex dictis præcedenti assertione patet, Deum nunquam mentiri posse: vel accipitur pro potentia operante ea, quæ sunt naturis rerum consentanea; & sic ex sequenti assertione patebit, mentiri non esse consentaneum, diuinæ naturæ, nec vllo modo possibile. Vbi etiã SS. Patres afferemus.

133 Assertio IV. Deus nec de potentia quidem absoluta, per se, aut per alium, falsum dicere, aut testari potest. Ita ex communi docent Canus lib. 2. locorum cap. 4. Gregorius de Valentia cit. q. 1. pun. 3. Bannes, & Arragonius hic quæst. 1. punct. 3. post Ariminensem infrà, Durandus in 3. distinct. 24. q. 2. Marsilium in 3. q. 14. Et videtur mihi de fide, contra Gabrielem in 3. dist. 38. q. 1. Aliacum in 1. q. 12. Holkot in 2. dist. 2. & alios quosdam citatos ab Ariminensi in 1. d. 42. q. 2. quorum sententiam minimum temerariam censet Gregorius de Valentia cit. pun. 3. Aragonius vero temerariam & erroneam.

134 Probatur assertio primo ex citato loco Heb. 6. alijsque testimonijs pro assertione tertia adductis. Quibus accedunt illa; Deuteron. 32. v. 4. *DEVS fidelis & absque vlla iniquitate; iustus & rectus.* 2. Timoth. 2. v. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet; negare seipsum non potest.* Ex quibus colligitur, tam Deo repugnare infidelitatem, seu in dictis falsitatem, quam iniquitatem, aut sui negationem. Sicut & illud 1. Timoth. 3. *Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax*, non tam procedit de actu, quam de potentia, quantum est ex naturali vtriusque dispositione.

135 Secundo id ipsum probatur vnanimi consensu SS Patrum. Athanasius lib. de Incarnatione Verbi ait: *Absurdum est, Deum in suis verbis mentiri.* Chrysostomus hom. 1. in symbolum: *Aliqua Deus non potest, vtpote falli, fallere, mentiri*, Cyrillus Alexandrinus l. 2. in Ioannem c. 69. pro certo habet, *non posse diuinam mentiri naturã.* Ambrosius l. 6. epistola 37. *Impossibile est mentiri Deum.* Augustinus l. 22. de ciuitate c. 25. *Si volunt inuenire, quod omnipotens non potest, habent prorsus. Ego dicam: mentiri non potest.* Qui etiam eandem veritatem ex instituto probat l. 15. de Trinitate c. 15. & l. 1. de symbolo cap. 1. vti & Anselmus lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 12.

136 Tertio Probatur assertio ratione. I. Quia mentiri intrinsece malum est, vt ex certa & communi sententia, cum Augustino vtroq; libro de mendacio, & contra mendacium, docent S. Thomas infra q. 110. a. 3. alijq; Theologi loc. cit. Semper autem mentiretur Deus, si vlla ratione falsum diceret, vt supra dictum: Ergo simpliciter pugnat cum diuina bonitate, vllo modo falsum dicere.

137 II. Quia si maxime in hominibus aliquando mendaciũ, propter necessitatẽ alicuius mali vitãdi, malum non esset, in Deo tamen malum semper esset, vt bene etiam notarunt Cicero libro 2. de Rep. & Plato, quem referunt Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Eusebius lib. 3. de præparatione Euangelica cap. 3. & Origenes l. 4. cõtra Celsum. Tum quia mendacio nullam indiget, siue ad malum vitandum, siue ad bonum procurandũ: tum quia si mentiretur semel, perderet summam illam auctoritatem in testando; tantum autem bonum frustra prodigere; intrinsece malum est.

III. Quia veritas est perfectio simpliciter: ergo necessario est, & esse debet in Deo; & quidem summo & infinito modo; ita vt perfectior excogitari non possit: talis autem est, nec posse quidem vllatenus mentiri.

IV. Si semel concedatur, Deum vel per absolutam potentiam posse mentiri, perit certitudo & infallibilitas fidei nostræ; vtpote quæ ex consequenti nitetur ratione fallibili, reuelatione scilicet diuina, quæ absolute possit esse falsa. 138

Dices. Satis est, Deum hac sua potentia re ipsa nunquam fuisse vsum, in reuelandis rebus fidei: id quod cognosci potest, tum ex ipsius attestatione, tum ex motiuis fidei nostræ. Respondetur primo, etiamsi constaret, Deum nunquam fuisse vsum ea potestate, adhuc tamen periret infallibilitas diuinæ reuelationis, hoc ipso, quod ea nihilominus saltem posset esse fallax & falsa.

Respondetur secundo, nec posse quidem certo constare, Deum non fuisse vsum sua illa potentia, si eam haberet. Vnde enim constaret? an ex attestatione Dei? sed si Deus vllo modo falsum dicere potest, de hac ipsa dubitare quis poterit, an non Deus in ea ipsa reuelatione forsitan vsus sit sua illa potentia. Si enim aliquod Dei verbum 139 falsum esse potest, cur non & illud, quo attestatur, se vera dicere? An ex motiuis? sed hæc non possunt esse infallibilis ratio assensus fidei diuinæ, de veritatibus à DEO reuelatis; sed solum assensus cuiusdam euidentis. de credibilitate rerum fidei, vt dicetur quæstione sequenti. Accedit, quod si reuelatio diuina falsa esse potest, nulla motiua efficere poterunt, vt indubitata prorsus & infallibili fide credantur ea, quæ sunt diuinus reuelata.

Prorsus ergo per contrariam sententiam perit certitudo ipsius fidei; cum nec ipsa fides ex ea sententia nitatur ratione prorsus infallibili, nec iuxta illam sententiam suppetere possit vllum medium, certo cognoscendi, reuelationem rerum credendarum falsam non esse. Quæ etiam causa est, cur Sancti Patres tantopere refugiant & detestentur omnem falsitatem & fucum, in propaganda & persuadenda fide, vt pluribus differit Augustinus lib. contra mendac. capit. 8.

Sed & in Concilio Lateranensi sub Leone X. session. 11. excommunicantur illi, qui confictis miraculis iuxta illud Iob 13. versu 7. *Nunquid DEVS indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos?* Et Apocalypsis vlt. vers. 18. *Si quis apposuerit ad hæc* (fictitias reuelationes) *apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.*

Assertio V. Fides proinde diuina 140

prorsus

prorsus infallibilis est, idque ex triplici capite: Primo ex se, ac ratione sui, qua talis est assensus; Secundo ex parte rationis formalis obiectiuæ, quæ est diuina reuelatio; tertio ex parte causæ efficientis seu luminis fidei, quandoquidem nulli horum potest subesse falsum. Hæc est communis Doctorum sententia, & extra controuersiam. Colligitur ex dictis, prima quidem pars ex probatione assertionis primæ; quia actus fidei est actus virtutis intellectualis, qui non potest esse falsus, vt dictum. Accedit quod actus fidei est actus intrinsece supernaturalis, vt suo loco dicetur: Ergo in sua ratione specifica, quatenus talis assensus est, necessario est bonus & perfectus: talis autem non est nisi verus.

Secunda pars patet ex assertione 2. 3. 4. quia reuelationi diuinæ nunquam potest subesse falsum.

141 Tertia pars probatur. Quia lumen fidei, vel est actualis motio, seu inspiratio à Deo immissa, ad assentiendum ei, quod per fidem proponitur; vel est ipse habitus fidei: neutri autem potest subesse falsum, vt de habitu constat ex dictis assertione prima. De motione actuali probatur ex eo; non solum quia alioqui Deus esset author falsitatis & deceptionis, sed etiam quia illa ipsa motio est illuminatio quædam supernaturalis, adeoque participatio increati luminis, cui non potest subesse falsum.

142 Assertio VI. Quamuis igitur non omnia quidem fidei obiecta secundum se absolute necessaria sint; at omnia tamen habent quandam necessitatem infallibilitatis, quatenus cadunt sub scientiam & reuelationem diuinam. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 3. ad 2. & est extra controuersiã. Prima pars patet ex eo, quia multa creditur per fidem, quæ absolute potuerunt non esse, vt Incarnatio, Passio, Resurrectio Christi &c. præter innumera alia quæ in scriptura sacra habentur, mere contingentia.

Secunda pars probatur ex dictis, quia omne à Deo scitum & reuelatum, infallibiliter, adeoque necessario necessitate quadam infallibilitatis est verum: omne creditum est scitum & reuelatum à Deo: Ergo necessario est verum necessitate quadam infallibilitatis; quæ scilicet est necessitas ex suppositione ipsius scientiæ, seu reuelationis diuinæ. Superest vt argumenta contra infallibilem hanc fidei veritatem initio proposita dissoluamus.

143 Ad primum argumentum respondetur; Deum nec per absolutam quidem potentiam falsum testari posse, constat ex dictis assertione 4. Ad exempla obiecta ita respondetur. Ad primum, Deum dici decipere permissiue, vt dictum in simili de induratione & excæcatione Dei, tom. 2. disp. 4. q. 9. dub. 5. & declarant S. Thomas 1. 2. q. 79. a. 3. & q. 9. de malo a. 1. & Canus lib. 2. locorum cap. 4. Nec aliter intelligendus Augustinus lib. 83. q. 53. cum ait, Deum non per se quidem, nec per bonos Angelos, sed per malos, alios nonnunquam malos decipere. Potest etiam deceptio Principum terræ referri ad elusionem vanæ illius cõfidentiæ & securitatis, quam impij sibi solent ipsi confingere in traducenda vita impura & impia: quæ non est deceptio ex attestatione Dei, sed ex propria & arbitraria impiorum persuasione profecta.

Ad secundum exemplum respondetur, Prophetias eiusmodi vel tantum fuisse comminatorias, vel prædictiones effectus in sua causa tantum; futurum scilicet hoc vel illud, quantum est ex dispositione causarum naturalium. Quo modo optime explicatur prædictio illa mortis Ezechiæ. De qua re pluribus Sanctus Thomas 1. part. quæst. 19. articulo 7, & 2. 2. quæstio. 171. art. 6. 144

Ad tertium exemplum respondetur, eiusmodi sermones aut non fuisse Deo inspirante prolatos, aut certe mendacio vacare. Quod quidem de Abrahamo & Iacobo sentiunt communiter omnes, iuxta Augustinum q. 74. in Genesin, & l. 16. de ciuitate cap. 37. & contra mendacium c. 10. & iuxta Innocentium Papam capit. *Gaudemus*, de diuortijs. Nam & Abraham fretus diuina promissione spem firmam habebat, filium saluum reducendi, & Iacob iam aliunde iure primogenituræ gaudens, profiteri potuit, se in ea actione personam & locum Esau sustinere, vt in Comœdijs quotidie fieri videmus. De qua re plura Pererius in illa loca, & Ribera in cap. 11. ad Heb. num 50. Ad quartum respondetur, contradictiones illas solum esse apparentes, non veras, vt videre est, tum apud Bannem & Valentiam hic q. 1. a. 3. seu pun. 3. tum apud Bellarminum lib. 5. de verbo Dei cap. 5. & seqq Nam eas particulatim discutere non est huius loci.

Ad secundum argumentum, quod attinet ad hostiam consecratam, Respondetur cum S. Thoma hic q. 1. a. 3. ad 4. & Caietano, Banne, & alijs ibidem, ex communi; quod hæc hostia, absolute loquendo, sit vere consecrata, non credi per fidem diuinam; sed id certum esse duntaxat modo & fide humana, vtpote pendens ex multis hypothesibus, quæ non nisi fide humana cognoscuntur. *Fides credentis*, inquit Sanctus Thomas loc. citat. *non refertur ad has species panis, vel illas, sed ad hoc, quod verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quando recte fuerit consecratum. Vade si non recte sit consecratum, fidei non suberit propter hoc falsum. &c.* Neque tamen ideo necesse est, sub expressa conditione adorari hostiam, vt recte Caietanus ibidem, & declaratur in 3. part. 145

Quod vero attinet ad Pontificem in indiuiduo (eadem est ratio Concilij) varia quidem est de hac re sententia; sed supponendo id esse de fide certum; de quo infra q. 3. Respondeo, rationem id credendi non esse auctoritatem, aut fidem humanam, sed reuelationem diuinam; qua vniuersim reuelatum est, omnem Petri in Romana Cathedra successorem, legitime electum & acceptatum, esse Caput, & summum Pontificem Ecclesiæ: vt & omne Concilium generale legitime congregatum, habere infallibilem auctoritatem definiendi. Qua maiore vniuersali præsupposita, in minore tanquam euidenter certum (morali scilicet euidentia, quali scimus, Romam esse) 146

subsumitur: atqui hic Pontifex, hoc Concilium est tale: Ergo. &c. Quo theologico discursu facto, absolute postmodum vtrumq; credimus, ob diuinam reuelationem, vt generatim de propositionibus, quæ ex alijs reuelatis inferuntur, dictum dub. 3.

Dices: Ergo saltem fides potest nonnunquam esse causa falsi assensus: vt si posità maiori de fide, minorem falsam subsumendo dicas: Concilium legitimum generale non potuit errare: Concilium Basileense subijciens Papam Concilio fuit tale. Ergo &c. In quo discursu conclusio, ex vtraque præmissa procedens, est falsa. Ad hoc respondet Bannes loc. cit. fidem per accidens posse esse causam falsi assensus materialiter, & velut quoad substantiam actus spectati, non autem ipsius falsitatis formaliter, ne per accidens quidem, vtpote cuius sola causa est falsitas minoris. Sicut etsi Deus est causa actus falsi & mali, quoad entitatē, non ideo tamen est, aut dici debet causa peccati seu falsitatis, ne per accidens quidem.

147 Verum quia præmissæ aut nullo modo sunt causa conclusionis, aut sunt etiam causa eiusdem quatenus talis est, hoc est, vt est circa tale obiectum negatiua, aut affirmatiua: idcirco respondeo, illam tantum præmissam esse causam conclusionis, in qua conclusio virtualiter aliquo modo continetur; qualis quidem in proposito est minor falsa, non maior de fide: quæ quidem nec conditio sine qua non est respectu falsi assensus subsequentis, non solum quia necesse non est, discurrentem vtramque propositionem aperte exprimere; sed etiam quia si maxime exprimenda esset, satis foret, eiusmodi propositioni acquisita fide assentiri.

148 Ad tertium argumentum respondetur: Si Iudæus ille non referat suam fidem determinate ad futurum reipsa tempus; sed natiuitatem Christi in communi credat, prout abstrahit à certa differentia temporis, vel etiam vt futuram respectu promissionis olim Abrahamo factæ, de venturo Messia &c. tunc nihil obstabit, quo minus idem actus fidei continuetur etiam post instans Christi nati, vt indicat etiam S. Thomas cit. a. 3. ad 3. at si determinate feratur in illā falsam circumstantiam temporis de Messia venturo, post hoc ipsum tempus eliciti assensus, impossibile est, vt idem numero actus continuetur: quin potius erunt duo actus diuersi, vnus verus & supernaturalis actus fidei, posterior falsus, & mere naturalis.

149 Ad quartum & quintum argumentum respōdetur, etsi quidem ex parte motiuorum externorum aliquid falsum fieri possit euidenter credibile, tanquam certâ fide credendum, propter diuinam reuelationem, vt dicetur quæst. seq. tamen assensum circa tale obiectum nunquam futurum assensum diuinæ fidei, sed solum humanæ, vtpote non habentem pro ratione assentiendi veram aliquam reuelationem diuinam, sed solum existimatam. Et quamuis externa fidei propositio seu motiua, per se ac immediate non tribuant absolutam illam certitudinem fidei diuinæ; nec vero aut eadem illam, aut etiam ipsa reuelatio diuina re ipsa adimant omnem facultatem dubitandi seu dissentiendi; manet enim nihilominus fides libera etiam quoad specificationem; plane tamen adimunt facultatem prudenter dubitandi vel dissentiendi; hoc ipso, quod fidei obiectum reddūt euidenter credibile per diuinam fidem, eiusque oppositum, secundum prudens iudicium, plane incredibile, vt pluribus dicetur quæstione sequente.

Ad sextum respondetur, ex dictis constare, 150
Deum directa quidem intentione nunquam posse aliquod falsum miraculo confirmare. An autē id præter intentionē, iuxta casum in obiectione propositum, fieri possit, dubium videri potest. Ad quod respondeo, tametsi quidem eiꝰ rei impossibilitas non sit omnino mathematice euidens, vt docent etiam Durandus q. 1. prologi num. 46. & q. 7. Gabriel 3. dist. 24. q. 1. a. 3. & colligi potest ex Caietano hic q. 1. a. 4. moraliter tamen quasi euidentē esse; ita vt moraliter loquendo de propositione per miraculū iuxta testimoniū operātis miraculum confirmata, dubitare non possimus; vtcunque forte absolute loquendo, falsum esse possit, quod miraculum ad eum finem sit factum, quem operator miraculi indicat: quandoquidem censendum est, Deum ob suam auctoritatem infallibilis fidei tuendam, id non permissurum; tametsi reuera ea re, fidei certitudo non magis læderetur, quam si alijs de causis, ob propositionem falsam, falsum aliquid diuina fide euidenter credibile redderetur, de quo paulo antea diximus.

Circa septimū argumentum tangitur difficultas, an Deus p se solū possit in intellectu humano, 151
aut actum erroris, aut habitum ad actum inclinantem producere. Et quidem Vasquez 1. 2. disp. 90. cap. 4. concedit, Deum posse infundere homini habitum erroris, sicut etiam habitum vitiosum inclinantem ad peccatum. Et inferius ait: *Si Deus infunderet habitum erroris, ex quo intellectus erraret, nihil contra suam veritatem faceret: sicut neque ex eo, quod ipse velit errorem in nostro intellectu, & ipsum producat, aliquid nocet suæ veritati. Imo si Deus posset sola sua virtute producere actum intellectus, nihil obstabit, quo minus & actum erroris solus infunderet: veritati enim eius solum repugnat, testem esse falsi. At infundere qualitatem inclinantem ad errorem, vel occasionem illius tribuere, vel illum operari, vel ipsum velle nihil falsitatis arguit in Deo.* Qua etiam ratione idem Vasquez 3. part. disputat. 61. cap. 4. probat, habitum, vel etiam actum erroris, sicut & habitum vitiosum, suapte natura non pugnare cum vnione hypostatica, sicut pugnat peccatum. Et ibidem num. 59. ait; *nihil obstare, quo minus Deus sit author erroris, qui non est peccatum, atq; illum expresse velit: eo quod error, secundū rationē formalem erroris, non est malū culpæ, sed est malū pœnæ. Solum autē impossibile est*, inquit, *Deum esse authorem erroris, tanquā testem, per se, vel per alium; ita vt ipse testificans per se vel per actum aliquem decipiat.* Hactenus Vasquez. Idem tradit Arragonius hic q. 1. articulo 3. respons. 1. ad 3. & fauent Marsilius in 2. q. 28. a. 1. dub. 2. & Caietanus lib. 2. Regum c. 12. & 16. vbi dicit, Deum esse causam mendacij,

non

non vt mendacium, sed vt pœna est. In qua sententia, quid ad argumentum obiectum respondendum sit ex dictis liquet.

152 Nihilominus tamē Victoria relect. de homicidio à n. 2. Medina 1.2.q.19.a. 1. & Arragonius loc. cit. responso 2. quasi corrigens seipsum, negant, Deum posse eiusmodi habitum, vel actum erroris in humano intellectu per se solū producere. Quod mihi etiam multo videtur verius; saltem si loquamur de tali actu, vel habitu, quo mens imbuta reuera feratur, aut saltem quoad specificationem determinetur ad falsum assensum seu obiectum. Tum quia non minus cum prima ac summā veritate pugnat falsitas seu error, quam cū summa bonitate peccatum: ergo sicut Deus non potest esse author peccati, ita neq; falsitatis, aut deceptionis.

153 Tum quia alioqui non satis constaret infallibilitas diuinæ reuelationis; cuius hic ordinarius solet esse modus, quod Deus corda ac mentes Prophetarum, aliorumue Sanctorum, certo quodam lumine seu illustratione actuali imbuit, quâ ipsos ad quidpiam excedens naturalem cognitionem cognoscendū moueat ac determinet. Si ergo potest Deus aliquem intrinsece mouere ac determinare ad cognitionem seu assensum falsum, quomodo stabit infallibilitas talis reuelationis? Deinde etiam si Deus exterius per Angelum, vel aliam creaturam aliquid homini denuntiet, quandoquidem semel conceditur, posse Deum per seipsum, ac immediate esse authorem erroris, poterit etiam Angelum seu aliam creaturam mouere ac determinare ad aliquid falsi denuntiandum; quo ipso Deus saltem per alium, falsum testabitur; quod tamen fieri posse, omnes negant.

154 Vbi etiam simul aduerto, diuersam esse rationem habitus seu actus praui & erroris. Nam etiamsi detur, (de quo actum tomo 2. disp. 4. q. 9. dub 5. in fine) Deum posse per se habitum, vel actum prauum in mente hominis producere; illum quidem, quia per se, ac non interueniente libero vsu arbitrij, causa sufficiens malitiæ moralis non est; præsertim cum Deus re ipsa nunc producat appetitum sensitiuum in homine, qui natura sua fertur in bonum sensibile, idque non raro rectæ rationi repugnans: hunc vero, quia productus ab extrinseco ac sine propria libertate habentis, formaliter malus & peccatum esse non potest: tamen error, etiam secluſa omni culpa errantis, à Deo directe causari non potest in homine; quia erroris ac deceptionis authorem esse, non propterea repugnat Deo, quia error culpa est, sed quia per se tale malum est, quod à summa veritate per se ac directe causari non potest. Idem seruatâ proportione dico de habitu intellectuali, adeoque etiam de specie intelligibili determinante intellectum, saltem quoad specificationem, ad falsum assensum.

155 Secus est, si loquamur de habitu non ita determinante ad assensum falsum; cuius quidem eadem videtur esse ratio, quæ est habitus vitiosi; quem à solo Deo produci posse, non negamus; cum tamen actum peccaminosum, saltem qui vitaliter afficiat mentē, per se solum in homine producere non possit, vt diximus tom. 2. disp. 4. q. 9. dub. 5.

Alia etiam videtur esse ratio speciei sensibilis, aut intelligibilis, qua non ad assensum falsum, sed solum ad apprehensionem obiecti non existentis potentia determinetur, vti fieri posse in miraculosis apparitionibus Eucharistiæ, docent Sanctus Thomas 3. part. q. 76. a. 8. & in 4. dist. 10. articulo 4. quæstiunc. 2. & opusc. 58. cap. 11. Scotus in 4. distinctione 11. quæst. 1. art. 3. Paludanus in 4 dist. 10. Antoninus 3. part. tract. 13. cap. 14. Victoria relect. de Eucharistia n. 62. & Molina 1. part. q. 55. a. 2. disp. 2. memb. 5. Sicut enim in prima operatione intellectus, & apprehensione simplicium, proprie non est falsitas, ita nihil obstat, quo minus eiusmodi species seu phantasmata repræsentantia obiectum, quod nō est, à Deo solo producantur; quandoquidem non est necesse, vt eorum vi intellectus determinetur ad assensum.

DVBIVM VI.

Vtrum obiectum fidei possit esse euidens; seu visum seu scitum.

S. Thomas 2. 2. a. 4. & 5.

156 DIstinguit S. Thomas his duobus articulis citatis, obiectum euidens in visum, quod scilicet per se ipsum immediate mouet sensum aut intellectum ad sui cognitionem; & dicitur, per se notum, vt sunt obiecta sensuum & principia scientiarum: & in scitum, quod per aliud medium cognitum mouet intellectū ad assensum, adeoque ex per se notis euidenter deducitur, vti sunt conclusiones scientificæ. Et respondet, obiectum fidei formaliter nec visum esse, nec scitum, in corpore vtriusque articuli: esse tamen visum & euidens credenti, sub communi ratione credibilitatis a. 4. ad 2. idq; mediante ipso lumine fidei a. 4. ad 3. Addit in corpore vtriusque articuli, nec materialiter quidem posse eandem veritatem esse visam, & scitam ab eodem & in eodem statu; licet in diuersis possit. Vnde concludit a. 5. ea, quæ simpliciter fidei subsunt, & communiter credenda proponuntur omnibus, esse non scita. Assensus autem eorum, quæ secundum se euidentia sunt, vt Deum esse, vnum esse, *præexigitur quidem*, inquit ibidem ad 3. *ad ea, quæ sunt fidei*; sed non eodem modo. Qui enim eorum euidentiā habent, eos docet non assentiri ijs per fidem, sed per ipsum habitum scientiæ; alios vero, qui eorū demonstrationem nō habent, vult saltē per fidē præcognoscere debere. Ita S. Thomas.

157 Verum vt res tota distinctius explicetur, notandum est primo, euidens generatim illud dici, quod vel per se immediate, absque alio medio cognito, vel interueniente certo medio, potentiam cognoscentem, ob singularem, quam cum ea proportionē habet, ad eternā adeo cognitionē mouet, vt non possit, saltem quoad specificatio-

nem non iudicare, rem talem esse, qualis apparet. Euidentia autem, prout ad potentiam cognoscentē pertinet, est adeo clara obiecti alicuius cognitio, vt manente eadem apprehensione seu repræsentatione obiecti nō possit quis vllo modo aliud de eo iudicium ferre, seu aliter de eo sentire, neq; etiam dubitare seu formidare, ne non sit tale, quale videtur aut iudicatur.

158 Notandum secundo distinguendas esse in proposito plures quæstiones. Primo enim quæri potest, vtrum obiectum fidei, qua tale formaliter est, possit esse euidens, seu quod idem est, an ipsa fides, respectu alicuius obiecti, possit esse euidens, an potius obscuritas sit de ratione ipsius. Et respondetur, fidem respectu nullius obiecti posse esse euidentem. Ita ex communi & certa Doctorum sententia, contra Manichæos apud Augustinum lib. de vtilit. credendi cap. 1. item contra Abailardum apud Bernardum epist. 190. & vt apparet contra Caluinum lib. 2. Instit. c. 17. sect. 2. & 3. denique ex Scholasticis etiam contra Franciscum de Marchia in prolog. sent. q. 3. & Holkot in 1. sent. q. 1. a. 6. resp. ad 1. argum. dubij 1. docent S. Thomas hic q. 1. art. 4. Ariminensis in prolog. q. 1. a. 4. Ockam q. 3. Capreolus 3. d. 25. q. vn. item Caietanus, Bannes, Arragonius hic q. 1. a. 4. Gregorius de Valentia q. 1. pun. 4. §. 1. alijque communiter. Probatur ex scriptura Heb. 11. v. 1. vbi fides vocatur *argumentum rerum non apparentiū*. Ratio optima S. Thomæ cit. art. 4. est; quia actus
159 fidei est liber, etiam quoad specificationem; qui proinde non elicitur nisi præuia motione voluntatis, inclinantis hominem ad credendum: atqui nullum obiectum euidens indiget tali motione, sed potius per se ipsum, seu mediate seu immediate mouet intellectum, aut sensum, ad sui cognitionem; Ergo &c. Maior probatur ex scriptura, & Concilijs in quibus passim significatur, in hominis potestate situm esse credere, vel non credere, assentire fidei & dissentire. Marci 16. Ioannis 12. Actorum 20. ad Romanos 10. Idem colligitur ex Concilio Arausicano II. Can. 5. Toletano IV. Canone 55. Tridentino sess. 6. cap. 6. vbi dicitur, *Homines excitatos diuina gratia, & adiutos, fidem ex auditu concipientes libere moueri in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt.* Et confirmatur; quia si fides respectu vllius obiecti esset euidens, tum aut non esset vnus habitus, aut certe esset respectu omnium euidens; quandoquidem vnus & idem habitus non potest esse euidens & ineuidens.

Argumenta vero oppositi erroris aut confundunt euidentiam credibilitatis cum euidentia veritatis, adeoque ipsam propositionem fidei cum ratione formali obiectiua eiusdem; aut euidentiam non satis distinguunt à certitudine & infallibilitate.

Secunda quæstio est, vtrum obiectum fidei sub
160 communi ratione credibilitatis sit euidens, ita scilicet, vt credentes non quidem per ipsum actum seu habitum fidei, sed cuiuscunque demum alterius virtutis, euidenter cognoscant, obiectum fidei esse credibile. Et respondetur affirmatiue, cum S. Thoma hic articulo 4. ad 2. ex communi. Ratio est, quia alioqui fidei assensus prudenter elici non potest; vt ex instituto dicetur quæstio. seq.

Solum̃odo quæri potest hoc loco, à quonam habitu eliciatur tale iudicium. Respondetur, si iudiciū hoc quasi vniuersale sit, & speculatiuum, elici per scientiam moralem, ad quam vti in genere pertinet definire, quid iustum, quid forte, quid temperatum sit, obiecta nempe singularum virtutum; ita quoque ad eandem pertinet definire, quid secundum rectam rationem credibile. Si autem particulare sit, & practicum, non tam ad specificationem, quam ad exercitium actus pertinens, dictans scilicet, obiectum aliquod hic & nunc esse credendum, spectat ad prudentiam, vt bene docet Gregorius de Valentia q. 1. pun. 4. §. 3. ad 3.

Tertia & huius loci propria quæstio est, vtrum 161
ipsum per se obiectum fidei possit esse euidens; non quidem per ipsam fidem, sed per aliam cognitionem, ita scilicet vt in eodem intellectu existant fides & euidens notitia respectu eiusdem veritatis. Quæ quidem quæstio moueri potest, tam de habitu, quam de actu; & rursum de assensu vtroque vt existente in eodem subiecto simul, vel successiue ac diuerso tempore. Qua in re tria sunt certa.

Primo certum est, posse eandem veritatem esse scitam seu visam & creditam, non solum à diuersis, sed etiam ab eodem, in diuerso statu ac tempore. Ita S. Thomas q. 1. a. 5. ex communi. Ratio est, non solum quia veritates illas, Deum esse, vnum esse, infinitum esse. &c. animam hominis immortalem esse &c. multi fideles euidenter cognoscunt, quas & ipsi olim, & nunc etiam imperitiores, solummodo credunt; sed etiam quia omnes veritates fidei, quas modo credimus, nos ipsi etiam aliquando cum cæteris beatis clare intuebimur in cælis, iuxta illud 1. Corinth. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Secundo certum, multa, imo pleraque fidei 162
obiecta, iuxta legem Dei ordinariam, in hac vita neq; naturali, neq; fere etiam supernaturali lumine à nobis euidenter cognosci posse. Patet Eccli 3. v. 25. *Plurima super sensum hominum ostensa sunt tibi.* Isaiæ 64. v. 4. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Et clarius 1. Cor. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* Item Matthæi 16. v. 17. *Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus qui in cælis est.* Et Ioannis 20. v. 29. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Exempla sunt mysteria Incarnationis, Trinitatis, Sacramentorum &c. esto nonnulli quandoque horum euidentiam habuerint in reuelante, vt inferius dicetur.

Tertio certum est, fidem nullo modo pendere 163
ab euidenti cognitione eorum, quæ creduntur; loquendo de ipsa euidentia veritatis, non credibilitatis. Patet. Sicut enim multa iam re ipsa credimus, quæ euidenter non scimus, ita possem̃ etiam cætera eodem modo credere, quamuis eui-

dentia

dentia nobis non essent, vti re ipsa faciunt simpliciores. Qua de causa etiam Exodi 20. Leuitici 13. & Deuteronomij 5. vniuerso populo sine vlla demonstratione aut probatione credendum proponitur, Deum esse, vnum esse. &c.

164 Dubiũ vero, & controuersum est, vtrũ eodem tempore & in eodẽ homine, ac de eadem veritate, simul possit esse fides & euidentia; seu quod idem est, an habens euidentiam alicuius veritatis reuelatæ v. g. quod Deus sit vnus, possit eandẽ veritatem credere per fidem. Vbi supponendũ est, variã esse euidentiam generatim acceptã, prout à nobis superius fuit exposita; nimirũ intuitiuam vnam, alteram abstractiuam. Intuitiua dicitur illa, qua res velut præsens in seipsa per propriam speciem clare cognoscitur. Abstractiua, qua res cognoscuntur per species abstrahentes ab existentia seu præsentia obiecti; siue quia species alienæ sunt; siue quia communes. Intuitiua rursus alia est ipsius sensus, circa suum sensibile præsens, alia intellectus; quæ quidem circa fidei præcipua mysteria tantum reperitur in visione beatifica. Duplicem hanc euidentiam sensus & intellectus agnouit etiam Cicero libro secundo, Academ. quæst. Abstractiua euidentia (ad intellectum pertinens) alia est cognitio euidens principiorum per se notorum; alia est cognitio euidens eorum, quæ ex principijs per se notis deducuntur.

165 Hæc rursum vel est cognitio rerum euidens per medium proprium & intrinsecum; quæ idcirco etiam euidentia veritatis intrinseca, dici solet: vel est euidentia abstractiua veritatis in reuelante seu attestante velut per medium commune & extrinsecũ; quæidcirco etiam euidentia extrinseca dicitur; & nititur externa reuelatione seu attestatione Dei euidenter cognita.

His positis, S. Thomas hic q. 1. artic. 4. & 5.
166 item Caietanus, Bañes, Arragonius, & alij Thomistæ ibidem, Scotus in 3. dist. 24. qu. vnica, Richardus in 3. dist. 24. q. 5. Capreolus dist. 25. q. vn. a. 2. & Gabriel eadem dist. 25. Canus lib. 12. locorum cap. 1. & Molina 1. part. q. 1. a. 2. disp. 4. docent, quamuis euidentiam veritatis, saltem intrinsecam, pugnare cum actu fidei de eadem veritate, quæ proinde est in hac controuersia prima sententia. Secunda sententia est Vasquij 1. part. disp. 4. num. 3. vbi ait, *quamuis cum aliqua scientia euidente, quæ habetur per alienas species, fides esse possit; cum notitia tamen euidenti eorum, quæ per se nota sunt, esse nequit: eadem prorsus ratione*, inquit, *qua neque cum euidentia mathematica esse potest.* Qui sane authores non videntur tantum negare, actum fidei simul posse consistere cum actuali assensu euidenti eiusdem veritatis, sed nec posse quidẽ cum habituali, saltem cuius memoria extet. Tertia sententia simpliciter concedit, fidem simul stare posse cum qualibet euidentia saltem abstractiua de eodem obiecto, vt mox dicemus.

Assertio I. Actus fidei stare potest cum eui-
197 dentia reuelantis seu attestantis. Ita ex communi præter eos, quos pro assertione sequenti citabimꝰ S. Thomas hic q. 5. a. 2. Caietanus ibidem & infra q. 171. a. 5. Scotus, Gabriel, Almain in 3. d. 23. Carthusianus eadem dist. 23. q. 1. Arragonius q. 5. a. 1. Zumel part. 1. q. 62. a. 3. Vasquez loc. cit. & disp. 135. cap. 3. & 3. part. tom. 1. disput. 53. etsi contrarium dixerit Bannes hic q. 5. a. 1. vbi negat, reuelationes Angelis, Prophetis, & S. Paulo olim factas, euidentes fuisse.

Probatur vero assertio. Primo enim talem euidentiam, saltem naturalem, in primo statu creationis habuit primus Angelus, vt docuimus tom. 1. disput. 5. q. 6. dub. 1. Certe ob eam dæmones adhuc fide quadam naturali credunt, & contremiscunt. Iacobi 2. v. 19. id quod etiam expresse docet S. Thomas hic q. 5. a. 2. Eandem ex probabili sententia habuerunt Apostoli, & maxime S. Paulus vsque ad tertium cœlum raptus, iuxta S. Thomam 3. part. q. 43. a. 3. Nec dubitari potest de B. Virgine; & vix etiam de animabus purgatorij. De qua re plura Suarez 3. par. to. 1. d. 27. sect. 1. & tom. 2. d. 81. sect. 3.

Secundo **accedit ratio; quia eiusmodi cogniti-**
168 **ones inter se non pugnant, vt à potiori patebit** assertione sequente, imo potius videntur posse esse aliquo modo subordinatæ; non quidem vt ipsa fides nitatur tali euidentia reuelantis, tanquam ratione formali obiectiua, sed velut conferente ad perfectã propositionem obiecti; qua supposita, fides assentiatur veritati reuelatæ propter ipsam reuelationem diuinã, abstrahendo ab eius euidentia, vt dictum dub. 3.

Assertio II. Potest quoq; fidei assensus
169 coniunctus esse cum euidentia abstractiua veritatis intrinseca, seu per medium intrinsecum. Ita Alensis 3. part. q. 79. memb. 3. Altisiodorensis 3. part. tract. 3 cap. 1. q. 4. Albertus Magnus in 3. dist. 24. a. 9. Bonauentura ibidem art. 2. c. 3. Durandus in prologo q. 1. n. 39 Gabriel 3. dist. 24. q. vn. a. 2. quos sequitur Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 4. Probatur assertio primo ex scriptura, quæ generatim omnibꝰ credenda proponit & mandat ea, quæ alioquin à doctis euidenter sciuntur, vt Deum esse, vnũ esse &c. Exodi 20. v 2. Deuteronomij 6. v. 4. Hebr. 11. v. 6. vbi explicate dicitur; *Sine fide impossibile est placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Et ibidem v. 3. de se quoque, & alijs fidelibus generatim loquens Apostolus ait: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Quis autem neget, Apostolum, Dionysium Areopagitam, & multos alios fideles de mundi creatione euidẽtiam habuisse? Deniq; Rom. 4. v. 3. & 21. dicitur Abrahæ reputatum esse ad iustitiam, quod crediderit Deo promittenti, *plenissime sciens, quia quæcunq; promisit, potens est & facere.* Huius autem omnipotentiæ cognitionẽ quoq; euidentem habuisse Abraham, nemo facile negauerit.

Secundò probatur assertio ex symbolo Apo-
170 stolico & Nicæno, alijsq; SS. Patribus, à quibus etiã sine discrimine omnibus credendę proponũtur veritates quædam euidentes, vt Deum, vnum, omnipotentem cœliq; & terræ conditorem esse &c. Simile est illud, solum Deum esse colendum. Non enim probatur, quod ex S. Thoma hic q. 1. a. 8. ad 1. docet Caietanus, id à Philosophis non

potuisse ratione naturali inuestigari, vt recte notauit Gregorius de Valentia hic loco citat. nisi quis velit, S. Thomam loquutum fuisse de cultu aliquo supernaturali.

Plura hac de re Cyrillius Hierosolymitanus catechesi 6. Chrysostomus homil. 2. in symbolum, Ruffinus in exposit. Symboli, Augustinus lib. de fide & symbolo c. 1. & l. 4. de ciuit. Dei c. 20, vbi ait: *Fidei primum & maximum officium est, vt in verum credatur Deum.* Quę sane scripturæ, ac SS. Patrum sententiæ, cum sint vniuersales, & nonnunquā aperte etiā doctis applicentur, non recte ad imperitos duntaxat, & cōmune vulgus restringuntur.

171 Tertio probatur assertio ratione. I. Quia secūdum omnes, simul consistere possunt fides humana & diuina de eodem obiecto, eademq; veritate; ita vt ab eodem homine saltem successiue eadem veritas modo credatur fide humana, modo diuina; quamuis vna certa sit, altera incerta: quę tamen conditiones inter se non minus videntur pugnare, circa idem obiectum, quam euidentia & obscuritas.

II. Quia alioqui viri docti essent deterioris conditionis, quam simplices; vt qui multa per fidē credere possent, quæ illi non possent; nempe illas ipsas veritates fidei, quarū habent euidentiā: cum tamen interim actus fidei non solū meliores & excellentiores sint, hoc ipso, quod supernaturales, & simul etiā quoad specificationem liberi sunt, sed etiam certiores quouis naturali, quamtumuis euidenti assensu.

III. Assensus incertior non debet impedire assensū multo certiorē, circa idē obiectū sufficiēter
172 applicatū, atqui assensus scientificus est multo incertior assensu fidei, vt dicetur q. 6. Ergo &c.

IV. Assensus euidens & ineuidens, circa idē obiectū, non sunt assensus contrarij; vtrique enim contrarie opponitur dissensus; vni vero vnū tantum est contrariū: neq; vllā cōtradictionē inuoluunt, non solū quia habentur per diuersa media, sicq; adeo sibi non opponuntur sub ea dē ratione; sed etiā quia ad ineuidentē assensum non requiritur, vt intellectus nullo prorsus ex capite habeat euidentiā; sicut nec contra ad assensū euidentē, requiritur, vt intellectus assentientis ex alio capite nullū habeat assensū ineuidentē: sed satis est, si quisq; eorū assensuū, quantū est ex vi propriæ rationis obiectiuæ qua nititur, aut euidens sit, aut ineuidens, vt pluribus in solutione argumentorum dicetur.

173 V. Assensus fidei simul stare potest cum euidētia reuelantis, vt pleriq; authores primę sententię cum S. Thoma fatentur: Ergo etiam cum euidētia abstractiua intrinseca. Consequentia probatur; quia etiā euidentia reuelantis est vera euidētia, & facit conclusionē euidenter verā, non minꝰ quam demonstrationes quædā mathematicæ, vel etiā physicæ; quæ à principijs vel causis extrinsecis, præsertim à causa efficiente petuntur; qualis est etiā illa, quæ petitur ab interpositione terræ, ad demonstrandā eclypsin lunæ. &c. vt pluribus dictum dub. 3. Quæ plane argumenta me cogunt, vt hac in re à S. Thoma dissentiam.

Assertio III. Potest igitur in eodem subiecto, siue intellectu simul esse euidens & ineuidens 174
notitia eiusdem veritatis non solum quoad habitum, sed etiam quoad actum; ita vt habens fidem & euidentiam abstractiuam eiusdem veritatis quoad habitum, pro arbitrio, saltem non interpolata successione actualem quoq; assensum modo euidentem, modo ineuidentem possit elicere; imo etiam, cum nulla formalis inter illos assensus sit repugnantia, possit etiam simul ac in eodem instanti vtrumque assensum elicere; si modo aliunde ob imperfectionem intellectus humani, nihil obstet, duos assensus adeo diuersos simul ac in eodem instanti elici. Ita Durandus q. 1. prologi num. 23. Et est ex mente Doctorum, quos pro assertione præcedenti citauimus. Et colligitur ex rationibus & argumentis pro assertione præcedente allatis; in quibus ostendimus, nullā inter ciusmodi assensus esse oppositionem, nec contrariam, nec contradictoriam seu priuatiuam, nec vllam adeo formalem repugnantiam.

Quid autem absolute de hac re dicendum sit, an scilicet, absolute loquendo possit homo simul ac in eodem instanti & euidenter & ineuidenter eidē veritati assentiri, nec magnopere refert scire; nec de hoc vna est omnium sententia. Etenim 175
Gregorius de Valentia loc. cit. putat, id omnino posse in eodem instanti fieri; idque duobus modis; nempe vt vel re ipsa sit vnus tantum assensus sola ratione diuersus; vel vt sint duo assensus, etiam reipsa diuersi. Supponit enim ex tom. 1. disput. 4. q. 1. pun. 3. iuxta aliquorum sententiam, nihil obstare, quominus intellectus simul eliciat duas intellectiones diuersas, per diuersa media, etiam circa obiecta diuersa. Durandus autē loc. cit. num. 27. 31. & 39 ratus, scire & opinari, aut scire & credere, vt sunt distincti actus intelligendi, non posse esse simul in eodem intellectu, nec de eadem conclusione, nec de diuersis, docet, priori tantū modo fieri posse, vt simul sit tum scire & opinari, tum scire & credere, quatenus videlicet authoritas diuina, & ratio demōstratiua, possunt simul concurrere ad causandū vnū assensum. Quod etiā fieri posse sentiunt Capreolus in 3. d. 25. q. vn. art. 3. Sotus l. 1. poster. q. vlt. Molina 1 p. q. 1. a. 1. disput. 1. Cæterum vt alter modus dicendi sit probabilis; iste sane videtur impossibilis. Nulla enim ratione fieri potest, vt vnus & idem assensus simul sit clarus & obscurus; sit naturalis & supernaturalis, etiam quoad substantiā; vti in eo casu fieri oportet.

Assertio IV. Potest quoque assensus fidei stare cum euidentia intuitiua naturali: cum eui- 176
dentia autē beatificæ visionis etsi physice posset, moraliter tamen & conuenienter naturis rerum non potest. Primam partem tradit Gregorius de Valentia hic loco citato vbi absolute docet, posse aliquid cognosci per fidem, & simul per cognitionem euidentē, etiā intuitiuā. Ratio est; quia hi assensus nec physice inter se pugnant, vt ex dictis colligitur; nec moraliter: quandoquidē moribus ac naturæ humani ingenij maxime consentaneū est, vt supposito etiā assensu incertiori, quamuis euidente, aliū insuper, si medium suppetat, multo

certio-

certiorē, quamuis ineuidentē, circa eandē veritatē eliciat. Quare etiā nihil obstat, quo minus aliquis moueatur præsentia obiecti ad euidentem cognitionē; & simul, aut mox etiā auctoritate dicentis infallibili, quæ maiorē secum afferat certitudinem, quam ipsamet euidentia compertæ veritatis. Sed & alię rationes, pro secunda assertione adductæ, ad eandem rem comprobandam fere accommodari poterunt.

177 Et cōfirmatur eadem pars assertionis. Id enim re ipsa contigisse videtur in Apostolis; qui & ob infallibilem auctoritatem Christi asserentis resurrecturum Lazarum, credebant eiusmodi resuscitationem; & simul tamen postea oculis etiā euidenter cernebant; non ademptā interim vt apparet eandē veritatem idemtidē per fidē etiam diuinam credendi facultate. Quo respexisse etiā videtur Gregorius de Valentia loc. cit. cum absolute ait, *æque posse simul aliquid cognosci per fidem, & per qualemcumq; cognitionem euidentem, siue ea habeatur per demonstrationem, siue per certam experientiam.*

178 Alia ratio est fidei humanæ, cuius assensus elici non solet de re euidenter cognita; & quod non tantū ratione ineuidentiæ sed etiam ratione certitudinis inferior est assensu euidente. Quo fit vt licet absolute impossibile non videatur, vt aliquis simul auctoritate humana vnius, vel paucorum hominum, moueatur ad credendum id, cuius euidentiā habet, id tamen superfluum & inconueniens sit, præsertim si ponatur in cognoscēte euiūētia intuitiua ad sensum, vt recte Durandus loc. cit. num. 21. Et idem videtur voluisse Bonauentura loco citat. q. 1. cum absolute negat, posse fidei actum consistere cum cognitione intuitiua.

179 Posterior pars assertionis, de visione beatifica, eam quidem non habere repugnantiam physicam cum actu fidei, partim colligitur ex dictis; quia nulla est inter hos actus ex natura rei oppositio, nec contraria, nec contradictoria, nec priuatiua; partim pluribus dicetur quæst. 6. Esse tamen inter eos actus repugnantiam quandam moralē, ita vt naturis rerum conuenienter simul stare non possint, omnes consentiunt. Ratio est; quia cum visio beatifica non solum quoad euidentiam, sed etiam quoad certitudinem simpliciter & absolute superet fidem; secus quam de scientia naturali diximus; nulla plane est ratio, cur quis velit minus certo, eodemque obscuro fidei assensu idipsum credere, quod intuitiua, eaque certiore cognitione clarissime præsens contuetur. Sicut nemo credit humana fide solem lucere, aut ignem vrere, cuius splendorem, aut calorē euidenti experimento coram intuetur, vt paulo antea generatim de fide humana, & experimentali euidentia dictum.

180 Cæterum contra doctrinam hactenus expositam, ab authoribus pro prima sententia superius relatis obijcitur primo illud Hebr. 11. v. 1. Fidem esse *argumentum rerum non apparentium.* In quem sensum etiam SS. Patres passim affirmant, ea quæ videntur non credi. Ergo fides non potest esse de obiecto euidente saltem ipsi credenti.

Respondetur negando consequentiam; si vti par est vniuersaliter ac materialiter intelligatur. Dictum enim illud Apostoli, aliaque similia Patrum pronuntiata, aut intelliguntur de fide respectu principalium quarumdam veritatum, propter quas per se primo tradita est fides, quales sunt veritates supernaturales nulli hominum in hac vita euidentes, saltem euidentia intrinseca: quo sensu etiam ibidem Hebr. 11. Fides dicitur, *substantia sperandarum rerum*, respectu quorumdam principalium videlicet, non omnium obiectorū: aut intelliguntur de obiectis fidei vniuersim quidem, sed non nisi formaliter acceptis; vt sensus sit, obiecta fidei, qua talia sunt, adeoq; prout sub fidē cadunt, esse res non apparentes, seu quod idē est, fidem esse earum rerum, quæ non apparent, nec videntur per ipsam fidem; cuius nempe vim & rationem ijs loquendi modis Sancti declarare cogitabant.

181 Secundo obijcitur. Omnis actus fidei ex se est laudabilis, meritorius, & vndequaq; liber: nullus assensus veritatis euidentis est talis; quia vt ex tractatu de operibus Christi cardinalibus dicitur: *Fides non habet meritum, si humana ratio præbet experimentum*; nempe quia non est liber, saltem quoad specificationem. Ergo. &c.

Respondeo, Minorem vt summum procedere tantum de assensu veritatis euidentis, qua euidens est, non de assensu veritatis materialiter quidem euidentis, sed non formaliter, qualis est assensus fidei: cuius obiecto, si quo casu materialiter & re ipsa euidēs est, etsi non possimus absolute dissentire, possumus tamen dissentire in quantum nititur motiuo fidei, dicendo id obiectū non esse reuelatum, nec credendum vt reuelatum; quod ad libertatē specificationis ipsius actus fidei satis est; quando p̄sertim etiā sine hac libertate ad meritum sufficit libertas quoad exercitium, vt suo loco dictum. Autoritas autem adducta solū loquitur de assensu, qui vel tantum nititur humanis experimentis, adeoq; mere humanus est; vel ita pendet ab euidentia obiecti, vt si hoc euidens non esset, homo non vellet credere.

182 Tertio obijcitur. Euidentia & ineuidentia opponuntur sibi vt lux & tenebræ, adeoq; vt forma & priuatio: sed impossibile est, vt alicui simul insint lux & tenebræ, siue per idē, siue per diuersum mediū. Ergo. &c. Respondeo primū, hoc argumento vt sum̄um probari tantū, nō posse simul, ac in eodē instanti, circa idē obiectū, in eodē intellectu esse notitiā euidentem & ineuidentē; de quo non magnopere laboramus, vt dictum.

Respondetur secundo, falsā esse maiorē, simpliciter & absolute loquendo; probaretur enim alioquin, nec circa diuersa quidē obiecta posse in eodē intellectu esse euidentiā & ineuidentiā. Et ratio est; quia ineuidentia non dicit simpliciter priuationē aut negationem euidentiæ in ipsa potentia cognoscente vniuersim, sed tantū in certo quodā actu, cum respectu ad certū mediū, quo talis cognitio nititur. Similiter euidentia nō dicit illuminationē intellectus simpliciter, quoad omnes actus eius cognoscitiuos, sed tantum claritatem certæ cuiusdam cognitionis, per certum medium; cum qua stare potest (si aliud nihil obstet) alius quidā actus obscurus circa idem quidem obiectum

sed

sed per diuersum medium: etiamsi interim vnus ac idem actus non possit reipsa simul esse euidens & ineuidens, vt contra Durandum & Valentiam superius dictum.

183 Quarto obijcitur. Aliquid videre, & non videre, sunt contradictoria, ergo non possunt de eodem homine simul circa idem obiectum verificari. Respondetur, antecedens verum esse, si vtrumque simpliciter & absolute, adeoque eodem respectu de eodem simul verificetur, ita vt quis simul dicatur videre aliqua ratione, seu aliquo medio, & non videre eodem, aut vllo medio: secus si quis vno quidem actu dicatur videre, & altero non videre idem, vel diuersum obiectum, vt fit in proposito, vbi idem obiectum videtur per actum scientiæ, & non videtur per actum fidei. Vnde tandem etiam ipse Caietanus hic q. 1. a. 5. cum id contrariæ sententiæ fundamentum parum firmum esse perspiceret, ac modo explicato solui posse animaduerteret, addidit, esse quæstionem de nomine, si quis dicat, de ratione simpliciter credentis non esse, vt nullo modo videat quod credit, sed tantum vt non videat, qua credens est; *quam quæstionem de vocabulis se alijs relinquere* dicit. Verum certe hæc quæstio, prout cõmuniter à Thomistis tractatur, non est de nomine, sed de re ipsa, vt dictum, vtrum scilicet cum euidentia stare possit verus actus fidei supernaturalis, de eadem veritate.

184 Quinto obijcitur. Impossibile est, vt lumen maius & lumen minus, simul illuminent idem subiectum, cum maius impediat influxum minoris, vt sol candelæ; Ergo etiam fidei assensus & scientia non possunt simul esse in intellectu.

Respondetur, quidquid sit de antecedenti, quod plerique etiam Philosophi falsum censent, experientia quotidiana ducti, qua maius lumen à minori intendi conspicimus; negando consequentiam: quia lumen corporale maius & minus sunt eiusdem rationis: quæ proinde fortassis proprium ac distinctum effectum in eodem subiecto habere non possunt: at vero in proposito, fidei & scientiæ lumen sunt diuersæ rationis. Hinc ergo fit, vt esto fortassis idem corpus à maiore luce occupatum non sit capax alterius minoris luminis, eiusdem rationis, intellectus tamen etiam per fidem illuminatus adhuc sit capax alterius luminis nempe scientiæ.

185 Sexto obijcitur. Opinio & scientia de eadem veritate, ac in eodem subiecto, non possunt simul stare, iuxta Aristotelem 1. post. text. 44. Ergo nec fides & scientia.

Respondetur ex doctrina Bonauenturæ in 3. dist. 24. a. 2. q. 2. & Durandi loc. citat. num. 20. cum Gregorio de Valentia quæst. 1. punct. 4. §. 2. ad 5. opinionem sic dici posse ex triplici capite. Primo ex parte obiecti contingentis; secundo ex parte subiecti debiliter & cum formidine oppositi assentientis, quam quidem formidinem oppositi ipsa etiam opinio, si aliunde non impediatur, sibi connaturaliter quodammodo deposcit; tertio ex parte medij solum probabilis, adeoque per se non excludentis formidinem oppositi. Prioribus duobus modis verum est quidem antecedens, nec aliud voluit Aristoteles, sed consequentia est nulla; quia fides respectu veritatum, de quibus loquimur, non est de obiecto contingenti, nec etiam ex parte subiecti connaturaliter exigit, imo quamdiu ipsa in subiecto permanet, nec admittit quidem formidinem oppositi, saltem deliberatam, vt proinde ratione obiecti & subiecti nullam eiusmodi habeat cum scientia repugnantiam.

186 Loquendo autem de opinione præcise ex parte medij probabilis, falsum est antecedens. Potest enim aliquis habens euidentiam alicuius conclusionis per demonstrationem, absolute loquendo eidem etiam per medium probabile assentiri. Neque enim idcirco talis assensus non erit opinio, vtpote de cuius ratione non est, vt ex nullo prorsus capite excludatur formido, aut potentia formidandi de opposito, sed solum, vt ipsa opinio ex se non excludat formidinem, sicut etiam de fide respectu euidentiæ diximus.

187 Atque ex his intelligi etiam fortasse potest S. Thomas hic q. 1. a. 4. cum ait, assensum ineuidentem, *si sit cum formidine, esse opinionem; si autem sit cum certitudine, & sine formidine, esse fidem.* Quod etsi de fide solum diuina intelligendum putet Valentia loc. cit. ad 5. nihil tamen obstare videtur, quo minus de fide etiam generatim intelligatur, habente saltem statum perfectum ex parte subiecti, qualem v. g. etiam habet illa fides humana, quod Romæ vel Constantinopolis sit. Quamquã eam nomenclaturam S. Thomæ parum esse vsu receptam, fidemque ac opinionem potius & magis proprie distingui ex parte medij, quod illa nẽpe nitatur authoritate dicẽtis, hæc ratione probabili, diximus supra & tom. 2. disp. 3. q. 4. dub. 1.

DVBIVM VII.

De ordine, distinctione, & incremento veritatum fidei; speciatim, an, & quisnam inter fidei veritates sit ordo; & an ea per certos articulos recte distinguãtur; & vtrum deniq; articuli seu notitia fidei successu temporis creuerit; ita quidem vt Ecclesia etiam hodie nouos aliquos fidei articulos credat, quos Apostoli & Ecclesia vetus non crediderunt.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 6. & 7.

PErtinet hæc itidem dubitatio ad certam quandam conditionem accidentalem obiecti materialis & complexi ipsius fidei; nempe ad ordinem, distinctionem, & progressionem seu antiquitatem veritatum fidei; quæ quia plures quæ-

stiuncu-

stiunculas complectitur, breuiter & distincte ad singulas respondendum est.

188 Primo igitur quæritur, an & quisnam sit ordo inter obiecta complexa seu veritates fidei. Respondeo breuiter: Etsi quidem veritates fidei, ob rationem formalem fidei ex æquo participatam, secundum se omnes æque credibiles sint; ita scilicet vt homo non certius & firmius vni veritati adhæreat, quam alteri; est tamen in ijs quidam ordo, isque triplex; tum dignitatis scilicet, tum necessitatis ad credendum; tum etiam causalitatis; ita quidem vt vna principalius ad fidē pertineat, quam alia, siue quia dignior est; siue quia cum fide, secundum aliquem causalitatis ordinē maiorem connexionē habet; siue quia in ordine ad finem supernaturalē creditu magis necessaria est, loquendo de fide explicita. Hæc doctrina colligitur ex S. Thoma hic q. 1. a. 6. ad 1. & 2. & a. 7. eademque est communis Doctorum sententia.

189 Probatur & declaratur prima pars. Quia omnes veritates fidei ex æquo participant rationem formalem obiecti fidei, quæ est reuelatio diuina, vt dictum dub. 3. Ergo secundum se omnes ex æquo sunt credibiles, & fide diuina dignæ; cum auctoritas Dei reuelantis, respectu omnium, sit æque certa & infallibilis; eiusdemque blasphemię sit, Deum in paruis, vel in magnis rebus mendacē facere. Et hoc est, quod S. Thomas cit. a. 6. ad 2. dicit: *Si ratio formalis obiecti fidei accipiatur ex parte ipsius rei creditæ, sic rationem formalem omnium credibilium esse vnam, scilicet veritatem primam; & ex hac parte articulos* (seu veritates fidei) *non distingui.*

190 ¶ Nec obstat quod quædam fidei veritates solū mediatę & implicite reuelatæ sunt, quatenus scilicet ex duabus reuelatis, vel vna reuelata, & altera euidente euidenter deducuntur, vt dictum dub. 3. Quamuis enim hac ratione, secundum nos quandoque minorem habeant certitudinem (quatenus de euidentia deductionis non ita semper nobis explorate constat) tamen secundum se, si modo vere ponantur à Deo reuelatæ, parem habent certitudinem & infallibilitatem; eaque suppositione facta, non minus fide dignæ sunt, quam aliæ veritates immediate reuelatæ; cum auctoritas diuina in vtrouis modo reuelandi æque sit infallibilis; & vtraque veritas ex æquo à Deo cognoscatur.

191 Nihilominus tamen, quod ad posteriorē partem responsionis nostræ attinet, esse inter obiecta seu veritates fidei quendam ordinem; tum dignitatis, tum necessitatis ad credendum, tum etiam causalitatis, ita facile declaratur. Nam vtique dignius & principalius fidei obiectum est, Deus, & Sanctissima Trinitas, quā homo, aut paradisus, aut quæuis alia res à Deo creata; nobilius item obiectum est homo à Deo creatus & redemptus, quam canis Tobiæ, aut asina Balaam. Neque dubium, etiam inter obiecta fidei quædam maiori necessitate credenda esse per fidem explicitam, puta nimirum, quæ in Apostolorū symbolo continentur, vt dubio sequenti, & pluribus q. 6. dicetur.

192 Tertio denique est etiam in obiectis fidei quidam ordo causalitatis; siue secundum rationem causæ efficientis, si res fidei secundum se suamq; existentiam considerentur; qua ratione Deus & Sanctissima Trinitas est causa efficiens omnium cæterorum obiectorum, ac veritatum fidei de rebus creatis: tum in genere quasi causæ formalis seu obiectiuæ, quatenus secundum nos, ac nostrū modum cognoscendi, vna veritas fidei saltem remote, & per modum applicantis obiectum, est ratio quædam cognoscendi & assentiendi alteri veritati.

193 Quo modo hæ fidei veritates, Deum in dicendo seu reuelando non fallere; item quidquid scriptura sacra docet esse à Deo reuelatum; sunt vniuersalissima quædam principia & velut maximæ; quibus secundum nos aliarum veritatum fidei assensus ac veritas aliquo modo nititur: non quidē quasi fidei assensus, eorum veluti principiorum assensu, formaliter & imediate nitatur; sic enim fides esset discursiua; quod reiecimus dub. 3. sed tum quia eorundem principiorū assensus implicite saltē & virtualiter in quouis assensu fidei cōtinetur; quandoquidem credens aliquid propter diuinam reuelationē, hoc ipso virtualiter credit, verum esse quidquid Deus reuelauit. Tum quia per eiusmodi principia theologico discursu nobis applicantur pleræq; omnes fidei veritates, quas per fidem credimus; ita scilicet vt supposito eiusmodi discursu theologico: Quidquid Deus reuelauit verum est; hoc vel illud Deus in scriptura reuelauit. Ergo, &c. ipsis conclusionibus ita deductis, etiam per fidem assentiri possimus, vt ex instituto docuimus tom. 1. disp. 1. q. 5. dub. 3.

Huc etiam spectat, quod S. Thomas docet a. 7. in generalibus quibusdam fidei veritatibus cæteras implicite cōtineri; hoc ipso, quod hæ quasi quædam explicationes & determinationes sunt illarum. Ait enim; omnes articulos implicite contineri in aliquibus *primis credibilibus*; scilicet vt credatur Deus esse, & prouidentiam habere circa hominum salutem.

194 Secundo quæritur, an & qua ratione veritates fidei per certos articulos generatim distinguantur. Ad hoc Respondetur I. Obiecta seu veritates fidei recte per articulos distinguuntur; ita tamen vt non omnia credibilia, sed ea tantum, quę directe nos ordinant ad vitam æternam, adeoque communiter omnibus credenda sunt, per certos articulos distinguantur. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 6. ex communi. Prima pars probatur & declaratur ex S. Thoma ibidem ad 1. Etenim *aliqua sunt credibilia*, inquit, *de quibus est fides secundum se: aliqua vero sunt credibilia, de quibus non est fides secundum se; sed solum in ordine ad alia; sicut etiam in alijs scientijs quædam proponuntur vt per se intenta, & quædam ad manifestationem aliorum. Quia vero fides est principaliter de his, quæ videnda speramus in patria, secundum illud Hebræ. 11. vers. 1. Fides est substantia sperandarum rerum; ideo per se ad fidem pertinent illa, quæ directe nos ordinant ad vitam æternam; sicut sunt tres personæ Omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis Christi, & alia huiusmodi. Et secundum ista distinguuntur articuli fidei. Quædam vero proponuntur in sacra scriptura vt credenda, non quasi principaliter intenta, sed ad*

prædi-

prædictorum manifestationem : sicut quod Abraham habuit duos filios ; quod ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuus, & alia huiusmodi, quæ narrantur in sacra scriptura, in ordine ad manifestationem diuinæ Maiestatis, vel Incarnationis Christi: & secundum talia non oportet articulos distinguere. Ita Sanctus Thomas.

195 Est ergo ratio primæ partis; quia cætera credibilia, de quibus non est fides secundum se, sed solum in ordine ad alia, hoc est, quæ in scriptura proponuntur vt credenda, non quasi principaliter intenta, & per se, sed ad aliorum manifestationem, sunt propemodum infinita; quæ proinde ad certos articulos reuocari non possunt; nec etiam debent, cum omnibus communiter credenda non sint.

196 Ratio secundæ partis est; quia talis distinctio necessaria est fideli populo, vt secundum eiusmodi articulorum distinctionem, certum fidei symbolum concipi, atque omnibus proponi possit: quod quidem necessarium fuit, tum ob vnionem in fide seruandam, & contrarios hæreticorum errores cautius vitandos; tum vt eiusmodi breui compendio necessariæ fidei veritates facilius ab omnibus addisci possent; & vt vno verbo dicam, ad fidem rerum necessariarum debito & conuenienti modo acquirendam, conseruandam, eloquendam, profitendam, vt fusius dicetur dubio sequenti.

197 Vbi tamen notandum, fidei articulum (quæ vox iuxta S. Thomã loc. cit. à græca voce ἄρθρον; verius & planius à latina voce *artus*, quasi particula membri, seu paruulum membrum, deriuata dicitur) à Theologis dupliciter posse, & nonnunquam solere accipi: primo quidem stricte, pro quibusdam veritatibus fidei principalibus, omnibus communiter credendis: quo modo Sanctus Thomas hic, alijque Theologi communiter ibidem, & in 3. dist. 24. articuli vocem accipiunt.

Secundo accipitur nonnunquam generatim, vt significat quamlibet veritatem à Deo reuelatam, adeoque diuina fide credendam. Quod expresse docet Gabriel in 3. dist. 24. quæstio. vn. his verbis: *Tertio dubitatur, quid sit articulus fidei. Dimissis difficultatibus dico, quod articulus fidei est veritas reuelata in se, vel suo antecedente, pertinens ad Religionem: & ita omnis veritas credenda est articulus fidei.* Eandem significationem agnoscit S. Thomas infra q. 7. a. 6. Vbi in 2. argumento ita loquitur: *Nullus debet examinari de eo, quod explicite credere non tenetur; sed quandoque simplices examinantur de minimis articulis fidei*, (quos scilicet alioqui non omnes credere tenentur) *Ergo &c.* Eandem articuli acceptionem agnoscunt ex sectarijs etiam Paræus in sua disputatione de scripturæ auctoritate, thesi 97. & thes. 117. & Rungius tractat. de norma & iudice fidei cap. 14. vt proinde plane imperite Hunnius Lutheranus Prædicans velut absurdum deriserit, quod in colloquio Ratisponensi Anni 1601. articulum fidei vocauerim, Euangelium Sancti Matthæi esse canonicum, aut Thobiam habuisse canem, &c. vt pluribus dixi in Exam. Hunnianæ relat. cap. 13. & in Apologet. præfat. cap. 13. numero 70.

Respondetur II. Articuli fidei non multiplicantur vel distinguuntur penes rationem formalem obiecti credendi; vt quæ in omnibus eadem est, ex dictis; nec penes ipsa obiecta materialia, secundum se nude spectata; talis enim distinctio non censetur artificialis: sed penes diuersam rationem *non visi*, habentem peculiarem aliquam credendi difficultatem; seu quod idem est, penes eam obiectorum materialium diuersitatem, ex qua ob eorum ineuidentiam, nascitur noua & peculiaris difficultas credendi. Ita Sanctus Thomas citat. quæstione 1. articulo 6. ex communi. Prima & secunda pars patet ex dictis. 198

Vltima pars ex eo probatur; quia sicut articuli proprie dicuntur diuersæ partes alicuius membri, aptæ inter se, ad motum seu actum aliquo modo diuersum colligatæ; ita recte etiam in proposito articuli fidei dicuntur, sententiæ & veritates quædam fidei principales, quæ & potissimum spectant ad nostræ salutis negotium, & ob sui ineuidentiam continent specialem difficultatem ad credendum. Accedit, quod articulorum distinctio accommodata esse debet fidelibus, quorum gratia facta est; ita vt sit illis instar facilis methodi seu regulæ credendi: Ergo vbi noua difficultas est credendi, nouus articulus esse debet: & contra vbi multa secundum eandem rationem sunt cognita, vel non cognita, ibi non sunt articuli distinguendi. 199

Declaratur res exemplo. Quia enim aliam difficultatem habet credere, quod Deus sit passus, & quod mortuus resurrexerit, idcirco distinguitur articulus resurrectionis ab articulo Passionis: quod autem sit passus, mortuus, & sepultus, quia eandem difficultatem habent, idcirco hæc omnia pertinent ad vnum articulum. Verum de speciali enumeratione & recensione articulorum in symbolo, eorumque secundum temporum successionem incremento plura inferius. 200

Tertio quæritur, vtrum articuli secundum successionem temporum creuerint. Ad hoc generatim & breuiter respondet S. Thomas hic q. 1. a. 7. articulos fidei non creuisse quoad substantiã; quia *quæcunque*, inquit, *posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licet implicite: sed quantum ad explicationem, creuit numerus articulorũ; quia quædam explicite cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicite. Vnde Dominus Moysi dicit Exod. 6. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: & nomen meum Adonai* (hebraice *Iehoua*) *non indicaui eis. Et Dauid dicit Psalmo 118. Super senes intellexi. Et Apostolus dicit ad Ephes. 3. In alijs generationibus non est agnitum mysterium Christi, sicut nunc reuelatum est SS. Apostolis eius, & Prophetis.* Ita S. Thomas. Ea vero doctrina cum verissima sit, sequentibus pronunciatis explicatius in hunc modum declaratur. 201

I. Omnia, quæ nunc creduntur, semper ac statim ab initio mundi fuerunt in Ecclesia Dei credita implicite. Ita S. Thomas loc. cit. & Doctores comuniter in 3. dist. 25. Probatur & decla- 202

ratur

ratur; quia omnia quæ credimus, *continentur implicite* in his duobus primis credibilibus, scilicet *Deum esse, & prouidentiam habere circa salutem humanam*; quam fidem omnes iusti semper habuerunt, iuxta illud Hebr. 11. v. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Etenim in esse diuino*, inquit S Thomas, *includuntur omnia, quæ credimus in Deo æternaliter existere; in quibus nostra beatitudo* (obiectiua) *consistit, in fide autem prouidentiæ includuntur omnia, quæ temporaliter à DEO dispensantur ad hominum salutem; quæ sunt via in beatitudinem. Et per hunc etiam modum, aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis continentur: sicut in fide redemptionis humanæ, implicite continentur, & Incarnatio Christi, & eius passio, & omnia huiusmodi.* Ita S. Thomas.

Ex quibus colligitur, veteres olim in duobus dictis articulis, ideo dici implicite credidisse cæteros; non quod ex illis alij colligi & deduci possint; quo modo in principijs implicite continentur conclusiones; sed ob alias causas. I.

203 Quia re ipsa, & ex parte obiecti, cæteri articuli omnes continentur in duobus illis principalibus & communibus articulis, tanquam veritates & conceptus distincti, & minus vniuersales, in confusis & vniuersalioribus. II. Quia nonnulli articuli secundum rem ipsam spectati, continentur etiam in illis, tanquam effectus, siue media, in sua causa efficiente seu finali; vti est creatio rerum respectu Esse diuini, Incarnatio respectu redemptionis &c. III. Ex parte subiecti, hoc ipso, quod quiuis dumvnum articulū fidei credit, velut diuinitus reuelatū, virtualiter ita dispositus est, vt credere paratus sit omnes, hoc ipso, quod eidem rationi formali credendi, quæ est diuina reuelatio, omnes subsunt.

Atque in hunc etiam sensum Irenæus lib. 4. ca. 13. Augustinus Epist. 51. & alij sancti dicunt, eandem fidem esse antiquorum Patrum, & nostram. Idque ipsum est, quod S. Thomas cit a. 7. ait, articulos fidei non creuisse *quoad substantiam*, vt legenti patebit. Nec obstat, quod multi fidei articuli, obiectiue accepti, postea primum & existentiam acceperint, & à Deo reuelati fuerint: nihilominus tamen quia in ipso Deo, & decreto diuino omnes ab æterno continebantur, recte modo explicato ab initio mundi implicitè dicuntur crediti fuisse.

204 II. Actu fidei explicito non eadem semper, sed successu temporis alia atque alia fuerunt patefacta, & credita à fidelibus. Ita S. Thomas cit. a. 7. & Scholastici in 3. cit. dist. 25. Probatur præter ea, quæ ex S. Thoma superius retulimus, ex tota serie, & contextu scripturæ, & historiæ sacræ; ex qua constat, sub lege quidem naturæ circumcisionem Abrahæ primum præceptam & reuelatam fuisse, Genes. 17. v. 12. In lege vero scripta, alia quam plurima Moysi; itemque Dauidi, & alijs Prophetis; de quibus olim explicite nihil constabat. Quibus denique omnibus in nouo testamento accesserunt alia per Christum & Apostolos reuelata; præcipue ad Sacramenta nouæ legis, ac hierarchiam Ecclesiasticam pertinentia, quæ olim ita expresse reuelata non erant, multo minus explicite ab omnibus credita.

III. Tempore proinde legis Euangelicæ, fidei 205
prædicatio ac notitia perfectum statum accepit; ita quidem, vt hoc ipso etiam titulo status nouæ legis perfectior sit statu legis naturæ, vel scriptæ. Ita S. Thomas, alijque Scholastici ibidem. Et patet tum ex citato ad Ephes. 3. Tum quia etiam idcirco lex Euangelica vocatur *lex fidei* & gratiæ. Et denique Apostolus Heb. 7. v. 19. ob eandem causam dicit, legem *nihil ad perfectum adduxisse*; addens homines sub ea vixisse, quasi pueros sub pædagogo; iam verò non amplius esse sub pædagogo, ad Galatas 4. v. 1.

IV. Nec dubium est, in statu legis gratiæ Apostolos habuisse explicatissimam cognitionem 206
mysteriorum fidei; ita quidem vt nullus ex posterioribus Doctoribus perfectius aut explicatius fidei mysteria cognouerit, quam Apostoli. Probatur ex scriptura Ioannis 14. v. 26. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis*; Ioannis 15. v. 15. *Omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioannis 16. v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnē veritatem.* Rom. 8. v. 23. *Sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, &c.* 2. Cor. 3. v. 18. *Nos vero omnes reuelata* (non, vt Moyses, velata) *facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à charitate in charitatem, tanquam à Domini spiritu.* Ephes. 1. v. 8. *Secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis, in omni sapientia & prudentia.* Et Ephes. 2. v. 20. ob eandem causam, fideles omnes dicuntur *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Denique huc spectat cit. locus Ephes. 3. v. 5. vbi expresse dicitur; *quod* (mysterium Christi) *aliis generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis, in spiritu.*

Idē docet SS Patres passim speciatim Ambrosi9, Augustinus, Anselmus in citatū illud ad Ephes. 1. & Gregorius hom. 16. in Ezechielē. Error est igitur in fide dicere Apostolos non percepisse sensū spiritualē Euāgelij, sed illū postea primū intellectū fuisse, vel à S. Benedicto, vt dixisse fertur Abbas Ioachim; vel à S. Francisco, vt dixit q dā Petrus Ioañes apud Alphōsum à Castro V. *Apostoli* hęresi 1.

Illud tamē quod dicitur, Apostolos cognouisse per Spiritū sanctū omnē veritatē, ad fidei doctrinā spectantē, nō ita accipiendū est, quasi ipso statim die Pentecostes omnia cognouerint, sed successiue loco & tempore conuenienti. Constat enim, Apostolos postea primum Concilium celebrasse, de cessatione legalium Actorum 15. & Petrum conuersionem Gentium & quæ ad illā pertinent, noua primum reuelatione didicisse Act. 10. vt notauit Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 6. Hæc vero omnia cū inter Catholicos certa sint & indubitata, duo supsūt hac in re dubia, & cōtrouersa.

Primo dubium est, vtrum absolute loquendo, 207
quo fuerunt homines Christo viciniores, vel antecedenter, vt Ioannes Baptista, vel consequenter vt Apostoli, eo plenius fidei mysteria cognouerint. Affirmat enim absolute S. Thomas hic a. 7. ad 4. Et rationem congruam addit, quia & circa statum hominis, *hoc videmus*, inquit, *quod perfectio est in*

est in iuuentute (seu virili ætate) *& tanto habet homo perfectiorem statum, vel ante, vel post, quanto est iuuentuti propinquior.* Idem ergo quoad perfectionē spiritualem sentiendum de tempore Christi, in quo facta est consummatio gratiæ, & quod vocatur *tempus plenitudinis*, ad Galat. 4.

Accedit quod eo magis quisque illuminatur, quo lumini propior est, Est autem Christus *lux vera*, quæ in hunc mundum venit.

208 Respondeo tamen breuiter, cum Deus libere agat, ac pro arbitrio voluntatis suæ disponat omnia, nullam hic vndequaq; certam ac necessariā regulam assignari posse. Interim tamen supponēdo, quod hic agatur de maiori cognitione rerum fidei infusa & supernaturali (vt excludatur tum naturalis cognitio rerum, olim Adamo infusa, tum etiam scientia Theologica, quam Gregorius de Valentia hic cit. q. 1. pun. 6. ait *indies in Ecclesia augeri*) dici potest, veram esse S. Thomæ sententiam, duabus declarationibus.

Prima, vt intelligatur seruata debita proportione comparando paria cum paribus; videlicet capita cuiusque status (naturæ, legis scriptæ, & Euangelicæ) cum capitibus alterius status, minores cum minoribus. &c. idq; etiam habita ratione temporis, quo in vnoquoq; statu, magis vel minus Religio floruit. Colligitur enim ex scriptura Religionem etiam sub eodem statu, non semper eodem modo floruisse, sed subinde non quidem omnino extinctam, attamē aliquo modo obscuratam; ac mox postea rursum instauratam fuisse. In quē sensum intelligitur illud Genesis 4. v. 62.

209 *Seth natus est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini*, nimirum peculiari quodam ac solemni cultu. Ita postea rursum deficiente Religionis studio, refloruit Religio per Noe; postea per Abraham, & rursum per Moysen &c.

Secunda declaratio est, vt doctrina S. Thomæ accipiatur regulariter, & vt plurimum, seu à toto genere: quod bene etiam notauit Carthusianus eandem doctrinam S. Thomæ referens in 3. d. 25. q. 1. Sic ergo loquendo de maioribus; Adam v. g. explicatiorem fidem habuit post lapsum, quam antea; quo videlicet tempore nondum cognouit mysterium Passionis Christi. Sic Abraham, propter reuelationē Incarnationis futuræ ex suo semine, explicatiorem, quā Adam; sic Moyses explicatiorem, quam omnes priores, etiā Prophetæ, vt colligitur Exodi 6. Sic Ioannes Baptista & Apostoli explicatiorem, quam Moyses; quorum ille fuit *plusquam Propheta*; hi vero *fundamenta* quædam Ecclesiæ Christianæ. Sic etiam vniuersim tempore legis naturæ, multo minor à toto genere erat cognitio rerum supernaturaliū

210 in Ecclesia Dei, quam tempore legis scriptæ. Rursum tempore constitutæ iam Synagogæ, sub Regibus, à toto genere ob multitudinem Prophetarū eius temporis, puta Dauidis, Eliæ, Elisæi &c. maior adhuc erat in Ecclesia cognitio mysteriorum fidei, quā antea. Deniq; Christi & Apostolorum tempore, multo maior, quā vnquam antea.

Interim tamē nihil obstat, quo minus Moyses, Samuel, Dauid, habuerint fidē explicatiorē, quā multi Prophetæ posteriores. Similiter non multū fortassis aberrauerit, qui dixerit, nunc occasionē hæreseon emergentium, multis in rebus fidem in Ecclesia magis explicatam haberi, quam multis retro temporibus. In quem sensum etiam Vincentius Lyrinensis contra hæreses cap. 17 ait, *in Ecclesia nulla noua dogmata procudi, sed pretiosam diuini dogmatis gemmam exsculpi, fideliter coaptari, adornari sapienter, vt intelligatur illustrius, quod antea obscurius credebatur.*

Secundo dubitatur, vtrum omnino Ecclesia 211
successu temporis, nouos aliquos fidei articulos credat, quos Apostoli & Ecclesia vetus non crediderint. Respondeo breuiter; distinguendo inter veritates seu obiecta fidei, quædam enim sunt particularia & contingentia fidei obiecta, quæ tempore Apostolorum nec dum existebant. Alia sunt communia fidei obiecta, quę iam etiā tempore Apostolorū particulatim reuelata erant. Loquēdo de posterioribus, certū est, nullum tale obiectum in Ecclesia credi, adeoque nec credendum proponi posse, quod non etiam explicite cognouerint & crediderint Apostoli, vt ex dictis superius colligitur, & docent etiam SS. Patres, Irenęus l. 3. c. 2. Hieronymus in psalmum 86. Lyrinensis loc. cit. & alij plures, quos refert Waldensis l. 2. doctrinalis c. 2. qui etiam hoc sensu recte dicit, Ecclesiam *non posse nouum articulum condere* quod communiter etiam docent scholastici in 3. dist. 25.

Atque eodem sensu Canus l. 2. locorum theolog. c. 7. & l. 4 c. 4. & Castro in suma c. 8. negāt, expectandam iam esse aliquam nouam reuelationem veritatis incognitæ Apostolis, aut posse etiā aliquid noui definiri ab Ecclesia Apostolis incognitum. Omnia enim similia, quæ definiuntur, licet non ita palam antea omnibus in Ecclesia nota essent, Apostolis tamen incognita non fuerunt, vt recte notauit Gregorius de Valentia loc. cit.

Loquendo autem de prioribus veritatibus, re 212
ipsa certum est apud omnes, posteriorem Ecclesiā quædā eiusmodi posse ac debere diuina fide credere, quæ initio, tempore Apostolorū, explicite ac in particulari cognita non erant. Talia sunt v. g. hunc vel illū librum noui testamenti esse Canonicū, & verbū Dei. Cum enim libri canonici initio Ecclesiæ scripti nō fuerint, nec omnes postea simul, sed successiue, & quidē nonnulli, aut omnib⁹ cæteris, aut plerisq; Apostolis iam defunctis, vt Apocalypsis, & Euangelium Ioannis, manifestū est, explicitā fidē quoad hæc obiecta in Ecclesia successiue creuisse; id quod nec Sectarij quidē hodie negauerint: cum præsertim credibile non sit, omnes ac singulos Apostolos, res eiusmodi per reuelationes peculiares cognouisse & credidisse, prius quam fierent. Talia sunt etiam illa, Concilium Nicænum, Ephesinum, &c. esse legitima, & infallibilis auctoritatis; hunc vel illum Pontificem legitime electum esse verum Pontificē, vel Caput Ecclesiæ; hos vel illos Sanctos rite canonizatos vere Sanctos esse, & colendos, vt inferius q 3. ex probabiliori sententia dicetur.

Hoc cum in re, vt dictum, apud omnes constet 213
de nomine potest esse quæstio, an dici possit, Ecclesiā habere, aut credere nunc aliquos articulos nouos, ab Apostolis explicite nō creditos. In qua

quidem

quidem re retinendus est ille modus loquendi, qui hactenus ab omnibus Theologis fuit receptus, nimirum Ecclesiam non habere nouos eiusmodi articulos, nec noua dogmata, vt paulo superius ex Vincentio Lirinensi, & alijs retulimus.

214 Ratio est, non solũ quod eiusmodi veritates omnes, iã olim implicite credebantur etiã ab Apostolis, vtpote in vniuersalibus illis cõtentę, Sãctos colendos, libros ab Ecclesia in Canonem receptos continere verbum Dei, Ecclesiæ Romanæ Episcopos esse legitimos Petri Successores, ac totius Ecclesiæ Pastores &c. nec etiam ideo tantum, quia per articulos fidei communiter intelliguntur veritates quædam primariæ fidei, vt superius dictũ: sed etiam quia reuera, proprie loquendo, eiusmodi res non creduntur propter nouam reuelationem, (sine qua nouus articulus fidei esse non potest) sed propter generales illas, per sententiã Ecclesiæ & assistentiam Spiritus sancti ad nouas illas veritates in particulari applicatas.

215 Quoties enim nouæ eiusmodi veritates per fidem credendæ inuestigantur, necesse est vt id fiat mediante aliquo discursu; in quo maioris propositionis loco assumatur, generalis quædam fidei veritas, iam antea reuelata; ex qua per minorem, aut euidentem, saltem moraliter, aut certe ex infallibili Spiritus sancti directione certam, applicatâ ad materiam particularem, quæ definienda est, inferatur conclusio credenda. Quo fit, vt postea ratio assentiendi proprie non sit illa declaratio Ecclesiæ; loquendo de assensu fidei secundum se; sed reuelatio in maiori posita, sub qua materiam propositam comprehendi, ex Ecclesiæ velut obiectum fidei proponentis declaratione intelligitur, vt pluribus dicetur quæst. sequent. Secus est de alijs veritatibus fidei etiam minimis, quæ in scriptura aperte & secundum se etiam reuelatæ sunt; quas generatim articulos fidei, & quidem ab alijs distinctos, dici nil impedit, vt supra dictum.

216 Dices; illammet attestationem Ecclesiæ, qua per infallibilem assistentiam Dei declarat, hunc vel illum Sanctum vsque ad finem vitæ in gratia Dei perstitisse, esse nouam reuelationem, hoc ipso quod nititur noua quadam assistentia Dei, qua fit, vt Ecclesia in rebus eiusmodi declarandis ac proponendis errare non possit.

Respondeo, negando assumptum. Quia reuelatio diuina continet quidem tum internã notitiã diuinam de aliqua veritate, tum etiam externa signa, quib[9] Deus suamet auctoritate eiusmodi veritatẽ mente conceptã notificat: at verò nõ comprehendit auctoritatem seu attestationem Ecclesiæ, aliáue signa externa, quibus homines suo arbitratu ac propria auctoritate, estõ infallibili & diuinitus accepta, diuinam mentem pandunt, siue proponendo antiquam reuelationẽ iam olim factam, siue eam ad certam materiam particularem applicando, vt dictum dub. 3.

In quem sensum etiam S. Thomas 1. part. q. 1. a. 8. ait: *fidem nostram inniti reuelationi Apostolis & Prophetis factæ qui Canonicos libros scripserunt; non autem reuelationi, si qua fuit alijs Doctoribus facta*; adeoque nec propositioni Ecclesiæ, tanquam rationi formali credendi, sed solum velut conditioni formale obiectum fidei proponenti, & ad certã subinde materiam applicanti, vt pluribus dictum vt dub. 3.

Quod ipsum etiam ex eo confirmatur. Nã assi- 217
stentia illa Dei, qua Ecclesiæ adest, ne in eiusmodi rebus fidei proponendis erret, per se non dicit, nec requirit positiuã inspirationem, seu locutionẽ diuinã ipsi Ecclesiæ factã, sed contenta est quouis auxilio Dei, etiã mere negatiuo, quo fit vt Ecclesia ijs in rebus errare non sinatur; cũ tamen noua reuelatio vtique nouã inspirationẽ seu locutionem Dei aliquid positiue notificãtem significet, ita vt quãuis historiographi sacri non existimentur singula ex speciali reuelatione Dei accepisse, certe tamẽ ad totũ illud scriptionis negotiũ diuinitus impulsi, nec alio, quã diuino nomine & auctoritate qdquã scripsisse & notificasse credãtur.

DVBIVM VIII.

De triplici Symbolo fidei; ac speciatim vtrum articuli fidei conuenienter enumerentur & proponantur in symbolo Apostolorum.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 8 & 9.

218 REspondet S. Thomas cit. a. 8. & 9. articulos fidei conuenienter enumerari, ac in Apostorum symbolo ab omnibus fidelibus proponi credendos. Quia *Ecclesia vniuersalis*, (inquit a. 9. argum. *sed contra*) *non potest errare; quia Spiritu Sancto gubernatur, qui est Spiritus veritatis. Hoc enim promisit Dominus discipulis Ioannis 16. dicens: Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: sed symbolum est auctoritate vniuersalis Ecclesiæ editum, nihilergo inconueniens in eo continetur.* Ita S. Thomas; quem recte notat Caietanus ibidem pro eodem habere auctoritatem Ecclesiæ vniuersalis, generalis Synodi & Papæ. Cæterũ vt res hæc tota paulo distincti[9] cognoscatur, sequẽtes assertiones statuimus; suppositia notione articuli fidei, articulosq; distinguendi ratione ex dubio præcedenti.

219 ASSERTIO I. Possunt quidem articuli fidei omnibus explicite credendi numerari, siue quatuordecim, siue etiam duodecim; nulla rei diuersitate, sed sola numerandi ratione variata: attamen posterior numerandi ratio apud commune vulgus simpliciter retinenda est. Ita fere S. Thomas cit. q. 1 a. 8. alijque Theologi in 3. d. 25. Probatur & declaratur assertio. Primo enim recte numerari articulos quatuordecim, tradit ipse S. Thomas ex sua sententia; quam etiam sequuntur Scotus, & plures alij Scholastici veteres. Ratio est. Cum enim per fidem, tanquam per se necessario credenda, duo nobis generatim proponãtur, scilicet *occultum diuinitatis* (vt loquitur S. Thomas a. 8) *cuius visio nos beatos facit; & mysterium humanitatis Christi, per quem in gloriam filiorum DEI accessum habemus, vt dicitur ad Roman. 5.* quæ

duo idcirco etiam simul coniunguntur Ioannis 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te DEVM verum; & quem misisti IESVM CHRISTVM*; ideo prima eaque generalissima veritatum & articulorum fidei distinctio est, quod *quidam pertinent ad Maiestatem diuinitatis; quidam vero pertinent ad mysterium humanitatis Christi; quod est pietatis Sacramentum, vti dicitur 1. ad Tim. 4.*

220 *Circa Maiestatem autem diuinitatis*, inquit Sanctus Thomas ibidem a. 8. *tria nobis credenda proponuntur. Primo quidem vnitas diuinitatis; & ad hoc pertinet primus articulus. Secundo Trinitas personarum; & de hoc sunt tres articuli, secundum tres personas. Tertio vero proponuntur nobis opera diuinitatis propria; quorum primum pertinet ad esse naturæ; & sic nobis proponitur articulus creationis. Secundum vero pertinet ad esse gratiæ; & sic proponuntur nobis sub vno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam. Tertium vero pertinet ad esse gloriæ: & sic proponitur nobis alius articulus de resurrectione carnis, & de vita æterna: & ita sunt septem articuli ad diuinitatem pertinentes.*

Similiter etiam circa humanitatem Christi ponuntur septem articuli; quorum primus est de Incarnatione, siue de conceptione Christi. Secundus de Natiuitate eius ex Virgine. Tertius de Passione eius, & morte, & sepultura. Quartus est de descensu ad inferos. Quintus est de Resurrectione. Sextus de ascensione. Septimus de aduentu ad iudicium. Et sic in vniuersum sunt quatuordecim. Hactenus Sanctus Thomas. Quo modo etiam loquuntur, & docent Scotus in 3. distinct. 25. quæstione 1. aliique scholastici veteres.

221 Posterior pars assertionis ex eodem Sancto Thoma cit. articulo 8. ita declaratur. Nam *quidam*, inquit, *distinguunt duodecim articulos fidei: sex pertinentes ad diuinitatem: & sex pertinentes ad humanitatem. Tres enim articulos trium personarum comprehendunt sub vno; quia eadem est cognitio trium personarum. Articulum vero de opere glorificationis distinguunt in duos, scilicet resurrectionem carnis, & gloriam animæ. Similiter articulum conceptionis, & Natiuitatis coniungunt in vnum.*

222 Eadem fere ratione Scotus in 3. distinctione 25. quæstione 1. vtramque numerandi rationem admittens ait: *Sciendum quod si articuli distinguantur, quantum ad ipsa credita, sic sunt quatuordecim articuli. Si autem distinguantur secundum numerum illorum, qui primum articulos distinxerunt, sic sunt duodecim, secundum numerum duodecim Apostolorum.* Ita Scotus. Ex quibus patet, hanc numerandi diuersitatem non concernere rem ipsam, sed solum diuersum modum distinguēdi & numerandi.

223 Quia tamen in rebus ad Catechismum spectātibus, nihil insolens & inconsuetum auribus vulgi inferendum est, ob vitandum scandalum, & perturbationem fidelium, idcirco in praxi & publica symboli recitatione ac expositione, retinendus est communis Ecclesiæ præsentis vsus, articulos duodecim numerantis, vt videre est non solum in omnibus catechismis vulgaribus, sed speciatim etiam in Romano; & fecit olim etiam Sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 34. & 64. & lib de fide ac symbolo cap. 4. præter alios Patres inferius referendos.

224 Assertio II. Articuli fidei, omnibus fidelibus communiter credendi, recte ab Apostolis in vnam quandam synopsin, velut credēdi regulam, ac fidei Christianæ summam collati sunt; quæ idcirco symbolū Apostolorum dicitur: & pia ac probabilis opinio est, à singulis Apostolis singulos articulos fuisse compositos, & in eā credendi formam collatos.

Prima pars traditur à S. Thoma hic q. 1. a. 9. & est apud Catholicos extra controuersiā; adeo vt non possint ab insigni temeritate excusari huius temporis Nouatores, qui negant, Apostolos id symbolum edidisse; occasione forte sumpta ab Erasmo, qui in prologo paraphrasis in Matthæum, cœpit hac de re dubitare, contra certam & testatam omnium Patrum sententiā; Clementis epist. 4 ad Iacobum & l. 7. constit. Apostolicarum c. 4. Irenæi l. 1. contra hæreses c. 2. & l. 3. c. 4. Epiphanij hæresi 68. Leonis serm. 11. de passione & epist. 8. 13. & 25. Chrysostomi hom. 12. de symbolo, Ambrosij l. 1. de Spiritu sancto, & epistola 81. & serm. 38. Maximi homilia de traditione symboli, & aliorum; quibus accedūt omnes scholastici in 3. dist. 23. & 25.

Ratio est; quia cum ad salutem necessarium sit, sanam & incorruptam præcipuorum eiusmodi fidei articulorum fidem ac notitiam habere, necessarium fuit, eos in breuē quandam epitomen cōtrahi, atq; ita fidelibus omnibus credendos proponi, vt recte notauit S. Thomas cit. a. 9. De qua re plura Bellarminus lib. 4. de verbo Dei c. 4.

225 Et quamuis dubium non sit, Apostolos in eiusmodi symbolo constituendo, singulari ductu spiritus sancti fuisse gubernatos, vt articulos fidei omnibus creditu necessarios quam cōmodissime exprimerent; non tamen ideo symbolū illud Apostolorum censetur scriptura canonica, vt ex cōmuni recte notat Gregorius de Valentia q. 1. pun. 5. non solum quia, vt ipse ait, Apostoli id, immediate, & quasi verbo tenus dictante spiritu sancto, non scripserunt (id enim ad rationē scripturę canonicę vniuersim forte necessarium non est, vt videre est apud Bellarminum l. 1. de verbo Dei cap. 15. ad 2.) sed quia non apparet, id vel ab ipsis Apostolis; vel his ex instituto dictantibus, ab alijs scriptum fuisse: vt quod idcirco ad nos non aliquo Apostolorum scripto, sed traditione peruenisse dicitur. In quem sensum etiam Augustinus l. 1. de symbolo cap. 1. ait: *Symbolum nemo scribit, vt legi possit, sed ad recensendum, ne forte deleat obliuio quod tradidit diligentia. Sit vobis codex vestra memoria &c.* Quare illud sine scripto ab Apostolis traditum esse, testantur etiam Hieronymus epistola 61. ad Pammachium, Ambrosius epist. 81. ad Siricium, & idem Augustinus de fide & operibus c. 9.

Neque refert; quod in symbolo nullus ponitur distinctus articulus de Sacramento Eucharistiæ; 226 quod tamen præ multis alijs fidei articulis, præcipuam habet difficultatē. Ad hoc enim respondet S. Thomas a. 8. ad 6. in Sacramento Eucharistiæ duo posse considerari: *vnum scilicet quod sacramentum est; & hoc habet*, inquit, *eandem*

ratione cũ alijs effectibus gratiæ sanctificantis. Aliud est, quod miraculosè ibi corpus Christi continetur: & sic concluditur sub omnipotentia; sicut & omnia alia miracula, quæ omnipotentiæ attribuuntur. Ita sanctus Thomas.

Addi potest, in symbolo ea tantum dogmata fuisse posita, quæ per se, & non tantum per accidens, ob praxin, de Deo, Christo, ac humana redemptione cognoscenda & credenda essent; qua proinde ratione, nec mysterium Eucharistiæ, aut pœnitentiæ Sacramentum, nec cætera intrinsece ad praxin pertinentia, in symbolo speciatim fuerunt expressa.

227 Posterior assertionis pars traditur à S. Thoma, Scoto, & Gabriele in 3. dist. 25. qui eiusmodi articulorum distinctionem singulis Apostolorũ sigillatim respondentium commemorant: eademque est communis pia fidelium persuasio. Quæ imprimis sumitur ex Augustino sermone 115. de tempore vbi ait: *Quod græcè Symbolum dicitur, latinè collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in vnum totius Catholicæ legis fides, Symboli colligitur breuitate, cuius textum vobis modo Deo annuente dicemus. Petrus dixit, Credo in Deum Patrem Omnipotentem. Ioannes dixit, Creatorem cœli & terræ. Iacobus dixit, Credo & IESVM Christum filium eius vnicum Dominum nostrum. Andreas dixit, Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex MARIA Virgine. Philippus ait, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas ait, Descendit ad inferna, tertia die resurrexit à mortuis. Bartholomæus dixit, Ascẽdit ad cœlos, sedet ad dexterã Dei Patris Omnipotentis. Matthæus dixit, Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Iacobus Alphæi; Credo & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Iudas Iacobi, Carnis resurrectionem. Matthias compleuit, Vitam æternam, Amen.*

228 Et licet à quibusdam dubitetur an is sermo sit Augustini, id tamen non multum interest, cum de ijsdem singulis duodecim Apostolorum distinctis articulis, suppetant etiam aliorum Patrũ testimonia, speciatim Leonis epistola 96. ad Pulcheriam, Venantij Fortunati præfatione ad expositionem symboli, Alcuini de officijs Ecclesiasticis cap. 22. Rabani de institutione Clericorum lib. 2. cap. 56.

In qua sententia consequenter etiam dicendũ erit, symbolum illud ab Apostolis confectum fuisse, non solum ante dispersionem Apostolorum, sed etiam ante necem Iacobi, vt bene notauit Baronius Anno Christi 44. Tametsi quidem hæc sententia non sit omnino certa; de qua proinde etiam non est magnopere contendendum: modo illud generatim fixum maneat; symbolum illud verè ab Apostolis fuisse profectum; siue interim à singulis Apostolis singuli articuli fuerint compositi, vt dictum; siue potius communi Concilio & decreto, ante factam eorundem diuisionem, omnes ab vno, vel omnes ab omnibus; id enim non ita certò constat.

229 Ex quibus etiam colligitur, vnde Symboli appellatio desumpta fuerit. Dicitur enim symbolum Apostolorum, vel quod singuli ad illud perficiendum suam quasi contulerint symbolam, à græco verbo συμβάλλω, *confero:* vel quod Christiani eo velut symbolo ac tessera militari à cæteris dignoscerentur, vt pluribus persequitur Ruffinus in præfatione expositionis symboli.

Vbi etiam illud postremo notandum, tametsi quidem communiter, & vt docet S. Thomas a. 9. ad 5. rectius dicatur, *Sanctam Ecclesiam*, non, *In sanctam Ecclesiam*; tamen nec hanc quidem lectionem reijciendam; quidquid eam derideat Erasmus in colloquio de fide, professus se non credere in Ecclesiam: ita enim legunt Epiphanius in Anchorato, Augustinus epistola ad Neophytos, & refertur de Consecrat. dist. 4. can. 1. item Hieronymus contra Luciferianos, & in epistolam ad Philemonem, & Chrysostomus hom. 6. de symbolo. Qui duo recte etiam notant, particulam *In*, iunctam cum vocula *Credere* non semper significare formalem ac supremam rationem credendi, quæ est Deus; sed aliquãdo vnũ ex credendis, vel etiam auctoritatem proponentem fidem, vt patet ex Epistola ad Philemonem vers. 5. *Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino IESV, in omnes Sanctos.* Item 1. Ioannis 5. v. 10. *Quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus.* Et denique Exodi 14. vbi nos legimus: *Et crediderunt Domino, & Moysi seruo eius*, in textu hebraico est, *Crediderunt in Deum, & in seruum eius Moysen.* 230

Assertio III. Præter symbolum Apostolorũ, de quo superius actum, recte etiam in Ecclesia solemni ac publico vsu celebrantur & vsurpantur duo alia symbola, Nicænum scilicet, & S. Athanasij. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 9. ad 6. vbi ait: *Symbolum Patrum* (siue Nicænum) *est declaratiuum symboli Apostolorum; & etiam fuit conditum, fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente: propter hoc publice in Missa cantatur. Symbolum autem Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata, occulte dicitur in Prima, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum & futurorum.* Et a. 10. ad 3. docet, Symbolum Athanasij tametsi non habeat auctoritatem irrefragabilem, tanquam infallibilis regula fidei, quatenus præcise ab Athanasio conscriptum est, habere tamen quatenus Summi Pontificis, seu Ecclesiæ authoritate comprobatum ac receptum est. *Athanasius*, inquit, *non composuit manifestationem fidei per modum symboli; sed magis per modum cuiusdam doctrinæ; vt ex ipso modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem eius doctrina breuiter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta, vt quasi regula fidei habeatur.* 231

Ratio assertionis est; quia necessarium est, pro varia occurrentium errorum necessitate, accommodatas cuiuis tempori fidei formulas habere; quibus velut antipharmacis grassantium errorum virus propulsetur; dummodo & hæ ipsæ formulę credendi inter se non pugnent, adeoque veritati vndique consentiant, & auctoritate legitima Summi Pontificis, seu Ecclesiæ proponantur, vti in duobus illis symbolis accidit. 232

In quem sensum recte etiam S. Thomas art. 9. ad 2. ait: *In omnibus symbolis eadem docetur fidei ve-*

ritas: sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate, vbi errores insurgunt: ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit causa, quare necesse fuit edere plura symbola; quæ in nullo alio differunt, nisi quod in vno plenius explicantur, quæ in alio continentur implicite, secundum quod exigebat hæreticorum instantia. Ita Sanctus Thomas.

233 Vbi Notandum est primo, symbolum Nicænum vocari illud, quod in Concilio Nicæno ad fidem orthodoxam, aduersus Arrianos, tuendam & profitendam, conscriptum est; cuius quidem præcipuum architectum fuisse Magnum quondam Hosium, ipsius Synodi Principem, ex Athanasio epist. ad solitarios docet Baronius Anno Christi 325. qui etiam ex eodem Athanasio epist. ad Iouianum Imperatorem, Basilio epist. 78. alijsque scriptoribus antiquis, symbolum illud his verbis recitatum exhibet: *Credimus in DEVM Patrem Omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem. Et in Dominum IESVM CHRISTVM filium DEI, natum ex Patre, & Vnigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, & consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, tam in cœlis, quam in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos, venturus inde ad iudicandos viuos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.* Hactenus Symbolum Nicænum; quod quidem, velut vniuersalis ac legitimi Concilij autoritate editum, infallibilem habere auctoritatem nemo orthodoxorum dubitat, sed negant solum nostri temporis Arriani & Trinitarij, contra quos disseruimus tom. 1. disp. 4. q. 1. Qua vero ratione idem symbolum postea fuerit auctum, dicetur assertione sequenti.

Notandum secundo, Symbolum Athanasij ab
234 eodem latino sermone conscriptum fuisse Romę, vt eâ quasi publica Catholicæ fidei professione, Romano se Pontifici, quo citatus aduenerat, se probaret. Quod symbolum cum in Romano Ecclesiæ archiuo, vna cum actis Synodi tunc ibidem habitæ collocatum, longo tempore delituerit, inde factū est, vt ab antiquioribus Patribus, seu græcis, seu latinis citatum vix reperiatur, cum tamen postea, cum in lucē publicā emersisset, magno vbiq; cōsensu, tū à Latinis omnib⁹, tū à Græcis publice receptum in Ecclesia fuerit: nisi quod à Græcis, suo iam errori addictis pars illa symboli dempta fuerit, qua dicitur Spiritum Sanctum *à Patre Filioq; procedere*; eo falso prætextu, quasi ea
235 verba nuper à Latinis superaddita fuerint: cum tamen ex Capitulo primo Concilij Toletani IV. liquido appareat, etiam ante annos propemodum mille, nondum exorto schismate græcorum ea verba, ita vt nunc se habent, in eodem symbolo legi consueuisse, vt refert Baronius Anno Christi 340.

Quo spectat, quod Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Athanasij dicit eum composuisse *perfectissimam fidei confessionem, quam totus & occidens, & ortens venerantur*; quodq; Augustinus in psalmum 120. (vndecunq; tandem eius symboli exempla adeptus) nominatim Athanasium Episcopum Alexandrinū citans, integrum versiculum hui⁹ symboli adducit: ac simul sine nomine Athanasij, vtitur integris sententijs hui⁹ Symboli, tanquam in Ecclesia Africana notissimi l. 5. de Trinitate c. 8. & epist. 174. ad Pascentiū, & in Enchiridio c. 36. & sermone 295. de tempore; vt proinde de huius etiam symboli auctoritate iure dubitari non possit, vt recte obseruauit Bellarminus l. 2. de Christo c. 25.

Assertio IV. Quin etiamlicuit Ecclesiæ, seu 236
Summo Pontifici, saltem cum auctoritate Synodi generalis, semperq; licebit, pro opportunitate temporum, nouam aliquam symboli editionem seu formulam condere; in qua propter insurgentes in Ecclesia hæreses aliquid ad fidē spectans magis declaretur; modo interim caueatur, ne tali innouatione scandalum, aut perturbatio oriatur. Ita S. Thomas hic q. 1. a. 10. vbi aît: *Noua editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatē pertinet editio symboli, ad cuius auctoritate pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis &c. & ideo ad solam auctoritatem summi Pontificis pertinet, noua editio symboli; sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare Synodum generalem, & alia huiusmodi.*

Nec obstat, quod in concilio Ephesino tom. 237
2. cap. vlt. & in Calcedonensi actione 4. sub anathemate prohibetur, ne alia fides proferatur, vel conscribatur, vel componatur, *præter definitā à Patribus* Nicænæ Syndi. Nam vt bene respondet S. Thomas cit. a. 10. ad 2. prohibitio illa spectat (solum) *ad priuatas personas, quarum non est determinare de fide. Non autem per huiusmodi sententiam Synodi, ablata est potestas sequenti Synodo, nouam editionem symboli facere; non quidem aliam fidem continentem, sed eandem magis expositam. Sic enim quælibet Synodus obseruauit, vt sequens Synodus aliquid exponeret supra id, quod præcedens Synodus exposuerat; propter necessitatem alicuius hæresis insurgentis.* Ita S. Thomas.

Vnde etiā confirmatur assertio. Ita enim Con- 238
cilū Constantinopolitanū I. ad illa verba symboli Nicæni, *Et in Spiritum Sanctum* addidit, *Dominum viuificantem, qui ex Patre procedit*: & Concilium Chalcedonense similiter & addidit quædam, & detraxit. Qua ratione etiam ante annos plus quingentos, legitima autoritate Ecclesiæ, adgręci palam grassantis schismatis publicam detestationem, idem Nicænum symbolum publicè in tota Ecclesia latina decātari cœpit, addita ad verba illa, *Qui ex Patre procedit* particula *Filioq;*. Cum quo additamento, etiam receptum fuit in Concilio Toletano VIII. & in Synodo VII. actione 7. licet quando, vel à quo Pontifice hęc additio primū fit facta, non satis constet. Manuel Caleca quidē l. 4. contra Græcos id Damaso Pontifici tribuit: quod negat Bellarminus l. 2. de Christo c. 21.

Spondanus vero ex Baronio Año Christi 447. 239
id Concilio Toletano I. tribuere videtur, cū ait: *Magna obseruatione dignum est, quod reperiatur illud ab eis primum superadditum fidei symbolo de Spiritu*

Sancto,

Sancto, qui à Patre Filioq; procedit. Verum haud suapte, inquit, id fecere auctoritate, sed ex verbis Epistolæ ad eos scriptæ (epistola 93. cap. 1.) *à S. Leone Papa: in qua cum damnatur Priscillianistarum error, quo impie dicerent, Patrem, & Filij, & Spiritus sancti, vnam atq; eandem esse personam, Spiritus sanctus declaratur de Patre & Filio procedere. Porro ea semel verba, auctoritate Romani Pontificis, addita ab Hispanis Symbolo, aduersus Priscillianistas, eidem semper inhæserunt, ac pertransierunt postea ad Wisigothos Catholicos, qui & Iudæos ad Christianam fidem venientes sub eiusdem Symboli confessione esse recipiendos, suis legibus sanciuerunt: itemque in alijs Toletanis Concilijs sub Gothorum Regibus celebratis obseruatum est. Sicut & apud Francos eadem in Symbolum accepta esse apparet, ex Symbolo fidei sub Carolo Magno, in Arelatensi Synodo recitato: licet Romana Ecclesia antiquitatis tenacissima, diutissime cunctata sit, ea in Symbolum inferre. Donec sub Benedicto VII. ad instantiam Imperatoris Henrici (vt tradit Berno Abbas Augiensis libro de rebus ad Missam spectantibus) admissa sunt; ne Romana Ecclesia videretur ea respuere, quæ alijs tradidisset.* Ita Baronius.

Qui etiam tomo 9. Anno 809. refert Leonem III. Pontificem, ex Concilio Aquisgranensi, à Carolo Imperatore consultum, num ita auctum symbolum legitime cani posset, licet permiserit symbolum cani, prohibuisse tamen, ne cum eo additamento caneretur, cum interim eo tempore, mos cantandi symbolum in Missa, Romæ nondum esset receptus, sed postea primum sub annum 1014. suasu Henrici Imperatoris introductus fuerit. *Quam quidem susceptam consuetudinem*, inquit Baronius, *haud improbamus; sed nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam nouitati.* 240

Ex quibus etiam satis patet, quanta circumspectione vtendum sit, ne eiusmodi, quamuis ex se licita nouatione, scandali, aut perturbationis occasio detur, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 6. v. 12. *Omnia mihi licent; sed non omnia expediunt.* De qua re plura contra græcos diximus tom. 1. disp. 4. q. 4. dub. 5. sicut & de auctoritate Pontificis ex instituto differendum est q. 3.

QVÆSTIO II.

De priuata propositione, adeoque motiuis fidei, ad credibilitatem eiusdem spectantibus.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. & 3. & a. 5. ad 1. & 2.

ABsoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. Quid & quotuplex sit fidei propositio; & quomodo tum à reuelatione distinguatur, tum ad fidem concipiendam vniuersim necessaria sit. II. Qualis propositio seu credibilitas obiecti fidei generatim requiratur ad hoc, vt fides concipi possit, & debeat. III. Quibus medijs fides proponenda sit; speciatim à quo, & per quæ motiua generatim fides proponi debeat. IV. An, & quibus motiuis Catholica fides euidenter sit credibilis. V. An propositio, ad fidem requisita, adeo infallibilis esse debeat, vt in obiectum falsum cadere nullo modo possit. Ad hæc enim quinque referuntur omnia, quæ de propositione fidei disputari possunt. Primum enim pertinet ad eius essentiam: secundum ad modum eius, ex parte credibilitatis, quam conciliare debet: tertium ad eius media qualia sunt tum proponens ipse, tum motiua generatim spectata: quarto speciatim declaranda sunt præcipua nostræ fidei motiua. Quintum denique infallibilitatem eius propositionis adæquatè spectatæ declarat.

DVBIVM I.

Quid & quotuplex sit fidei propositio; & quomodo tum à reuelatione distinguatur; tum ad fidem concipiendam vniuersim necessaria sit.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2.

1 EGimus hactenus de obiecto fidei, tam formali, quam materiali; sequitur, vt de obiecti propositione agamus; quam ab obiecto differre inferius patebit; tametsi nonnulli hæc non satis quandoque distinguere videantur; cum tamen absque notabili totius materiæ de fide confusione, confundi minime possint. Quæ causa etiam est, cur etsi S. Thomas hac de re hoc loco vix obiter aliquid attigerit, nobis tamen explicatius paulo & fusius res tota sit explicanda.

Intelligitur autem per eam tum obiectum materiale fidei, nempe veritas aliqua credenda,

tum inprimis ratio formalis obiectiua, quam quę-
stione præced. dub. 3. diximus esse diuinam reue-
lationem, ita notificatur seu credibilis redditur,
vt secundum rectam rationem ei merito fidei diui-
næ assensus adhiberi possit. Quo posito, ad
propositam dubitationem sequentibus assertio-
nibus respondemus.

2 Assertio I. Cum in omni quidem fere dis-
ciplina ac habitu etiam euidenti, propositio quę-
dam obiecti seu veritatis, cui per habitum eun-
dem assentiendum sit, soleat intercedere; speci-
alis tamen est ratio eius propositionis, quæ in ob-
iecto fidei requiritur ad hoc, vt aliquid fide diui-
na credere possimus. Hæc assertio est ex mente
S Thomæ hic cit. q. 1. art. 4. in corpore, & ad 2.
Nec dissentiuntalij Scholastici, ijs exceptis, qui
fidem docuerunt esse euidentem, quos refutaui-
mus q. præc. dub. 3. & 6.

Probatur & declaratur assertio quoad vtramq;
partem. Cum enim nulla fere scientia sine Ma-
gistro addiscatur, qui scientiæ obiectũ seu verita-
tũ discipulis proponat, & ad eorũ captũ accomo-
date explicet, ea tamen propositio seu institutio
Magistri ad hoc minime requiritur, aut pertinet,
vt discipulorũ intellectus quoad specificationem
determinetur ac permoueatur ad assensum scien-
tificum eliciendum, sed eo solum pertinet, vt &
termini, quibus scientia traditur explicentur, &
principia ac demonstratiões ordine disciplinę, &
accomodate ad captũ discentium proponantur:
quo facto, eaq; terminorum principiorum appre-
hensione suppositâ, intellectus discentium ipsâ
euidentiâ rei ad assentiendum, saltem quoad spe-
cificationem actus, abunde satis determinatur.

At vero propositio fidei diuinæ non eo tantum
pertinet, vt terminos quibus vnaquęq; veritas tra-
ditur explicet, ipsumq; mediũ credendi, seu re-
uelationem diuinam, propter quam credendũ est,
clara terminorũ explicatione adhibita, ac conue-
nienti ordine seruato, intellectui repræsentet; sed
inprimis etiam, vt mediante voluntatis motione,
intellectus ipse, quoad specificationem, ad assen-
sum fidei determinetur; eo ipso quod obiectum
fidei formale Quo, seu ratio formalis obiectiua
credendi, ipsa nempe diuina reuelatio, non est e-
uidens, sed obscura; quæ proinde per se ipsam
sufficienter intellectum determinare non potest
ad assensum præstandum.

Quam rationem discriminis inter habitus eui-
3 dentes, ac fidem, optime exposuit S. Thomas hic
cit. q. 1. articulo 4. vbi ait: *Fides importat assensum intellectus ad id, quod creditur. Assentit autem intellectus alicui dupliciter. Vno modo, quia ad hoc mouetur ab ipso obiecto, quod est vel per se ipsum cognitum, sicut patet in principijs primis, quorum est intellectus; vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moueatur ab obiecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in vnam partem magis, quam in aliam.*

4 Eandem doctrinam clarius tradit Gregorius
de Valentia hic quæstione prima, punct. 1. §. 2.
vbi ait: *Notandum quoddam esse discrimen inter habitus euidentes, & ineuidentes, qualis est fides. Nam fundamentum, siue ratio, qua nititur, & in quam resoluitur habitus euidens, & assensus ab eo elicitus, etiam est sufficiens motiuum ad hoc, vt homo propositioni ad eum habitum pertinenti assentiatur. Quia enim ratio, qua nititur euidens habitus, est euidens, necessitate quadam adigit intellectum ad præbendum assensum, ita vt reniti & dissentire non possit. Ratio vero siue fundamentum, in* 5
quod habitus ineuidens & assensus ab eo elicitus secundum se resoluitur, siue quo nititur, adeo non cogit intellectum assentiri, vt nec sufficiat quidem ad mouendum hominem ad præbendum assensum, si res ineuidens, quæ proponitur, sit admodum difficilis, & præsertim humanum captum superans. Ita Valentia; qui hoc ipsum ex ratione ineuidentiæ recte confirmat. *Hoc enim est*, inquit, *habitum esse euidentem, scilicet si percipiatur ratio, vel causa, qua nititur talis habitus, non posse intellectum dissentire: percepta vero ratione ac fundamento ineuidentis habitus vel assensus potest intellectus dissentire: itaq; indiget præterea intellectus alijs motiuis, quibus ad assentiendum ineuidenti rei impellatur, superata difficultate, quæ ad assentiendum rei ineuidenti inest, tum ex parte intellectus, qui rem non videt, tum ex parte pertinacis voluntatis.* Hactenus Valentia.

Assertio II. Propositio fidei, pinde refertur ac 6
pertinet, tum ad informandum intellectũ, vt in-
telligat, propositam veritatem esse credibilem, ob
diuinã reuelationẽ; tum ad permouendã volun-
tatẽ, vt ea iudicium illud intellectus, simulq; ali,
quam boni rationem secuta, velit vlterius mouere & applicare intellectũ, ad eliciendum fidei as-
sensum, propter reuelationem diuinã. Colligitur ex dictis; & est mens S. Thomæ, ac Gregorij de Valentia loc. cit. Ratio est. Quia sola per se reue-
latio diuina, cum obscura & incomperta sit, non facit veritatem absolute credibilem fide diuina, vt dictum.

Et quamuis accedente notitia credibilitatis, in-
tellectus quidẽ satis determinetur ad iudicium de credibilitate; non tamẽ ad ipsũ assensum fidei diuinæ, de veritate reuelata eliciendũ; hic enim ni-
hilominus etiã quoad specificationẽ est liber & in arbitrio credentis. Sicut etiamsi quis euidenter videat, hoc vel illud secundũ rectã rationẽ esse fa-
ciendũ, non tamen ideo necessitatur ad id ipsum faciendũ: sed potest adhuc contrariũ facere. Ne-
cessaria est ergo insuper ipsa motio volũtatis, qua 7
intellectus ad reipsa credendum determinetur, vt ex S. Thoma diximus. Quod ita quidẽ fit, nõ qua-
si voluntas, si pertinax esse velit, cogi possit ad eam piam motionẽ; est enim semper fides libera, tam quod exercitiũ, quã etiam (in obiectis obscu-
ris) quoad specificationẽ; sed quia certe ita per-
suaderi potest voluntas, vt prudenter & sine per-
tinacia resistere, & intellectus assensũ cohibere non possit.

Qua in re, cum aliquo modo parẽ esse rationem 8
cuiusuis habitus ineuidentis, tum ex S. Thoma loc. cit. colligatur, tum aperte etiam asseratur à Gregorio de Valentia ibidẽ; est tamen inter fidem humanam, & diuinam hæc differentia notabilis, quod ad persuadendũ assensũ fidei humanę, com-
muniter sufficit auctoritas humana ipsiusmet at-
testantis, seu asseuerantis hominis, qui obiectũ fi-
de humana credendũ asserit; hoc ipso, quod ea-

dem

dem illa auctoritas est tota ratio credendi: at vero ad credendum aliquid fide diuina, seu propter auctoritatem Dei reuelantis; cõmuniter non sufficit auctoritas humana ac priuata vnius alicuius hominis, obiectũ aliquod tanquã diuinitus reuelatũ credendum proponentis; sed requiruntur plærũque alia maiora motiua, quibus id euidenter & prudenter ob diuinam reuelationẽ credibile reddatur; ne alioqui ob priuatam ac fallacem priuati cuiuslibet atteſtationem, fides propter diuinam auctoritatem adhibenda, temere ac imprudenter in quælibet obiecta feratur, vt inferius dicetur.

9 Assertio III. Propositio fidei, de qua loquimur, formaliter neq; est reuelatio diuina; neque omnino ratio formalis obiectiua, in quam fidei assensus seu certitudo resoluitur; sed solum conditio obiectum formale fidei, seu diuinã reuelationẽ credenti applicans; in quam resoluitur tum ipsa credibilitas fidei, tum voluntas intellectũ ad credendum applicans. Ita optime inter alios docet Gregorius de Valentia cit. quæst. 1. pu. 1. §. 2. vbi idcirco notat, in explicanda ratione fidei, circumspecte distinguendos esse quasi duos processus; alterum, quo de causa (seu ratione formali obiectiua) ipsius habitus, & assensus secundũ se consideratis, inquiritur; & in quẽ firmitas & certitudo ipsius habitus, & quicquid perfectionis habet, tanquam in causam refertur. Alterum, quo 10 non de causa certitudinis & perfectionis habitus, sed de causa, propter quam homo animum induxerit velle credere, inquiritur; cum alioqui ipsa ratione seu fundamento habitus secundũ se, non impelleretur ad id necessario. Et bene addit Valentia, si duo hæc confundantur, necessario errari, confundendo causam certitudinis ipsius habitus, & causam propter quam homo credere voluerit, & acceptauerit talem habitum; quæ tamẽ causæ omnino sunt distinguendæ.

11 Probatur & declaratur assertio ex dictis: tum quia propositio fidei habet se generatim loquendo ad assensum fidei, sicut institutio Magistri ad assensum scientificum audientis discipuli: ea vero institutio nequaquam est ratio assentiendi, respectu assensus scientifici, sed conditio obiectum applicans. Tum quia vniuersim propositio debita obiecti nunquam est de ratione formali ipsius obiecti, sed est conditio sine qua obiectum non cognosceretur. Tum quia per propositionem fidei, obiectum materiale fidei, simul cum ratione formali, quæ est diuina reuelatio, solummodo proponitur intellectui, eique credibile redditur: ergo secundum rem vel rationem supponit obiectum materiale fidei, ipsamque reuelationem diuinam, quæ est ratio formalis obiectiua credendi; à qua proinde etiam ipsa propositio re vel ratione distinguitur.

12 Quod quidem in hunc modum vlterius declaratur. Nam reuelatio diuina nil aliud est, quam ipsa atteſtatio diuina, qua Deus signis quibusdam externis aliquid dicit seu pronuntiat, siue interim ita asseratur, vt ei, qui eiusmodi assertionẽ percipit, sufficienter innoteſcat, aut credibile reddatur, Deum esse qui dixerit, siue non. Vere enim dici potuit, Gedeonem v.g. accepisse reuelationem à Deo, etiamsi necdum cognosceret, eam esse reuelationem diuinam, Iudicũ 6. v. 12. Notitia enim illa, seu indicia, per quæ innoteſcit formaliter diuina reuelatio, non facit, vt sit reuelatio diuina, sed tantum vt cognoſcatur: esto quidem quamdiu ea non potest satis dignosci, non censeatur quodammodo satis perfecta reuelatio, eo quod parum vtilis sit, nec ad fidem faciendam satis accomodata. Propositio autem est id, quo veritas diuinitus pronũtiata seu reuelata sic applicatur intellectui, vt homini prudẽter credibile fiat, eam à Deo reuelatam esse; quo fit, vt per reuelationẽ primaria credẽdi ratio, quæ est auctoritas diuina, informet quodammodo obiectum materiale fidei; per propositionem verò ipsa reuelatio credenti debito modo applicetur.

Id vero cum non nunquam simul accidat, cum 13 ipsa reuelatiõe diuina, qua nempe Deus ita quidpiam asserit & reuelat, vt simul, ac ijsdem signis, & actu externo, prudenter credibile reddat eam reuelationem vere à DEO profectam esse, vti quidem communiter in Prophetis, ac speciatim in Apostolo Paulo ad tertium cœlum rapto accidisse videtur: alias verò, & nunc quidem communiter reuelatio diuina postea primum, cum facta est, distinctis signis & actibus, siue à Deo immediate, siue ab Angelis, siue ab hominibus credibilis reddatur; hinc fit, vt propositio fidei communiter quidem nunc reipsa; nonnunquam tamen ratione solum à diuina reuelatione differat; ita quidem, vt cum olim Prophetæ quibus facta est diuina reuelatio, fere non indigerent propositione aliqua re ipsa distincta, ab accepta reuelatione diuinæ veritatis; iam tamen propositio illa, qua secundum legem Dei ordinariam fides persuadetur & propagatur, reipsa distincta sit, à reuelatione diuina, signisq; illis externis, quibus diuina reuelatio ad Prophetas Apostolosq; facta est. Qua de causa etiam dum fidei veritas hominibus credenda propter diuinam reuelationem proponitur, dicere minime solemus, ijs fidem iam primum reuelari, sed proponi & persuaderi reuelatã. Et cũ reuelatio diuina semp fieri debeat nomine & auctoritate ipsi⁹ Dei, ꝓpositio tamẽ fieri potest etiã oꝓpa & auctoritate humana.

Assertio IV. Propositio fidei generatim modo explicato, accepta est duplex; vna cõmunis & 14 publica, qua per infallibilem & publicam auctoritatem Ecclesiæ aliquid velut à Deo reuelatũ toti communitati fidelium credendum proponitur; altera particularis & priuata, quâ priuatim seu particulatim, singulis credentibus fides ipsa primum credibilis redditur. In hoc consentiunt omnes Theologi, & speciatim S. Thomas, qui publicæ propositionis mentionem facit hic q. 5. a. 3. priuatæ autem hic q. 1. a. 4. ad 2. Ratio est; quia cum propositio fidei solum spectet ad debitã applicationem obiecti, præsertim formalis fidei, seu reuelationis diuinæ, vt dictum; nihil obstat, quo minus tã priuatim siue sigillatim ac priuata auctoritate, quã publica & in cõmuni fieri possit; quẽadmodũ de ꝓpositione publica sigillatim declarabitur q. seq. cum præsens quæstio ad priuatam solum propositionem pertineat vt dictum.

Differt

15 Differt autem propositio priuata à publica, tum alijs modis, tum quod hæc per se in ijs, ad quos dirigitur, fidem supponit; illa fidem gignit, non supponit: hæc per se refertur ad initiatos fidei Sacramento; illa ad initiandos; publicâ propositione imperatur Ecclesiæ subditis; priuatâ gignuntur subditi.

Assertio V. Priuata seu particularis aliqua propositio fidei adeo singulis necessaria est ad fidem concipiendam, vt nemo planè fidem concipere possit, aut debeat, nisi sufficiens eiusmodi fidei propositio præcesserit. Ita aperte sentit S. Thomas hic cit. a. 4. ad 2. nec dissentiunt alij Doctores. Ratio est; tum quia propositio eiusmodi particularis, à quocunque demum fiat, habet se velut propositio debita obiecti, in quod nulla ferri potest potentia, nisi eâ propositione obiecti præuiâ. Eademque est ratio approximationis debitæ, inter agens & patiens; sine qua velut conditione requisita ad agendum, nulla vnquam fieri potest actio. Tum quia nemo potest fide diuina quicquam credere, nisi obiectum eadem fide credibile reddatur, vti patebit dubio sequenti: hoc autem non fit sine priuata & particulari eiusmodi propositione; cuius proprium munus & intrinsecus finis est, fidem credibilem facere, vt superius dictum.

16 Neque hinc excipiendi sunt Prophetę & Apostoli, quibus diuina reuelatio immediatè facta est; quamuis enim his communiter nō fuerit necessaria propositio aliqua fidei, à reuelatione re ipsa distincta, non tamen ijs deerat propositio ab eadem reuelatione saltem ratione distincta, vt superius dictum. Quo modo etiam, communi modo loquendi, & sentiendi, dicere solemus, Prophetis & Apostolis fidem ab ipso Deo immediate, & reuelatam, & propositam fuisse; hoc est, non nude tantum assertam, sed ita vt simul etiam prudēter credibile ijsdem fieret, hoc vel illud vere à Deo reuelatum fuisse.

Dixi autem *particularis aliqua*; quia non est necesse, vt ea propositio solum fiat vni; siquidem etiam toti concioni simul fides ita credibilis reddi potest, vt accidit Act. 2. v. 42. & alibi sæpe: sed voco particularem, quæ ad singulorum credentium, seu potius crediturorum aures siue mentem perueniat; quæque contra publicam propositionem Ecclesiæ quippiam definiētis distinguitur, vt dictum.

17 Atque ex his omnibus summatim colligitur varium discrimen inter reuelationem diuinam, & propositionēm fidei ad credendum necessariam. Nam I. reuelatio directe & per se versatur circa obiectum materiale fidei, cui quodammodo applicat primam ac summam Dei veritatem, quæ est vltimatum obiectum formale fidei; propositio autem directe & præcipue versatur circa rationem formalem obiectiuam fidei, nempe diuinam reuelationem, quam applicat intellectui credentis. II. Consequenter reuelatio diuina habet se per modum rationis formalis actu informantis obiectum materiale fidei; propositio autem solum per modū conditionis, sine qua obiectum præsertim formale fidei non sufficienter nobis esset applicatum, ita vt in actu secundo exercere in nobis posset munus rationis formalis obiecti fidei. Vnde rursum III sequitur, certitudinem assensus fidei, secundum se quidem solum niti diuina reuelatione, vtpote per se omni fide dignissima, non autem propositione, vt quæ se solum habet vt conditio, sine qua homo non posset animum applicare ad credendum hoc vel illud esse diuinitus reuelatum; quamuis hac propositione nitatur iudicium de credibilitate fidei eidem præuiū, vt dictum. IV. Ob eandem causam fit, vt reuelatio, quæ est ratio obiectiua fidei, non necessario fieri debeat singulis credentibus: est enim iam satis obiecto materiali fidei applicata, modo vni alicui, v. g. Prophetæ, fiat: propositio autem fieri debet singulis; cum singulis necessario debeat aliquo modo notificari reuelatio, ad hoc, vt ob eam aliquid credatur. V. Reuelatio diuina necessario debet fieri nomine & auctoritate ipsius Dei; propositio autem potest fieri etiam auctoritate humana, vt supra dictum, & magis patebit dub. 4. 18

DVBIVM II.

Qualis propositio seu credibilitas obiecti fidei generatim requiratur ad hoc, vt fides concipi possit & debeat.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2.

19 EXplicauimus dubio præcedenti, in quo consistat propositio fidei, & quam ad fidem concipiendam sit necessaria; sequitur vt declaremus, qualis ea esse debeat, ex parte obiecti & credibilitatis, ad quam conciliandam refertur. De qua re sequentes assertiones statuimus.

Assertio I. Ad hoc, vt aliquis fide diuina, hoc est, propter auctoritatem Dei reuelantis credere aliquid possit, necesse est, vt ei veritas credenda proponatur tanquam diuinitus reuelata. Hæc assertio est extra controuersiam, & patet ex eo; quia cum ea, quæ per fidem diuinam creduntur, necessario credenda sint propter diuinam reuelationem, idque velut per medium cognitum, vt dictum quæst. præced. dub. 3. & 4. necesse est, vt obiectum per fidem diuinam credendum, proponatur tanquam diuinitus reuelatum.

Quo fit, vt si quis historiam vitæ Christi, aut aliam, seu veteris seu noui testamenti narrationem, infideli alicui narraret solum vt historiam humanam, ac humana fide à maioribus acceptā, is officio proponentis fidem nequaquam satisfacturus esset; etsi libentissimo animo omnes ad assensum narrationis traherentur; siquidem hic diuinæ fidei assensus nequaquam esset, nec esse posset.

20 Assertio II. Ad hoc vt fides diuina acceptari, seu vt aliquid per diuinam fidem credi possit, necesse est, vt ei fides seu veritas credenda, tanquam reuelata diuinitus, prudenter credibilis

redda-

reddatur; adeo quidem vt sine hac propositione fide diuina credi quidpiam nec possit, nec debeat. Hæc est etiam expressa doctrina S. Thomæ hic quæst. 1. artic. 4. ad 2. & communis Doctorum sententia. Ratio est; Quia primum commune est hoc omni fidei etiam humanę, secundum rectam rationem adhibitæ, vt recte ac prudenter concipi non possit, nisi id quod credendum est, fiat prudenter credibile, iuxta illud Eccli 19. v. 4. *Qui credit cito, leuis corde est, & minorabitur*: qui locus aperte probat, recte neminem posse credere, etiam humana fide, nisi obiectum fidei prius fiat
21 prudenter credibile. Deinde vero nec simpliciter quidem & de facto credi fide diuina quidpiam posse, nisi res credenda proponatur, tanquam prudenter credibilis fide diuina, ex hoc ipso cõsequenter deducitur; quia actus diuinæ fidei, tanquam supernaturalis, & à Deo inspiratus, necessario est, & esse debet, vndequaq; bonus & rectus, vt dicetur q. 6. ergo nunquam potest esse imprudens, seu vel minima leuitatis macula aspersus: ac proinde fieri nullo modo potest, vt fides concipiatur, nisi fiat prudenter credibilis.

22 Addunt aliqui, absq; prudenti iudicio credibilitatis, ideo etiam diuinà fide credi nihil posse; quia alias ipsa fides esset falsitati expositа. Sed hoc non videtur firmum. Quamuis enim ipsum quidem iudicium de credibilitate fidei esset falsitati expositum, non ideo tamen esset etiam ipsa fides falsitati expositа, vtpote quæ proprie non hoc iudicio credibilitatis, sed reuelatione diuina tanquam immediata ratione credendi per se nititur.

Neq; est absurdũ, id quod non est fundamentum fidei secundũ se, sed conditio sine qua non, vel ratio inducens ad acceptandãm fidẽ, fallibile esse, vt recte etiam notauit Valentia q. 1. pu. 1. §. 8. & magis patebit dub. 5. Neq; ideo vllum inde sequitur incommodum; modo cætera requisita adsint. Nam aut id quod creditur, tanquam diuinitus reuelatum, est vere reuelatum; & tunc actus fidei in illud tendens, erit certissimus: aut vere non est à Deo reuelatum; & tunc erit nullꝰ; tantum abest vt ideo futurus sit vnquam incertus, aut falsitati expositus.

23 Assertio III. Propositio illa, ad credendum necessaria, talis etiam esse debet, vt res illa quæ proponitur, per eam euidenter credibilis fiat; ita vt homini euidenter constet res quæ proponuntur, tanquam diuinitus reuelatas esse credibiles, & secundum rectam rationem credendas. Neq; sufficit, eas quocunq; modo videri probabiliter reuelatas. Hæc est expressa doctrina S. Thomæ hic q. 1. a. 4. ad 2. vbi ait. *Ea quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Vno modo in speciali*, (siue secundum propriam materiam;) *& sic non possunt esse simul visa & credita. Alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis: & sic sunt visa* (seu euidenter cognita) *ab eo qui credit. Non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda, vel propter euidentiã signorũ, vel propter aliquid eiusmodi.* Quę verba S. Thomæ plane vim habent generalis dogmatis, nullũ scilicet credere sine euidẽtia credibilitatis.

Idem sentiunt cõmuniter discipuli S. Thomæ, speciatim Caietanus, Aragonius & Bañes ibidem etsi Capreolus in 3. dist. 31. & 32. q. vn. a. 3. ad 2. Canus apud Arragonium loc. cit. Bannes cit. a. 4. dub. 3. respons. 1. ad 3. dicant, non omnes credentes habere euidentiam credibilitatis; sed in quibusdam sufficere probabilitatem credibilitatis; dumodo non sit cum probabilitate oppositi, veluti in pueris & simplicibus; qui non videntur capaces euidentiæ credibilitatis. In quem sensum etiam Gregorius de Valentia q. 1. pu. 4. in fine significat, doctrinam S. Thomæ non procedere, nisi de ijs, qui virtuose & prudenter credunt. Et addit, non omnes etiam prudenter credentes habere euidentiam credibilitatis nisi vel in actu, vel in potentia.

Idem videtur dicere Albertinus tom. 1. princ. 3. coroll. 4. n. 30. qui tamen meo iudicio, ne sibi 24
ipsi repugnet, explicari debet de infallibilitate propositionis, iuxta ea, quę dicemus dub. 5. quandoquidẽ is antea n. 27. vniuersim pronuntiauerat, ad hoc, vt fidelis credat, debere habere euidens iudicium practice practicum; vtiq; de credendo; quod nos vocamus euidens iudiciũ credibilitatis, seu euidentiam credibilitatis: esto motiuis, quę faciunt talem euidentiã, possit & physice, & moraliter subesse falsum, de quo infra loc. cit.

Ratio assertionis est; tum quia fidei assensus debet esse omnino firmus, & secundũ rectã rationẽ 25
imutabilis, adeoq; prorsus excludens tum omnẽ probabilitatẽ credibilitatis circa oppositũ, tũ etiam formidinẽ seu potentiã prudenter formidãdi, ne forte id, quod creditur, non sit prudenter credibile, vt omnes fatentur. Atqui hoc fieri non potest, nisi res credenda fiat euidenter credibilis, modo explicato; quia si solum sit probabiliter credibilis, timeri potest, ne forte non sit credibilis prudenter, & sic potius oppositum sit credibile. Tum quia fidei assensus nõ potest esse imprudens, vt dictum assert. præc. sed imprudens esset, si quis fide diuina ita firmiter & constanter assentiretur alicui veritati, quam certũ non est, esse prudenter credibilem. Ergo ad fidem necessario requiritur certitudo aliqua credibilitatis. Sed talis certitudo non potest esse obscura & sine euidentia; nam certitudo cum obscuritate solum conuenit fidei, & cognitioni Theologicæ, quæ ex fide generatur; cum tamen iudicium illud credibilitatis præcedat fidem: Ergo est certitudo coniuncta euidentiæ.

Deniq; si obiectum fidei non sit euidenter credibile, erit tantum probabiliter credibile; hoc est 26
probabile solum erit, id velut diuinitus reuelatum esse credibile: sed hoc iudicium ad fidem concipiendam non sufficit. Ergo &c. Maior constat. Minor probatur; tum quia cum probabili iudicio de credibilitate, stat etiam probabilitas oppositi iudicij; scilicet obiectum illud non esse prudenter credibile, propter diuinam reuelationem; quo iudicio stante, impossibile est, secundum rectam rationem, firmum & imobilem habere assensum de obiecto ad credendum proposito; quandoquidẽ eo ipso potest aliquis etiam prudenter, proba-

bilitati

bilitati oppositi iudicij se conformando, iudicare, id non esse prudenter credibile. Tum quia alias posset quiuis iustus, etiam sine speciali reuelatione credere, fide diuina, se esse in gratia: quod non est admittendum, vt dicetur etiam dub. 5. ad 2. argumentum.

27 Neq; tamen ea euidentia esse debet, quasi speculatiua, aut metaphysica; satis est, pro conditione personæ operantis, practicâ quadã euidentia, cui non possit hic & nunc coniuncta esse moraliter facultas formidandi, iudicare, id quod proponitur, esse prudenter, siue secundum rectam rationem credibile; qualis euidentia etiam simplicibus facile conuenire potest, præsertim accedente lumine fidei, vt inferius dicetur; idque eo magis, quo minus illis facultas suppetere solet, inquirendi seu excutiendi rationes dubitandi, quæ in contrarium alioquin adferri possent.

28 Assertio IV. Quin imo propositio fidei etiam talis esse debet, qua non solum res ad credendum proposita, tanquã diuinitus reuelata, fiat euidenter & prudenter credibilis; sed qua etiam oppositum secundum rectam rationem prorsus reddatur incredibile. Ita sentiunt citati pro assertione præced. nec dissentiunt alij in oppositum relati, vt dictum.

Probatur assertio: quia propositio ad fidē præuia excludere, secundum rectam rationē agendo, debet omne iudiciũ fidei contrariũ: sed hoc iudiciũ, quo iudicatur etiã contraria pars secundum rectã rationē esse credibilis, plane fidei contrariũ est: ergo necesse est, per fidei propositionem hoc iudicium excludi. Maior per se patet. Quia

29 propositio eo tendit, vt homo secundum rectam rationem, ad hunc tantum fidei assensum eliciẽdum inducatur & determinetur; ita vt prudenter dissentire non possit. Minor probatur; quia per fidem diuinam necesse est, certissimo assensu vnã tantum partem determinate tanquam veram & diuinitus reuelatam credere; adeoq; hoc ipso, partem ei oppositam eãdem firmitudine iudicare falsam esse: atqui vero impossibile est, ita prudẽter credibile iudicari, quod determinate ac firmiter falsum creditur: Ergo iudicium illud de credibilitate oppositi repugnat iudicio & assensui fidei.

Accedit quod quamdiu adest probabile iudiciũde credibilitate oppositi, seu quo iudicetur oppositum esse prudenter credibile, licebit vtiq; eidẽ etiã iudicio se conformare, iudicando scilicet id ipsum esse verũ; multoq; magis dubitando an oppositum sit verum: ergo stante illo iudicio impossibile est, vt secundum rectam rationem, firmo ac imutabili assensu, id quod credendum proponitur, verum esse credam.

Et confirmatur assertio primo. Quia ob hanc

30 ipsam causam, cum in materia fidei humanæ duæ assertiones contrariæ probabiles, aut euidenter credibiles censentur ab eodẽ homine (vti quidem fieri posse nemo negauerit) necesse est, vtrumuis assertionis assensum seu fidẽ esse incertam & formidolosam; quę quidem incertitudo & formido etsi non repugnet fidei humanę, repugnat tamen diuinæ.

Confirmatur secundo, quia alioqui ex opposita sententia sequeretur, licitum esse credenti mutare fidẽ semel conceptã etiam stante sufficiente propositione fidei. Nam si contraria assertio est etiam prudenter credibilis, possum equidem ei prudenter assentiri: & quia non possum duabus propositionibus contrarijs simul assentiri, potero consequenter etiã priorẽ assensum abijcere. Quo fit vlterius, vt possim aut amittere habitũ fidei sine vllo peccato; quod est erroneum dicere; aut retinere fidem, cum assensu contrariæ assertionis, etiam facta sufficiente propositione fidei; quod est manifeste absurdum.

Assertio V. Nihil ergo distinguendum est 31
inter propositionem sufficientem seu requisitam ad hoc, vt aliquis possit diuina fide credere, & inter requisitam ad hoc, vt aliquis etiam teneatur credere; siquidem omnis propositio sufficiens ad posse credere, sufficit etiã ad debere credere. Hæc assertio est expressa mens & sententia S. Thomæ, & aliorum, quos hactenus pro assertionibus præcedentibus citauimus, adeoq; cõmunis Theologorũ, vt nec vnũ quidẽ auctorem legerim, qui oppositum docuerit; quidquid recentior quidam Theologus inter hęc videatur distinxisse; quasi aliqua propositio sufficiat ad posse credere fide diuina, non vero ad debere credere, etiam loquendo secundum specificationem actus.

Ratio sumitur ex dictis. Quia propositio suffi- 32
ciens ad posse credere fidẽ diuina, debet non modo rem propositam vtcunq; prudenter, sed etiam euidenter credibilem facere, & ita quidem vt oppositum secundum rectam rationẽ plane reddatur incredibile: hoc vero cũ accidit, debet sane quisque, & non tantum potest, rem ita propositam credere, saltẽ quoad specificationem; imo etiam quoad exercitium actus, suppositã cõmuni doctrina, quod fidei præceptum obliget tunc, cum primum alicui fides sufficienter proponitur, vt inferius q. 6. dicetur Ergo impossibile est, vt aliqua propositio sufficiat ad posse credere, & non simul etiam ad debere credere.

Plura hac de re diximus quæst. præced. dub. 4. Ex quibus etiam colligitur, nunquam aliquid fide diuina credi posse, vbi ipsi operanti, iuxta varias Doctorum sententias, dubitare licet, an aliquid sit diuinitus reuelatum, siue de fide.

Cæterum contra assertiones superius propositas obijcitur primo. Aut euidens esse debet, id 33
quod proponitur credendum, credibile esse fide diuina, aut solum fide humana. Si primum dicitur, sequitur etiam euidens esse, dari fidem diuinam & supernaturalem: ex quo vlterius sequitur, id quod ita credendum proponitur, euidenter verum esse; quandoquidem euidens est, fidem diuinam ac supernaturalem non posse esse de obiecto falso. Si secundum dicitur, sequitur assensum ex tali iudicio consequentem non posse esse nisi assensum fidei humanæ, cum vtique eidem illi iudicio conformis esse debeat.

Respondeo, debere esse euidenter credibile fi- 34
de diuina; non quasi absolute euidens esse debeat, id simpliciter ac per se loquendo, fide super-

natura-

naturali ac velut à Deo reuelatum credi posse, aut debere, sed quia certe euidens esse debet, eo connitendum esse, vt velut à Deo reuelatum, diuina ac supernaturali fide credatur: cum in multis efficax nisus ad rem quampiam efficiendam esse possit, quam tamen euidens non est reipsa & omnib⁹ spectatis absolute fieri à conitente posse; v. g ad aurum faciendū, ad quadraturam circuli inueniendam &c. Ita ergo etiam in proposito, tametsi euidens sit, eo connitendum esse, vt aliquid diuina ac supernaturali fide tanquam diuinitus reuelatum credatur, non tamen est euidens eiusmodi fidem, simpliciter & absolute loquendo, esse possibilem, aut necessariam, vt bene aduertit etiam Valentia q. 1. pun. 4. Eademque responsio colligitur ex S. Thoma q. 1. a. 4. ad 2. & ex tota q. 2. & q. 10. a 1. ad 2.

35 Obijcitur secundo. Res fidei credibiles esse iudicamus per ipsam fidē, hoc ipso, quod per fidem illis tanquam veris assentimur: ergo iudiciū hoc non prærequiritur ad ipsam fidem. Et confirmatur. Nam S. Thomas q. 1. a. 4. ad 3. ait: *lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur*: quod de credibilitate explicat Caietanus; qui idcirco dicit, hanc euidentiam credibilitatis oriri in nobis ex ipso lumine fidei: quod etiam cōmuniter docent alij Thomistæ, & nos inferius dub. seq. asseremus.

36 Respondetur, assensum credibilitatis duplicem esse; alium euidentem, qui disponit hominem ad assentiendum, & nititur non diuina auctoritate, sed motiuis humanis; aliū ineuidentē, qui includitur in ipso assensu fidei, adeoq; nititur eadem ratione, qua ipsa fides secundum se, nimirum diuina auctoritate; qui tamen proprie non tam est assensus credibilitatis, quā ipsius veritatis credibilis. Argumentum ergo procedit de isto posteriori assensu, seu iudicio credibilitatis; de quo tamen nos minime loquimur.

Ad confirmationem respondetur primo, mentem S. Thomæ esse, eiusmodi assensum impulsiue seu dispositiue etiam ad fidem pertinere, nō quasi absq; impulsu fidei elici nullo modo possit; sed quia certe ipsa fides disponit hominem, vt eiusmodi iudicium facilius & promptius ferat. Sicut v. g. iudicium euidens, hic & nunc esse temperate viuendum; quod est exemplum S. Thomę ibidem, elicitiue ad prudentiam pertinet, impulsiue ad temperantiam: quæ per modum dispositionis facit, vt eius obiectum nobis facile conueniens appareat, iuxta illud Aristotelis 3. Ethic. c. 4. *Qualis vnusquisq; est, talis ei finis seu bonum videtur.* Atq; eodem modo loquuntur Caietanus & alij Thomistę, quos sequitur Gregorius de Valentia q. 1. pun. 4. ad 3.

37 Respondeo secundo S. Thomā in primis loquutum esse de lumine fidei, quod cernitur in ipsa actuali inspiratione seu illuminatione fidei, spectante ad gratiam pręuenientem seu excitantem, quæ sicut ad credendum plane necessaria est, ita etiam assensu fidei prior est; nullam proinde difficultatē pariens, etiamsi ad fidei propositionem

38 ae credibilitatem pertinere dicatur.

Tertio obijcitur. Euidentiam credibilitatis nec habere videntur omnes credentes, prę sertim simplices; neque vlli non credentes: cur enim alioquin non crederent? siquidem vbi est euidentia credibilitatis, cogi videtur intellectus ad assensū, saltem quoad specificationem actus. Ergo euidentia credibilitatis non prærequiritur ad fidem.

Respondetur ex dictis, negando assumptum quo ad vtramq; partem. Omnes enim, quibus fides sufficienter proponitur, eam euidentiam habent, etiam simplices, vt dictum assert. 3. Quamuis enim simplices distincte & quasi in actu reflexo non cognoscant omnia principia & radices talis euidentiæ, ac proinde nec de sua fide ita exacte rationem reddere possint (quod etiam opus non est, iuxta Eusebium l. 1. de præparat. Euangelica c. 3. Augustinum lib. 14. de Trinit. c. 1.) habent tamen, si vere credunt, saltem in actu exercito euidentiam credibilitatis; ad quam comparandam pro qualitate personarū vel temporum maiora vel minora motiua sufficiunt, vt dicetur dub. seq.

Neque etiam ideo illi, quibus ita fides proponitur, coguntur credere; quia euidentia hæc 39
non est de ipsa veritate proposita ad credendum, sed solum de credibilitate eiusdem; quod videlicet secundum rectam prudentiam sit credibilis, seu credenda; cum quo assensu stat libertas non credendi: sicut moralis scientia cogit intellectum quidem, vt iudicet, honestum esse temperate viuere; at interim stat libertas temperate viuendi, aut non.

Quarto obijcitur. Si omne credendum per fi- 40
dem diuinam euidenter credibile esse debet, sequitur omne credendum fide diuina esse euidens, seu euidenter verum: consequens autē est absurdum, vt patet ex dictis q. præced. dub 3. & 6. Sequela probatur; quia tunc veritas rei ad credendum propositæ euidenter deduci poterit ex duabus propositionibus euidentibus, vt videre est in hoc syllogismo. Quidquid euidens est Deum velle, vt credamus, id euidenter verum est: sed omne euidenter credibile Deus euidenter vult à nobis credi, saltem quoad specificationem actus: Ergo omne euidenter credibile est euidenter verum. Maior videtur clara; quia Deus non vult falsum credi. Minor probatur; quia quidquid euidenter credibile est, id ipsa ratio adeoq; etiam lex diuina naturalis euidenter dictat esse credendum: Ergo euidens est, Deum velle credi; quandoquidem id ipsum quod naturalis ratio & lex præcipit, etiam Deus præcipit, vt dictum suo loco de legibus.

Respondeo maiorē propositi syllogismi veram 41
esse, si Deus velit aliquid credi per se, hoc est, per testificationem ab ipso Deo profectā; non autem quod per accidens, hoc est, ob testificationem aliunde inductam, Deus vult credi. Sic enim nō modo euidenter verum, sed etiam plane falsum esse potest illud, quod euidens est Deum velle credi. Vt patet v. g. in Iudice, quem Deus euidenter vult credere in iudicio, assertioni probatæ per legitimos testes, aut alias legitimas probationes: sicut & extra iudicium quidquid à fide digno, secluſa coniectura speciali malæ fidei, asseritur, id

Deus vult credi, saltem quoad specificationem; & tamen vtrumq; potest esse falsum. Eodem igitur modo, licet euidens sit, Deum velle, vt veritates fidei credantur, ob adducta motiua, quibus fiunt euidenter credibiles, non est tamē euidens, Deum velle eas credi per se, siue ob suam testificationem euidenter cognitā; quare nec etiam sunt euidenter veræ.

DVBIVM III.

A quo, quibusue medijs generatim fides proponi possit, aut debeat; & an ad fidei credibilitatem etiam conferat lumen fidei.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. & 3.

42 EXplicauimus dubio præcedenti, qualis propositio, ad fidem concipiendam requisita, esse debeat ex parte finis, seu credibilitatis, ad quā conciliandam pertinet; sequitur, vt modum eius propositionis declaremus ex parte mediorum, quibus ea propositio generatim facienda est. Et quia circa hæc media duo considerari possunt, nimirum proponens ipse, & motiua seu inductiua ad fidem, tum externa, tum interna, de vtrisq; generatim agendum est. Nam de motiuis externis, in specie tractandum sequenti dubio.

Quæritur igitur primo à quibusnam fides proponi debeat, vt prudenter credibilis reddatur; an à Deo, Angelis, hominibus. Respondetur assertionibus sequentibus.

43 ASSERTIO I. Necessarium quidem fuit, vt doctrina fidei alicui creaturę intelligenti, seu homini, seu Angelo, immediate non solum reuelaretur, sed etiam proponeretur, adeoque credibilis redderetur ab ipso Deo. Ita Sanctus Thomas libro 3. cont. Gent. cap. 154. ex communi. Probatur: tum quia ita re ipsa accidit in primo Angelo, cui in primo creationis instanti, à nulla alia creatura potuit fides proponi, vt recte philosophatur ibidem S. Thomas. Tum quia doctrina fidei necessario debuit à Deo originem sumere: Ergo necesse erat, saltem primam creaturam, quæ postea fidem alijs proponere deberet, imediate à Deo edoceri; ita quidē vt ei veritates fidei à Deo, & reuelarentur, & simul etiam credibiles seu fide diuina dignæ redderentur.

Dixi tamen, *doctrina fidei*, nempe secundum se & materialiter spectata. Quia non erat necesse, eam reuelationem, quæ ita alicui imediate à Deo facta & proposita est, fuisse reuelationem fidei, hoc est, obscuram, adeoq; per fidem credendam. Potuit enim esse clara, & per altiorem cognitionem supernaturalē, quam sit fides, esse cognita; quemadmodum in Christo accidit.

44 ASSERTIO II. Tametsi quidem etiam pluribus alijs subinde fides reuelata & proposita fuerit, atque etiamnum quandoq; proponi possit ab ipso Deo imediate; id tamen neq; necessarium est ad fidem concipiendam; neq; is solet esse ordinarius & consuetus diuinæ prouidentiæ modus. Hæc assertio quoad rem ipsam itidem est certa, & extra controuersiā, & prima pars declaratur. Ita enim, quidquid sit de reuelationibus veteris testamenti, in nouo testamento, fides imediate reuelata, proposita, & prædicata fuit Apostolis, alijsq; Iudæis, immediate ab ipso filio Dei, iuxta illud Apostoli Heb. 1. v. 1. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.* Id ipsum credibile est nonunquam accidere alijs Sanctis, quibus immediate à Deo subinde quædam particulatim credēda reuelantur & proponuntur. Neq; dubito, posse Deum, & apud extremos Indos nonunquam solere, omnis humanæ propositionis absentiam & defectum, & quæ simul adferri possent motiua fidei concipiendæ, certo quodam modo ac lumine ipsius internæ reuelationis, quamuis ineuidentis, supplere.

Secunda pars assertionis est de fide, contra quosdam hui⁹ temporis Sectarios, p̄cipue Schvvenckfeldianos & Anabaptistas, Libertinos, seu prophetas, vt vocant, illuminatos, seu poti⁹ lymphatos, qui reiecta scripturæ & Ecclesię auctoritate, vniuersim fidem priuatis eiusmodi reuelationib⁹ metiri solent; quasi singulis priuatim à Deo fides reuelanda & proponenda sit; quos refutat Bellarminus l. 1. de verbo Dei c. 1. 2. & 3. & lib. 3. c. 10. Ratio patebit ex assertione sequenti. 45 46

ASSERTIO III. Proponi igitur fides aliquando solet ab Angelis; communiter vero ac ordinarie fides hominibus proponi solet ab alijs hominib⁹. Probatur & declaratur assertio. Ita enim Abrahamo, cuius fides cōmendatur Genesis 17. Rom. 3. & 4. itemque Moysi, fides immediate proposita fuit, auctoritate quidem Dei, sed per Angelos, vt satis patet Hebr. 2. v. 2. & suo loco dictū, to. 1. d. 5. q. 5. dub. 5. probabile esse, omnes apparitiones diuinas veteris & noui testamenti mediantibus Angelis factas esse. Ita etiam probabilis communis habet Theologorum sententia, Angelos inferiores illuminari ab Angelis superioribus, vt suo loco dictū tom. 1. d. 5, q. 4. dub. 4. & q 6. dub. 1.

Communissimum autem, & iuxta legem Dei ordinariam maxime consuetum modum proponendi fidem, esse per homines, probatur ex vsu & memoria totius antiquitatis. Sic enim ante legem conditam, à Patriarchis seu maioribus, fidei doctrina, per continuam traditionem, ad posteros manauit, fere absq; nouis reuelationibus, vt docent Epiphanius initio libri primi, contra hæreses, & Eusebius in principio lib. de demonstratio. Euangelica. Sic etiam postea per Moysem fidem suscepit cætera turba, iuxta illud Exodi 14. v. 31. *Timuitq; populus Dominū, & crediderunt Domino & Moysi seruo eius.* 47

Sic & per Ioannem Baptistam & Apostolos tradita & propagata est fides, tum apud Iudæos, tum apud Gentes iuxta illud Ioannis 1. v. 7. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine vt omnes crederent per illum.* Et Marci vlt. vers 20. *Illi autem profecti prædicauerunt vbiq;*

Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Et si particularia exempla requirimus: Ita Paulus mittitur ad Ananiam Act. 9. vers. 11. sic Cornelius dirigitur ad Petrum Act. 10. vers. 5. sic Eunuchus Angelo directore incidit in Philippum Act. 8. v. 26. Sic denique Paulus hanc quasi generalem legem Dei promulgans Rom. 10. v. 14. ait: *Quomodo credent ei* (Deo) *quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Et tandem si ratio consulatur, hic est connaturalis modus, quo homo in cognitionem venit eorum, quæ per se inuenire non potest.

48 De qua re etiam Augustinus contra epistolam fundamenti *sicut Deus*, inquit, *primum hominē & animalia per seipsum fecit, postea vero non nisi per animantia sui generis propagauit; ita quosdam homines per seipsum fidem docuit, cæteros non nisi per homines.* Et initio libri de doctrina Christiana, eiusmodi hæreticos, qui oppositum docent superbissimos, & vanissimos appellat, in quos conueniat illud Hieremiæ 23. v. 16. *Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini*: & illud Zachariæ 10. v. 2. *Diuini viderunt mendacium, & somniatores loquuti sunt frustra.* Tandem ex opposita hæresi sequitur, ingens confusio & confusissimum chaos omnium errorum; quandoquidem seipsum quisq; hac ratione supremum fidei iudicem constituit.

49 Quæritur secundo, an is, qui priuatim, fidem proponit, existimari debeat authoritatis esse infallibilis in ea re. Respondeo: Non est quidem necessarium, vt ille qui tanquam instructor priuatim ac proxime fidem proponit, sit aut existimetur esse infallibilis veritatis & auctoritatis; necessarium tamen est, si quidem fidem sufficienter proponat, vt omnino certos reddat eos, quibus proponit fidem, falsum non esse quod proponit. Est ex mente communi Doctorum, & prior pars patet; quia comuniter talis solet esse priuatus homo, qui non minus proinde, quam alius quispiam, falli & fallere potest.

50 Secunda pars duplicem potest habere sensum; primum, eos quibus fides proponitur, ex vi ipsius propositionis certos esse debere, aliquo assensu, fidei præuio, non esse falsa, quæ proponuntur, sed vera; quasi propositioni ad fidem requisitæ non possit vllo modo subesse falsum. Et in hoc sensu non intelligitur assertio: infra enim videbimus dub. 5. an hoc sit necessarium.

Secundus sensus est, saltem per assensum fidei certa fide credendo, quod proponitur, simul etiam saltem virtualiter, credi debere, falsum
51 non esse, quod hîc & nunc proponitur. Atque hoc sensu facile patet hæc pars assertionis. Quia illi, quibus fides sufficienter proponitur, debent certissima fide credere, quæ dicuntur vera, & à DEO reuelata esse: sed hoc fieri non potest, quin simul certo credant, proponentem hic & nunc falsum in ea re non dicere; sunt enim hæc necessario connexa: Ergo etiam certi reddi debent, eum qui fidem proponit in ea quidem re, quā vt fide diuina credendam proponit, falsum non dicere; siue eis interim ex animo loquatur, adeoque suis etiam ipse dictis assentiatur, siue non: hoc enim parum ad propositum interest.

Hinc autem fit, vt ex ijs motiuis, quibus ipsa fidei doctrina secundum se euidenter fit credibilis, etiam iudicandum sit, an ille qui eam proponit, hic & nunc sit fide dignus. Neque hinc sequitur, fide diuina credi, eum hominem, qui fidem proponit, plane esse infallibilis auctoritatis, saltem quoad veritatem, quam diuina fide credendam proponit. Nam hoc ipso, quod fieri nihilominus potest, vt ipse fidem rei quam proponit, non habeat, non est ex fide certum, eum hac in re, quantum in se est, non fallere; si quidem fallit non ille tantum, qui falsa proponit, cum vera existimet, sed etiam qui vera proponit, cum falsa existimet. Plura hac de re dub. 5.

Quæritur tertio, an siue ad concipiendam, siue ad conseruandam fidem, requirantur etiam motiua quædam externa, & qualia. Assertio I. 52 Quando fides ab ipso Deo, siue per se, siue per Angelos, interna reuelatione proponitur, non est opus alijs motiuis externis, quib⁹ fides persuadeatur, & credibilis reddatur. Quando vero iuxta consuetum diuinæ prouidentiæ modum, fides ab hominibus proponitur, tunc sane præter proponentem, necessario requiruntur quædam externa motiua, quibus euidenter credibile reddatur, eas res quæ credendæ proponuntur, vere à Deo reuelatas esse. Est extra controuersiam apud Catholicos. Et prima pars se patet: quia Deus ipso lumine internæ reuelationis, absq; motiuis externis, certum reddere potest & solet eum, cui fit reuelatio, de veritate propositionis ipsiusq; reuelationis, vti superius de propheticis reuelationibus dictum est.

Ratio secundæ partis est. Quia propositio fidei eo referenda est, vt fides euidenter credibilis reddatur, ex dictis dubio præcedenti: atqui hoc fieri non potest, nudâ proponentis asseueratione, nisi etiam certa quædam motiua, quibus ille suæ asseuerationi fidem faciat adiungantur; si quidē alias ratio non erit, cur huic potius, quam alteri oppositum asseueranti credatur.

Idem confirmatur exemplo Christi, & Apostolorum; qui & ipsi non sine externis motiuis fidem proposuerunt, & propagarunt. Ita enim Christus Ioannis 15. vers. 24. ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* De quo erudite Augustinus tractat. 80. in Ioannem. Ad Apostolos pertinet illud Marci vlt. v. 20. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Vnde Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæstione 2. *Quis potest*, inquit, *credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur?* Et in lib. de spiritu & littera capit. 34. ait: *Neque enim anima credere potest libero arbitrio si nulla sit vocatio, seu suasio, cui credat.* Dixi autem *iuxta consuetū &c.* Quia quando Deus ipse immediate alicui fidem reuelat, non est opus externis alijs motiuis.

Assertio II. Neq; tantum ad concipiendam 53

primo fidem sed etiam ad conseruandam & exercendam, opus est eiusce modi motiuis fidem euidenter credibilem facientibus. Ita sentit & suo exemplo docet Augustinus, contra epistolam fundamenti cap. 4. vbi ait: *In Catholica Ecclesia, vt omittam sincerissimam sapientiam, ad cuius cognitionem pauci spirituales in hac vita perueniunt, vt eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant: cæteram quippe turbam non intelligendi vilitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Vt ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis* (o Manichæi) *multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissime tenent. Tenet consensio populorum atque gentium* (qui scilicet fidem tanta consensione receperunt:) *tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate* (adeoque vitæ sanctitate) *aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopatum* (in Ecclesia Romana) *successio Sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicæ nomen; quod non sine causa, inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot, & tanta Christiani nominis charissima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia; etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas* (in singulis rebus quæ credendæ sunt,) *nondum se apertissime ostendat.*

Vbi Augustinus contra hæreticos scribens, ea potissimum fidei motiua commemorat, quæ valent ad fidem contra hæreticos credibilem reddendam; nimirum 1. diffusionem fidei Catholicæ per vniuersum orbem. 2. miraculorum splendorem. 3. vitæ sanctitatem, quæ in Ecclesia Catholica eminet. 4. vetustatem, & continuam ab ipso Apostolorum tempore propagationem. 5. successionem perpetuam Sacerdotum ac Præsulum ab ipsa sede Petri continuatam 6. ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen. De quibus plura quæstione sequenti. Ratio assertionis est, quia quibus dispositionibus res primo producitur, iisdem etiam conseruatur.

54 Assertio III. Neque tamen necesse est, vt omnes ijsdem motiuis inducantur ad fidem acceptandam; quin potius, pro diuersa ratione personarum ac temporum, alia atque alia motiua adhibenda sunt. Ita Gregorius de Valentia hic quæstione 1. punct. 1. §. 8. Idem probat Sanctus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæstione 2. vbi ait. *Videmus alios aliter, iisdem rebus demonstratis vel significatis, ad credendum moueri. Sicut exempli gratia Simeon in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, adhuc infantem paruulum, credidit, spiritu ei reuelante cognoscens;* (sicut & pastores Angelis docentibus, & Magi stella monstrante, in eundem crediderunt) *Nathanael ad vnam sententiam* (propheticam) *quam ab illo audiuit, priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub arbore fici, vidi te, respondit, Rabbi tu es filius DEI, tu es Rex Israel; quod tanto post quia confessus est Petrus, meruit audire, quod beatus esset, & quod dei darentur claues regni cœlorum. Miraculo facto in Cana Galileæ, quod inuitum signorum IESV Ioannes Euangelista commemorat, aquâ in vinum conuersâ, crediderunt in eum discipuli eius. Multos loquendo inuitauit ad fidem. Multi nec suscitatis mortuis crediderunt. De cruce atque morte eius conterriti etiam discipuli tituharunt: & tamen latro tunc credidit, cum eum non præstantiorem videret in operibus, sed consortio crucis æqualem. Vnus etiam de numero discipulorum post eius resurrectionem, non tam viuentibus membris, quam recentibus cicatricibus credidit. Multi ex eorum numero, à quibus crucifixus est, qui videntes eum miracula facientem contempserant, discipulis eius prædicantibus & in nomine eius talia facientibus, crediderunt.* Ita Augustinus.

Idem quotidiana testatur experientia; qua videmus, alios alijs adduci motiuis ad credendum; 55
alios quidem non nisi firmioribus, alios vero etiam non raro, pro conditione suæ personæ, debilioribus; ita tamen vt singulis, pro captu ingenij, debita concilietur euidentia credibilitatis. Etenim puero ad vsum rationis primum peruenienti satis est, fidem tanquam diuinitus reuelatam proponi à parentibus, velut communi sensu, ac traditione Maiorum, qui in ea salutem consequuti sint, traditam & acceqtam. Alijs, quibus iam alicunde variæ religiones innnotuerunt, ad euidentiam credibilitatis acquirendam opus est, vt prius, re etiam Deo per preces diligenter commendatâ, atque etiam accurate consideratis omnibus, quæ ipsi ad rem pertinere intelligunt, iudicent, ex omnibus religionibus, quæ proponuntur, vnam, simpliciter loquendo, melioribus & grauioribus motiuis niti; hoc ipso enim hæc illis sola fit euidenter credibilis. Qua in re tota, cum multum valeat efficacia ipsius doctrinæ, quæ internis ac viuis motionibus spiritus sancti comitata, mentem illuminat & inflammat; tum Deo etiam, vt dictum, inprimis supplicare debent illi, quibus iure alioquin dubitantibus fides vera cordi est.

Ratio assertionis est; quia motiua personis esse debent accomodata; neque enim omnes omnium intelligendorum capaces sunt; neque vlla 56
ratione existimandum, deesse motiua, quæ pro ratione & captu cuiusque vsum rationis habentis, satis esse possint, tum ad euidentiam credibilitatis fidei conciliandam, tum ad fidem prudenter acceptandam. Et quia fieri potest, vt vel eodē tempore diuersi, vel ijdem diuerso tempore, plura & grauiora aduersus veram fidem argumenta seu motiua perspecta habeant, hinc fit, vt ad euidentiam credibilitatis conciliandam, & diuersi eodem tempore, & ijdem diuerso tempore, grauioribus ac firmioribus motiuis indigeant ad fidem prudenter acceptandam vel retinendam, vt pluribus dicetur dubio 5.

Assertio IV. Quamuis autem motiua fidei 57
pleraque etiam ipsa diuina fide credi possint, partim etiam euidentia sint, ac in ipsos sensus incurrant; per se tamen neutrum est necessarium, sed satis est, ea solum fide humana credi: imo vero cū motiua ad conciliandā primū fidem inducuntur,

fieri

fieri non potest, vt ipsa motiua, quá talia sunt, diuina fide credantur. Ita communis. Ratio est, 58
quia cum motiua referantur ad fidem primo conciliandam, non debent ipsa aut fidem supponere, aut fide diuina credi; ne alioquin ad ea ipsa credenda opus sit alijs motiuis, & ad hæc credenda rursum alijs, atque ita detur processus in infinitum. Accedit quod cum motiua solum spectent ad naturale iudicium credibilitate gignendum, satis est, ea naturali itidem assensu credere. Quæritur quarto an & qua ratione ad credibilitatē fidei, præter motiua externa, conducat etiam ipsum lumen fidei.

Respondeo. Ad credibilitatem fidei, præter 59
motiua externa, in primis etiam confert ipsum lumen fidei, tum actuale, ad gratiam præuenientem pertinens; tum habituale. Hæc est communis Doctorum sententia.

Et quoad actualem fidei inspirationem, patet ex scriptura, & Patribus, qui idcirco docent, illuminationem internam esse necessariam ad credendum; neque fidem vnquam concipi, nisi Deo interius per gratiam præuenientem illuminante, vt docui tomo 2. disp. 6. q. 3. dub. 5. Quo in primis spectat illud Ioann. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me* (per fidem,) *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et v. 45. *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.*

De eadem inspiratione diuina loquitur Sanctus Thomas quæst. 2. art. 9. ad 3. vbi ait: *Ille qui credit, habet sufficiens inductiuum ad credendum. Inducitur enim authoritate diuinæ doctrinæ miraculis confirmatæ; & quod plus est, interiori instinctu Dei inuitantis.*

Eandem assertionem generatim tradit sanctus Thomas hic q. 1. a. 4. ad 3. vbi ait: *Lumen fidei facit videre* (sub communi videlicet ratione *credibilis*, vt paulo antea dixerat) *ea quæ creduntur. Sicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud, quod est sibi conueniens secundum habitum illum, ita etiã per habitum fidei, inclinatur mens hominis ad assentiendum his, quæ conueniunt rectæ fidei, & non alijs.*

Et q. 2. a. 3. ad 2. docet, habitum fidei habere se ad principia fidei, sicut lumen naturale ad principia naturalia. *Sicut homo*, inquit, *per naturale lumen intellectus assentit principijs, ita homo virtuosus per habitum virtutis habet rectum iudicium de his, quæ conueniunt illi virtuti. Et hoc modo etiam per lumen fidei diuinitus infusum homini, homo assentit his, quæ sunt fidei, non autem contrarijs.*

Eandem vim fidei insinuasse videtur S. Dionysius cap. 7. de diuinis nominibus cum ait: *Nouit is, qui veritati coniunctus est, quam bene se habeat, etiamsi plures illum corripiant quasi amentem, & extra se factũ. Per intemeratã enim fidẽ extra se fit, extasimq; patitur. Porro nouit seipsum veraciter, nõ quod illi aiunt insanire, sed ab instabili atq; variabili circa latissimã erroris varietatem motu, per simplicem, & semper eodem modo se habentem veritatem euasisse liberum.* 60

Ratio assertionis est; tum quia & actualis illustratio gratiæ, eò efficacius ad fidem persuadendam valet, quo interior est: & sicut habitus quisque virtutis inclinat intellectum ad ea approbanda & bene apprehendenda, quæ habitui accommodata sunt; ita etiam fidei habitus confert ad iudicium credibilitatis fidei prompte & facile ferendum, vt superius dictum. Tum quia sola externa motiua per se non sufficiunt, ad tantam fidei firmitudinem; quandoquidem ijs subinde non repugnat absolute falsum, vt dicetur dub. 5. Idem confirmari potest experientia, qua constat, plerunque inter sectarios, vt quisque veræ fidei amantior est, ita eum minus in amata fide conquiescere; etiamsi nullam aliquando causam externam sciat, quæ animum in fide vacillantem reddat, quod nonnisi ob defectum luminis fidei accidere putandum est.

Quocirca prudenter hac de re scripsisse mihi 61
videtur Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 4. §. 3. argu. 18. *experientia constare, credentes ita animo diuinitus affectos esse, vt præcipue quidem propter nullum argumentum, quod ad fidem persuadendam exterius proponitur sed propter aliud quiddam diuinum* (nempe ipsum lumen diuinæ veritatis ac fidei) *quod alio quodam modo, & longe fortius, quam vlla argumenta animum afficiat, ad firmiter credendum moueri se intelligant.* Eundem constantis fidei sensum à Deo interius docente profectum expressisse videtur Hilarius lib. 6. de Trinitate cũ ait: *Ab his quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus: & ignosce Omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum. Tarde mihi hos pyßimos* (alias impijssimos) *quantum ego arbitror Doctores ætas nunc huius sæculi protulit: sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti, Magistros.*

Porro cum habitus fidei ad fidei credibilitatē 62
conferre dicitur, id non intelligendum est, de prima fidei acceptatione in homine antea infideli; talis enim non iuuatur ipso habitu ad primum fidei actum, quo habitum acquirit; sed de homine iam fideli respectu actuum, quos elicit post acquisitũ habitũ: neque opus est, vt ipse habitus fidei per modum obiecti cogniti ad credibilitem concurrat; satis est, quod per modum inclinantis & confortantis potentiam, ex parte ipsius subiecti, ad credendi facilitatem & firmitatem conferat. Alia ratio est inspirationum, quæ etiam per modum obiecti cogniti, magis vel minus (prout magis vel minus animo percipiuntur) & quidem ad ipsam primam fidei acceptationem concurrere possunt; quanquam nec super his semper necesse est animum credentis reflecti.

DVBIVM IV.

An, & quibus motiuis Christiana & Catholica fides sit re ipsa credibilis; præcipue aduersus gentiles, Iudæos, Mahumetanos.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 5. ad 1. & 2.

SErmo est, nõ de motiuis internis, vti sunt tũ illustrationes & inspirationes diuinæ, ad credẽdũ diuinitus imissæ, tum ipsum lumen fidei inter- 63
num

num, de quibus dubio præcedenti satis actum, ex S. Thoma q. 1. a. 4. ad 3. & quæst. 2. a. 9. ad 3. sed de motiuis externis, quæ exterius scilicet proponuntur; nec per se interius ipsum animum afficiunt. Quæ quidem etsi propriè loquendo, directe solum pertineant non ad probandam fidem, seu ipsius fidei veritatem; sed solum ad probandam fidei credibilitatem, vt ex dictis colligitur; in præsenti tamen vtriusque generis rationes continent, iuxta Sanctum Thomam q. 1. art. 5. ad 2.

64 Prioris autem generis motiua, alia solum procedunt ex ratione naturali; quæ quidem proprie solum habent locum, respectu earum veritatum fidei, quę ipso lumine naturali euidenter constãt, quales sunt hæ potissimum 1. Deum esse. 2. vnum Deum esse. 3. Omnipotentem, æternum, & infinitum esse. 4. Creatorem cœli & terræ esse. 5. prouidentiam rerum creatarum habere, adeoque munerare bonos, & punire malos. 6. animam hominis esse immortalem. 7. Idola non esse colenda, non furandum, non mœchandum &c. sed vnum Deum verum colendum, legemque naturalem pro viribus seruandam, &c.

65 Atque hic argumentandi processus ex lumine naturali, locum potissimum habet aduersus Ethnicos & Gentiles, aduersus quos eo frequenter etiam vsi sunt antiqui Patres, speciatim Clemẽs Alexandrinus in libris Stromatũ, Origenes libris octo cõtra Celsum, Iustinus Martyr, tũ in alijs suis libris, tũ præcipue in Apologetico cõtra Gentiles, Athenagoras Christianus Philosophus lib. de resurrectione, Cyprianus de vanitate idolorũ, Irenæus lib. aduersus Gentes, Tertullian9 libro aduersus Praxeam, & in Apologetico cõtra Gentiles, Arnobius octo libris contra Gentes, Lactantius septem libris diuinarum Institutionum, Eusebius Cæsarienſis in libro contra Philosophos & viginti libris de præparatione Euangelica, & alijs quindecim de demonstratione Euangelica, Theodoretus decem homilijs de prouidentia, & libris duodecim de græcanicarum affectionum curatione, Augustin9 in libris de ciuit. Dei, Orosius de eodẽ fere argumẽto septẽ libris, Saluianus octo libris de prouidentia, itẽ S. Thomas in libris contra Gentiles, ac è recentioribus Ioannes Franciscus Mirandulanus sex libris cõtra Philosophos & Gentium philosophiam, denique Augustinus Eugubinus in libris de perenni philosophia.

66 Atque eodem fere argumentorum genere etiã vtendum est contra Saracenos & Mahometanos; aduersus quos speciatim scripserunt Ioannes Damascenus, Euthymius Monachus, Nicetas Bizantius, Ioannes Cantacuzenus; & ex Latinis Nicolaus Cusanus libris tribus contra Alcoranum, Dionysius Carthusianus in peculiari opere. Eaque tractatio pertinet ad primam partem de Deo & attributis diuinis, vbi nos etiam eadem de re egimus.

Alia motiua seu argumenta directe fidei veritatem probantia, procedunt ex aliquo principio reuelato, quæ quidem locum proprie habent aduersus eos infideles, qui aliquod principium fidei admittunt; quorum tres sunt classes. Prima est Iudæorum & Iudaizantium, aduersus quos recte hac ratione fides suadetur ac proponitur, ex libris veteris testamenti, quos admittunt. Qua ratione argumentandi contra Iudæos vrendo, pro fide nostra scripserunt olim Iustinus contra Triphonem Iudæum, Tertullianus, & Gregorius Nyssenus libris singulis aduersus Iudæos, Cyprianus ad Quirinum, & de duobus montibus, Cyrillus Alexandrinus de defectu synagogæ, Chrysostomus quindecim orationibus contra Iudæos, Sanctus Augustinus libris duobus contra eosdem, Eusebius lib. 11. demonstrationis Euangelicæ, Richardus de S. Victore contra Iudaizantes, S. Thomas opusc. 21. de regimine Iudæorum, item Andronicus Constantinopolitanus dialogo contra Iudæos, Basilius Seleuciæ Episcopus demonstratione aduersus Iudæos, quæ habentur tomo singulari auctorum recens editorũ opera Petri Steuartij Ingolstadiensis Academiæ olim Procãcellarij; & ex recẽtioribus Adrianus Finus in flagello contra Iudæos libris nouem, Dionysius Carthusianus lib. 7. de fide, Bartholomæus de Spina in fortalitio fidei contra Iudæos, Saracenos, &c. libris quinque, Nicolaus Lyranus cõtra Iudæos de incarnatione, Paulus Burgensis in scrutinio scripturarum contra Iudæorum perfidiam, Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis.

Secũda classis est hæreticorum, qui cõmuniter vtriusque testamenti scripturas recipiunt, è quibus contra hæreses omnes generatim inprimis efficaciter scripserunt Tertullianus in lib. de præscriptionibus aduersus omnes hæreses, Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ, Pacianus tribus Epistolis contra Nouatianos, Optatus Mileuitanus in libris contra Parmenianum, Hieronymus in dialogo contra Luciferianos circa finem. Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ, & in lib. de vtilitate credendi, & in libro contra epistolam fundamenti, præsertim cap. 8. Vincentius Lyrinensis in commonitorio (aureo planè libello) aduersus prophanas hæresum nouitates; quibus non immerito iunguntur Edmundi Campiani decem rationes, quas nostra ætate Academicis Angliæ in causa fidei obtulit; vt taceam alios quam plurimos, quos ad longum citat Michael Medina lib. 1. de fide cap. 4. & 5. 67

Tertia classis est Græcorum schismaticorum, quorum dux & incentor censetur Photius, quos egregie suis scriptis confutarunt Manuel Caleca libris quatuor olim latine versis ab Ambrosio Camaldulensi, & ex bibliotheca Bauarica in lucem prolatis, ac notis illustratis à Petro Steuartio, Bessarion Cardinalis libro de processione Spiritus sancti, alijsque scriptis, quorum nonnulla extant in actis Concilij Florentini, Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in apologia pro Concilio Florentino, S. Thomas contra errores Græcorum, Anselmus de processione Spiritus sancti contra Græcos, Hugo Etherianus tribus libris de processione Spiritus sancti, tomo nono bibliothecæ Patrum; Humbertus Cardinalis singulis libris contra 68

Micha-

Michaelem Constantinopolitanum, & Nicetam Pectoratum, apud Henricum Canisium tomo 6. antiquæ lectionis, & apud Baronium tom. 11. ad finem. &c.

69 Cæterum de his argumentis, seu motiuis fidei, cuiusuis sint generis, quibus fidei Catholicę veritas, siue ex ratione naturali, siue ex principijs reuelatis, seu in genere, seu in specie directe comprobatur, non est præsentis instituti agere; sed solum de generalibus & externis motiuis, quibus non directe ipsa fidei nostræ veritas, sed solum credibilitas comprobatur; quibusq; adeo euidenter credibile redditur aduersus infideles, præcipue Ethnicos, ac Iudæos, solam fidem Christianam secundum rectæ rationis iudicium, iure merito acceptandam esse. Contra hæreticos vero, & nostri temporis sectarios, hoc loco ex instituto non agem⁹; sed quæstione sequenti; vbi ex receptis, & in scriptura traditis Ecclesiæ veræ notis demonstrabimus; inter omnes Ecclesias Christi nomen profitentes, solam Ecclesiam Catholicam esse verā Ecclesiam. Obiter tamen & incidenter, ex ijs, quæ ad Ecclesiæ notas proprie non pertinent, etiam hoc loco contra Sectarios interserere quædam non omittam.

70 Neque vero dubium vllum est, fidem Christianam & Catholicam ob externa motiua ex ipsa euidenter credibilem esse, vt cum S. Thoma hic q. 1. a. 4. ad 2. & 3. p. q. 63. a. 4. & cont. gent l. 1. c 46. Scoto, & alijs in prologo sent. communis habet Doctorum sententia: & constat ex scriptura psal. 92. v. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ratio est: quia fides nostra nec vlla ratione falsitatis conuinci potest, vt suo loco 1. p. disputatione 1. q. 5. dub. 5. dictū, & simul grauissimis argumentis fide dignissima conuincitur; vt ex sequentibus rationibus, quas nunc ordine cōmemorabimus, patescit.

71 Prima igitur ratio, Christianę fidei credibilitatem persuadens, sumitur à persona Christi. Illa enim fides ac religio pro vera merito habenda est, cuius author tam insigni vitæ innocentia & sanctitate, etiam hostibus irreprehensibili, tanta vi ac potentia miraculorum, in sanandis omnis generis morbis, in dæmonibus eijciendis, in naturis rerum varie cōmutandis, ipsisq; mortuis suscitandis; tam admirabili etiam rerum abstrusarum ac longe postea futurarum cognitione & prædictione claruit; diuina virtute etiā à mortuis, hostibus frustra frendentibus ac ringentibus, à quibus iñocens, sed volens ob humanā salutem interemptus fuerat, ad vitam mirabiliter reuocatus: talis est fides, & Christiana Religio, cuius author est Christus; vir iñocens ac potens in verbo & opere, vti ex Euangelica historia, partim etiam ex ipsorum hostium fidei, præsertim Iosephi Iudæi attestatione patet.

72 Certe Christus Hierosolymitanæ vrbis excidium Lucæ 19. conuersionem gentium Ioannis 12. & 17. predicationē Euangelij in vniuerso mundo Matthæi 24. Petri negationem Matthæi 26. Iudæ proditionem Ioannis 13. Apostolorum martyrium Matthæi 24. verissimis ac disertissimis verbis prædixit: sicut Matthæi 9. & 12. & Ioannis 16. occultas quoque hominum cogitationes peruidit.

Ita etiam CHRISTVS merito ex suis ipse operibus fidem exegit Ioannis 5. versu 36. Ioannis 10. vers. 25. & 38. & præsertim Ioannis 15. vers. 24. vbi ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.*

Quare etiam Petrus eodem argumento ex persona CHRISTI desumpto, coram Iudæis, tanquam de re nota & comperta, palam verba faciens Act. 2. vers. 22. ait: *Viri Israelitæ audite verba hæc: IESVM Nazarenum virum approbatum à DEO in vobis virtutibus, & prodigijs & signis, quæ fecit DEVS per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito concilio & præscientia DEI traditum per manus iniquorum affligentes interemistis. &c.* Et infra versu 32. *Hunc IESVM resuscitauit DEVS, cuius omnes nos testes sumus &c.* Et vers. 36. *Certissime sciat ergo omnis domus Israel; quia & Dominum eum, & Christum fecit DEVS hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Eodem argumento vtuntur Chrysostomus orat. 2. & 3 contra Iudęos & Augustinus lib. de catechizandis rudibus capit. 24.

Neque refert, quod gentiles & Iudæi Euangelicę historię libros non admittant; quamuis enim eos pro sacra scriptura non habeant, tamen ei saltem fidem humanam iure abrogare non possunt; vtpote recenti adhuc rerum gestarum memoria, iam dudum olim publice & in oculis hostium fidei editæ, & à diuersis diuerso tempore, magna consensione conscriptæ.

Secunda ratio sumitur à puritate & integritate ipsius doctrinæ Christianæ, etiam spectando solum lumen naturale; quam in hunc modum formare licet. Si Christianæ religionis præcepta & instituta omnia, rationi naturali adeo consentanea sunt, vt quamuis multa supra rationem, nihil tamen contra naturale rationis lumen doceant, omnis autem alia, siue Ethnicorum, siue Iudæorum, siue Mahometanorum religio talis est, vt quædam manifeste naturali rationi contraria doceat & proponat, plane consequens est, solam Christianam Religionem esse dignam fide, & merito à quouis prudente recipiendam: sed verum est antecedens: Ergo & consequens. Maior est clara; quia sola fides illa prudenter recipitur, quæ rationi non aduersatur. 73

Minor quoad priorem partem probatur: nam præcepta moralia Christianæ Religionis, tantum abest, vt rationi aduersentur, vt pleraque etiam solo naturali lumine euidenter comprobentur; qualia sunt; vnum Deum esse colendum, idololatriam, fornicationem, furtum, adulterium esse vitandum. &c. Alia vero eius instituta & dogmata etsi naturalem rationis captum excedant, tamen & per se dignissima sunt diuinæ naturæ ac prouidentiæ maiestate, & nullam adeo patiuntur grauem ex ratione naturali difficultatem, cui non com-

mode satisfieri possit, vt suis locis docetur, & generatim dictum cit. tomo 1. disput. 1. quæst. 5. dub. 5. Vt proinde iure merito de Christiana Religione dici possit illud psalm. 18. v. 8. *Lex Domini immaculata, conuertens animas, &c. Iustitiæ Domini recta, lætificantes corda.*

74 Secunda pars minoris probatur. Nam primo quod ad Ethnicos attinet, manifestum est, eorum pleraque dogmata ac instituta naturali rationi euidenter aduersari. Qualia sunt illa communia omnium fere Ethnicorum dogmata, de pluralitate Deorum, de idolis colendis, de quorundam etiam nefandorum scelerum non illicito vsu, &c. quæ tamen omnia legi ac lumini naturali manifeste repugnant.

Quo spectat, quod inter Ethnicos non pauci etiam sapientiores Philosophi, ipsique Legislatores, eiusmodi scelera approbarunt, ac legibus permiserunt; vti Lycurgus adulteria; Persarum legislatores incestas nuptias cum matribus, filiabus, sororibus; Plato communionem vxorum, cædem infantum, & alia nefanda, de quibus videri possunt, Theodoretus libro de legibus, Augustinus lib. 7. de ciuitate, & alij. Quibus consimilia nō pauca hoc tempore, etiam apud vtrosque Indos, Iaponios, & Chinenses reperire est, vt recentes historiæ testantur.

75 Secundo quod ad Iudæos attinet, constat eorum Rabbinos, quos ipsi Magistros sequuntur, post impium illum Euangelicæ legis contemptū, absurdissima pleraque scripsisse. Rabbi Salomon, præcipuæ apud Iudæos auctoritatis, cōmentario in caput 2. Geneseos ait, Adamum ante Euam conditam, cum omnibus bestijs carnaliter congressum. Idem in caput 28. Num. dicit, præceptum esse sacrificari pro peccato Dei, quod commisit, cum diminuit lumen Lunæ.

In ipsorum quoque Thalmud seu doctrinali fidei habetur, Deum quotidie deuotè orare, ord. 1. tract. 1. dist. 1. etiam in genua procumbentem ord. 2. tractat. 8. dist. 5. Item Deum habere locum quendam separatum, in quo statutis temporibus multis cum lachrymis defleat, ac seipsum affligat, quod templum Hierosolymitanum euerterit, ipsumque populum Iudaicum in captiuitatem redegerit, vt habetur ord. 2. distinct. 5.
76 & ord. 1. distinct. 7. Item Deum quoties reminiscitur calamitatum Iudaici populi, duas lachrymas effundere in mare Oceanum, & præ dolore pectus vtraque manu contundere, ord. 1. tract. 1. dist. 9. Item filium aut sororem sibi matrimonio iungentem Deo gratissimam rem facere, vt habetur ord. 2. tract. 1.

Et alia complura his similia in eodem Thalmud reperire est, de quibus Sixtus Senensis lib. 2. bibliothecæ, & Possevinus in apparatu sacro V. Thalmud, vbi ait: *Thalmud Hierosolymitanum, & Babylonicum, quod sæpe ab Ecclesia Catholica iussum est comburi, vti & aliquoties iustissimè factū est, plenissima sunt blasphemiarum & contra Christum Dominum, & contra ipsius naturæ legem.* Vbi etiam
77 addit, Hieronymum à sancta fide scripsisse cōtra Iudæorum perfidiam, & contra Thalmud, qui extat tom. 4. bibliothecæ Patrum edit. 2.

Tertio his similia sunt etiam, quæ Mahometani in Alcorano docent. Nam ibidem cap. 2. asserunt, quemuis in sua religione & fide saluari posse, si ei conuenienter viuat; quod est Deum facere idololatriæ, superstitionis, omnisque infidelitatis ac perfidiæ remuneratorem & patronum. Et ibidem cap. 43. habetur, Deum & Angelos orare pro Mahomete. Omitto hoc loco ea, quæ de nostri temporis Sectarijs ad eundem modum referri possent, quæ consulto in quæstionem sequentem differimus Atque eodem argumento contra gentiles vsi sunt olim Tertullianus in Apologia aduersus Gentes cap. 39. & Iustinus Apolog. 2. ad Antoninum Pium.

Tertia ratio sumitur ab admirabili Christianæ fidei propagatione. Credibile enim omnino est, eam doctrinam diuina auctoritate niti; quæ cum & multa naturalem rationis captum excedentia doceat, & pleraque carni ac sensibus contraria iubeat, tam efficaciter nihilominus, nulla armorum vi aut metu, nullis humanæ sapientiæ verbis, nulla temporalis alicuius commodi spe seu promissione, sed sola futurorum expectatione, per paucos ignobiles, & in speciem simplices & abiectos homines ita propagata est, vt breui temporis spatio totam orbem repleuerit, & ab omni hominum genere promptissime accepta, & constantissime retenta sit, ijsque tam eruditis ac nasutis Philosophis, qui omnia suæ rationis trutina examinare ac metiri consueuerunt, quam ab indoctis & plebeijs hominibus, qui omnia fere sola vtilitate aut voluptate metiuntur; sed talis est fides Christiana & Catholica, per Apostolos in vniuerso mundo ad id quidem tempus cognito disseminata, secundum illud psalm. 18. vers. 5. *In omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum.* Et Psalm. 2. vers. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ.* Et Psalm. 71. vers. 8. *Dominabitur à mari vsque ad mare; & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Quæ quidem ad Christianam Religionem pertinere perspicuum est. 78

In quem sensum etiam Prosper libro de ingratis speciatim de Ecclesia Romana ita cecinit:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta Caput mundo; quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

E contrario verò nulla plane alia religio est, quæ tam latè, tam celeriter, tamque mirabili modo, nulla armorum vi, aut potentia, nullaue carnalis commoditatis promissione & illecebra, per orbem fuerit diffusa; idque nec de hæreticorum singulis sectis verè pronuntiari posse, dicetur quæstione sequenti. 79

Eodem argumento vsi sunt olim Iustinus Martyr Apologia secunda ad Antoninū Pium, Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum in fine, Lactantius libro 5. diuinar. Institut. cap. 13. Chrysostomus homil. 34. in Matthæum, & homil. 4. & 5. in Epistolam primam ad Corinth.

Augu-

Augustinus libro 22. de ciuit. capit. 5. & lib. de vera relig. capit. 3. & 4. & lib. de vtilitate credendi capit. 14. & Damascenus libro 4 fidei capit. 4.

80 Quarta ratio sumitur à miraculis. Illa enim sine dubio vera fides merito ac prudenter censetur, ad quam confirmandam, plurima, eaque plane talia patrata sunt miracula, quę nulla naturali, aut creata, sed diuina solum virtute perpetrata esse merito ac necessario existimari debent: talis est fides Christiana & Catholica, nequaquam autem vlla alia Infidelium aut hæreticorum religio: Ergo illa sola vera fides censenda est. Maior patet. Quia Deus testari falsum non potest; hoc ipso ergo, quod ad testandam fidem, diuina virtute miracula eiusmodi patrata sunt; fieri non potest, vt fides illa prudenti iudicio falsa credatur. Minor constat & probatur ex memoria totius vetustatis, omnique historia, Sacra, Ecclesiastica, prophana. Speciatim de CHRISTO, & Apostolis constat ex historia Euangelica, & Actibus Apostolorum; eaque de re à nobis ex instituto disseritur tomo 4. disputatione 2. quæst. 2. dub 6.

81 De alijs Sanctis constat ex Ecclesiastica historia, Eusebij, Socratis, Sozomeni, ac Vitis Sanctorum, itemque ex Augustino libro 22. de ciuitate DEI capit. 8. vbi de Sancti Stephani, aliorumque reliquijs complura & insigina miracula recensetur. Certe Bernardum scribit Godefridus in eius vita libro quarto, capit. 4. vno die in Diœcesi Constantiensi illuminasse cœcos vndecim, curasse mancos decem, & claudos decem & octo. Neque vero Dei prouidentiam & bonitatem vllo modo decet, vt tantis, tam frequentibus, tam mirabili modo editis miraculis vniuersum mundum perpetuo ludificari sinat.

Neque vero olim Gentiles, eorumue magi & arioli, quantumuis diabolo familiares & addicti, talia & tanta, tamque frequentia miracula vnquam perpetrarunt.

82 Quantum enim attiner ad cœcum & claudum, quos Suetonius scribit à Vespasiano sanatos, constat, nec illum fuisse verè cœcum, neq; hunc vere claudum, organis scilicet naturalibus substantialiter corruptis, sed ita affectum vtrumq;, vt naturali virtute, ac próinde etiam arte dæmonis sanari possent, vt intelligi potest ex Cornelio Tacito libro 4. historiæ, & Tertulliano in Apologetico contra Gentes cap. 22. Qui etiam ibidem, vti & Augustinus libro 10. de ciuit. capit. 16. & Michael Medina libro 2. de recta in Deum fide, plura eiusmodi fallacia miracula à Gentilibus patrata commemorat.

Quo tamen minime referenda sunt Balaami & Sybillarum vaticinia, quæ ad veram non falsam, religionem confirmandam diuina ope & instinctu edita sunt, vt inferius dicetur. Eodē argumento aduersus infideles præcipue Ethnicos vti sunt, Chrysostomus homil. 3. in 2. ad Cor. Augustinus l. 22. de ciuit. c. 8. & lib. de vtilitate credendi c. 16. Plura quæstion. sequenti, vbi idem argumentum contra Sectarios explicabimus.

Quinta ratio sumitur à Vaticinijs & veræ prophetiæ oraculis; quo argumento vtuntur Iustinus Apolog. 2. ad Antoninum Pium, Tertullianus in Apologet. capit. 20. Clemens Alexandrinus libro 6. Strom. Lactantius lib. 4. diuin. Institut. capit. 9. Augustinus lib. de Catechizandis rudibus capit. 26. & lib. 17. de ciuit. à cap. 15. & libro 13. cont. Faustum à capit. 8. Eam rationem nos ita formamus. Nam dubium esse non potest, quin illa merito pro vera fide habeatur, quæ partim propheticis oraculis approbata & collaudata; partim etiā assecla quam plures habuit, qui prophetiæ dono insigniter viguerunt; tum prædicendo scilicet futura, à nulla causa naturali, sed vel à sola diuina dispositione, vel ab hominis libero arbitrio pendentia; tum etiam occulta cordium, ab omni naturali cognitione remota, patefaciendo & reuelando: talis est fides Christiana & Catholica; non autem alia vlla; Ergo &c. 83

Maior patet: quia huiusmodi prophetiæ donum, & occultorum cordis notitia, non potest esse nisi à Deo, cui soli futura æque ac præsentia & præterita manifesta sunt; quique solus est scrutator cordium & renium; adeo vt nec diabolus quidem ipse futura eiusmodi contingentia, aut secreta cordium certo norit. Quo fit, vt quam impossibile est, Deum falsitatis testem esse, tam etiam certum merito credatur, eam veram esse fidem, quæ propheticis oraculis, aliorumque eiusmodi secretorum notitia contestata sit.

Minor probatur ex historijs, de quarum veritate etiam hostes testantur. Nam I. Sybillarum antiquissimis vaticinijs, quorum etiam Varro, alijque scriptores Ethnici meminerunt, præcipui fidei nostræ articuli iam olim clare, & perspicue prædicti & collaudati fuerunt, vt speciatim etiam contra Ethnicos referunt & objciunt Clemens Romanus l. 5. constit. Apostol. c. 6. Iustinus orat. parænetica ad Gentes, & Lactantius l. 1. institut. capit. 6. & Augustinus libro 18. de ciuitat. capit. 23. 84

II. Veteris testamenti Prophetæ, alijque libri, quibus etiam Iudæi veritatis testimonium perhibent, pleraque Christianæ fidei mysteria perspicuis verbis vaticinando asseruerunt. v. g. *Non deficiet sceptrum Iuda* &c. *Orietur stella ex Iacob. Ecce Virgo concipiet. Et tu Bethlehem Iuda. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt.* &c. aliaq; eiusmodi complura; quæ proinde ad fidem nostram tum contra alios infideles, tum præcipue contra Iudæos cōprobandam plurimum valent. De quibus præter alios fuse agit Suarez 3. part. tom. 1. d. 1. & 2. & Petrus de Caualeria in tract. qui inscribitur Zelus Christi contra Iudæos, Saracenos, & infideles.

III. Quod speciatim contra hæreticos pugnat: Plurimi religione insignes, hoc prophetiæ dono inter Catholicos iam olim & nostro etiam hoc sæculo floruerunt, dum occultas hominum cogitationes patefecerunt, dum mirabiles animorum & morum mutationes, itemque pœnas diuinitus quibusdam ob peccata infligendas

prædi-

85 prædixerũt. Quod mirabile vaticinandi donum siue concessum ipsis fuerit à Deo, ad ipsorum sanctitatem manifestandam, siue ad fidem, quam tuebantur, directe contestandam, maximum sane fidei nostræ argumentum præbet. Neque enim aut vera sanctitas sine vera fide esse; neque vera fides non esse potest, quam Deus eiusmodi signis testatam facit.

Certe S. Gregorius lib. 2. Dialogorum cap. 15. de S. Benedicto Monachorum Patriarcha ita scribit: *Benedictus Regem* (Totilam Arrianum) *de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus, cuncta quæ euenturaerant prænuntiauit dicens: Multa mala facis; multa mala fecisti; iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es; mare transiturus; nouem annis regnans, decimo morieris.* Quæ ita omnia prorsus euenerunt. Similia multa adferri possunt ex historia Sanctorum Bernardi, Francisci, Dominici, & nostro hoc tempore, Francisci Xauerij Indiarum Apostoli, vt eorum vitas legenti patebit.

86 Ex aduerso autem, neque Ethnici, neque Iudæi, neque Machometani, neque hæretici, pro sua quique religione adstruenda, simile quidquam adferre possunt. Imo Lutherus dum sibi temere vaticinandi spiritum arrogauit, pseudoprophetam vanumque nugatorem se prodidit, vt ex his eius vaticinijs manifestum est.

Nam I. vt est apud Cochlęum in actis Lutheri Anni 1525. & habetur apud ipsum Lutherum tomo 2. Ienensi germ. fol. 69. in lib. germ. cui titulum fecit, *Fidelis admonitio ad omnes Christianos &c.* prædixit Lutherus, si à se suisque *duos* adhuc *annos* nouum pseudoeuangelium prædicetur, futurum, vt *tanquam fumus euanescant Papa, Episcopi, Cardinales, Sacerdotes, Monachi, Moniales, campanæ, turres, Missæ. &c.* 87 Quod quidem vaticinium ab eo editum fuit Anno 1522. A quo tamen postea tempore, Lutherus non duos tantum, sed viginti quatuor annos superuixit, vtpote defunctus Anno 1546. nunquam intermisso prædicandi noui Euangelij negotio; & ecce quæ gratia Dei est, incolumis stat Papatus; viuit, & floret Pontifex, spectantur & audiuntur Episcopi, Cardinales, Sacerdotes, Monachi, Moniales, turres, campanæ, Missæ &c.

II. Inter alias prophetias, apud Aurifabrum, in sermonibus conuiualibus edit. Francofurt. germ. & apud Ioannem Ambsterdamum (n. 31.) vtrumque Lutheranum, qui prophetias Lutheri collegerunt, hæc eiusdem Lutheri celebris refertur prophetia itidem aduersus Ecclesiam Catholicam edita.

Pestis eram viuus: moriens ero mors tua Papa.

88 Quod tamen nihil aliud est, quam luculentum Lutheri mendacium; quando constat, annis his fere octoginta à morte Lutheri elapsis, non modo non extinctum esse Papatum, sed passim etiam magis efflorescere.

III. Lutherus apud Aurifabrum in citatis sympositacis edit. Francofurt. germ. pag. 446. cum Eislebij in patria sano adhuc corpore commoraretur, de sua morte vaticinatus prædixit: *Cum Wittenbergam rediero, tunc me in tumba reponam; sicque vermibus pinguem Doctorem deuorandum tradam*; nihil vtique dubius, quin Wittenbergam saluus esset rediturus. Sed mentita est iniquitas sibi: nam mox post biduum editi vaticinij, Eislebij in patria repentina morte extinctus est Lutherus.

IV. Cum Philippus Melanchthon, etiam ipse 89 fortasse titulum Prophetæ ambiens dixisset, Carolum Cæsarem superstitem victurum vsque ad Annum Christi 84. Lutherus falsum Prophetam (Carolus enim obijt Anno 1558.) hac alia prophetia falsa redarguit asserens: *Tamdiu mundus non stabit. Ezechiel enim repugnat. Nam profligato Turca, prophetia Danielis finem habet; & tum procul dubio extremus Iudicij dies præ foribus est.* Ita refertur incitatis Sympositacis germanicis Francofurtensibus tit. 70.

V. Cum bellum esset inter Carolum V. & 90 Principes aliquot Imperij, Lutherus inspecta moneta quadam ex Belgio allatâ, cuiinsculptum erat illud psalmi *Ad alligandos Reges eorum in compedibus*, dictum hoc de Duce Henrico Brunswicensi Cæsaris amico interpretari non dubitabat; affirmans suos (nempe Saxonem tunc Cæsari rebellem &c.) nequaquam captiuos fore. Sed euentus pseudoprophetam mendacij arguit; apud Lindanum dialogo 3.

VI. In bello rusticano, Lutherus ex signis cœli & prodigijs quibusdam certissimam rusticis victoriam promisit. Sed falsus est; apud Lindanum cit. dialogo 3. Sicut etiam Müncerus, eiusdem belli rusticani author, prænuntiauit suis certam victoriam, seseque suis manicis tela excepturum. Sed contrario euentu, suis cæsis, perijt ipse postea carnificis manu obtruncatus. Omitto alia.

Sexta ratio sumitur à sanctitate vitæ, miraque 91 morum mutatione, eorum, qui Christianam religionem professi sunt, quiue ad eam religionẽ ex infidelitate fuerunt conuersi. Illa enim religio vera & sancta merito censenda est, quæ, præterquam quod Magistros & Doctores eos habeat, qui & ipsi inprimis naturæ legi conuenientissimè vixerunt, & omni virtutum genere, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine, charitate, humilitate, mansuetudine, patientia, castitate ornatissimi fuerunt; tantum etiam roboris ac virium conferre cognoscitur ijs, qui ex alijs religionibus ad eam serio conuertuntur, vt non modo quam antea naturæ legem turpissime violarant, postea facile & examussin obseruent, sed insuper in omni virtutum genere egregie proficiant, ex iracundis mansueti, ex superbis humiles, ex incontinentibus casti, ex auaris & rapacibus liberales, ex intemperantibus abstinentes facti: sed 92 talis est sola Religio Christiana & Catholica, cuius plantatores & Magistri fuerunt Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, & Doctores sanctissimi; Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Basilius, tres Gregorij, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus, Carolus Borromæus, Ignatius, Xauerius, alijque plurimi vtriusque sexus, omnisque conditionis & ætatis insignes ac omni virtutis

laude

laude conspicui Catholicæ fidei cultores; quales etiam hodie multi in Ecclesia Catholica passim reperiuntur; ac in ijs etiam non pauci ex ijs, qui vel à paganismo, vel perfidia Iudaica, vel ab hæresi, vel etiam à scelerata vita conuersi, eorum mediorum virtute, quæ Catholica fides præscribit & exhibet, ad piam, sanctam, & inculpatam vitam traducti sunt. Sciunt hoc, qui vel inter Catholicos aliquamdiu vixerunt; vel qui Sanctorum historias perlegerunt; experientur insuper etiam illi, qui sese eius doctrinæ serio accommodare studebunt: Ergo prorsus credibile est, apud solos Christianos & Catholicos esse veram fidem & Religionem.

93 Maior huius argumenti probatur. Nam incredibile est, tam sanctos fidei nostræ Duces ac Magistros, aut consulto nos tradenda falsa fide fallere voluisse; aut ipsosmet imprudenter in fide seligenda & capessenda falsos fuisse. Neque enim vllo modo diuinæ bonitati consentaneum videri potest, vt eos in vera fide amplectenda errare finat, qui & eam studiosissime inquirunt, & tanto studio in rebus omnibus DEI gloriam promouere satagunt. Præterquam quod impossibile est, etiam solum naturæ lumen spectando, sine vera in DEVM fide, quemquam tam Sanctum euadere posse. Multo minus fieri potest, vt Catholica fides sola, si quidem falsa est, animum & robur homini conferat pie sancteque viuendi. Nam vel cæteræ omnes religiones ponuntur veræ, & nostra sola falsa; aut quædam ex alijs vera, & nostra cum reliquis falsa; aut nostra sola vera, reliquæ omnes falsæ. Duo priora membra dici non possunt. Non primum; quia incredibile est, eam fidem, quæ sola falsa est, tantum roboris homini posse conferre ad veram virtutem & sanctitatem, cæteras veras non posse. Neque secundum; quia non minus incredibile est, veram fidem id præstare non posse, & tamen posse falsam. Ergo necessario tertium fatendum est, solam illam veram esse fidem, quæ sola id potest; vti maior propositio argumenti ponebat.

94 Minor autem, quod nimirum Catholica fides id præstet, iam ostensum est; quod autem sola hoc inter omnes præstet, facile probatur. Nam primo antiqui illi sapientes, Philosophi, & poetæ Gentilium, etsi quandoque seuerum quoddam & castigatum vitæ genus colere viderentur, ordinarie tamen impurissimi, & propter vitia contra naturam, etiam apud suos infames erant; semper autem superbi, & arrogantes, ac vanæ gloriæ cupidi, vt testantur Athenæus lib. 13. cap. 27. & Theodoretus in lib. de legibus.

De impuritate Mahometi constat; vtpote quam ipsemet satis prodidit, dum in Alcorano cap. 43. scribit, sibi per priuilegium à Deo concessum esse, omnes, quas liberet, etiam liceret fœminas quamuis consanguineas sibi copulare. Similia ex litteris Indicis & Iaponicis constant de Bonzijs & Ioguis, monachis scilicet & eremitis Iaponum. Vsi sunt hoc eodem argumento Iustinus Apologia 2. ad Antoninum Pium, Tertullianus lib. ad Scapulam, Lactantius lib. 3. diuin. Instit. cap. 26. idque speciatim aduersus sectarios nostri temporis accommodabimus quæstione sequenti.

Septima ratio sumitur à constantia Martyrum qui pro fide Christiana vitam posuerunt. Etenim probabile non est, eam esse falsam fidem, quam tot tantique martyres sui sanguinis vitæque voluntaria profusione constantissime sunt contestati: non solum quia spectatâ ipsorum martyrum quamplurimorum conditione, qui doctrina, sanctitate, & sapientia fuerunt clarissimi; per se auctoritatis plurimum habuerunt ad fidem ei religioni conciliandam, pro qua tam grauia tormenta constantissimè pertulerunt; præsertim quia simul inter ipsa tormenta non raro miraculis clarebant: sed etiam quia credibile non est, tot, & quidem prope innumeros, vtriusque sexus, omnisque conditionis & ætatis homines, tanta simul pietate, virtute, eruditione, & tam ardenti veræ Religionis Zelo, Deique amore præditos, vt se ipsos pro vera fide tuenda, omni tormentorum genere excruciandos vltro persecutoribus traderent, in deligenda fide deceptos fuisse; vtpote quibus vel maxime Deum suo auxilio & præsidio adesse conueniebat: sed tales habet Religio Christiana vtriusque sexus, omnis ætatis, & conditionis, eruditione, virtute, patientia, humilitate, constantia clarissimos, & numero quasi infinitos martyres; quales nulla alia religio habet; speciatim tot innocentes pueros, tenellas Virgines, venerabiles senes. &c. Ergo censendum est, solam Christianam religionem veram esse religionem. 95

Minor patet ex omni antiquitatis historia. Neque enim vlla religio seu Gentilium, seu hæreticorum cum religione Christiana conferri potest, quoad numerum, virtutem, doctrinam, grauitatem, innocentiam, & constantiam eorum, qui pro sua quique religione vitam posuerunt. Neque hæreticis admodum curæ est, cum sui capitis periculo, Ethnicorum & Paganorum terras obire, vt suam illic fidem diuini honoris studio propagent. *Negotium enim*, inquit Tertullianus lib. de præscript. cap. 42. *est hæreticis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus elevationem operantur.* Vsi sunt iam olim hoc argumento contra Gentiles Lactantius lib. 5. diuin. Institut. cap. 13. & 14. & Iustinus Apologia 1. ad Senatum Romanum, vbi testatur, se hoc argumento maxime fuisse ad fidem Christianam permotum. 96

Octaua ratio sumitur à felicitate etiam temporali, & singulari prosperitate, qua Deus propugnatores fidei Christianæ mirabiliter sæpe etiam in hac vita recreauit; hostibus interim ac persecutoribus fidei magnis cladibus afflictis & prostratis. Quamuis enim suaui diuinæ prouidentiæ dispositione, non 97

semper

semper in hac vita bona bonis, malisque mala eueniant, vt docuimus tom. 1. disp. 3. q. 1. dub. 2. est tamen, cum varijs ac extraordinarijs euentibus, iusto iudicio, Deus etiam in hac vita declarat, cuinam religioni fauorem ipse, & patrocinium præstet; præsertim quando pro eius veritate quasi ex instituto pugnatur.

Ex quibus ita licet argumentari. Ea prudenter credi potest vera fides ac religio esse, (cæteris præsertim fidei motiuis simul patrocinantibus) quam Deus mirabiliter sæpe domi forisque, ac præcipue in bellis contra fidei hostes iuuit & defendit; horribilibus stragibus & plagis aduersus eosdem fidei persecutores frequenter illatis: talis est Christiana & Catholica religio: Ergo hæc sola vera fides & religio censenda est. Maior patet; quia sicut Deus per seipsum extraordinariâ prouidentia virtutem veramque fidem persequi & punire; ita falsam extraordinarijs eiusmodi prouidentiæ fauoribus tueri ac propagare, quasi auctoritate sua cõprobando, non potest.

98 Minor probatur ex antiquis nouisq; historijs. Nam primo veteres olim Christiani Imperatores admirabiles sæpe victorias, diuina vtique ope, à veræ fidei hostibus Ethnicis reportarunt; vti nimirum Constantinus à Maxentio crucis signo ac Christi nomine in labaro prælato, teste Eusebio lib. 9. historiæ, Theodosius & Honorius à varijs etiam hostibus & Tyrannis, teste Augustino lib. 5. de ciuit. Dei cap. 23. & 26. Theodosius Iunior per Angelos à centum millibus Saracenorum, teste Socrate. Iustinianus senior, quamdiu Catholicus fuit felicissime imperauit; hæreticus factus repentina morte extinctus est, teste Euagrio lib. 4. cap. 16. & seqq. Heraclius priusquam in Monothelitarum hæresin incideret, clarissima Victoriâ Persas fudit; postea rebus infeliciter gestis, ipsemet tandem nouo atque inaudito morbo extinctus est; neque vllus vnquam maioris in Rempublicam Christianam causa cladis extitit, quam ipse, dum se non opposuit nascenti Arabum Imperio, vt videre est apud Baronium Anno Christi 631. & 641. Idem de Occidentalibus Imperatoribus dici potest vniuersim, eos in sua gubernatione magis minusue prosperis successibus vsos, prout ipsi magis vel minus veræ ac Christianæ Religionis, ipsiusque Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ studio, fuerunt addicti.

99 Orientalium etiam Imperatorum gloria, post diuortium ab Ecclesia Romana factum, propter imaginum cultum ac venerationem, notabiliter cœpit diminui; donec accedente generali schismate, Constantinopoli à Turcis captâ, Imperium Orientale penitus amiserunt. Godefridus cum socijs in bello sacro, rebus plane desperatis, tandem Christi lanceâ, quæ mirabiliter à Deo fuerat reuelata, in prælio prælata, centum millibus Turcarum occisis, vix quatuor millibus è nostris desideratis, insignem obtinuit victoriam, vt scribunt Guilielmus Tyrius lib. 6. de bello sacro ad finem, & Paulus Æmilius lib. 4.

Qui etiam testatur lib. 6. historiæ Francorum, in Gallia ab octo millibus Catholicorum, cæsa esse vno prælio centum millia Albigensium hæreticorum. Liuonia, quæ circa annum Domini 1500. cum tredecim millibus, centum & triginta millia equitum Moscouiticorum, & insuper triginta millia Sarmatarum prælio iuste suscepto fuderat, præmisso triduano ieiunio & supplicationibus; postea elapsis paucis annis, cum Catholicam fidem deseruisset, à Moscouitico exercitu horribiliter affligitur, vt scribit Natalis Comes lib. 11. historiæ.

Sub nostra vero tempora, Carolus Imperator 100
exercitu loge impari, ingentes hæreticorum rebellium copias fudit & profligauit, Electore Saxone & Landgrauio præcipuis rebellium Ducibus captis, vt circa annum Christi 1546. scribit Surius, nec taçet Sleidanus lib. 17. historiæ. Heluetij Catholici viribus longe impares, Acatholicos tamen quinque prælijs fuderunt, apud Cochlæum in actis Lutheri anni 1531. & apud Surium eodem anno 1531. In bello rusticano noui pseudoeuangelij causa & amore suscepto, insignis Victoria aduersus rebelles, reportata fuit, plusquam centum millibus rusticorum peremptis, apud Sleidanum lib. 1.

Proxime verò elapso quinquennio, post infelicem, Catholicæ Religionis odio, rebellionem à Bohemis Caluinistis inchoatam, à Morauis, Silesijs, partim etiam Austrijs, aduersus Cæsarem propagatam, ac demum à Friderico Comite Palatino approbatam ac defensam, sub auspicijs, & victricibus signis Ferdinandi Cæsaris, & Maximiliani Vtriusque Bauariæ Ducis, & iam nunc Imperij Electoris, partim etiam Hispaniarum Regis à Cæsare aduersus rebelles in auxilium vocati, armis & copijs quanta & quam magnifica, Deo vtique fauente ac bene iuuante, aduersus rebelles Sectarios per vniuersum Imperium trophæa erecta sunt? Anno quidem 1620. Superior, partim etiam inferior Austria ad obsequium Cæsaris compulsa; grandis deinde & illustris Victoria generali prælio commisso, multisque hostium millibus cæsis ac peremptis, totoque prorsus hostili exercitu fuso, ad Pragam reportata; Praga Bohemiæ metropolis, & cum ea totum quasi regnum, simulque Morauia & Silesia, in potestatem Cæsaris reducta. Anno 1621. Palatinatus Superior; & bona pars inferioris, rebelli Domino adempta, in potestatem Cæsaris venit; Mansfeldio exinde eiecto & fugato. Anno 1622. tribus iustis magnisque prælijs à fortissimo pientissimoque Comite Tillio cæsi sunt Durlacensis primum, deinde Mansfeldius, præsente Palatino, denique Halberstattensis. Haidelberga, Monheimium, præstantes munitiones, captæ. Anno 1623. rursum insignis Victoria contra Halberstattensem obtenta. Hassia, à suo Principe, metu Catholici exercitus deserta, ad Imperatoris obsequium compulsa, &c.

Rursus Anno 1625. integræ ditiones & Episcopatus, qui fide Imperatoris deserta, sese rebellibus adiunxerant, in potestatem Cæsaris redacti sunt, vt Halberstattensis, Mindensis, Magdeburgensis &c. Denique vt hoc iam etiam velut coronidis loco annectam; hoc ipso Anno 1626. quo hæc in lucẽ edo, die 27. Augusti rursum

celeber-

celeberrima victoria de Rege Daniæ Rebellium ſtatuum ſupremo Ductore, eiuſdemque exercitu, qui nonaginta equitum turmis, ſiue cornetis, & ſedecim millib⁹ peditum conſtabat, per ſupradictũ heroëm Tillium reportata fuit, cæſis in prælio decem circiter millib⁹, captis plus quam duobus millibus, totoque apparatu & commeatu bellico, vna cum vexillis pluſquam triginta, in victoris poteſtatem adductis: Quæ victoria præcedente nocte etiam cœleſti prodigio præſignificata fuiſſe dicitur, quando inter vtrumq; exercitũ, in ſublimi aere machęra ignea, capulo ad noſtrum, ſuperno vero apice ad Danicum exercitum ſpectante, palam conſpecta fuit. Certe manus Domini fecit hæc omnia; qui hoſtibus, vt ipſi fatentur, pro fide ſua pugnantibus, non adeo fuiſſet durus & immitis, ſi bonam cauſam fouiſſent.

102 Hue pertinet, quod & authores hæreſeon, & cæteri fidei perſecutores, horribiliter ſæpe à Deo etiam in hac vita puniti fuerunt. Nam vt omittam veteres illos Simonem magum, Manetem, Montanum, Arium, Iulianum apoſtatam, Valentem Arianum, Neſtorium, Hunnericum Arianum Vandalorum Regem, Anaſtaſium patronũ Eutychianorum, de quorum infelici interitu veteres hiſtoriæ teſtantur: certe Lutherus & Oecolampadius repentina morte extincti ſunt, apud Cochlæum in actis Lutheri Anni 1546. & Surium in commentario ibidem, & Anno 1531. Zuinglius in bello contra Catholicos perijt. Andream Carolſtadium ſcribunt miniſtri Baſileenſes in propria epiſtola, à dæmone extinctum. Caluinus à vermibus corroſus, ſicut olim Herodes, Antiochus, & alij inſignes veræ fidei perſecutores; ac ſimul etiam aduerſus Deum blaſphemus, dæmonibus inuocatis, miſere interijt, teſte Hieronymo Bolſeco in eiuſdem vita. Vtuntur eodem argumenti genere aduerſus infideles Tertullianus in libro ad Scapulam, & Chryſoſtomus orat. 3. contra Iudæos: nec eſt infirmum, ſi ei
103 præſertim cæteraadminiculentur.

Nona ratio ſumitur à confeſſione aduerſariorum. Prudenter enim ſine dubio ea fides acceptatur, quam ipſi aduerſarij, cogente veritate, ſuâ etiam nonnunquam fide damnata; veram & ſanctam confitentur: ſed talis eſt fides Chriſtiana & Catholica: Ergo &c. Maior patet. Minor aduerſus cuiuſuis generis infideles probatur. Nam primum quod ad Ethnicos, Iudæos, & Mahometanos attinet, extant ſane eorũ non leuia veritatis teſtimonia, quæ Chriſtianæ Religioni perhibuerunt. De qua re videri poſſunt, quæ Plinius ſecundus in epiſtola ad Traianum libro 10. epiſtolarum de Chriſtianis ſcribit; & quæ Tertullianus in apologetico cap. 1. & 2. de Paganis Iudicibus, & Imperatoribus, Chriſtianos laudantibus refert. item quæ M. Aurelius Imperator de Chriſtianis militibus ſcripſit, in epiſtola, quæ extat in operibus Iuſtini.

Ioſephus certe Iudæus libro 18. antiquit. capit. 4. affirmat, Chriſtum pluſquam hominem fuiſſe, & vere Meſſiam eſſe. Verba eius ſunt: *Eodem tempore fuit IESVS vir ſapiens ſi tamen virum eum fas eſt dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimoſque tam de Iudæis, quam de gentibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat: quem accuſatum à noſtræ gentis principibus Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominus non deſiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus; ita vt diuinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt; & vſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Ita Ioſephus. Philo ſcripſit librum de laudibus Chriſtianorum, qui in Ægypto ſub Sancto Marco degebant, vt refert Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Similia habet Mahometes in Alcorano c. 2. & 4.

Deinde quod ad hæreticos attinet, omiſſo Totila Arriano, qui Sanctum Benedictum olim tanquam verum Dei ſeruum & Prophetam ſummo honore coluit, teſte Sancto Gregorio libro 2. dialog. capit. 15. de noſtri temporis Sectarijs notentur ſequentia. I. Lutherus in epiſtola contra Anabaptiſtas, ad duos Parochos, tomo 2. germ. Wittenbergenſi fol. 229. & 230 pro Catholica religione ita ſcribit: *Nos ingenue fatemur, quod in Papatu multa bona ſunt, Chriſtiano nomine digna, quæ & inde ad nos vſque promanarunt. Fatemur nimirum, quod in Papatu vera ſit S. ſcriptura, verus baptiſmus, verum altaris Sacramentum, veræ claues ad peccatorum remiſſionem, verum concionandi munus, verus Catechiſmus, vt ſunt oratio Dominica, decem præcepta & fidei articuli &c.* 104

Et paulo inferius: *Ego dico, ſub Papatu eſſe verum Chriſtianiſmum, imo nucleum ſeu medullam* (derrechte Außbunde) *Chriſtianiſmi; & multos pios magnoſque Sanctos &c.* Et rurſum: *Si ſub Papa eſt Chriſtianitas, tum ſane ea Chriſti corpus & membrum eſſe debet. Quod ſi corpus Chriſti eſt, tum habet etiam verum Spiritum, Euangelia, fidem, baptiſmum, Sacramenta, claues, munus prædicandi, orationem, Scripturam Sacram & quidquid Chriſtianitas habere debet.* 105

Et paulo ſuperius: *Audio & video, quod Anabaptiſmum quidem in hũc ſolum finem ſuſſicunt, vt ſic Romanũ Pontificẽ vexent, vt qui nihil velint ab Antichriſto retinere: non ſecus ac Sacramentarij propterea in Sacramento non niſi panem & vinum agnoſcunt, ſolum in odium Romani Pontificis, & putant ſe hoc modo Papatum debellaturos. Hi debili ſane nituntur fundamento. Hoc enim modo negare illos oporteret vniuerſam ſcripturam, & concionandi munus. Hæc enim omnia habemus à Papa; alias nobis noua Scriptura condenda eſſet. &c.* Ita Lutherus (ſub annum Chriſti 1528. vt refert Cochlæus in actis eiuſdem) pro Catholicis; quibus cum concedat verum Catechiſmum, & fidei articulos, imo etiam *veram fidem*, quid aliud ab ipſo requiramus? Tantum certe Luthero nunquam concedemus.

II. Idem Lutherus in libro de Miſſa priuata & vnctione Sacerdotum Anno 1533. (vt habetur tom. 7. latino Wittenberg. & tom. 6. germ. Ienenſi, & tom. 7. german. Wittenbergenſi) diſerte & ſerio fatetur, ſe abrogationem & damnationem Miſſæ priuatæ, vt vocant, ipſo diabolo Magiſtro didiciſſe. Narrationem his verbis incipit: *Contigit me ſemel ſub mediam noctem ſubito expergefieri*

fieri: vbi Sathan mecum cœpit eiusmodi disputationem. Audi, inquit Luthere, Doctor perdocte, nostin etiam te quindecim annis celebrasse Missas priuatas pene quotidie? quid si tales Missæ priuatæ horrenda essent idololatria? quid si ibi non adfuisset Corpus & Sanguis Christi, sed tantum panem & vinum adorasses, & alijs adorandum proposuisses? Et post diaboli argumenta suaq; responsa vtrinque prolata, tandem se à diabolo conuictum, in eiusdem sententiam concessisse, aperte fassus Lutherus ita concludit: *In summa, nos ab ipsorum priuatis Missis, ab Vnctione Episcoporum* (diabolo videlicet magistro & præceptore) *liberati sumus. Viderint ipsi nunc Domini Papistæ &c. quomodo ipsi sua Pergama defendant. Nos admonemus nostros; sint ipsi suæ Missæ, suæq; vnctionis defensores.*

107 De qua re pluribus egi 1. part. anatomiæ confess. August. demonstrat. 6. à nu. 6. vbi etiam à num 21. perspicue ostendi, confessionem Augustanam ijsdem aliquot argumentis, quibus olim diabolus aduersus Lutherum vsus erat, Missam priuatam impugnare. Annon iure proinde aduersus Missæ contemptores dici possit illud Ioannis 8. *Vos ex patre diabolo estis; & desideria patris vestri vultis facere.* Verissime Tertullianus lib. de habitu mulierum cap. 2. *Hæc qualia sunt, interim tam ex Doctorum suorum qualitate & conditione pronuntiari potest: quod nihil ad integritatem peccatores; nihil ad castitatem adamatores; nihil ad timorem Dei* (& Euangelicam veritatem) *desertores spiritus, aut monstrare potuerunt, aut præstare &c. Mali magistri male docuerint necesse est.*

108 III. Idem Lutherus in lib. de abroganda Missa priuata hortatur fratres suos Augustinianos Wittenbergenses, qui primi omnium Missas abrogauerant, vt in eo instituto etiam contra conscientiæ accusationem persistant; sicut & se in quibusdam fecisse ait, vt refert etiam Surius in comentario Anni 1521. Certe Lutherum in tota sua causa admodum fuisse dubium, & affectu potius quam ratione ductum, cum plura alia testantur, quæ retuli 1. part. anatomiæ demonstrat. 9. tũ illud perspicue ostendit, quod in responso ad Hircum Lipsiensem tom. 7. germanico Wittenberg pag. 133. his verbis scribit Lutherus: *Cor meum ita affectum, vt sperem, me in Dei nomine, hoc opus aggressum: non tamen eius sum audaciæ, vt de eo iudicium feram, prædicemque publice pro certo aliter non esse. Nollem libenter diuinum iudicium super hac re sustinere.* Ita Lutherus; cui quis fidat, qui Deo sibique ipsi non fidit.

Huic simile est, quod Ioannes Mathesius Lutheranus Prædicans in orat. germ. 12. de Lutheto pag. 147. de eodem Luthero in hunc modum narrat: *M. Antonius Musa, Parochus Rochlitzensis, retulit mihi, se aliquando Doctori* (Luthero) *ex animo quæstum esse, se ipsummet credere non posse, quod alijs prædicet. Tum vero Doctorem Lutherum respondisse, Deo sint laudes & gratiæ, quod etiam alijs ita accidat: putabam id mihi soli vsuuenire.* Quis ergo Lutheri doctrinæ credat, qui eam ipse non credidit?

109 IV. Philippus in Apologia confessionis Augustanæ a. 5. & 27. Bernardum, Dominicum, & Franciscum vocat Sanctos, vt & Lutherus lib. de abroganda Missa prope finem. Et Caluinus Instit. lib. cap. 10. §. 17. Bernardum nominat pium scriptorem. Nemo autem Sanctus, nemo pius est, sine vera fide. Denique Heluetij Acatholici à Catholicis bello deuicti, a. 1. initæ pacificationis, scribebant, se in posterum Confœderatis suis molestos non fore, *circa veram, indubitam & Catholicam fidem suam*, vt refert Cochlæus in actis Lutheri Anni 1531. Plura quæstione sequenti.

Atque hæ cõmunissimæ videntur ac potissimæ 110
rationes motiuæ; quæ cum singulæ ad fidem Catholicam persuadendam non parum momenti habeant, tum robur longe maximum habere necesse est, si plures, aut omnes simul sumantur: vt non immerito Richardus Victorinus lib. 1, de Trinitate cap. 2. plenus confidentiæ scripserit: *Sane quæ reuelata sunt nobis cœlitus, tam multis, tam magnis, tam miris prodigijs confirmata sunt, vt genus videatur esse dementiæ, in his vel aliquantulum dubitare. Vtinam attenderent Iudæi, vtinam animaduerterent Pagani, cum quanta conscientiæ securitate, pro hac parte, ad diuinum iudicium poterimus accedere. Nonne cum omni confidentia dicere poterimus: Domine si error est, à te decepti sumus. Ista enim nobis sunt tantis signis & prodigijs confirmata, & talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.* Plura Medina lib. 2. de recta in Deum fide, Gregorius de Valentia tum in sua analysi fidei, tum hic q. 1. punct. 4. §. 3. & Bellarminus de Ecclesia lib. 4. Ex instituto vero cõtra hui⁹ tẽporis Sectarios, ex cõmunib⁹ Ecclesiæ notis, pro veritate fidei & Ecclesiæ Catholicæ differendum nobis est quæstione sequente.

DVBIVM V.

An propositio ad fidem requisita adeo infallibilis esse debeat, vt in obiectum falsum cadere nullo modo possit.

S. Thomas 2, 2. q. 1. a. 4 ad 2. & a. 5. ad 1. & 2.

EXplicauimus hactenus, quid sit propositio 111
fidei; quanta esse debeat eiusdem fidei credibilitas, à quo & quibus medijs seu motiuis ea propositio fieri debeat: restat nunc postremo examinandum, quantæ infallibilitatis esse debeat, vt ad fidem gignendam sufficere possit; siquidem constat infallibilitatem à credibilitate esse distinctam; quando multa sunt admodum credibilia, adeoque fide dignissima, quæ tamen infallibilia non sunt. Vbi speciatim examinanda occurrit illa difficultas, vtrum aliquid falsum possit, absolute loquendo, sufficienter proponi, tanquam credendum fide diuina.

Qua in re olim Franciscus Suarez cum Anno M. D. LXXXIII. Romæ hanc ipsam materiam in scholis prælegeret, ob eam potissimũ causam ne certitudo fidei periret, si quidquã falsi posset sufficienter proponi, tanquam credendum fide diuina, docuit, fieri nunquam posse, vt aliquid falsum fiat alicui euidenter credibile ob reuelationem

diuinam

diuinam, adeoque vt credendum fide diuina, seu quod idem est, vt aliquid falsi ita nobis proponatur, vt illud ex vi talis propositionis, teneamur certo & indubitato assensu credere, id esse diuinitus reuelatum: spectare enim aiebat, ad diuinā prouidentiam, ne illud vnquam fieri permittat, ne alioquin incerta & dubia reddatur tota hæc diuina auctoritas.

112 Vnde addebat; si res quæpiam, superans naturalem cognitionem, proponatur credenda, opus esse, tum vt testimonijs plusquam humanis constet, Deum esse illius doctrinæ authorem; tum vt sufficienter constet audientibus, Ecclesiam Catholicam ita sentire; atq; etiam vt sit euidens moraliter, eos homines qui immediate fidem prædicant, non mentiri in eo, quod asserunt, Ecclesiam Catholicam ita sentire & definire: alioquin propositionem fidei tanquam insufficientem nō obligare ad credendum ea, quæ proponuntur, fide omnino diuinâ & certâ: quamuis ea propositio sufficere posset ad credendum fide quadam acquisitâ & humanâ. Et sæpe, inquit, in his casibus homo tenebitur ad Deum accedere, vt gratia & motione sua interiori dirigat illum, in rebus credendis; & saltem ratione huius interioris motionis, quæ ad diuinam maxime prouidentiam spectat, est semper magna differentia, inter sufficientem propositionem fidei & insufficientem; & inter prædicatorem falsitatis, & veritatis. Ita ille. Quæ sententia etiam à Suario insinuatur 3. part. tom. 2. disp. 3. sect. 2. & vlterius etiam ita confirmari potest.

113 Nam I. Nisi hoc dicatur, sequitur, aliquando fieri posse, vt alicui fideli, successu temporis, credibilior fiat fides falsa, quam vera; & per consequens vt is qui semel prudenter credidit veræ fidei, rursum postea prudenter fidem deserat, & aliquam erroneam sectam amplectatur; sed consequens est falsum, & absurdum: Ergo. &c. Maior probatur; quia ponamus, aliquem primo ad credendum fuisse permotum motiuis quibusdam tantum humanis, talibus scilicet, qualia etiam in falsam fidem cadere possint: tunc aio, in hoc casu nihil obstare, quo minus huic homini, progressu temporis, falsa aliqua fides maioribus etiam eiusmodi motiuis credibilis reddatur; ita quidem vt illis superuenientibus, prudenter iudicare possit & debeat, se per illa motiua, quibus prius ad credendum fuit adductus, prudenter amplius ad idem credendum moueri nec posse, nec debere; sed potius ad oppositum, ob motiua grauiora in contrarium adducta. Vt si v. g. initio fides ei fuerit persuasa vno vel altero miraculo, à duobus vel tribus testibus confirmato; postea vero pro oppositio errore referantur plura & grauiora miracula, pluribus itidem & grauioribus testibus confirmata.

114 Minor autem probatur tum ex illo Galat. 1. v. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Ex quo colligitur, non posse vllo modo postea improbabile fieri, quod semel prudenter creditum est. Tum ratione; quia talis ad contrariam aliquam sectam, prudenter, vt in argumento ponitur, transiens, aut veræ fidei habitum amittit, aut non amittit. Non primum; quia prudenter agens, nihilque peccans, non potest fidem perdere: neque secundum; quia absurdum videtur, vt fidem retineat, qui eam semel sufficienter propositam deserit, & ad sectam aliquam contrariam deficit.

II. Si ad supernaturalis fidei actū sufficit, eius 115
obiectum quibuscunque demum motiuis euidenter credibile reddi, sequitur, posse non tantum extraordinarie ob peculiarem reuelationē, sed etiam ordinarie quemuis iustum subinde diuinâ ac infallibili fide credere, se esse iustificatum: consequens est falsum, & contra Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. ergo & antecedens. Sequela probatur. Quia vt suo loco de gratia dictum, & colligitur ex illo Roman. 8. vers. 16. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij Dei*; non desunt iustis subinde illuminationes & consolationes diuinæ, quibus Deus illorum mentes nonnunquam mouet ad singularem fiduciam, de acquisita iustitia concipiendam. Has autem esse vere diuinas illuminationes & reuelationes videtur eis euidenter fide diuina credibile reddi; tum ex bonis effectibus eiusdem consolationis, promptitudine scilicet & alacritate ad diuinum obsequium; tum quod excussa conscientiâ nihil in se deprehendunt diuinæ gratiæ contrarium; tum quod simul proprio experimento satis norunt, se nihil scienter omisisse eorum, quæ ad diuinam gratiam conciliandam pertinent: & alia demum huc referri possunt, quæ ex regulis discernendi bonos & malos spiritus desumpta, grauissimum, imo sufficiens pondus habere possunt, ad prudenter iudicandum, eas inspirationes à Deo profectas esse.

Atque hæc esse possunt argumenta huius sen- 116
tentiæ: pro qua etiam citari potest Bellarminus lib. 6. de grat. & lib. arbit. cap. 3. dum ibidem ait; *ad hoc, vt fides sit certa, ex parte obiecti, duas causas infallibiles requiri, nempe causam reuelantem articulos, & causam proponentem, aut declarantem articulos reuelatos.* Et addit; *Si is, qui articulos reuelatos proponit, aut declarat, errori sit obnoxius, & possit aliquid proponere tanquam à Deo reuelatum, quod vere non sit à Deo reuelatum, tota fides nutabit.* Quod tamen intelligi meo iudicio debet, de propositione publicâ, de qua quæstione sequenti agendum; ne alioqui fatendum sit, nullam propositionem ab homine priuato factam, sufficere posse ad persuadendam & concipiendam fidem, contra dicta superius dub. 2. & 3.

In contrarium autem videri potest ea senten- 117
tia neque vera esse, neque necessaria ad tuendam fidei certitudinem. Primum probatur varijs modis, & inprimis ex dictis citat. dub. 2. & 3. Nam ad sufficientem fidei propositionem plus non requiritur, quam vt id, quod proponitur credendum, fiat prudenter & euidenter credibile certo & indubitato fidei diuinæ assensu; ita quidem, vt oppositū simul secundum rectam rationem nullo modo sit credibile: hoc autem fieri potest nonnunquam ijs motiuis, talique propositio-

positione, qualis in obiectum etiam falsum cadere potest: Ergo. &c. Minor probatur: quia si cuidam simplici quidpiam proponatur ab omnibus maioribus, Pastoribus, & Doctoribus, quos nôrit, tanquam diuinitus reuelatum, & multis miraculis confirmatum, certa proinde ac indubitata fide credendum; nec vllum habeat indicium, quo id ei improbabile videri possit, tum certe euidens illi erit, id solum esse fide diuina credibile; nihil enim in præsenti occurrit, quod in contrarium opponere possit; tametsi forte alio tempore, quo ratio dubitandi inciderit, necessaria esse possint plura & grauiora motiua, vt diximus dub. 3.

118 Secundo. Si ad credendum talis propositio necessaria esset, qualis in obiectum falsum cadere nullo modo potest, sequeretur, omnem veritatem credendam, vi ipsius propositionis ad credendum requisitæ euidenter esse veram: consequens est absurdum, & contra dicta quæstione præcedente dub. 6. Ergo & antecedens. Minor patet, Maior probatur. Quod enim ita proponitur, vt etiam priusquam diuina fide credatur, ex vi talis propositionis omnino certum sit, illud falsum esse non posse, est euidenter verum: quia certitudo fidem præcedens, alia esse non potest, quam euidentiæ.

119 Tertio. Ex contraria sententia sequi videntur non parua incommoda. Primo enim hinc necessario consequens videtur, multos ex fideli populo vera ac diuina fide non assentiri rebus fidei; quandoquidem plurimi esse videntur inter simplices, qui reipsa non nisi ijs motiuis ad credendum mouentur, quæ in falsam etiam sectam cadere facile possunt; vt auctoritate maiorum ac pastorum, quos norunt; commemoratione miraculorum, quæ nec à se visa, nec experta credunt, moti sola auctoritate humana eorum, qui hic & nunc iure fide digni censeantur; & demum

120 consensu & auctoritate eius Ecclesiæ, quam norunt. Quod si præterea opus est, vt euidenter sciant, in tota Ecclesia, per vniuersum orbem diffusâ, sic credi, primum quot anni labentur, dum istam euidentiam acquirant; quam nec peritiores semper habere videntur. Deinde si nihil addatur, quid hoc ad illam, quæ requiritur, certitudinem ac infallibilitatem propositionis attinet; cum nihil obstet, quo minus falsa fides æque latè propagetur ac vera. Quod si præterea requiras sanctitatis & miraculorum cognitionem aliquam certam; ita scilicet vt crediturus nosse debeat, in hac religione multos sancte vixisse, & miraculis fidem confirmasse: quæro, an eius rei certam & euidentem omnino cognitionem requiras? si negas, tum nihil obstabit, quo minus etiam falsa fides simili motiuo æque reddatur credibilis; quando similis notitia seu opinio sanctitatis, & miraculorum, etiam de falsa fide ingenerari facile potest. Sin ais; quantâ industria opus erit ad eiusmodi euidentiam comparandam; & quam pauci proinde erunt, qui verâ & diuina fide credere aliquid possint?

121 Secundo sequitur, nullum infidelem, firma omnino & indubitata fide aliquid falsi, tanquam diuinitus reuelatum credentem, posse excusari saltem à temeritate credendi; quia ex illa sententiâ fieri nunquam potest, vt quis prudenter adeo certa fide credat aliquid falsi tanquam diuinitus reuelatum. Consequens autem videtur absurdum; quia inde sequitur, nullum infidelem, seu falsi quidpiam, tanquâ diuinitus reuelatũ, certâ fide credentem, excusari per ignorantiam inuincibilem posse à peccato; quod cõmuniter negant omnes.

122 Tertio sequitur, neminem inter hæreticos, etiamsi alioqui ob ignorantiam inuincibilem excusetur ab erroribus, quos contra fidem habet, vera & supernaturali fide assentiri, nec ijs quidem veritatibus, quas vera & Catholica fides proponit: consequens autem est absurdum; quia consequẽter nemo talis vnquam saluari posset; adultum enim sine fide etiam actuali placere Deo, & saluari, est impossibile. Sequela probatur. Cum enim talis omnia fidei suæ obiecta credat propter eandem propositionem, eademque motiua, necessario sequitur, aut falsum etiam euidenter illi tãquam diuinitus reuelatũ indubitata fide credibile esse; aut nec vera quidem obiecta fidei ei ita sufficienter credibilia esse, vt diuina fide credi possint.

123 Quarto accedit, quod eadem sententia secum ipsa videtur pugnare. Aut enim isti certo prorsus iudicio sibi persuadent, veram esse suam sententiam; ita vt certum illis sit & euidens, nihil falsi posse euidenter credibile reddi per fidem piusquã humanam; & per consequens omne id, quod sufficienter proponitur, velut credendum fide diuina, esse verum; aut tantum existimant, id esse probabile seu probabilius. Non primum; quia tunc omnia obiecta fidei cuilibet credenti essent euidenter vera, vt supra dixi, & magis patet ex hoc syllogismo: Quidquid euidens est, tanquam diuinitus reuelatum, fide omnino certa & indubitata credibile esse, id euidens est esse verum; adeoque prout proponitur, diuinitus esse reuelatum: sed omnibus vere credentibus euidens est, ea quæ fides proponit, esse tanquam diuinitus reuelata, certa prorsus & indubitata fide credibilia: Ergo euidens est, ea esse vera, adeoque prout credenda proponuntur, diuinitus reuelata. In quo syllogismo, Maior ex facta hypothesi est euidens: Minor itidem, iuxta communem sententiam, est euidens ex dictis dub. 2. Sequitur ergo euidens etiam conclusio.

124 Si autem dicant, vt sane dicunt, id sibi tantum esse vero simile seu probabile, aut etiam probabilius, tunc non consequuntur id quod intendunt; nempe vt per suam sententiam consultum sit fidei certitudini, magis quam per oppositam. Nam si ea sententia illis non est plusquam probabilis; possunt ergo adhuc timere ne falsa sit: ac proinde etiam non obstante hac sententia, non minus timeri potest, ne falsum sit quod creditur, quam alioqui ex contraria sententia timeri id potest: reuera autem non potest prudenter timeri, etsi possit absolute, vt inferius dicetur.

125 Quod autem eadem sententia non sit etiã ne-

cessaria

cessaria ad fidei certitudinem tuendam, sic ostenditur. Quia fidei certitudo vel consideratur ex parte obiecti; & tunc plus non requirit, quam obiectum omnino certum & infallibile; ita scilicet vt quatenus subsstat rationi formali, propter quam creditur, hoc est, diuinæ reuelationi, adeoque prout sub fidem cadit, non possit non esse verum. Et hoc habet, tametsi possit interim aliquid falsi prudenter credibile reddi, & tanquam propter eandem diuinam reuelationem necessario credendum sufficienter proponi.

126 Quandoquidem non ideo sequetur, assensum supernaturalis fidei esse falsum; cum assensus ille circa falsum illud obiectum, nec sit, nec vnquam esse possit assensus supernaturalis fidei, sed assensus merè humanus & acquisitæ fidei; quantumuis à credente per ignorantiam existimetur, esse assensus supernaturalis fidei.

Aut consideratur fidei certitudo ex parte subiecti, prout nihil aliud est, quam firmitas assensus, excludens omnem dubitationem & formidinem: & tunc plus etiam non requirit, quam vt quis, post sufficientem propositionem, captiuato intellectu in obsequiũ fidei, firmo plane ac indubitato assensu credat, vera esse ea, quæ tanquam diuinitus reuelata proponuntur; etiamsi interim nullam de veritate eorum euidentiam habeat, nec in se, nec in reuelante, nec in proponente. Quod ipsum tametsi circa obiecta tam ardua difficile sit, & ob hoc ipsum maximi meriti apud Deum; accedente tamen auxilio diuino, fieri abunde potest; etsi forte interim absolute loquendo etiam falsum quidpiam eo modo credibile reddi possit.

127 Hinc enim non sequitur, posse igitur aliquem semper dubitare, ne falsum sit, quod credat, non solum quia non est necesse, vt quiuis ita credens id ipsum semper aduertat; sed quia licet etiam ipse existimet, absolute fieri posse; vt etiam falsum eodem modo credendum proponatur, adeoque vt etiam id quod credit, quantum est præcise ex vi propositionis externæ, qua inductus fuit ad credendum, absolute falsum esse possit: quia tamen ex hypothesi, eo ipso scilicet, quod obiectũ creditum, per grauia motiua illi tanquam certa fide credibile proponitur, nec habet vllam rationem sufficientem, qua illi probabiliter, & secundum veram prudentiam agendo, vel id incredibile, vel oppositum credibile fiat; ideo non potest vllo modo prudenter timere, ne falsum sit, quod credit, sed si velit prudenter agere, potest & debet indubitate credere, vera esse, quæ ita credenda proponuntur.

128 Quemadmodum loquendo secundum quandam proportionem; licet quantum est ex parte motiuorum, quibus inducti sumus ad credendũ fide humana, hos vel illos esse nostros parentes, absolute loquendo falsum esse possit, quod ita credimus; non ideo tamen possumus, vel debemus, secundum prudentiæ regulas, eiusmodi assensum abijcere, aut de ea re dubitare, aut etiam timere, ne falsum sit, quod ita credimus; quia videlicet, vt suppono, nulla iusta & probabilis ratio in contrarium nobis obijcitur, quare sic credere non debeamus; itemque ne iniuriam parentibus, temere dubitando inferamus, &c. Quod proinde multo magis locum habet in nostro proposito; vbi si quis post sufficientem propositionem veritatis credendæ, dubitare velit, & iniuriam Deo testanti irrogaturus, & sibi ipsi grauem pœnam conciliaturus sit.

Neque vero sufficiens ratio, cur aliquid firmo ac certo assensu, ex parte subiecti, prudenter non credatur, est, quod rei creditæ, quantum est præcise ex parte externæ propositionis, absolute ac simpliciter loquendo, potest subesse falsum. Si enim interim alicui grauibus plane motiuis res aliqua, tanquam certa fide credenda proponatur, isque secundum præsentem statum & conditionem, in qua versatur, non aduertat vllam rationem seu motiuum in contrarium, quo id fiat improbabile, tunc sane homo non potest prudenter de eo dubitare, nec de opposito formidare; maxime si id cederet in iniuriam alterius, vel in graue nocumentum ipsius credentis. Quod cum suo modo verum habeat in assensu naturali, multo verius est in assensu fidei; qui immediate ac præcipue non nititur eiusmodi propositione, & in quo peculiaris etiam causa intellectum ad verum potius, quam ad falsum obiectum determinans interuenit, vt infra dicetur. 129

Et confirmatur hæc doctrina. Primo; quia plerique docent, posse aliquem obiecto etiam falso non minori certitudine ex parte subiecti, hoc est, firmitudine, assentiri, quam fidelis assentiatur alicui veritati fidei. Imo Sotus lib. 3. de nat. & grat. cap. 10. dicit, hoc non esse dubium, & de hoc dubitare, esse *puerilem errorem*. Et addit; quin imo *hæretici omnes suorum errorum, quos Catholicas existimant veritates, tantam habent certitudinem* (ex parte obiecti) *quam nos articulorum fidei*. 130

Et in eundem sensum Molina 1. part. q. 1. a. 5. dicit, eiusmodi certitudine, quæ se tenet ex parte subiecti, posse hæreticum adhærere interdum certius, hoc est, firmius errori, quam adhæreat Catholicus veritati; & proteruum quemuis posse firmius adhærere rei in se dubiæ, quam cordatus & prudens rei certæ.

Similiter Bannes 1. part. q. 1. a. 5. ait, hoc pacto aliquos hæreticos firmius adhærere suis erroribus, quàm alij veritatibus. Idem docent Medina 1. 2. q. 109. a. 1. dub. vlt. & Vega lib. 6. in Trident. cap. 13. si ergo falsitas obiecti non impedit omnimodam certitudinem ex parte subiecti, non impediet etiam illam, quod obiectum possit esse falsum, quantum est ex vi propositionis. 131

Confirmatur secundo. Quia fidei certitudo per se ac formaliter non nititur propositione, vt supra dictum, sed reuelatione diuina: Ergo quomodocunque tandem id quod creditur, absolute loquendo, quantum præcise est ex parte eiusmodi propositionis, falsum esse possit, non ideo tamen labefactabitur fidei certitudo; cum satis sit, falsam esse non posse, quatenus subsstat rationi formali, quæ est diuina reuelatio.

In hac difficultate, distinguendo inter credibilitatem ortam præcise ex motiuis ac propositione externa fidei, & inter credibilitatem fundatam in ipso obiecto, & lumine fidei, iuxta dicta superius dub. 3. sequentes assertiones statuimus.

132 Assertio I. Neque vniuersim verum, neque ad tuendam fidei certitudinem necessarium videtur, dicere, neminem posse aut debere quidpiam diuina fide credere, nisi tali propositione externa præuia, qualis in obiectum falsum cadere nequeat. Hanc assertionem communiter supponere videntur Doctores, speciatim S. Thomas q. 2. a. 6. ad 3. vbi supponit, fideles simplices credere ea, quæ credunt, motos auctoritate Maiorum; qua etiam nonnunquam, (sed præter suam culpam) moueri possint ad credendum aliquid falsi: quod etiam docet Bannes hic quæst. 1. a. 3. dub. 2. ad 2. Idem etiam supponere videntur illi, qui docent, fidem resolui in aliquid creditum fide humana; cui absolute subesse potest falsum.

Idem sentit Gregorius de Valentia passim ac præsertim q. 1. punct. 4. §. 3. in cuius initio ait, opus non esse argumenta euidentia adferre pro fide nostra; *satis erit, si probabilia, aut ex historia, aut ex auctoritate humana. &c.* Et tandem in fine supponit, pueros cum primum fidem propositam à patentibus complectuntur, vt & infideles illico assentientes Concionatori, vere ac prudenter credere. Probatur autem assertio satis ijs argumentis, quæ superius attulimus contra oppositam sententiam.

133 Assertio II. Quamuis, vt dictum est, ex parte motiuorum, & propositionis externæ, secundum se nude spectatæ possit aliquid falsi æque credibile, aut etiam credibilius (tanquam scilicet certa fide propter diuinam reuelationem credendum) reddi ac verum; non potest tamen vnquam, absolute loquendo, falsum æque credibile diuina fide reddi, ac verum. Probatur & declaratur assertio, non solum ex eo, quod ex parte obiecti falsi reuera est impedimentum, quo minus credi possit fide diuina, sed etiam quia ex parte potentiæ, ad quam etiam ordinem dicit credibilitas, semper manet hoc discrimen; quod ad iudicium, de credibilitate obiecti vere à Deo reuelati ferendū, iuuatur & disponitur homo quodammodo per ipsum lumen internum fidei, seu habituale sit illud, seu actuale, vt supra dub. 3. ex S. Thoma dictum: id quod obiecto falso conuenire nullo modo potest. Quin etiam hoc ipsum lumen, seu gratiæ auxilium, facit, vt homo certius aliquo modo, etiam ex parte potentiæ assentiatur obiecto vero fidei, quam quæuis naturalis vis eiusdem potentiæ id facere possit, circa falsum assensum, vt infra q. 5. magis declarabitur. Non ergo æque diuina fide credibile, loquendo etiam ex parte obiecti & potentiæ, fieri potest falsum ac verum.

134 Assertio III. Quiuis etiam vere & supernaturaliter credens, non quidem præcise ob propositionem, aut motiua externa; sed potissimum tum per ipsam reuelationem diuinam ex parte obiecti; tum per internum lumen fidei, ex parte subiecti, in ipso assensu fidei plane certus (fidei certitudine) redditur, impossibile esse, vt falsum sit, quod credit. Declaratur ex dictis; quia fidei assensus ex ipsa formali ratione obiecti, est plane infallibiliter certus; ita vt falsum esse non possit, quod sub ea ratione creditur, vt quæst. præcedente dictum: Ergo omnis vere sub ea ratione fidei assensum eliciens; in ipsomet assensu fidei infallibiliter certus redditur, falsum esse nō posse, quod credit. Et quia ista certitudo non oritur præcise ex ipsa propositione externa, necesse est, vt oriatur tum ex reuelatione diuina, tum ex lumine fidei, quibus ipsa scilicet certitudo fidei nititur, quibusque firmitas assensus fidei in credente maxime stabilitur, vt dictum dub. 3.

135 Assertio IV. Imo pro certo habendum est, loquendo etiam de externis fidei nostræ motiuis, aut omnib⁹, aut etiam præcipuis quibusque, quibus re ipsa fides nostra credibilis redditur, impossibile esse, vt falsum sit, quod tantis signis & argumentis confirmatum est; adeoque nulla ratione fieri potest, vt vnquam aliquid falsum tantis argumentis probetur. Hic sensus fuit illius dicti, ex Richardo Victorino l. 1. de Trinitate citati dub. præcedenti: *Domine, si error est. &c. Ista enim ijs nobis confirmata signis. &c.* Eadem mens fuit aliorum Patrum.

136 Ratio sumitur ex dictis; quia plane absurdum est, & alienū à diuina sapientia, bonitate, ac prouidentia, cogitare, Deum permisisse tantis signis & prodigijs, tantaque auctoritate falsum aliquod suaderi, adeoque mundum vniuersum, omni ordinario medio sufficiente, ad veram de rebus supernaturalibus fidem acquirendam, destitui, vt pluribus etiam dictum q. 1. dub. 5. Vnde colligitur, saltem viros doctos & intelligentes, quibus eiusmodi motiua probe perspecta sint, nec posse vnquam à vera fide prudenter recedere, nec si adhuc infideles sint, eam prudenter repudiare.

137 Ex quibus etiam colligitur, adiunctis simul ijs, quæ supra cit. q. 1. dub. 5. diximus, fidei certitudinem nullo ex parte labefactari, etiamsi propositioni fidei, hic & nunc ad veram fidem concipiendam sufficienti, absolute loquendo, falsum subesse possit.

Ad primum argumentum superius obiectum respondetur, negando sequelam, loquendo de credibilitate fidei vndequaq, spectata. Namlicet ex parte quidem externæ propositionis, possit alicui successu temporis aliquod obiectum falsum æque, aut etiam magis fieri credibile, quam verum, non potest tamen vndequaque credibilius fieri, ex parte potentiæ; cum per ipsum internum lumen inhærentis fidei, potentius, quam per vlla motiua externa, inclinetur homo ad dignoscendā credibilitatem prioris obiecti veri, & incredibilitatem posterioris obiecti falsi, vt ex S. Thoma & Gregorio de Valentia dictum dub. 3. Loquendo autem de credibilitate fidei, præcise quantum est ex parte propositionis externæ, concessa Maiori, negatur minor.

138 Ad primam probationem respondetur, plus inde non concludi, etiam referendo illum Apostoli locum, *Sed licet nos, aut Angelus de cælo &c.* præcise ad propositionem externam, quàm fidem Galatis ita efficaciter & potenter fuisse propositā,

vt

vt nec Angeli quidem, nec vllius Apostoli nuda assertione, & auctoritate in contrarium oppositâ, eleuari aut eneruari vlla ratione posset. Plus enim haud dubie momenti habet ad persuadendum propositio è tantis miraculis, partim ab Apostolo editis, partim communi & recenti omniũ etiam aduersariorum fama celebratis, alijsque eiusmodi argumentis credibilitatis petita, quam opposita cuiusuis Apostoli, vel etiam Angeli auctoritas, vt prudenter notauit Michael Medina lib. 5. de fide cap. 11. Sed non colligitur, generatim, non posse vllam externam fidei propositionem sufficientem respectu certi hominis, succesſu temporis vllo modo eneruari; si quidem ipsa secundum se nude spectetur.

139 Ad secundam probationem respondetur, tales communiter amissuros fidem; eo quod, si credibilitatem fidei adæquate spectatam attendant, etiam ex parte nimirum interni illius luminis, de quo dixi, vt quidem communiter possunt & debent omnes, fieri non possit, vt prudenter fides pristina ab eis deseratur; qualiacunque motiua postea offerantur. In casu tamen aliquo extraordinario, si quis per inaduertentiam non adeo crassam, internam illam rationem credibilitatis fidei nostræ propriam, non ita animaduertat, non video quid obstet, quo minus aliquis etiam saluo fidei habitu, in contrarium fidei errorem incidere possit; non solum quia sæpe videmus, simplices eâdem, aut simili fidei propositione, qua ad veram fidem concipiendam inducti sunt, seu vitio proponentis, seu mala intelligentia propositionis, simul nonnullis erroribus aduersus fidem imbui; sed etiam quia ex omnium sententia, fidem non amittunt illi, qui post baptismum inter hæreticos educati, nihil vnquam de vera fide audierunt vel audire potuerunt, vtcunque falsæ tandem sectæ adhæreant. Neque vero talis formaliter, & quasi in sensu composito, fidem sufficienter propositam, hoc est, quamdiu sufficienter proposita manet, prudenter deserit; sed eam, quæ prius erat sufficienter proposita, nunc vero, ob contraria motiua validiora, sufficienter non amplius proponitur, deserit: quod facta tali hypothesi absurdum non est.

140 Ad secundum argumentum respondetur, negando sequelam. Ad probationem dico, vt aliquid fide diuina credatur, non satis esse, vt quolibet modo euidenter credibile fiat; sed opus est, vt fiat euidenter credibile assensu plane certo & indubitato; ita vt oppositum secundum prudens iudicium plane sit improbabile ac incredibile, vt dictum dub. 2. Iam vero omnia illa motiua & argumenta, tum propter inscrutabilem abyssum cordis, tum propter alia varia argumenta, quę de particulari ac propria iustitia dubitandi rationem ingerere possunt; plus non probant, quam (probabiliter humana fide) credi posse, eiusmodi inspirationes à DEO profectas esse. Certum autem omnino ea de re & indubitatum iudicium ordinarie loquendo parere nõ possunt; eo vel maxime, quod non modo nullus est, qui ob eiusmodi motiua nobis id absolute, veluti diuina & indubitata fide credendum, proponat; sed quod etiam Ecclesia, cuius auctoritas quauis humana augustior est, ne id faciamus, impedit, vt pluribus dictum tom. 1. disputatio. 1, quæstione 5. dub. 4. & tom. 2. disputat. 6. q. 4. dub. 5.

Verum contra assertionem quartam speciatim adhuc obijci potest: Si viris doctis & intelligentibus, quibus omnia, aut præcipua fidei nostræ motiua probe perspecta sunt, ex ipsa ratione diuinæ prouidentiæ certum est, falsum esse non posse, quod ita credimus; Ergo habent eius rei euidentiam: & per consequens euidenter cognoscunt, ea quæ fides proponit, vera & à Deo reuelata esse. 141

Respondeo, negando sequelam: neque enim dixi, illos hac de re absolutam plane habere certitudinem seu euidentiam; quasi vero loquendo de absoluta DEI potentia aperte contradictionem inuoluat, vt Deus permittat falsum aliquid eodem modo credibile reddi, quo fides nostra nobis credibilis redditur: sed hoc dixi, prudenter existimari certum, non solum id re ipsa non accidisse, sed etiam nec posse secundum ordinariam DEI legem accidere. Quali certitudine etiam iudicamus, DEVM nunquam permissurum, vt aliquis verum miraculum, aut opus supernaturale efficiat, affirmans se id facere in confirmationem rei falsæ, vtcunque DEVS eam neque affirmare, neque confirmare intendat, vt dictum quæstione 1. dub. 5. 142

Vnde fit, vt licet assensus ex alieni miraculi cognitione, per syllogismum in hunc modum conceptus: Quidquid Deus miraculis confirmauit, est verum: hoc, in cuius scilicet confirmationem, miraculi patrator dicit, miraculum esse factum, Deus miraculis confirmauit: Ergo est verum; non sit vndequaque infallibilis & plane euidens; eo quod minor huius syllogismi non sit plane infallibilis & euidens, vt docent etiam Durandus quæst. 1. prologi nu. 46. & 47. & Gabriel in 3. distinct. 24. quæst. 1. a. 3. post Ockanum; & colligi potest ex Caietano hic q 1. art. 4. etsi moraliter quasi euidens censeatur; ita vt moraliter loquendo, de propositione per miraculum iuxta testimonium operantis miraculum, confirmata dubitari vix possit; vtcunque forte, absolute loquendo, falsum esse possit, miraculum illud ad eum finem fuisse factum, quem operator miraculi indicat, vt dictum loc. cit. & pluribus disserit Suarez 3. part. tom. 2. disput. 81. sect. 2.

Atque hæc de priuata & particulari fidei propositione satis, nunc de communi & publica agendum.

QVÆSTIO III.

De publica propositione, & iudice controuersiarum fidei; ac de Ecclesia.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

1 *VAlde pauca hac de re loc. cit. attingit S. Thomas. Sed quia res & per se grauis est, & aduersus huius temporis Sectarios plurimum momenti habet, paulo vberius, scholasticæ tamen tractationis modo, explicanda est; Et quia publica fidei propositio simul complectitur tractationē de Iudice & norma fidei, deq; Ecclesia, Summo Pontifice & Concilijs, vt distinctè singula explicentur, hac quæstione solum de Iudice controuersiarum fidei generatim; ac simul de Ecclesia; quæstione autem 4. de Summo Pontifice, & quæst. 5. de Norma fidei agamus. Hæc vero quæstio absoluetur quatuor dubitationibus. I. An præter priuatam propositionem, aliqua publica viua, visibilis, & infallibilis auctoritas in Ecclesia sit necessaria; quæ & fidei symbolum ordinet, & scripturam sacram explicet; ac catera credenda proponat, & subortas fidei controuersias definiat ac decidat. II. Quid sit Ecclesia; & quinam sint in Ecclesia. III. Quænam generatim sint proprietates, & notæ veræ Ecclesiæ. IV. Quænam sit vera Ecclesia; seu an, & quanam ratione ex notis Ecclesiæ contra Sectarios probetur, solam Catholicam & Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam.*

DVBIVM I.

An præter priuatam propositionem, aliqua publica, viua, visibilis & infallibilis auctoritas in Ecclesia sit necessaria; quæ & fidei symbolum ordinet, & scripturam sacram explicet, ac catera credenda proponat, & subortas fidei controuersias definiat ac decidat.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 10.

2 INtelligitur nomine publicę propositionis fidei, talis propositio, quæ communi & publica auctoritate palam ac publicè fiat, & quæ proinde ab omnibus fidelibus necessario sit acceptanda, vt dictum quæst. præcedente dub. 1. siue ea propositio fiat nuda asseueratione veritatis à DEO reuelatæ; siue etiam definitione alicuius controuersiæ circa religionem ortæ. Siquidem constat, ad eandem auctoritatem pertinere & veritates credendas proponere, adeoque symbolum fidei cuiuis tempori accommodatum ordinare; & scripturam sacram interpretari, & subortas fidei ac religionis controuersias dirimere ac definire; ita vt proinde hæc de publica fidei propositione quæstio, eadem sit cum illa, quæ sub alijs terminis proponi solet, de iudice controuersiarum fidei. Quæ quidem controuersia hoc tempore magni momenti est aduersus sectarios, qui vt legitimi iudicis sententiam declinent, contra iudicem excipiunt, suamque illi auctoritatem detrahere nituntur, vt videbimus.

3 Vtverò intelligatur status controuersiæ, supponenda prius sunt hoc loco, quę hac de re vtrinque extra controuersiam posita sunt. Nimirum I. Iudicem quidem nonnunquam cum norma seu regula confundi; quo modo etiam in Republica ciuili, leges ipsæ seu Imperatoriæ, seu municipales, quandoque Iudicis appellationem sortiuntur: proprie tamen inter se differre, vt ex parte etiam fatetur Hunnius thesi 25. & 30. in disp. de colloquio cum Pontificijs ineundo. Norma enim seu regula est, id cui aliquid conformari debet; iudex autem proprie loquendo, ille, qui cognitâ causâ, & ad præscriptam normam expensâ, sententiam pronuntiat; atque ita suum cuique parti ius dicit. Quod si quis non arbitrarius, sed publicus & ex officio iudex est (quo modo in proposito de iudice agimus) is sane debet etiam suo modo contumaces ad obedientiam compellere, atque ita cum authoritate sententiam ferre posse.

II. Necessarium in Ecclesia esse, adeoque etiam re ipsa extare cōmunem quendam fidei Magistrum, & iudicem controuersiarum religionis; qui cum auctoritate possit & scripturas interpretari, adeoque credenda proponere, & causas fidei, saltem grauiores, quas nimirum decisas esse interest Ecclesiæ, dirimere, & partes contumaces ad parendum cogere: cum etiam in quauis politicaRepublica recte ordinata, opus sit publico 4

Magistra-

magistratu; qui possit cum auctoritate leges proponere, ac interpretari, & secundum leges ius dicere; neque vllo modo sit credibile, communitatem Ecclesiasticam minus recte à DEO ordinatam ac dispositam esse, quam communitatem ciuilem: præsertim quando ipsa experientia constat, res fidei in Ecclesia non minus sæpe tum ob humani ingenij imbecillitatem, tum ob ipsarum rerum obscuritatem, dubias & controuersas esse, quam res temporales in Repub. Vt ergo controuersiæ huiusmodi legitime decidantur, opus est Iudice.

5 III. Communem & publicum Religionis controuersiarum Iudicem, ipso naturali rationis lumine dictante his conditionibus præditum esse oportere. 1. vt in rebus fidei publica auctoritate diiudicandis & constituendis, errare non possit; ne qui magister fidei, ac fidelium esse debeat, fiat seductor. 2. Vt cum auctoritate & potestate valeat iudicare; ne sententia per illum legitime lata, impune contemnatur. 3. vt eius sententia clara sit & perspicua; non obscura, non ambigua, quæ lites pariat, quas componere debuerat. 4. vt omnibus (saltem circa res scitu necessarias) fidei quæstionibus ac controuersijs diiudicandis sufficiat.

6 IV. Deum, adeoque etiam Christum Dominum esse quidem ac manere semper totius Ecclesiæ, sine vlla restrictione, vndequaq; supremum & absolutum Iudicem; cuius videlicet iudicialis auctoritas plane illimitata & incircumscripta sit, & à nullo prorsus dependeat, vt pluribus dictum q. 4. dub. 2.

V. Dei verbum esse itidem regulam fidei certam plane, & vndequaque infallibilem; cuius proinde sententiæ, seu præscripto, sine vlla dubitatione & cunctatione, ab omnibus absolute standum & acquiescendum sit; ita vt nec ab ea vllam in partem declinare, nec illi quidquam vllo modo contrarium credere, aut docere fas sit.

7 VI. Quin etiam præterea in terris esse aliquos DEI ministros, & dispensatores mysteriorum DEI constitutos, (hodie vocari solet, ministerium verbi) quibus peculiariter atque ex officio incumbat, scripturam interpretari, credenda proponere, controuersias religionis diiudicare, suoque modo repugnantes punire. Patet tam ex scriptura 1. Corinth. 12. versu 28. & Ephes. 4. v. 11. quam ex perpetua Ecclesiæ praxi. Et falsi sunt hoc ipsum aperte Prædicantes Lutherani in vltimo Colloquio Ratisponensi Anni 1601. sess. 9. & si vel maxime negarent, contra eos staret propria praxis. Quid enim apud eos aliud faciunt ministri verbi, quam quod se & scripturæ interpretes, & suo modo iudices rerum fidei faciunt; vt qui contumaces etiam, suæque sententiæ repugnantes, nonnunquam per excommunicationis sententiam à Synagoga suorumque fidelium communione excludunt. Vt taceam Magistratum politicum, qui non leuiter subinde, in causis religionis, apud aduersarios iudicis sibi partes vendicat & vsurpat.

8 VII. Imo etiam quemuis hominem Christianum, rationis compotem, posse ac debere de rebus credendis iudicare, priuato quodam iudicio, seu *approbationis*, circa res videlicet sufficienter propositas, iuxta illud 1. Corinth. 10. v. 15. *Vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico*; seu *discretionis* (non decisionis publicæ) si res noua, & in speciem antiquæ fidei contraria credenda proponatur, exemplo Beroeensium Act. 17. v. 11. *quotidie scrutantium scripturas, si hæc ita se haberent.* Quod vtique faciunt omnes Christiani, hoc ipso, quod nō leuiter, nec cuilibet nude affirmanti, sed grauissimis argumentis inducti ac persuasi credunt ea, quæ credunt, iuxta dicta dub. præcedenti; insuper etiam accuratiorem inquisitionem adhibentes, si quando nouum quidpiam, ac in speciem priori fidei contrarium credendum proponatur.

9 Vt autem fideles, etiam inuentâ semel fidei veritate, circa ea ipsa, quæ iam crediderunt, perpetuâ quadam inquirēdi curiositate ac prurigine fatigentur (quod quidem insigne est apud Sectarios falsæ fidei argumentum) neque necessarium, neque rationi consentaneum est. Egregie Tertullianus de præscriptionibus cap. 8. *Nobis curiositate*, inquit, *opus non est, post Christum Iesum; nec inquisitione post Euangelium. Cum credimus, nihil desideramus vltra credere.* Et cap. sequenti: *Nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. Videris qui quærit semper, quia non inuenit. Cum enim quærunt adhuc, nondum tenent; cum autem non tenent, nondum crediderunt; cum autem nondum crediderunt, non sunt Christiani.* Inquisitio igitur illa non ad Catholicos pertinet, sed ad Sectarios nostros, qui nullam habent, nec habere possunt suæ fidei certitudinem; vtpote & motiuis legitimis destituti, de quibus quæst. præced. actum; & ex communibus Ecclesiæ notis aperte conuicti; vt patebit dub. 3.

10 His ita suppositis & constitutis, controuersum est inter nos, & Sectarios huius temporis, an præter Deum, eiusque verbum scriptum, aut priuatim singulis inspiratum, sit alius publicus quidam, & viuus, ac visibilis, magister fidei, & iudex controuersiarum religionis; ad quem spectet, credenda proponere, ac fidei controuersias definire, ab ipso Deo in Ecclesia constitutus; non quidem eidem æqualis, aut ab auctoritate diuina independens, sed ita tamen infallibilis, vt eius tanquam ministri & Vicarij Dei publica sententia, in dubijs causis & controuersijs fidei, absolute, hoc est, sine vlla dubitatione aut disquisitione vlteriori, standum sit: an vero Deus nullum eiusmodi viuum & visibilem in Ecclesia iudicem constituerit; sed per se ipsum, ac suum duntaxat verbum, seu scriptum, seu priuatim singulis inspiratū, omnes fidei controuersias tanquam iudex sufficienter definiat.

Etenim constitutum esse à Deo alium iudicem, adeoque Deum, siue Christum, in hac quidem vita, vel per se immediate, vel per suum duntaxat verbum, seu scriptum, seu priuatim singulis inspiratum, eiusmodi iudicis officium proprie non exercere, sed per alium quemdam viuum suum Vicarium, affirmant omnes Catholici; at

nega-

negarunt iam olim, & adhuc negant omnes hæretici: Samosatenus apud Eusebium hist. lib. 5. cap. 28. Arius lib. 1. hist. tripart. cap. 24. Nestorius lib. 12. cap. 4. Abailardus apud S. Bernardum epist. 109 Wicleffus apud Waldensem lib. 2. doctrin. cap. 19. Hæretici enim esse non possent, nisi hunc vicarium Christi in terris iudicem, à quo damnantur, negarent.

11 Discrepant tamen inter se hodie Sectarij; quod etsi omnes Deum siue Christum solum infallibilem fidei iudicem ac Magistrum faciunt, Libertini tamen & Schwenckfeldiani docent, Deum hoc iudicium proprie exercere per internas ac priuatas inspirationes: alij autem, vt Lutherani, Caluinistæ, Zuingliani, per solum verbum scriptum. Qua de causa isti communiter olim etiam ipsam scripturam sacram, seu verbum Dei scriptũ iudicem dixerunt: iam vero paulo rectius loqui edocti, cum iudex proprie dici non possit, nisi persona seu natura aliqua intelligens, quæ subortas controuersias cognoscat, & particulatim ac perspicue definiat ac diiudicet, vt supra dictum, & ex communi sensu ac nominis notione patet; idcirco fidei iudicem dicunt Spiritum Sanctum; scripturam autem sacram proprie non iudicem, sed vocem iudicis, vt videre est in citat. colloquio Ratisponensi sess. 1. thesi aduersariorum 2. & sess. 9.

Cæterum contra hunc pestilentem errorem, qui caput est cæterorum omnium, & totius huius Babylonicæ confusionis origo, sequêtes assertiones statuimus.

12 Assertio I. Neque priuatus spiritus, seu priuatæ inspirationes; neque Deus quatenus præcise priuatas eiusmodi inspirationes immittit, ordinarij iudicis munus in Ecclesia obit. Ita orthodoxi omnes contra supradictos Libertinos & Schwenckfeldianos. Probatur ex dictis superius q. 2. dub. 3. vbi ostendimus, Deum ordinarie fidem singulos non docere, neque etiam quid credendum sit sufficienter proponere per priuatas inspirationes, sed per ministerium humanum, iuxta illud Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, nempe externum, vt patet ex v. 14. *Quomodo autem audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Quod si remotis etiam controuersijs, fidei veritas non sufficienter percipitur, & docetur, solis inspirationibus internis, absque externo ministerio verbi; quomodo priuatæ inspirationes sufficient ad publicas fidei controuersias diiudicandas & definiendas?

13 II. Vox iudicis debet esse publica & manifesta, non anceps, aut dubia; quam aut partes ipsæ litigantes non satis intelligant; aut earum quælibet ex æquo pro se adducere possit: sed reuelationes seu inspirationes eiusmodi priuatæ tales non sunt: Ergo, &c. Maior patet ex dictis; & ex fine huius iudicij: alioquin enim pars altera litigans conuinci de falsitate non poterit; nec omnino tenebitur tali sententiæ se accommodare, hoc ipso quod priuata est.

Minor propositio quoad primam partem patet; quia inspirationes illæ, hoc ipso, quod priuatæ sunt, publicam auctoritatem non habent. Quoad secundam partem probatur ex eo; quia plerunque, secluſa præsertim publica Ecclesiæ auctoritate, nemo potest satis scire, num inspirationes eiusmodi sint à Deo, an à malo spiritu. *Spiritus enim vbi vult spirat: & vocem eius audis; sed nescis, vnde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu* Ioannis 3. v. 8. Quod quidem æque ad spiritum internum mentis, ac externum & corporeum aëris, ex mente Christi accommodandum est. Hinc *non omni spiritui credere* iubemur, sed *probare spiritus, si ex Deo sint* 1. Ioannis 4. v. 1. probare, inquam, non vt hoc ipso statim infallibilem eius rei certitudinem adipiscamur; falli enim nihilominus circa hoc accidit, & quidem eos ipsos maxime, qui eiusmodi spiritum maxime venditant, euidenter patet, vel ex ipsorum met inter se dissensione; sed vt vel probabile iudicium consequamur, cui tamen dubiæ res fidei decidendæ tuto committi non possunt.

III. In omni republica bene constituta, præter priuatam doctrinam, & scientiam, ad finiendas & determinandas controuersias ciuiles, requiritur publica aliqua & communis auctoritas, penes quam sit summa potestas iudicandi: ergo etiam in Ecclesia præter priuatam scientiam & cognitionem, siue ex particulari & priuata Spiritus Sancti inspiratione, siue etiam aliunde haustam, requiritur communis & publica quædam iudicandi auctoritas, penes quam sit in terris summa iudicandi potestas, Deo tamen subordinata, & ab eo dependens, vt superius dictum. 14

Assertio II. Sed nec Scriptura sacra, neque Deus, quatenus præcise per scripturam loquitur, proprie est iudex controuersiarum Religionis: sed opus est alia viua & visibili auctoritate, ad quam controuersiæ religionis diiudicandæ deferantur; & cuius sententiæ in omni causa religionis dubia simpliciter & absolute acquiescendum sit. Ita contra secundum sectariorum errorem, certa itidem orthodoxorum habet sententia, quæ in postremo colloquio Ratisponensi his argumentis comprobata est. I. Si in omni Republica bene ordinata aliquis alius visibilis iudex præter supremum Iudicem Deum, scriptasque Reipub. leges requiritur, cuius sententiæ in omni causa dubia, ad idem forum spectante, ab omnibus absolute acquiescendum sit, tum in Ecclesia quoque, vtpote rectissime ordinata, alius eiusmodi visibilis & absolutus iudex, præter Deum & scripturam, seu legem scriptam, admitti & assignari debet: sed verum est antecedens, vt patet: Ergo & consequens. Sequela maioris negata, probata est ex eo: Alias enim sequuturum esset, Ecclesiam esse minus bene ordinatam, quam Rempublicam ciuilem, quod est absurdum; & contra scripturam; ex qua constat, Ecclesiæ regimen & hierarchiam optime à Deo dispositam esse, vtpote quæ idcirco comparatur *Regno*, Matthæi 25. & *domui* seu familiæ rectè dispositæ, Heb. 3. & *Castrorum aciei ordinatæ* Cantic. 2. Eandem enim quoad hoc esse rationem Ecclesiæ, & ciuilis Reipublicæ, ex eo demonstratum 15 16

est; quia

est; quia idcirco in Republica bene ordinatâ, præter scriptam legem, alius quispiam iudex visibilis requiritur, vt nimirum in Republica sit, qui possit primo cognoscere controuersias in ea Republica ortas, atque adeo vtriusque partis argumenta conferre; secundo sensum legis explicando, claram sententiam ferre; tertio compellere transgressores legum ad obedientiam inflictâ pœna. Eadem est prorsus ratio communitatis Ecclesiasticæ, in qua scriptura sacra non aliter se habet, quam scriptæ leges in Republica.

17 Neque refert, quod Deus ipse controuersias cognoscat, & tum in suamente sententiam ferat; tum etiam eam aliquo modo per sacram scripturam pronuntiet. Non enim idcirco clare & distincte de qualibet controuersia per scripturam sententiam profert; cum potissimum de ipsius scripturæ sententia oriri controuersiæ soleant; quæ proinde necessario aliam, ac magis particularem Iudicis sententiam deposcunt. Quod etiam in politicis controuersijs accidit. Licet enim Deus quoque controuersias omnes politicas probe vtique cognoscat, & in sua mente diiudicet; quin etiam seu Deus ipse, seu Rex per leges scriptas, auctoritate diuinitus concessa, aliquo modo sententiam proferat, nihilominus alio opus est iudice visibili, qui clare de quaque cõtrouersia, quæ etiam circa legis scriptæ sensum & valorem oriri potest, sententiam pronuntiet.

18 II. Omnis iudex, præsertim supremus in hac vita, ita debet dicere sententiam, vt altera pars litigans euidenter sciat, se vicisse; altera pars euidenter sciat, se causâ cecidisse, quantum est ex parte illius iudicis: at hoc neque sacra scriptura, neque Spiritus sanctus, quatenus præcise per scripturam loquitur, facit: Ergo neque sacra scriptura, neque Spiritus sanctus, quatenus præcise per scripturam loquitur, est talis iudex. Maior patet ex fine iudiciariæ potestatis, qui est finem litibus, ac partibus litigantibus silentium imponere. Minor euidenter constat experientia quamuis enim sæpius lectâ & relectâ scriptura, omnes tamen partes circa fidem litigantes ex æquo sibi persuadent, scripturæ sententiam à se stare.

19 III. Sunt aliquæ controuersiæ Religionis & fidei, quæ sola scriptura iudice definiri non possunt: Ergo scriptura non est iudex omnium controuersiarum Religionis. Antecedens probatur varijs exemplis. 1. exemplo illius controuersiæ veteris, de celebratione Paschatis, contra Quartadecimanos; qui post controuersiam ab Ecclesia, non vtique à scriptura definitam, ab omnibus olim pro hæreticis sunt habiti, quod Pascha necessario cum Iudæis Luna decima quarta, non autem die Dominico celebrandum assererent. 2. Simile exemplum est de perpetua Virginitate B. Mariæ, olim ab Heluidio hæretico in controuersiam vocata; quæ etsi probabilibus argumentis ex scriptura suaderi possit, certo tamen & euidenter ex ea sola probari non potest. 3. Talis est pædobaptismus; qui traditione maxime nititur; & vero à sectarijs ex scriptura probari minime potest; quando putant, iuxta scripturam nemini baptismum conferendum, nisi qui actualiter credat. 4. Tale est etiam illud olim admodum controuersum dogma, baptizatos ab hæreticis non esse rebaptizandos: quod tantum abest, vt ex tota scriptura sufficienter probetur, vt Cyprianus olim, alijque cum eo sentientes, id ex scriptura vel maxime impugnandum sumpserit; Orthodoxis è contrario traditione potissimum sese suumque illud dogma defendentibus, vt ex epistolis Stephani & Cypriani num 70. & seqq. patet. 5. Simile exemplum est de Canone librorum sacrorum; seu quænam in particulari sit scriptura sacra & canonica. De quo plura quæst. sequenti; vbi de traditionibus agetur.

IV. Nullus reus prouocat ad iudicem, à quo iam ante sufficienter damnatur: sed hæretici quasi omnes prouocant ad scripturam: Ergo per scripturam nullo modo sufficienter damnantur; atque adeo scriptura proprie non est iudex neque vox, aut sententia iudicis. Maior patet; quia nunquam reus prouocat ad iudicem, à quo non speret sententiam pro se ferendam; id vero sperare non potest ab eo iudice, à quo sufficienter, & quidem per vltimam ac irreuocabilem sententiam est sufficienter damnatus. Minor probatur, tum experientiâ huius temporis, quo constat, omnes sectarios ad scripturam iudicem prouocare; tum testificatione Sanctorum Patrum; in quibus sunt Ambrosius libro 4. in caput 4. Lucæ, Athanasius orat. 1. contra Arianos, Epiphanius epistol. 60. inter opera Sancti Hieronymi, Sanctus Augustinus tract. 18. in Ioannem homil. 9. & in libro 83. quæstione 69. & de Genesi ad literam lib. 7. cap. 9. & lib. 2. de nuptijs & concupiscentia cap. 31. 20

Prolixe Vincentius Lyrinensis, contra hæreses, cap. 35. vbi inter cætera de hæreticis ait: *Siue apud suos, siue alienos, siue priuatim, siue publice, siue in sermonibus, siue libris, siue in conuiuijs, siue in plateis, nihil vnquam pene de suo proferunt, quod non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur.* Similia habet cap. 36. & 37. 21

Optimè etiam Hilarius lib. 2. ad Constantinum; *Memento*, inquit, *neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.*

Et omnibus antiquior Tertullianus l. de præscriptionibus cap. 15. ita scribit: *Sed & ipsi* (hæretici) *de scripturis agunt, & de scripturis suadent. Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei nisi ex literis fidei, &c. Scripturas obtendunt; & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso vero congressio, firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur gradum petissimum obstruimus; non admittendos eos ad vllam de scripturis disputationem: si hæ sunt vires eorum, anne eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio scripturarum; ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.* Quæ argumenta in colloquio citato proposita sess. 9. & 10. paulo clarius digessi in relatione de colloquio part. 2. c. 1, 2, 3, 4. Quibus nunc addo sequentia.

V. Cum

22 V. Cum Scriptura dicitur iudex controuersiarum fidei, aut sane vox iudicis, cui omnes absolute acquiescere debeant; id vel intelligitur, de nudâ scriptura, secundum se præcise spectata; aut necesse est simul adiungi legitimam eius interpretationem. Primum dici non potest, iuxta Apostolum 2. Corinth. 3. vers. 6. *Litera occidit, Spiritus autem viuificat:* & per se notum est, non nudam per se literam scripturæ, sed legitimum eius sensum, fidei nostræ normam & fundamentum esse. Si secundum dicitur, tum ea interpretatio, vel à communi & publica aliqua in Ecclesia auctoritate petenda est, vel ab humano solum ingenio ac scientia; vel à priuata Spiritus illustratione. Secundum dici non potest, iuxta illud 2. Petri cap. 1. vers. 20. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia* (seu explicatio vera) *Scripturæ propria interpretatione non fit.* Neque tertium; quia tunc non tam scriptura, quam priuatus cuiusque Spiritus iudex foret quod assertione præcedente refutatum. Ergo admittendum est primum, nempe dari in Ecclesia publicam & visibilem auctoritatem, à qua & legitima Scripturæ interpretatio, & in rebus dubijs vera fidei sententia petenda sit; cui omnes teneantur acquiescere.

23 VI. Vox & sententia iudicis, in quauis obueniente controuersia, necesse est vt sit clara & perspicua: scriptura non est ita clara & perspicua, sed nobis plane difficilis & obscura; notando videlicet hac in re non aliquod scripturæ vitium, sed tum summam eius excellentiam & sublimitatem; tum nostri intellectus imbecillitatem; qua fit, vt etsi scriptura secundū se certissimæ veritatis, maximeq; cōspicua sit, non clarius tamen à nobis conspiciatur, quam à vespertilione clarissimus solis splendor, vt in simili re dixit Aristoteles lib. 2. Metaphys. text. 1. Ergo, &c. Maior patet ex dictis.

24 Minor propositio probatur primo; quia id ipsum asserit scriptura 2. Petri vltimo v. 16. vbi de Pauli epistolis dicitur: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Vbi non esse sermonem solum de quibusdā phrasibus Apostoli, aut rebus leuibus, tū ex eo patet, quod Petrus asserit, errorem in ijs rebus intellectu difficilibus, animæ perditionem adferre; tum satis colligitur, ex ipsis rebus, quas in suis epistolis tractat Apostolus, explicatu sane difficillimas, vt est prædestinationis mysterium, legis antiquæ inutilitas, gratuitæ iustificationis cum necessitate operum conciliatio iuxta illud Rom. 13. *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur* Rom. 2. v. 13. legis & Euangelij, seu Mosaicæ & nouæ legis comparatio; iustificatio fidei, fomitis infectio, seu carnis inobedientia, peccati originalis transmissio in omnes homines; Sacerdotium Melchisedechi, ipsiusque Christi sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Quæ sane cum in suis epistolis tractet Apostolus, omnia tamen & singula non facilem habent explicationem; siue res ipsas, siue phrasin Apostoli spectemus.

Secundo idem verbis & facto testantur SS. Patres. Verbo quidem, dum obscuritatem eiusmodi aperte fatentur, vti Iræneus lib. 2. cap. 47. Origenes lib. 2. contra Celsum, Basilius & Gregorius Nazianzenus apud Ruffinum lib. 11. histor. cap. 9. Ambrosius epist. 44. Hieronymus epist. ad Algasiam q. 8. *Omnis*, inquit, *epistola ad Romanos nimis obscuritatibus inuoluta est.* Et comment. in cap. 7. Eccles. *Vir qui eruditus fuerit in scriptura quanto plus scire cœperit, tanto et in his quotidie oritur maior obscuritas.* Similia habet epist. ad Paulinum. & in præfatione commentariorum epistolæ ad Ephesios. Et Augustinus lib. 2. doctrinæ Christianæ cap. 6. *Multis*, inquit, *& multiplicibus obscuritatibus decipiuntur, qui temere legunt scripturas: quod totum diuinitus prouisum esse non dubito, ad edomandā labore superbiam:* adde etiam ad humilitatis exercitationem: ad maiestatem scripturæ tuendam; ad occultanda hostibus fidei nostræ mysteria, &c. Plura Augustinus lib. 12. confess. c. 14. & epistola 119. 25

Facto autem, dum tot commentarios summo labore conscriptos exhibent; dum & in scripturæ interpretatione, & in ipsis fidei quæstionibus secundum scripturam decidendis, non semper inter se consentiunt, dum & ipsi nonnunquam sigillatim spectati, pro humana fragilitate à vera fidei sententia, veroque scripturæ sensu aberrant, vti S. Cypriano, & Chiliastis illis accidit, omnibusque notum est: denique dum & ipsi viri sapientissimi & sanctissimi alij alios, ac se inuicem de varijs scripturæ quæstionibus consulunt, vt in Epistolis Hieronymi & Augustini videre est. 26

Tertio idem testatur ipsa quotidiana Sectariorum praxis & experientia. Vt quid enim ipsi tot etiamnum, post tot & tanta veterum monumenta, Commentarios in scripturam conscribunt? Vt quid non modo Lutherani à Caluinistis, & ab vtrisque Zwinglian: & Anabaptistæ, sed ipsi etiam Lutherani aut Caluinistæ inter se mutuo, imo Lutherus à se ipso tantopere, in fidei scripturæq; sententia proponenda, dissentiunt? An non constat, quam varie de vnico illo scripturæ loco, qui tamen vnus omnium videtur clarissim⁹, certe quidem verbis simplicissimis & clarissimis propositus: *Hoc est corpus meum*; inter ipsos, & quam irreconciliabiles sint discordiæ? Certe de iustificatione viginti diuersissimas sententias esse secundum scripturam, inter solos Confessionistas, fatetur Osiander Apologia contra Philippum. Et quanta lis etiamnum hodie est inter Confessionistas, de vbiquitate humanitatis Christi; quam concordistæ, tanquam cœleste dogma libro Concordiæ inseruerunt; alij vero tanquam abominabile monistrum & portentū detestantur. An non igitur vel obscurissima est scriptura, vel aduersarij ipsi truncis rudiores & hebetiores, dum apertam scripturam tam parum intelligunt? Accedit ingenua confessio Lutheri præfatione operat. in psalmos, vbi fatetur, ignorare se, legitimam habeat nec ne intelligentiam Psalmorum, & *impudentissimæ temeritatis* arguit eum, qui audeat profiteri, vnum scripturæ librum à se in omnibus partibus intellectum. 27

28 Quarto idem probat res ipsa. Nam & ipsa argumenti seu mysteriorum, quæ in scriptura tractantur, sublimitas; & mira phrasis seu eloquutionis proprietas, scripturæ obscuritatem ac difficultatem aperte demonstrant; vbi tot orationes ambiguæ, tot apparentes contradictiones, tot anticipatæ narrationes, tot recapitulationes, tot allegoriæ, tot orationes imperfectæ, figuris tropisq; refertissimæ, tot hyperbata & traiectiones. Vbi proinde quod secundum literam & voces clarum primo intuitu videtur, sæpe falsum est, nisi ad alium, obscurum quidem, sed verum sensum inflectatur. Vbi nec facile verũ inuenitur, & inuentum, certâ notitiâ longe difficilius agnoscitur.

29 Neque iuuant illa effugia I. Quod collatione locorum scripturæ facile patescat veritas. Dum enim nescis, cum quo loco quisque conferri debeat; vel certe ex duobus locis inter se conferendis, vter ex altero, tanquam clariori explicari debeat, est in ipsa collatione recte instituenda summa obscuritas, summa difficultas; quam & ipsi quotidie experiuntur Sectarij. Quid quod locus alioquin ex se clarissimus, vti est ille: *Hoc est corpus meum*; Sacramentarijs huius temporis, ex ipsa aliorum locorum collatione obscurissimus redditur, vt eum idcirco in quam plurimos sensus dissecare necesse habeant.

30 II. Quod aduersarij donum interpretationis scripturæ, studio & oratione comparatum, sibi vindicant; quo omnes scilicet difficultates liquidæ reddantur. Nugæ. Primum enim hinc sequitur, scripturam non adeo, vt aiunt, claram esse. Secundo, vnde hoc illi donum sibi inesse probant? certe cum id omnes hæretici iactent; nec tamen omnibus, vtpote inter se ipsos diuersissima sentientibus inesse possit, non potest id sane prudenter de quoquam credi: nisi forte quis peculiaribus signis ac miraculis rem exploratam faciat: quod hactenus Sectariorum fecit nullus.

31 Tertio, quæ hæc arrogantia est? interpretationis laudem ac donum tot Sanctis & doctissimis Patribus, totique Ecclesiæ, quæ per mille amplius annos floruit, ademptum, sibi arrogare. Aut enim studio & pietate donum illud obtineri potest; aut non potest. Si non potest, tum Sectarij illud sibi nonnisi mendaciter arrogant. Si potest; tunc omnium prudentum iudicio, necesse est antiquæ potius Ecclesiæ, totque Sanctis & eruditissimis Patribus, quam nouis ac prophanis hominibus tribui; adeoque illos potius, quam istos, in scripturarum interpretatione audiri. Nisi forte isti Sectariorum Grammaticelli, quibus vix ob vxorum & liberorum reique familiaris curam, tantillum temporis relinquitur, quod ad grammaticam discendam, aut docendam sufficiat, doctiores, & à linguarum cognitione instructiores sint tot Athanasijs, Gregorijs, Chrysostomis, Augustinis, Hieronymis; qui totam in litteris & libris ætatem consumpserunt; qui linguarum, præsertim græcæ, scientiam vel à nutrice cum lacte suxerunt, vel à prædagogo simul cum primis elementis didicerunt; Sanctiores tot Ignatijs, Cyprianis, qui vitam pro fide & veritate posuerunt: dono interpretationis illustriores, quam totus ille sanctissimorum doctissimorumque virorum illustrissimus chorus. Annon hæc Sectariorum impudentia, quauis scriptura clarior, est?

32 Et nihilominus tamen quarto, cum constet, etiam sanctissimos illos pariter ac doctissimos viros, sigillatim spectatos, subinde in scripturæ interpretatione per humanam infirmitatem lapsos esse, efficitur, scripturam nec cum eiusmodi quidem interpretationis dono, quale vel per summam industriam humanam obtineri à singulis possit, esse sufficiens ac vniuersale medium ad fidei controuersias dirimendas.

Neque obstat, quod scriptura, seu lex Domini dicitur lumen ac lucerna oculorum &c. hoc enim non de scriptura secundum se, sed de sensu scripturæ, seu veritate diuina in scripturis reuelata dicitur; quæ cum recte intelligitur ac mente percipitur, vtique mentem illuminat; sed vt bene intelligatur, hic opus, hic labor est.

33 Denique contra vtrumque illum errorem Sectariorum superius relatum, ita argumentari licet. Illud non est sufficiens medium diuinam sententiam in quauis fidei controuersia patefaciendi, quod æque vtraque pars sibi arrogare, ac pro se venditare potest ac solet: sed ita res se habet cum priuata inspiratione & interpretatione scripturæ, adeoque cum ipsa scriptura, sine publico eodemque infallibili Ecclesiæ iudicio ac interpretatione spectata: Ergo &c. Maior est euidens; quia per sententiam sufficienter latam ita finiri debet controuersia, vt pars damnata sciat, se, quantum est ex vi eius sententiæ, damnatam. Minor probatur. Nam ex sectis quamuis diuersissima sentientibus, quælibet solet dicere, se habere Spiritum aut donum interpretationis; cæteras non habere: quisque etiam Sectariorum, si corticem externum spectemus, potest non parum in speciem fauentia pro sua opinatione scripturæ loca adducere, vt quotidiana experientia patet. Cum enim tam Caluinistæ v. g. quam Lutherani circa eas, quas de fide habent controuersias, scripturam iudicem, aut sane vocem iudicis faciant, æque tamen vtrique eam pro sua sententia adducunt, æque vtrique clamant, penes se scripturam, & verum scripturæ sensum esse, se habere spiritum & donum interpretandi scripturas. Et quia tam isti, quam illi, Ecclesiastici iudicij infallibilitatem & absolutam auctoritatem reijciunt, hinc fit, vt nec ex parte quidem illius iudicis, quem vtrique inuocant, vlla vnquam inter eos controuersia finaliter decidi possit. Atque hæc ipsa etiam meo iudicio vna est ex ijs demonstrationibus, quibus demonstratur nullum sectariorũ huius temporis cœtum veram Ecclesiam esse posse; quandoquidem omnes prorsus sectæ sunt acephalæ, quæ carent omni verò & legitimo iudice & capite, vt fusius declaraui in Anatomia confessionis Augustanæ part. 2. demonstrat. 6.

34

35 Assertio III. Neque vero etiam veterum Patrum scripta, aut veteris Ecclesiæ traditio, sine præsenti aliquo viuo & absoluto iudice, sufficiunt ad omnes fidei controuersias, quæ in Ecclesia oriuntur, aut quandoque oriri possunt decidendas. Ita particulatim docet Gregorius de Valentia quæstione 1. punct. 7. §. 12. & consentiunt orthodoxi cæteri; multoque magis huius temporis sectarij, qui expresse quandoque non solum contra veteris Ecclesiæ traditiones, sed etiã contra Patrum scripta & doctrinam excipiunt & protestantur, vt dicemus dub. 3. Ratio assertionis est. Tum quia traditiones habent se in Ecclesia per modum legis non scriptæ; Patrum vero dicta habent se velut responsa prudentum: at vero in omni Republica bene ordinata, tam præter legem seu scriptam, seu non scriptam, quam præter responsa prudentum, necessario requiritur ad finiendas controuersias viuus & visibilis iudex: Ergo etiam in Ecclesia præter
36 traditiones & scripta Patrum, necessarius est aliꝰ viuus & visibilis iudex. Tum quia quotidie in Ecclesia oriuntur, aut oriri possunt nouæ controuersiæ, ad quas definiendas fieri potest, vt sola per se traditionum, & Patrum auctoritas non sufficiat. Tum quia singuli per se Patres errori obnoxij sunt; nec possunt cõmuni auctoritate toti Ecclesiæ quidquam præscribere vel præiudicare: omniũ vero simul sententia de qualibet fidei controuersia haud facile semper, nec nisi diuturno admodum labore patescit.

Nihilominus tamen quia pleræque fidei controuersiæ cum hæreticis, satis perspicue à Sanctis Patribꝰ tractatę & explicatę reperiũtur, optimo iure semper in Ecclesia consuetum fuit, cõtra hæreticos ad Sanctorum Patrum scripta prouocare; non quidem velut ad iudicem proprie dictum; sed tanquam ad normam & regulam clariorem, per quam vtique ipsius scripturæ sensus, de quo perpetuo cum hæreticis controuersia esse solet, omnium recte sentientium iudicio, longe melius & verius, quam per Nouatores hęreticos patefiat. Quam etiam prouocationem hæretici multo minore iure repudiare possunt, quam si quis causarum actor à conficta nouiter, legis alicuius ciuilis interpretatione, ad cõmunẽ omnium iuris interpretum explicationem prouocet. De quare Irenæus libro 4. contra hæreses cap. 45. Theodosius apud Sozomenum libro 7. Ecclesiast. histor. capit. 12. Augustinus libro 13. contra Faustum cap 5. & Vincentius Lyrinensis in commonitorio capit. 4. & seqq. & cap. 23. 24. 27. 33.

37 Assertio IV. Ecclesia igitur quouis tempore existens, est illa fidei magistra, & Iudex controuersiarum religionis, ad quam pertinet, & fidem palam proponere, & fidei symbolum ordinare; & scripturam interpretari, & controuersias fidei definire: cuius proinde etiam sententiæ, in dubijs fidei causis, absolute standum est. Ita definit Concilium Tridentinum sess. 4. decreto de edit. & vsu sacrorum librorum his verbis: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat.*

Accipimus autem nomen Ecclesiæ hoc loco indefinite, siue pro tota congregatione fidelium, siue pro pastoribus & Prælatis Ecclesiæ, siue pro ipso summo capite Ecclesiæ Romano Pontifice; adeoque vniuersim pro ijs, penes quos est potestas regendi Ecclesiam, abstrahendo interim, quinam in particulari sint illi, quo modo etiam S. Thomas hic q. 1. a. 9. argumento, *sed contra*, ait; Symbolum esse *auctoritate vniuersalis Ecclesiæ editum.*

Probatur assertio primo ex ipsa Scriptura, Matthæi 18. vers. 17. vbi Christus Ecclesiastici iudicij formam descripturus ait: *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Cuius sententiæ prioribus verbis aperte Christus veram Ecclesiam constituit communem ordinarium & absolutum Iudicem omnium controuersiarum Ecclesiasticarum; cuius etiam iudicio in causis eiusmodi dubijs refragari nullo modo liceat, sed ab omnibus absolute standum sit; nisi quis velut Ethnicus & publicanus haberi velit &c. 38

Nec obstat, quod de priuato tantum delicto sermo esse videatur, cum ibidem vers. 15. dicitur: *Si autem peccauerit in te frater tuus. &c.* Nam peccare in aliquem hoc loco, iuxta Patrum etiam interpretationem, non est solum priuata offensa quempiam lacessere, sed quouis peccato in præsentia alicuius, maxime quidem etiam aduersus Deum & veram fidem perpetrato, ei scandali & offensæ causam præbere; ne alioqui dicendum sit, priuatas offensas corripiendas, & ad Ecclesiæ iudicium deferendas; publicas autem, & aduersus Deum ac religionem commissa scelera nec priuatim corripienda, nec ad Ecclesię iudicium deferenda; quod est absurdissimum, & ab omni ratione alienum, & contra apertã praxin etiam in veteri testamento vsurpatam, & à Deo præscriptam Deuteronomij 13. v. 6. vbi seuerissime cauetur, vt si quis à vera religione deuiꝰ, Dijs alienis seruiat, atq; ad idem faciendum alios prouocet, quam primum per sententiã Magistratus damnatus, lapidibus obruatur. Documentum eius rei præbet altare à Rubenitis & Gaditis, vt existimabatur, sacrilege exstructũ, Iosue 22. v. 11.

Accedit vniuersale pronuntiatũ Christi posterioribus illis verbis expressum: *Quæcunq; alligaueritis. &c.* quibus etiã significatur, eam Ecclesiastici iudicij authoritatẽ nõ imediate penes totã Ecclesiæ cõmunitatem, sed penes Apostolos, eorumq; successores, hoc est, Prælatos & pastores Ecclesiæ residere. De qua re plura inferius dub. 5.

Secundo probatur assertio ex dictis. Nam si nec Deus, sine aliquo medio subordinato, hanc iu- 39

diciariam

diciariam potestatem pro tempore in Ecclesia exercet; neque etiam hoc medium est ipsum verbum Dei, seu scriptum, seu priuatim singulis inspiratum; neque etiam scripta Patrum, aut traditio Ecclesiæ, sed potius viuens aliquis & visibilis in Ecclesia iudex DEO subordinatus, & ab eo dependens, vt dictum: plane sequitur, hunc iudicem esse veram cuiusuis temporis Ecclesiam, intelligendo hoc nomine indeterminate eos, penes quos est regere Ecclesiam, siue cœtum Christi fidelium, vt pluribus in sequentibus dicetur.

40 ASSERTIO V. Auctoritas hæc iudiciaria Ecclesiæ, in dubijs fidei causis diiudicandis, prorsus certa & infallibilis est. Ita Catholici omnes, contra huius temporis sectarios; qui vti negant eiusmodi iudicandi auctoritatem in Ecclesia talem esse, cui omnes absolute acquiescere teneantur, ita etiam negant, eam esse absolute infallibilem. Probatur vero assertio primo ex scriptura 1. Timoth. 3. v. 15. *Vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari; quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* Vbi apertissime infallibilitas Ecclesiæ designatur. Si enim veritas fallere, aut falsa esse non potest, multo minus falli aut fallere potest columna & firmamentum veritatis; cum in omni genere firmius sit illud, quo res aliqua nititur, quam res illa, quæ eo velut firmamento nititur. Idem non minus significanter exprimunt verba græca στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

41 Secundo idem probatur ex dictis. Cum enim ea iudicandi auctoritas talis esse debeat, cui in dubia fidei causa ab omnibus necessario & absolute acquiescendum sit; prorsus necesse est, vt ea sit infallibilis; ne alioqui vi eiusdem auctoritatis & iudicij necessario tota Ecclesia, seu congregatio fidelium in errorem induci possit & debeat; deficiente adeo fidei veritate & integritate in Ecclesia Christi vniuersa, quod aperte repugnat promissioni Christi Matthæi 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quibus verbis perspicuè significatur, veram Ecclesiam Christi deficere non posse; deficeret autem, si fidei veritas
42 & synceritas in tota Ecclesia periret. Huc etiam spectat illud Christi Lucæ 22. v. 32. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quibus verbis itidem significatur, veram fidem adeo non defecturam in Petro, eiusque Successoribus, vt ab ea etiam cæteri in fide confirmari possint. Plura dub. 5.

ASSERTIO VI. Hæc authoritas Ecclesiæ cuius est fidem publice proponere, fuit quidem, iuxta ordinatiam Dei legem moraliter necessaria tum respectu totius communitatis, tum etiam aliquo modo respectu singulorum credentium, vt in eis fides vndequaque incorrupta & inconcussa seruaretur: at non ita tamen, quasi absque eiusmodi propositione nullus vnquam fidei diuinę assensus elici possit. Posteriorem partem tradunt omnes illi, qui docent etiam priuatas reuelationes diuina fide credi posse, vt dictum q. 1. dub. 2. Deinde de veritatibus fidei etiam communibus id tradunt Arragonius hic q. 1. a. 1. Bannesa. 1. dub. 4. & vt apparet Gregorius de Valentia pun. 1. §. 5. in fine; quibus consentit Albertinus tom. 1. princip. 3. coroll. 4. pun. 6.

Probatur ex dictis quæst. 1. dub. 2. exemplo non modo Angelorum, sed etiam Patriarcharum veterum, atque eorum, quibus etiamnum hodie Deus per se, aut Angelos fidem reuelare ac proponere potest, & forte aliquando solet, vt dictum quæstione præced. dub. 3. Præterquam quod aliquando simplices quidam fideles nihil videntur scire, de publica ac infallibili Ecclesiæ propositione; & tamen credunt, ex dictis eâdem quæst. 2. dub. 5. Ratio est; quia ad credendum, absolute loquendo, ex parte obiecti sufficit res credenda, ratio credendi, & credibilitas, seu applicatio debita ipsius rationis credendi; quæ circa veritates aliquas credendas, sufficienter fieri potest, per priuatam propositionem.

Prior assertionis pars probatur & declaratur. 43
Sensus enim est, potuisse quidem Deum, absolute loquendo, alio modo fidem in hominibus conseruare ac propagare; attamen nisi extraordinario quodam ac singulari prouidentiæ modo in hac re vti voluisset, moraliter necessariam fuisse publicam eiusmodi, & infallibilem Ecclesiæ auctoritatem, res fidei proponentem. Atque hæc est mens S. Thomæ quæst. 1. a. 10. in corp. & ad 1. & infra quæst. 5. art. 3. vbi propterea ait, formale obiectum fidei esse *veritatem primam, secundum quod manifestatur in scripturis sanctis, & doctrinâ Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima.* Idem docent Bellarminus lib 6. de grat. cap. 6. & alij nonnulli, dum asserunt, ad hoc vt fides sit certa, duas causas infallibiles requiri, videlicet causam reuelantem articulos; & causam proponentem, & declarantem articulos reuelatos.

Ratio colligitur ex dictis; quia cum res fidei & per se obscurissimæ sint, & in scriptura aut non omnes, aut non ita clare omnes exponantur, quin variæ dubitationes, etiam in rebus grauissimis, circa eas occurrant, & controuersiæ infinitæ, vt experientia constat; necessaria fuit ad fidei puritatem, etiam in singulis fidelibus, incorruptam seruandam, aliqua publica & viuens regula, & iudex fidei, qui auctoritate infallibili controuersias fidei decideret, adeoque fidem proponeret; ne ipsa tota Ecclesiæ communitas necessario vel errori, vel errandi periculo esset subiecta. Accedit, quod ipsam quoque scripturam sacram non nisi ex regulâ Ecclesiasticæ traditionis & auctoritatis certo dignoscere possumus, vt patebit inferius. Atque hæc de Iudice controuersiarum fidei in genere.

DVBIVM II.

Quid sit Ecclesia; & quinam sint in Ecclesia.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 9. & 10

CVm dubio præcedenti constitutum sit, Ecclesiam veram quouis tempore existentem,
44 esse Magistram fidei, & Iudicem controuersiarum Religionis; sequitur, vt hoc, & sequentibus aliquot dubijs, naturam, proprietates, & notas Ecclesiæ explicemus; & ex ijs, quænam sit vera Ecclesia indagemus. Et quod ad dubitationem præsentem attinet; Primo quæritur, quid sit vera Ecclesia. Respondetur: Ecclesiæ vox, græce sic dicta, quasi *euocatio*, varios in scriptura significatus habet. Aliquando enim vsurpatur pro loco, in quo homines euocati conuenire solent, vt Iudith 6. v. 21. *Postea conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt, petentes auxilium à Deo Israel.* Quo modo etiam ecclesiastica phrasi, sæpe communia oratoria, siue templa, & basilicæ, Ecclesiæ dicuntur.

Alias vero, & quidem frequentius, ea vox accipitur in scriptura, pro ipsa congregatione siue cœtu hominum; idque tum in bonam, tum in malam partem. Ita psalmo 149. v. 1. dicitur: *Laus eius in Ecclesia Sanctorum.* Contra psalmo 25. v. 5. *Odiui ecclesiam malignantium.*

45 A Doctoribus autem Ecclesiasticis & Theologis hoc loco in bonam tantum partem accipitur, pro certo hominum cætu, ad veram Dei cognitionem, & cultum, veræque Religionis societatem, diuinitus euocato.

Qua ratione, generatim loquendo, triplex distingui solet Ecclesia, triumphans, pugnans, & militans. Prima beatos in cœlis complectitur; secũda animas purgatorij; tertia fideles in hac vita, cum hostibus humani generis militantes.

Porro Ecclesia militans rursum aliquando late sumitur, pro congregatione fidelium, seu vera fidem profitentium, qui in quouis statu, siue naturæ, & ante legem scriptam; siue post legem, seu scriptam, seu Euangelicam, vixerunt, aut viuunt. Quo modo dicitur eadem Ecclesia noui & veteris testamenti. Quæ quidem hac ratione incœpit produci in Adamo; primum vero constituta fuit formatâ Eua, vt docent Pighius lib. 1. de Ecclesiast. hierarch. c. 1. Driedo lib. 4. de Eccles. dogmat. cap. 4. Hosius in confess. cap. 27. Sanderus lib 4. de visibili monarch. cap. 3. & lib. 7. initio, Michael Medina lib. 5. de recta fide cap. 14. non enim vnus sufficit; sed duo fideles minimum requiruntur ad Ecclesiam. Neque dubitari potest, Adamum & Euam, tum ante peccatum iustos fuisse, tum post peccatum denuo
46 gratiam adeptos, in ea perseuerasse, iuxta Sap. 10. v. 2. Quia tamen breue illud tempus, inter Adamum & Abel, quasi pro nihilo reputatur; & vero Abel, post peccatum Adami, quodammodo velut primus iustus in scriptura celebratur, Genesis 4. v. 4. & Heb. 11. v. 4. idcirco SS. Patres nonnunquam docent, Ecclesiam cœpisse ab Abel; vt Augustinus & Gregorius, quos referunt & sequuntur Alensis 4. part. q. 4. memb. 1. & Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 21. & 28.

Et quamuis hac quidem generali significatione, nonnunquam etiam in hac materia Ecclesiæ vocabulum accipiatur, frequentius tamen, imo nisi quid addatur, vniuersim hoc loco strictius vsurpari solet, pro Congregatione fidelium Christianorum, quæ scilicet à Christo collecta, instituta, & fundata est; fundamentum quidem iacere incipiente Christo à principio suæ prædicationis; totam vero eius structuram perficiente, tempore Ascensionis, cum diebus *quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*, Apostolos docuisset, Act. 1. v. 3. constituto etiam à se Vicario Petro, cui dixerat, *Pasce oues meas.* Ioann. 21. v. 17.

Qua ratione Ecclesia communiter definiri solet, ex Catechismo Petri Canisij: *Omnium Christi fidem atque doctrinam profitentium congregatio; quæ* 47
sub vno & summo post Christum capite & pastore in terris gubernatur. Explicatius vero iuxta ea, quæ mox de membris Ecclesiæ dicentur, definiri potest: Cœtus fidelium baptizatorum, tam corpori reliquo, quam suo capiti visibili in terris legitime adhærentium; vt scilicet hac ratione euidentius excludantur excommunicati, de quibus infra. Quo modo fere etiam in Cypriano lib. 4. epist. 9. Ecclesia dicitur, *plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens.* Quæ quidem est definitio totius congregationis siue cœtus fidelium Christi, prout hoc loco de Ecclesia agimus.

Quo tamen non obstante, Ecclesiæ Christianę vocabulum, per quandam synechdochen, nonnunquã solum pro particulari aliqua Ecclesia, vt Rom. 16. 2. Cor. 1. 1. Cor. 16. Colos. 4. 1. Thessal. 1. aliquando solũ pro pastorib⁹ & Prelatis Ecclesiæ accipitur. Quomodo etiam Matthæi 18. illis verbis *Dic Ecclesiæ*, Ecclesiæ vocem accipi, dictum est dubio præcedenti: sicut etiam vocula Imperium seu Regnum nonnunquam pro capite eiusdem, Imperatore scilicet aut Rege accipitur. Et Aristoteles 9. Eth. 9. ciuitatem dicit illud esse, quod in ea præcipuum est.

Secundo quęritur, quinam sint in Ecclesia, seu 48
quænam sint membra Ecclesiæ. In hac re quædã sunt certa; alia controuersa. De fide certum est, & apud omnes Catholicos extra controuersiam, in Ecclesia non tantum esse iustos, vel prædestinatos, sed etiam peccatores & reprobos; ita quidem, vt licet nonnunquam in scripturis Ecclesię vox contrahatur ad congregationem iustorum psalm. 88. vers. 6. vel etiam beatorum Ephes. 5. v. 27. simpliciter tamen loquendo, hæreticum sit dicere, in vera Christi Ecclesia esse solos prædestinatos; vt post Wicleffum & Huss apud Waldensem lib. 2. doctrin. a. 2. cap. 8. dixit Caluinus lib. 4. Instit. cap. 1. §. 2. aut solos perfectos in gratia & charitate; vt post Pelagianos, apud Augustinum hæresi 81. dixerunt quidam Anabaptistæ; aut solos iustos, siue immunes à grauioribus sceleribus; vt post Donatistas apud Sanctum Augustinum hæresi 69. communiter docent Lutherani art. 7. confess. Augustanæ, & eiusdem apologiæ.

Damnan-

Damnantur enim istorum opiniones ex instituto, tum in Concilio Constantiensi sess. 15. & capitulo *Firmiter*, de summa Trinitate & fide Catholica; & in Concilio Tridentino sess. 6. Canone 28. vbi damnatur qui dixerit, eum, *qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum.*

Eadem veritas cõstat ex scriptura; in qua Ecclesia comparatur *areæ*, triticum simul & paleas continenti, Matthæi 3. *Sagenæ* omne genus piscium congreganti, Matthæi 13. Conuiuio nuptiali, in quo etiam carens veste nuptiali, Matth. 22. Item *decem virginibus*, partim prudentibus, partim fatuis, Matthæi 25. *Magnæ domui*, in qua omnis generis vasa, 2. Timoth. 2. *Arcæ Noe*, in qua munda pariter & immunda animalia; & extra quam nulli salus, 1. Petri 3. & apud Augustinum lib. 3. de baptismo cap. vltimo. 49

Ratio est; non solum quia Ecclesia est quędam congregatio visibilis, cum tamen & prædestinatio, & interna sanctitas plane occulta sint; sed etiam quia baptizati fideles, quantumuis peccatores, hoc ipso, quod fidem retinent, nec à corpore vel capite Ecclesiæ separati sunt, adhuc vere adhærent reliquo corpori Ecclesiæ, ac proinde cum eo vnum corpus constituunt: Sicut etiam nonnullæ partes animalis, vt sanguis, cæterique humores, vere partes sunt corporis humani, etiamsi non viuant; multoque magis ossa, etiamsi vita sensitiua non viuant, sed solum vegetatiuâ. 50

Quare nec probanda est illa quorundam Catholicorum distinctio, qui docent, peccatores non esse quidem membra, esse tamen partes Ecclesiæ. Hæc enim distinctio, præterquam quod nullum habet in scripturis aut Patribus fundamẽtum, neque necessaria est, neque satis rationi cõuenit. Cum enim membrum dicatur quælibet pars corporis, propriam sibi in eo functionem vendicans, non potest negari, etiam hoc sensu peccatores esse membra Ecclesiæ; quandoquidẽ omnes fideles membra vnius corporis vocantur ab Apostolo 1. Cor. 12. Quidam, vti Prælati Ecclesiastici, quamuis peccatores, etiam capitis sæpe cuiusdam locum in Ecclesia habent. Accedit quod etiam in peccatoribus non deest saltem imperfecta quædam vita per fidem, vt inferius dicetur. 51

Ne vero quis existimet, in hac re, cum supradictis hęreticis tantum esse quęstionem de nomine, notandum est, Donatistas olim, vti etiam Wicleffum & Huss, ijs quos membra Ecclesiæ negabant, denegasse quoque iurisdictionem in Ecclesia. Sed & Donatistæ negabant, Sacramenta à peccatoribus administrata valere. Adde, omnes fere opiniones supradictas fundari in manifestis erroribus: nimirum quasi fidem veram habeant, aut omnes, aut soli prædestinati; aut soli iusti: aut quasi homo eo iustitiæ peruenire in hac vita possit, vt absque omni peccato viuat. Vt taceam, nec in modo quidem loquendi ferendum, vt à scripturæ & Ecclesiæ phrasi recedatur; præsertim si quis contrariâ phrasi ad stabiliendum errorem vtatur. De qua re plura Augustinus in breuiculo collationis diei tertiæ.

Hæc verò cum certa sint, de cætero quinam sint in Ecclesia, aut non sint, inter Catholicos salua fide controuertitur; sicut & de alia simili quęstione, quænam præcisè conditiones requirantur, vt aliquis sit in Ecclesia, seu membrum Ecclesiæ. Et de quatuor præcipuè hominum generibus est quæstio; videlicet de hæreticis, excommunicatis, schismaticis, & Catechumenis. Primo enim hæreticos, tam apertos quam occultos, propter characterem baptismalem, in Ecclesia esse, docet Castro lib. 2. de hæreticorum punitione cap. 24. Sed hæc sententia est aperte falsa, & contra communem, vt recte dixit Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 4. & patebit ex sequentibus. 52

Occultos autem hæreticos in Ecclesia simpliciter collocat ipse Bellarminus cap. 10. post Petrum Sotum, Hosium, Driedonem, & alios ab eo citatos. Sed modus loquendi melior magisque receptus est, eos, simpliciter loquendo, in Ecclesia non esse, vt docent Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 6. & lib. 4. part. 2. cap. 20. Catechismus Romanus, Catechismus Canisij, & Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 7. §. 19. Ratio est, quia fides est fundamentum ædificij spiritualis Ecclesiæ 1. Cor. 3. v. 11. Ad hæc, capit. *Firmiter*, de summa Trinitate, vera Ecclesia vocatur *Ecclesia fidelium.* & dist. 1. de consecrat. Canone *Ecclesia*, dicitur *Catholicorum collectio.* Et in catechismo Romano, *fidelium cœtus.* Et ibidem ex Augustino in psal. 149. *populus fidelis, per vniuersum orbem dispersus.* Vbi etiam ab Ecclesia simpliciter excludunter hæretici. Interim tamen hæreticos, seu occultos, seu apertos, aliquo modo ad Ecclesiam pertinere, vt nimirum membrum abscissum pertinet ad hominem, cui abscissum est, negari non potest; sicut etiam secundum quid, nempe secundum characterem baptismalem, hæreticos in Ecclesia esse omnes fatentur. Hinc enim etiam ab Ecclesia puniri possunt, non minus quam transfugæ in bello, à suo Duce, cui Sacramento militari addicti sunt, vt recte notauit Valentia pun. 7. §. 14.

Secundo schismaticos, & per consequens etiam excommunicatos, in Ecclesia quidem simpliciter collocat Castro loc. cit. sed melius extra Ecclesiam reponunt Catechismus Romanus, & Canisij; item Gregorius de Valentia loc. cit. & Bellarminus cap. 5. & 6. post Waldensem, Turrecrematam, Driedonem. Ideo enim excommunicati ab Ecclesia, seu Ecclesiæ gremio & corpore, seu ecclesiastici corporis vnitate, dicuntur eijci, separari, eliminari, abscindi; iuxta illud Apostoli Galat. 5. v. 12. *Vtinam abscidantur, qui vos conturbant.* Et sicut aliquis in exilium eiectus, seu iure ciuitatis priuatus, non est ciuis; ita etiam excommunicatus: vel vt catechismus Romanus dicit: sicut membra exercitus non sunt transfugæ, ita nec membra Ecclesiæ, hæretici & schismatici: qui quod seipsos à capite Ecclesiæ separant, consequenter ab ipso etiam corpore Ecclesiæ alienos se demonstrant. 53

Tertio, Catechumenos membra Ecclesiæ facit idem Castro cap. 8. Sed verius est simpliciter loquendo, actu ac proprie non esse membra 54

Ecclesiæ; ac proinde nec esse in Ecclesia numero, licet sint in Ecclesia voto ac merito: sicut ciuis simpliciter non est, qui in album ciuiũ nondum est relatus ac receptus, vtcunque interim iuribus ac priuilegijs ciuium fruatur. Atque ita ex communi docent Turrecremata libro 1. cap. 8. Canus libro 1. locorum cap. vltimo. Gregorius de Valentia quæstione 1. punct. 7. §. 14. & Bellarminus libro tertio, de Ecclesia cap. 3. Ratio est; quia Eugenius in Concilio Florentino decreto vnionis, & SS. Patres apud Gratianum distinct. 4. passim docent, baptismum esse *ianuam* ad Ecclesiam.

55 Ex quibus colligitur primo, duos ordines eorum esse, qui communiter censentur ab Ecclesia excluſi. Primus est eorum, qui nullo modo sunt in Ecclesia, & quibus præter communem rationem hominis, nulla particula definitionis Ecclesiæ conuenit: & hic ordo continet Iudæos, Turcas, Paganos. Secundus ordo comprehendit eos, qui etsi secundum quid, & aliqua vel aliquibus rationibus sint in Ecclesia, ita vt eis particulæ aliquæ plures vel pauciores definitionis Ecclesiæ conueniant, simpliciter tamen non censentur esse membra Ecclesiæ.

56 Ex quibus primum locum obtinent hæretici, & Apostatæ à fide manifesti, quibus nihil nisi baptismus cum reliquis fidelibus communis est. Secundum tenent schismatici, quibus etiam fides, & externa fidei confessio conuenit. Tertium Catechumeni, qui non quidem per baptismum, sed per fidem tamen, gratiam, & charitatem cum alijs fidelibus coniunguntur. Quartum excõmunicati, qui & per baptismum, & per agnitionem eiusdem capitis Ecclesiæ, & per fidem, aliasque virtutes cæteris Ecclesiæ membris coniuncti esse possunt. Quintum denique locum occupant hæretici occulti, qui tametsi solum baptismum & externam fidei professionem cum alijs cõmunem habent; quia tamen etiam alia omnia habere putantur, & quia simul externa fidei professio cum charactere baptismali coniuncta quiddam præcipuum est inter ea, quibus Ecclesiæ corpus & Societas coalescit, ideo plus nonnihil de Ecclesiæ ratione, quam alij, participare censentur.

57 Colligitur secundo, ad hoc, vt quis simpliciter in Ecclesia esse dicatur, quatuor conditiones requiri; nimirum primo veram fidem; secundo baptismum, seu characterem baptismalem; tertio vnionem cum Pontifice Romano, velut Ecclesiæ capite; quarto vnionem & communionem cum cæteris Ecclesiæ membris. Vt proinde plane improbabile videatur, quod nonnulli dixerunt, & indicat Bellarminus libro 3. de Ecclesia cap. 4. ad id neque fidem, neque characterem baptismalem re ipsa requiri; sed sufficere solam professionem externam fidei, & communicationem quamlibet Sacramentorum; quod satis ex dictis refellitur. Quod si quis, suppositis quatuor illis conditionibus, nihilominus exterius fidem male occultaret, aut negaret, is quidem secundum præsumptionem fori externi seu humani iudicij, in Ecclesia non esset; sed re ipsa tamen esset: sicut è contrario, qui fidem Christianam & Catholicam exterius solum profiteretur, eadem præsumptione censeretur quidem in Ecclesia esse, sed re ipsa non esset. Quomodo vero Ecclesia idcirco non sit aut reddatur inuisibilis, dicetur dub. seq.

58 Colligitur tertio, quo sensu intelligi debeant communes illi loquendi modi, Extra Ecclesiam non esse veram fidem; non vera Sacramenta; non veros pastores & Doctores; non denique salutem. Sensus enim est, eos, qui nullo modo, atque adeo ne voto quidem, aut secundum quid sunt in Ecclesia, neque fidem habere; neque salutem consequi posse; neque vera Sacramenta, veroſque pastores aut Doctores habere; vti sunt Iudæi, Turcæ, Pagani. Qui vero secundum quid saltem sunt in Ecclesia, etsi simpliciter in ea non sint, ij quidem possunt veram etiam fidem habere, vt patet in schismaticis, excommunicatis, catechumenis. Possunt etiam iustificari & saluari, si voto quidem sint in Ecclesia, vt patet in ijsdem excommunicatis, & catechumenis; qui per internam pœnitentiam & charitatem iustificari & gratiam consequi possunt. Denique possunt etiam ex ijs nonnulli esse veri 59 Pastores & Doctores Ecclesiæ, adeoque cum auctoritate alijs præesse; vt patet in occultis hæreticis; si qui forte gubernacula Ecclesiæ teneant, à quibus scilicet sola hæresi interna non excidunt, vt suo loco docetur.

Dices: Ergo in corpore Ecclesiastico capitis locum habere possunt; qui tamen simpliciter non sunt membra Ecclesiæ. Respondeo in allegoricis locutionibus non esse absurdum, alicui conuenire nomen speciei, cui tamen ratio & nomen generis tribui non possit. Ita enim Christus per metaphoram vocatur *leo*, qui tamen idcirco *brutum* aut *bestia* dici nullo modo potest. Eodem igitur modo, potest quis capitis locum in Ecclesia habere, ob influxum in alios per ministerium verbi & Sacramentorum, regendi; authoritatem; qui tamen ob carentiam omnis vitæ spiritualis, simpliciter non sit membrum Ecclesiæ.

Cæterum contra hanc doctrinam obijciunt 60 pro illo suo errore Caluinistæ, primo, illa scripturæ loca, quibus significatur, veros filios Dei, & oues Christi, esse solum electos & prædestinatos; non autem reprobos, etsi fideles & iustos; secundum illud Matthæi 25. vbi separantur oues ab hœdis, & Ioannis 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.*

Respondetur, oues in scriptura duobus modis vocari: aliquando enim hoc nomine intelliguntur solum electi & iusti, vt in locis citatis: aliquando hoc nomine afficiuntur boni & mali omnes, qui sunt in Ecclesia, vt psalmo 73. vers. 1. *Iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ*; Et Ioannis 21. vers. 18. *Pasce oues meas.* Secundum priorem acceptionem, in Ecclesia non modo sunt oues, sed etiam hædi, vt patet

in eo-

in eodem loco Matthæi 25. v. 33. vbi separantur hædi ab ouibus, quibus antea erant coniuncti: secundum posteriorem, solum quidem oues sunt in Ecclesia, sed partim sanæ, partim ægrotæ, partim pingues, partim macilentæ, vt est apud Ezechielem cap. 34. vers. 4. & sequentibus.

61 Secundo obijciunt illud Ioannis 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili.* Vbi oues vocantur ij, qui adhuc infideles erant, sed tamen prædestinati; qui etiam Ioannis 11. vocantur filij DEI. In quem sensum etiam Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 9. dicit, eos qui non habuerunt perseuerantiam, nec verè discipulos Christi, neque verè filios DEI fuisse.

Respondetur ad scripturam, duobus modis hominem posse dici ouem Christi, aut filium Dei: primo secundum præsentem iustitiam. Quo sensu Apostolus Rom. 8. vers. 9. dicit: *Qui spiritum CHRISTI non habet, hic non est eius.* Secundo, secundum prædestinationem: quo sensu Apostolus 2. Timoth. 2. vers. 19. ait: *Cognouit Dominus, qui sunt eius.* 62 Infideles igitur illi, etsi secundum præsentem statum vel iustitiam, atque adeo reuera actu non essent oues, ac proinde nec simpliciter in Ecclesia, erant tamen oues secundum prædestinationem diuinam, atque adeo potentia.

Ad Augustinum respondetur, dupliciter posse aliquem vere filium Dei dici; primo veritate essentiæ siue formæ; qua ratione omnes in charitate constituti sunt filij Dei, iuxta 1. Ioannis 4. vers. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Secundo veritate finis seu permanentiæ; quo modo filij dicuntur, qui consequuntur finem filiationis, nempe hæreditatem paternam regni cœlestis, atque adeo qui permanent constanter in dilectione Dei, iuxta Ioannis 8. vers. 31. *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Negat ergo Augustinus, eos qui nō perseuerant in charitate, esse vere discipulos Christi, hoc solum posteriori modo, nempe veritate finis, non autem priore, hoc est, veritate essentiæ.

63 Tertio obijciunt Lutherani, à Patribus nonnunquam negari peccatores esse membra Christi. Et ratio fauet, quia non viuunt, neque etiam, sunt filij Dei. Respondetur SS. Patres negare tantum velle, peccatores esse viua membra Christi vita perfecta, vt dicetur. Quo modo etiam intelligitur illud Rom. 8, vers. 9. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Dices, ex hoc ipso consequens esse, peccatores non nisi æquiuoce & secundum quid esse membra Ecclesiæ, quæ vtique viuum est corpus: sicut manus mortua non dicitur nisi æquiuoce membrum hominis, aut corporis viui. Respondetur, esse viua vita quadam saltem imperfecta, & quasi vegetatiua, secundum quam & alimentum doctrinæ Christianæ ipsi ab Ecclesia recipere, & in fide proficere, & filios etiam quosdam spirituales per hausta fidei doctrinam progenerare possint; quâ vita viuunt arbores, & in animali ossa. Vitâ autem quasi sensitiua & intellectiua non viuunt, cum spirituali gustu Christi doctrinâ non degustent. Eodem modo filij Dei quidem non sunt secundum imitationem, sunt tamen ratione doctrinæ; quo modo Galat. 4. v. 19. dicitur, *Filioli mei, quos iterum parturio.*

Quarto obijciunt quædam scripturæ & Patrum 64
testimonia, in quibus Ecclesia dicitur tota pulchra, immaculata, sancta, sine ruga, sine macula. Respondetur, hæc variis modis explicari posse. I. Sæpe in scriptura id, quod parti conuenit, attribuitur toti, per Synecdochen. II. Tota Ecclesia est pulchra, sancta &c. quia eius institutum, leges, finis, & media sancta sunt, vt dicetur dubio sequenti. III. Multa eiusmodi loca non intelliguntur de ipsa communitate Ecclesiæ, sed sæpe de particulari aliqua anima in charitate perfecta, vt ostendit Bellarminus cap. 7.

IV. Respondetur, quædam eiusmodi loca intelligenda de Ecclesia Christi, secundum statum alterius, non præsentis vitæ: quale est illud Apostoli Ephesiorum 5. v. 27. *Non habentem maculam, aut rugam &c.* In quem sensum Augustinus lib. cont. Donatist. post collat. c. 7. ait: *Quæcunq; testimonia diuinarum scripturarum commemorari potuerint, quibus ab omni malorum hominum permixtione pura prænuntiatur Ecclesia, non qualis nunc est, illis testimonijs prænuntiatur, sed qualis post istam moralitatem in vita æterna futura est.*

Quinto specialem difficultatem habent loca 65
quædam Augustini lib. 3. de baptismo cap. 18. & lib. 1. cap. 21. & 22. & lib. 6. cap. 3. & lib. 7. cap. 51. vbi dicit, solos sanctos esse illam Ecclesiam, quæ est fundata super petram; & cui datæ sunt claues regni cœlorum; & cui⁹ auctoritatem spernens, habendus sit pro Ethnico & publicano: quod omnino videtur dictum ex mente Sectariorum, constituentium duas Ecclesias, vnam proprie & simpliciter talem, iustorum propriam; alteram largius acceptam, quæ etiam complectatur peccatores.

Respōdetur, nihil aliud velle Augustinū, quā gratias & priuilegia illa, quæ concessa sunt Ecclesiæ, in vtilitatem tantū & cōmodum Sanctorum, ac eorum, qui vitam æternam consequuntur, diuinitus concessa esse, solosque sanctos esse, qui non tantum secundum fidem, sed etiam affectum charitatis, super Christum fundati sint. Nam alias sæpe docet, vtiliter etiam à malis Sacramenta administrari, vt tract. 5. in Ioannem & lib. 2. contra Parmenianum cap. 10. & 11. Item contra Donatistas docet, in Ecclesia non tantum esse bonos, sed etiam malos, vt superius dictum: neque vero etiam vnquam dicit, superiores in Ecclesia, si mali sint, non audiendos; aut eorum auctoritatem ac præcepta impune sperni posse; esset enim hoc manifeste contra præceptū Christi Matthæi 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.*

DVBIVM III.

Quænam generatim sint proprietates, & notæ veræ Ecclesiæ.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

66 POstquam dubio præcedenti essentiam & membra veræ CHRISTI Ecclesiæ declarauimus, sequitur, vt eiusdem proprietates ac notas explicemus. Neque enim dubium est, vti res quælibet suas habet proprietates, quæ essentiam consequuntur, suasque notas, quibus ab alijs discernitur; ita etiã veram Christi Ecclesiam suas & proprietates, & notas habere: quarum etiam cognitio maximi momenti est, vt inde postea collligamus, quæ sit vera Christi Ecclesia, quam audire debemus.

Primo igitur quæritur, quænam sint proprietates Ecclesiæ. Respondetur, tametsi in numero proprietatum Ecclesiæ designando, ipsisque proprietatibus recensendis, Catholici scriptores nonnihil varient, re ipsa tamen nullam esse dissensionem; siquidem diuersa ratione plures, aut pauciores numerari possunt; neque semper propositum illis fuit, exacte omnes numerare, sed eas, quæ vel potissimæ, vel magis perspicuæ & notabiles viderentur. Quales mihi quidem præcipue videntur esse octo illæ, quas partim recepta Ecclesiæ symbola, partim scripturæ exprimunt, ac orthodoxi omnes re ipsa agnoscunt, vt recte notauit Gregorius de Valentia hic quæstione 1. pun. 1. §. 16. quas nunc etiam ordine explicabimus.

67 Prima igitur Ecclesiæ proprietas est, esse *vnam*. Habetur expresse in symbolo Nicæno; & probatur ex scriptura Cant. 6. v. 8. *Vna est columba mea*: quod non solum ad animam in amore perfectam, sed etiam ad Ecclesiam Christi merito refertur. Idem colligitur ex Apostolo 1. Cor 12. v. 14. & 20. & Coloss. 3. v. 15. vbi Ecclesiam comparat vni corpori. Idem repetit Ephes. 4. vers. 4. *Vnum corpus, & vnus Spiritus; sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Et addit v. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Dominus.* Vbi etiam rationes huius vnitatis explicat.

68 Dicitur enim Ecclesia Christi vna, non solum quod sit vna vera Ecclesia Christiana, & non plures; sed etiam quia firmiter in se cohæret, eiusque membra inter se stabili vnione coalescunt, idque varias ob causas. I. Ob vnum authorem & principium, Deum nimirum ipsum, per quem conuocata & congregata est, quod indicat Apostolus cit. Ephes. 4. *Vnus Deus*. &c. II. Ob vnitatem finis, nimirum vitæ æternæ, quam speramus; quod significãt verba Apostoli; *In vna spe vocationis vestræ*. III. Ob vnitatem mediorum generalium, quibus hunc finem consequimur, nempe fidei & baptismi. Vnica enim tantum est fides Christiana, & vna vniformisq; per omnia fidei doctrina; non in varias sectas & contradicentes sententias diuisa: quod significant verba Apostoli, *Vna fides, vnum*
69 *baptisma*. &c. IV. Ob vnitatem seu vniformitatem vnius spiritus gratiæ & charitatis, quo fideles præcipuè viuificantur, iuxta illud Apostoli, *Vnus spiritus*. Vnde etiam in primitiua Ecclesia dicitur, *credentium* fuisse *Cor vnum, & anima vna*. Act. 4. vers. 32. V. Vna etiam dicitur Ecclesia, vt optime notauit Catechismus Romanus, ob vnitatem Capitis & Rectoris, non solum supremi & inuisibilis, qui est Christus; sed etiam subordinati & visibilis, qui est Romanus Pontifex; quem ipse Christus Matthæi 16. vers. 18. & Ioannis 21. vers. 17. tanquam Vicarium suum toti Ecclesiæ præfecit, vt ex instituto dicetur dub. 6. Et ratio est: quia hæc vnitas capitis visibilis necessaria est ad vnitatem fidei constanter retinendam, vt colligitur ex dictis dub. 1.

Secunda proprietas Ecclesiæ est, esse *sanctam*. 70
Habetur expresse in symbolo Apostolico, & Nicæno: & colligitur ex scriptura varijs in locis. Vt Cantic. 6. vers. 9. vbi de sponsa Christi Ecclesia dicitur: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol.* Isaiæ 61. v. 3. *Vocabuntur in ea fortes iustitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Oseæ 2. v. 19. *Et sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio.* Ephes. 5. v. 26. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans illam lauacro aquæ, in verbo vitæ.* Tit. 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* 1. Petri 2. v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consequuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti.*

Est autem & vocatur Ecclesia sancta, vt ex 71
ijsdem scripturæ locis colligitur. I. Ob sanctitatem authoris & Capitis sui, qui est Christus, cui Ecclesiæ corpus coniungitur, & cuius efficaciâ sanguinis coaluit. II. Ob sanctitatem finis, quia nimirũ Deo diuinoq; cultui, consecrata & dedicata est; quemadmodum etiam vestes & vasa diuino cultui destinata sancta dicimus. Quo sensu etiam Apostolus 1. Cor. 1. v. 2. suos Corinthios *sanctificatos & sanctos* vocat, etsi nonnullos ex eis tanquam carnales & malos reprehendat.

III. Ob totius instituti sanctitatem, & efficaciam ad sanctitatem comparandam. Non enim tantum finis Ecclesiæ sanctus est, sed etiam media, hoc est, instituta, præcepta, consilia, Sacramenta & secundum se sanctissima sunt, & ad sanctitatem gignendam accommodatissima & efficacissima, iuxta illud psalm. 18. v. 8. *Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele; sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos*; Vbi vocula conuertens animas efficaciã doctrinę, reliquę sanctitatẽ eius & puritatẽ significant. Et Sapientiæ 8. v. 4. *Doctrix enim est* (Sapientia) *disciplinæ Dei, & electrix operum eius. Sobrietatem enim & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem quibus, vtilius nihil est in vita*

homini-

hominibus. Et Sap. 7. v. 22. Spiritus Sapientiæ vocatur *sanctus, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum.* Quem spiritum in vera Ecclesia esse, nemo potest dubitare. Quo sensu etiam Religiosi ordines dicuntur Sancti; quia sanctis regulis & institutis continẽtur, etiamsi quidam à regula declinent.

IV. Ob copiam & varietatem diuinorum charismatum, quæ Ecclesiæ membris à Deo distribuuntur, de quibus Apostolus 1. Corinth. 12. 13. & 14. & Ephes. 4. à versu 11. Quibus scilicet gratię donis non modo efficaciter iuuari ad legem seruandam possint singuli, sed etiam alios ad Deum sanctè colendum, eiusq; præcepta seruãda inducere.

73 V. Sancta deniq; Ecclesia dicitur, quia secundum præcipua membra caret peccati mortalis malitia, quæ sola cum gratiæ & charitatis sanctitate stare non potest. Quo modo sancta dicitur per synecdochen; sicut gens aliqua dicitur bellicosa, etiamsi multi sint in ea imbelles. Quam sanctitatẽ Ecclesiæ inprimis etiam indicant scripturæ testimonia superius adducta: eandemq; probat parabola tritici & zizaniorum, itemq; parabola sagenę bonos & malos pisces congregantis, Matthæi 13.

74 Tertia Ecclesiæ proprietas est, esse Catholicam; hoc est vniuersalem, græca appellatione à καθ' ὅλον quasi *secundum totum* vel *per totum*, seu vniuersum. Habetur expresse in vtroq; Symbolo Nicæno, & Apostolico: ex quo tamen Lutherus in suo catechismo vulgari, vocem *Catholicam* nefarie eliminauit; substituta eius loco voce *Christianam*; ne scilicet vel ipsâ symboli recitatione suæ synagogæ vanitatem proderet. Et mendaciũ est Hunnij, qui Lutherum ab hoc scelere excusare volens, in examine præfationis Colloquij Ratisponensis, dicit, Christianam & Catholicam esse terminos ἰσοδυναμοῦντας, seu æquiualentes. Sunt enim diuersissimæ rationis & significationis; ita quidẽ vt *Christiani* appellatio eam nequaquam vim habeat, ad distinguendos veros fideles ab hęreticis, quã habet vox *Catholici*, vt inferius dicetur.

Neque refert, quod interim vtraq; ea vox inter se, & cum vera Ecclesia conuertatur. Id enim non sufficit, ad excusandum flagitium Lutheri: alioqui pariter excusandus esset Manichæus, si in symbolo pro *Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ*, posuisset *Patrem bonum, Creatorem lucis.* Aut si Ebion vel Heluidius, pro, *Natus ex Maria Virgine*, posuisset terminos conuertibiles, *Natus ex Maria Ioseph coniuge.* &c. quæ tamen omnia, vana, nefaria, sacrilega sunt, vt fusius ostendi in Apologetico eiusdem præfationis c. 5.

Dicitur autem Ecclesia vera Catholica, non
75 ideo tantum, quia profitetur doctrinam Catholicam, Catholicis libris proditam; aut quia nulli sit alligata loco, aut genti, vel personarum generi, vt Sectarij volunt; sed vel maxime à positiua quadam vniuersalitate locorum. Nam vt eleganter Vincentius Lyrinensis cap. 3. contra hæreses ait: *vere proprieque Catholicum* (in fidei doctrina) *est, id tenere, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est*, vt ex scripturis manifestissime colligitur. Nam de vniuersalitate temporum, qua ad finem vsque mundi, à primo sui exortu perpetuo sit permansura, loquuntur hæc scripturæ loca. Psalm. 88. vers. 30. *Ponam in sæculum sæculi semen eius; & thronum eius sicut dies cœli.* Isaiæ 33. vers. 20. *Respice Sion ciuitatem solemnitatis nostræ; oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.* Isaiæ 59. v. 21. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te* (o Christe) *& verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & vsque in sempiternum.* Isaiæ 62. vers. 6. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die, & tota nocte: in perpetuum non tacebunt.* Danielis 2. vers. 44. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Oseæ 2. vers. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Michææ 4. vers. 1. *Et erit: in nouissimo erit mons domus Domini. &c & regnabit Dominus super eos in monte Sion. ex hoc, nunc, & vsque in æternum.* Quæ omnia pertinere ad Ecclesiam Christi, ex contextu & circumstantijs locorum euidens est. Vbi etiam obseruandum, sermonem esse de Ecclesia visibili, in qua vera fidei doctrina sonet & palam audiatur, vt inprimis patet ex citato loco Isai. 59. & 62.

Eadem perpetuitas Ecclesiæ Christi aperte etiam declaratur in scriptura noui testamenti Lucæ 76
1. vers. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Matthæi 16. vers. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Matthæi 28. v. 20 *Ecce, Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi.* Ioannis 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Lucæ 22. v. 32. *Ego autem rogaui prote, vt non deficiat fides tua.* Ephes. 4. v. 11. *Et ipse* (Deus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei.* Quibus verbis expresse docet Apostolus, non defuturos vnquam suæ Ecclesiæ veros pastores & Doctores; vt proinde etiam his locis de Ecclesia visibili sit sermo.

Quæ omnia euidenter damnant Sectariorũ huius temporis errorẽ, cum aiunt, verã Ecclesiã Christianã, veramq; fidem ac doctrinã defecisse, totque sæculis in tenebris ac puluere consepultã iacuisse, vt pluribus dicetur dubio seq. Atq; hæc ipsa etiam proprietas Catholicę Ecclesiæ hoc sensu explicata, vocatur perpetuitas siue indefectibilitas; in hoc scilicet cõsistens, quod vera Ecclesia Christi à prima sui fundatione per Christum facta, vsque ad finem mundi, nec defecit vnquam, nec deficere potuit.

Vniuersalitatem autem locorum non minus a- 77
perta scripturę testimonia attestantur; Vt psalmo. 2. vers. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et psalm. 18. v. 5. *In omnem terrã exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorũ.* Quæ ad Apostolos, & fidei Christianæ

prædica-

prædicatores referuntur, Rom. 10. v. 18. Item Psal. 21. v. 28. *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, &c.* Psalm. 71. vers. 8. *Et dominabitur à mari, vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum, &c. Omnes gentes seruient ei.* Psalm. 97. vers. 2. *Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. &c. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.* Isaiæ 52. vers. 10. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Isaiæ 60. v. 3. *Ambulabunt gentes in lumine tuo; & reges in splendore ortus tui.* Isaiæ 61. v. 9. *Scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus, &c. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus.* Malachiæ 1. v. 11. *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Matthæi 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.* Matthæi 28. v. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Lucæ 24. v. 47. *Oportebat prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum, in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.*

78 Ex quibus colligitur, veram fidem & Ecclesiam Christi per omnes gentes diffusam esse debere, & sicubi nondum prædicata fuit, adhuc prædicandam esse. In quem sensum Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 6. & sequentibus ita contra Donatistas disserit, tanquam si ex instituto contra nostros Sectarios scribere, eorumque friuolas obiectiones in hoc argumento refutare decreuisset, vt pluribus demonstraui in anatomia confessionis Augustanæ part. 2. demonstrat. 3. §. 3. & 6. & in apologetico præfationis Protocolli Monacensis de Colloquio Ratisponēsi cap. 5. Ecce vt gustū lector habeat, quā fortia sunt hæc Augustini cap. 6. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes. Ecce testamentum Dei, aperite aures. Hominis, inquit, confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat: quare vos (hæretici) irritum facitis testamentum Dei, dicendo, nec in omnibus gentibus esse completum, & perijsse iam de gentibus, in quibus erat semen Abrahæ? quare superordinatis dicendo: in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi vbi potuerit cohæredem habere Donatum,* (siue Lutherum?) Et infra: *Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est; ostendite, vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc semine benedici; date hanc, aut furore deposito, accipite.* Ita Augustinus.

Qui etiam Epist. 50. ait: *Innumerabilia sunt testimonia librorum Sanctorum, in quibus apparet Christi Ecclesia non in sola Africa* (Europa,) *sicut isti impudentissima vanitate delirant, sed toto orbe terrarum diffusa.*

79 Neque verò SS. Patres rem ipsam solam, per nomen Catholici significatam, sed & nomen quoque ipsum censuerunt esse proprietatem & notam veræ Ecclesiæ: Vnde Augustinus contra Epist. fundamenti cap. 4. *Tenet me,* inquit, *in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen: quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Ecclesiam Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Et libro de vera Religione cap 7. *Tenenda est nobis Christiana Religio, & eius Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur non solum à suis sed etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint, ipsi quoq; hæretici & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quam Catholicam dicunt: non enim possunt intelligi, nisi hoc nomine eam discernant, quo ab vniuerso orbe nuncupatur.*

Idem tradit Augustino paulo antiquior Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. qui & ipse hanc fidelibus regulam tradit, ad veram Ecclesiam ab hæreticorum conuenticulis vbiuis terrarum dignoscendam: *Si ueneris in aliquam vrbem, non petas, vbi sit Ecclesia, vel domus Dei; nam etiam hæretici dicunt, se habere domum Dei, & Ecclesiam; sed petas, vbi sit Catholica Ecclesia. Id enim nomen proprium huius sanctæ Ecclesiæ Matris omnium nostrum, quæ est Sponsa Domini nostri IESV CHRISTI vnigeniti filij DEI.* 80

Sed & vtroque antiquior Pacianus, eandem plane contra Nouatianos hæreticos dignoscendæ certæ fidei & Ecclesiæ regulam præscribit, epistola 1. ad Sympron. *Ego forte ingressus,* inquit, *populosam vrbem hodie, cum Marcionitas, cum Apollinaristas, Cataphrygas, Nouatianos, & cæteros eiusmodi* (hæreticos) *comperissem, qui se Christianos vocarent; quo cognomine congregationem meæ plebis cognoscerem, nisi Catholica diceretur?* Et infra: *Catholicum istud nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat; nec hæreticos sumit auctores, &c.* Et rursus inferius: *Ne æstues frater, Christiani mihi nomen; Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor.* Et rursus: *Ab hæretico nomine noster populus hac appellatione diuiditur, dum Catholicus dicitur.* 81

Eodem modo ante plus mille trecentos annos Cyprianus passim, speciatim Epist. 41. 42. 43. 44. & 45. & rursum ante mille quadringentos annos Tertullianus libro de præscriptionibus contra hæreticos cap. 26. & lib. 7. contra Marcionem cap. 17. veram Christi Ecclesiam Catholicæ nomine insigniunt, insigniendamque supponunt: vt plane manifestum sit, ex doctrina Patrum, ipsoque vsu ac traditione Ecclesiæ, ipso nomine Catholicæ, veram Christi Ecclesiam, ab omnibus hæreticorum synagogis discerni; ac proinde veram Christi Ecclesiam non esse, quæ hoc nomine non gaudeat.

Quarta proprietas Ecclesiæ est, esse Apostolicam. Ita enim vocatur in symbolo Nicæno, & colligitur ex S. Paulo Ephes. 2. v. 14. *Iam non estis hospites & aduenæ: sed estis ciues Sanctorum & domestici Dei: superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum.* Et Apocalypsis 21. vers. 14. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim; & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* 82

Rationes

Rationes eius appellationis sunt manifestæ. Vocatur enim Apostolica I. quoniam in Apostolis initium habuit; qui *primitias spiritus* acceperunt, Rom. 8. v. 23. II. Quia ab ipsis propagata est per vniuersum orbem. III. Quia etiamnum antiquam Apostolorum fidem & doctrinam, siue scripto, siue voce traditam continua successione diligenter retinet, & obseruat. IV. Denique quia habet Pastores & Doctores, qui continua successione & serie per legitimam vocationem ab Apostolis ad nos vsque descenderunt; vti patet ex illo citat. Ephes. 4. vers. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem Prophetas; alios vero Euangelistas; alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum &c.* Eodem 83 pertinent loca Isaiæ 59. & 69. superius relata, quibus perpetua Doctorum & prædicatorum veræ fidei in Ecclesia Christi successio demõstratur.

Quæ quidem successio tanti semper facta est à Patribus, vt etiã ob solius huius defectum, quosuis hæreticos de falsitate conuictos existimarent, vt videre est apud Origenem lib. 1. Peri archôn Irenæum lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 43. & 45. Tertullianum lib. præscript. contra hæreses cap, 19. 20. & 32. & lib. 3. contra Marcionem cap. 9. Cyprianum epist. 52. 77, & lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 8. Optatum Mileuitanum lib. 2. contra Parmenianum, Epiphanium hæresi 27. Augustinum in psalmo contra partem Donati, & contra Epistolam fundamenti cap. 4. Qui etiam idcirco Successionem Sacerdotum in Ecclesia Catholica pro fidei motiuo & argumento adducit, vt pluribus retuli & demonstraui par. 2. anatomiæ confess. Augustanæ demonstr. 4. §. 2.

Quinta proprietas Ecclesiæ est, esse recte ordi- 84 natam, non verò confusam quandam hominum multitudinẽ. Colligitur hæc proprietas apertissimè ex multis appellationibus, quæ in scriptura Ecclesiæ tribuuntur. Ideo enim vocatur Cant. 6. v. 9. *Castrorum acies ordinata.* Matthæi 5. v. 14. *ciuitas super montem posita.* Matthæi 25. vers. 1. *Regnum.* 1. Corinth. 3. v. 17. Templum. Hebr. 3. vers. 6. Domus. Hebr. 8. v. 2. Tabernaculum: quæ omnia fuse explicat & persequitur Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 31. Accommodatissimum verò ad propositum est nomen *corporis*, quod ei tribuit Apostolus Rom. 12. v. 4. & Ephes. 4. v. 7. Sicut enim in vno corpore varia sunt membra, inter se quidem & cum capite visibili connexa, & ab eodem dependentia; sed officijs & actibus distincta; ita in Ecclesia multi sunt fideles, inter se quidem per fidem & sacramenta copulati, sed officijs, gradibus, & actibus distincti, vt eleganter declarat Apostolus locis cit. & persequitur Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disputat. habenda. Sunt enim in Ecclesia manus, sunt pedes, qui obsequi debent; sunt oculi, qui operationes pedum manuumque dirigere, hoc est, alios docere & regere debent, quales nimirum suut Pastores & Doctores legitime ad hoc munus vocati, quos Christus dedit Ecclesiæ *ad consummationem Sanctorum, &c. vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris*, vt ait Apostolus cit. Ephes. 4. vers. 14. Est etiam aliquod visibile caput, cuius necessitatem vel ex ipsa etiam ratione naturali demonstrauimus dub. 1. idque pluribus probabimus quæst. sequent. Hæc enim omnia membra inter se connexa sunt, sub vno Summo capite Christo (suum nihilominus in terra Vicarium habente) iuxta Apostolum Ephes. 4. v. 16. *Ex quo totum corpus compactum est & connexum per omnem iunctturam submini strationis, secundum operationem in mensuram vnius cuiusq; membri.*

Sexta Ecclesiæ proprietas est, esse visibilem, 85 non hoc tantum sensu, quod constet ex hominibus, qui videntur; nec ideo, quia ipsius intima ratio & essentia, eiusque proprietates omnes sint, aut esse debeant visibiles, nec ideo etiam, quod singula illi? mẽbra euidenter cognosci ac discerni posse debeant, vt existimasse videntur Doctores illi, qui ob hanc causam, solam externam fidei professionem necessariam esse putarunt, ad membrum Ecclesiæ constituendum, quos refutauimus dubio præcedenti: siquidem etiam homo recte visibilis dicitur, licet quædam eius membra sint occulta, vt cor, iecur, viscera &c. quæ videri non possunt.

Sed dicitur Ecclesia visibilis, duabus de causis. I. Quia vera doctrina ac professio fidei, & legitima Sacramentorum administratio, in ea perpetuo vigere, ac palam in oculos & aures incurrere debet. II. Quia adeo insignibus quibusdam notis, inter omnes alios cœtus seu Gentilium, seu hæreticorum eminere debet, vt euidenter credibile fiat, eam solam esse veram Christi Ecclesiam, ad quam omnes iure ac merito aggregari possint & debeant, vt recte declarauit Gregorius de Valentia q. 1. punct. 7. § 9.

Probatur hæc proprietas ex scriptura; Isaiæ 61. 86 v. 9. *Fœdus perpetuum feriam eis. Et scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Vbi expresse indicatur excellentia illa Ecclesiæ, per quam omnibus quasi manifestum, seu euidenter credibile fiat, eam esse veram Christi Ecclesiam. Isaiæ 2. v. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & eleuabitur super colles* (hoc est, eminebit super omnes reliquos cœtus) *& fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi & dicent: venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Vbi pura fidei doctrina, cum eximia Ecclesiæ claritate ac excellentia coniungitur, vt pluribus disserit Augustinus tract. 1. in Epistolam Ioannis. Similis est locus Micheæ 4. v. 1.

Item Psalmo 18. v. 6. de eadem Ecclesia dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum*, hoc est, vt ait Augustinus, in eundem psalmum, *Ecclesiam suam in manifestatione.* Et psalmo 88. v. 38. *Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum.* In quem sensum etiã Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ait: *Poteram omnes propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.*

Item

Jtem Matthæi 5. v. 14. de vera Ecclesia eiusque Pastoribus dicitur; *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Huc spectant loca scripturæ superius pro Ecclesiæ perpetuitate allata, quæ externam veræ fidei doctrinam in Ecclesia perpetuam esse debere demonstrant, vt videre est Isaiæ 59. Isaiæ 62. Ephes. 4.

87 Ratio est. Quia Ecclesia talis esse debet, vt ad eam omnes prudenter aggregari possint ac debeant; cum extra eam non sit salus, vt patet ex illo Isaiæ 60. v. 11. *Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Ergo necessarium est, vt & doctrina eius publica ac nota sit; & vt simul tam hæc ipsa doctrina, quam veritas Ecclesiæ, certis quibusdam & eximijs notis euidenter credibilis fiat. Si enim primum desit, nemo ad Ecclesiam aggregare se poterit; tum quia fides ex auditu; tum quia ad eius cœtus fidem & doctrinam nemo se adiungere potest, quæ occulta & incognita est. Si posterius desit, nemo per communionem prudenter ei se Ecclesiæ sociare poterit; quæ, cuiusue doctrina prudenter credibilis non redditur. Accedit quod Ecclesia vera est etiam sancta, vt in secunda proprietate diximus: Sancta autem esse non potest, nisi veram fidei doctrinam etiam exterius profiteatur. *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. vers. 10. Ergo semper ac necessario in Ecclesia vigere debet veræ fidei professio.

88 Hanc vero proprietatem Ecclesiæ pessimè oderunt Sectarij huius temporis, vtpote quam sibi minime conuenire probe intelligunt, vt dicetur dubio sequenti. Quare eam expresse negant Lutherus lib. de seruo arbitrio, & in lib. contra Catharinum, & in lib. de abroganda Missa priuata part. 1. Brentius in prolegomenis contra Petrum Sotum, Caluinus Instit. lib. 4. cap. 1. §. 7. Et licet ijdem nonnunquam Christi Ecclesiam verbo tenus admittere videantur esse visibilem, vt videre est apud eundem Lutherum de notis Ecclesiæ, & in confessione Augustana tit. de Ecclesia, & apud Wittackerum de Ecclesia q. 5. cap. 1 tamen vt recte notarunt Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 11. & Stapletonus in Relect. controuers. 1. q. 3. a. 1. id merus est fucus & fumus Reuera enim non sentiunt, nec salua sua fide sentire possunt, veram Ecclesiam ita semper esse visibilem, vt pura ac syncera veræ fidei professio, legitimũque Sacramentorum & verbi diuini ministerium palam ac necessario in ea vigeat; talem enim veram Ecclesiam, iuxta suam sectam, à mille annis ostendere nullam possunt; imo nec ostendere quidem conantur; cum interim perpetuo clament, veram Ecclesiam semper perstitisse.

89 Aut ergo solum loquuntur de Ecclesia quadam Christi adulterina & secundum quid tali, aut certe nihil aliud volunt, quam aut Ecclesiam veram, hoc quidem tempore, expurgati scilicet Euangelij seu Euangelicæ doctrinæ, esse visibilem; aut eatenus quidem semper visibilem fuisse, quatenus nullo non tempore constiterit ex hominibus, vtique visibilibus, penes quos sacra scriptura, saltem ipsis libris contenta, & quædam vera Sacramenta, fideique dogmata, multis tamen contra fidem erroribus permixta permanserint.

Sed hoc ad veram Ecclesiam non sufficit. Omnes enim hæretici hæc duo habere possunt, vt ipsa experientia testatur; neque tamen ideo veram Ecclesiam constituunt. Neque obstat, quod Ecclesia vera creditur, ex quo Lutherus colligit, non videri. Aliud est enim quod circa Ecclesiam creditur, aliud quod videtur. Videntur enim homines simul cum externa fidei professione; videntur etiam magna ex parte notæ, quæ Ecclesiam eiusque fidem seu fidei doctrinam euidenter credibilem faciunt, sed ipsa veritas Ecclesiæ, seu doctrinæ ac fidei Ecclesiæ non videtur, sed creditur; sicut vniuersim de fidei credibilitate dictum q. 2. dub. 2.

Septima Ecclesiæ proprietas est, esse infallibilem, hoc est, in rebus fidei fallere aut falli nesciam: quod rursum varijs modis accidit variumque sensum habet. I. Quod Ecclesia in rebus fidei controuersis definiendis errare non possit, vt dictum dub. 1. II. Quod neque omnes omnino fideles in credendo à fidei veritate possint aberrare; quandoquidem est *columna & firmamentum veritatis* 1. Timoth. 3. *neque portæ inferi aduersus* veram Ecclesiam *præualere possint*, Matth. 16. Præualerent autem, si fides vera & pura abesset, sine qua vera Ecclesia esse non potest. Ex quo etiam recte colligunt, Valentia punct. 7. §. 16. & Bannes art. 10. dub. 3. Ecclesiam in nullo prorsus fidei articulo, quantumuis non ita simpliciter & absolute necessario, errare posse; non quidem siue vtatur verbo Dei, siue non, vt mendaciter dixit Caluinus lib. 4. Instit. cap. 8. §. 13. sed siue regulatur in credendo verbo Dei scripto, siue non scripto, vt recte Bellarminus cap. 14. 90

III. Quod neq; omnes etiam simul Pastores & Doctores Ecclesiæ, quauis ætate viuentes, in doctrina fidei errare possint: id quod non modo verum est, cum omnes omnino mathematice quasi consentiunt in aliquo fidei dogmate tradendo; verum etiam cum moraliter & quasi omnes consentiunt, ita vt qui ab eis dissident, aliorum comparatione, merito quasi nulli æstimari possint, vt aperte colligitur ex illo Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos &c. Alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, &c. vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.* Vbi cum Apostolus ait, Pastores & Doctores ad finẽ vsque mundi à Deo constitutos esse, in ædificationem corporis Christi, neue aut in fide fluctuemus, aut aliquo errore circumueniamur, vtique significat, eos in docenda fide errare non posse; siquidem alias non in ædificationem 91

sed in

sed in seductionem; neque ad fidem stabiliendam, erroresque præcauendos, sed potius ad corrumpendam & destruendam fidem positi essent.

92 Accedit quod si Doctores & Pastores omnes in docendo errare possent, consequens foret, etiam Ecclesiam totam in credendo errare posse, quandoquidem fideles in credendo suorum Pastorum & Doctorum doctrinam sequi solent & tenentur, iuxta illud Christi Matthæi 23. vers. 3. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite*; nempe in rebus ad fidem & religionem spectantibus, saltem vbi de falsitate propositæ doctrinæ expresse non constat. Neque dubium, id de Scribis & Pharisæis, tanquam Doctoribus veteris legis præceptum, multo magis de Pastoribus & Doctoribus nouæ legis accipiendum, vtpote quibus speciatim in Apostolis Spiritus sancti assistentia promissa, iuxta illud Ioannis 14. vers. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Et vers. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Et Ioannis 16. vers. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Quare etiam sanctus Augustinus epist. 118. ait: *insolentissimæ, insaniæ esse, disputare contra id, quod vbique tota frequentat Ecclesia.* Et epist. 119. *Ecclesia*, inquit, *inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat; & tamen quæ sunt contra fidem, & bonam vitam, non approbat, nec facit, nec facit.*

93 Est autem huius proprietatis assertio contra omnes huius temporis sectarios, qui Ecclesiam visibilem in plerisque fidei dogmatibus grauiter errasse docent. E quibus Caluinus libro 4. institut. cap. 1. §. 11. ait, puram verbi prædicationem aliquot sæculis euanuisse. Imo lib. 4. cap. 8. §. 13. addit, etiam veram Ecclesiam (quam ipsi inuisibilem faciunt) posse saltem in ijs, quæ non necessario ad salutem pertinent, errare. Vbi tamen nec ipsi quidem satis distinguere & determinare possunt, quænam sint illa, quæ non ita necessario ad salutem pertinent, quin Ecclesia in ijs errare possit, vt pluribus dicetur dubio sequenti.

94 Imo si hæc distinguendi licentia semel admittatur, nihil fere tam certum & exploratum erit, quod non in dubium vocari possit; quandoquidem semper dubitari poterit, an hoc vel illud necessario ad salutem pertineat; exceptis illis duobus capitibus de quibus Apostolus Heb. 11. Deum esse, & prouidentiam rerum habere; itemque communibus fidei articulis in symbolo expressis. In quo tamen expresse nihil in vtramuis partem habetur nec de Baptismo, nec de Eucharistia; nec de peccato originali; nec de gratiæ necessitate ad pie operandum; nec de communicatione Idiomatum, aut vbiquitate corporis Christi; nec de sanctorum inuocatione, aut imaginum cultu.

Octaua Ecclesiæ proprietas est, ad salutem 95
æternam prorsus esse necessariam, ita vt extra Ecclesiam nemini pateat salus. Hinc enim 1. Petri 3. vers. 20. comparatur arcæ Noe, *in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam*, cæteris nimirum omnibus diluuio submersis. Quo spectat etiam illud Isaiæ 60. vers. 11. *Gens enim & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Et Augustinus lib. 4. de symbolo cap. 10. *Non habebit Deum Patrem*, inquit, *qui noluerit Ecclesiam habere matrem.* Quod tamen intelligitur de ijs, qui ita extra Ecclesiam sunt, vt nec voto quidem intra Ecclesiam sint; siquidem Catechumeni & excommunicati per veram ac internam pœnitentiam iustificari & saluari possunt, etiamsi formaliter & actu in Ecclesia non sint, vt dictum dub. præcedenti. Atque hæ sunt præcipuæ proprietates Ecclesiæ. Cæteræ enim, quæ à nonnullis adferuntur, vt quod sit Regnum, & Sponsa Christi, Templum Spiritus Sancti, mater omnium fidelium, &c. non tam proprietates Ecclesiæ sunt, quam encomia, ac simul ex dictis facile intelliguntur. Nunc breuiter de Notis Ecclesiæ agendum.

Quæritur igitur secundo, quænam generatim 96
sint notæ veræ Ecclesiæ, quibus nimirum ipsa tum ab omnibus Gentilium & Iudæorum, tum maxime ab hæreticorum Christi alioquin nomen profitentium cœtibus, facile ab vnoquoq; discernatur. Qua in re Sectarij nostri temporis, vt tergiuersando viam veritati obstruere nitantur, eiusmodi veræ Ecclesiæ notas assignant, quæ non minus, quam ipsa vera Ecclesia obscuræ sunt & ignotæ; nimirum puram ac syncerā verbi Dei prædicationem, & veram legitimamque administrationem & vsum Sacramentorum, vt videre est in confessione Augustana, & Apologia eiusdem art. 7. & apud Brentium in confess. Wirtenbergensi cap. de Ecclesia, & Caluinum lib. 4. Instit. cap. 1. §. 9. 10. & 11. & apud Magdeburgenses centuria 2. lib. 1. cap. 4. qui tamen centuria 1. lib. 2. cap. 4. addunt etiam alias duas notas, nempe constantiam in confessione fidei, & obedientiam erga ministros verbi quatenus verbum administrant, conformiter Luthero, qui in vltima parte libri de Concilijs, & Ecclesia, septem Ecclesiæ notas constituit. Ex quibus alij alias, vel in pauciores contrahunt, vel omnino reijciunt, vt videre est apud Stapletonum in relect. de principijs fidei controuers. 1. q. 4. a. 5. Sed vera sententia in duabus sequentibus assertionibus consistit.

Assertio I. Sincera verbi Dei prædicatio, 97
seu vera fidei doctrina, itemque legitima Sacramentorum administratio & vsus, non sunt veræ ac sufficientes Ecclesiæ notæ. Ita omnes Catholici, speciatim Stapletonus loc. cit. Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 7. §. 17. & Bellarminus lib. 4. de Ecclesia militante cap. 2. Probatur I. Nam ad veras Ecclesiæ notas requiruntur tres conditiones 1. vt singulæ conueniant veræ Ecclesiæ. 2. vt saltem simul sumptæ soli conueniant. 3. vt sint notiores, quam ipsa vera Ecclesia; si enim notiores non sint, fieri non

non potest, vt per eas notificetur vera Ecclesia; quandoquidem semper id quod est nota rei alicuius, notius esse debet eo, quod per illam notificatur. Ita enim Cæsarei exercitus nota est Romana Aquila; exercitus Turcici semiluna, Consulis Romani prælati fasces; Iudæi flauus pileus; vini venalis suspensa hedera, seu ramus abietis, venalis cereuisiæ stramen intortum, &c. at vero pura ac sincera fidei doctrina, Sacramentorumque administratio non est notior, quam ipsa Ecclesia: quia est ipsa quasi veræ Ecclesiæ, quæ inquiritur, essentia; quo fit vt dum vera Ecclesia inquiritur, vel hoc ipso maxime inquiratur, vbinam sit vera & pura fidei prædicatio, ac legitima Sacramentorum administratio, siquidem propter hæc reperienda maxime inquiritur vera Ecclesia.

98 Sicut ergo inquirenti, vbinam sit Petrus, aut vbi habitet Consul; aut vbi sonet campana, aut in qua domo sit incendium; inepte respondebitur, Petrum, vt germani dicere solent, esse in sua cute; Consulem habitare in sua domo; campanam illic sonare, vbi à malleo seu lingua pulsatur; in ea domo esse incendium, cuius tectum vel parietes ab igne correpti sunt; ita prorsus inepte respondetur quærenti vbi, aut quænam sit vera Ecclesia, esse eam, aut illic, vbi vera ac pura fidei doctrina, & legitima Sacramẽtorum administratio vigeant.

99 II. Sincera verbi Dei prædicatio, seu quod idem est, vera fidei doctrina, quam Sectarij pro nota veræ Ecclesiæ assignant, vel debet esse pura ab omni prorsus fidei errore, vel satis est eam grauioribus contra fidem erroribus carere: neutrum potest dici: Ergo, &c.

Non primum: tum quia sectarij ipsimet fatentur, Ecclesiam veram posse in leuioribus saltem quibusdam fidei dogmatibus errare. Tum quia notæ Ecclesiæ debent esse claræ & cognitu faciles ita vt facile possint innotescere omnibus, etiam plebeijs; quandoquidem omnibus incumbit necessitas viuendi in vera Ecclesia, vt superius dictum: at vero moraliter impossibile est, vt homines plebeij & vulgares (qualis solet esse maxima pars hominum; qui sæpe nec terminos quidẽ rerum earũ, quæ hodie in controuersiã vocantur, probe intelligunt, vt quid sit peccatum; quid peccatum originale; quid iustificatio; quid proprie redemptio generis humani; quid natura; quid persona; quid vnio personalis; quid transubstantiatio; quid esse circumscriptum vel incircumscriptũm Corporis CHRISTI, & alia quam plurima, de quibus hodie contra Sectarios disputatur) proprio marte ac nullo Ecclesiæ iam antea cognitæ iudicio præeunte, in omnibus & singulis eiusmodi fidei controuersijs, veram ac puram fidei doctrinam intelligant, & à falsa discernant. Tum quia in tota latitudine doctrinæ fidei, hic ipse etiam articulus de vera Ecclesia comprehenditur: si ergo nonnisi totius doctrinæ fidei puritas, nota est Ecclesiæ, tunc ea secundum aliquam sui partem erit nota sui ipsius, atque adeo seipsa magis vel minus, prius & posterius nota.

Neque secundum dici potest. Tum quia 100
hoc modo Ecclesia Lutherana Zwinglianis esse deberet vera Ecclesia; & Zwingliana Lutheranis: imo etiam vtrique fateri deberent, Pelagianorum Ecclesiam olim veram fuisse Ecclesiam; saltem antequam inde prodiret Nestoriana hæresis; cum plane in præcipuis quibusque articulis cum vera Ecclesia conuenirent; quæ tamen omnia Sectarij huius temporis negant. Nam Lutherus tomo 7. in defensione verborum Cœnæ aperte scripsit: *Hæreticos serio censemus, & alienos ab Ecclesia Dei Zuinglianos & Sacramentarios omnes.* Et Catholicos non ob aliam causam magis Sectarij censent hæreticos, nisi quia eos Pelagianos esse vociferantur. Tum quia quæuis pars veræ fidei doctrinæ potest esse communis falsæ Ecclesiæ: Ergo fieri non potest, vt ea sit veræ Ecclesiæ nota. Antecedens probatur; quia ad falsam Ecclesiam constituendam sufficit quælibet hæresis, adeoque vnicus error contra fidem pertinaciter defensus. Denique nullum certum crinomenon assignant, vel assignare possunt Sectarij, ex quo certum iudicium fiat, quinam sint substantiales fidei articuli seu dogmata, quorum certa fides ad veram Ecclesiam requiratur; & qui non sint, vt pluribus dicetur dubio sequenti.

III. Impossibile est, illas esse veras & ido- 101
neas notas Ecclesiæ veræ manifestandæ, quas nisi prius de Ecclesia vera constet, omnes hæretici sibi arrogare, & suis sectis præfigere possunt & solent: sed tales sunt pura fidei prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio; vt patet tum quotidiana experientia. Omnes enim huius temporis Sectarij, Lutherani, Caluiniſtæ, Zuingliani, Anabaptistæ, Trinitarijs &c. has veræ Ecclesiæ notas penes se esse iactitant: tum quia vt dictum dub. 1. omnes sectarij scripturam in suas partes trahere, & ex illis suam doctrinam ac Sacramentorum administrationem tueri solent; & sæpe etiam irrefragabiliter possent, nisi iudicium Ecclesiæ iam aliunde notę interponeretur. Quo spectat etiam illud Augustini lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 19. vbi ait: *Omnes seductores non aliter populos fefellerunt, nisi prætextu Sacramentorum & scripturarum, quæ tenent ad speciem non ad salutem:* dum nimirum, vt ibidem ait, *ad imagines phantasmatum suorum carnales atq; seductores hæretici conuertunt omnia Sacramenta, & verba librorum sanctorum.*

IV. Necesse est prius veram Ecclesiam esse 102
cognitam, quam de veritate doctrinæ fidei, in singulis capitibus cum hæreticis controuersis, ex verbo Dei particulatim constet: Ergo impossibile est, vt veritas doctrinæ in singulis quibusque articulis fidei cum hæreticis controuersis, nota sit veræ Ecclesiæ. Consequentia patet; quia nota debet esse prius cognita, quam id quod ex ea notificatur. Antecedens probatur. Tum quia controuersiæ de veritate doctrinæ fidei, in singulis quibusque capitibus controuersis, non possunt satis diudicari,

nisi

niſi prius conſtet de legitimo iudice eiuſmodi controuerſiarum: hic autem iudex eſt ipſa vera Eccleſia, vt dictum dub. 1. Tum quia ſecundum legem Dei ordinariam, homines debent doceri, & veram fidei doctrinam à toto genere accipere ab ipſa vera Eccleſia: Ergo neceſſe eſt, vt prius illis ſit manifeſta Eccleſia, quam vera fidei doctrina; ſaltem in pleriſque particularibus veræ fidei articulis & dogmatibus. Antecedens hoc probatur, ex modo, quo homines olim veram fidei doctrinam perceperunt. Paulus enim prius didicit, in quanam ciuitate vera fidei doctrina haurienda eſſet, ſimulque Ananiam eſſe veræ Eccleſiæ Doctorem, quam impleretur Spiritu Sancto, plenamque veræ fidei cognitionem acciperet, Actor. 9. Cornelius item prius cognouit, Simonem Petrum eſſe veræ Eccleſiæ Doctorem, quam ab eodem de ſingulis fidei veritatibus particulatim edoctus eſſet, Act. 10.

103 Deinde quotquot per Apoſtolos crediderunt, ideo certe crediderunt, quod miraculis & ſignis teſtatum illis factum eſſet, Apoſtolos eſſe veræ, & à Deo conſtitutæ Eccleſiæ membra & Doctores: neque illi vnquam plenam fidei doctrinam percepiſſent, niſi per cognitos prius veræ Eccleſiæ Doctores: ſicut etiamnum hodie fideles communiter veram fidei doctrinam, in ſingulis quibuſque articulis, non aliunde, quam ab ipſa Eccleſia docentur & accipiunt: idque apud ipſos etiam Sectarios hodie conſuetum eſt. Quod tamen non obſtat, quo minus veritas vnius vel alterius articuli fidei, ſicut etiam totius doctrinæ Chriſtianæ in genere, per communia fidei motiua, ſimul cum ipſa vera Eccleſia hoc ipſo innoteſcat, quod per illa ipſa euidenter credibile fit, tam hunc ipſum, vel illum articulum fidei, per aliquod miraculum v. g. confirmatum, eſſe euidenter credibilem; quam eam ipſam, in qua talia miracula fiunt, eſſe veram Eccleſiam, à qua etiam alij ſimiliter addiſcendi ſint.

104 V. Denique Notæ illæ Sectariorum adeo ignotæ fuerunt antiquis Patribus, vt ſæpe ipſi diſerte moneant, ſuoque exemplo doceant, hæreticos non tam ex ſcripturis, aut ex ipſis doctrinæ capitibus ſigillatim excuſſis; quam ex alijs communibus quibuſdam præſcriptionibus & argumentis, ſeu notis veræ Eccleſiæ eſſe conuincendos. Ad quod præcipue inſtitutum, ſuum etiam librum de præſcriptionibus aduerſus omnes hæreticos edidit Tertullianus; vt & Cyprianus, & Auguſtinus ſuum quiſque librum de vnitate Eccleſiæ; nec non & Vincentius Lyrinenſis generale commonitorium contra prophanas hæreſum nouitates. Ex quibus omnibus euidenter pateſcit, notas illas veræ Eccleſiæ à Sectarijs aſſignatas, vanas & futiles, imo nullas eſſe. De qua re præter citatos, plura Bellarminus lib. 4. de Eccleſia militante cap. 2. Vbi etiam in ſpecie refutat duas illas adiectitias notas Magdeburgenſium, & alias quas numerauit Lutherus loc. citat.

Assertio II. Notæ veræ Eccleſiæ, ſecundum eum præcipue ſtatum, quem habet poſt diſſeminatum in orbe Euangelium, ſunt ſex illæ priores proprietates Eccleſiæ ſuperius recenſitæ; quod nimirum ſit vna, ſancta, Catholica, Apoſtolica, recte ordinata, viſibilis. Ita Gregorius de Valentia loc. cit. Ratio eſt; quia proprietates illæ tales ſunt, vt & notiores ſint Eccleſia; & ſingulæ veræ Eccleſiæ, in hoc quidem ſtatu, neceſſario conueniant; & omnes ſimul non poſſint niſi veræ Eccleſiæ conuenire. Quo fit, vt nulla congregatio, quæ vel vna aliqua ex illis notis caret, poſſit eſſe vera Eccleſia, & ſimul, vt ea neceſſario ſit vera Eccleſia, cui omnes ſimul conueniunt. Imo quia demonſtratum eſt, ſingulas neceſſario veræ Chriſti ſemper in terris exiſtenti Eccleſiæ conuenire; hinc fit, vt ſi vnam tantum ſit reperire Eccleſiam, cui aliqua ex ſingulis conueniat, neceſſario inferatur, eam ſolam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Præterquam quod ſanctitas, & viſibilitas Eccleſiæ, ad modum ſuperius dictum explicata, etiam per ſe ſpectatæ, non poſſunt vlli Eccleſiæ conuenire, niſi veræ. 105

Neque refert primo, quod à nonnullis authoribus plures notæ afferantur, & quidem à Bellarmino loc. citat. quindecim. Nam omnes illæ ad has ſex reuocantur; & quædam ex illis non tam ſunt notæ diſcernendi vnam Eccleſiam inter varios Chriſtianorum cœtus, de qua re hic potiſſimum agimus; quam communia fidei motiua, quibus vniuerſim perſuadetur, Chriſtianam Eccleſiam, prout à Gentilium, Iudæorum, & Mahometanorum cœtibus diſtinguitur, generatim loquendo, eſſe veram Eccleſiam; de quibus egimus quæſt. 2. dub. 8. 106

Nec obſtat ſecundo, quod illa tam ampla per vniuerſum orbem diffuſio, primæ Chriſti Eccleſiæ, in ſuis quaſi incunabulis exiſtenti non conuenerit. Nam & hoc ipſum à Chriſto prædictum fuit, eam initio quidem paruam, velut granum ſinapis, poſtea vero ampliſſimè diffundendam. Sicut ergo de ſinapis frutice, non quidem iam primum ſuccreſcente, ſed poſtea quam adoleuit recte dicitur, eius proprium eſſe, vt ſuos ramos quam latiſſime propaget, ita etiam de Eccleſia iudicandum: & per ſe conſtat, non eaſdem vniuerſim eſſe notas pueri in cunis iacentis, & eiuſdem poſtea ad virilem ætatem perducti; huius enim nota frequenter & potiſſimum eſſe ſolet certus capillorum & barbæ color & conformatio; qualis tamen nota in infante locum non habet. Plura dubio ſequenti. 107

DVBIVM VI.

Quanam sit vera Ecclesia; seu an, & qua ratione ex notis Ecclesiæ contra Sectarios demonstretur, solam Catholicã & Romanam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

TRactaui hoc argumentum fusè, & luculenter, tum in secunda parte Anatomiæ
108 Confessionis Augustanæ, tum in Dioptra fidei vernacula lingua conscriptâ; in quibus libris, compluribus firmis ac perspicuis demonstrationibus ex instituto demonstraui, Ecclesiam Confessionistarum non esse veram Ecclesiam; addita etiam singulis demonstrationibus accurata solutione argumentorum contrariorum: ex quibus hoc loco præcipua seligere placet, atque vniuersim, tam ad conuincendos de falsitate singulos huius temporis sectariorum cœtus; quam ad probandam directe veritatem Ecclesiæ Catholicæ ac Romanæ accommodare, discurrendo ordine per singulas notas veræ Ecclesiæ dubio præced. expositas.

E quibus etiam singulis plures aut pauciores, ad institutum illud comprobandum, demonstrationes efformabimus: supponendo, quod etiam dubio præcedenti notauimus, ex eiusmodi Ecclesiæ notis & proprietatibus argumentari licere non solum negatiuè, vt ea scilicet non sit vera Christi Ecclesia, cui vel nulla, vel non omnis eiusmodi nota conuenit; sed etiam affirmatiue, vt illa sola sit vera Christi Ecclesia, cui vel omnes simul notæ veræ Ecclesiæ conueniãt; vel si cui ex omnibus Christi Ecclesijs soli; vna quælibet ex prædictis notis conueniat; quandoquidem omnes & singulæ necessario veræ Christi Ecclesiæ conueniunt: neque fieri potest, vt nulla vera Christi Ecclesia in terris existat, vt dictum eodem dub. præced.

Prima igitur demonstratio sumitur à prima
109 nota Ecclesiæ, quæ est *vnitas* eiusdem, in hunc modum. Proprium est veræ Ecclesiæ, esse vnam consentientem in fide, seu rebus per fidem credendis; idque non solum actu sed etiam habituali dispositione, ita vt in se, ac suo corpore eiusmodi fidei vnitatem ex se ac natura sua firmiter ac constanter retineat: è contrario proprium est quorumlibet hæreticorũ cœtuum, ab vno aliquo hæresiarcha procedentium, nullum habere constantẽ in fide consensum; sed à prima sui origine, mox in varias sectas diuidi & dissecari; ita vt iuxta fidei suæ principia, & ex vi illorum, nec possint quidem constanter firmam aliquam in fide consensionem tueri Iam vero inter omnes cœtus, qui hoc tempore Christi fidem profitentur, vnitas illa fidei solum reperitur in Ecclesia Catholica; non autem in vllo alio Sectariorum cœtu, puta Lutheranorũ, Sacramentariorum, Anabaptistarum. &c. Ergo sola Catholica Ecclesia est vera Christi Ecclesia; non autem vlla alia ab ea diuersa, quocunq; nomine appelletur.

Prima propositio seu maior huius syllogismi, 110
quoad primam partem, patet ex dictis dub. præcedenti, vbi probauimus, eam vnitatem fidei tam secundum actum, quam secundum habitum, quatenus scilicet nititur vnitate capitis visibilis, cuius auctoritati, velut infallibili regulæ, omnes se in credendo subijciunt, esse proprietatem inseparabilem veræ Ecclesiæ; hoc ipso scilicet etiam quod ea infallibili ductu Spiritus Sancti regitur, qui est spiritus pacis & consensionis; non autem discordiæ & dissensus; nec sibi vllo modo contrarius, sed vndequaque semper consentiens.

Quoad alteram vero partem, nempe proprium 111
cuiusque sectę hæreticorum esse, nullum habere, nec habere posse in credendo firmũ consensum, patet primo ex tota antiquitatis historia; cuius præter historiarum scriptores, testes sunt antiqui Patres. Tertullianus de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 42. ait: *Mentior, si non etiam à Regulo (siue autoribus) suis variant inter se; dum vnusquisq; proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino. Idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspectæ hæreses omnes, in multis cum autoribus suis dissentientes deprehendantur.*

Irenæus libro 1. cap. 18. de hæreticorum progenie loquens ait: *Etiam qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies nouum aliquid inuenire, & fructificare, quod nunquã quisquam excogitauit.*

Hieronymus in caput 16. Ezechielis: *Semper errantium fluctuant pedes; nec sunt solida vestigia, quæ contra veritatem sunt; sed huc illucque discurrunt, & circum feruntur omni vento doctrinæ, dum de falsitate transeunt ad aliam falsitatem. Et cum in primis frustra se sudasse cognouerint, ad secunda, tertiaq; transeundunt.*

Ratio eiusdem partis est; tum quia hæretici, 112
nullum habent visibile caput in terris, cuius iudicio fidei controuersias submittant suamque fidem moderentur. Quo fit, vt dum singuli proprios ac priuatos sensus sequuntur, necessario pro humani ingenj inconstantia & mobilitate, in varias sententias abeant; imo vero vt ijdem etiam alio & alio tempore aliud ac oppositum sentiant. Tum quia ijsdem modis ac principijs, quibus primus sectæ alicuius auctor fidem pristinã nouauit, licet etiã[quis] quiq; assecla[rus] eandem denuo nouo additamento innouare. Sicut enim primus sectæ author, per contemptum Ecclesiasticæ auctoritatis, & propriam, quam suo arbitrio confinxit scripturæ interpretationem, fidem primus nouauit, ita pronum & facile est ijsdem medijs ac principijs, fidem ita nouatam denuo innouare. Quam rationem optime expressit Tertullianus loc. cit.

Quodsi

Quod si ad tempus aliquod, in cœtu aliquo hæretico fidei vnitas reperitur, id per accidens est; siue quia ob breuitatem temporis nec dum satis otij datum est assectis, ad fidem denuo nouandam; siue quia externa vis & metus legum, ac Magistratus politici obstat, ne quod suo arbitratu singuli sentiunt, aut nouiter confinxerunt, libere in apertum proferant. Id quod hodie etiam in Germania passim accidit: cum tamen interim ex interna dispositione, fideique principijs, nullum sit obstaculum, quo minus vnaquæque hæresis mox in varias sectas diuidatur.

113 Secunda propositio quoad priorem partem, nempe in Catholica Ecclesia esse eiusmodi fidei vnitatem & consensum, patet tum ipsius facti euidentiâ. Omnes enim Catholici eandem fidem habent, idem credunt, & in rebus ad fidem spectantibus, idem sentiunt. Quę vero apud eos est varietas, aut solum pertinet ad diuersas ceremonias & ritus, quam diuersitatem ipsamet confessio Augustana a. 7. de Ecclesia profitetur vnitati Ecclesiæ nihil officere; aut solum concernit controuersias scholasticas, seu quæstiones subtiliores, quæ ad fidem non pertinent; in quibus proinde cuique sentire licet, quod libet, vt pluribus disserui part. 2. Anat. Confess. August. demonstrat. 2. §. 7.

114 Deinde idem probat ratio. Nam hoc ipso, quod Catholici, præter scripturam sacram, habent etiam viuum ac visibilem iudicem, qui publica & infallibili auctoritate scripturam explicet, & sicubi op9 est, controuersias ad fidem spectantes definiat, cui omnes se suaque iudicia ac sententias submittant, impossibile est, vt vlla sit in Ecclesia Catholica credendi, adeoque fidei ipsius diuersitas. Quod si quis à fide & iudicio communi Ecclesiæ Catholicæ pertinaciter deuiat, is iam hoc ipso non est amplius in Ecclesia; sed ab omnibus velut hæreticus, imo velut Ethnicus & publicanus iuxta Christi mandatum damnatur.

Vt proinde merito Cyprianus lib. de vnit. Eccles. cap. 5. scripserit: *Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur; nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit; profluentes largiter riuos latius expandit; vnum tamen caput & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur; illius lacte nutrimur; spiritu eius animamur. Adulterari non potest sponsa Christi; incorrupta est, & pudica; vnam domum nouit; vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. &c. Et cum hæreses & schismata postmodum nata sint, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.* Ita Cyprianus.

115 Posterior pars eiusdem propositionis minoris; videlicet apud Sectarios huius temporis nullam esse, nec esse posse fidei vnitatem, probatur primo, ipsâ euidentia facti. Quis enim nescit, in quot sectas, mox à suo ortu Lutherana fides, per ipsos Lutheri discipulos diuisa fuerit; puta Antinomorum, Flaccianorum, Synergistarum, Adiaphoristarum, Osiandrinorum, Vbiquistarum, Concordistarum, Rigidorum & mollium Lutheranorum &c. De Sacramentarijs ipsimet Lutherani Ministri in confessione Mansfeldensi scribunt, sibi Sacramentariorum doctrinam merito suspectam esse, tum propter nouitatem, tum propter dissensum; *alios enim esse Carolstadianos; alios Zuinglianos; alios Oecolampadianos; alios Schuenckfeldianos; alios Caluinistas &c.* Et in Anglia inter Protestantes & Puritanos; in Belgio inter Arminianos & Gomaristas dissidium omnibus notum est. Huc spectant libri eorundem & colloquia; in quibus & Lutherani se inuicem, & Sacramentarij rursus se ipsos mutuo circa varia fidei dogmata publice impugnant, & tanquam hæreticos insectantur & damnant. E quibus ex parte quidem Lutheranæ sectæ, vnum instar omnium nomino Colloquium Altenburgense, inter ipsos Lutheranos habitum, & publicis typis editum. Ex parte Caluinistarum in Belgio extat eorundē Synodus recens ibidem celebrata; præter libros Vorstij, Sibrandi &c.

116 Deinde idem probat propria Sectariorum confessio. Id enim de suis Lutheranis aperte confitetur Nicolaus Gallus, Minister olim Ratisponensis, in thesibus & hypothesibus folio vltimo. *Sunt inter nos*, inquit, *non de leuibus rebus dissensiones; sed de lege & Euangelio; de iustificatione & bonis operibus; de Sacramentis & vsu ceremoniarum. Quæ quidem coire, simulq; stare haud possunt. Vt sunt: Lex in templis docenda est; &, Non est: Iustitia nostra aut ipsa est Dei essentia; aut ipsius Dei in nobis opus; aut imputatio obedientiæ eius extra nos. Sanguis Christi neminem iustificat; & aduersus hanc, Pauli sententia: Per ipsius Sanguinem iustificati sumus. Nemo sine operibus salutem adeptus est: Huic contraria; Bona opera nō sunt necessaria ad salutem. Denique Christus corporaliter in Cœna adest, & promiscue à bonis malisq; sumitur; Et, Christus spiritualiter tantum à bonis percipitur.*

117 Et Nicolaus Selneckerus ad Psal. 131. *De publica discordia in Ecclesia, non est quod interroges. Loquor autem non de ea discordia, quæ nobis necessario de fidei doctrina cum Papistis, atque alijs hæreticis intercedit: sed de ea, quæ inter nos ipsos est, qui puram nos Euangelij doctrinam habere gloriamur. Nota etenim sunt certamina atque rixæ de rebus adiaphoris, de bonis operibus, de iustitia coram Deo, de libero arbitrio, de præsentia & participatione Corporis & Sanguinis Christi in Cœna, de humanitate Christi, de eius ascensione, de sessione ad dextram Dei, de Vbiquitate, deque rebus alijs. Ibi rixandi atq; contendendi neque finis est, neq; vllus modus. Quilibet in hoc laborat, vt iustam causam habere videatur, & alios alium opprimere nititur: & quicunque nouum aliquod proferre potest, vnde nomen venetur, id libere facit.* Similia habent Tilmannus Hessusius epist. de exorcismo, Dauid Chytræus in themate deprauatæ Augustanæ Confessionis, Christophorus Irenæus in examine libri concordiæ germanice conscripto. Omitto alios.

118 Illud vero omnium miserabilissimum est, quod nec primi duo sectæ Lutheranæ Coryphæi & antesignani, puta Lutherus, & Philippus Melanchthon inter se; imo nec singuli secum ipsis; & quod plus est, neq; ipsa cōmunis eorundem fidei ac cōfessionis formula, puta ipsa confessio Augustana secum ipsa consentiunt. De quibus rebus iam integri

integri libri ab alijs conscripti exstant. Certe Lutherus ipse fatetur in Resp. ad lib. Regis Angliæ, tomo 2. germanico Ienensi fol. 146. se etiam post defectionem in non paucis articulis suam doctrinam mutasse, speciatim vero, inquit, *de Papatu, de Conciljs, de Pastoribus, de Indulgentijs, de Purgatorio, de Missa, de Academijs, de Votu Religiosorum, de Episcopis, de humanis traditionibus & legibus, de cultu Sanctorum.*

Sed & liberum arbitrium, in quo Lutherus ibidem quicquam se mutasse negat; quodque idem in assertione articuli 26. dixerat esse, *figmentum in rebus, seu titulum sine re; quia nulli*, inquit, *est in manu sua quidpiam cogitare boni aut mali, sed omnia, vt Wicleffi articulus Constantiæ damnatus, recte docet, de necessitate absoluta eueniunt*; idem Lutherus postea in visitatione Saxonica, articulo de lib. arbit. mutatâ sententiâ aperte professus est. *Homo*, inquit, *habet ex propria virtute liberum arbitrium, ad faciendum vel omittendum opera externa per legem & pœnas adactus*; Si ergo operatur homo ex pro-
119 pria virtute vllam iustitiam, vtique habet electionem & libertatem, & fugiendi malũ, & faciendi bonum. Circa necessitatem communionis sub vtraq; specie Lutherum pugnantia scripsisse, nec ipsi Ministri Lutherani negauerint. Et constat ex ijs, quæ scripsit tom. 7. Wittenbergensi german. fol. 360. & in formula Missæ tom. 3. Ienensi germ. fol. 274. vt pluribus disserui libro german. de Missa & communione c. 10. Omitto quamplurimas alias Lutheri antilogias.

120 Vnicum speciale dogma, velut exempli causa, commemorare libet, in quo sumam Lutheranorum inconstantiam magnopere admireris. Hoc est Idolum illud *vbiquitatis* & Omnipresentię humanitatis Christi; quod cum Lutherani passim hodie pro præcipuo quodã suæ doctrinæ capite habeant, dudum tamen antiquiores Lutherani, velut admirabile portentum nõ semel damnarũt. Ita enim inter cætera habet iudicium Academiæ Wittenbergensis de libris Ioannis Brentij, communi Lutheranorũ nomine scriptum Año 1566. eodemq; anno ab Electore Saxoniæ Augusto, ad Albertum vtriusq; Bauariæ Ducem transmissum, mihiq; à D. Georgio Lautherio Præposito olim B. Virginis Monachij Anno 1602. cõmunicatum: *Cogimur interim fateri*, inquiunt, *in præcedenti disputatione, de coniunctione duarum naturarum in Christo, & de præsentia humanæ naturæ Christi in omnibus rebus & creaturis, tum in cælo, tum in terra, quæ quidẽ prior ille articulus de ascensione eius in cælos & sessione ad dextram Patris nititur, & ex ea ab illis deducitur, multa nobis incognita, noua, & peregrina, ac periculosa dicta à D. Brentio, & D. Iacobo Andreæ vsurpari, & vehementissime propugnari; quæ plane in huius ditionis Ecclesias aut scholas introducere; aut disputando examinare, magnopere cauemus: cum eiusmodi locutiones ac declarationes, neq; in biblicis scriptis & testimonijs Prophetarum & Apostolorum, neq; in præcipuorum & antiquissimorũ Ecclesiæ Doctorũ scriptis & commentationibus inuenerimus; neq; in huius terræ Ecclesijs, & scholis à nostris maioribus & Præceptoribus, qui ante nos ministrarũt & docuerunt, vnquã audiuerimus aut didicerimus.* Addunt plura, quibus ostendant, Lutherum male ab eis intelligi, verumq; scripturę & Sanctorum Patrum sensum eos non assequi. Itaq; suadent etiam Brentio, huius vbiquitatis præcipuo patrono, vt ab hac controuersia desistat, ne cætera eius scripta hoc veluti próbro dehonestentur.

Sed & anno 1571. Lutherana Synodus Dresdensis, cui etiã Professores & Doctores Lipsienses & Wittenbergenses interfuerunt, eandẽ vbiquitatem corporis seu humanitatis Christi, velut *horribilẽ prophanationem omnium articulorum Symboli, & reuocationem omnium hæreseon, toti orbi Christiano inde vsq; ab initio incognitam, prorsus damnauit.* 121

Et tamen eadem hæc vbiquitas, paulo post, nimirum Anno 1580. in eadem ciuitate Dresdensi, velut præcipuus quidã fidei articulus, in librũ Concordiæ, veluti in communem Lutheranorum fidei formulam receptus & relatus est: in qua etiam idem Iacobus Andreæ, præcipuus libri Concordiæ consarcinator, illud ipsum Lutheri pronuntiatum, *naturam & cor hominis esse peccatum originis*, à se antea approbatum in epistola ad Illyricum typis edita, tanquam Manichæum & seductoriũ damnat, vt Christophorus Irenæus Lutheranus minister in libro germanico de vertiginoso spiritu libri Concordię pluribus demonstrat & deplorat. Et quis nõ videat vertiginosum hunc spiritũ, quo omnes Sectariorũ hui⁹ temporis cœtus perpetuo agitantur, non esse spiritum diuinũ verę Ecclesię propriũ, sed spiritũ diaboli: *Non enim est dissensionis Deus; sed pacis*; iuxta Apostolũ 1. Cor. 14. v. 33. Plura part. 2. Anatomiæ confess. Augustanæ demonstrat. 10 §. 11. & in Dioptra fidei lib. 2. q. 4. cap. 24. & 25. 122

Secunda demonstratio sumitur à secunda proprietate & nota Ecclesiæ, nempe à sanctitate, in hunc modũ. Proprium est veræ Ecclesiæ Christianæ ita esse sanctam, vt & membra eius quædam præcipua; & leges eiusdẽ ac instituta sancta sint, atq; ad sanctitatẽ in suis cultoribus progignendam accommodata: hæc vero sanctitas propria est Ecclesiæ Catholicæ; nec vlli Sectariorum hui⁹ temporis cœtui cõmunis: Ergo sola Ecclesia Catholica est vera Ecclesia. Maior propositio constat ex dictis dubio præcedenti. 123

Minor propositio quoad priorem partem, eam scilicet sanctitatẽ conuenire Ecclesiæ Catholicæ, pter dicta superius q. 2. dub. 4. probatur, primo ex omnibus fastis ac Martyrologijs. ipsisq; Calendarijs vulgatis; quibus quotquot Sancti Christianũ nomen professi, ac post Christum defuncti inserti habentur, omnes Catholici fuerunt, vtpote magna ex parte Romani Pontifices, Episcopi, Sacerdotes, Eremitæ, Monachi, Moniales, Virgines; quibus vel ex ipso nomine nihil cum Sectariorum fide potuit esse commune. 124

Secundo probatur ex ipsa aduersariorum confessione, qui vel inuiti hoc Ecclesiæ nostræ testimonium sæpius perhibuerunt. Nam 1. Lutherus in epist. de Anabapt. tom. 2. germanico Wittenbergensi fol 230. aît, sub Papatu esse *multos pios, magnosque Sanctos.*

II. Idem Lutherus libro de abroganda Missa priuata tom. 2. latino Wittenbergensi de antiquis Patribus, quos suæ doctrinæ aduersarios fuisse i-

bidem

bidem agnoscit: *Non quæritur*, inquit, *vt sancti vixerint, aut dixerint, sed vt viuendum scriptura dicter.*

III. Idem Lutherus commentario 2. Epist. ad Gal. cap. 5. ait: *Admiratur mundus sanctitatem Benedicti, Gregorij, Bernardi, Francisci, & similiũ; quia audit eos magnifica in speciem & insolita quædã opera fecisse. Certe fuerunt etiã sancti Hilarius, Cyrillus, Athanasius, Ambrosius, Augustinus & alij*: quos tamen Missarum celebratores, adeoque Catholicos fuisse, necipse Lutherus negauerit.

IV. Idem Lutherus in assertione suorum articulorum initio: *Non tamen*, inquit, *per hæc Sanctis Patribus volo detractã auctoritatem, & ingratitudinem pro sanctis eorum laboribus repensam.* &c. *Sint Sancti viri, & Ecclesiarum Patres.* Ita Lutherus.

125 Qui etiam in procemio assertionis articulorũ, & lib. de captiuitate Babylonica de baptismo, & in sermonibus conuiuialibus, capite de scholasticis Theologis, speciatim etiam *Hieronymum*, quãtumuis alioqui eidem infensus, *sanctũ*, & *Diuum* appellat; vt & in libro de captiuitate Babylonica de Eucharistia, nostrum etiam Thomam Aquinatem *Sanctum* appellitat. Cum autem, vt in Anatomia Confes. August part. 1. demonstrat. ostendi, Lutherus sæpius protestetur contra Sanctos Patres, tanquam suæ doctrinæ aduersarios, & ex parte Catholicorũ stantes, necesse est fateri, eosdem Patres non Lutheranos, sed Catholicos fuisse, seu vt ipsi loquuntur *Papistas*; cum præsertim pleriq; eorum Monachi, omnes autem fuerint Sacerdotes, & Romano Pontifici addicti vt dictũ.

Præterea vero V. Philippus Melanchthon in Apologia Confes. tit. de votis monasticis, Bernardum, Franciscum, aliosq; Monachos Sanctos vocat, cum ait: *Ideo Sancti vti eis* (adiaphoris) *sine impietate possunt; sicut vsi sunt Bernardus, Franciscus, & alij Sancti viri*: Et ibidem superius a. 5. respons. ad argumenta: *Antonius*, inquit, *Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij sancti Patres elegerunt certum vitæ genus.*

126 VI. Magdeburgenses c. 7. Centuria 7. nempe circa tempora S. Gregorij Papæ, quando vel maxime effloruisse volunt Papatum, ita de moribus Catholicorum eius temporis testantur: *Etsi hoc sæculo veri Dei cultus, & virtutum officia traditionibus & superstitionibus humanis obscurata erant, tamen studium seruiendi Deo, & pie iusteq; viuendi, miseræ plebeculæ non defuit. Quantus enim fuit amor pietatis, quãtus ardor hominum erga Religionem, inde potest æstimari, quod nullus modus fuit cumulandi opes Ecclesiasticas. Precationibus vero adeo fuerunt intenti, vt fere totum diem illis tribuerẽt: nec Christianus habebatur, qui ignorabat aut non aliquoties recitabat vsitatas formulas precationum, præsertim orationem Dominicam, & symbolum. Quarta fuerit reuerentia erga ministerium & ministros, quantus concursus ad conciones publicas, dictum est. Magistratibus honorem ac reuerentiam exhibuerunt debitam; amicitiæ, concordiæ, & societatis erant studiosissimi, adeo vt offensas & iniurias citra negotium remitterent. In honesta quoq; vocatiõe & labore versari singulis studio fuit. In egenos & peregrinos maxime fuerunt humani & liberales. In iudicijs quoq; & contractibus maxime fuerunt veritatis amantes &c.*

Et quid multis opus? ipsa ocularis euidentia & experientia attestatur, nullo vnquam tempore Ecclesiæ Catholicæ deesse multos, & magnos Sanctos. In quos verissime competat illud, quod Augustinus de sui temporis Sanctis velut admirabundus scripsit, libro de vtilitate credendi cap. 17. his verbis: *Quod continentia vsque ad tenuissimum victum panis & aquæ, & non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia; castitas vsque ad coniugij proliſque contemptum; quod patientia vsque ad cruces flammasque neglectas, quod liberalitas vsque ad patrimonia distributa pauperibus; quod denique totius huius mundi aspernatio, vsq; ad desiderium mortis intenditur. Pauci hoc faciunt: pauciores bene prudenterque faciunt: sed populi probant, populi audiunt, populi fauent, diligunt postremo populi. Populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine prouectu mentis in DEVM, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant.* Ita Augustinus; qui de hoc argumento plura l. 1. de moribus Ecclesiæ c. 30. & 31. 127

Vbi etiam inter alia Ecclesiam Catholicam alloquens ait: *Merito apud te diuina præcepta late diffuseque seruantur &c. merito tibi tam multi hospitales, multi officiosi, multi misericordes, multi docti, multi casti, multi Sancti, multi vsque adeo Dei amore flagrantes, vt eos in summa continentia atq; huius mundi incredibili contemptu, etiam solitudo delectet.* Et cum ibidem in specie Anachoretarum seu Eremitarum & Cœnobitarũ seu Monachorum itemq; Monialiũ sumam vitæ sanctitatẽ percensuisset, tandẽ concludit: *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim neque digne valeo &c.* & mox: *Hæc Manichæi reprehendite si potestis. Nolite cœcis hominibus & discernere inualidis, ostentare nostra vitania.* 128

Et rursus ibidem cap. 32. de cæteris Ecclesiæ Præsulibus ac Ministris loquens: *Quam multos*, inquit, *Episcopos optimos viros, sanctissimosque cognoui; quam multos Presbyteros, quam multos Diacõnos, & huiusmodi ministros diuinorum Sacramentorum; quorum virtus eo mihi mirabilior, & maiore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est, eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore seruare.* 129

Denique cap. 33. concludens ita loquitur: *Istis, Manichæi, si potestis obsistite; intuemini: istos sine mendacio, si audetis, & cum contumelia nominate, istorum ieiunijs vestra ieiunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, charitatem denique charitati, & quod res maxime postulat præceptis præcepta conferte &c. Nunc vos illud admoneo, vt aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet.* 130

Ex quibus omnibus intelligit lector, tam illustrem iam olim fuisse atq; etiamnum esse multorum in Ecclesia Catholica sanctitatem, vt eam nec ipsi quidem aduersarij facile negare possint; vtcunque interim etiam in Ecclesia Catholica multi in omni vitæ genere sint improbi: quod Ecclesiæ sanctitati nihil officit; quandoquidem hoc ipsum prædixit Christus, futurũ scilicet, vt in vera Ecclesia zizania tritico, boniſque piscibus 131

mali, vsque ad sæculi consummationem sint permixti. Ita nihil veritati Ecclesiæ Catholicæ obstat, multos habere malos inter bonos, sed nullos plane bonos sanctosque habere, non potest nisi falsæ Ecclesiæ conuenire.

132 Eadem minor, quoad secundam partem, nempe in Ecclesia Sectariorum nullam eiusmodi reperiri sanctitatē, siue quoad personas, siue quoad doctrinam & instituta, probatur primo propria ipsorum sectariorum confessione. Primo enim Lutherus in postilla domestica, Dominica prima Aduentus, de sua doctrina, suisque discipulis, ita loquitur: *Mundus ex hac doctrina in dies deterior euadit: quod pessimi dæmonis opus & negotium est. Enimuero videmus, quod hoc tempore homines sint magis auari, immisericordes, impudici, procaces, adeoq; deteriores, quā antea in Papatu fuerunt.* Et in sermonibus conuiu-
133 alibus germanicis: *Mirabilis*, inquit, *& plena offendiculo res est, quod ab eo tempore, quo prima Euangelij doctrina in lucem reuocata, mundus de die in diem deterior euasit, Christiana libertate quilibet ad libitum abutitur, non secus ac si cuilibet quidlibet facere concessum sit, &c.* Et ibidem ait, *post reuelatum Euangelium, virtutem esse occisam, iustitiam oppressam, temperantiam ligatā, veritatē à canibus dilaceratā, fidē clausam, nequitiam quotidianā, deuotionē pulsam, hæresin relictam.*

134 Nec minus tragice Schmidelinus concione 4. ad caput 21. Lucæ inter cætera ait: *Christiana disciplina apud nos, nouus Papatus, nouus q; Monachismus existimatur. Sic enim inquiunt: Didicimus modo per solā fidem in Christum saluari, qui sua morte pro peccatis omnibus satisfecit: nos vero satisfacere non possumus nostris ieiunijs, eleemosynis, precationibus, ac alijs operibus. Quamobrem sine & permitte, vt huiusmodi opera missa faciamus, cum per Christum alioquin saluari possimus, & solum gratia Dei Christiq; meritis nitamur. Atq; vt totus mundus agnoscat, eos non esse Papistas, nec bonis operibus quicquam fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent. Ieiunij loco, commessationibus & perpotationibus nocte dieq; vacant. Vbi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt & excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini nominis execrationes; idq; tam perdite, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur.*

135 Denique Erasmus in epistola Anni 1529. ad Valturium Neocomum, ita scribit: *Circumspice populum istum Euangelicum, & obserua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quam faciunt ij quos detestamini. Profer mihi, quem istud Euangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum; ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt se ipsis deteriores.*

136 Similia habent Lutherus in præfatione postillæ Ecclesiasticę, & ibidem Dominica 26. post Trinitatem, & in commentario 2. prolixiori in Epistolam ad Galatas cap. 1. & cap. 5. Melanchthon ad ca. 6. Matthæi, Ioannes Wigandus lib. de bonis & malis Germaniæ, Andreas Musculus Dominica 1. Aduentus, Ioannes Brentius ad cap. 3. Matthæi, Gaspar Hedio epistola ad Melanchthonem, Ioannes Spangenbergius in narratione beneficiorum Dei, Bucerus lib. 1. de Regno Christi cap. 4 Menno lib. 1. de Christiana fide mulieris, Etasmus epistola ad fratres Germaniæ Inferioris tom. 9. fol. 1308.

Secundo probatur eadem pars minoris, ex generali confessione & professione Sectariorum. 137
Cum enim ipsimet profiteantur hæc dogmata. 1. Præcepta diuina à se seruari non posse. 2. Se ipsos in omnibus operibus suis peccare mortaliter. 3. Ac proinde nullum vere bonum opus facere. 4. Obseruationem Consiliorum Euangelicorum, de voluntaria paupertate, continentia, & obedientia perpetua, nullius esse momenti; sed potius cultus esse superstitiosos. 5. Corpus non esse certis ieiunijs, aliisque pœnitentiæ modis castigandum, & in seruitutem redigendum. 6. denique quemlibet Lutheranum, iuxta ipsius Lutheri institutionem & doctrinam, in comment. cap. 1. epist. ad Galat. in periculo & pugna mortis, vere ac serio profiteri posse & debere, *nihil se habere præter peccata & ea vera & grauissima, non ficta & inania, videlicet summam infidelitatem, dubitationem, desperationem, contemptum Dei, odium, ignorantiam, blasphemiam Dei, &c.* Quo modo fieri potest, vt vllus Lutheranorum, vel etiam aliorum sectariorum sit sanctus?

Iam vero quod speciatim ad leges & instituta 138
sectariorum attinet, ea ad pietatem gignendam & fouendam accommodata minime esse, sed potius ad omnem vitæ licentiam prouocare, partim ex dictis colligitur, partim ex his eorum pronuntiatis luce clarius demonstratur. Nimirum primo hominem sola fide iustificari & saluari. 2. opera bona non esse ad salutem necessaria. 3. diuinorum præceptorum obseruationem esse impossibilē. 4. Ieiunia Ecclesiastica non esse obseruanda. 5. Peccata commissa nec in confessione homini necessario aperienda, nec vlla satisfactione bonorum operum expianda. 6. Nec virginitatem matrimonio; nec paupertatem voluntariam diuitijs anteponendam: Continentiam vero à mulieribus, aut impudicis actibus (nisi Deus miraculum faciat) nec possibilem quidem homini ætatis & roboris integri, &c. 7. Hominem nullum habere liberum arbitrium faciendi bonum, & omittendi malum, vel contra; vt præter Caluinistas, docent etiam Lutherani in articulis Schmalcaldicis libro Concordiæ insertis part. 3. art. 1. de pecc. Quis autem non videt, talibus pronuntiatis homines apertissime à studio bonorum operum & fuga vitiorum auocari? quis 139
eligat aut satagat recte agere, aut malum fugere; cum vt isti clamant, neutrum sit in hominis potestate? quis peccata multum horrescat, quæ nec confessione, nec satisfactione, nec vllis pœnis expianda vel luenda, modo credas, &c.

Huc spectant etiam peculiaria quædam Lu- 140
theri, velut magni huius temporis Sectariorum Patriarchæ pronuntiata: qualia sunt. I. *Summa ars & sapientia Christianorum est, nescire legem, ignorare opera, & totam iustitiam actiuam.* Ita Lutherus in argumento epistolæ ad Gal. comment. 2. tom. 5. latino Wittenberg. II. *Nisi ignoraueris legem & iram Dei, sed meram gratiam & misericordiam, non potes saluus fieri.* Idem ibidem. III. *Hæc iustitia* (noui Euangelij) *est, prorsus nihil facere, nihil au-*

dire,

dire, nihil scire de lege aut operibus. Idem ibidem IV. *Nisi Christiana iustitia diserte discernatur, à iustitia actiua legis, non poterimus seruare veram Theologiam.* (*ex illa enim, & in illa sola doctrina sit & consistit Ecclesia* :) *sed simus statim Iuristæ, Ceremoniary, legistæ, Papistæ.* Idem ibidem V. *Papistæ docent* : *Fides in CHRISTVM iustificat quidem, sed simul seruari oportet etiam præcepta DEI, quia scriptum est: si vis in vitam ingredi, serua mandata Dei: vbi statim Christus negatus, & fides abolita est.* Ita Lutherus cit. Comment. 2. in epist. ad Galat. cap. 2.

141 VI. *Hæc nostra est Theologia, & paradoxa rationi mirabilia & absurda, quod non solum cæcus, surdus sum legi, & liber ab ea, sed ei plane mortuus.* Et paulo post: *Cum lex*, inquit, *accusat & ostendit peccatum, conscientia statim dictat, peccasti. Si tunc tenes, quæ Paulus hic docet, respondes, verum est, peccaui. Ergo Deus puniet & damnabit te. Non. Imo lex Dei hoc dicit. Nihil mihi cum hac lege. Quare? quia habeo aliam legem, quæ cogit hanc obmutescere, libertatem scilicet. Quam libertatem? Christi. Per Christum enim liberatus sum à lege &c. Hoc legi dentes est excutere, hebetare aculeum, & omnia arma eius, eamq; prorsus eneruare.* Ita Lutherus citat. Comment. in cap. 2. Epist. ad Galat. qui etiam ibidem inferius Christum vocat *Tyrannum, Tortorem, carnificem legis, & diabolum, legisq; aduersarium.*

142 VII. *Ita vides, quam diues sit homo Christianus, siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quamtiscunq; peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas.* Ita Luther⁹ lib. de captiuit. Babylonica tit. de baptismo tom. 1. latino Wittenberg. pag. 78. Qui tamen ipse suam hanc impietatē (rursum sibi ipsi contrarius) in articulis Schmalcaldicis par. 3. a. 3. sub finem condemnat.

143 VIII. *Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit.* Ita Lutherus in sermone de piscatura Petri. IX. *Caueamus à peccatis, sed maxime ab operibus bonis & legibus, solamq; promissionem Dei attendamus & fidem. Ipsa enim breuis est perfectio: nec aliqua lex requiritur, aut opus, imo legem proscindit & opus.* Ita Lutherus sermone de nouo testamento, siue de Missa.

144 De quo proinde etiam Nicolaus Amsdorffius; antiquus & rigidus Lutheri discipulus, in libro, quem contra Maiorem mollem Lutheranum hoc titulo inscripsit, *quod bona opera sint pernitiosa ad salutem*, inter cætera ait, *Lutherum plusquam in vno loco expresse scripsisse, quod bona opera sint pernitiosa ad salutem*; quod ibidem pluribus Lutheri testimonijs comprobat.

145 Omitto alia Lutheri, partim obscœna, partim seditiosa pronunciata, quæ parte 1. anatom. confess. Augustanæ demonstrat. 8. à n. 33. & 38. retuli. Ex dictis enim satis abunde colligitur, Lutheri doctrinam non fuisse sanctam, sed plane profanam, Epicuræam, scandalosam.

Vt proinde non immerito Carolus V. Imperator in edicto Wormatiensi Anno 1521. ex consensu etiam aliorū Principum Imperij de Luthero scripserit: *Obedientiam & regimen omne prorsus tollit, vnde populi ad defectionem & rebellionem à suis tam Ecclesiasticis, quam secularibus Dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incendia, tum magno & manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine prouocentur. Quin vero cum vitam quandam solutam, licentiosam, atque omni lege explicitam, & vere ferinam inducere conetur, ita ex lex homo leges omnes damnat & contemnit, vt decreta SS. Patrum, & sacros Canones publico igne comburere non formidauerit, facturus peiora ciuili iuri, si non magis sæculi gladium, quam Pontificis excommunicationes & censuras metuisset.*

Omitto cætera, quæ ad personam Lutheri, eiusque impietatem pertinent, à me ex instituto exposita 1. part. Anatomiæ Confessionis Augustanæ; Vbi probaui Lutherum fuisse. 1. Apostatam. 2. sacrilegum falsarium scripturæ. 3. & symboli Apostolici. 4. Pseudoprophetam. 5. Pseudo apostolum à Deo non missum. 6. diaboli discipulum. 7. impium contemptorem SS. patrū. 8. superbum, ebriosum, mēdacem, spurcū & maledicū scurrā, ac seditiosum flagrionē. 9. proprio iudicio ac conscientia damnatum. 10. hæresiarcham. Quæ sigillatim decem demonstrationibus fuse prosecutus sum.

146 Cæterum contra hanc demonstrationē obijcitur primo, etiā inter Sectarios esse ac fuisse multos Sanctos; nimirum 1. infantes qui post baptismum ante rationis vsum decesserunt. 2. Martyres, qui pro fide Lutherana vitam posuerunt. 3. Quosdam moraliter bonos.

Respondetur, infantes illos, cum non ex doctrina, seu vlla actuali fide, sed ex solo baptismo sanctificati fuerint, non ad Lutheranam, sed ad Catholicam Ecclesiam pertinere, ad quam & baptismus ipse pertinet; & à qua Sectarij baptismum habent; vt in simili etiam notauit Cyprianus epist. 73. contra Nouatianum.

Martyres autem illi (pauci & obscuri, sæpe etiam aliorum scelerum rei) eius fuerunt testes, cuius fidei testimoniū perhibuerunt: non Christi videlicet, sed diaboli; de quibus Augustinus cōcione 2. in psalm. 34. *Martyres non facit pœna, sed causa.* Et Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ: *Ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestijs, animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.*

Homines vero illi moraliter boni, si qui apud Sectarios reperiuntur, tales certe non euaserunt ex vi & ductu noui Euangelij, quod profitebantur; esto fortasse bonitas indolis ac naturæ vicerit nonnunquam eius Euangelij improbitatē. Quod si tamen illi ipsi cum honestate quadā morali pertinaciam falsæ fidei adiunctam habuerunt, certum esse debet, eos nec saluos, aut Sanctos esse potuisse, si ita decesserint; quando *sine fide impossibile est placere Deo*, Hebr. 11. & simul etiam præter hæresim, pluribus alijs peccatis sanctitati aduersis fuisse obnoxios; ita vt proinde ne vnus quidem nominari ab aduersarijs adultus possit, quem vtrinque fateamur, in fide Catholicæ aduersâ fuisse saluatum; cum tamen è contrario aduersarij multos fidei

nostræ cultores, eosdemque non tantum infantes, simplices, quosque ipsa ignorantia à grauissimis fidei erroribus excusare potuerit; sed ipsos etiam fidei nostræ Doctores fortissimosque propugnatores fateri cogantur Sanctos fuisse, vt superius ostendimus.

148 Obijcitur secundo, etiam in Ecclesia Catholica multos esse malos; ac præcipue vitam Ecclesiasticorum quorundam admodum subinde scandalosam.

Respondetur, hoc nihil obesse veritati Ecclesiæ Catholicæ; in qua Christus ipse prædixit triticum cum Zizanijs, adeoque bonos cum malis fore permixtos. Matthæi 13. v. 15. Qui etiam contra scandala Ecclesiasticorum satis ipse cautum esse omnibus voluit Matthæi 23. vers. 2. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Bene de hac re Erasmus in Epistola ad fratres Inferioris Germaniæ. Vbi inter alia. *Congerantur in vnum Sacerdotum luxus, libido, ambitio, auaritia, & siquid præterea criminum est, totam hanc vitiorum Lernam vna superat hæresis.* Atque hanc demonstrationem ex secunda nota, nempe sanctitate Ecclesiæ petitam, pluribus explicaui p. 2. Anathom. confess. Augustanæ demonstrat. 8.

Nunc ad tertiam Ecclesiæ proprietatem & notam, quæ est, esse Catholicam, deueniendum est: à qua triplex alia sumitur demonstratio; quas nunc ordine subijciemus.

149 Tertia igitur demonstratio, pro veritate Ecclesiæ Catholicæ, sumitur ab ipso nomine *Catholicæ*, de quo Augustinus ante annos plus mille ducentos contra epistolam fundamenti c. 4. ita etiam scripsit: *Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen; quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Ecclesiam Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Quare ita argumentamur: Proprium est Ecclesiæ veræ, dici Catholicam, tam à suis, quam ab alienis: hoc autem solum conuenit nostræ Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ; non autem vllis cœtibus sectariorum huius temporis: Ergo sola Ecclesia Catholica & Romana est vera Ecclesia. Maior huius syllogismi patet ex Sancto Augustino loc. citat. & ex dictis dubio præcedenti, circa tertiam Ecclesiæ proprietatem, vbi ostendimus, hanc esse consentientem SS. Patrum doctrinam & traditionem, quæ in re ad modum loquendi proprie spectante, testimonij loco abunde sufficit.

150 Minor probatur ipsâ euidentiâ facti. Nemo enim communi vsu loquendi, Sectarios Catholicos vocat aut eorum Ecclesiam Catholicam, vt satis etiam fatetur Ægidius Hunnius in examine Protocolli Monacensis de colloquio Ratisponensi, nec obscure agnouit ipse Lutherus, dum ex Symbolo Apostolico germanico, vbi de Ecclesia sermo est, expunxit voculam, *Catholicam.*

E contrario nobis *Catholici* & *Catholicæ Ecclesiæ* nomen etiam ipsi aduersarij tribuunt, vt dolenter agnoscit Iacobus Hailbrunner in suo Acatholico volumine pag. 457. & videre est in plerisque Catalogis librorum, quos ipsi in nundinis Francofurtensibus conficiunt, & typis impressos edunt; vbi nostrorum libris hanc Epigraphen præfigunt: *Libri Theologici Catholicorum, qui Romanæ Ecclesiæ subijciuntur*; cum tamen suos interim libros vel *Protestantium* appellent vel eorum, *qui confessioni Augustanæ adhærent.* Idem factitat ipsa Confessio Augustana latina, Concordiæ libro inserta, præfatiunculâ de abusibus, vbi dicitur: *Cum Ecclesiæ apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica; tantum paucos quosdam abusus omittant. &c.* Vbi per Ecclesiam *Catholicam* vtique nostram intelligunt, à qua, vt ipsi aiunt, non nisi ratione quorumdam abusuum dissentiant.

Obijcitur; nostram Ecclesiam passim etiam 151
vocari *Papisticam* itemque *Romanam.* Respondetur primo, *Papistarum* nomen non nisi à Sectarijs nobis imponi; more etiam veterum hæreticorũ; qui Catholicis antiquam, & tot sæculis præscriptam appellationem subinde inuidentes, nouis eos agnominibus quasi per ludibrium traducere conabantur. Sic enim iam olim etiam Catholici à Valentinianis hæreticis dicti sunt *Simplices*, ab ijsdem, & à Montanistis *Psychici*, seu *Animales*; à Donatistis *Macariani*; ab Origenistis *Philosotæ* & *Animales*; à Vigilantio *Cinerarij*; ab Acephalis *Synoditæ*; à Iacobitis *Melchitæ*; à Græcis *Azymitæ* vt & ab Arianis, *Homousiani. Vna videlicet est Catholica Ecclesia; cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt: cum ipsæ singulæ proprijs vocabulis* (v. g. Lutheranorum Caluinistarum, Zuinglianorum &c.) *quæ negare non audeant, appellentur*; vt recte dixit Sanctus Augustinus lib. de vtilitate credendi cap. 7.

Respondetur secundo; quod ad rem ipsam ijs 152
nominibus significatam attinet, quæ est consensus & vnio cum Papa seu Romano Pontifice, & Cathedra Apostolica, tantum abest, eam vllius falsæ Religionis esse notam, vt potius semper in Ecclesia Christi pro orthodoxi symbolo habita fuerit, vt quæstione sequenti dicetur. Hic vnius Hieronymi testimonium sufficiat Epistol. 28. vbi ait: *Ego interim* (inter varios Sectariorum cœtus) *clamito; si quis cathedræ Petri iungitur, meus est.*

Sed & ipsum *Romanum* nomen olim tum à nostris, tum ab hæreticis, non nisi Catholicæ adeoque orthodoxæ Ecclesiæ tribui consueuit, vt videre est apud eundem Hieronymum in Apologia aduersus Ruffinum vbi ait: *Fidem suam quam vocat? eamne quæ Romana pollet Ecclesia? an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? si Romanam respondent; Ergo Catholici sumus, qui nihil de Origenis errore transtulimus.* De qua re plura in Apologetico præfationis Colloquij Ratisponensis cap. 5. & part. 2. Anatomiæ confess. August. demonstrat. 1.

Quarta demonstratio sumitur ab eadem ter- 153
tia proprietate seu nota veræ Ecclesiæ, quæ est esse *Catholicam*, quatenus eo nomine significatur

vniuer-

vniuersalitas temporis, seu constans duratio ab ipsius Christi & Apostolorum temporibus, ad nos vsque, nusquam interruptâ serie continuata; quam ita formamus. Proprium est veræ Christi Ecclesiæ, ab ipsius Christi & Apostolorum temporibus, vsque ad finem mundi, adeoque adhæc ipsa etiam nostra tempora constans & perpetua duratio: hæc autem proprietas, inter omnes cœtus, qui Christi nomen profitentur, soli Ecclesiæ Catholicæ; non autem vlli sectariorum huius temporis conuenit, ergo sola Ecclesia Catholica est vera Ecclesia. Maior propositio probata est ex scriptura, dubio præcedenti, & luce clarius patet vel ex vnico illo loco, Matthæi 16. vers. 18. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, nempe veram Christi Ecclesiam.

154 Quam perpetuitatem veræ Ecclesiæ tradunt etiam SS. Patres speciatim Irenæus lib. 3. cont. hæres. cap. 3. & 4. Tertullianus de præscript. cap. 28. & 31. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 5. Ambrosius lib. 4. hexaem. cap. 7. Epiphanius hæresi 55. & 75. Basilius epistola 61. Chrysostomus sermone de Pentecoste, & in caput 7. Isaiæ, & in homilia cum in exilium mittendus esset, & in demonstratione aduersus gentes, Synodus germana Ariminensis apud Athanasium epistol. de synodo Arim. & Seleuc. Theophilus Alexandrinus epistol. ad Epiphan. quæ est apud Hieron. epistol. 67. Vincentius Lirinensis commonit. cont. hær. cap. 3. 4. 5. 6. & 38. & alij quam plures.

155 E quibus tria hic tantum testimonia alijs clariora inferere placuit. Primum sit Athanasij, qui in oratione, quod vnus sit Christus, ita loquitur: *Tu es Petrus*, inquit CHRISTVS, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Fidelis sermo, & non vacillans promissio. Ecclesia inuicta res est. Etiamsi infernus ipse commoueatur, & si qui in inferno sunt, mundi principes & tenebrarum tumultum faciant.* Similia habet in sermone contra omnes hæreses, & in lib. de decretis Nicænæ Synodi, contra Eusebium, & in epistola ad omnes orthodoxos.

156 Secundum est Hieronymi in dialogo contra Luciferianos cap. 9. vbi ait: *In illa Ecclesia permanendum est, quæ ab Apostolis fundata, vsque ad hanc diem durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur CHRISTI* (seu Christiani) *non à Domino IESV CHRISTO, sed à quoquam alio nuncupari, vtpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses siue Campitas, scito non esse Ecclesiam CHRISTI, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit* 1. Timoth. 4. Similia habet idem Hieronymus in caput 4. Isaiæ & in epistola ad Pammachium & Oceanum.

157 Tertium est Augustini concione 2. in psalm. 101. vbi ait: *Sed illa Ecclesia* (inquiunt Donatistæ) *quæ fuit omnium gentium, iam non est, peryit. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem. Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis: nam illa erit etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem & detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, pernitiosam præcidit spiritus DEI &c.* Similia habet in psalm. 47. & Epistol. 48. & in libro contra epistolam fundamenti cap. 4. & in libro de vtilitate credendi cap 14. Qui etiam lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 24. & epistol. 118. ad Ianuarium, & lib. 1. contra Cresconium cap. 33. pro indubitato fidei dogmate habet, quidquid vniuersalis Ecclesia credendum proponit.

Quibus postremo addo ipsam Sectariorum huius temporis confessionem, qui etsi alijs locis 158
aliter loquantur, in ipsa tamen confessione Augustana negare, aut dissimulare tam apertam veritatem non potuerunt. Sic enim habet articulus 7. de Ecclesia: *Item docent, quod vna sancta Ecclesia perpetuo mansura. Est autem Ecclesia Christi proprie congregatio membrorum Christi, hoc est, Sanctorum qui vere credunt & obediunt CHRISTO; etsi in hac vita huic congregationi multi mali & hypocritæ admixti sunt, vsque ad nouissimum iudicium. Habet autem Ecclesia proprie dicta signa sua, scilicet puram & sanam Euangelij doctrinam, & rectum vsum Sacramentorum.* Vbi expresse fatentur, veram Christi Ecclesiam, cuius notæ sint pura & sana Euangelij doctrina, & rectus vsus Sacramentorum, perpetuo esse mansura, & quod consequens est, perpepetuo permansisse.

Minor propositio eiusdem argumenti, quoad primam partem, nempe Ecclesiam Catholicam 159
semper hactenus perduraſſe, probatur primo; quia in ea nullo vnquam tempore facta est aliqua fidei mutatio; nec Ecclesia Catholica vnquam ab aliqua antiquiori Ecclesia Christi se separauit; *neque* si de hæreticis seu Heterodoxis, qui quouis tempore exstiterunt, loquamur, *nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt*, vt contra sui temporis hæreticos loquitur etiam Cyprianus de vnitate Ecclesiæ cap. 9. Sed eadem Catholica Ecclesia continua serie ab Apostolis ad nos vsque, sine vlla interruptione, propagata est; ita vt semper posterior Ecclesia, cum ea, quæ immediate præcesserat, communicans, eidem nusquam interrupto societatis vinculo copularetur; & quidquid prior illa Ecclesia credendum censuisset, posterior non abrogaret: quidquid autem à posteriore enucleatius forte circa fidem esset explicatum, aut quoad mores oportunius constitutum, id prioris Ecclesiæ fidei & doctrinæ contrarium non esset; sed prorsus consentaneum ac conforme; ac proinde etiam ab eadem illa priori Ecclesia minime improbaretur, vt ex ipsa continua serie historiæ Ecclesiasticæ patet: ex qua sectarij, quamuis sæpius prouocati, nullum vnquam certum tempus certosue authores, quo, vel à quibus aliqua circa fidem mutatio, & à priori Ecclesia discessio in Ecclesia Catholica facta sit; nominare potuerunt: cum tamen singularum sectarum & hæreseon certi authores, certæque origines ostendi possint.

Et quia Ecclesia Catholica in diuturna admodum possessione, per mille & amplius annos

legi-

legitimę ac perpetuo continuatæ ſucceſſionis Apoſtolicæ perdurauit, ideirco nec tenetur quidem ad aliam probationem, ſed in ſua poſſeſſione iure perſeuerat, donec Sectarij, noui vtique homines, qui ſe & ab Eccleſia Romana, & hoc ipſo ab vniuerſa antiqua Eccleſia Chriſti viſibili ſeparārunt, eique litem de legitima ſucceſſione & auita hæreditate Apoſtolorum mouere cœperunt, contrarium perſpicuo aliquo argumento probent; quod in æternum non facient; quamtumuis Iacobus Hailbronner, in catholico volumine, cum ſuis Symmyſtis, multum quidem & operoſe hac in re, ſed inaniter, magnaque etiam ex parte pueriliter laborauerit, vt fuſe & perſpicue oſtendi in Anatom. confeſſ. Auguſtanæ part. 2. obiect. 7. à num. 204. vſque ad 256. quæ nihil opus eſt hoc loco repetere.

161 Eadem vero minor propoſitio, quoad poſteriorem partem, nempe eam Eccleſiæ perpetuitatem nulli ſectariorum huius temporis cœtui conuenire, probatur primo ipſorummet aduerſariorum confeſſione, qui non raro fatentur, ſuam doctrinam, quo primum tempore à Luthero prædicata fuit, fuiſſe nouam, & ſuperioribus ſæculis incognitam, nec puram doctrinam multis ante Lutherum ſeculis in Eccleſia fuiſſe auditam. Ita enim I. loquitur præfatio confeſſionis Auguſtanæ ad Lectores; *præcipuos locos doctrinæ Chriſtianæ, ad id tempus, pernitioſiſſimis opinionibus obrutos fuiſſe, quibus ipſi lumen attulerint.* II. Philippus Melanchthon in præfatione confeſſionis doctrinæ Eccleſiarum Saxonicarum ait: *Erat ignota tota hæc conſolatio neceſſaria omnibus; quomodo conuerſus ad Deum ſit iuſtus, & placeat Deo.* III. Idē Melāchthon in præfatione primi tomi Lutheri ait; *poſt denſas admodum tenebras, Euangelij lucem Eccleſiæ, miniſterio Lutheri, redditam eſſe; & Deo gratias agendas, quod hanc Euangelij lucem rurſus patefecit.* Idem: *Omnes*, inquit, *articuli doctrinæ Eccleſiaſticæ, deterſis ſordibus priorum temporum, magis fulgere cœperunt.* IV. Idem Melanchthon in caput 3. 1. Corint. *Statim ab initio Eccleſiæ ſcriptores veteres obſcurarunt doctrinam de iuſtitia fidei; auxerunt ceremonias, & finxerunt peculiares cultus.* V. Idem Melanchthon in præfatione ſui corporis doctrinæ: *Quanta lætitia*, inquit, *primam ſcintillam lucis patefactæ à Luthero, ſtatim in tota Germania, homines non Epicuræi* (imo Epicuræi) *aſpiciebant?*

162 VI. Ipſe etiam Lutherus idem expreſſe fatetur, in præfatione operum ſuorum, vbi ait: *Primo ſolus eram*; hoc eſt nullum ante me ducem & aſſeclam meæ doctrinæ meique Euangelij habui. Item cum in libro de Eccleſia ſub fine mentitur. *Papam ſcripturam ſacram in cœno & puluere ſepeliſſe, & doctrinam Chriſtianam pene integram deleuiſſe.* Quo ſpectat, quod idem de abroganda Miſſa priuata tom. 2. latino Wittenbergenſi proteſtatur, tam aduerſus *communem ritum & vſum Eccleſiæ*, quam *ipſorum Patrum ſtatuta*, quodque in colloquijs latinis tom. 2. capite de Paſtoribus ait, *Tertulliani & Cypriani ætate degeneraſſe Eccleſiam; imo ipſis Apoſtolis adhuc viuentibus.*

163 VII. Georgrius Spalatinus in relatione de confeſſ. Auguſt. quæ tomis Lutheri inſerta eſt, de ea ipſa confeſſione aſſerit; *confeſſionem talem, non ſolum à mille annis; ſed nec à condito quidem orbe vnquam factam eſſe. Neque vel in vlla hiſtoria*, inquit, *neque apud vllum antiquum Patrem, ſeu Doctorem, talis confeſſio vſpiam reperitur.* IIX. Centuriatores Magdeburgenſes, tum alibi ſæpius, tum inprimis centuria 5. in epiſtola dedicatoria, de fidei doctrina eo ſæculo deprauatā, hoc eſt, ſuo pſeudoeuangelio oppoſita, inter alia his verbis queruntur: *Legis diuinæ cultus traditionibus humanis obruebantur. Nam in admiratione erant variæ ἐθελοθρησκείαι, ſeceſſiones ab hominibus, ſponteneæ ieiunia, afflictiones corporis. Paſſim enim Monaſteria & Eremitarum cellæ ſurgebant: & habebant præcones, Auguſtinum, Chryſoſtomum, & alios præſtantiſſimos viros. Hinc etiam ſummus fidei articulus, de gratuita remiſſione peccatorum per fidem in Chriſtum obſcurari, & vitiari cœpit. &c. Doctrina etiam de bonis operibus varie eſt corrupta.*

IX. Idem teſtatur præfatio Concordiæ Lutheranæ, vbi Deo gratias agunt, quod *poſt tenebras illas Papiſticarum ſuperſtitionum, puram & ſinceram Euangelij lucem exoriri & prælucere voluit.* X. Idem agnoſcit Iacob Hailbronnerus in ſuo Acatholico volumine a. 15. cap. 7. pag. 475. vbi ait; *Intra centenos aliquot annos, præcipue in occidentalibus regnis, & prouincys, nullam fuiſſe Eccleſiam viſibilem* (inuiſibilis enim vera Eccleſia nulla datur) *præter Pontificiam.* Et a. 15. cap. 7. pag. 478. Lutheranam doctrinam vocat, *veritatem diuinam denuo reuelatam.* Et cap. 9. pag. 479. fatetur, *veram ac puram Eccleſiam in perpetua ac non interrupta ſerie ac ſucceſſione non conſtitiſſe, ſed per apoſtaſiam à vera fide interruptam fuiſſe.* 164

Et vt etiam de alijs ſectarijs teſtimonia proferam, idem teſtatur Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 2. §. 1. vbi ait: *Simul ac in arcem religionis mendacium irrupit, ſumma neceſſariæ doctrinæ inuerſa eſt; Sacramentorum vſus corruit; certus Eccleſiæ interitus conſequitur: perinde atque de vita hominis actum eſt, iugulo transfixo, vel præcordijs lætaliter ſauciatis.* Et in reſponſione ad Sadoletum. *Palam eſt conſpicuumque, eruditis ſimul ac indoctis, proſtratum fuiſſe Chriſti regnum, cum erectus eſt Pontificis Romani Principatus. &c. ſublatâ fidei iuſtificantis cognitione, & Chriſti gloria extincta eſt, & abolita religio, & Eccleſia deſtructa, & ſpes ſalutis penitus euerſa.* Ita Caluinus: qui etiam lib. 3. Inſtit. cap. 5. §. 10. fatetur, *iam ante mille & trecentos annos vſu receptum fuiſſe, vt precationes fierent pro defunctis.* Et in quæſtione de iuſtificatione fatetur, veteres Patres ſuæ doctrinæ aduerſarios eſſe. *Ac ne Auguſtini quidem ſententia*, inquit Caluinus lib. 3. cap. 11. §. 15. *recipienda eſt, qui gratiam ad iuſtificationem refert, qua in vitæ nouitatem generamur.* Quem ſecutus Kemnitius 1. part. Exam. *Non mouemus*, inquit, *litem, quomodo iuſtificationem accipiant Patres.* Et infra. *Non ignoro, aliter loqui Patres; ſed de proprietate linguarum quæſtio eſt.*

Similiter Bernardinus Ochinus in præfatione dialogorū: *Conſiderans*, inquit, *quemadmodū Chriſtus Eccleſiam ſuam potentia, ſapientia, bonitate ſua fundauerit, exſtruxerit, ſtabiliuerit, ſuoque ſanguine lauerit, & ſpiritu ditauerit; eamdemque rurſus* 165

funditus euersam videns, non potui sane non mirari. Deniq; Sebastianus Francus epistola de abrogandis statutis Ecclesiast. ait: *Statim post Apostolos, omnia inuersa sunt: verus baptismus in puerorũ baptismũ abijt; Cœna Domini in sacrificium transformata est. Vnde pro certo habeto, externã Ecclesiam, vna cum fide & Sacramentis, operâ Antichristi, statim post Apostolorũ discessum euanuisse, & hisce mille quadringentis annis nusquã externã & visibilẽ Ecclesiam fuisse*; Qui omnes cum aperte fateantur, pluribus ante Lutherũ, & Caluinum sæculis, nullam purã, veram, ac visibilem Christi Ecclesiam fuisse, necessario etiã fateri debent, suam Ecclesiam (quam singuli quiq; ex Sectarijs pro vera vtiq; Ecclesia venditant) vna cum doctrina cuiusque sectæ propria totidem sæculis non fuisse, adeoq; nouam esse.

Secundo probatur idipsum vniuersali inductione, per singulas ætates, singulasq; sectas, siue Ecclesias à Catholica Ecclesia diuersas, quotquot retro per mille annos, vsq; ad Lutherum, ex Ecclesiastica historia reperiri aut nominari possunt. Nulla enim penitus hæresis, nulla secta, nullus hominum cœtus, nulla domus, nullus angulus ostendi potest, quantumuis minimus, intra mille annos Lutherũ antegressos, qui eandem cum Luthero, aut cum Zuinglio, aut cum Caluino, aut cum Anabaptistis, alijsq; singulis huius temporis sectis fidem habuerit; quiq; non in pluribus, ijsdemq; grauissimis fidei dogmatibus & articulis, ab ijsdem huius temporis sectis dissideret. Quam inductionem prolixe & ex instituto digessi & exposui part. 2. Anatom. confess. August. demonstrat. 2. §. 5. quam ad vitandam prolixitatem hoc loco prætermitto; cum præsertim hactenus (ab annis iam duodecim) à nullo Sectariarum impugnata, necdum expugnata sit.

166 Solum annoto, neq; Waldenses, neq; Wicleffum, neq; Hussium, neq; Piccarditas, eãdem cum huius temporis Sectarijs fidem habuisse; quantũuis hi nonnunquam eos velut eiusdẽ fidei socios ac testes aduocare velle videantur. Etenim quod ad Waldenses attinet, constat ex Æneа Syluio de orig. Bohem. cap. 33. & 35. Antonino, Prateolo, & alijs, eos complures in fide errores secutos fuisse, tam Sectarijs plerisq; huius temporis, quã nobis contrarios. Nimirum 1. vrente carnis libidine, omnem carnalem cõmixtionem, tam inter viros, quam inter fœminas esse licitam. 2. sacerdotes pauperes esse debere, & sola contentos eleemosyna. 3. Eucharistiam consecrari oratione dominica, septies repetita 4. Non posse plecti à Iudice nocentes. 5. Omne Iuramentũ Christianis esse interdictum. 6. viro perfecto non esse manibus laborandum. 7. omnem potestatem etiã Ordinis amitti per peccatum mortale 8. Non opus esse certa vocatione, ad prædicandum Verbum Dei. 9. Nullam aliam orationem admittendam, præter orationem dominicam. De quibus etiam Lutherus in Colloq. German. cap. de Schwermeris ait, eos credidisse, solam fidem abq; operibus non iustificare, sed oportere esse charitate formatam, de imputata iustitia nihil scisse. &c.

167 Wicleffum constat, docuisse inuocationem B. Virginis, cultum reliquiarum & imaginum, septẽ Sacramenta, animarũ purgatorium: quem proinde velut heterodoxum damnat ipse Philippus Melanchthon in epist. ad Fridericum Myconium, & in Apolog. artic. 8. & cap. de humanis traditionibus.

Similiter Ioannes Huss, contra huius temporis 168 Sectarios docuit, Sanctorum inuocationẽ, cultum reliquiarum, Indulgentias, cœlibatum Sacerdotum, Monarchiam Papæ, necessitatem bonorum operũ, septem Sacramenta, transubstantiationem in Eucharistia, sacrificium Missæ, adorationem Corporis Christi in Eucharistia, confessionem auricularem, purgatorium &c. Vt idcirco etiam Lutherus in assert. a. 30. asserat; *Si ille fuit hæreticus, se plus decies esse hæreticum.* Et in colloquijs germanis cap. de Antichristo ait: *Ioannem Hussum præter omne meritum trucidarunt & combusserunt; cum tamen à Papatu ne latum quidem vnguẽ recesserit. Nam idem quod illi docuit: solum illorum vitia & malam vitam insectatus est.* Quam tamen Lutheri exaggerationem falsam esse constat.

Similis ratio est Piccarditarum siue Adamita- 169 rum, qui sub idem tempus anni 1420. à Piccardo quodam, ex Gallia Belgica oriundo, (qui se postea Adamum vocauit) propagati, præter communes Hussitarum errores, etiam hos adiecerunt. 1. Piccardus ipse filius Dei vocari voluit. 2. Omnes nudi incedebant. 3. connubia eis promiscua fuere, & execranda. 4. Cæteros dicebãt seruos, se vero liberos: qui etiam magna ex parte deleti fuerunt gladio ab ipsomet Ziska Hussita, vt ex Aenea Syluio refert Prateolus: & quos ipse etiam Lutherus velut hæreticos damnat. Nam in resolutione conclusionis 15 ait: *Quod si etiam tempore Apostolorum non fuisset purgatorium, vt superbit fastidiosus Piccardus, nunquid ideo credendum est hæretico, vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot sæculorum falsam esse contendenti?* Et lib. de decem præceptis scribit idem Lutherus *Verum ne Piccardi, infelices hæretici, suas à me partes aditas confidant.*

Ex quibus etiam simul patet responsio ad tes- 170 tes veritatis ab Illyrico productos. Nullus enim est, qui non in pluribus fidei articulis ab Ecclesia seu Lutherana seu Caluiniana, aut alia quauis Sectariorum Ecclesia dissenserit; præterquã quod in ijs etiam continentur quidam aperte impij, manifestiq; & hæretici & pagani, vt pluribus ostendi in Dioptra fidei lib. 2. c. 16.

Tertio probatur eadem pars Minoris, ipsa facti euidentia. Cum enim manifestum sit, Lutherum primum circa Annum Christi 1517. fidem nouasse, ac in fidei doctrina toti Ecclesiæ tunc existenti sese opposuisse, plane constat immediate ante Lutherum neminem fuisse, cum quo Lutherus in fidei doctrina conspiraret. Eadem est aliorum Nouatorum ratio.

Accedit, quod cum ob eam ipsam causam sæpe sæpius à Catholicis postulatum fuisset, vt intra proximos mille annos, aliquam Ecclesiam siue cœtum, aut vel vnum saltem hominem nominarent, qui in fidei doctrina, omnibusq; ac singulis fidei articulis, idẽ sensisset, quodipsi sentiunt,

id hactenus prestare nunquã potuerunt, imo nec prestare serio tentauerunt. Cuius rei documentũ hoc esto. Cum enim Ægidius Hunnius, Saxonicus olim Prædicans, & Academiæ Wittenbergensis Professor, in suo Examine prefationis, quę Colloquio Ratisponensi Anni 1601. Monachij recuso præfixa erat, dixisset Ecclesiam Catholicam dici, *quia credat & profiteatur doctrinam Catholicam Catholicis libris à Deo proditam, & vbique, & semper, & ab omnibus fidelibus, maxime vero SS. Prophetis & Apostolis creditam*; ac mox ibidẽ sane perquam fidenter adiecisset: *Quod ipsum de nostra Ecclesia (rumpantur vtilia Papæ) vere cum laude prædicare possumus*: huic ego tam audaci ipsius, ne dicã impudenti iactationi, in Apologia eiusdem præfationis cap. 5. Anno 1603. edita, his ipsis verbis respondi, *Adesdum ergo, Hunni, & proba tuam Ecclesiam, tuaque seu fidei seu perfidiæ consortes, semper*
171 *absque vlla temporis interruptione, saltem per mille hos annos, ne vlterius progrediamur, incolumes perstitisse. Neque vero id de omnibus fidei quæstionibus, aut etiam quibuslibet ceremonijs, quas etiam in vera Ecclesia pro varietate temporum mutari licitum fuisse, nemo sanus dubitat; sed de fundamentalibus duntaxat fidei capitibus, à te postulo, vt nimirum probes, à tempore S. Gregorij Magni (ex quo scilicet tempore præcipue ad Antichristianismum defecisse clamatis Ecclesiam) semper & singulis annis fuisse aliquos, qui sequentia (simul omnia) crederent. I. Christum secundum humanitatem esse vbique. II. Eum non reipsa & vere quoad animam, descendisse ad inferos; quod nimirum ex Vbiquistarum errore sequitur. III. Eum non esse in Eucharistia ante sumptionem & vsum. IV. Eum in Sacramento Eucharistiæ non esse adorandum. V. Vnius speciei sumptione in Eucharistia sacrilege violari diuinum præceptum, & mutilari Sacramentum. VI. Sacrificium Missæ esse abominationem & Idololatriam. VII. Non esse septem, sed*
172 *tantum duo, aut tria Sacramenta. VIII. Sacram scripturam, & quidem ijs duntaxat libris contentam, quos iam pro Canonicis agnoscitis, esse vnicam normam omnis fidei doctrinæ: ac proinde nihil diuina fide credendum, nisi quod expresse atque adeo in specie in sacra Scriptura contineatur. IX. Romanum Pontificem non esse Caput totius Ecclesiæ, sed Antichristum. X. Sanctorum inuocationem Catholicis consuetã esse Idolomaniam. XI. Sanctorum Imaginum & reliquiarum cultum esse Idololatricum. XII. Non esse purgatorium. XIII. Indulgentias à Pontifice distribui solitas esse inanes. Nec posse inter Ecclesiæ membra, vnũ alteri seu viuo seu defuncto quoad pœnæ temporalis remissionem, propria satisfactione prodesse. XIV. Iustum bonis suis operibus non mereri vitam æternam; quin potius opus hac intentione factum, esse Deo exosum. XV. Hominem sola fide iustificari. XVI. Ieiunia Ecclesiastica conuellere licitum esse. XVII. Vota & vitam monasticam, iuxta regulas cuiusq; ordinis institutam, esse superstitiosam. &c.*

173 *Hæc tu mihi, Hunni, vt plura taceam, ostende, semper in Ecclesia his mille annis ab aliquibus credita fuisse. Quod si hoc de multis ostendere non potes, ostende saltem de paucis. Si nec hoc potes, ostende saltem ætatibus singulis vnum aliquem (quamquam hoc alioqui ad Ecclesiæ perpetuitatem tuendam per se nimis parum esset) qui eiusmodi vestra dogmata, vt præcipua fidei capita crediderit & professus fuerit. Sed quia satis scio ne hoc quidem vnquam, aut poteris, aut voles; ostende saltem vniuerso ipso tot sæculorum numero præteritis, inquam, mille annis, vsque ad Lutherum, extitisse vel vnicum, qui vel ad momentum aliquod temporis, quoad supradicta illa capita, vobiscum per omnia senserit. Ostende hoc, Hunni; non iam vt ilia rumpantur Papæ; sed ne alioquis ob ingens hoc tuum & turgentissimum mendacium, quo dixeras, Ecclesiæ tuæ doctrinam vbique, & semper, & ab omnibus fidelibus, maxime vero Sanctis Prophetis & Apostolis creditam, tibi rumpantur ilia. Ostende, si vir probus es; si existimationis tuæ amans; si salutis animarum sitiens; si non versipellis tergiuersator; si non mendax veterator es: ostende inquam vnicum eiusmodi fidelem in hac tota tot annorum serie.*

Nec de Apostolis iam, vel Prophetis quæro; quos tamen ipsos certum est ab aduersarijs nostri temporis dissensisse: sed de vnico fideli qui intra spatium mille annorum ante Lutherum vixerit. Semper enim, aũ, & vbique, & ab omnibus fidelibus fuisse creditam: edic Hunni, nomina vnum, non requiro multos; quamquam & hos deberes, si mentitus non es: neque peto vnum qualibet ætate demonstrari, quamquam & hoc ob illud tuum Semper iure poscerem; sed vel intra decem sæculorum decursum, virum vnicum; & nec hoc quidem, qui omnia omnino vestræ fidei pronuntiata tenuerit; sed principalia saltem & fundamentalia illa vestræ fidei capita crediderit.

Nec tu mihi infantes hic nomina, quos ante Lutherum, in Ecclesia Catholica baptizatos cita mors rapuit, 174 *cœloque præmaturos intulit. Primum enim tu ipse præcer infantes alios fideles fuisse asseris. Ecclesia, inquis, electorum, licet pusillus grex fuit manseritque Ecclesia Catholica vna cum baptizatis infantibus, qui abrepti sunt, antequam famosa illa venefica cor eorum vulneraret ac peruerteret. Ex illo ergo, vt ais, pusillo grege, quem vna cum infantibus orthodoxum permansisse dicis, vel vnicum à te ostendi peto, qui præteritis mille annis ante Lutherum, vel vnum annum, vel vnum mensem, vel vnum diem, vel vnum saltem temporis momentum illa vestræ fidei dogmata tenuerit.*

Quod si præter infantes neminem dabis, vt profecto nunquam dabis, dicam te mentitum esse, quando alium pusillum gregem, præter infantes, ante Lutherum semper orthodoxum fuisse iactabas. Dicam etiam te ineptire, quando vt Ecclesiæ tuæ vniuersalitatem tuearis solos producis infantes; quasi Ecclesia sine Pastoribus, sine Doctoribus, sine externa fidei professione esse possit; contra Apostolum, qui contrarium apertissime pronuntiat cit. loco Ephes. 4. Dicam postremo te insanire: infantes enim, quos nominas, nostri sunt, non vestri; à nobis, & in nostra Ecclesia Catholica baptizati, non in vestra, quæ tunc adhuc nulla fuit.

Quod si impudens esse perges, eos q; proteruè Ecclesiæ tuæ 175 *vendicare studebis, & forsan etiã dixeris, eos omnia omnino vestræ fidei capita actualiter credidisse, tunc à te vicissim petã, vt hanc ipsã adeo confidentẽ (ne dicã stultam) assertionẽ vnius saltẽ fidelis diserta testificatione comprobatã facias; infantes nimirũ illos actualiter credidisse, & illa quidẽ ipsa fundamentalia vestræ fidei dogmata credidisse. Quod si clamabis tantũ: Infantes nostri sunt, ad nostrã Ecclesiam pertinent, nostra dogmata crediderunt; id scriptura loquitur, id Prophetæ, id Apostoli testantur: non*

credo

credo, sed aio te impudentißime mentiri, & vel scripturas non intelligere, vel turpißime pro tua libidine in alienos sensus rapere, & ad tua figmenta trahere. Idque vel ob hoc ipsum confidentißime ac verißime dicam, quod neminem ex omni vetustate proferre potes, qui scripturas eo modo intellexerit, quo tu illas per insolentißimam stoliditatem interpretaris &c. Satis intellexisti, Hunni, quid velim: idque vt quam primum facias etiam nunc atque etiam rogo. Quod si nimis multa fundamẽtalia fidei vestræ dogmata tibi commemorasse videbor, excipe quæ vis, etiam alia, si lubet, repone; modo fatearis, te ea quæ excipis in tota antiquitate ab aliquo orthodoxo credita fuisse commonstrare non potuisse. Iudicet cœlum & terra inter me & te Hunni, an non æqua sit hæc mea postulatio.

176 Ita iam dudum ego ad Hunnium; non plane vt vides, Lector, dicis causa, vel ioco hanc ad eum postulationem iterum iterumq; inculcans; sed ex animo prorsus ac serio, vt in re omnium grauissima & maxima: in qua si vlla causæ fiducia, par erat, preces ac postulata tanta æquitate nixa incassum non cecidisse: præsertim cum ipsi nostri sint accusatores, nosque velut noui homines, de antiqua veræ fidei possessione, ac ex ipso Apostolorum semine propagatæ gentilitatis eijcere ac exturbare nitantur. Sed neque Hunnius; neque alius quisquam, eius loco, his viginti iam proxime elapsis annis, propositæ à me quæstioni ac prouocationi respondit. Imo Hunnius paulo post scriptum illud Apologeticum à me editum, catarrho, vt aiunt, suffocatiuo, vt ego vero interpretor turgentissimo illo sui mendacij tubere paulo antea relato, infeliciter extinctus est.

177 Neque Iacobus Hailbrunnerus Neoburgensis prædicans, olim in disputatione Ratisponensi Hunnij collega, in suo Acatholico volumine, quadriennio post illam meam ad Hunnium perscriptam prouocationem edito, art. 15. c. 7. cum hoc ipsum argumentum tractaret, aut vllam huiꝰ prouocationis mẽtionem facere ausus est; vel diserte quidquam ad propositum respondere potuit: sed tergiuersationibus, dissimulationibus, puerilibus elusionibus, mẽdacijs, & calamnijs rẽ omnem transegit; quando nec ipse, nec ex omni Sectariorum caterua quisquã, intra mille proximos annos Lutherum antegressos, vllum nominare adultum, seu rationis compotem potuit, aut vnquam poterit, qui eandem cum ipsis fidem vel in præcipuis saltem fidei articulis palam professus fuerit; vt contra eundem Hailbronnerum fusius demonstraui 2. part. Anatom. Confess. August. demonstrat. 2. vbi ad omnes Hailbronnerianas nugas sigillatim respondi.

178 Obijciunt primo, se habere Christum & Apostolos suæ fidei professores. Sed facile respondetur, hunc esse thrasonismum omnibus hæreticis consuetum: omnes enim iactant, suam doctrinã ad vnguem esse doctrinam Christi & Apostolorũ; qui tamen vel ex hoc ipso de mendacio apertissime conuincuntur, quod post Apostolorum tempora, nec vnum ostendere possunt Christianum doctorem, qui cum ipsis idem per omnia, quoad fidem, senserit; nec vllam Ecclesiam, in qua talis doctrina continuo duraverit; imo nec vnum fidelem hominem, qui eam doctrinam diserte fuerit professus, monstrare.

Obijciunt secundo; fuisse tamen aliquam Ecclesiam inuisibilem electorum, qui veram, adeoq; 179
eandem cum ipsis doctrinam, saltẽ in fundamentalibus fidei articulis habuerint. Respõdetur fuisse semper aliquam Ecclesiam, in qua fuerint aliqui Sancti & electi, plane fatemur; eam vero Ecclesiam fuisse inuisibilem, figmentum est prædicanticũ, toti scripturæ, soli Ecclesiæ visibili & ad Ecclesiam visibilem scriptæ contrarium, ex qua iam dubio præcedẽti euidenter ostendimus, nullam dari veram Ecclesiam Christi inuisibilem. Multo impudentius mendacium est, Ecclesiam illam Electorum ex ijs aut aliquo eorum cõstitisse, qui eandem cum sectarijs fidem essent professi; quando nullũ talem electum ostendere possunt.

Quod vero de fundamentalibus fidei articulis 180
addunt, mera tergiuersatio est; non solum quia si iure cum ipsis foret agendum, aduersarijs plane demonstrandum incumberet, singulis ætatibus fuisse aliquos, qui in omnibus ac singulis fidei articulis, eandem cum ipsis fidem essent professi; sed etiam quia nec ipsi particulatim explicant, aut explicare possunt, quosnam præcise fundamentales fidei articulos intelligant. Et quod amplius est; Quosquos demum illis assignare lubeat fundamentales fidei articulos, in quibus à nobis ipsi dissentiant, nunquam sese, à quibus constricti tenentur laqueis expedient; quia nunquam ostendere poterunt, Ecclesiam aliquam continua serie ab Apostolis vsque continuatam, quæ in eiusmodi fundamẽtalibus fidei articulis, eandem cum ipsis Sectarijs fidem professa fuerit.

Quod ita ostendo. Nam Iacobus Hailbruñer 181
in suo Acatholico volumine a. 15. c. 7. pag. 478. fundamentales fidei articulos explicare volens ait: *Satis pro ratione temporis, quod in fundamento, & principalibus Christianæ doctrinæ de vnico nostro Mediatore, Redemptore, & Saluatore nostro IESV CHRISTO, atque adeo de vnica via salutis æternæ idem nobiscum senserint.*

At vero hoc ipsum eorum fundamentum, quod Christus sit vnicus Mediator, Saluator ac Redemptor noster, eo quidem sensu, quo ab ipsis explicatur, non solum hoc significat, quod verba ipsa per se & secundum litteram sonant, vt scilicet absolute, diserte, & sine hæsitatione profiteamur & credamus, Christum esse vnicum Saluatorem ac Redemptorem nostrum, vnicumque ac supremũ Mediatorem; vtpote quod etiam Catholici omnes vno ore ac libentissimis animis fatentur, vt contra eiusdem Hailbunneri calumnias ex instituto demonstraui in libro germanico, quem inscripsi **das Ketzerisch Lutherthumb** part. 1. §. 3. & 5. Sed insuper etiam hæc omnia pronuntiata in se continet. 1. Solam fidẽ sufficere ad salutem. 2. Sacramenta nullam vim habere iustificandi ex opere operato; ac proinde nec paruulis prodesse baptismum ad salutem, nisi actualiter credant. 3. Nulla esse merita bonorum operum. 4. Nullam satisfactionẽ pro redimẽda pœna temporali peccatorum. 5. Nulla suffragia mortuorũ. 6. Nullũ

purgatorium. 7. Nullum Sacrificium Missæ. 8. Nullam Sanctorum inuocationem. 9. Nullam veram absolutionem Sacerdotalem à peccatis. 10. Nullas Indulgentias Ecclesiasticas. 11. Nullam propriam sanctitatem, & iustitiam internam coram Deo. 12. Nullam Monasticæ professionis sanctitatem.

Hæc, inquam, omnia & singula continet, ex mente aduersariorum, illud fundamentum ipsorum, vt vocant, de Christo vnico Saluatore, Redemptore, & Mediatore, siue de vnica via salutis. Quæ quidem cum adeo communia sint omniũ Sectariorum huius temporis dogmata, non Lutheranorum modo, sed etiam Zuinglianorum, Caluinistarum, Anabaptistarum, & Trinitariorum; nunquã tamen ipsi ostendent, semper in Ecclesia extitisse aliquos, non aperte etiã ipsorum iudicio hæreticos, qui in eiusmodi articulis eandem cum ipsis fidem professi fuerint.

183 Id quod multo magis etiam vim ac robur habet, contra Philippum Melanchthonem in Apologia Augustanæ confessionis a. 7. de Ecclesia, vbi ad fundamentum illud aliquanto plus requirere videtur, cum ait: *Dicimus, existere hanc Ecclesiam, videlicet verè credentes ac iustos, sparsos per totum orbem, & addimus notas, puram doctrinam Euangely, & Sacramenta. Et hæc Ecclesia proprie est columna veritatis. Retinet enim purum Euangelium, & vt Paulus inquit, fundamentum, hoc est, veram Christi cognitionem, & fidem.* Quæ sane vera Christi cognitio & fides, proprie loquendo, non solum articulum illum de vnico nostro Mediatore & Redemptore Christo, sed etiam articulum de Christi diuinitate, passione, & morte, deque extremo eius iudicio, de eius prædicatione, Apostolorum ipsiusque Spiritus sancti missione, aliosque similes articulos comprehendit.

184 Quæ cum ita sint; iterum nunc atque iterum ego vniuersos, quotquot vspiam extant, sectariorum Ministros, hac charta prouoco, vt saltẽ capitalia suæ fidei puncta, vnicum, vt ipsi aiunt Saluatorem ac Mediatorem Christum, vnicamque salutis æternæ viã, ipsamq; veram Christi cognitionem ac fidem concernentia, ostendant, ab Apostolorũ tempore ad nos vsque continuata successione, in aliqua vera Christi Ecclesia, quocunque nomine eã de cætero appellitent, corde credita ad iustitiam, & ore ad salutem confessa fuisse: aut quia hoc non possunt, fateantur, suam Ecclesiam continuo ad nos vsque per illos mille & quingentos annos non perduraſſe; ac proinde veram Christi Ecclesiam non esse.

Obijciunt tertio; id ipsum fuisse diuinitus prædictum; seriem ac successionem puræ Ecclesiæ Christi interruptum iri, per apostasiam ac defectionem à vera fide, & regnum Antichristi. Danielis 12. Matthæi 24. 2. Thessal. 2. 1. Timot. 4. 1. Ioannis 2. 2. Petri 2. & in Apocalypsi Ioannis. Ita Hailbrunnerus articulo 15. cap. 9. & 10.

185 Respondetur, hoc esse mendacium Prædicantium. Nusquam enim, si tota scriptura à capite vsq; ad calcem perlegatur, inuenitur in ea assertum, totam Christi Ecclesiam, seu omnes simul Doctores Ecclesiæ, aliquo tempore circa fidem errare, aut vllis circa fidem erroribus infici posse. Sed hoc solum in scriptura locis cit. dicitur, tum falsos Prophetas & Doctores exorituros, qui *seducant multos*; quod etiamnum hodie videmus & experimur in Luthero, ac eiusdem assectis prædicantibus, alijsque huius temporis Sectarijs, tum sub tempus Antichristi, cuius prodromos esse hodiernos Sectarum Magistros credimus, insignem quãdam à fide apostasiam euenturam esse.

Quin etiam vlterius fatemur, singulos per se 186
fideles, quantumuis sanctos & doctos, imo etiam cæteras quasque Ecclesias particulares, per se errare posse: at vero vniuersam Ecclesiam Catholicam simul vel circa minimi articuli fidem errare posse, hoc scriptura nusquam dicit, sed aperte negat, vt dub. præced. demonstratum, & vel ex ipsis à Prædicante citatis locis colligitur.

Nam illo ipso loc. cit. Matthæi 24. dicitur: *Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* En vides futurum non esse, vt omnes etiam electi in eiusmodi pernitiosos errores inducantur. Eodem modo 2. Petri 2. non dicitur futurum, vt cuncti, sed vt multi sequantur Pseudoprophetas. *Et multi*, inquit Apostolus, (non omnes) *sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.* Cætera quæ à Sectarijs obijciuntur, quia leuioris momenti sunt, prætermitto. Quæ tamen omnia & singula; vti & hanc vniuersam demonstrationem prolixe edisserui & explicaui in Anatomia confess. August. part. 2. demonstrat. 2.

Quinta demonstratio desumitur ab eadem 187
tertia Ecclesiæ proprietate & nota, scilicet esse Catholicam; quatenus eo nomine significatur vniuersalitas locorum, à qua ita argumentamur. Proprium est Ecclesiæ veræ, ex quo primum tempore per Apostolos fundata est, diffusam esse per totum orbem cognitum; ita quidem, vt non angustis locorum spatijs concluſa, sed vsque ad finem mundi toto orbe cognito diffusa & propagata spectetur: hoc autem soli Ecclesiæ Catholicæ; non autem vlli Sectariorum huius temporis cœtui, si per se singuli, vti necesse est, spectentur; conuenit: Ergo sola Ecclesia Catholica est vera CHRISTI Ecclesia. Maior huius syllogismi testimonijs scripturæ, ac SS. Patrum, constat ex dubio præcedenti.

Minor propositio quoad vtramque partem, 188
probatur ipsa, vt ita dicam, oculari euidentia. Nam quod ad Ecclesiam Catholicam attinet; constat, eam non solum per singulas Europę Prouincias, puta Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Poloniam, Hungariam, Dalmatiam, sed etiam per cæteras orbis partes vniuersas, puta Asiam, Africam, ac Indiam, tam occidentalem, quam orientalem, ipsamque adeo Americam & nouum orbem diffusam esse, ac quotidie magis magisque per Catholicos Prædicatores diffundi ac propagari.

E contrario Lutheranismus aliquam tantum

Germanicæ partem; Zuinglianismus solam Heluetiæ partē; Caluinismus solas quasdam Gallię, Britanię, Belgij, certe in Germania vix quidquam amplius obtinet. Anabaptismus per Morauiam, Austriam, & Hollandiam fere tantum grassatur; Trinitarij Hungariæ & Transyluaniæ parte contenti sunt.

189 Et hæc quidem ita nunc dicimus, postquam Luthero & Sectarijs ex eo prognatis, vnius iam seculi decursu data est potestas crescendi. At vero si ad prima eos incunabula reuocemus, quam angusto gurgustio initio continebatur Lutheranismus; vnius scilicet Wittebergæ mænia non egressus. Quam angustus initio Caluinismus, sola prope Geneua contentus. Et tamen eò iure reuocantur Sectarij vbi nati sunt, primamque lucem conspexerunt. Quia si vel in suis primordijs eorum vnaquæque Ecclesia: vel vnica proprietate veræ Christi Ecclesiæ, post Apostolorum prædicationem, debitâ destituitur, vera tunc esse non potuit Ecclesia; si autem tunc, & in ipsis suis incunabulis, vera non fuit Ecclesia, nec iam esse potest, quando præsens à priori diuersa non est. Agnouit hanc suæ Ecclesiæ paruitatem ipse Lutherus in Colloq. Isleb. de nouissimo die fol. 465. 6. cum ait: *Quid autem hoc sibi velle putas, quod nostrum Euangelium in angulis prædicatur? Quo pertinere censes, quod tota Asia & Africa Euangelio carent, & in Europa, & in Græcia, Italia, Vngaria, Hispania, Gallia, Anglia, & Polonia, nullum Euangelium prædicatur? Pusilla hæc prouincia Saxoniæ nouissimum diem nequaquam morabitur.*

190 Contra hanc demonstrationem, ex quâ vel solâ vniuersa Donatistarum agmina funditus euertit ac pessundedit Augustinus in suo illo egregio libello de vnitate Ecclesiæ, illud potissimum obijciunt Sectarij; hoc ipsum fuisse diuinitus prædictum, Catholicam Ecclesiam sub Antichristi regno ad eam fuisse paucitatem ac pene vastitatem redigendam; vt si fieri potuisset, in errorem etiam electi fuissent inducti. Matthæi 24. Ita Hunnius in examine præfationis Protocolli Monacensis, & Iacobus Hailbruñerus in suo Acatholiconte.

Respondeo id ipsum quidem iam olim aduersus Augustinum obiecisse Donatistas cit. lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 13. *Sed postea*, inquiunt, *orbis terrarum apostatauit, & sola remansit Donati communio.* Quod etiam in scripturis fuisse prænuntiatum, ibidem cap. 15. & 16. fuse conantur ostendere. Verum cum eodem Augustino ibidem cap. 16. facile respondetur; Ecclesiam, iuxta scripturæ vaticinia, ita deficere necdum potuisse, vt ex illo ipso capit. 24. Matthæi colligitur; quia finis mundi nondum adest; qui adesse prius non potest, quam prædicatum sit Euangelium per vniuersum orbem. *Sunt autem adhuc*, inquit Augustinus, *nonnullæ gentes* (imo multę gentes, si vti par est, huius temporis historijs fidem habemus) *in quibus nondum est Euangelium prædicatum: necesse est autem impleri omnia, quæ de Christo & Ecclesia prædicata sunt. Oportet ergo & in eis prædicari, quod cum impletum fuerit, tunc erit finis.* Ita Donatistis Augustinus: qui etiam hoc argumentum vocat *euidentissimum*, quod aduersarijs omnino *auferat laborem quærendi, vnde probent, Ecclesiam mundo perdito, ad solos Afros* (seu Germanos &c.) *redactam.*

Respondeo secundo iuxta eundem Augustinum; si omnes etiam Antichristi persecutiones, & à fide eiusdem temporis defectiones, in scripturis prædictæ expendantur, nusquam colligi, Ecclesiam veram Christi ita defecturā, sub Antichristi tyrannide, vt idcirco per totum orbē non sit diffusa: sed potius contrarium, vt videre est ex parabola zizaniorum Matthæi 13. vbi dicitur: *Simite vtraq; (triticum simul & zizania) crescere vsq; ad messem; & in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* 191

Quem ipsum locum aduersus Donatistas vrgens Augustinus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 14. ait: *Dicit & Dominus de superseminatis zizaniis: Simite vtraque crescere vsque ad messem, id est, triticum & zizania. Et ipse interpretatur messem finem esse sæculi, agrum vero, vbi vtrumque seminatum est, mundum esse. Oportet igitur vsque in finem sæculi crescere vtrumq; per mundum. Vnde iam non permittuntur isti* (hæretici) *suspicari, aut asserere, quod dicunt, omnes bonos defeciſſe de mundo, vt in sola parte Donati remanerent. Conantur enim contra certissimam sententiam Domini dicentis: Ager est hic mundus: Et simite vtraque crescere vsq; ad messem: Et messis est finis sæculi.*

Et ibidem capit. 15. de ijsdem Donatistis loquens Augustinus: *Dicunt*, inquit, *de Apostasia orbis terrarum dictum esse, quod ait Dominus, Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Sed respondet Augustinus: *Nos intelligimus* (hoc) *dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis quoque admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inueniatur aliquid vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint; vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, de qua satis diximus. Propterea enim tanquam dubitans hoc Dominus dixit. Neq; enim ait, Veniens Filius hominis non inueniet fidem in terra; sed putas, inueniet fidem in terra? Cui vtiq; cuncta scienti & præscienti, de aliqua re dubitare non conuenit: sed illius dubitatio nostram dubitationem figurauit; quia propter multa scandala circa finem sæculi pullulantia, hoc quoque erat quandoque infirmitas humana dictura.* 192

Vnde in psalmis dicitur, Dormitauit, anima mea præ tædio; confirma me in verbis tuis. Quare dormitauit anima mea præ tædio, nisi propter illud quod Dominus ait (cit. Matthæi 24.) *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum. Et quare, confirma me in verbis tuis, nisi propter id quod sequitur. Qui autem perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit?* Ex quibus colligit Augustinus: *Sunt ergo per totum mundum, in quibus, quoniam abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum; & sunt rursus per totum mundum, qui perseuerando vsque in finem saluierunt: quia simite, inquit, crescere vtraq; vsq; ad messem: & messis est finis sæculi, ager autem mundus.* 193

Et tandem concludit Augustinus: *Desinant ergo isti, si respondere huic epistolæ* (seu demonstrationi) *parant, ea testimonia commemorare, quæ nos cum ipsis*

commemoramus, vel in perditionem Iudæorum, vel in Zizania, siue paleam, siue malos pisces totius mundi. Et sicut nos manifestissimis testimonijs asseruimus Ecclesiam toto orbe diffusam, sic & ipsi manifestú aliquid proferant, vnde ostendant, esse prædictum, cæteris gentibus à fide Christi peruentibus, solam Africam, siue Saxoniam. &c.) *remansuram, & quocunque Episcopi* (seu prędicantes) *ex Africa* (Saxonia) *mitterentur.*

194 Addo denique, calumniatores esse prædicantes; quando in supradicta obiectione supponunt, Papam esse Antichristũ, & ex ea hypothesi probare nituntur, Ecclesiam veram ita debuisse deficere, iuxta Christi prædictionem Matthæi 24. cum tamen hoc ipsum adeo execrabile figmẽtum vel ex eo ipso Matthæi loco validissime refutetur; ex quo constat, *abbreuiandos* fore dies regni Antichristi, *propter electos.* Qualis autem hæc esset abbreuiatio, si, vt volunt Sectarij, Antichristus iam per mille & amplius annos in Pontificib⁹ Romanis regnasset; vt ita scilicet diuturni⁹ fuerit regnum Antichristi, quam Christi; breuior periodus veræ Ecclesiæ Christi, quam Synagogæ Antichristi; maior potentia diaboli, quã virtus Christi. Sed de Pontifice ex instituto agendũ est quæst. seq. Cæteras prædicantium obiectiones, totamque hanc demonstrationem fusius explicaui 2. part. Anatomiæ confess. August. demonstrat. 3.

195 Demonstratio sexta sumitur ex quarta proprietate Ecclesiæ, quæ est esse Apostolicam; & inter alia requirit, tum continuam successionem Pastorum & Doctorum, ab Apostolis vsq;, continuâ serie, ad nos vsque permanentem; tum legitimam vocationem eorundem, vt ostendimus dubio præcedenti, ex qua proinde Ecclesiæ proprietate ita argumentamur. Proprium est veræ Ecclesiæ Christi, esse Apostolicam, adeoq; habereac retinere perpetuam successionem Pastorũ & Doctorum, ab Apostolis continua serie ad nos vsq; propagatam: sed hoc inter omnes Ecclesias Christi nomen profitentes, soli Ecclesiæ Catholicæ conuenit: Ergo sola Catholica Ecclesia est vera Ecclesia. Maiorem propositionem huius syllogismi testimonijs scripturæ & SS. Patrum probauim⁹ dub. præced. Minor quoad vtramq; partẽ constat ipsâ euidentiâ facti. Nam sicut Catholica Ecclesia in promptu habet exhibere Catalogum Episcoporum, tum eorum, qui in primaria Cathedra Romana totam Ecclesiam gubernarunt, tum etiam aliorum, qui in vnaquaque Ecclesia particulari, debitam cum Romana sede consensionem & connexionẽ retinentes, præsederunt, ita impossibile est Sectarijs, continuatã Pastorum & Doctorum suæ fidei siue Ecclesiæ seriẽ pertexere: quando ipsimet aperte agnoscunt, plus mille ante Lutherum annis propriam illam suæ fidei confessionem & doctrinam nusquam in Ecclesia fuisse; ita vt nec vnicum quidem Doctorem ostendere possint, qui eandem cum ipsis fidẽ fideiq; doctrinã habuerit & professus fuerit, vt euidenter patet ex dictis superius demonstrat. 4.

196 Quanti vero antiqui Patres fecerint hanc demonstrationem, adeoque continuam Pastorum & Doctorum successionẽ, ab Apostolis nusquam interrupta serie continuatam, tam ad Ecclesiæ Catholicæ veritatem, quam ad Sectarum aliarum quarumuis falsitatem comprobandam, luculenter pluribus Patrũ testimonijs demonstraui par 2. confess. August. demonstrat. 4. ex quibus solius vetustissimi Irenæi testimoniũ libet afferre. Ita enim loquitur l. 3. c. 3. contra hæreses: *Sed quoniam valde longum est, omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionẽ, & annuntiatã hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientẽ vsq; ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malã, vel vanam gloriã, vel per cæcitatẽ & malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim* (Romanam) *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndiq; fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndiq;, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.*

Et cum mox eam successionem Episcoporũ in Ecclesia Romana vsq; ad Eleutheriũ, suo tempore præsidentẽ retulisset, subiungit: *Hac ordinatione, & successione, ea, quæ est ab Apostolis traditio, & veritatis præconiatio peruenit vsq; ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, vnam & eandem viuificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis vsq; nunc sit conseruata & tradita in veritate.* 197

Et rursum l. 4. c. 43. *Quapropter*, inquit, *eis, qui in Ecclesia sunt Presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero qui absistunt à principali successione, & quocunq; loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas, quæstus gratia & vana gloriæ hæc operantes. Omnes autem hi decidunt à veritate.*

Eodem modo loquuntur cæteri Patres citati dubio præcedenti. Sane Augustinus contra epistolam fundamenti capit. 4. inter cætera fidei suæ motiua, ac veræ Ecclesiæ notas, hanc ipsam etiam successionem refert: *Tenet*, inquit, *in Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatũ, successio Sacerdotum.* Plura loc. cit.

Septima demonstratio sumitur ab eadem Ecclesiæ proprietate & nota, scilicet esse Apostolicam, quatenus per eam significatur legitima Pastorum & Doctorum vocatio; per quam nimirum legitime ab ipso Christo, non secus ac ipsi Apostoli, ad id munus sint vocati, quã ita formamus. Proprium est Ecclesiæ Catholicæ habere Pastores & Doctores legitime à Christo, ipsoque Deo vocatos; hæc autem legitima vocatio solum conuenit Pastoribus & Doctoribus Ecclesię Catholicæ; non autem cæteris Sectariorum cœtibus: Ergo sola Ecclesia Catholica est vera Ecclesia. 198

Maior propositio constat tum ex dictis dub. præced. tum ex illo Christi Ioañis 10. v. 1. *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium* (nempe Christum) *in ouile ouium; sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Et Rom. 10. v. 15. *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?*

Minor

Minor eiusdem syllogismi probatur. Quia duplex est vocatio Dei legitima, ad obeundum munus illud Pastorum & Doctorum in Ecclesia Christi; vna vocatio Dei extraordinaria & immediata; sicut vocati sunt Moyses, Prophetæ, Christus & Apostoli: altera vero mediata & ordinaria: è quibus saltem ordinaria & mediata conuenit præsentibus cuiusque ætatis Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ Catholicæ: neutra vero conuenit pastoribus & doctoribus aliarum sectarum: Ergo in sola Ecclesia Catholica cernitur legitima vocatio Pastorum & Doctorum; non autem in cæteris Sectariorum Ecclesijs. 199

Maior eiusdem syllogismi est extra cõtrouersiam. Minor quoad priorem partem constat ex dictis demonstrat. præcedente: vbi ostendimus, in Ecclesia Catholica esse perpetuam successionem Pastorum & Doctorum, in qua per legitimam vocationem, nempe ordinariam & mediatam, vnus alteri perpetuo successerit. In hoc enim consistit mediata Christi vocatio legitima, quod nimirum manente continua serie Pastorum & Doctorũ, alij ab alijs Episcopi & Pastores, donec retro ad Apostolos vsq; perueniatur, constituti & ordinati sint; quo modo scilicet ab Apostolis ad officium pastorale, & quasi ad Apostolici muneris successionem seu participationem, vocati fuerũt Titus, Timotheus, Clemens, & alij, quos ipsi in varijs locis prædicatores & Episcopos cõstituerũt & ordinarunt: ab his rursum alij, cõtinua successione, ad nostra vsque tempora: ita quidem vt hæc vocatio imediate fiat per homines, tanquam per instrumenta subordinata, quibus Deus eam potestatẽ semel concessit, vt suo arbitratu, quos idoneos existimarẽt, ad id muneris perpetua successione vocarent & constituerent; interueniente subinde ipsius etiam Cleri legitima electione. 200

Secunda vero pars eiusdem minoris, quã diximus, neutrum legitimæ vocationis modum conuenire Luthero, Caluino, Zuinglio, Münzero; & quo ad priorem partem, nempe de vocatione Dei imediata & extraordinaria, sequentibus rationibus probatur. I. Quia omnes ita vocati, saltem vbi non simul adest alia vocatio ordinaria, instruuntur à Deo, sicut res ipsa exigit, manifestis quibusdam exterioribus signis, siue indicijs, ex quibus cuique euidentter credibile fiat, tales esse diuinitus missos & vocatos: quandoquidem alias nemo aut posset, aut deberet eiusmodi Legatis Dei fidem habere. Sicut etiam in humana politia, absque fide dignis documentis, nullus pro Regis vel Principis alicuius Legato agnoscitur vel admittitur. Id vero in rebus, quæ æternam animæ salutem concernunt, tanto magis obseruandum est, quanto & res ipsæ maioris sunt momenti, maiorque hic, vt quotidie videmus, copia falsorum ministrorum suppetit, qui omnes se iactant à Deo missos, nomenque ac verbum Dei (more veterum etiam Pseudoprophetarum) perpetuo in ore habẽt. Quare omnes in scriptura extraordinarie missos eiusmodi notis diuinit9 insignitos legimus: vti Moysen Exodi 5. Ioannem Baptistam manifesto eoq; vario miraculo natum & insigni vitæ sanctimonia pollentem, Marci 1. 201

Lucæ 1. Itemque septuaginta duos discipulos & Apostolos Christi Matthæi 10. Lucæ 10. Marci 16. Imo nec Christus ipse absque eiusmodi notis siue documentis, fidem exegit, Ioannis 10. v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi nõ vultis credere, operibus credite.* Et Ioannis 15. v. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Idem fatetur Melanchthon citatus inferius demonstrat. 9. 202

At vero neque Lutherus, nouus scilicet Ecclesiæ reformator, neque Caluinus, aut Zuinglius &c. vllis eiusmodi signis vel indicijs manifestis suam à Deo vocationẽ testatam facere potuerũt, vtpote nec vllis miraculis instructi, nec vlla egregia vitæ sanctitate illustres: Ergo fatendum est, eos à Deo immediate ad suum illud reformationis munus vocatos non fuisse.

Vtitur hoc ipso argumento aduersus sui temporis hæresiarchas etiam Tertullianus l. de præscriptionibus cap. 30. *Probent se nouos Apostolos esse; dicant Christum iterum descendisse* (vt eos nempe sibi Apostolos adsciscret) *iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatũ; sic enim Apostolos solet facere: dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferre; nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt. &c.* 203

II. Impossibile est, secundum statum veræ Ecclesiæ à Christo re ipsa institutum, aliquem à Deo imediate mitti ad nouam fidem (multis scilicet antea sæculis inauditam) mundo inferendã; quandoquidẽ nulla talis fides vera fides esse potest, vt patet ex illo Matthæi 16. v. 18. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; & fusius dictum demonstrat. 4. Lutheri fides, post defectionem prædicata, erat noua, & à pluribus antea sæculis inaudita, vt ibidem vidimus. Ergo &c. 204

III. Si ex vllo signo credibile esset, Lutherum, Caluinum &c. fuisse imediate à Deo missos, id esset syncera & vera Christianæ fidei prædicatio. Hoc non: Ergo &c. Minor probatur. 1. quia missio & vocatio diuina præcedere debet ipsam prędicationem; & post factam nunc Christi & Apostolorum prædicationem, priusquam prędicatio admittatur, debet constare de missione legitima; quandoquidem *alieni* (non rite vocati) vocem nec audire quidem, seu nosse debemus; ex cit. Ioannis 10. Quod ipsemet Lutherus fatetur tom. 3. Wittenbergensi latino in psalmum 82. vbi ait: *Nemo alienum* (Pastorem) *audire potest aut debet, sine periculo contempti Magistratus, aut offendiculi magni coram Deo & Ecclesia.* 2. Eam notam ex æquo sibi arrogant omnes huius temporis sectarum Magistri; qui tamen inter se pugnantissima docent: imo de hoc ipso vel maxima quæstio & disceptatio est, an vera doceant; Ergo puritas doctrinæ nõ est sufficiens nota legitimæ vocationis. 3. Puritas doctrinæ non est nota veræ Ecclesiæ, vt ostendimus dubio præcedenti: ergo nec legitimæ missionis diuinæ; ob easdem causas ibidem explicatas. 205

Deinde vero Lutherum, Caluinum, alios; se- 206

ctarum huius temporis magistros, nec mediate quidem & ordinaria vocatione à Deo vocatos fuisse, probatur non minus firmis rationibus. I. Quia ad nouam fidem mundo inferendam, secũdum statum Ecclesiæ à Deo constitutum, nulla potest esse legitima vocatio, nec mediata, nec immediata, vt antea dictum.

II. Etiamsi possibilis esset noua vocatio legitima, ad nouam fidem mundo inferendam, ad eam tamen nulla sufficere posset vocatio ordinaria & mediata, vtpote quæ non nisi ad ordinariam & receptam antea doctrinam verbiq; ministerium extenditur.

III. Lutherus, Caluinus &c. non habuit vocationem legitimam, nec à sola potestate ciuili, nec ab Ecclesiastica: Ergo nullam. Non à ciuili; quia huius non est vocare & ordinare ministros Ecclesiæ; sed hæc potestas adeos pertinet, quorum est regere Ecclesiam, nempe ad Episcopos, Act. 20. v. 8. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.*

207 Quod etiam ostendit continua praxis Ecclesiæ Act. 14. vers. 22. ad Tit. 1. vers. 5. & inauditum est in Ecclesia, à sola potestate ciuili constitutos fuisse pastores & ministros Ecclesiæ. Nec ab Ecclesiastica; quia vel habuisset eam ab ijs Ecclesiæ pastoribus & Præsulibus, qui ipsum consequuti, & ab eo ipso primum post apostasiam constituti fuerunt; aut ab ijs, qui eum eiusq; apostasiam antecesserunt. Non primum; quia sicut filius nõ potest generare patrẽ, ita nec legitimam vocationem conferre potest vocatus ei, quo ipsemet vocatus est.

Neq; secundũ dici potest; tum quia hac ratione fatendũ erit Sectarijs, Ecclesiã Catholicã verã esse Ecclesiã, non hæreticã, vel Antichristianam, quę nullã habet legitimæ vocationis cõferendæ potestatẽ; vtpote omnis Iurisdictionis sacræ & Ecclesiasticæ expers. Tum quia omnes illi, qui antecesserunt Lutheri apostasiã Ecclesiæ prælati, eius defectioni ac deformationi prorsus fuerunt contrarij: Ergo nullam eius facultatem fecerunt. 208 Tum quia hac ratione dicendum foret, Lutherum accepisse vocationem suã, cum Sacerdos, Professor, vel Doctor crearetur: sed hoc non potest dici: quia Pastoribus, professoribus, & Doctoribus Ecclesiæ Catholicæ, in conferendo gradu, vel officio Doctoris, Prædicatoris, vel Professoris, non confertur potestas indefinita & indeterminata, quãlibet doctrinam seu fidem prædicandi & docendi, vt per se euidens est, & patet ex formulis iuramẽti, quæ Candidati, aut Professores futuri præstare iam olim etiam solebant: sed eam solum, quæ est ipsius vocantis Ecclesiæ Catholicæ fides.

Vocantur enim, & mittuntur, qui ab eis potestatẽ accipiunt, tanquã Pastores huius Ecclesiæ, non alterius. Sicut qui pecoris pastor in ciuitate constituitur, in certis eiusq; cõmunitatis proprijs pascuis iubetur pascere pecus; non in alienis. Qui iudex constituitur, ex suę cõmunitatis, non alieni regni legibus & moribus iubetur ius dicere, & proferre sententiam. Qui legatus est, vltra terminos suæ commissionis nullam habet potestatem. Ita etiam Pastores & Doctores ab Ecclesia Catholica vocati, ad solã Ecclesiã Catholicã tuendã & propagandã; itemq; ad fidem Catholicã disseminandam & procurandã, non vero ad vllum opus seu ministeriũ Catholicæ fidei & Ecclesiæ aduersum, quocunq; nomine seu reformationis, seu deformationis, appelletur, obeundũ vocantur; nec ea vocatione vllam facultatem aliam, seu potestatem accipiunt.

Accedit, quod Lutherus, alijq; sectarũ magistri, vti sacrificiũ Missę prorsus contemnunt, ita etiam Sacerdotij ordinẽ ad hoc sacrificiũ institutũ necessario reijcere debent. Per gradum vero Academici Doctoratus, tametsi is testimonium sit & nota eruditionis eorũ, quibus confertur, per se tamẽ nulla cõfertur iurisdictio ad Pastoris & Doctoris munus in Ecclesia obeundum necessaria: in quem proinde solũ, legitima vocatio ad eiuscemodi munera referri nullo modo potest. De qua re pluribus disserui part. 1. Anatomiæ demonstrat. 5. & in Dioptra fidei l. 2. c. 27. 209

Ex quibus etiã patet, quam inaniter Lutherus suam vocationem nunc quidem ad gradũ Doctoratus Theologici; nunc ad Professoris Theologi munus in Academia Wittenbergensi acceptum retulerit, vt videre est apud eundem tomo 1. Ien. germ. fol. 553. 73. 259. & tõ. 5. fol. 492. & rursum tom. 1. Ien. germ. fol. 479. & 339. & tom. 5. fol. 357. cum tamen ipsemet fateatur, se iuramento adactum promisisse, *vanas doctrinas, peregrinas, & ab Ecclesia damnatas non dogmatizare.* A qua vero Ecclesia damnatas? vtique Ecclesia Catholica, à qua hoc ei iuramentum fuit delatum. Et perquam ridiculum est, quod moderni quidam ministri scripserunt, eum formulam Iuramenti præstitisse, *ratione sui*, inquiunt, hoc est, suo proprio sensu, *non iuxta intentionem vocantium*, hoc est, perfida & nequitiosa mente: quod nec ipse Lutherus, vtpote tunc temporis adhuc Catholicus, concesserit, vt pluribus loco citato dictum.

Octaua demonstratio sumitur à quinta Ecclesiæ proprietate & nota, dub. præcedenti explicata, quæ est esse recte ordinatam; quo spectat certa & constans officiorum & graduum sub eodem capite, inter Ecclesiæ membra distinctio ac subordinatio. Ex qua ita argumentamur. Proprium est veræ Ecclesiæ Christi, esse recte ordinatam, modo explicato: id vero solum conuenit Ecclesię Catholicę; non autem vlli Sectariorũ huius temporis cœtui. Ergo. &c. Maior constat ex dictis. Minor probatur; quia ad bonum ordinem corporis Ecclesiastici pertinet, tum aliquod caput visibile eiusdem scilicet ordinis ac rationis, cum ipso corpore Ecclesiæ, quam esse corpus visibile, non inuisibile ostendimus dub. præcedenti, tum etiam constans varietas & subordinatio membrorum, tam inter se, quam respectu Capitis; secundum quam alij sint Pastores, alij oues; alij Doctores, alij discipuli; alij Clerici, alij laici; idque non momentanea & fortuita electione; sed constanti destinatione: vtrumque hoc conuenit Ecclesiæ Catholicæ, quæ & vnum habet Caput visibile, Ro- 210

manum

manum Pontificem, à quo omnes reguntur, vt patebit quæst. seq. & certam ac constantem retinet distinctionem graduũ, & officiorum; vt scilicet alij constanti destinatione & ordinatione 211 sint Clerici, alij sint Laici: item vt inter ipsos Clericos, ab infimo Lectoris seu Ostiarij vsque ad supremum Episcopatus gradum, pedetentim fiat gradatio.

Contraria omnia sunt apud Sectarios; vbi nullum visibile & supremum Ecclesiæ caput; vbi omnes nascuntur Sacerdotes tam viri, quã fœminæ iuxta Lutherũ in assert. a. 3. & lib. de ministris Eccles. Vbi & ministeriũ verbi, & potestas conficiendi & administrandi Sacramenta etiã mulieribus attribuitur, iuxta Lutherũ ibidem. Vbi etiam diabolus ipse potest Sacramenta conficere & cõferre, iuxta Lutherũ lib. de missa priuata. Vbi proinde ijdẽ sunt laici, qui clerici; vbi subito pastores ac superintendentes, qui nunquam fuerunt Lectores, aut Diaconi.

A qua confusione & ordinis perturbatione, contra hæreticos etiam argumentum sumit Tertullianus lib. de præscription. c. 41. vbi ait: *Non omittam ipsius etiam hæreticæ conuersationis descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit; sine grauitate, sine auctoritate, sine disciplina, vt fidei suæ congruens. &c. Pacem passim cum omni-* 212 *bus* (etiam à sua fide alienis; vti non ita pridem Irenicus Caluinista Dauid Paræus, cum Lutheranis alijsq; Heterodoxis affectant &) *miscent. Nihil enim interest illis; licet diuersa tractantibus, dum ad vnius veritatis* (Catholicæ) *expugnationem conspirent. Omnes tument; omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti Catechumeni, quam edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces; quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere. Ordinationes eorũ temerariæ, leues, inconstantes: nunc Neophytos conlocant; nunc sæculo obstrictos; nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquã facilius proficitur, quã in castrũ rebelliũ; vbi ipsũ esse illic promereri est. Ita q; alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, cras Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis sacerdotalia munera iniũgunt.* Ita de hæreticorum ataxia Tertullianus. Plura de hac re 2. par. Anat. conf. Aug. demonstrat. 6.

213 Nona demonstratio sumitur à sexta Ecclesiæ proprietate & nota, quæ est esse visibilem, ad quam duæ conditiones requiruntur; nimirum vera fidei doctrina ac professio, & quædam excellentia, qua eximijs quibusdam signis eadem Ecclesia omnibus conspicua reddatur, vt declarauimus dubio præcedenti. Vnde ad nostrum institutum ita argumentamur. Proprium est veræ Ecclesiæ Christi, semper esse visibilem & aspectabilem, ita vt & publica eius fidei doctrina & professio palam ac semper, ab ipso eius Ecclesiæ ortu, audita fuerit; ac ea simul conspicuis quibusdam notis inter omnes cæteras Ecclesias emicet, vt omnes prudenter credere possint, eam esse veram Ecclesiam: sed hoc soli Ecclesiæ Catholicæ; non autem vlli Sectariorum huius temporis cœtui conuenit: Ergo sola Ecclesia Catholica est vera Ecclesia. Maior huius syllogismi constat ex dictis dubio præcedenti.

Minor quoad priorem partem, nempe in Ecclesia Catholica semper perduasse eam, quam tuetur fidei doctrinam & professionẽ, constat ex dictis demonstrat. 4. Nec minus perspicuũ est, in ea elucere excellentes quasdam prærogatiuas ac notas diuini fauoris; vti sunt diffusio eius per vniuersum orbem, item sanctitas, vnitas, & consensio, & aliæ quas hactenus recitauimus; quibus etiam accedit vis & splendor miraculorum, quibus Ecclesiam Catholicam semper fulsisse, ex tota Ecclesiastica historia constat. Et quidem eandem Ecclesiam miraculis etiam circa ea ipsa dogmata, quæ cum Sectarijs hodie controuersa sunt editis, admodum illustrem esse, puta nimirum. 1. Circa & pro cultu sacrarum reliquiarum. 2. pro cultu sacrarum imaginum. 3. pro vsu signi Sanctæ Crucis. 4. Pro cultu sacrificij Missæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ. 5. Pro cultu & inuocatione Sanctorum, tam ex scriptura, quam ex Sanctis Patribus alijsq; fide dignissimis historijs testatum fecimus 2. part. anatomiæ demonstrat. 9. §. 3. vsq; ad 9. 214

Secunda vero pars eiusdem minoris, Ecclesias scilicet Sectariorum non esse ad eum modum visibiles, facile probatur. Nam publicam fidem, doctrinam & professionem, vniuscuiusq; earum Ecclesiarum propriam, plus mille annis in orbe vniuerso nusquam fuisse auditam, constat ex demonstrat. 4. & fatentur ipsimet Sectarij, qui propterea aiunt, veram Christi Ecclesiam toto eo tempore fuisse inuisibilem. Easdem vero Ecclesias nullis insignibus notis & prorogatiuis cõspicuas esse, sed potius in illis omnia esse contraria; cum in illis nulla sit vnio, nulla sanctitas, nulla locorum, vel temporum vniuersalitas, nulla successio, nullus ordo, ex dictis manifestum est. 215

Quibus accedit, quod omni miraculorũ splendore & attestatione prorsus destituatur. quæres quanti facienda sit, ad veram aut falsam Christi Ecclesiam dignoscendam, hoc syllogismo breuiter ostendo. Nulla enim Ecclesia, quæ & in se diuinorum miraculorum penitus expers est, & aliena ab Ecclesia illa, quæ diuinis miraculis, etiam circa controuersa cum Sectarijs dogmata editis, admodum illustris est, vere Christi Ecclesia est: Ecclesiæ Sectariorum omnes & singulæ, & in se diuinorum miraculorum penitus expertes sunt, & alienæ ab Ecclesia illa, quæ diuinis miraculis, etiam circa controuersa dogmata editis admodũ illustris est: ergo Ecclesiæ Sectariorum huius temporis non sunt veræ Ecclesiæ. 216

Maior huius syllogismi probatur ex scriptura; ex qua non solum constat, DEVM semper miraculis nouæ vocationi fidem conciliasse, ac ex miraculis fidem exegisse, vt patet Exodi 4. & 8. Matthæi 10. & 11. Marci 6. Lucæ 9. & 10. Ioannis 10. 14. & 15. & 20. Actorum 2. 2. Corinth. 12. 1. Thess. 1. Hebr. 2. Apocal. 11. sed simul etiam ex eadem scriptura constat, iuxta Christi promissionem, eandem miraculorum virtutem semper in vera Christi Ecclesia perduraturam esse, adeoq; etiam perdurare debere, vt patet Marci 16. v. 17. *Signa autem eos qui* 217

credide-

crediderint hæc sequentur, In nomine meo dæmonia eijcient; linguis loquentur nouis: serpentes tollent: etsi mortiferum quid biberint non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.

218 Vbi tria adnotanda; primum; non obstante hoc, quod Christus ipse suam doctrinam ingentibus ac plurimis comprobarat miraculis, adhuc tamen necessarium visum fuisse, vt Apostolis quoque consimilis patrandorum miraculorum potestas conferretur.

Secundum, non ea tantum miracula à Christo fuisse commemorata, quæ ex suo genere vniuerso, omnem naturalem seu creatam virtutem excederent, sed insuper etiam quædam alia, quale est, linguis nouis loqui, serpentes innocue tollere, à mortifero hausru non lædi: vt ne statim videlicet, cum aliquid eorum factum subinde à Sanctis & Catholicis vident, impudenrer exclamare ausint nouatores, id diaboli ope, aut vi creata esse perpetratum. Neque vero existimandum est, Christum ea signa ita commemorasse, vt excludere voluerit alia, pleraque etiam maioris momenti, à seipso pro fidei confirmatione perpetrata; qualia sunt, visus & auditus restitutio, lepræ emundatio, paralysis curatio, mortuorum suscitatio &c· sed fit mentio eorum potissimum, quæ olim in Ecclesia solebant esse frequentiora.

219 Tertium est; eam potestatem non solum spectare ad Apostolos, sed ad eorum quoque successores, aliosque Christi fideles; ita quidem vt tametsi necessarium non sit, à fidelibus singulis eiusmodi edi miracula, certe tamen in vera Christi Ecclesia nunquam omnino desiderentur. Non enim Christus dixit, omnes eos, qui crediderint, ea signa esse sequutura; sed indefinite eos, *qui crediderint*, hoc est, Christi fideles; vbi tamen prorsus tanquam comes indiuiduus veræ Ecclesiæ adiungitur potestas & facultas miracula patrandi. Id quod ex verbis etiam præcedentibus probatur. Illud enim Christi mandatum, quod ibidem præcesserat, quodque miraculorum virtute concessa obsignauerat, *Euntes in mundum vniuersum, &c.* non ad solos Apostolos, sed etiam ad eorum successores, totamque adeo posteritatem Ecclesiæ pertinet; quandoquidem hactenus ad finem vsque mundi, nunquam defuerunt, nec deerunt nouæ gentes, quibus Christi fides prædicanda, ac miraculis confirmanda sit.

220 Eadem syllogismi maior, Ecclesiam diuinorum miraculorum penitus expertem, veram Ecclesiã non esse, &c. patet ex illo Christi Ioannis 14. v. 12. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado*: quod ad eundem sensum explicandum est. In quem sensum etiam Philippus Melanchthon in caput 3. Matthæi ait: *Sic postea sæpe, quando mundus fere fuit oblitus promissionem & doctrinam Euangelij, tunc vocauit nouos Doctores, vt post Nohe & Sem vocauit Abraham, deinde Ioseph, postea Moysen, postea Samuelem, Eliam & alios. Sic quando iã magnæ tenebræ erant, Deus vocauit Ioannem. Et semper addit Deus miracula, vt certo sciamus, esse à Deo missos. Ideo Ioannes magno miraculo nascitur ex matre sterili & anu, &c.* Ex quibus omnibus constat, eam non posse esse veram Christi Ecclesiam, quæ miraculorum splendore destituatur; præsertim si noua sit, & plusquam decem sæculis fuerit incognita; multoque magis, si talis Ecclesia alteri cuipiam Ecclesiæ miraculorum splendore admodum illustri quoad fidem & doctrinam repugnet.

Minor propositio eiusdem syllogismi, Sectarios scilicet quoad fidem & doctrinam aduersari Ecclesiæ, nempe Catholicæ, miraculis admodum conspicuæ, ex dictis manifestum est. Apud eos verò nulla esse miracula, & per se clarum est, & testantur historiæ: speciatim de Luthero infeliciter tentante eiectionem diaboli Fridericus Staphylus absolutæ responsionis part. 1. oculatus testis; de eodem Luthero mortui resuscitationem irrito euentu tentante Cochlæus, in actis Lutheri Anno 1523. De Caluini impudentiori, sed & infeliciori ausu testatur Hieronymus Bolsecus in vita Caluini cap. 13. Nimirum *hæretici*, vt iam olim scripsit Irenæus lib. 2. cap. 36. *neque cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes dæmones effugare, præter eos, qui ab ipsis immittantur; si tamen & hoc faciunt: neque debiles aut claudos, aut paralyticos curare; vel alia quadam parte corporis vexatos; tantum absunt, vt mortuum excitent.* Quorum similia ex Tertulliano de præscript. cap. 30. retulimus supra demonstratione 7. 221

Vt proinde non immerito Erasmus in diatribe de libero arbit. hoc ipsum Luthero exprobrans scripserit: *Apostolis, quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, imposita manu dabant dona linguarum: ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cum iuxta communem opinionem adferant paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Ita Erasmus. Cæterum totam hanc demonstrationem, vna cum obiectionibus sectariorum, fusius explicaui citat. Anatom. confess. August. part. 2. demonstrat. 9. quo Lectorem breuitatis causa in hac tota materia remitto. Certe allatæ demonstrationes nõ minus vanitatem sectarum huius temporis, quam veterum hæreticorum euidenter conuincunt. 222

QVÆSTIO IV.

De Summo Pontifice, & Concilijs.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

ABsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. An publica illa auctoritas fidei magistra, & iudex controuersiarum fidei, resideat siue in toto cœtu fidelium; siue penes Magistratum sæcularem; an potius penes Ecclesiæ Præsules & Episcopos. II. An omnes Episcopi inter se quoad potestatem regendi Ecclesiam sint pares; an potius tum inter ipsos Apostolos vnus cæteris potestate & auctoritate præstiterit Petrus; tum pari ratione etiamnum in Ecclesia vnus aliquis existat Petri Successor, cæteris omnibus Episcopis superior. III. An Successor ille Petri; & omnium Episcoporum, adeoque totius Ecclesiæ caput, & iudex controuersiarum fidei, sit Pontifex Romanus. IV. An Romanus Pontifex iure diuino sit caput Ecclesiæ; & an sit de fide, hunc numero Pontificem esse vere Pontificem, & totius Ecclesiæ caput, & an ea potestate aliquando possit excidere. V. An Pontifex aliquando ab ea potestate exciderit, & degenerarit in Antichristum. VI. An & qua ratione Pontificis definitio sit infallibilis; etiam cum extra Concilium generale aliquid circa fidem definit: & vnde constet, eum publica auctoritate aliquid definire. VII. Vtrum Summi Pontificis auctoritas sit etiam infallibilis in decretis morum; ac speciatim in approbatione Religionum, & canonizatione Sanctorum. VIII. Quænam sit auctoritas Conciliorum; & vtrum Concilium generale sit supra Pontificem.

DVBIVM I.

An publica illa auctoritas fidei magistra, & iudex controuersiarum fidei, resideat siue in toto cœtu fidelium, siue penes Magistratum sæcularem; an potius penes Ecclesiæ Præsules & Episcopos.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

1 PRobauimus dubio præcedenti, veram Christi Ecclesiam, adeoque nostram Catholicam Ecclesiam, quam solam veram esse Ecclesiam ostendimus, esse publicum illum iudicem controuersiarum religionis, cuius est & fidem, fideiq; symbolum proponere; & scripturam sacram explicare; & fidei controuersias infallibili auctoritate definire; intelligendo per Ecclesiam generatim eum, vel eos, cuius, aut quorum est suprema auctoritate regere Ecclesiam, abstrahendo interim, quis, aut quinam in particulari sint illi; an videlicet sit vniuersus populus fidelis, ita vt Ecclesiæ regimen sit democraticum; an vero sint principes politici, ita vt Ecclesiæ regimen sit Oligarchicum; an potius sint Episcopi & Præsules Ecclesiæ; idque vel sine aliquo supremo capite, ita vt Ecclesiæ regimen sit mere aristocraticum, vel potius sub vno aliquo supremo Capite visibili Ecclesiæ, & Episcoporum Episcopo; ita vt Ecclesiæ visibile regimen, absolute loquendo, sit monarchicum; quamuis ex aristocratia mixtum. Quod proinde hactenus declaratum non est, superest, vt hac quæstione explicemus; vt ita particulatim constet, quænam sit illa suprema auctoritas, cuius est fidem proponere, & controuersias fidei iudicare ac definire. Et quod ad præsentem dubitationem attinet, sequentes assertiones breuiter statuimus.

ASSERTIO I. Suprema illa auctoritas regendi Ecclesiam, fideque proponendi & explicandi, ac fidei controuersias definiendi, non est immediate in ipsa tota communitate, seu congregatione fidelium. Hæc assertio videtur esse contra Illyricum centuria 1. lib. 2. cap. 7. & in lib. de Episcoporum elect. & contra Musculum in locis communibus, & alios primos Lutheranos, qui vt dicit Stapletonus in relect. principiorum fidei, controu. 2. q. 1. iudicium in causa fidei & disciplinæ conseruandæ, ad totam congregationem fidelium spectare volebant. Quos ex parte secuti sunt auctores Concordiæ Lutheranæ, cui, tanquam iudices scilicet causarum fidei, subscripserunt non tantum pastores & superintendentes, sed etiam cæteri prædicantes & ministri omnes, vt & Hypodidascali ac Ludimoderatores. Est vero assertio de fide certa, & apud Catholicos indubitata. 2

Probatur assertio his argumentis. I. Nusquam in scriptura, aut apud SS. Patres legitur, Christum commisisse hanc potestatem plebi, seu priuatis 3

quibus-

quibusque fidelibus; sed solum Petro & Apostolis, vocando simul hos Pastores, illas vero oues, & gregem. Matthæi 10. 16. & 28. Marci 3. & 16. Lucæ 6. & Ioannis 20. & 21. Act. 1.

II. Inauditum est in Ecclesia, vt publicum fidei iudicium, adeoque definitio controuersiarum religionis, vnquam vel ad plebem deferretur, vel ab ea vsurparetur; vel vt à populo Ecclesiasticæ leges ferrentur; vel vt ab Episcopis ad populum appellaretur; vel vt à plebe Episcopi legitime punirentur vel deponerentur.

4 III. Etiam spectando solam rationem naturalem, impossibile est, iuxta legem Dei ordinariam, vt hoc iudicium immediate exerceatur ab ipsa congregatione fidelium. Nam si in tota communitate fidelium ea potestas iudicandi resideat, tunc vel ad controuersiam aliquam definiendam necesse erit conuenire & consentire fideles omnes; vel certe standum erit iudicio siue maioris, siue etiam minoris partis totius populi fidelis: sed nihil horum dici potest: Ergo &c. Non primum; quia nec factum est vnquam, nec fieri vllo modo potest Ecclesiâ nunc per vniuersum orbem diffusa, vt fideles omnes ad sententiam de re controuersa fidei ferendam conueniant; multo minus fieri potest, si ad eos iudicandi libera potestas deferatur, vt iudicijs omnes consentiant; siquidem facilius plane est, coalescere ignem & aquam; quam in re dubia & controuersa, vulgi animos & sententias.

Neque secundum dici potest. Tum quia nihil obstat, in re dubia & controuersa fidei, alio iudice maioris authoritatis secluso, maiorem partem populi fidelis errare; imo id re ipsa fieri admodum pronum & procliue est, quia plures in plebe solent esse indocti & mali qui nec scripturam legere quidem possunt, multo minus intelligere, quam docti & boni, præsertim apud Sectarios, vt dictum quæst. præced. dub. 4. Tum quia

5 si in rebus fidei, iudicio plurium priuatorum ex fideli populo standum est, euidenter sequitur, Lutherum, Zuinglium, Caluinum, aliosque hæresiarchas olim legitime fuisse condemnatos. Constat enim, tempore Lutheri, Caluini &c. antequam se isti pertinaciter ab Ecclesia Catholica per hæresim separarent, maiorem partem Christianæ Ecclesiæ doctrinam dogmatibus Lutheri & Caluini plane contrariam, & corde amplexam, & ore professam fuisse.

Neque tertium dici potest; nam si iudicio maioris partis ex ipso fideli populo in rebus fidei dubijs standum non est, multo minus standum est iudicio partis minoris: quia per se loquendo, minus probabile & infallibile est, quod à paucis, quam quod à multis asseritur.

6 IV. Apostoli, Episcopi, & Presbyteri, qui in doctrina fidei & morum ab initio Ecclesiæ omnibus sæculis immediate rexerunt Ecclesiam, non acceperunt suam potestatem à populo; sed illi quidem à Christo, vt constat ex citatis Scripturæ locis; hi autem ab Apostolis, iuxta Titi 1. v. 5. *Huius rei gratia, reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas; & constituas per ciuitates Presbyteros; sicut & ego constitui tibi.* Signum est ergo, penes ipsam plebem non residere supremam illam auctoritatem regendi Ecclesiam.

Quod deniq; confirmatur hoc discursu. Cum 7
enim aduersarij dicunt, totius populi fidelis esse, decidere controuersias fidei, vel intelligunt per eam congregationem determinate suæ Ecclesiæ communitatem, vel Catholicæ Ecclesiæ, aut alterius cuiuspiam; vel totam simul omnium Ecclesiarum congregationem. Non primum; non solum quia nulla est maior ratio, quare ipsorum synagoga potius sit iudex, quam vetus Ecclesia Catholica, aut alia quæuis Ecclesia; sed etiam quia prorsus iniquum est, eam congregationem, quæ sese per dissidium ab alia longe antiquiore, seiunxit, quæque cum nullo antiquitatis seu possessionis iure gaudeat, pars litigans est, in propria, eaque ipsa dissidij causa, iudicandi publicam auctoritatem sibi arrogare velle.

Neque secundum admittent Lutherani; quia tunc manifeste causa cecidissent, vt dictum: neque enim Catholici, aut Caluinistæ contra se, pro ipsis, sententiam ferent. Neq; tertium, quia etiam tunc à maiori parte iudicum victi pronuntiabuntur. Centuplo enim plures sunt Catholici, quam vel Lutherani, vel Caluinistæ, aut Anabaptistæ &c. quorum omnium iudicio Lutherani nunc reipsa condemnantur. Ex quo rursum sequitur, populum Christianum in rebus fidei iudicem non esse, aut Sectarios iam legitime condemnatos esse.

Quod si dicant, non semper & absolute iudicio maioris partis, ex tota communitate, standum esse, sed meliori & veriori; non minus à vero aberrant. Nam hac ratione eo iudicio nunquã finietur controuersia. Quis enim hoc ipsum decernet, quænam videlicet sententia partium comunitatis sit verior & melior? Anne satis erit, si hoc decernant solum ij, qui se profitentur meliorem tueri sententiam; an id potius iudicio reliquæ maioris partis diiudicandum est; vel vtrũ hoc potius ad aliquem vel alios pastores & Doctores decernendum spectabit? Sed primum dici non potest; tum quia ita pars litigans, etiam 9
nullo præscriptionis iure fulta, erit iudex. Tum quia cum singulæ partes profiteantur, suam sententiam esse veriorem ac meliorem, nulla est causa, cur vnius potius, quam alterius partis sententiæ & iudicio standum sit. Neque secundum dici potest; quando ipsimet aduersarij volunt, in hoc casu non esse standum iudicio maioris partis. Si tertium asseritur, tum hoc ipso sequitur, populum non esse iudicem, sed consiliariorum tantum locum tenere, quorum sententia, ab alijs, nempe Ecclesiæ Præsulibus, diiudicanda sit: neque dubium esse potest, absque ea consultatione populi, rem totam multo facilius & ordinatius transigi posse. Quocunque ergo se vertant Sectarij, non possunt ij vllo modo prudenter & rationabiliter res fidei iudicio communitatis decisiuo diiudicandas committere. Secus est, si loquamur de priuato iudicio approbationis; vel in re dubia, & necdum satis definita & proposita seu comperta, de iudicio discretionis;

illud

illud enim ab omnibus necessario adhibendum est; hoc in re dubia recte adhibetur, exemplo Beroeensium Act. 17. v. 11.

10 Nec obstat primo, quod Ecclesia vniuersa in credendo errare non potest; ex quo sequi videtur, necin definiendo, seu publico iudicio ferendo, errare posse. Negatur enim consequentia: quia vt in definiendo non erraret, necesse foret, maiorem partem in iudicio ferendo non errare; quandoquidem in omnium congregationũ deliberationibus, statur iudicio maioris partis; cum tamen ad infallibilitatem Ecclesiæ in credendo satis sit, non totam simul Ecclesiam in credendo errare, vt superius dictum.

11 Nec obstat secundo, quod tota communitas Ecclesiæ legitur elegisse Matthiam Actor. 1. & 6. Primo enim ab eligendi potestate, ad potestatem iudicandi & regendi, nulla est consequentia; quando olim nonnunquam penes milites, & nunc penes Electores est potestas eligendi Imperatorem; cum tamen nec hi, nec illi, supremam habeant potestatem iudicandi in imperio. Deinde nunquam populus vel Matthiam vel Diaconos, aut vllos Ecclesiæ ministros ita absolute elegit vt eis ipsis conferret potestatem spiritualis ministerij; sed tandum nominauit illos, & vt dicitur citat. capit. 6. Act. *Statuerunt ante conspectum Apostolorum*, ab ipsis postea ordinandos, & potestatem spiritualem accepturos. Quod etiam docet Cyprianus libro 3. epist. 9. *Apostolos*, inquit, *Dominus elegit; Diaconos Apostoli sibi constituerunt*.

12 Nec obstat tertio, quod & Cyprianus in omnibus fere negotijs populum iudicem adhibebat, vt constat ex libro 3. epist. 14. & quod Ambrosius epist. 32. agens de iudicio fidei ait: *Ille populus iudicat*, Et rursum. *Auxentius vestrum refugit examen*. Nam Cyprianus id fecit sponte sua, non vllo iure obstrictus; neque ita populo iudicium permisit, quin sibi reseruaret de ipsa populi sententia iudicandi auctoritatem; præsertim qu ia alias dicendum foret, quamlibet particularem communitatem, in vnoquoque Episcopatu supremum fidei iudicem esse; quod est absurdissimum, & nemini in mentẽ venire potest. Ambrosius autem loquitur de iudicio priuato & discretiuo; non publico & decisiuo; quod per se obligandi auctoritatem haberet.

13 ASSERTIO II. Auctoritas illa fidei magistra, & iudex controuersiarum religionis, non residet etiam penes Principes seu Magistratum politicum. Hæc assertio est contra Brentium in prolegomenis aduersus Petrum Sotum; qui Principes sæculares facit rectores & iudices rerum Ecclesiasticarum; idq; ipsum etiam olim Henricus VIII. Angliæ Rex, cum à fide Catholica defecisset; & moderni protestantes Caluinistæ, in Anglia, mordicus tenent, & acriter propugnant: sed est assertio de fide certa, & apud Catholicos extra controuersiam.

14 Probatur sequentibus argumentis. I. In scriptura nusquam legitur huiusmodi potestas à Deo cõcessa Principibus sæcularibus; quales quidẽ initio in Ecclesia nulli erant: sed Apostolis, eorumq; Successoribus Episcopis & Prælatis Ecclesiæ, vt inferius patebit.

II. In veteri testamento, quod fuit vmbra & figura noui testamenti, ex diuina institutione semper cura & regimen spirituale eius Ecclesiæ deferebatur Sacerdotibus & Pontificibus; nõ autem sęcularibus Iudicibus vel Regibus, Deuteronomij 17. 2. Paralipomenon 19 & 26. vbi etiam Ozias propterea lepra percussus est, quod contra legem, & Sacerdotis inhibitionem, adolere incensum ausus esset.

III. Idem probat vsus & historia veteris Ecclesiæ; vbi quidem in causis spiritualibus, Episcopos & Ecclesiæ Prælatos de Principibus politicis, rite iudicasse legimus; sed non contra. De qua re nobis hoc loco sufficiat, vnius optimi maximi Imperatoris Constantini Magni apertam professionem & protestationem referre. Ita enim de illo scribit Ruffinus libro 10. hist. capit. 2. *Sed & in eo concilio*, (Nicæno) *admirabile factum Principis non reticendum. Etenim cum ex omnibus pene locis Episcopi conuenissent, & vt fieri solet diuersis ex causis inter se quædam iurgia detulissent, interpellabatur frequenter à singulis: offerebãtur libelli, culpæ proferebantur, & magis adhæc, quam ad id, pro quo conuentum fuerat, animos dabant. At ille videns, quod per hmiusmodi iurgia causa summi negotij frustaretur, diem certum statuit, quo vnusquisq; Episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, deferret. Et cum resedisset suscepit à singulis libellos; quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis, quid contineretur, aperiens, ait ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoq; iudicandi; & ideo nos à vobis recte iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos, exspectate iudicium, & vestra (priuata) iurgia quæcunq; sunt, ad illud diuinum referuentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis dij, & conueniens non est, vt homo iudicet deos; sed ille solus, de quo scriptum est, Deus stetit in Synagoga Deorũ: in medio autẽ Deos discernit. Et ideo his omissis illa quæ ad fidẽ Dei pertinent absq; vlla animarũ contentione distinguite. Cum hæc dixisset, omnes simul querimoniarũ libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominũ simulatio sacerdotum.* Ita Magnus Constantinus. Omitto alia particularia exempla apud Bellarminũ controuers. 4. l. 1 c. 20. Plura argum. 7.

15 16

IV. In Synodo Matisconensi canone 9. Mileuitano Can. 19. & Toletano III. Can 13. grauissime puniuntur Clerici, qui causam Ecclesiæ ad iudicẽ sæcularẽ deferunt; quod proinde Catholici aut nunquã fecerunt, aut iure non fecerunt. Hæreticis autem hoc antiquũ fuit, vt à Concilijs legitime condemnati ad Imperatores appellarent. Ita in propria causa Palladius Arianus, in Concilio Aquileiensi iam ante condemnatus, ad sæculares magistratus appellauit; verum ob hanc ipsam causam ab Ambrosio indignus Sacerdotio iudicatus fuit, apud Baronium tom. 6. circa Annum Domini 381. Ita etiam in causa Cæciliani appellarunt non Catholici, vt fingunt Sectarij, sed Donatistæ hæretici ad Constantinum Imperatorem, ægre quidem, vt est apud Optatum lib. 1. contra Parmenianum. sed tamen necessitate quadam adductum ad causæ

17

cognitionem fuscipiendam, & vt Augustinus epist. 162. ait à Sanctis Antistitibus veniam postea petiturum.

18 Quod constat ex eiusdem Constantini epistola quam refert Baronius. Anno Christi 313. *Meum*, inquit, *iudicium postulant, qui ipse iudicium CHRISTI expecto. Dico enim, vt se veritas habet, Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod CHRISTI magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia (vt vere dixit) diaboli? Perquirunt sæcularia, relinquentes cœlestia. O rabida furoris audacia. Sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem gentes minora interdum iudicia refugientes, vbi iustitia deprehendi potest, magis ad maiora iudicia, auctoritate interposita ad appellationem se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cœleste iudicium, meum putauerunt postulandum? sic sensere de Christo Saluatore? Ecce iam proditores, sine vlla acriori disquisitione, ipsi per semet prodiderunt facinora sua.* Vbi vides, quid pius Imperator de iudicio Episcoporum, ac simul de appellatione ab ijsdem ad suum Tribunal senserit.

19 V. Reges ab Episcopis inunguntur, docentur, ligantur, soluuntur, benedicuntur: *sine contradictione autem*, inquit Apostolus Hebræor. 7. vers. 7. *quod minus est, à meliore benedicitur.* Neque Reges contra aut Episcopum vel Sacerdotem, aut vllum etiam alium Laicum soluere, aut ligare in foro conscientiæ; nec alia officia Sacerdotalia obire possunt aut solent, vt ex dictis patet: Ergo Reges non sunt supra Episcopos, in causis Ecclesiasticis; neque adeo etiam sunt supremi Iudices in rebus fidei.

20 VI Apud eos censenda est esse auctoritas illa infallibilis magistra fidei, penes quos ab initio Ecclesiæ Christianæ fuisse legitur: sed tunc non fuit penes Principes sæculares, quales in Ecclesia primitiua necdum vlli fuerunt; sed inprimis penes CHRISTVM Dominum, qui professus est, regnum suum non esse de hoc mundo; deinde penes Apostolos, & Episcopos *quos posuit Deus regere Ecclesiã Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, Act. 20. v. 28. itemq; penes Pastores & Doctores, quos dedit Deus, *ne circumferamur omni vẽto doctrinæ*, Ephes. 4. Ergo etiamnum apud istos, non penes Principes sæculares ea potestas residet.

21 VII. Idem tradunt SS. Patres; qui ob eandem causam passim Episcopos præferunt Imperatoribus & Regibus; Ignatius epist. 7. ad Smyrnenses, Nazianzenus oratione ad ciues timore perculsos, Chrysostomus libro 3. de sacerdotio & homil. 4. in caput 6. Isaiæ, & homil. 83. in Matthæum, Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali c. 2. Augustinus in psalm. 98. Gelasius Epist. ad Anastasium, Gregorius l. 14. moral. & l. 4. Epist. 31. ad Mauritium, Nicolaus epist. ad Michaelem Imperatorem.

Optime etiam Ambrosius in concione ad populum, contra Auxentium: *Quid honorificentius*, inquit, *quam vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc vt similiter dicimus, ita constanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, & deportationem minantur. Didicimus Christi seruuli non timere. Non timentibus nunquam est grauis terror.* Et in libello ad Valentinianum Imperatorem: *Quando*, inquit, *audisti, Clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse?* Et inferius: *Quis est, inquit, qui abnuat, in causa fidei, in causa inquam fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores, de Episcopis iudicare?* Ita Ambrosius. De qua re plura Baronius Anno Christi 386. Atque hæc omnia hactenus argumenta ex auctoritate desumpta sunt. Quibus

22 IIX. Accedit naturalis ratio. Nam si Reges & Principes sunt legitimi iudices in rebus fidei, tunc vel singuli Reges & Principes habent supremam & infallibilem auctoritatem in suis regnis & Prouincijs; vel non. Non primum; quia euidens est, Reges & Principes diuersarum Prouinciarum contrarias de rebus fidei sententias sectari; ex quo necessario sequitur, auctoritatem eorum iudicandi in reb⁹ fidei non esse infallibilem. Si secundum dicitur, tum hoc ipso fatendum est, penes Principes non esse auctoritatem illam supremam iudiciariam in causis Religionis; vtpote quam necessario, non minus quam ipsam fidẽ, esse debere infallibilem dictum est quæstione præcedenti dub. 1.

Et confirmatur. Nam si Rex aliquis infallibiliter suo regno veram fidei doctrinam proponere potest, consequens est, eum hoc ipso etiam infallibiliter & sine errore doctrinas aliorum regnorũ contrarias posse damnare: sed hoc consequens plane est falsum; quia in alijs regnis, vt supponitur, suntitidẽ proprij & legitimi Reges: qui proinde non minori auctoritate & infallibilitate propriam de fide sententiam stabilire, oppositamq; damnare possunt.; Aut ergo fatendũ, neutros ex his Regibus infallibilem habere iudicandi auctoritatem, adeoq; non esse veros & idoneos controuersiarũ fidei iudices; aut fatendũ, duas contrarias de fide sentẽtias infallibili auctoritate sancitas, adeoq; veras esse: quod tamen euidenter est falsum, & contra prima principia naturalis rationis. Plura apud Bellarminum controuers. 1. l. 3. c. 10. & controuers. 3. lib. 1. cap. 20. & contro. 4. l. 1. cap. 20. Nicolaum Sanderum de claue Dauid toto libro quinto, Stapletonum de princip. fid. cont. 2. l. 5. c. 18. & in Relet. de eodem argum. contro. 2. q. 5. a. 1.

23 Cæterum contra eandem assertionem obijciuntur primo exempla quædam veteris testamenti; vt quod Moyses, Iosue, Dauid, Salomon, Ezechias, Iosias, etiam in rebus spiritualibus sese nonnunquam iudices, præstiterint. Respondetur, cũ de lege generali & expressa cõstet, parum laborandũ esse de exemplis quibusdã particularibus: quæ si proba sunt, aut à lege non desciscunt, aut peculiari dispensatione DEI

dicuntur

oriuntur. Certe exemplum Moysis ad propositum nihil spectat; vt qui non tantum Dux populi, sed etiam Sacerdos fuit, vt constat ex psalmo 68. v. 6. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* Iosue causas spirituales nunquam decidit. Dauid etsi quædam vt Propheta, singulari Dei inspiratione, præter communem legem fecerit, tamen alias ad communem legem se obstrictum profitetur. Reduxit ille quidem arcam Domini, sed percusso Oza 1. Paralipomenon 13. ipse postea c. 15. rem omnem commisit Sacerdotibus. *Vos*, inquit, *qui estis Principes familiarum leuiticarum, afferte arcam Domini, &c. ne vt in principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, ita & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus*: Denique nulla 24 controuersia fidei in veteri testamento regia auctoritate rite fuit decisa: in causis autem disciplinam morum spectantibus, licet subinde quidã Reges iudicium suum interposuisse inueniantur, non est tamen existimandum, vbi de causis religionis ageretur, eos sua authoritate ac pro imperio fecisse, sed potius auctoritate & instinctu Sacerdotum; neq; tam quid iuris esset pronuntiasse ac constituisse, quam pronuntiatam legis ac Sacerdotum sententiam tutatos ac exequutos fuisse: vti pariter etiam in Ecclesia fecerunt pij Imperatores, Constantinus, Theodosius, Martianus; vt patet ex lege, *Cunctos populos*, Codice de Sumã Trinitate & fide Catholica, & ex toto titulo de hæreticis. Sane Iosaphat pijssimus Rex aperte munia Regis à Sacerdotum potestate distinxit 2. Paralipom. 19.

25 Secundo obijciunrur quædam exempla etiam Christianorum Imperatorum; qui leguntur nonnunquam Concilia conuocasse, Concilijs præsedisse; imo ad Carolum Magnum aperte constat, approbationem & vltimam quasi sententiam in Concilio Aretalensi, Cabilonẽsi, & Moguntino, ab ipsismet Concilij Patribus fuisse delatam. Deniq; Imperatores etiam optimi multas leges circa fidem & ecclesiasticam disciplinam sanxerunt, vt apparet in Codice lib. 1. tit 17. ac speciatim de Iustiniano constat ex Constitutionibus nouellis constit 3. 5. 6. 57. 58.

26 Respondeo, quod ad Concilia attinet, Imperatorum Christianorum auspicijs quidem, hortatu, & petitione Concilia vniuersalia conuocata fuisse; sed nunquam tamẽ absq; auctoritate Sumi Pontificis, ad quem id proprie pertinebat. Testatur id in Concilio Chalcedonensi actione 1. Lucentius Apostolicæ sedis Vicarius: *Dioscorus*, inquit, *synodum ausus est facere sine auctoritate sedis Apostolicæ; quod rite nunquam factum est, nec fieri licuit.* Idem testatur Damasus Papa epist. ad Episcopos Illyrici, apud Theodoretum lib. 2. cap. 2. Idem confirmat Socrates lib. 2. cap. 13.

Denique idem testatur Valentinianus Imperator apud Sozomenum circa Annum Domini 364. à quo cum Episcopi Hellesponti. & Bithyniæ facultatem peterent, congregandi synodum, respondit, *sibi qui vnus è laicorũ numero esset, nõ licere se eiusmodi negotijs interponere*; & ideo Sacerdotes ac Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsũ per se, vbicunq; ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant.

Eundem imitata est Pulcheria Imperatoris Martiani coniunx, quæ literis ad Leonem Pontificem humiliter scriptis (quæ extant tomo 1. Conciliorum ante Concilium Chalcedonense) petiuit, vt eius auctoritate Concilium conuocaretur, vt notauit Baronius Anno Domini 450.

Similia habet Anno 449. tom. 6. Annalium 27
de Concilio Ephesino. Et tomo 2. ex Eusebio, in vita Constantini lib. 5. cap. 13. munus Imperatoris Catholici in Conciliorum celebratione describens ait, ipsius esse, quid in Concilio dicatur attente audire, studere paci, fauere veritati, & fouere concordiam, tumultus reprimere, errantes ad fidei veritatem reuocare; non autem suffragium ferre, vel causam sententiâ definire, vel de rebus Concilij, inconsultis Patribus, leges ferre.

Tantum abest, vt vllus Catholicus Imperator, 28
Princeps, aut Magistratus ita cum auctoritate Concilijs præsederit, vt tanquam supremus iudex vltimam ipse ac definitiuam sententiam, in causis fidei, aut disciplinæ Ecclesiasticæ ferret: Sed ita quidem nonnunquam Concilijs interfuerunt, vt hæreticos præsentes sua auctoritate, quoad opus esset, compescerent, simulque testes essent, eos in Concilio legitime cõuictos & damnatos esse. Quo sensu etiam in synodo, contra Donatistas congregata, *cognitor* dicitur Marcellinus laicus ab Augustino in Breuiculo Collationis. Eadem ratione Augustinus disputauit olim cum Pascentio Ariano, arbitro Laurentio, vt patet ex epistola Augustini 174. & 178.

Illud de Carolo Magno extraordinarium fuit; 29
neque ex iuris præscripto, sed spontanea Episcoporum submissione accidit; ob insignem Caroli pietatem & meritorum copiam, cum præclara simul eruditione, ex Alcuini schola hausta, coniunctam. Neque tamen existimandum est, Concilia illa vltimam sententiam definitiuã Carolo permisisse, sed approbatiuam, vel vt sumum discretiuam tantum, quæ neque nouam Concilijs auctoritatem adderet, neque alios per se obligaret; nisi quantum ad politicas causas, quę in Concilio illo Moguntino simul etiam tractatæ fuerunt.

Constitutiones Iustiniani, aliorumue Christi- 30
anorum Imperatorum, de rebus Ecclesiasticis, quatenus quidẽ iustæ sunt & legitimæ, non sunt leges aut sanctiones Ecclesiasticæ noui quidpiam ordinantes, præscribentes, aut definientes circa fidem disciplinamue ecclesiasticam; sed sunt mere executiones Canonum, iam ante in Concilijs legitime constitutorum; spectantes ad conseruationem & certiorem eorundem obseruationẽ, vt colligitur ex eiusdem Iustiniani verbis Constit. 42. & actione 1. quintæ Synodi: *Hæc decreuimus, SS. Patrum Canones sequuti. Hæc sententiauimus sequentes SS. Patrum dogmata.* Qualia etiam habet constitutio 6. & constitutio 133.

Dixi tamen, *quatenus iustæ sunt*; quia negari 31
non potest, Iustinianum nonnulla etiam liberius, præter ius fasque sanxisse, vt inter alios notauit etiã Azor tom. 1. l. 5. c. 20 §. *Item leges.* In qua re

quantũ & sibiipsi. & toti Imperio nocuerit, non obscure ostendit Baronius Anno Christi 528. & Año 549. vbi breuiter ait, eum, dum dogmatibus Ecclesiasticis perscrutandis, plusquam decet Imperatorem, curiosè vacaret, vniuersum pessundedisse imperium: præsertim quando ipse omnium litterarum rudis, & quod dici solet analphabetus, simul etiam Triboniani Ethnici hominis operâ, in sanciendis legibus, vteretur.

Nisi quis malit credere Baronij coniecturę, cit. Anno 528 omnes Ecclesiasticas Iustiniani constitutiones fuisse Epiphanij Episcopi Constantinopolitani, eiusdemque successoris Mennæ: quas ipsi libentius edi voluerint nomine Imperatoris, vt validioris essent obseruantiæ; quarum etiam pleræque deinceps ipso vsu fuerint comprobatæ. Quæ enim iusta rectaq; nouit sancita Ecclesia, etiamsi eorum non Christianus Princeps, sed Diocletianus, aut quiuis alius persequutor Ecclesiæ fuerit promulgator, minime respuere consueuit; sed ea suis legibus & decretis comprobare; nisi cum aliquid aduersus sacras leges, & bonos mores ab eis præsumptum est, vt recte ibidem notauit Baronius. Alias iniquis sæcularium Principũ legibus, circa personas & causas Ecclesiasticas sancitis, cõmuni iure derrogatum esse, patet ex causa 11. q. 1. & capit. *Non minus*, de immunitate Ecclesiæ, & capit. *Quamquam* de censibus in 6.

32 Assertio III. Suprema auctoritas iudiciaria, in causis fidei & Religionis, & olim post Christi ascensionem, fuit penes Apostolos: & nunc est penes Ecclesiæ Præpositos & Episcopos, tanquam legitimos Apostolorum successores. Ita Catholici omnes; & est de fide certum. Probatur primo ex ipsa Christi institutione, quatenus ex scriptura sacra innotescit: in qua Christus Apostolos eorumque successores constituit Ecclesiæ Rectores Lucę 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Matthæi 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Et Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes.* Ioannis 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; cũ simili scilicet, non æquali potestate gubernandi & regendi Ecclesiam.

Et apertissime Act. 20. v. 28. ait Apostolus: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Et Ephes. 2. v. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationẽ Sanctorum in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.* Vbi videmus, à Christo Pastores & Doctores in Ecclesia vsq; ad finem mundi constitutos, quorum doctrina & auctoritate, pulsis erroribus, fides illibata conseruaretur. Cui similis est locus 1. Cor. 12. vers. 28. *Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores &c.*

Idem secũdo probatur ex figura veteris testamenti, vbi itidem iudicium in causis spiritualibus ad Sacerdotes pertinebat, vt constat Deuteron. 17. v. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinẽ & sanguinẽ, causã & causã lepram & lepram* (omnia nimirum eo tempore ex scripturæ sacræ præscripto definienda) *& iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venies; q; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem* (tanquã vindicem scilicet & defensorem sacerdotalis auctoritatis & sententiæ) *qui fuerit illo tempore: quæres; q; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius; sequeris; q; sententiam illorum: nec declinabis ad dextram, nec ad sinistram.* Vbi expresse iudicialis auctoritas synagogæ, in causis ecclesiasticis, Sacerdotibus defertur; iudicis tamẽ seu Principis sæcularis auctoritate tuenda & vindicanda, vt ibidem subditur; vbi simul etiam vnius præ cæteris summi Sacerdotis summa potestas iudiciaria explicatur, vt dicetur dubio sequenti. 33

Similis est locus 2. paralipomenon 19. v. 8. vbi dicitur: *In Hierusalem quoq; constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Israel* (tanquam consultores scilicet & Doctores) *vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitq; eis dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitãt in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicunq; quæstio est de lege, de mãdato, de ceremonijs, de iustificationibus ostendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros: Sic ergo agentes non peccabitis.* Et mox additur: *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* 34

Idem patet ex Malachiæ c. 2. v. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam; & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Quod etiam maiorẽ vim habet collatum cum præcedentibus v. 6. *Lex veritatis fuit in ore eius* (Leui scilicet, siue Leuiticæ tribus) *& iniquitas non est inuenta in labiis eius. In pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.*

Denique huc spectat illud Christi Matthæi 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite; secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* De qua re pluribus disserui in Apologetico præfationis Colloquij Ratisponensis cap. 7. & in Apologetico relationis de eodem colloquio cap. 11. & 12. 35

Tertio idem probatur ex vsu & praxi totius Ecclesiæ veteris. Luculentissimum exemplum habemus Act. 15. vbi controuersia de obseruatione legalium, in generali Apostolorum Concilio definita ac decisa fuit, subiatâ omni aliter iudicandi potestate, cum dicerent vers. 28. *visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Qua ratione etiam semper in Concilijs generalibus præcipuæ controuersiæ decisæ fuerunt; &

hære-

hæretici aliter sentientes damnati; vt in Concilio Nicæno I. Arius; in Concilio Constantinopolitano I. Macedonius; in Concilio Ephesino I. Nestorius; in Concilio Chalcedonensi Eutyches; in Concilio Constantinopolitano II. Origenistæ; in Concilio Constantinopolitano III. Monothelitæ; in Concilio Nicæno II. Iconomachi, &c. Vt proinde dubium minime esse possit, Concilium generale Episcoporum legitimum esse supremum fidei Iudicem.

37 Quarto accedit ratio. Quia suprema potestas Iudiciaria vtique est penes Rectores & Præpositos Ecclesiæ: tales autem sunt Apostoli, eorumque legitimi Successores Episcopi & Prælati Ecclesiæ, vt ex dictis liquet, & totius simul antiquitatis vsu ac praxi fit contestatum. Quod si potestas regendi Ecclesiam, quæ olim fuit penes Apostolos, iam est penes Principes sæculares, aut ipsam plebem, non penes Episcopos, velut Apostolorum Successores, necesse est, à Christo mutatum fuisse regimen Ecclesiæ. At vbi, quomodo, & quando hoc accidit? An Christus denuo de cœlis descendit, vt abrogato priore regimine, nouum constitueret, nouamque adeo Ecclesiam (quam equidem mutato regimine, & ipsam mutari necesse est) denuo conderet? Sed hæc omnis recta ratio velut absurdissima commenta & deliria damnat & execratur. Plura dubio sequenti.

DVBIVM II.

An omnes Episcopi inter se, quoad potestatem regendi Ecclesiam, sint pares; an potius tum inter ipsos Apostolos, vnus cæteris potestate & auctoritate præstiterit Petrus; tum pari ratione, etiamnum in Ecclesia vnus aliquis existat Petri Successor, cæteris omnibus Episcopis superior.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

38 DOcuimus dubio præcedenti indefinite, supremam potestatem regendi Ecclesiã, adeoque auctoritatem illam iudiciariam, cuius est definire cõtrouersias fidei, & olim fuisse penes Apostolos, & nunc esse penes Episcopos ac Præsules Ecclesiæ. Iam vero vlterius inquirendũ sequitur num & Apostoli & Episcopi omnes quoad eam auctoritatem sint pares; an potius tum inter ipsos Apostolos cæteris auctoritate præstiterit Petrus; & nunc pariter aliquis in Ecclesia cæteris Episcopis Superior existat, eiusdem Petri Successor.

Et quidem sectarij huius temporis omnes, vt quam tutissimam sibi viam parent, ad primatum Romani Pontificis oppugnandũ, omnia illa diligenter amoliri conantur, quæ ei quoquo modo fauere possunt. Itaque cum primatus Romanæ sedis nõ aliunde, quam ex primatu Petri comprobetur, negant ipsi, Petrum fuisse caput Apostolorum & Ecclesiæ, aut cæteris Apostolis superiorẽ. Ita docẽt Lutherus in lib. de potestate Papæ, Caluinus lib. 4. Instit c. 6. & Magdeburgenses centuria 1. lib. 2. cap. 7. alijque Sectarij, è quibus tamen nonnulli Petro concedunt aliquem inter Apostolos primatum, seu præeminentiam tum ætatis, tum vocationis; quasi Petrus fuerit primus ætate, primusque ad Apostolatum vocatus. In eodẽ errore fuerunt olim Wicleffus, Huss, & alij quidam hæretici. Catholica autem sententia in sequentibus assertionibus consistit. 39

ASSERTIO I. Fuit quidem Christus ipse, quãdiu in terris agebat, supremum ac visibile totius Ecclesiæ Caput, in quo plenissime omnis auctoritas & potestas Ecclesiastica resideret: quin idem etiamnum in cœlis degens inuisibile Ecclesiæ caput & fundamentum, eãdẽ auctoritate, excellentia & potestate perpetuo præditũ perseuerat. Ita sentiunt Theologi omnes cũ S. Thoma 3. part. q. 8. speciatim Gregorius de Valentia to. 3. disp. 1. q. 1. pun. 7. §. 28. & tom. 4. disp. 1. q. 8. nec dissentiũt hodie Sectarij: nisi quod Marcus Antonius, male nuper ab Ecclesia Christi & vera fide deuius lib. 1. de Repub. Eccles. cap. 1. negauit, Christum ante Ascensionẽ fuisse Caput Ecclesiæ, aut per seipsum fundasse & ædificasse Ecclesiam; eum ea per Apostolos primum fuerit ædificata post CHRISTI Ascensionem. 40

Probatur assertio aperte ex scriptura, quæ Christo in terris existenti plenã auctoritatẽ regẽdi Ecclesiã tribuit, Vt quãdo ipse duodecim Apostolos ac septuaginta discipulos ministros delegit, & cũ auctoritate ad prędicandũ Euangeliũ regni cælorũ dimisit. Matth. 10. Marci 3. & Luc. 6. 9. & 10. Item quando instituit noua Sacramenta, nouũq; Sacerdotiũ & Sacrificiũ, quando noua præcepta & Consilia Euangelica condidit & promulgauit. 41

Quo speciatim etiã pertinent illa Matthæi 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes &c. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ sæculi.* Ioannis 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. &c. Accipite Spiritũ sanctũ, quorũ remiseritis, &c.* 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentũ aliud nemo potest ponere, præter id quod positũ est, quod est Christus IESVS.* Ephes. 1. v 22. *Omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnẽ Ecclesiã, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui oña in oñibus adimplet.* Eph. 2. v. 20. *Super ædificati super fundamentũ Apostolorũ & Prophetarũ, ipso summo angulari lapide Christo IESV.* 1. Petri 2. v. 6. & Isaiæ 28. v. 16. *Ecce pono in Sion lapidem summũ angularem, electũ pretiosum: & qui crediderit in eum non confundetur.* Quæ quidẽ ad Christũ etiamnũ mortalẽ vitã agentem spectare, patet ex verbis subsequẽtibus: *Lapis quem reprobauerunt ædificantes*, nempe Iudæi Christũ crucifigẽtes. Hinc etiã Christus peculiari modo vocatur in scriptura Doctor, Præceptor, Legislator, Iudex, Medicus, Pastor, & Pontifex, vt pluribus videre est apud Valentiam loc. cit. 42

Ratio est manifesta. Nam cum Christus esset Deus & homo, in quo omnes thesauri sapiẽtiæ &

scientiæ absconditi erant, quique ideo etiam missus fuit à patre in mundum, vt nouam sibi Ecclesiam congregaret, negari non potest, eum etiam secundum humanitatem quoddam absolutum in Ecclesia ius, & ab omni creatura independens dominiũ habuisse: præsertim quando non solum rexit ipse Ecclesiam, quamdiu præsens erat, sed ipsum quoque Ecclesiasticum regimen primus sua auctoritate instituit; quod est apertum signum potestatis in vniuersa Ecclesia, vt dictum.

43 Assertio II. Christus neque tradidit, neq; tradere potuit plenitudinẽ illam & perfectionem suæ potestatis & auctoritatis alteri; qui proinde in suo regimine nullum habet successorem. Hanc assertionem bene declarant & prosequuntur Turrecremata de Ecclesia lib. 1. cap. 52. & Gregorius de Valentia tom. 4. d. 1. q. 9. pun. 4. & d. 3. q. 5. pun. 3. Probatur & declaratur. Quemadmodum enim caput hominis duo potissimum munia sibi vindicat; nimirũ quod per sensus & intelligentiam cæterorũ membrorũ functiones dirigit & imperat, & quod simul in membra cætera vim quandã internam vitæ motusque vitalis influit: ita Christus non modo Ecclesiæ caput est, quod extrinseca directione & gubernatione, docendo & precipiendo, corpus Ecclesiæ dirigit, sed simul etiam, quod internũ vigorem, gratiam scilicet & omnis generis virtutes, eidẽ suggerit ac subministrat, iuxta illud Ioannis 1. v. 17. *De plenitudine eius nos omnes accepimus & gratiam pro gratia: quia lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

44 Deinde Christus supremam habuit potestatem leges ferendi, abrogandi, noua Sacramenta instituendi, vetera abrogandi, totumq; Ecclesiæ regimen suo arbitratu constituendi; quod nulli hominum competit. Deniq; Christus caput est vniuersale totius Ecclesiæ, non solum militantis in terris, sed etiam triumphantis in cœlis, omniumq; fideliũ, qui vnquam sunt, fuerũt, aut erunt: quod itidem nulli hominum conuenit.

Quæ etiam causa est cur Christus in Ecclesia nullum habeat successorem; sed solummodo vicarium vt dicemus. Quia successor cum antecessore parem potestatem habet; ac simul eundem antecessorem potestatem suam amisisse supponit: quod de Christo dici non potest.

45 Assertio III. Contulit tamen Christus aliquam in Apostolos potestatem & auctoritatem regendi & gubernandi Ecclesiam: atq; ita quidẽ, vt Apostoli omnes, quoad cõmunem Apostolatus dignitatem & prærogatiuam, pares essent. Prior pars constat ex dictis dub. præced. Secundam partem tradunt Caietanus tractat de comparatione Papæ & Concilij c. 3. vbi dicit, *Apostolos reliquos, quatenus Apostolos, fuisse D. Petro pares; quatenus autem erant oues Christi, fuisse Petro subiectos.* Idẽ ex communi docet Gregorius de Valen. hic q. 1. p. 7. §. 28.

Probatur & declaratur assertio. Nam ad Apostolatus progatiuã duo pertinebãt; primũ quod ipsi immediate à Christo Ecclesiastici ministerij auctoritatem acceperunt: alterum quod eandem auctoritatem à Christo acceperunt, sine vlla determinatione ad certa loca; ita nimirum vt ipsi tanquam Episcopi, Doctores, & Pastores animarum, possent vbique in toto terrarum orbe munia Ecclesiastica rite obire, iuxta illud Matthæi 28. vers. 19. *Euntes docete omnes gentes*; & Marci 16. vers. 15. *Euntes in mundum vniuersum; prædicate Euangelium omni creaturæ.* In hac ergo vtraq; Apostolatus prærogatiua, omnes Apostoli pares fuerunt. Quod ipsum etiam SS. Patres noñunquã docuerunt, speciatim Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ vbi ait: *Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod & Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis.*

Assertio IV. Petrus nihilominus caput fuit Apostolorum, & Vicarius Christi; adeoq; post 46
Christum, & sub Christo, visibile in terris totius Ecclesiæ caput. Hæc assertio contra Sectarios huius temporis probatur fuse à Controuersiarum tractatoribus; sed ego scripturæ solum potissima loca paulò accuratius expendam.

Prima igitur ac potissima probatio sumitur ex apertis noui testamenti testimonijs, quibus eam potestatẽ & auctoritatem Christus Apostolo Petro, partim promisit, partim confirmauit, ac denique re ipsa tradidit.

Primus locus est Matthæi 16. vers. 18. vbi Christus ad Petrum ait: *Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutũ & in cœlis:* Ex quo loco duplex argumẽtatio ad propositum desumitur. Primum ex verbis illis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Ex quibus ita argumentamur: Si Christus super Petrum, veluti petram, ac secundarium post 47
se fundamentum ædificauit Ecclesiam suam vniuersam, & ad finem vsque mundi duraturã, consequens est, Petrum fuisse post Christum, eiusq; ascensionem, visibile caput & Primatẽ totius Ecclesiæ Christi, & cæterorũ Apostolorum: sed verum est antecedens, ex aperta illa Christi promissione, quam saltẽ post Christi ascensionem fuisse impletã dubitari non potest. Ergo & consequens. Maior patet; quia idem est in ædificio spirituali, esse petram, seu primarium ac immobile quoddam fundamentum totius ædificij, & esse caput eiusdem ædificij; atq; hoc ipso, quod Christus vniuersam Ecclesiam suam supra Petrum se ædificaturũ promisit, simul etiam statuit, vt vniuersa Ecclesia, adeoq; etiam cæteri Apostoli, Petri auctoritate & robore niterentur; quando vtiq; in Ecclesia Christi vniuersa, etiam Apostoli comprehenduntur.

Minor propositio, nimirum in verbis illis 48
Christi, per petram designatum fuisse Petrum, de quo tota est difficultas, probatur primo ex ipso verborum contextu, prout etiam in Biblijs latinis recitatur. Nam in similibus loquendi modis, vbi facta certæ personæ compellatione, *Tu es hic vel ille*; subiungitur particula demonstratiua, relata vel ad idem nomen denuo repetitum, vel ad simile habens allusionẽ ad priorẽ personæ

appella-

appellationem, v. g. *Et cum hoc, vel illo faciam, aut fiet istud. &c.* semper vocula demonstratiua demonstrat personam de qua antea immediate sermo erat, vt si dicam: *Tu es Rex, & in hoc Rege fiduciam meam colloco. Tu es Consul, & ab hoc Consule consilium expecto. Tu es mercator, & ab hoc mercatore merces exposco. Tu es ciuis, & cum hoc ciue amicitiam iungam. Tu es Dux, & hunc Ducem miles sequar. &c.* Idem etiã fit in nominibus proprijs; etiamsi nonnulla subinde in ijs fiat ipsarum terminationum ac generum per allusionem mutatio, vt si dicam: *Tu es Ignatius, & hoc igne mundus inardesceet. Tu es Columna, & hæc columna sustinebit Ecclesiam. Tu es Victoria, & hæc victoria exhilarabit orbem. Tu es Aquila, & hæc aquila super astra euolabit.* Et similia huius generis adduci possunt innumera; in quibus omnibus & singulis exemplis, si vel exactissima & plenissima omnium fiat inductio, quis nisi mente captus negauerit, demonstratiuum pronomen *Hic* cum suo appellatiuo semper respicere personã, quæ immediate antea pronomine illo primitiuo *Tu* significabatur? Cum ergo & oratio illa, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meã*, sit ijs, de quib⁹ diximus vndequaque & per omnia similis; certe apertissima contumacia, & volũtaria insania, imo aperta cognitæ veritatis impugnatio est, solo nouandi studio negare, verba illa *Super hanc petram* respicere & designare Petrum.

49 Secundo confirmatur idẽ ex textu græco. Etenim: quia vocabulũ *Petrus*, græcũ est, hinc fit, vt in latino sermone, non ita clara sit vis & emphasis allusionis, ipsaque adeo connexio inter Petrũ & petrã: quæ multo minus etiam eluceſcit in vernaculo idiomate, vbi nec vocũ quidẽ est illa ἀνονομινατιο & similitudo, cum dicitur: **Du bist Petrus/ vnd auff disen Felsen will ich bawen mein Kirch.** Qua ratione fit etiam, vt apud homines simplices, Sectarij nostri causam vtcunque tolerabilem tueri videantur, cum dicunt, *Petrus*, **vnd der Felß /** nihil inter se cõmune habere, cũ tamen si textum latinum, & multo magis si græcum, aut syriacum legere & intelligere possent, perspicuam rei veritatem vtique facile perspecturi essent.

Itaque vt de græco textu prius dicã, in eo verba, de quibus agimus, ita leguntur: σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. In quibus verbis, vtrumque nomen illud Πέτρος & πέτρα, quib⁹ apud latinos respõdẽt *Petrus* & *petra*, tametsi genere & terminatione differãt, quod vnum masculinum est, alterum fœmininum, vnam tamen prorsus ac eandem significationẽ habent, ita vtæque vtrumq; petrã, rupem, aut cautẽ, seu immobile saxum significet. Quo fit, vt si spectemus verborum significationem, perinde sit, ac si dixisset Christus: *Tu es Petra, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam.* Quod si factum fuisset, quis quæso negare auderet, voculam petram secundo loco positam designare Petrũ? Et quãuis S. Matthæus, aut eius interpres æque potuisset vtrobique vti vocabulo Πέτρος dicendo: σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πέτρῳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Quasi dicas, *Tu es Petrus, & super hunc Petrũ ædificabo Ecclesiam meam*: attamen ad omnem æquiuocationem tollendam, ne vocabulum Πέτρος etiam altero loco solum velut proprium Petri nomen, non autem secundum genuinam vim ac significationem vsurpatum videretur, atque adeo vt emphasis & vis indubitata nominis appellatiui petram significantis, à Christo loquente spectata, liquido repræsentaretur, maluit is secundo loco, vti vocabulo *petra* quam *Petrus*.

Perinde ac si quis eum, qui latine vocaretur 51
Scintilla, aut Stella, ita alloqueretur: *Tu es Scintilla, & hæc scintilla magnum excitabit incendium. Vel tu es Stella, & hac stella illuminabitur orbis.* Vbi similiter ex genere masculino transitur ad fœmininum; eo solum, vt vis sua & significatio nomini Scintillæ ac stellæ secundo loco vsurpato constet. Et sicut in hoc casu, ob mutationem generis, nemo dubitaret, nomen scintillæ ac stellæ vtroque loco vnum & eundem hominem designare, etsi priore loco masculine, posteriori loco fœminine, ac per modum appellatiui vsurpatum esset; ita etiam dubitari nullo modo potest, vtrumque vocabulum Πέτρος & πέτρα, etsi genere diuersum, vnum tamen ac eundem Petrum designare ac significare. Vt proinde puerilis aduersus Grammaticam sit error Iacobi Heilbrunneri, Prædicantis quondam Neoburgensis, in suo acatholic. art. 4. cap. 2. pag. 285. quando ex illa mutatione & diuersitate generis, colligit, petram ad Petrum spectare non posse: *quia relatiuum*, inquit, *cum suo antecedente genere & numero conuenire debet.* Quasi vero petra aut scintilla vel stella, &c. in his exemplis sint relatiua, & non potius nomina appositiua, quæ sæpe genere à suo antecedente differunt.

Tertio idem clarius pateſcit ex textu Syriaco. 52
Vbi sine vlla prorsus nominum variatione, pro verbis illis *Petrus & petra*, vnum ac idem vocabulum *Cepha*, siue *Cipha*, vtrobique legitur, ad hunc scilicet modum: *Danthú Ciphá, veal hada Ciphá ebneha lehidthi*: hoc est: *Tu es Cipha, & super hanc Cipha ædificabo Ecclesiam meam.* Quod aliud non est, quam si græce dictum fuisset: σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. aut latine; *Tu es Petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; vel etiam germanice; **Du bist der Felß / vnnd auff disen Felsen will ich bawen mein Kirch.** Quæ si ita in lingua græca, latina, vel germanica dicta fuissent à Christo, quis vel impudentissimus negare auderet, nomen *petram* significans secundo loco cum pronomine demonstratiuo positum, Petrum designare?

Cum igitur Christus Dominus ita prorsus, non quidem græce, nec latine, aut lingua nostra quadam vernacula, Petrum alloquutus sit, sed Syriacè, prout in ipso etiam Syriaco Euangelij textu refertur, quis dubitet, ijs verbis, *Super hanc petram*, in quamcunque tandem linguam transponantur, seu quocunque vocis sono enuntientur, Petrum designari, ac velut digito demonstrari? præsertim quando in Syriaco & in Hebraico idiomate, nec potuit quidem talis vocum quoad terminationem mutatio, qualis in lingua græca & latina cernitur, locũ habere, cum nomẽ *Cepha* apud Syros, & nomen *Ceph* apud Hebræos,

siue de persona dicatur, siue de re scilicet *petrâ*, eundem sonum, eandemque terminationem constanter retineat.

53 Quarto probatur eadem veritas ex circumstantijs loci; quę in eundem sensum optime quadrāt. Nam nec Christo aliud quicquam magis conueniebat, quam ædificare & fundare Ecclesiam suam; nec Petro aptius quidquam, quam esse petram; præsertim cum ob eam ipsam causam nomen id Petro fuerit à Christo recens impositum; nec petræ aliud accommodatum magis, quam esse fundamentum Ecclesiæ; nec fundamēto huic affinius quidpiam, quam inexpugnabile ædificium; nec huius ædificij promulgandi tempus & locus opportunior, quam conuentus Apostolorum.

54 Quintò eadem veritas probatur consentiente auctoritate Patrum, tam latinorum, quam græcorum, qui ex ijsdem verbis Christi, Petrum fuisse petram ac fundamentum Ecclesiæ constitutum, constantissime tradiderunt; speciatim ex latinis Clemens Romanus epistola 1. ad Iacobū, Tertullianus lib. præscript. cont. hæret. cap. 22. & in lib. de monogamia cap. 6. & lib. de pudicitia cap. 21. Cyprianus epist. 40. & epist. 55. & epist. 69. 70. 71. 73. & lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 3. Zeno Veronensis serm. de Circumsione, Marcellus I. epist. 1. Hilarius Pictauiensis in psalm. 131. & in Matthæum can. 16. & lib. 6. de Trinitate, Ambrosius serm. 47. & 64. & in hymno ecclesiastico, qui nunc etiam ad Laudes Dominicæ decantari solet, Hieronymus in caput 16. Matthæi & lib. 1. dialogorum aduersus Pelagianos cap. 4. & Epist. 54. ad Marcellam, Augustinus serm. 2. & 5. in festo SS. Petri & Pauli & serm. 15. de Sanctis, & in psalmo contra partem Donati iam olim etiam in Ecclesia decantari solito, Leo Magnus serm. 3. de anniuersario suæ assumptionis, & homil. de Transfiguratione Domini cap. 1. & epist. 89. cap. 1. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 28. Gregorius Magnus lib. 6. epist. 37. & lib. 4. epist. 82. Isidorus lib. 2. de offic. eccles. cap. 5. Bernardus lib. 2. de considerat. ad Eugenium.

55 Ex Græcis idem testantur Hippolytus orat. de consummatione mundi, Origenes homil. 5. in Exodum & in cap. 6. epist. ad Romanos, Eusebius Alexandrinus homil. de resurrectione, Athanasius epist. ad Felicem, Basilius in caput 2. Isaiæ, & lib. 2. contra Eunomium, Gregorius Nazianzenus orat. 26. de moderatione in disput. Epiphanius in Anchorato, Chrysostomus orat. in Petrum & Paulum, & orat. in Petrum & Eliam Prophetam, & homil. 83. in Matthæum, & in psalm. 50. & homil. 80. ad populum Antiochenum de pœnit. & hom. 87. in Ioannem, Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem cap. 12. & Concilium Chalcedonense act. 3. Euagrius lib. 2. cap. 4. Germanus Constantinopolitanus in theoria rerum ecclesiast. Damascenus in hist. Barlaam cap. 11. Theodorus Studites epist. ad Paschalem Pontificem, Ignatius Constantinop. epist. ad Adrianum II. Theophylactus in cap. 16. Matthæi & 22. Lucæ, Euthymius in cap. 16. Matthæi, Theodorus Balsamon ad canonem 16. synodi Carthagin. Quin & Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus, in suo ad Wittenbergenſium scriptum responso 2. cap. de iustit. fidei & bonis operibus, Petrum *Apostolorum Coryphæum* vocat: vt videas etiam Schismaticos græcos ab hac veritate, quamtumuis adeo Romanæ Cathedræ infensos non desciuisse. Quorum omnium Patrum expressa verba & testimonia sigillatim retuli part. 2. confess. August. demonst. 3. §. 2. Certe negare hanc veritatem tam aperte in scriptura traditam, tantaque & tam consentiente Patrum testificatione roboratam, non nisi perfrictæ frontis esse potest.

56 Nec obstat, quod Augustinus lib. 1. retract. cap. 21. eam explicationem visus est retractare, cum ait: *In libro contra epistolam Donati dixi in quodam loco, de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc, ipsa petra Ecclesiæ, canente, culpam diluit. Sed scio, me postea sæpissime exposuisse, quod à Domino dictum est: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: Tu es Christus filius Dei viui: ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues regni cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed Tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ probabilior sit, eligat lector.* Ita Augustinus.

57 Sed quæ reuera Catholicæ veritati nihil obstare, ex his fit manifestum 1. quia Augustinus priorem illam suam explicationem, quam fatetur etiam Ambrosij versibus iam olim palam in Ecclesia fuisse decantatam, nullo modo reijcit, aut retractat; sed cum aliam quidem simul explicationem adferat, tamen priori non anteponit, sed vtramque iudicio Lectoris permittit. 2. Quia cur Augustinus priorem explicationem in dubium posse vocari existimarit, non ea fuit causa, quod de re ipsa vllo modo dubitaret, fueritne S. Petrus caput Ecclesiæ, & princeps Apostolorum; cum primatum Petri, eiusque summam in vniuersam Ecclesiam auctoritatem etiam alijs locis constantissime vbique professus sit Augustinus vt tract. 56. in Ioannem, & lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 1. ita vt quamuis de illius loci explicatione dubitaret Augustinus, de veritate tamen significata esset certissimus. 3. Causa, qua ad eam dubitationem motus fuit Augustinus, ex dictis aperte & euidenter nulla esse conuincitur. Nititur enim illa variatione terminationis, quæ in voculis *Petrus & petra*, iuxta græcum & latinum textum, cernitur; quasi idcirco illa quidem ad Petrum, hęc vero ad Christum potius spectet; cum tamen ea vocum differentia nec communi explicationi quidquam obstet, vt demonstrauimus; nec in lingua Syriaca qua Christus vsus est, vllo modo reperiatur. Ex quibus facile colliget lector, an hæc Augustini qualisqualis dubitatio, nullo sane fundamento nixa, eiusmet toties repetitæ, & communi omnium

nium cæterorum Patrum, tam qui ipsum anteceſſerunt, quam qui ſubſequuti ſunt explicationi in Eccleſia tanto iam tempore palam decantatæ, & ab ipſo CHRISTO tam clare & perſpicue traditæ, præiudicare quidpiam debeat: præſertim cum ipſe quoque Auguſtinus rem hanc omnem deniq; lectoris arbitrio permittat.

Alterum argumentum ſu[illegible] verbis poſte-
59 rioribus eiuſdem loci Matt[illegible]. *Et tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcunq; li[illegible]eris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Vbi per *Claues* intelligi ſummam poteſtatẽ regendi & gubernandi Eccleſiam, patet tum ex quotidiano vſu ac praxi etiam ſecularis Reipublicæ; tum ex analogia ipſius ſcripturæ: ſiquidem etiam Iſaiæ 22. v. 22. & Apocal. 3. verſ. 7. eodem modo per *clauem Domus Dauid* ſumma poteſtas in Eccleſia gubernatiua deſignatur.

60 Has igitur claues Eccleſiæ cum Chriſtus, in præſentia quidem Apoſtolorum, ſed inter Apoſtolos ſoli Petro tradiderit; manifeſtum eſt, ſummam poteſtatem regendi Eccleſiam ſoli Petro traditam fuiſſe. Neque enim vſpiam legimus, ipſas quoque claues regni cœlorum cæteris Apoſtolis fuiſſe traditas; ſed vſum duntaxat clauium, ſub Petro ſummo clauigero, ijſdem fuiſſe attributum, Matthæi 18. verſ. 18. & Ioannis 20. verſ. 23. vt ſcilicet intelligeremus, Apoſtolos aliquam ſane in Eccleſia poteſtatem ligandi & ſoluendi habuiſſe, ſed ſupremam non habuiſſe; eo quod in vſu clauium Petri directioni ſubiacerent. Et vero parum intereſt, ſiue dicamus, claues Petro datas fuiſſe; vt ſupremo capiti Eccleſiæ; ſiue quis dicat, claues datas fuiſſe Petro, vt Eccleſiæ perſonam ſuſtinenti. Hoc ipſo enim recte Eccleſiæ perſonam ſuſtinebat Petrus quod eius ipſe ſupremum eſſet caput: ſiquidem priuatus quiſque Reipublicæ perſonam ſuſtinere non ſolet, ſed Conſul; ſicut etiam Imperij Imperator.

61 Secundus locus noui teſtamenti quo eadem poteſtas Petro denuo fuit à Chriſto confirmata, habetur Lucæ 22. à verſ. 24. vbi hæc leguntur: *Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. Dixit autem eis; Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit? Ego autẽ in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat: vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper Thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Ait autem Dominus: Simon, Simon. Ecce ſatanas expetiuit vos vt cribraret, ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

62 Ex quibus verbis, ad probandum Petri primatum, ita argumentamur. Quando in aliqua familia, præſente hero, oritur inter domeſticos contentio de primatu, ſeu de præcedentia; & herus ipſe peregre abiturus, conſcius litis, eam vt componat ac definiat, omnium quidem animos egregijs donis ac pollicitationibus lenit ac mitigat; attamen minime interim negat, aut diſſimulat, aliquem inter eos eſſe, aut fore ſuperiorem; ſed hoc ipſum potius aperte aſſerit, præſcribendo modum regendi Superiori; quem ipſe etiam mox poſtea quaſi digito demonſtrando, ſigillatim alloquens, non ſolum ſuam illi peculiarem gratiam & beneuolentiam addicat, ſed inſuper etiam ei hoc officium ac mandatũ iniungat, vt cæteros domeſticos, aliquando forſitan nutantes, quoad opus fuerit, confirmet ac roboret; tum certe dubium minime eſt, & aliquem in familiæ gubernatione, & hunc ipſum ab hero cæteris eſſe prælatum, aliorumque Caput deſignatum.

Sed ita res ſe habet in propoſito. Orta enim erat contentio inter Apoſtolos, velut domeſticos ipſius heri ac patrisfamilias Chriſti, de primatu & præcedentia; idque in præſentia ipſius Chriſti, paulo poſt ex hac vita diſceſſuri, eoque conſcio, vt ex Euangelica relatione patet. Eam litem vt componat ac definiat Chriſtus, omnium quidem Apoſtolorum animos vniuerſim egregijs donis ac pollicitationibus tenet ac mitigat, dicendo; *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Et ego diſpono vobis &c. vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael*: at nunquam interim negat, nec etiam diſſimulat, aliquem inter eos eſſe aut fore ſuperiorem, ſed hoc ipſum potius aperte aſſerit, præſcribens modum regiminis Superiori, his verbis; *Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor*, (ſtudio ſeruiendi & commodandi;) *& qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*: quòd ipſum ſuo ſimul exemplo confirmat, *Ego autem &c.* Et mox poſtea quaſi digito demonſtrans Superiorem, Petrum vnũ ex omnibus ſigillatim alloquitur, ſuamq; illi coram omnibus peculiarẽ gratiam & beneuolentiã addicit: *Simon Simon &c. Ego autem rogaui pro te &c.* atque inſuper & hoc ipſum etiam officium imponit, vt olim ipſe conuerſus *confirmet fratres ſuos*, cæteros nempe Apoſtolos, eorumue ſucceſſores; quoties hac eis confirmatione opus eſſet. Quis ergo dubitet, à Chriſto vnum aliquẽ, & quidem hunc ipſum Petrum, in quem iam antea tam euidens primatus promiſſio aliaq; eius indicia congruebant, confirmatã promiſſione antea factã Matthæi 16. vt dictum, cæteris prætuliſſe, adeoque omnium Apoſtolorum caput deſignaſſe?

63

64

Tertius locus, quo idem primatus *Apoſtolo* Petro iam antea quidem Matthæi 16. promiſſus, & Lucæ 22. confirmatus, reipſa poſtea à Chriſto traditus ac conſignatus fuit, habetur Ioannis 21. à v. 14. vbi hæc verba leguntur: *Hoc iam tertio manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cum reſurrexiſſet à mortuis. Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro IESVS: Simon Ioannis, diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis, quia amo te.*

65

Dicit

Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertiò. Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me; & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te: Dixit ei: pasce oues meas.

66 Ex quibus verbis Petrum à Christo accepisse potestatem supremam pascendi, adeoque regendi omnes omnino agnos & oues Christi, quæ ad eius ouile vnquam pertinerent, adeoque eam ipsam potestatem & auctoritatem, quæ ei promissa erat Matthæi 16. & denuo confirmata Lucæ 22. aperte patet ex verbis & circumstantijs huius loci. Aderat siquidem iam tempus, quo Christus post Resurrectionem suam, ex decreto æterni Patris, terras in specie quidem visibili relicturus, cœlosque conscensurus erat: hic iam res ipsa postulabat, vt Ecclesiæ suæ ac ouili benignissimus Pastor de Vicario stabili prouideret, qui suo ipsius Christi loco vniuersas oues præsentes, seu aliquando futuras regeret & pasceret. Non excciderat ipsi in-
67 terim è memoria, quemnam ex Apostolis iam dudum ante mortem, duplicatâ promissione, ad hoc munus destinasset, nempe quod Petrum designasset *petram*, super quam ipse vniuersam Ecclesiam suam ita esset ædificaturus, vt nec portæ inferi quidem contra eam essent præualituræ; quodque illi simul claues regni cœlorũ promisisset, Matthæi 16. & deniq; quod paulo ante mortẽ, eidem Petro veluti Maiori domus officiũ ipsos etiã Apostolos olim in fide confirmãdi cõmendasset Lucæ 22.

Itaque vt hoc negotium penitus absolueret, atque potestatem Petro iterato iam promissam, re ipsa tandem traderet, coram sex alijs discipulis velut testibus, è quibus etiam Iacobus & Ioannes rerum quarumque maximarũ alias, etiam vna cum Petro inspectores ac testes fuerant, solemni quasi stipulationis formulâ ter repetitâ vsus, Petroque de amoris affectu, quem in pastore sciret vel maxime esse necessarium, ter rogato, terque testato, ter ipse vna eademq; statâ verborum formulâ pastoris vniuersalis super vniuersum ouile suum auctoritatem tradit, dicendo *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Vbi cum Christus nullam penitus ouem ex suis ab auctoritate & iurisdictione Petri, velut constituti Pastoris, exceperit, temerarius sit, quisquis vnicam exceperit. Ex quibus proinde constat, S. Petro summam post Christum potestatem ac auctoritatem regendi ac pascendi vniuersum ouile dominicum, omnemque adeo in terris Christi Ecclesiam ad finem vsq; mundi futuram, fuisse commendatam.

68 Et confirmatur hæc explicatio quia vocabulum *Pascere*, vti & apud græcos verbum *ποιμαίνω*, & apud Hebræos Rahah, tum apud prophanos scriptores, tum in ipsa etiam scripturâ non solum pascere, sed etiam *regere* significat; speciatim 2. Reg. 5. v. 2. & Ezechielis 34. v. 23. vbi de Christo dicitur: *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem.* Et Isaiæ 44. v. 28. Regi Cyro dicitur: *Rohi, pastor meus es.* Et Homerus l. 2. Iliados, Regem Agamemnonem sæpe vocat *ποιμένα λαῶν, pastorem populorum.*

Atque ex eodem loco Petri primatum asseruerunt etiam Origenes in caput. 6. ad Romanos, 69
Chrysostomus homil. vlt. in Ioannem & libro 2. de sacerdotio in principio, & homil. 1. de pœnitentia, Ambrosius libro 10. in Lucam cap. 24. Gregorius libro 4. regiſtri epist. 32. & Theophylactus in eundem locum Ioan. 21. Optime Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 3. vtrumque locum, primum & tertium coniungens, ait: *Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super illam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas &c.* Ex quibus proinde etiam eadem assertio comprobatur, consentiente Patrum auctoritate, quos circa primum & tertium locum retulimus.

Secundo probatur eadem assertio ex figura 70
veteris testamenti; in quo itidem suprema iudicandi & regendi Ecclesiam auctoritas, ad vnum aliquem summum Sacerdotem pertinebat, vt patet Deuteronomij 17. vers. 12. post constitutum in genere Sacerdotum Tribunal, speciatim de summo Sacerdote subiungitur: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel; cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Et 2. Paralipomenon 19. post commendatum itidem generale tribunal Sacerdotum, mox subiungitur v. 11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Vbi itidem suprema auctoritas iudicandi ad summum Sacerdotem reuocatur. Et denique illud Malachiæ cap. 2. vers. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam; & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*; ad summum itidem Sacerdotem speciatim pertinet. Cum igitur figuratum figuræ respondere debeat, necesse est, vt etiam in Ecclesia Christi, post eius in cœlos ascensum, inter ipsos Apostolos vnus aliquis cæteris emineat, qui tam Apostolorum, quam ipsius Ecclesiæ visibile caput extiterit; neq; vero id alij quam Petro vel per somnium tribui potest.

Tertio idem probatur ex alijs pluribus prærogatiuis, quibus idem Apostolus Petrus sæpe alias in scriptura cæteris Apostolis præfertur. Ita enim I. Matthæi 10. v. 2. vbi numerus Apostolorum initur, eorumq; catalogus refertur, non solum in actu quasi exercito primo loco refertur Petrus, quod alibi sæpius factum; sed etiam expresse, & in actu signato, *primus* dicitur; idq; non ordine vocationis, quia Andreas prior vocatus erat Ioannis 1. Neq; ratione ætatis; non solũ quia in Ecclesiastica congregatione, vbi de personarum gradibus & ordine agitur, solius ætatis nulla habetur ratio; sed etiã quia multi verius putant, Andream fuisse seniorem, vt post Epiphanium hæres. 51. docent Baronius tom. 1. Annalium Anno Christi 31. n. 23. Lorinus in caput. 1. Actorum v. 13. Serrarius in tract. de Apostolis & alij,

71

tametsi

tametsi oppositum docuerint Chrysostomus apud eosdem, & Cassianus lib. 3. de incarnatione c. 12. sed ordine vtiq; dignitatis & præeminentiæ.

II. Vnus omnium nomine Petrus Matthæi 16. in re omnium grauissima, Christo respondet, vniuersim Apostolos interroganti: *Vos autem quẽ esse dicitis?* III Christus pro se tantum, & Petro, tributum soluit, Matthæi 17. v. 26. IV. Secretissimis quibusque mysterijs à Christo testis cũ paucis adhibetur, vt in domo Archisynagogi, in monte Thabor, & Olueti; simulq; primus vbique inter socios refertur, Marci 5. Matthæi 17. & 26. V. Peculiariter Christus pro Petro orat, ne fides eius deficiat Lucæ 22. v. 32. VI. Primo inter Apostolos Petro à Christo pedes lauantur, Ioannis 13. v. 6. VII. Primo inter Apostolos Petro Christus resurgens apparet, Lucæ 24. v. 34. & 1. Cor. 15. v. 5. VIII. Primus Apostolorum cœtum post Christi Ascensionem colligit, ac restaurandũ docet, Actorum 1. v. 16. IX. Primus post acceptũ Spiritum sanctum, in conuentu Apostolorum, Euangelium palam promulgat Act. 2. v. 14.

73 X. Primus inter Apostolos publico miraculo fidẽ confirmat Act. 3. v. 6. XI. Primus iudiciariam potestatẽ in Ecclesia post Christum palã exercuit, damnando Ananiam & Saphiram, Actorum 5. v. 1. XII. Primus diuinitus edocetur de Euangelio etiã Gentibus prædicãdo; ijsq; in Ecclesiã admittendis, Act. 10. v. 13. XIII. In primo generali Cõcilio Apostolorũ primus Petrus sententiã tulit, cui omnes Apostoli acquieuerunt, Actorum 15. v. 7.

Deniq; quod ad rem vel maxime pertinet, solus inter Apostolos Petri nomen Christus ipse mutauit atque ita quidem, vt pro *Simone* eum vocandũ statueret *Cepham*, siue Petrum Ioañis 1. v. 42. Cur? nisi vt officio ac muneri suo futuro, ab initio statim conueniens nomen obtineret, ac ex Simone seu *audiente*, & communi discipulo Christi, reipsa quandoque suo tempore fieret *petra* Ecclesiæ & caput Apostolorum.

74 Ex quibus etiã colligitur, falsum esse, quod Sectarij dicũt, Petrum suam illam potestatem nunquam exercuisse. Quod autem minus frequenter aduersus Apostolos eam potestatem exercuerit, ratio est; quia eorum singuli Spiritu Sancto repleti, pro sua quidem persona, externi moderatoris ope in actu secundo non admodum indigebant.

Quare etiam Chrysostomus homil. 21. in Acta: *Vbique*, inquit, *Petrus primus inuenitur. Quãdo eligendus Apostolus, hic primus; quando loquendum Iudæis, non esse Apostolos ebrios: Quando curandus claudus; quando concionandum: quando agendum contra Principes; quando contra Ananiam; quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat. Et vbi quidem erat periculum hic, & vbi moderatio. Vbi autem tranquillitate res erant plenæ, communiter omnes. Sic non exigit honorem maiorem.* Quod etiam de Romano Pontifice habet Gregorius Magnus lib. 7. epistol. 64. cum ait: *Si qua culpa in Episcopo inuenitur, nescio quis Episcopus Sedi Apostolicæ subiectus non sit. Cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humanitatis æquales sunt.*

Quinto probatur assertio ratione. Si enim post Christi ascensum, nullus inter Apostolos Christi Vicarius, qui visibile totius Ecclesiæ caput esset, relictus est, necesse est, Ecclesiæ regimen esse mutatum; ita vt ex Monarchia transiret in Aristocratiam: consequens autem est falsum & absurdum: Ergo, &c. Maior probatur: quia regimen cuiusque communitatis desumitur ex eiusdem magistratu visibili; & quidem si Monarchicum regimen sit, à supremo capite visibili. Cum ergo constet, CHRISTVM cum in terris ageret, fuisse Caput visibile totius Ecclesiæ, ipsumque adeo Ecclesiæ regimen fuisse Monarchicum, sane fatendum est, regimen illud fuisse mutatum, si Christus nullum supremum Caput visibile in terris, secundarium quidem, sibique subordinatum post se reliquerit. Minor itidem probatur, quia si Ecclesiæ regimen ex Monarchia fuisset mutatum in Aristocratiam, sequeretur ipsam quoque totam Ecclesiam fuisse mutatam; ac proinde nec eandem nũc esse Ecclesiam, quæ fuit viuente Christo in terris: quia vnitas politici corporis maxime desumitur à ratione & modo politiæ ac gubernationis siue regiminis. 75

Ex quibus denique recte cum S. Leone epist. 89. ad Episcopos Vienẽsis Prouinciæ concludimus: *Quisquis Petro principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest diminuere dignitatem; sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.* 76

ASSERTIO V. Est & semper in Ecclesia fuit vnus aliquis, qui Apostolo Petro defuncto in eadem suprema (Christo tamen subordinata) Ecclesiam gubernandi & regendi auctoritate & potestate, summique ac ordinarij Pastoris munere, diuino iure succederet. Hanc Catholicam assertionem bene tuentur & explicant Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 17. Caietanus de auctoritate Papæ & Concilij cap. 4. Canus lib. 6. locorum cap. 3. Stapletonus in relect. controuers. 3. q. 2. art. 1. Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 7. §. 15. & Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice. 77

Definitur eadem assertio in Concilio Constantiensi sess. 15. in qua hi Wicleffi errores damnãtur: nimirum 7. *Petrus non fuit, nec est caput S. Ecclesiæ Catholicæ.* Et 13. *Papa non est manifestus & verus successor Petri.* Et 27. *Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conuersetur & conseruetur.* Quos Wicleffi errores etiam Lutherus, Caluinus, & alij huius temporis sectarij sunt sequuti.

Probatur autem assertio Catholica primo, ijsdem tribus scripturæ locis, quibus antea probauimus, primatum Ecclesiæ fuisse penes S. Petrum; quosque non modo hactenus ad eum sensum interpretati sunt Patres & Concilia; sed qui ipso etiã verborum sono & contextu eundem sensum aperte præ se ferunt. Nam cum absolute dixerit Christus, ad Petrum, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; Pasce oues meas*, necessario intelligendũ id est, tum de vniuersa Christi in terris 78

Ecclesia

Ecclesia, vsque ad finem mundi existente, tum generatim de omnibus Christi ouibus, quouis tempore existentibus; idque etiam ob eam causam, ne dicendum sit, Ecclesiam successu temporis, suo illo fundamento fuisse destitutam, super quod ab ipso Christo antea fuerat ædificata, aut ouile Christi, officio supremi Pastoris à Christo constituti fuisse postea spoliatum: atqui fieri non potest, vt vel Petrus in propria persona fundamentum sit totius Ecclesiæ ad finem vsque mundi futuræ; quando iam in cœlis existens, nullam in Ecclesiam auctoritatem seu potestatem exercet; aut vt is in propria persona pascat oues omnes Christi, veram ijs fidei doctrinam proponendo, & quæ circa illa controuersa sunt definiendo: ergo necessario illa ad Petrum pertinere existimanda sunt non solum secundum propriam eius personam, sed etiam quantũ ad eiusdem Successores, continua successione in Ecclesia permansuros. Quod ipsum etiam nomen & officium tam fundamenti, quam pastoris indicat. Nam & illud sua natura perpetuum est, quamdiu ædificium durat; & officium pastoris institutum, non minus durabile esse debet, quam ipsum ouile.

79 Quæ etiam argumentatio hoc syllogismo clarius explicatur. Nam potestas illa & auctoritas, quæ iuxta Christi promissionem, Ecclesiam perpetuo sustinere, pascere, & aduersus quosuis aduersariorum impetus immotam tueri debet, necessario esse debet potestas seu auctoritas ordinaria, ac in Ecclesia permanens; ac proinde non in solo Petro, sed & in eius Successoribus duratura: Potestas & auctoritas Petri, iuxta Christi promissionem, vniuersam Christi Ecclesiam perpetuo sustinere, pascere, & aduersus quosuis aduersariorum impetus immotam tueri debet: Ergo potestas & auctoritas Petri necessario esse debet ordinaria, & in Ecclesia permanens; ac proinde non in solo Petro, sed & in eius Successoribus perpetuo duratura.

80 Secundo probatur eadem assertio ex figura veteris testamenti, ducto argumento à minori ad maius. Nam vt superius dictum, in Synagoga, semper ac perpetua successione, vnus aliquis erat Summus Pontifex, qui suprema potestate in spiritualibus Synagogæ præesset, eamque gubernaret: Ergo id multo magis tribuendum est Ecclesiæ. Consequentia probatur. Nam præterquam quod *omnia in figura illis contingebant* 2. Corint. 10. negari certe non potest, Deum non minus prouide & sapienter prospexisse Ecclesiæ Christianæ, quam synagogæ; ad perfectionem autem prouidentiæ pertinet, vnum caput visibile tantæ communitati præficere.

Tertio, probatur continua praxi & sensu ipsius Ecclesiæ, vt dicetur dubio sequenti: cui quantum sit deferendum, patet ex illo Apostoli 1. Tim. 3. v. 15. vocantis Ecclesiam *columnam & firmamentum veritatis*.

81 Quartò, probatur assertio rationibus. I. Necessarium est ad bonum regimen Ecclesiæ, & vnitatem in ea conseruandam, præter congregationem & Concilium generale Episcoporum, vnum aliquem inter ipsos Episcopos esse supremum caput & moderatorem totius Ecclesiæ, qui ea, quæ ad bonos mores & doctrinam Ecclesiæ pertinent, suprema auctoritate definire ac præscribere possit: Ergo reipsa exstat in Ecclesia vnum aliquod eiusmodi supremum caput, continua successione permanens. Antecedens patet; tum quia controuersiæ de fide, quas propter summam varietatem nationum, statuum, ordinum, ac ingeniorum, necesse est in Ecclesia frequenter oriri, nequeunt sufficienter determinari per Episcopos, si inter eos non sit aliquod supremum Ecclesiæ caput; non solum quia tunc nullus erit, qui cum auctoritate, quoties opus sit, possit Episcoporum Concilium cogere; sed etiam quia moraliter impossibile est, pro qualibet controuersia definienda, generale Episcoporum Concilium conuocare: Particularia autem Episcoporum iudicia, nec infallibilia sunt, nec ad fidei vnitatem in Ecclesia seruandam sufficiunt, vt patet, & dictum quæst. præced.

II. Petrus iam in cœlo existens, vel adhuc manet Ecclesiæ caput, fundamentum, & petra; vel non. Non primum; quia sic duo essent inuisibilia capita Ecclesiæ; nimirum Christus, & Petrus: cum tamen præter Christum, inuisibile caput Ecclesiæ, omnium sententiâ, nullo alio inuisibili capite opus sit. Si secundum dicitur, necesse est, aliquem alium Petri Vicarium pro capite & fundamento Ecclesiæ fuisse substitutum; ne fatendum sit, Ecclesiæ corpus & ædificium perijsse. III. Si Petro in Ecclesiæ gubernatione nullus successit, necesse est Ecclesiastici regiminis formam fuisse mutatam; ita vt ex Monarchia transiret in Aristocratiam, aut oligarchiam, seu democratiam: consequens autem est plane absurdum; quia sic ipsum etiam corpus Ecclesiæ mutatum fuisset, vt superius in simili dictum: Ergo, &c. 82

Assertio VI. Alia est ratio cæterorum Apostolorum, quibus etsi quidam in Ecclesia pastores, scilicet Episcopi; non tamen in pari & æquali omnino potestate successerunt. Explicatur & probatur assertio. Apostoli enim in Ecclesia duplex sustinebant officium, saltem ratione distinctum; vnum extraordinarium, legationis à Christo immediate demandatæ, quatenus videlicet erant Apostoli seu legati à Christo missi, ad prædicandum & plantandum Euangelium in toto mundo. De quo S. Paulus 2. Corinth. 5. v. 20. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Et Ephes. 6. v. 20. *Pro quo legatione fungor in catena; ita vt in ipso audeam, pro vt oportet me loqui.* Alterum ordinarium, secundum quod & ipsi, tanquam pastores & rectores Ecclesiæ, ac Episcopi animarum, potestate quidem ordinis ipsi Petro pares, potestate autem iurisdictionis eodem inferiores, alijs vero Sacerdotibus vtroque modo superiores, poterant munia Episcopalis potestatis in designato cuique territorio exercere. 83

Nunc ergo in illo extraordinario officio, atq; adeo in illa duplici prærogatiua Apostolatus, quã superius assertione 3. explicaui, nemo Apostolis successit: erat enim hoc munus legationis extraordinarium. In illo autem ordinario pastorali 84

munere

munere. Episcopi in Apostolorum locum subuecti sunt, vt docet etiam Concilium Tridentinum sess. 23. c. 4. Episcopi enim potestatē ordinis eandem omnino habent cum Apostolis; iurisdictionis autem potestatem, qua & Pontifice Romano Petri successore inferiores sunt, & Sacerdotibus alijs superiores, tantam omnino habent in sua Diœcesi, quanta particularium Ecclesiarum Pastoribus necessaria est. Quam rem pluribus prosequuntur Caietanus de auctoritate Concilij & Papæ cap. 4. Stapletonus in relect. controu. 2. quæstio. 3. art. 3. Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 7. §. 24. & Bellarminus lib. 2. de Pontif. cap. 17. & lib. 4. cap. 24.

85 Ex quibus omnibus colligitur, duabus præcipue rebus S. Petrum, tanquam Pastorem & caput totius Ecclesiæ, Apostolos antecessisse. Vna est, quod ipse non modo potestatem à Christo accepit, in vniuerso mundo, pastorale suum munus obeundi; sed quod etiam potestatem quandam accepit in ipsos Apostolos, tanquam eorum videlicet, & omnium Ecclesiæ membrorum visibile caput, vt assertione 4. probatum est. Altera, quod ipse à Christo auctoritatem in toto mundo accepit ordinariam, & perpetuo duraturam, atq; adeo ad posteros transmittendam; Apostoli vero tanquam extraordinarij Legati; quorum proinde potestas illa in toto mundo cum ipsis Apostolis expirauit.

86 Addunt aliqui, Apostolos ipsam potestatem sui Apostolici muneris accepisse, non immediate ab ipso Christo, sicut Petrus eam accepit, sed à Petro. Ita Turrecremata libro 2. de Ecclesia capit. 17. & quidam apud Caietanum loc. cit. qui volunt, tam potestatē ordinis Episcopalis, quam iurisdictionis, Apostolis à Petro collatam fuisse. Sed hæc sententia neque necessaria est ad primatum Petri asserendum; & per se etiam minus communis & probabilis est, vt recte notauit Gregorius de Valentia loc. cit. Licet enim secundum ordinarium processum, & spectatâ Petri potestate, ita fieri potuisset, tamen communiter existimatur, gratuitâ & extraordinaria præuentione diuina eam Petri potestatem in Apostolis ordinandis & instituendis præuentam fuisse. Nam quod ad potestatem quidem ordinis Sacerdotalis attinet, certum est, vt etiam Caietanus notat, Apostolis eam collatam fuisse in vltima cœna; siue totam & adæquate, tam quoad potestatem scilicet consecrandi Eucharistiam, quam absoluendi; siue inadæquate, quoad potestatem consecrandi tantum.

87 Quod ad potestatem vero ordinis Episcopalis attinet, etsi non improbabile est, quod Bellarminus lib. 1. de Pontifice cap. 23. ex Turrecremata docet, solum Petrum à Christo, reliquos vero Apostolos omnes ab ipso Petro ordinatos fuisse Episcopos: non minus tamen probabile videtur, etiam cæteros Apostolos ab ipso Christo ordinatos fuisse Episcopos: cum satis certum sit, eos auctoritatem Apostolicam in qua haud dubie etiam includitur ordinis potestas, ab ipso Christo immediate accepisse; iuxta illud Ioannis 20. v. 21. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater & ego mitto. &c. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* In quibus prima illa verba generalia sunt; & non male etiam ad Episcopalem gradum referuntur; sicut & illa Matth. 28. & Marci 16. *Euntes docete prædicate. &c.*

88 Neque in contrarium obstat illud Anacleti distinct. 66. Canone *Porro*, vbi dicitur, Beatum Iacobum fratrem Domini à Petro, Iacobo, & Ioanne, Apostolis ordinatum fuisse primum Hierosolymitarum Archiepiscopum. Nam intelligi id potest, de quadam loci designatione; non ipsius Episcopalis ordinis collatione, vt bene etiam dicit Gregorius de Valentia loc. cit.

89 Similiter illud Actorum 13. de impositione manuum Paulo & Barnabæ facta, comode etiam intelligi potest, de quadam declaratione, siue applicatione potestatis, iam antea diuinitus illis collatæ, ad certum illud ministerium. Cuius rei etiam hoc indicium est; tum quod ibidem v. 2. dicitur, *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*; non ordinate: tum quod Paulus Galat. 1. v. 1. expresse de se scribit: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem*: ad rationem autem Apostolatus etiam spectare potestatem ordinis, & iam antea dictum, & recte etiam obseruauit Caietanus de auctoritate Papæ & Concilij cap. 3. Denique idem Apostolus Galat. 2. v. 6. ait: *Mihi enim qui videbantur esse aliquid* (nimirum Petrus, Iacobus, & Ioannes) *nihil contulerunt.*

90 Neque vero semper in scriptura per manus impositionem ordinatio designatur. Nam Actorum 9. vers. 17. Ananias Saulo manus imposuit, vt visum reciperet; quo tamē ipso nemo dixerit, Saulo ordines ab Anania fuisse collatos; cū nec Saulus baptizatus; nec Ananias esset Episcopus. Quānis interim reuera non satis constet, quandonam Christus Apostolis Paulo, Matthiæ, & Barnabæ potestatem Apostolicam contulerit: etsi credibile est, illo ipso tempore contulisse, quo in Apostolos electi sunt, vt bene dicit Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 7. q. 16. pun. 3.

91 Potestatem denique iurisdictionis Apostolis ab ipso Christo imediate collatam fuisse cit. Ioannis 20. *Sicut misit me Pater* &c. ex communi sententia docet Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 12. & fusius lib. 4. c. 23.

92 Cæterum contra hanc doctrinam, præsertim assertione 4. de primatu Petri traditam, obijciunt Sectarij primo nonnulla, quæ scripturæ explicationem superius communi Ecclesiæ consensu probatam, concernunt & impugnant; vt quod per petrā non designetur Petrus, sed vel Christus, vel confessio Petri absolute spectata; item quod per *claues* non suprema gubernandi auctoritas & potestas in Ecclesia; per potestatem ligandi & soluendi non ius cum auctoritate præcipiendi, puniendi, dispensandi, sed solum potestas prædicandi & absoluendi significetur. Item quod *pascere* solum significet pabulum verbi diuini præbere, non ducere, non regere, non punire; per oues non omnes, sed tan-

tum quasdam significari. Sed hæc omnia superius tum ex apertis scripturæ verbis, tum ex communi Patrum & Ecclesiæ interpretatione satis refutata manent.

93 Deinde vero directe aduersus ipsam conclusionem, & contra primatum Petri obijciunt Sectarij primo. Christus est, & manet caput & fundamentum Ecclesiæ; neq; *fundamentum aliud poni potest, præter id quod positum est, quod est Christus IESVS* 1. Cor. 3. vers. 11. Et per se absurdum est, duo esse fundamenta & capita vnius domus & corporis: ergo Petrus non est fundamentum aut caput Ecclesiæ.

94 Respondeo, Christum solum esse præcipuum vndiquaq; ac primum fundamentum, & supremum caput; præter quod nullum aliud eiusdem ordinis & dignitatis constitui à quoquam potest; post Christum autẽ, & sub Christo aliud agnosci fundamentum, & aliud caput visibile Ecclesiæ, nihil prohibet; cum ipsimet aduersarij vltro fateantur, cæteros quoque omnes Apostolos esse quædam Ecclesiæ fundamenta, vt manifeste patet Ephes. 2. v. 20. & Apocalypsis 21. v. 14. Neq; magis monstrosum fit Ecclesiæ corpus, quod plura capita metaphoricè dicta, ac inter se subordinata habeat; quam quod vnius ac eiusdem regni terrestris duo quædam præcipua solent esse capita; Rex nimirum, & in absentia Regis, Prorex; ac sub his alia inferiora capita longe plura.

95 Secundo obijciunt. Nihil est Petro, promissum aut commissum, quod non etiam cæteris Apostolis cõmunicatum sit. Sit Petrus petra, Apostoli autem sunt Ecclesiæ fundamenta Ephes. 2. Petro claues soluendi & ligandi traditæ sunt Matthæi 16. Apostolis itidem: *Quæcunque ligaueritis &c.* Matthæi 18. *Et quorum remiseritis peccata &c.* Ioannis 20. Petro dictum est. *Pasce oues meas*; reliquis vero ab ipso Petro dicitur: *Pascite qui in vobis est gregem.* Accedit, quod expresse nonnunquam Patres Apostolos reliquos Petro pares faciunt.

96 Respondetur, omnia ea, quæ diximus, singularia Petri esse. Nam Apostoli sunt quidem fundamenta quædam secundaria, superædificata suo quodã modo super ipsum Petrum, sicut & Petrus nititur summo illo *lapide angulari Christo*; attamen petram esse; ac post Christum primarium totius Ecclesiæ fundamentum, soli Petro tribuitur. Item Petro soli nominatim claues traditæ sunt, tanquam supremo Patrifamilias & gubernatori Ecclesiæ; reliquis vsus potius clauium, quam absoluta potestas ac possessio clauium tradita est.

Sicut enim claues regni v. g. hoc est potestas regia, plenissime ac independenter quidem residet penes Regem, in absentia vero Regis apud Proregem; post proregem suo quodam modo etiam inferioribus regni Officialibus, quoad certa quædam munia, committitur: ita claues potestatis Ecclesiasticæ plenissime sunt in Christo; post Christi ex hac vita discessum, in Petro; post Petrum & sub Petro, in Apostolis.

Denique soli Petro omnes Christi oues vniuersim, ac sine vlla exceptione commissæ sunt: ad cæteros Apostolos, eorumque successores, cum restrictione dicitur, & quidem ab ipso Petro, *Pascite qui in vobis est gregem*, hoc est, gregem vobis commissum. Dictum vero illud SS. Patrum quam vim habeat, diximus assert. 3.

Tertio Petrus post promissionem illam à Christo factam Matthæi 16. varijs modis grauissime lapsus est. Vt quando mox ibidem incredulus fuit Christo suam passionem denuntianti; à quo etiam idcirco audiuit: *Vade post me Satana*, Matthæi 16. item cum in ipsa passione CHRISTI, eum tertio turpissime abnegauit Matthæi 26. Ergo iure existimari non potest, Petrum esse petram illam, super quam ædificata sit Ecclesia. Respondetur, Petrum tunc temporis, cum ita lapsus est, actualiter & re ipsa Ecclesiæ petram & fundamentum nondum fuisse; sed ex promissione Christi, post Resurrectionem eiusdem, primum implendâ, futurum fuisse; vti superius dictum, & significatur etiam ijs verbis CHRISTI: *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: vt proinde neuter lapsus Ecclesiæ firmitati quicquam obstet; præsertim quando neuter ille error conuincit, Petrum infidelitate peccasse Nam primus ille ignorantiæ & hebetudinis defectum arguit; secundus in externa solum fidei confessione Petrum demonstrat lapsum, non in interno fidei assensu. Denique particularis personæ lapsus, nihil obstat publicæ potestatis infallibilitati, iuxta illud Matthæi 23. *Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite; secundum opera vero eorum nolite facere.* 97

Quarto. Galat. 2. vers. 7. & 8. significatur, diuisam fuisse iurisdictionem inter Petrum & Paulum, ita vt illi Iudæorum, hic Gentilium cura & conuersio esset demandata, cum Apostolus dicat, sibi *creditum fuisse Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis.* 98

Respondetur; diuisionem hanc non iurisdictionis, sed prouinciarum fuisse; ad commodius propagandum Euangelium: quemadmodum etiam alij Apostoli inter se prouincias diuiserunt; cum tamen alioqui omnes generalem à CHRISTO potestatem accepissent, *docendi omnes Gentes*, Matthæi vltimo; & *prædicandi Euangelium omni creaturæ*, Marci vltim. Qua de causa ipse etiam Petrus Actor. 15. vers. 7. de seipso ait: *Vos scitis, quoniam ab antiquis diebus DEVS in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere.* Et è conuerso Paulus 1. Corinth. 9. vers. 20. ait: *Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer*; qui etiam ipse epistolam ad Hebræos scripsit. Diuisio igitur illa inter Petrum & Paulum facta est, vt Petrus in Iudæorum, Paulus in Gentilium conuersionem præcipue incumberet; cum tamen interim vterque ius haberet, tam Gentibus, quam Iudæis libere prædicandi, idq; pro re nata gnauiter vterque præstaret. 99

Quinto obijcitur, quod Actorum 10. dubitat Petrus, vtrum Gentilibus sit prædicandum, & 100

& ob prædicationem Gentilibus factam, reprehenditur ab alijs discipulis Actorum 11. Ad hoc quidam respondent, Petrum tunc reuera ignorasse, an esset prædicandum Gentibus; inter quos videtur fuisse Epiphanius hæresi 28. Quidam respondent, dubitasse Petrum, non vtrum Gentibus prædicandum, sed vtrum Gentiles ante baptismum essent circumcidendi: an potius incircumcisi ad baptismum admittendi: quæ postea quæstio agitata fuit in Concilio Apostolorum Hierosolymis Actorum 15. Ita Sanderus libro 2. de claue Dauid cap. 5. qui tamen addit, ex hoc ipso colligi primatum Petri, quod ei primum hæc veritas diuinitus reuelata, & per ipsum deinde alijs proposita fuerit.

101 Sed magis probatur responsio Bellarmini lib. 1. de Pontifice cap. 16. Petrum nihil horum ignorasse; sed reuelationem illam de linteo, ideo Petro factam fuisse, tum vt ipse Petrus sciret, iam tum tempus aduenisse prædicandi Gentilibus Euangelium, quibus alioquin iam ante ex CHRISTI mandato sciebat aliquando esse prædicandum; tum vt alijs, præsertim ex Iudaismo conuersis, eo facilius & efficacius posset respondere, & satis facere, si quando illum idcirco reprehensuri essent; vt factum est postea Actor. 11. Cuius quidem reprehensionis auctorem fuisse Cerinthum, priusquam aperte in hæresin incideret, notauit Epiphanius loc. cit. Tantum abest, vt existimandum sit, Petrum ab ipsis Apostolis idcirco fuisse reprehensum.

102 Sexto. Petrus Ecclesiæ præcipua negotia solus absque communi aliorum Apostolorum auxilio, non fuit executus, vt patet in electione Matthiæ Actorum 1. septem Diaconorum Actor. 6. & in definienda controuersia de religione Actorum 15. Ergo signum est, penes eum non fuisse supremam auctoritatem.

Respondetur, negando consequentiam; quia id non fiebat ex defectu potestatis, sed maioris commodi causa, vt nempe suauius & efficacius res transigeretur. Nam ad communem Ecclesiæ pacem, & auctoritatem Apostolorum conseruandam, & ad maius existimationis pondus ipsis rebus apud plebem conciliandum, conuenientius plurium suffragijs & iudicijs eiusmodi communia Ecclesiæ negotia fuerunt transacta; licet alioqui à solo Petro transigi possent: quemadmodum nunc etiam non à solo Papa, sed in generalibus quoque Concilijs eiusmodi grauiores causæ solent diiudicari. Atque ita speciatim de electionibus illis docuit etiam Chrysostomus homil. 3. in Acta. *Quid*, inquit, *an non licebat ipsi Petro eligere? licebat ei quidem maxime. Verum id non facit, ne cui videretur gratificari.*

103 Septimo Apostoli mittunt Petrum in Samariam Actorum 8. Ergo potius inferior fuit, quam superior. Respondetur, missum esse, non per imperium; sed per consilium & suasionem; quod etiam in pares aut superiores quadrare potest: sicut ab Herode missi dicuntur Hierosolymam Magi, Matthæi 2. & sicut Phinees Sacerdos missus est à populo Israelitico ad filios Ruben, & Gad. Ad quem modum etiam Dauid per seruos suos à prælio abstinere persuasus fuit lib. 2. Regum cap. 18. vers. 3. & cap. 21. vers. 17.

Octauo. Paulus ad Galat. 2. ait: *Mihi autem*, inquit, *qui videbantur esse aliquid* (loquitur de Petro, Iacobo, & Ioanne) *nihil contulerunt &c. & dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis.* Et itidem ait, *se in faciem Petro restitisse, quia reprehensibilis erat:* Ergo Paulus superior fuit Petro.

Respondetur ad singula; nimirum 1. Paulum tantum dicere, se, vti & alios Apostolos, suam auctoritatem, scientiam, & potestatem Apostolicam non à Petro, aut ab homine accepisse, sed à Deo, sicut initio eius epistolæ ipse significauit, quod etiam nos superius docuimus.

2. *Dextram* paritatem auctoritatis Apostolicæ significare; cum qua recte nihilominus consistere primatum Petri superius dictum est: eumque hoc ipso loco agnouisse Paulum, satis ipse indicat Galat. 1. vers. 18. cum ait: *Se venisse Hierosolymam videre Petrum:* nempe quia *os Apostolorum Petrus erat, Princeps, & vertex ipsius cœtus; propterea Paulus ascendit eum videre præ alijs*, inquit Chrysostomus homil 87. in Ioannem. Quam causam etiam reddunt Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus in eundem locum Galat. 1. & Tertullianus lib. præscript. circa med. 104

3. Quod ad reprehensionem illam attinet, respondetur, aliam esse reprehensionem & correctionem iuridicam quæ superioris est; aliam esse fraternam, quæ cum debita moderatione, quando necessitas id postulat, adhiberi potest etiam Superiori. Et talis fuit illa correptio Pauli aduersus Petrum. An autem reipsa, & qua ratione Petrus ea re peccauerit, diximus tom. 2. disput. 5. quæst. 3. dub. 5. Cæteras cauillationes omitto: & plura videri possunt apud Bellarminum, lib. 1. de Pontifice cap. 26. 27. & 28. & apud Gregorium de Valentia hic quæstione 1. punct. 7. 105

DVBIVM III.

An Successor ille Petri, & omnium Episcoporum, adeoq; totius Ecclesiæ visibile caput, & iudex controuersiarum fidei, sit Pontifex Romanus.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

106 PRobauimus dubio præcedenti Petrum fuisse caput Apostolorum, ac totius Ecclesiæ, eandemque potestatem & auctoritatem continua successione in Ecclesia perseuerare: nunc breuiter videndum est, an is Petri Successor, sit Pontifex Romanus, & quo iure: huc enim spectat omnis illa dissertatio, quam

duobus præcedentibus dubijs præmiſimus: & contra hunc maxime ſcopum Sectariorum huius temporis labor, & machinatio deſudat.

Nam primatum Romani Pontificis negant huius temporis tum ſchiſmatici græci, tum Sectarij omnes: eumque ſpeciatim impugnant Lutherus in libro de poteſtate Papæ, Illyricus in lib. cont. primatum Papæ, Synodus Smalcaldica in lib. eiuſdem argumenti, Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 6. & 7. Magdeburgenſes in ſingulis centurijs ad finem cap. 7. Eundem primatum negarunt olim Waldenſes, Wiccleffus, Huſſius, & alij.

ASSERTIO Vnica. Romanus Pontifex legitime Petro, tanquam vniuerſali totius Eccleſiæ paſtori & capiti ſucceſſit; atque etiamnum continua ſerie conſtanter ſuccedit. Hæc aſſertio, quia factum concernit, efficacius probari non poteſt, quam ex teſtimonijs totius antiquitatis, qualia quidem magno numero adferunt Bellarminus libro 2. de Romano Pontifice, Gregorius de Valentia hic quæſtione 1. punct. 7. §. 36. & fuſiſſimè Sanderus de claue Dauid libro 3. & 4. in opere de viſibili monarchia lib. 7. Nos pauca duntaxat delibabimus; quibus denique ſubiungemus optimam rationem in ſcriptura fundatam.

107 Probatur igitur aſſertio primo, ex teſtimonijs Conciliorum, ipſorumq; antiquiſſimorum Pontificum, qui hac velut poſſeſſione conſtanter fruiti ſunt. Ex Concilijs primum eſt Concilium Nicænum; vbi initium Canonis 6. in hunc modum legendum eſſe: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, mos autem perduret. &c.* conſtat, tum ex Concilio Chalcedonenſi act. 16. vbi ille Canon ita à Paſchaſino Epiſcopo citatur; tum ex Dionyſio Exiguo Abbate, à quo ante annos circiter mille, eundem canonem ita ex græco verſum fuiſſe, conſtat ex eiuſdem verſione, quæ exſtat. Vnde etiam in eodem Concilio Chalcedonenſi act. 16. prælecto eodem canone 6. Concilij Nicæni iudices dixerunt: *Perpendimus, omnem primatum & honorem præcipuum, ſecundum canones, antiquæ Romæ DEI amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.*

Neq; mirum, deſiderari iam illa verba Canonis; cum & in alijs decreta Concilij Nicæni ab hæreticis ſuppreſſa, aut deprauata fuiſſe, iure queratur Felix II. in reſcripto ad Epiſcopos Thebaidis & Lybiæ, vt videre eſt tomo 1. Conciliorum, inter decreta Felicis II. & luculenter probant Sanderus libro 7. viſibilis monarch. ad annum CHRISTI 336. Alphonſus Piſanus 108 de Concilio Nicæno, & Baronius tomo 3. Annalium Anno Chriſti 325. qui etiam id ipſum initium Canonis 6. tanquam authenticum recitant; ſimul probant in eodem Concilio Nicæno decretum fuiſſe, vt Epiſcopis ex toto orbe appellare liceret ad Romanum Pontificem; & ne Concilia præter Romani Pontificis ſententiam celebrarentur.

Omitto canonem 39. eiuſdem Concilij Nicæni, inter Arabicos canones, vbi dicitur: *Ille qui tenet Sedem Romæ, caput & princeps eſt omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum: vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos & vniuerſam Eccleſiã Chriſtianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* De qua re pluribus egi part. 2. Anatom. confeſſ. Auguſt. demonſtrat. 5. §. 13. à numero 212.

Secundum eſt Concilium Chalcedonenſe, in 109 quo action. 1. ſine vlla controuerſia Romana Eccleſia *caput omniũ Eccleſiarum appellatur*; & ibidem act. 6. Leo Papa Romanus *vniuerſalis Eccleſiæ Papa* dicitur.

Tertium eſt Concilium Nicænum II. vbi act. 2. probantur literæ Adriani, in quibus habetur, Romanam Sedem *primatum per orbem totum obtinere, & omnium Chriſti Eccleſiarum caput exiſtere.*

Quartum eſt Concilium Lateranenſe II. ex 110 græcis pariter & latinis congregatum, ſub Innocentio III. in cuius cap. 5. dicitur *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra.* vt plane nihil noui in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 7. de pœnitentia fuerit conſtitutum, dum idem primatus Romanę Eccleſiæ his verbis aſſeritur: *Merito Pontifices Maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare.* Plura ex praxi Conciliorum adferentur inferius probat. 3.

Eodem pertinent teſtimonia antiquiſſimorum 111 Pontificum, quos nec ipſi Sectarij negare poſſunt orthodoxos fuiſſe; puta Clementis epiſt. 1. Anacleti epiſt. 3. Euariſti epiſt. 1. Alexandri epiſt. 1. Marcelli & aliorum, qui vixerunt vſq; ad annum Chriſti 300. Iulij in epiſtola ad Orientales, quæ extat in Apologia 2. Athanaſij; Damaſi in epiſt. ad Epiſcopos orientales apud Theodoretũ lib. 5. hiſtoriæ cap. 10. item Syricij, Zozimi, Innocentij, de quibus, præter tomos ipſos Epiſtolarum & Conciliorum, videre licet Bellarminum lib. 2. de Pontifice cap. 14.

Secundo probatur aſſertio teſtimonijs Patrum, 112 tam latinorum, quam græcorum cuiuſq; ætatis: è quibus tamen pauca ſolum referemus. Tertullianus ante Annos 1400. lib. præſcript contra hæret. c. 36. *Si Italiæ adiaces, habes Romam; inde nobis quoque* (Africanis) *auctoritas præſtò eſt: ſtatu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt &c.*

Cyprianus ante plus mille trecentos lib. de vnitate Eccleſiæ c. 4. *Hanc vnitatem qui non tenet, tenere fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit; qui cathedram Petri* (Romanam tunc exiſtentem) *ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? &c. Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoq; ipſum vnũ atq; indiuiſum probemus.* Et epiſtola 55. *Neq; enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur.*

Et infra eadem epiſtola 55 *Poſt iſta adhuc inſuper, pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent,*

& ad Petri cathedram (Romanam) atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.

113 Sylvester in synodo Romana ante annos fere 1300. cap. 20. Nemo iudicabit primam sedem (Romanam) quoniam omnes sedes à prima sede iustitia desiderant temperari. Neque ab Angelo, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.

114 Ambrosius ante Annos plus 1200. epist. 81. ad Syricium: Recognouimus literis Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui fideliter commissam tibi ianuam (regni cœlorum) serues, & pia solicitudine Christi ouile custodias: dignus, quem oues Domini audiant, & sequantur.

115 Optatus Mileuitanus eodem tempore lib. 2. contra Parmenianum: Igitur negare non potes, scire te in vrbe Roma, Petro primo cathedram Episcopalem esse locatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde & Cephas est appellatus; in qua vnâ cathedrâ vnitas ab omnibus seruaretur; sic cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedrâ vnicâ, quæ est prima dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus &c. Iulio successit Liberius, Liberio Damasus, Damaso Syricius hodie, qui noster est socius: cum quo nobis totus orbis, commercio formatarum, in vna communionis societate concordat.

116 Sub idem tempus Stephanus Mauritaniæ in Africa Episcopus epistol. ad Damasum Papam: Beatissimo Domino, & Apostolico culmine sublimato Sancto Patri Patrum Damaso Papæ, & summo omnium Præsulum Pontifici: Notum vestræ facimus beatitudini, quod quidam fratres in consimio nobis positi, quosdam fratres nostros venerabiles, videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deyciunt gradu, vel deycere moliuntur: cum vestræ Sedi Episcoporum iudicia, & summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honore Beatissimi Petri, Patrum decreta omnium, cunctam reseruauere sententiam.

117 Hieronymus ante annos itidem plus 1200. Epist. 57. ad eundem Damasum Papam: Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini Tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Similia habet epistol. 58. ad eundem Damasum, vbi etiam illud notum exclamat: Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est.

118 Augustinus ante Annos 1200. in psalmo publice in Ecclesia cantari solito, contra partem Donati, ita canit: Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede. Et in ordine illo Patrum quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Et epist. 162. Erat transmarinis vicina Regionibus, & fama celeberrima nobilis Carthago, vnde non mediocris auctoritatis habebat Episcopum Cæcilianum, qui posset non curare conspirantem inimicorum multitudinem, cum se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum; vbi paratus esset, causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.

Leo Magnus ante Annos fere 1200. sermone 2. in Anniuersario suæ assumptionis: Manet ergo dispositio veritatis; & Beatus Petrus in accepta petræ fortitudine perseuerans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non derelinquit. 119

Prosper sub idem tempus de ingratis cap. 2. ita canit:

> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
> Religione tenet.

Bernardus ante Años fere 500. lib. 2. de consideran. ad Eugenium Age, indagemus adhuc diligentius, qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex: Tu Princeps Episcoporum: Tu hæres Apostolorum, Tu prima tu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedec, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores & gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium Pastor. 120

Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute & indiscrete totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut Regionis, aut certi regni? Oues inquit, meas. Cui non planum, non designasse aliquas assignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. &c. Ergo iuxta canones, aly in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu etiam deponere, & tradere satanæ potes? stat ergo inconcussum priuilegium tuum, tibi tam in datis clauibus, quam in ouibus commendatis. Ita Bernardus. 121

Et epist. 131. Plenitudo, inquit, potestatis, super vniuersas orbis Ecclesias, singulari prærogatiua Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

Et deniq; epist. 190. ad Innocentium Papam: Oportet ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Hæc omnia Bernardus; quibus nil potuit præclarius dici.

Ex Patribus græcis, Irenæus ante Annos plus 1400. lib. 3. cap. 3. ait: Ad hanc (Romanam) Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse 122

est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles; in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.

Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum, Thebaidis, & Libyorum Episcopi, ante Annos fere 1300. epist. ad Felicem Papam II. *Canonibus quippe iubentibus, absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere Pontifice. Ideoque ad propositum recurrentes, & ad brauium properantes, Vestræ Apostolicæ sedis imploramus auxilium.*

123 Basilius ante Annos plus 1200. epistola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum: *Reuera dignum est illa excellentissima voce, quæ te (in Petro) Beatum prædicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino est, scilicet, vt quod adulterinum est à legitimo ac puro discernas, ac fidem Patrum sine subiractione vlla prædices.*

124 Cyrillus Alexandrinus ante Annos fere 1200. epist. ad Cælestinum Papam: *Quoniam vero Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Ecclesiarum consuetudo suadet, vt illiusmodi Sanctitati tuæ communicentur, non possum equidem id, quod apertum est, ad pietatem tuam non perscribere &c.* Et infra: *Quamuis hæc ita se habeant, non prius tamen Nestorij communionem considenter deserere ausi fuimus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias declarare; quo liquido nobis constet communicare nos cum Nestorio oporteat, an vero libere eidem denuntiare, neminem cum eo communicare, qui eiusmodi erroneam doctrinam fouet ac prædicat. Porro Tuæ integritatis mens ac super hac re sententia, non modo pijssimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicuè per litteras exponi debet.*

125 Maximianus Constantiopolitanus Episcopus, eodem tempore, epistola ad Orientales: *Omnes fines terræ, quæ Dominum sincere receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum tanquam in solem respiciunt, & ex ipso lumẽ Catholicæ & Apostolicæ fidei recipiunt &c. Hunc enim* (Petrum) *de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui Cathedram magisterij principaliter possidendam perpetuo priuilegij iure concessit; vt quisquis diuinum aliquid, aut profundum nosse desiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat.*

126 Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha, ante años plus 1100 epistola ad Hormisdam Papam: *Quia prima salus est recte fidei regulã custodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare: quia non potest Domini Nostri prætermitti sententia dicentis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur Religio.*

Sophronius Hierosolymitanus, ante Años fere 1000. epist ad Stephanum: *De finibus terræ vsq; ad terminos eius ambula, donec ad Apostolicam Sedem* (Romanam) *vbi orthodoxorum dogmatũ fundamenta existunt, peruenias.*

127 Sergius Cyprius ante Annos 950. Epist. ad Theodorum Papam: *Firmamentum à DEO fixum firmum & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam Sedem constituit, ô sacer vertex, CHRISTVS DEVS noster. Tu es enim, sicut diuinum veraciter pronuntiat verbum, Petrus; & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt: Tibi & claues regni cælorum commisit, atque ligare & soluere potestatiue, quæ in terra, & quæ in cælis sunt, promulgauit: Tu prophanarum hæreseon depositor existis, vt Princeps, & Doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei.*

Theodorus Studites, ante Annos quasi 800. in epist. ad Paschalem Papam: *Audi Apostolicum caput, Pastor ouium CHRISTI à DEO electe, claviger regni cælorum, petra fidei, super quam ædificata est Ecclesia Catholica &c. Huc ades ab occidente exurge, & ne repellas in finem. Tibi namque dixit Christus Deus noster: Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

128

Ignatius Constantinopolitanus ante Annos 750. epistola ad Nicolaum Papam actione 3. Synodi VIII. *Tales beatas voces (Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam) non secundum quãdam vtique sortem Apostolorum Principi solum circumscripsit & definiuit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi Pastores, & diuinissimi Sacrique Pontifices senioris Romæ, transmisit.*

129

Gennadius Scholarius Anno Christi 1450. de primatu Papæ capit. 16. *Pontifex Romanus est Petri successor, & Vicarius Seruatoris nostri IESV CHRISTI; isque solus obtinet omnem potestatem ligandi atq; soluendi; vel arguendi, benedicendi, maledicendi, corrigendi & medendi: solus habet facultatem de fide, & Sacerdotio exquirendi.* Omitto alia testimonia innumera.

130

Tertio probatur assertio perpetuo vsu ac praxi veteris Ecclesiæ; qua constat, à Romana potissimum sede, & dubias fidei quæstiones definiri, & hæreses damnari consueuisse. Etenim primus hæresiarcha Simon magus à S. Petro damnatus, conuictus, (& post Romę profligatus fuit) Actorum 8. & apud Epiphanium hæres. 21.

131

In Concilio Apostolorum Hierosolymis, de legalium obseruatione celebrato, Petrus Apostolus, iam tunc Romanus Episcopus, primus sentẽtiam dixit, remq; definiuit; cæteris omnibus sententiam eius approbantibus.

Anno Christi 198. controuersiam de celebratione Paschæ, contra Blastum hæresiarcham, apud Tertullianum de præscript. cap. 53. & contra alios Quartadecimanos, postea hæreticos iudicatos, apud Epiphanium hæres. 50. & Augustinum hæres. 29. potissimum definiuit Victor Episcopus Romanus, apud Eusebium lib. 5. cap. 23. & 24. excommunicatis etiam ob contrarium errorem Asiaticis Ecclesijs. Quod tametsi Irenæo, & quibusdam Catholicis apud Eusebium cap. 25. durius visum, potestatem tamen & ius id faciendi nullus vnquam orthodoxus in dubium reuocauit.

132

Circa annum Christi 254. hæresis Nouatianorum, qui negabant lapsis post baptismũ absolutionẽ, damnata fuit in Concilio Romano, præside Cornelio Papa; approbantibus postea eandẽ

sententiam ominibus orthodoxis, teste Eusebio lib. 6. cap. 33. apud Ruffinum ibidem.

Anno Christi 258. cum auctore Agrippino Carthaginis Episcopo, noua controuersia exorta esset, de rebaptizandis ijs, qui ab hæreticis essent baptizati, Cornelius Romanus Pontifex, rursus Concilio habito, veram sententiam definiuit, vt refert idem Ruffinus ex Eusebio lib. 7. cap. 2. & fuse prosequitur Vincentius Lyrinensis lib. cont. hæres. cap. 9.

133 Anno Christi 263. Dionysius Alexandrinus Patriarcha de hæresi Arriana (falso) suspectus, & accusatus apud Dionysium Romanum Pontificem, suæ fidei Apologiam ad eundem perscripsit, teste Athanasio commentario de synodis, & in lib. de sententia Dionysij.

Anno 265. Paulum Samosatenum Episcopum Antiochenum hæresiarcham, idem Dionysius Romanus Pontifex, adiuuante supradicto Dionysio Alexandrino, damnauit, teste eodem Athanasio lib. de Synodis.

Anno 313. causa Donatistarum ab ipso Constantino Melchiadi Romano Pontifici dirimenda tradita est; cuius sententiam laudat Augustinus epist. 162.

134 Circa Añum Christi 325. damnata est in Concilio Nicæno hæresis Arrianorum, præsidibus Romanæ Ecclesiæ Legatis, & in ijs etiam Hosio, velut primario Legato Syluestri Romani Pontificis, vt expresse habetur in Actis Concilij Nicæni, quæ ante annos plus mille centum edidit Gelasius Cyzicenus, & nunc quoq; in recentissima Conciliorũ editione, exstant: vbi Hosius nominatur ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τῆς Ρωμαίων ἐπισκοπῆς. &c. *tenens etiam locum Episcopi Romani.* A quo etiam idẽ Concilium Nicænum approbationem decretorũ postulauit, vt videre est in actis eius Concilij; & fusius persequitur Baronius Anno Christi 325. De qua re generatim Socrates lib. 2. cap. 5. & 13. scripsit, Ecclesiastico canone iuberi, *non oportere absque Pontificis Romani sententia decreta Ecclesijs sancire.*

135 Anno Christi 381. in Concilio Constantinopolitano I. Damasi auctoritate celebrato, vt ex vetusto Vaticano codice refert Baronius, & ab eodem Damaso confirmato, vt testatur Photius in lib. de septem Synodis, damnata est hæresis Macedonij contra Spiritum Sanctum, vnde & Patres VI. Synodi actione 18. aiunt, *Theodosium ac Damasum per secundam synodum* (generalem) *obstitisse Macedonio, sicut Syluester & Constantinus congregato Nicæno Concilio Ario obstiterunt.*

Anno Christi 390. Iouinianus hæreticus apud Syricium Papam de hæresi accusatus, ab eodem Pontifice damnatus, & extra Ecclesiam eiectus fuit, vt constat ex Syricij epistola 2. & Hieronymo epist. 50. Pammachium.

Anno Christi 430. Nestorius hæreticus à Cælestino Papa primum in quadam synodo Romana iudicatus, & mox anno sequenti in Concilio Ephesino I. præside Cyrillo, nomine eiusdem Cœlestini Papæ, vt Euagrius testatur lib. 1. cap. 4. prorsus damnatus fuit.

136 Circa annum Christi 417. præuijs quibusdam Concilijs Africanis, damnata est hæresis Pelagiana à Pontificibus Romanis Innocentio & Zozimo, vt testatur Sanctus Augustinus lib. 2. retractat. cap. 50 & serm. 2. de verbis Apostoli vbi ait: *Iam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est. Vtinam aliquando finiatur error.* Et Prosper in Chronico Anni 420. *Concilio habito apud Carthaginem CCXVII. Episcoporum, ad Pontificem Zozimum, synodalia decreta perlata sunt; quibus probatis, Pelagiana hæresis in toto mundo damnata est.*

Anno Christi 450. in Concilio Chalcedonensi, auctoritate Leonis I. Papæ celebrato, & ab eodem confirmato (epistola eiusdem 59.) præsidentibus Legatis eiusdem pontificis, teste Euagrio lib. 2. cap. 4. damnata est hæresis Eutychetis. 137

Anno 483. in Concilio Romano à Felice III. Papa damnatus & depositus fuit Petrus Fullo seu Cnaphæus, nouus hæresiarcha, intrusus Patriarcha Antiochenus. Adfuit quoque in eadem synodo Actor Patriarcha Alexandrinus, & citatus fuit Constantinopolitanus, ob causas fidei, vt pluribus ex Liberato cap. 18. & Euagrio lib. 3. cap. 18. & sequent. refert Baronius eodem anno citato.

Anno 536. Agapetus Papa Constantinopoli, etiam inuito quodammodo Imperatore, Anthimum intrusum Episcopum Constantinopolitanum hæreticum damnauit ac deposuit, ordinato in eius locum Menna. Sed & ab eodem Agapeto etiam damnati fuerunt Seuerus, Petrus, atque Zoaras, cum sequacibus Acephalis hæreticis, vt pluribus refert Baronius eodem anno. 138

Anno Christi 681. in VI. Synodo Constantinopoli, præsidentibus Legatis Apostolicæ sedis Romanæ, celebrata auctoritate Agathonis Papæ Romani, ab eodem comprobata, damnata est hæresis Monothelitarum, vt videre est in actis eiusdem synodi, & apud Baronium ibidem.

Anno Christi 787. in Concilio Nicæno II. siue in VII. Synodo generali, auctoritate Adriani Papæ damnata est hæresis Iconomachorum, & confirmata Catholica fides de cultu & veneratione imaginum.

Anno 869. acta & scripta Photij contra Nicolaum Papam, & Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, combusta, ipseque Photius præsens vna cum suis assectis damnatus est, in VIII. Synodo Constantinopolitana, auctoritate ac præsentibus Legatis Adriani II. Papæ; à quo etiam eiusdem synodi approbatio postulata fuit.

Denique vt paucis multa comprehendam; 139
quia præsertim de posterioribus sæculis parum sollicitos video aduersarios; hæresin Berengarij in Concilio Vercellensi damnauit Leo IX. & in Cõcilio Romano Nicolaus II. testibus Lantfrãco & Guitmundo l. 1. contra Berengariũ. Errores Petri Abailardi damnauit Iñocẽtius II. & Gilberti Porretani in Cõcilio Remensi Eugenius III. vt testatur Bernardus epist. 194. & serm. 80. in Cantica. Errorẽ Ioachimi Abbatis Iñocentius III. in

Concilio generali Lateranensi; errores Græcorum Gregorius X. in Concilio generali Lugdunensi, iuxta cap. *Firmiter*, de summa Trinitate & fide Cathol. in 6. Errores Begardorum Clemens V. in Concilio Viennensi, iuxta cap *Ad nostrum*, Clement. de hæret. Errores Wicleffi & Huſſij, Martin9 V. in Concilio Constantiensi; & rursum errores Græcorũ Eugenius IV. in Cõcilio Florentino; sicut & Lutheri errores Leo X. & postea Pius IV. in Cõcilio Tridãtino à se confirmato, vt pluribus dixi part. 2. Anatom. Conf. Aug. demon. 10.

140 Summa est; nulla hæresis vnquam, post Cathedram Petri Romæ fundatam, in Ecclesia extitit, quæ non à Romanis Pontificibus mediate, vel immediate damnata fuerit. Cum omnis alia damnatio, supremâ denique Pontificis Romani auctoritate niteretur. Nullum Concilium legitimum habitum fuit & Oecumenicum, destitutum auctoritate Romani Pontificis: quod etiam Concilium Chalcedonense act. 1. diserte profitetur, contra Dioscorum Alexandrinum quondam Episcopum: *Synodum* (Dioscorus) *ausus est facere, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Nullum Concilium auctoritate Romani Pontificis approbatum vnquam fuit, cuius sententiam si quis in fidei quæstionibus detractaret & repudiaret, non illico pro errone & hæretico in Ecclesia Catholica haberetur.

141 Ad Pontificem Romanum ex oriente appellarunt, eiusque auxilium efflagitarunt, cõtra Arrianos, Athanasius Patriarcha Alexandrinus, alijque Episcopi Ægypti, vt supra dictum; contra Nestorium Cyrillus itidem Patriarcha Alexandrinus; contra Theophilum Patriarcham Alexandrinum, virum alioqui Catholicum & celebrem. A Synodo quadam Constantinopolitana ad Innocentium I. appellauit Chrysostomus Archiepiscopus Constantinopolitanus, vt habetur in eius epistola ad Innocentium data. A sententia Romani Pontificis, in causis fidei, nulli vnquam ad vllum alium iudicem seu Concilium concessa est appellatio. Verissimum enim est quod Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ scribit: *Ad illam* (Romanam Sedem) *de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo est appellare permissus.*

142 Pontifices Romani in omnibus orbis partibus varios deposuere Episcopos, ita vt Nicolaus I. in epistola ad Michaelem octo enumeret Patriarchas Constantinopolitanos à Romanis Pontificibus depositos; inter quos Anthimus ab Agapeto depositus, de quo superius dictum est: quibus addo Atticum Constantinopolitanum, & Theophilum Alexandrinum excommunicatos ab Innocentio I. ob persecutionem in Chrysostomum, vt videre est apud Baronium Anno CCCC. VI.

E contrario, Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum Episcopos, à Synodo orientali depositos, Iulius I. restituit, apud Sozom. l. 3. c. 7. & Gelasiũ in epist. ad Episcopos Dardaniæ. Theodoreto in Synodo Ephesina depositio, Episcopatum restituit Leo Papa, vt habetur in Concilio Chalcedonensi actio. 1. Sententiam depositionis contra Chrysostomum latam in Concilio quodã Cõstantinopolitano rescidit Inocẽtius, de quo supra dictum. vid. Baronium Anno CCCC. IV.

Quarto probatur eadem assertio ratione; pro qua notandum est, Petrum etsi quoq; alibi Cathedram ac Sedem Episcopalem habuerit, & indè tanquam vniuersalis Pastor Ecclesiam rexerit, vt ab Año Christi 39. Antiochiæ per septem años, ex cõmuni sententia Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum; quin & postea sub annum Christi 45. Petrus Alexandriam nobilissimam Ægypti ciuitatem miserit Marcum discipulũ suũ & Euangelistã, vt illic suo quoque ipsius Petri nomine Ecclesiam fundaret & regeret; tamen nec in Alexandrina Ecclesia, per seipsum Cathedrã administrasse, nec Antiochiæ constanter Sedem tenuisse; sed ea circa annũ Christi 45. Successori, seu Euodio, iuxta Origenẽ hom. 6. in Lucam, Eusebiũ in Chronico, & 3. hist. 16. Hieronymum de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ignatio; seu Ignatio relictâ, iuxta Chrysostomum homil. de translatione Ignatij & Theodoretum Dialog. *Immut.* 1. mox Romanam Ecclesiam eodem anno 45. fundasse, ac per se ipsum ad mortem vsq; constanter rexisse; non quod ab ea nusquam ipse discesserit (quomodo enim id fieri posset à pastore, & capite vniuersali totius Ecclesiæ Christi?) sed quod nullo interim alio, qui ipsi ante mortem succederet, Successore constituto, Cathedram illic semper tenuerit, ac per seipsum eidem Ecclesiæ præfuerit: donec post annos 24. Anno videlicet Christi 69. felicissimo ac glorioſissimo martyrio, vna cum Apostolo Paulo, à Nerone affectus animam Deo reddidit. 143

Quæ res abstrahendo à determinati temporis exilioribus minutijs, adeo omniũ Patrum ac scriptorum Ecclesiasticorum fide testata & explorata est, vt qui id negare ausit, non minus insanus iuire habere possit, quã si quis neget, aut Neronem seu Constantinũ ipsum Romæ fuisse Imperatorẽ, aut Iulium Cæsarem Dictatorem, aut Ciceronem Senatorem. Vno verbo, nullus est, qui huius rei meminerit ex Scriptoribus seu antiquioribus, seu recentioribus, ante Nouatores nostros, qui non hæc tria constantissime testetur. 1. Petrum Romæ fuisse Episcopum. 2. Eum Romanam Cathedram pluribus annis rexisse. 3. eundem huic regimini immortuum, ac Romæ sub Nerone martyrium consummasse. 144

Quod cum alij innumeris propemodum omnis generis testimonijs testatum fecerint, non est quod huic reiprolixius tractandę imoremur. Nobis sufficiant hoc loco ij, qui in ipsa Cathedra Romana ex instituto Episcoporum seriem & successionem texuerunt, vt Irenæus lib. 3. c. 3. Tertullianus de præscript. capit. 32. & libro 3. contra Marcionem cap. 9. Optatus Mileuitanus l. 2. contra Parmenianum, Epiphanius hæres. 27. & Augustinus in psalm. contra part. Donati: præter eos, quos iam superius pro Romanæ Cathedræ excellentia testes attulimus. Et recte dixit Maldonatus noster in caput 16. Matthæi: *Nemo ante Nouatores, neque Catholicus, neque hæreticus author fuit, qui non affirmauerit, & Petrum Romæ mortuum, &* 145

Romanos

Romanos Pontifices eius successores esse. Pugnabit ergo pro illo orbis terrarum contra insensatos.

146 Quæ cum ita sint, vlterius aduertendum, non quoslibet Episcopos earum Ecclesiarum, quas Petrus fundauerat, nec quoslibet etiam Petri successores, eos esse, ad quos singularis illa ac infallibilis Petri potestas regendi vniuersam Christi Ecclesiam iure pertine[at]; sed solum eos, qui eius sunt successores in ea [ca]thedra, quam ipse ad mortem vsq; const[itu]er per se tenuit ac administrauit. Cuius r[ei] [ex]perta hæc & euidens ratio est, in ipsa scriptu[ra] sacra citato loco Matthæi 16. Lucæ 22. & Ioannis 21. fundata. Quia potestas illa vni Petro, vt dictum, à Christo tradita & commissa, nec in plures diuidi poterat, nec à Petro deseri vel abijci, quamdiu in viuis esset; nec adeo etiam ad vllum alium transire, nisi ad eum, qui eius primum post mortem esset successor. Omnes autem eius alij vel successores, vel Vicarij Episcopi, qui varijs alijs Ecclesijs à Petro fundatis præfuerunt, habebant quidem à Petro Episcopalem potestatem & auctoritatem particularem, suas quique Ecclesias regendi & administrandi; sed generalem illam ac infallibilem auctoritatem Petri gubernandi ac sustentandi vniuersam Ecclesiam ab eo minime acceperunt.

147 Ex quibus proinde, auctoritatem illam Petri, & potestatem singularem regendi Ecclesiam vniuersam, eamque & infallibilem & ordinariam, ac perpetuo in Ecclesia permanentem, atque ad Petri quoque successores spectantem, permansisse solum in Ecclesia & Cathedra Romana, eiusque Rectoribus ac Episcopis Romanis, vtpote legitimis Petri Apostoli post mortem successoribus, hoc syllogismo demonstramus. Infallibilis Petri potestas & auctoritas regendi vniuersam Ecclesiam, fuit ordinaria, ac in Ecclesia permanens, adeoque non in solo Petro, sed & in eius post mortem legitimis successoribus perpetuo ad finem vsque mundi perdurans, vt ex dictis antea, ac præcetendi dubio constat: sed nulli alij, præter Romanos Pontifices, fuerunt Petri post eius mortem legitimi successores: Ergo potestas illa & auctoritas infallibilis Petri regendi vniuersam Christi Ecclesiam perdurat ac permanet vsque ad finem mundi in Pontificibus Romanis.

148 Minor patet ex dictis. Quia licet Petrus etiam alias complures Ecclesias fundarit, Antiochenam etiam per se aliquamdiu rexerit, tamen in alijs successores habuisse dici non potest; cum in ijs nunquam fuerit antecessor, hoc est, eas ipse Ecclesias per se nunquam rexerit. In Antiochena reliquit quidem successores, sed non post mortem; ac proinde cum ipse suam sibi à Christo concessam potestatem, & auctoritatem infallibilem vniuersam Ecclesiam regendi, ante mortem nunquam abdicarit, vtpote diuino sibi mandato iunctam; necesse est fateri, eum successori suo in cathedra Antiochena minime reliquisse, sed secum Romam transtulisse, atque post mortem primum suis illis in eadem Romana Cathedra successoribus integram, & quasi iam possessore ac Domino vacuam reliquisse.

149 Denique est, & fuit in Ecclesia semper aliquis legitimus Petri successor, in cura illa vniuersali Ecclesiæ, vt dubio præcedenti dictum: sed nullus alius ne fingi quidem potest Petri in ea cura successor, quam Romanus Pontifex; vtpote in quem solum & totius Ecclesiæ praxis, & totius antiquitatis testimonia conspirant, vt dictum. Ergo &c.

Quæ vero contra Catholicam hanc veritatem magna ex parte calumniose conficta, aut inepte disputata à Sectarijs obijciuntur, fuse dissolui part. 2. Anatomiæ Confess. August. demonstrat. 5. §. 18. quæ nihil opus est hoc loco repetere; quando præsertim pleraque iam antea à Bellarmino & Gregorio de Valentia locis citat. luculenter refutata sunt, & potissima ex ijs dub. 5. alia ocasione necessario dissoluenda erunt.

DVBIVM IV.

An Pontifex iure diuino sit caput Ecclesiæ, & Petri successor: & an sit de fide, hunc numero Pontificem esse vere Pontificem, & Ecclesiæ caput; & an aliquando possit ea potestate excidere.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

150 DE primo quæsito sequentes assertiones statuimus. Assertio I. Etsi quidem aliquo sensu de fide sit, Romanum Pontificem diuino iure Petro succedere, & totius Ecclesiæ caput esse; tamen non ita ex fide certum est, Pontificem Romanum, hoc ipso, quod Romanus Pontifex est, diuino iure Petri successorem esse, in vniuersali illa Ecclesiæ cura; ita vt summa illa auctoritas gubernandi Ecclesiam, directa institutione ac lege diuina Romanæ Cathedræ inseparabiliter annexa sit; licet nec hoc absque temeritate negari possit. Hanc assertionem probant & tuentur Turrecremata lib. 2. de Ecclesia cap. 4. Canus lib. 6. locorum Theolog. cap. 4. 5. 6. Driedo lib. 4. de varijs dogmat. cap. 4. part. 3. Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 12. & Gregorius de Valentia hic quæstione 1. pun. 7. §. 38. & alij communiter contra Dominicum Sotum lib. 4. sentent. distinct. 24. quæst. 2. art. 5. qui Ecclesiastico solum iure supremam illam auctoritatem Cathedræ Romanæ annexam esse docuit.

151 Probatur eadem assertio quoad primam partē, Nam Romanum Pontificē Petro diuino iure successisse, atque ita eodem iure diuino esse totius Ecclesiæ caput, tripliciter intelligi potest. Primo, & vno quodam sensu ita potest intelligi, vt solum ipsa successio, qua aliquis Petro in regimine vniuersalis Ecclesiæ succedere debeat, sit de iure diuino, & ex Christi institutione profecta; hoc ipso nimirum, quod potestas illa à Christo non soli Petro, sed etiam eiusdem successoribus tradita est; idque ipsum adeo officium guber-

nandi

nandi totam Ecclesiam, velut ordinarium, ac perpetuo in Ecclesia duraturum, à Christo institutum fuit. Et hoc sensu absque dubitatione ex fide certum est, Romanum Pontificem diuino iure Petro succedere, vt ex dictis constat,

152 Secundo intelligi hoc potest, de coniunctione potestatis illius cum persona Romani Pontificis, non absolute, & in sensu diuiso, sed in sensu cõposito, & ex suppositione, quod is videlicet, post mortem Petri consentiente Ecclesia, successor Petri, & totius Ecclesiæ Pastor legitime electus est. Et hoc etiam sensu à nemine Catholico negari potest, Romanum Pontificem, tanquam Petri successorem, iure diuino habere potestatem in vniuersam Ecclesiam; cum apertè sequatur ex priori sensu eiusdem propositionis; nec minus verum sit, & certum, quam quod Ioannes v. g. posito quod sit Sacerdos, diuino iure habeat potestatem consecrandi, vt recte dixit Bannes hic quæst. 1. art. 10. dub. 4. Et propter vtramque causam, absolute dicendum & fatendum est, Episcopum Romanum iure diuino esse Petri Successorem, & totius Ecclesiæ caput, vt notauit Bellarminus cit. cap. 12. Ex quibus proinde satis patet prima pars assertionis.

153 Tertio vero intelligi id potest, de coniunctione potestatis illius cum persona Romani Pontificis absolute: & ad hunc sensum spectat secunda pars assertionis. Quæ quidem ex eo probatur. Quia omnes illæ Sanctorum Patrum sententiæ, quibus asserunt, Romanæ sedis Episcopum, ex Christi institutione, Petro successisse, intelligi absolute possent, iuxta sensum, primæ partis assertionis; nimirum vel de ipsa institutione Potestatis illius abstractè; siue etiam ex hypothesi quadam, posito nimirum, quod Romanus Pontifex est is, quem Ecclesia ipsa successorem Petri constituit, siue id suo arbitratu, siue ex peculiari Christi institutione faciat: ex quo intelligi posset, adhuc non satis esse determinatum, an reuera Romanus Pontifex, hoc ipso, quod talis est, iure diuino, an solum iure Ecclesiastico, Petro Apostolo succedat.

154 Tertia pars assertionis ex eo probatur; quia SS. Patres simpliciter & absolute ita loquuntur, Romanum Pontificem, hoc ipso scilicet, quod Romanus Pontifex est, diuino iure & institutione Petri successorem esse; atque ad hanc rem ipsam probandam scripturæ testimonia accommodant: qui proinde rectius & conuenientius ita absolute intelliguntur. In quo genere speciatim notandum illud Concilij Lateran. in cap. *Damnamus*, de Sum. Trinit. & fide Cathol. Vbi Ecclesia Romana dicitur, *Deo ipso disponente, mater & magistra omnium Ecclesiarum.* Accedit, quod Marcellus Papa epist. ad Antioch. scribit, Petrum, iubente Domino, Romam Sedem suam ex Antiochia transtulisse.

155 Quod ipsum etiam confirmat illa historia, qua Petrus Roma abiturus, speciali Christi admonitione, Romæ vitam finijt, vt Ambrosius orat. contra Auxentium, quæ extat lib. 5. Epistolarum, post Epist 32. & Egesippus lib. 3. excidij Hierosolymit. cap. 2. testantur. Quo ipso indicatur, voluisse Christum, nullum alium Petri post mortem esse successorem, quam Romanum Pontificem. Quare etiam Gregorius de Valentia cit. §. 38. ait, contrariam Soti opinionem, *in re tam graui, videri nimis singularem, nec vero satis tutam.*

Etenim non parum interest, vtrum humano, 156
an diuino iure Romanus Pontifex sit Petri Successor, vt recte notauit Gregorius de Valentia loc. citat. Nam si humano duntaxat iure Petro succedit, fieri posset eodem iure humano & Ecclesiastico, vt Petri Successor non esset Romanus Pontifex, sed vel alterius, vel nullius certæ Sedis Episcopus. Si autem diuino iure institutum est, vt ipse Romanus Pontifex Petro succedat, tum id institutum penitus fixum, & ab Ecclesia immutabile est. Deinde si potestas illa à Romana sede penitus immutabilis est, tunc Romana etiam particularis Ecclesia absolute erit indefectibilis; alias non item, vt inferius dicetur.

Assertio II. Certum nihilominus, & indubitatum esse debet, Romanum Pontificem 157
supremam illam totius Ecclesiæ regendæ auctoritatem non ab hominibus, sed à Deo accipere, atque adeo Romanum Pontificem non ab hominibus, sed à Deo constitui totius Ecclesiæ Pastorem & caput. Ita ex communi Catholicorum sententia, post Turrecrematam lib. 2. cap. 38. 44. Caietanum opusc. 1. de auctor. Papæ cap. 13. & 2. part. Apol. cap. 22. Turrianum lib. 1. cont. Centur. cap. 18. recte docent Gregorius de Valentia q. 1. punct. 7. à §. 26. & alij. Probatur & declaratur. Nam siue Romanus Pontifex, quia talis est, Petro absolute diuino iure succedat, siue iure Ecclesiastico, certum est nihilominus, Romanum Pontificem, posteaquam ab Ecclesia electus est, immediate à Christo iurisdictionem accipere. Non enim accipit illam ab electoribus suis Cardinalibus; neque à tota communitate Ecclesiæ; quamuis eiusmodi electio requiratur saltem tanquam conditio sine qua non, vt suprema illa potestas Pontifici conferatur: quia potestas illa Pontificia maior est, quam sit vel potestas Cardinalium, vel reliqua totius Ecclesiæ, secluso Pontifice, vt magis patebit inferius dub. 8. 158

Deriuatur ergo potestas illa ex lege & decreto quodam diuino, quo Deus certo statuit, personæ rite electæ auctoritatem illam, & potestatem vniuersalis Pastoris & capitis conferre, ac simul eidem infallibili quodam ductu assistere in ijs rebus, tam fidei, quam morum decernendis, quæ ad communem fidelium salutem, fideique integritatem pertinent: quod quidem decretum diuinum nulla humana auctoritate & potestate suppleri posse, satis per se manifestum est. Hinc ea etiam ratione, Summus Pontifex alijs Prælatis Ecclesiæ, eminere existimatur, quod alij omnes, ex veriori, suam iurisdictionem à Pontifice, Pontifex vero eam à Christo immediate accipit, vt post alios tradit Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 17. & lib. 4. cap. 24.

Ex quibus aperte etiam falsitatis redarguitur, 159
quod huius temporis Nouatores dicunt, Roma-

num

num Pontificem suam illam potestatē ac primatus excellentiam accepisse ab Imperatoribus; puta vel à Constantino, vel à Carolo Magno, vel à Phoca, vt pluribus ostendit Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 17. & fusius à me contra Sectarios disputatum in Dioptra fidei libro. 3. cap. 8. Nam si proprie neque per Apostolicam quidem auctoritatem, aut Conciliorum statuta, Romanus Pontifex est totius Ecclesiæ caput & pastor, seu Primas, multo minus auctoritate Imperatoria talis esse potest: cum Imperatorum non sit alijs conferre ecclesiasticam & spiritualem potestatem, cuius ipsi exortes sunt, vt probauimus dub. 1. certe Pontificem suam illam summam potestatem non ab alio habere, quam à quo eam habuit Petrus; neque Petrum aliunde habuisse, quam à Christo, & institutione Christi, satis ex scriptura, Patribus, & totius antiquitatis historia probauimus dubio præcedenti.

160 Quod ad secundum quæsitum attinet, vtrum sit de fide, hunc numero Pontificem, quem tota Ecclesia tanquam legitime electum agnoscit & recipit, esse vere Pontificem, & totius Ecclesiæ caput; Certa sunt sequentia. I. Id quod in re dubia fidei, ab hoc numero Pontifice, quem tota Ecclesia vt legitime electum agnoscit & recipit, publica auctoritate rite definitum, toti Ecclesiæ credendum proponitur, ab omnibus tanquā de fide certum esse recipiendum; nō minus, quam si Deus speciatim reuelasset, eum esse vere Pontificem. Ita ex cōmuni docent Bannes hic q. 1. a. 10. dub. 2. ad 2. Gregorius de Valentia q. 1. pun. 7. §. 39. & Lessius l. 2. c. 35. dub. 25. n. 146. qui simul etiā recte addit, talem, & si forte reipsa inualide electum, ratione tituli colorati, concurrente communi errore, in suis definitionibus habere infallibilem auctoritatem, Deo illi propter commune bonum Ecclesiæ assistente. Ratio est; quia Ecclesia tota in eiusmodi rebus, quæ ad fidem & religionem pertinent, errare aut falli nō potest; cum sit *columna & firmamentum veritatis* 1. Timoth. 3. & doceatur à Deo *omnem veritatem*: cum ergo Ecclesia in dubijs fidei quęstionib⁹ teneatur acquiescere definitioni eius, qui ab omnibus iure merito Pontifex habetur, impossibile est, falsum esse id, quod ita ab eodem Pontifice proponitur; Deo scilicet per singularem assistentiam eum infallibiliter dirigente, ne erret; siue interim is re ipsa sit Pontifex, siue non.

161 II. Non solum vt valde temerarium & scandalosum, sed etiam vt suspectum de hæresi, imo vt errantem contra fidem puniri posse eum, qui negaret, vere Pontificem & caput Ecclesiæ esse eum, quem Ecclesia pro tali, nullo interueniente dissensu, semel proposuit & acceptauit. Ita etiam nemine dissentiente, docet Bañes loc. cit. qui tamen addit; nisi quis forte ostenderet, illum non esse baptizatum, aut non esse virum; sed quę hypothesis in acceptato Pontifice non est possibilis, vt dicetur. Ratio est; tum quia talis præsumi posset vniuersim negare summi Pontificis authoritatem: tum quia talis propositio suâ naturâ ad concitandum schisma, grauemq; ac periculosam Ecclesiæ perturbationem tendit.

III. Imo etiam vno quodam sensu, de fide esse, hunc numero Pontificem esse vere Pontificem, & caput Ecclesiæ; nimirum, tum quia in abstracto de fide est, Pontificem Romanum rite promotum esse caput Ecclesiæ: tum quia de fide est, etiam hunc numero Pontificem esse caput Ecclesiæ, saltem sub conditione, si reipsa sit legitime electus & promotus; vbi simul etiam supponuntur personæ habilitas, & cæteræ conditiones ad valorem talis electionis requisitæ. Colligitur ex dictis, in simili, ad præcedentem dubitationis partem. 162

An vero id absolute sit de fide; duæ sunt Doctorum sententię. Prima absolute negat, id esse de fide. Ita Bannes hic a. 10. dūb. 4. vbi ait: Etiam *post summi Pontificis, & Concilij definitionem, solum haberi ex humana prudentia, & euidenti inquisitione, aut etiam ex infusa prudentia, cui potest subesse falsum speculatiue, quod hic est Summus Pontifex, & quod hoc est Concilium rite confirmatum & congregatum.* Idem docet Castro de hæresibus lib. 1. cap. 9. vbi ait: *Quamuis credere teneamur, verum Petri Successorem esse supremum totius Ecclesiæ Pastorem; non tamen tenemur eadem fide credere, Leonem, aut Clementem esse verum Petri Successorem; quoniam, aut Clementem non tenemur ex fide Catholica credere, eorum quemlibet recte & canonice fuisse electum.* Et ante hos Turrecremata lib. 4. Summæ cap. 9. ait, *non esse de fide, sed supere fidem, quod hoc est verum Concilium, quod hic est Papa.* 163

Idem necessario sentiunt omnes, qui negant, conclusionem Theologicam, mediate solum reuelatam, seu ex reuelatis deductam, esse de fide. Fundamentum est: quia non potest infallibiliter constare, electionem vndequaque fuisse validam; quando & ob incapacitatem personę si forte mulier, aut non vere baptizata fuerit; & ob simoniam interuenientem, electio potuit esse nulla. Quamuis enim valde probabile sit, à duabus partibus Cardinalium concorditer factam electionem, non obstante simoniâ, esse validam, vt quidam sentiunt, iuxta cap. *Licet*, de electione: oppositum tamen alijs videtur verius, iuxta cap. *siquis pecunia* distinct. 79. & decretum Concilij Lateranensis sub Iulio II. sess. 5. Quod etiam magis probare videtur Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 25. n. 145. 164

Secunda sententia asserit, esse de fide. Ita Gregorius de Valentia q. 1. pun. 7. §. 39. qui tamen limitat, si modo talis Pontifex aliquid circa fidem definierit. Eandem sententiam tradunt Salmeron tom. 13. part. 3. in epist. ad Rom. pag. 185. & Michael Vasquez in disputatione quadam 10. Iulij Anno 1602. Vallisoleti proposita, & Pontifici dedicata, vbi dicit, eam sententiam in Salmanticensi, Complutensi, Ingolstadiensi, Romana, cæterisque Academijs, à nostra Societate fuisse defensam. 165

Quæ mihi etiam sententia semper verior est visa. Ratio est. Quia conclusio Theologica ex vna propositione de fide, & altera saltem moraliter euidenti deducta, est de fide, ex dictis q. 1. dub. 3. sed hæc conclusio est talis: Ergo. &c. Minor probari primū potest hoc syllogismo: Omnis canonice promotus ad cathedram Apostolicam 166

Petri,

Petri, est verus ac generalis Ecclesiæ Pastor: hic est canonice promotus & electus: Ergo. Vbi Maior videtur de fide; minor autem euidens saltem moraliter, ex testificatione nimirum humana quidem; sed adeo certa & explorata, vt merito credatur, ei subesse falsum non posse; quandoquidem supponitur, de legitima electione irrefragabili Ecclesiæ vniuersalis testimonio constare. Vnde etiam consequenter efficietur, pariter ex fide certum esse, hunc numero Pontificem habere omnes conditiones requisitas ad valorē talis electionis; adeoq; esse non fœminā, sed virū, ac vere baptizatum; idque siue aliquid circa fidem definiuerit, siue non; modo constet, esse legitime electum & promotum. Nam etiamsi absolute & Metaphysice loquendo, fieri posset, vt mulier, aut etiam homo non baptizatus in Pontificem eligeretur, id tamen iuxta consuetū agendi modum, adeo est incredibile, vt moraliter censeatur impossibile.

167 Sed reuera hæc argumentatio à sola electione petita, non videtur sufficiens; quia vel per canonicam promotionem & electionem solum intelligitur illa, quæ externa specie, & in foro externo legitima censetur, aut quæ simul etiam includit & supponit omnes conditiones, quantumuis occultas, ad valorem talis electionis requisitas, vt v.g. personam electam esse virum, non mulierem; esse baptizatum, &c. Si primum dicitur, maior illa propositio non est de fide; quia non obstante tali legitima electione & promotione, fieri posset, vt eius effectus occulto impedimēto impediatur. Si secundum dicatur, tunc minor nec moraliter quidem est euidens. Esto enim nonnunquā moraliter euidens esse possit, hūc esse virum, non fœminam; id tamen nec moraliter quidem euidens esse potest, hunc esse vere baptizatum; non magis certe, quam alium hominem inter Catholicos educatum.

168 Firmior est igitur altera ratio, quæ ab acceptatione Ecclesiæ petitur. Nam impossibile est vniuersam Ecclesiam falli, in rebus ad communem totius Ecclesiæ Religionem spectantibus; cum sit firmamentum veritatis: atqui iudicium, quo Ecclesia quempiam acceptat, & habet pro Pontifice est res ad totius Ecclesiæ Religionem pertinens: Ergo impossibile est, Ecclesiam in eo iudicio falli; ac proinde de fide est, eum quem vniuersa Ecclesia velut Pontificem acceptauit, esse vere Pontificem & caput Ecclesiæ. Vbi & maior, & minor propositio est de fide; sequitur ergo etiam conclusio de fide.

169 Nec obstat, quod fide diuina non creditur, hanc numero hostiam esse vere consecratam, nō solum, quia vt fatetur etiam Bannes, multo incertius est, hanc hostiam esse consecratam, quā hunc numero esse verum Pontificem; sed etiam, quia cum ad propositionem fidei requiratur, vel vt secundum se immediate fit reuelata, vel vt euidenter deducatur ex duobus reuelatis, aut ex vna saltem reuelata, & altera euidenti, idcirco merito quidem censetur de fide esse, quod hic numero Pontifex sit verus Pontifex, vt dictum; non autem, quod hæc numero hostia sit consecrata, vt quæ propositio nec immediate secundum se est reuelata, nec ex vna saltem reuelata, & altera euidenti deducitur, siquidem minor propositio, quæ post maiorem de fide subsumitur, semper manifeste est ineuidens & incerta, vt discurrenti patebit.

Idem autem, quod de hoc numero Pontifice dictum, etiam locum habet de hoc numero Concilio v.g. Nicæno, seruata proportione. Fuisse enim habitum aliquod Concilium Nicænū, idque etiam legitime conuocatum & celebratū, ac Romani Pontificis auctoritate comprobatum scim⁹ euidentia quadam morali, ex consensu totius historiæ: id ipsum autem fuisse infallibile, per fidem credimus, simili quodam discursu suppositio. Fateor tamen, etiam oppositam sententiam esse probabilem; nec in fide vllo modo periculosam, vtpote quæ veræ fidei & bonis moribus nihil præiudicat, vt ex dictis colligitur: præsertim, quando multi negant, vllam propositionem immediate non reuelatam esse de fide, vt suo loco dictum. 170

Quod ad tertium quæsitum attinet, an, & qua ratione Pontifex hanc suam potestatem amittere possit, breuiter dico sequentia. I. Pontifex propria voluntate eam dignitatem renuntiare ac deponere potest; idque etiam sine Ecclesiæ & Cardinalium consensu. Habetur ex cap. 1. de renuntiat. in 6. & Glossa ibidem: idq; re ipsa nonnunquam contigisse, constat ex historijs. 171

II. Si Pontifex in perpetuā amentiam incidat, tunc ipso iure diuino ea potestate excidit. Videtur cōmunis: quia fundamentum iurisdictionis est vsus rationis; ita vt perpetua amentia, quoad capacitatem iurisdictionis & dignitatis, æquiualeat morti.

III. Extra casum hæresis seu apostasiæ, nec ob vlla, quamuis notoria crimina, nec ob alia incōmoda, vel calamitates, priuari Pontifex sua potestate vnquam potest. Ita Antonin⁹ 3. par. tit. 22. c. 4. §. 3. Turrecremata l. 2. de Ecclesia cap. 98. & sequentibus, & lib. 4 part. 1. c. 9. Pighius lib. 6. hier eccles. cap. 19. Caietanus opusculo de auctoritate Papæ part. 1. c. 27. Turrianus lib. de Papa & Concilijs, Corduba lib. 4. q. 6. etsi contrarium sentiat Glossa cap. *Si Papa*. dist. 40. itemque Panormitan⁹ in Capit. *Significasti*. de electione; qui docent, Papam deponi posse ob notoria crimina, quæ graue scandalum Ecclesiæ pariant, si quidem incorrigibilis permaneat; quos refutat etiam Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice à cap. 27. 172

Probatur ex iure Canonico, cap. *Si Papa*, dist. 40. & cap. *Electionem*, dist. 79. & capit. *Oues*, 2. q. 7. & cap. *Nemo*, cap. *Aliorum*, cap. *Cuncta*. 9. q. 3. aliisque pluribus, apud Turrecrematam lib. 2. cap. 102. Ratio est. Tum quia extra casum hæresis & apostasiæ, Pontifex est membrum Ecclesiæ, quid nī etiam esse & permanere possit caput Ecclesiæ? quando alioquin superiorem nullum habet, à quo iudicetur, vt dicetur. Tum quia alias facile aperiretur ianua calumnijs, pluribusque schismatum occasionibus.

IV. Sed nec in casu hæresis, ab Ecclesia, seu Concilio generali, per se ac directe sua potestate 173

exui ac

exui ac priuari potest. Est itidem communior sententia speciatim eorum, quos pro sequenti pronuntiato adducemus; quamquam nec cæteris Theologis hoc aduersari videatur, qui communiter docent, supposita cognitione & sententia Ecclesiæ, de notoria Pontificis hæresi, eum ab ipso DEO sua potestate priuari. Ratio est; tum quia Pontifex suam potestatem habet & accipit non ab Ecclesia, sed immediate ab ipso DEO, suppositа tamen legitima electione, velut conditione requisita, vt dictum & omnes communiter fatentur. Tum quia Pontifex nullum habet superiorem in terris, à quo directe iudicetur; quando ipse est caput supra vniuersam Ecclesiam, adeoq; etiam supra ipsum Concilium generale, vt dicetur dub. 8.

174 V. In casu tamen notoriæ, & palam diuulgatæ in Ecclesia hæresis, quæ nulla tergiuersatione celari possit, probabilius videtur, Pontificem ipso facto, ipsoque iure diuino, etiam ante sententiam & cognitionem Ecclesiæ declaratoriam criminis, excidere sua potestate. Ita habet communior sententia antiquiorum Theologorum, speciatim Turrecremataæ lib. 2. cap. 102. & lib. 4. part. 2. à cap. 18. Paludani Opuscul. de potestate Papæ, Driedonis de libert. Christi, cap. 14. Castro lib. 2. de iusta hæret. punitione cap. 22. & 23. Salmeronis tom. 12. tractat. 83. & ex Canonistis, Augustini de Ancona de potestate Papæ a 5. Simanchæ Institut. Catholic. cap. 21. Iacobatij lib. 7. de Concilijs a. 1. quos sequitur Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 7. §. 41. Etsi contrarium sentiant Caietanus de auctoritate Papæ cap. 18. & 19. Sotus in 4. dist. 22. quæstion. 2. art. 2. Canus lib. 4. locorum cap. vltim. ad 12. Corduba lib. 4. quæst. 11. & alij recentiores, qui docent, Pontificem nec in casu hæresis quidem excidere sua potestate, ante sententiam Ecclesiæ declaratoriam criminis.

Nituntur, inter alia, etiam dicto Clementis epist. 1. quasi dixerit, *hæreticum Papam esse deponendum*. Sed ego plus in ea epistola non inuenio, quam hoc: *Ipsi autem Episcopi, si exorbitauerint, ab istis* (subditis) *non sunt reprehendendi, vel arguendi; sed supportandi, nisi in fide errauerint.* Quod generatim de Episcopis pronunciatum, suo etiam modo, & iuxta sensum nostræ assertionis, facile etiam Summo Pontifici applicari potest.

175 Ratio esse debet: quia in casu hæresis notoriæ, necesse est, tum ob præceptum Christi & Apostolorum, præcipientium, hæreticos esse vitandos, vt dicetur q. 8. dub. 6. tum ob publicum Ecclesiæ totius periculum vitandum, Pontificem sua potestate priuari, vt omnes fatentur: id vero fieri nullo modo potest, per sententiam Ecclesiæ, quamuis solum declaratoriam criminis: ergo cēsendum est, eum tunc ipso facto & iure diuino sua potestate priuari; eo modo, quo etiam in simili casu amentiæ, censetur iure diuino hac potestate excidere, vt dictum.

Minor probatur; quia sententia etiam declaratoria criminis requirit iurisdictionem, & potestatem citandi & examinandi reum: Ecclesia vero, aut Concilium in Summum Pontificem quamdiu is potestatem hanc habet, nullam habet iurisdictionem, vt dictum. Neque ideo necesse est, vlla sequi incommoda; quando in casu eiusmodi notoriæ hæresis, vt dictum, à nullo probabiliter talis Pontificis causa defendi potest, neque vero in oppositа etiam sententia satis constat, per quos, & qua ratione ea sententia pronuntiari possit & debeat; & multi sæpe anni labuntur, dum de generalis Concilij conuocatione tractatur; esto, si tempestiuè resipiscat, ex tacito Ecclesiæ consensu, ea dignitas redeat.

VI. Sed & dubius Pontifex, quando Ecclesiæ certo constare non potest, an vere & legitime fuerit electus, suum ius resignare debet; alias eo abdicato, iure alius eligitur. In hoc consentiunt omnes. Ratio: quia dubius Pontifex reuera in facie Ecclesiæ non est verus Pontifex; vtpote cui Ecclesia obedire non tenetur; quæ proinde iure ad nouam electionem procedit. Plura infra de Schismate. 176

DVBIVM V.

An Pontifex Romanus aliquando ab ea potestate Summi Pastoris Ecclesiæ exciderit; & degenerarit in Antichristum.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

TErtius hic aries est, quo nostri temporis Sectarij aduersus Romani Pontificis auctoritatem ac primatum feruntur; eo quidem impudentior, quod nulli hominum ordini vel dignitati parcere nouit, sed pari audacia in omnes æque, etiam Principes, Reges, & Imperatores Catholicos incurrit, vt inferius dicetur. Cæterum vt huius calumniæ vanitas vel ex ipsa calumniatorum dissensione liquescat, aduertendum est, de ea Pontificis, vt aiunt, in Antichristum metamorphosi, nō eandem nostri temporis Sectariorum, sed quinque omnino diuersas esse sententias, vt diligenter refert Bellarminus lib. 3. de Pontif. cap. 3. 177

Prima sententia est Samosatenorum siue Trinitariorum, qui in Vngaria & Transyluania degunt. Hi dicunt, Romanum Pontificem in Antichristum degenerasse, statim post tempora Apostolorum; quando nimirum, vt ipsi aiunt, contra Apostolorum doctrinam docere & prædicare cœpit, Deum *trinum in personis*, & Christum *binum in natura*.

Secunda sententia est Illyrici & Magdeburgensium Centuria 6. cap. 1. qui dicunt, Antichristum conceptum quodammodo fuisse initio anni 400. deinde animatum & formatum in vtero matris circa annum 500. denique natum ac in lucem editum anno 606. quando Phocas Pontifici Romano concessit, vt caput vocaretur totius Ecclesiæ; cum tamen etiam à Iustiniano, qui 178

centum fere añis Phocam anteceſſit, Pontifex *caput omnium Eccleſiarum* vocatus ſit, in Epiſtola ad Ioannem II. vt habetur Codice lib. 1. tit. 1. poſt legem 3.

Poſtremam hanc partẽ tradit etiam Chythræus in cõmentario ad caput 6. Apocalypſis, vbi ſimul ſignificat, Gregorium Magnum fuiſſe primum Pontificem Antichriſtianum; eo quod aſſeruerit inuocationem Sanctorum, & Miſſas pro defunctis; cum tamen ipſe primus hæc minime docuerit, vt ſuo loco dicetur.

179 Tertia ſententia eſt Lutheri in ſupputatione temporum, qui diſtinguens duplicem aduentum Antichriſti; vnum cum gladio ſpirituali, alterum cum gladio temporali, ait, priorem illum aduentũ accidiſſe poſt añum Domini 606. quando Pontifex à Phoca caput Eccleſiæ vocatus eſt; alterum vero poſt annum Domini 1000. quando Gregorius VII. depoſuit Imperatorẽ Henricum IV. & bella geſſit, Quod dicit etiam Bibliander in Chronico tabula 11. & 13.

180 Quarta ſententia eſt Henrici Bullingeri, qui præfatione homil. in Apocalypſin, neſcio qua annorum ſupputatione nixus, ſcribit, Antichriſtum apparuiſſe anno Domini 763. quamtumuis nulla tum vel Pontificum, vel doctrinæ in Eccleſia Romana facta ſit mutatio.

Quinta ſententia eſt Muſculi, qui in locis, titulo de Eccleſia capit. 12. aſſerit, Antichriſtum veniſſe paulo poſt tempora Bernardi; motus auctoritate eiuſdem, qui ſerm. 6. in pſalmum 90. enumeratis multis Eccleſiaſticorum vitijs & Eccleſiæ perſecutionibns, addit: *Supereſt, vt reuelẽtur homo peccati.*

181 Verum non ſolum ex Scriptoribus orhodoxis nullus fuit, qui Romanum Pontificem, ſiue de certa perſona, ſiue de certa perſonarum ſerie ſermo ſit, aſſereret, eſſe verum illum, & in ſcripturis, ſpeciatim 2. Theſſal. 2. tantopere celebratum Antichriſtum: ſed neque ex Iudæis, vel hæreticis, ante huius temporis Nouatores, quiſquam tam impudens fuit, qui tam impium dogma de Pontifice vnquam tradiderit, licet aliàs non pauci eius primatum denegarint, nonnulli etiam eum myſticum Antichriſtum appellitarint.

Sed & præterea Catholici omnes contra noſtri temporis Sectarios in eo conſentiunt, verum illum Antichriſtum in ſcripturis prænuntiatum, eſſe vnum ſingularem hominem, quem plerique omnes adhuc venturum eſſe ſentiunt; etſi pauculi quidam olim exiſtimarint, Mahometem fuiſſe Antichriſtũ illum in ſcripturis prænuntiatum; eo quod venerit, vt ipſi aiunt, circa annum Domini 666. qui añorum numerus pro Antichriſti nota aſſignatur Apocalypſis 13. verſ. 18. Nos Catholicam ſententiam breuiter ſequentibus aſſertionibus explicamus.

182 Assertio I. Pontificem Romanum dicere Antichriſtrum, eſt inſignis iniuria aduerſus ſcripturam ſacram, eiuſque auctorem Spiritum Sanctum; cum ea quæ de Antichriſto docet Scriptura, nonniſi impie, ac præter verba & mentem ſcripturæ ad Romanum Pontificẽ accõmodentur. Probatur aſſertio pluribus argumentis ex ſcriptura deſumptis. Primum ſumitur ex ipſa ſingularitate perſonæ Antichriſti. Antichriſtus enim proprie & ſtricte acceptus, iuxta ſcripturæ deſcriptionem, eſt vnus quidam ſingularis homo, ſicut Pilatus, Herodes &c. ſed Pontifices Romani, quos Antichriſtos eſſe calumniantur Sectarij, non ſunt vnus quidã ſingularis homo, ſed multi: Ergo impoſſibile eſt, iuxta ſcripturam, vt ſint verus Antichriſtus; quem nimirum velut peculiarem Chriſti hoſtem ſcriptura proponit. Minor patet.

Maior propoſitio à Sectarijs negata, probatur ex ſcriptura. Ioannis 5. verſ. 43. dicitur; *Ego veni in nomine Patris, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Vbi Antichriſtus Chriſto, tanquam ſingularis haud dubie perſona ſingulari itidem perſonæ opponitur: alias enim Chriſtus non dixiſſet *alius veniet*, ſed *alij venient.* Item 2. Theſſal. 2. v. 3. aperte Antichriſtus tanquam ſingularis perſona deſcribitur *Niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus.* Et v. 8. *Tum reuelabitur ille iniquus, quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui.* Quæ verba ferè omnia & ſingula aperte clamant, 183
Antichriſtum eſſe ſingularem perſonam. Nemo enim alioquin de pluribus recte diceret, *reuelabitur homo peccati, filius perditionis, ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet &c.*

Quod etiam ex græco textu apparet euidentius, vbi ſemper additur articulus ſeu particula demonſtratiua, certæ cuiuſdam perſonę nota, nimirum ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος, ὁ ἄνομος, quaſi ad verbum dicas: *Ille homo peccati, ille filius perditionis, ille aduerſarius, ille iniquus:* Quibus verbis nec poteſt quidem euidentius certa perſona deſignari. Optime Epiphanius hæreſi 9. *Vbi*, inquit, *articulus additus eſt, in vno aliquo determinato ac manifeſtiſſimo, omnino confirmatio propter articulum contingit. Citrà articulum verò de vno quocunq; tandem indefinite accipiendum eſt.*

Eodem modo 1. Ioannis 2. v. 18. verus & proprius Antichriſtus tanquam ſingularis perſona deſcribitur, & hoc ipſo ab alijs Antichriſtis generatim ita appellatis diſtinguitur: *Filioli noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit; & nunc Antichriſti multi facti ſunt: Vnde ſcimus quia noviſſima hora eſt* Vbi itidem in græco legitur ἤκουσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν Vbi proprie dicto Antichriſto articulus additur, poſtea omittitur.

Secundum argumentum ſumitur ex circumſtantijs temporis, quo Antichriſtus veniet. Hæ ipſæ enim circumſtantiæ aperte conuincunt, Antichriſtum necdum veniſſe: Ergo ſcripturæ iniuriam facit, quiſquis Antichriſtum in Romanis Pontificibus iam veniſſe aſſerit. Antecedens probatur ſequentib⁹ circumſtantijs. Nam I. ante aduentum Antichriſti prædicabitur Euangelium in toto mundo, vt colligitur ex illo Matthæi 24. v. 14. *& prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo* 284

orbe

orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio; ad quam scilicet pertinet Antichristi persecutio, vt ex sequentibus colligitur, & SS. Patres itidem intellexerunt, apud Bellarminum l. 3. de Pontifice cap. 4. At vero Euangelium, nec nostro quidem tempore ita in vniuerso orbe prædicatũ est; cum adhuc semper plures inueniantur populi, quibus Euangelium necdum prædicatum fuit, vt ex vtriusque Indiæ historia patet.

185 II. Antichristus non veniet, nisi post desolationem & destructionem (non solam diminutionem, vt Nouatores volunt) Romani Imperij; vt aperte colligitur ex Apostolo 2. Thess. 2. v. 6. vbi Apostolus de impedimento aduentus Antichristi loquens ait: *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc,* (Romanus scilicet Imperator) *teneat; donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus.* Id quod eodem modo docent omnes SS. Patres apud Bellarminum l. 3. de Romano Pontifice cap. 5.

Expresse Hieronymus q. 1. ad Algasiam eundem locum explicans ait: *Nisi fuerit Romanum Imperium ante desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus nõ veniet: tantum vt Romanum Imperium, quod nunc vniuersas gentes tenet, recedat, & de medio fiat; & tunc Antichristus veniet.*

186 Et in cap. 7. Danielis, idem Hieronymus: *Ergo dicamus*, inquit, *quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuident: tum vndecimum Regem parulum* (Antichristum) *surrecturum, qui tres Reges de illis decem superaturus sit; id est Ægypti, Africæ; Æthiopiæ Reges: quibus interfectis: etiam septem alij Reges Victori colla submittent.*

Et Chrysostomus hom. 4. in 2. Thess. *Quando Romanum Imperium*, inquit, *de medio fuerit sublatum, tunc ille veniet. Et merito: quamdiu enim fuerit metus huius Imperij, nemo cito subijcietur. Quando autem hoc fuerit euersum, vacans inuadet Imperium, hominumq; & Dei Imperium aggredietur rapere, &c.* Nemo autem Imperio fidelis dixerit, Romanũ Imperium nunc esse prorsus sublatum.

III. Non veniet Antichristus, nisi sub aduen-
187 tum Enoch & Eliæ; quos quidem necdum venisse; sed ante extremũ iudicium venturos constat, Malachiæ 4. Eccli 44. & 48. Matthæi 17. & Apocalypsis 11. v. 2. vbi dicitur: *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.*

IV. Tempore Antichristi erit *tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsq; modo, neq; fiet*, Matthæi 24. v 21. Ita vt idcirco etiam Satanas *modico tempore soluendus* dicatur Apocalypsis 20. v. 3. & 7. At vero tribulatio hæc magna nondũ facta apparet. Et maior haud dubie sub Nerone, Domitiano, Decio, Diocletiano persecutio Ecclesiæ fuit, quam his temporib⁹ monstrari possit: & plures Catholici vnius sæculi spatio ab hæreticis Caluinistis & Lutheranis, quam à Catholicis hæretici multis sæculis interfecti comperiuntur, vt videre est in libello de persecutione Anglicana, & in lib. de concertatione Ecclesiæ Catholicæ in Anglia, & in Theatro Caluinisticæ crudelitatis, & apud Florimundum Remundum vtraque parte historiæ.

Tertium argumentum sumitur ex duratione 188
regni Antichristi in Scripturis descripta. Nam præterquam quod nonnisi breue tempus aliquod Antichristi persecutioni attribuitur, Matth. 24. vers. 22. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Apocalyp. 12. vers. 12. *Sciens* (diabolus) *quod modicum tempus habet.* Apocalyp. 20. vers. 3. *Oportet illum solui modico tempore*: Sane ex scriptura perspicue constat, Antichristum solum regnaturum esse annos tres cum dimidio; cum tamen Pontifex Romanus, vndecunq; tandem ex sententia Sectariorum numerandi principium sumatur, aliquot centenis aũis regnauerit. Antecedens probatur ex varijs locis, in quibus duratio regni Antichristi varie describitur. Nimirum primo quidẽ per annos. Talis locus habetur Danielis 7. vers. 25. vbi de Antichristo dicitur: *Et putabit, quod possit mutare tempora & leges: & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et iudicium* (extremum) *sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsq; in finem.* Vbi prophetica phrasi *tempus* in singulari numero positum, vnum annum; *tempora*, duos annos; & *dimidium temporis*, dimidiam anni partem significant, vt omnes etiam Patres intellexerunt, & ex sequentibus est manifestum.

Idem repetitur Danielis 12. v. 7. vbi dicitur: *Vsque quo finis horum mirabilium? Et audiui virum, qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum eleuasset dextram, & sinistram suam in cœlum, & iurasset per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis.*

Et rursum Apocalypsis 12. v. 12. de persecutione Antichristi dicitur: *Væ terræ & mari; quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Et postquam vidit draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem,* (Ecclesiam) *quæ peperit masculum: & datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis*: nimirum quia tanto tempore duratura est grandis illa Ecclesiæ persecutio.

Secundo describitur idem tempus Antichristi 189
per menses. Talis locus est Apocalypsis 11. v. 2. vbi itidem de Antichristi persecutione dicitur: *Atrium quod est foris templum, eijce foras, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Vbi significatur, Antichristum regnaturum mensibus quadraginta duobus, qui & ipsi faciunt tres annos cum dimidio. Et quamuis hæc Bellarminus l. 3. de Pontifice c. 8. ad años & menses lunares accomodet, verius tamen existimo cum Suarez infra, de annis & mensibus solaribus (ad quos ipsi etiã Iudæi annos lunares reuocabant) esse intelligenda; propter dies mille ducentos nonaginta, de quibus infra, qui mẽses lunares 43. non 42. efficiunt, tribuendo singulis mensibus dies 30. solares autẽ menses plures non efficiunt, quam quadraginta duos, simul cum diebus duodecim; quorum tamen in annorum ac mensium

numeratione, quia numerum integrum in his non constituunt, nulla habetur ratio, vt dicetur.

Similis locus est Apocalypsis 13. v. 5. vbi de bestia Antichristum significante dicitur: *Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias: & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Vbi vides eõsonantiam & analogiam scripturarum inter se.

190 Tertio describitur idem tempus regni Antichristi, per dies, Dan. 12. v. 11. vbi à *tempore, cũ ablatum fuerit* (Antichristi persecutione) *iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem*, numerantur dies mille ducenti nonaginta. Vbi supra annos tres cum dimidio, & menses 42. numerantur dies 12. ad temporis præcisionẽ significandã, vt recte Suarez 3. par. tom. 2. d. 52. sect. 2.

Huic consonant duo alia loca, nimirum Apocalypsis 11. v. 3. vbi de Elia & Enoch, qui sua prædicatione Antichristi persecutionẽ obtundent & mitigabunt, dicitur: *Et dabo duobus testibus meis; & prophetabunt diebus mille ducẽtis sexaginta, amicti saccis.* Et Apoc. 12. v. 6. vbi de Ecclesia dicitur: *Mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*; nimirum ob Antichristi tyrannidem. Quo tamen vtroq; loco diebus triginta minus numeratur; qa nec prædicatio Enoch & Eliæ, nec fuga seu latebræ Ecclesiæ, tẽpus Monarchiæ Antichristi præcise adæquabunt, vt bene Suarez ibidem & Bellarminus l. 3. de Pontifice c. 8. & fusius docui in Dioptra fidei lib. 3. c. 10. tametsi alioqui dies illi 1260. cum supradictis annis & mensibus, si pro lunaribus accipiantur, exacte conueniant.

191 Quartum argumentum sumitur ex nomine, stirpe, & sede Antichristi. I. Nomen Antichristi conficiet numerum 666. idque erit notum ac vsitatum Antichristi nomen, vt patet Apocal. 13. v. 17. vbi dicitur. *Ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic Sapientia est: qui habet intellectum, computet numerum bestiæ*, (hoc est nominis bestiæ) *Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* At vero Pontifices Romani nullum eiusmodi nomen habent.

Quod enim de voce λατεῖνος & רומיית nugatur Chytræus, vanissimum est. Nam neque *Latinus* est nomen Pontificis: & vox ipsa *Latinus*, prout Romanum significat, græce scribitur per simplex iota, non per ει, sine quo tamen vox illa numerum 666. non constituit. Vox autem hebræa *Romijth* multo ineptius ad Pontificem accõmodatur; quãdo nomen illud fœmininum est, & *Romanam* significat, non *Romanum*, qui apud Hebræos est *Romi*. Deinde quis vnquam audiuit Romanum Pontificem dictum esse *Romijth*; quando vsitata eius nomina non sunt græca, vel hebraica, sed latina; & Ioannes author eius prophetiæ hebraice non scripsit, sed græce.

Longe vero ineptissimum est, quod nouissime delirauit Philippus Mornæus siue Plessæus in sua Papatus historia; quasi Antichristum Romanum in Paulo V. Pontifice, ex proprio eius nomine, veluti manibus prehenderit; eo quod hæc verba Paulo V. Vicedeo, conficiant numerum 666. Ingens delitium. I. Nomen Antichristi, in casu vtique nominandi, & recto, non in Datiuo aut ablatiuo, seu quouis alio obliquo (qui quoad numeros multis modis variant) prædictum numerum 666. conficere debet. II. Nomen illud debet esse adæquatum Antichristi; ita vt quisquis Antichristus est, tali nomine appellari debeat; quod tamen etiam iuxta Aduersarios, de illo nomine Pauli V. dici nullo modo potest. III. Nomen illud Antichristi referẽs numerũ 666. consuetum eius nomẽ esse debet, vt superius ex scriptura dictum. Quis autem vnquam Pontificem consueto nomine appellari audiuit *Vice Deum*? IV. Imo nec proprie hoc nomine appellari potest: quamuis enim sit Vicarius Christi secundum humanitatem; in qua natura is etiam est caput Ecclesiæ, vt suo loco dicetur; non tamen est Vicarius Christi secundum diuinam naturam. Deus enim vt sic Vicarium generalẽ proprie nõ habet, sed per se mundũ suprema authoritate gubernat.

Quod si ita in nominibus ludere liceret, facile esset, in aduersarios plura eiusmodi nomina cudere; quando nomen σὺξόνειος (quod non minus Luthero competit, quam Pontifici λατεῖνος) & רביך ביתורין, quod calumniatoris Chytræi proprium est, eundem numerũ 666. conficiunt, vti notauit recte Bellarminus l. 3. de Pontifice c. 10. Idem de plurib⁹ alijs, adnotauit Gaspar Scioppius in suo Alexipharmaco cõtra Plessæum sub fin. speciatim vero de sequentibus hæresiarcharum nominibus, siue appellationibus: Calvinvs Notvs Pæderasta Theodorvs Beza Vecelivs. &c. Plura vid. apud eundem. 192

II. Antichristus nascetur ex stirpe Iudæorum; à quibus etiam recipietur pro Messia, vt patet Ioañis 5. v. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illũ accipietis*; & SS. Patres concorditer tradunt. At vero ab anno DCVI. quo volunt aduersarij Antichristum venisse, constat. Pontificem Iudæum nullũ fuisse, multo minus à Iudæis pro Messia agnitum. 193

III. Antichristus Romæ non sedebit, vt Sectarij impudenter cõtendunt; sed Hierosolymis, vt aperte colligitur ex Apocalypsis 11. v. *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso* (Antichristus) *faciet aduersum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus* (nimirum à Prophetis, Isaiæ 1. v. 10. Ezechielis 16. v. 26. 49. 56. &c.) *vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Ob quam causam etiam SS. Patres tradunt, Antichristum restauraturum templum Hierosolymitanum, vt in eo velut Deus adoretur, iuxta illud 2. Thess. c. 2. v. 4. *Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* 194

Quintum argumentum sumitur ex factis Antichristi in scriptura descriptis, quæ in Romanos Pontifices minime conueniunt: ille enim faciet ignẽ de cœlo descendere; & vt imago bestiæ loquatur; finget se mori & resurgere, vt habetur Apocalypsis 13. à v. 13. Antichristus tres Reges; nimirum Ægypti, Lybiæ, atque Æthiopiæ expugnabit & occidet, orbis Monarcha futurus, vt habetur Danielis 11. à vers. 40. Ingenti prælio (quod prælium Gog & Magog vocatur) & 195

perse-

persecutione Christianos toto orbe constitutos persequetur, Apoc. 20. v. 7. Nihil autem horum factum est à Pontificibus. Denique Antichristus, vt dicitur Apocal. 13. v. 16. *faciet omnes pusillos & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos & seruos, habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis; & ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerũ nominis eius.* Talis autem character de Romano Pontifice assignari nullus potest, nisi vanissimis & ridiculosissimis commentis.

196 Sextum argumentum sumitur à doctrina Antichristi, quæ à doctrina Pontificis Romani erit diuersissima. Nam I. Antichristus auferet *iuge Sacrificium*, quo nomine aliud intelligi non potest, quam Missæ sacrificium, quod in Ecclesia iugiter & continuato vsu publice celebratur. Danielis 12. v. 11. id quod Lutherus quidem, cum suis Antichristi prodromis, auferre conatur; sed à Pontifice est alienissimum.

II. Antichristus *aduersabitur, & extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*: hoc est, nullius Dei cultum profitebitur, sed seipsum pro Deo venditabit, 2. Thess. 2. v 4. siue vt Irenæus loquitur l. 5. c. 25. *Ille veniet idola quidem seponens, ad suadendum, quod ipse sit Deus; se autem extollens vnum idolũ.* Quod non incredibile videbitur ijs, qui sciunt, à Gentilibus etiam serpentes, boues, aliaque bruta animalia pro Deo culta fuisse; vt & statuam Nabuchodonosoris à Chaldæis, adoratam Dan. 3. ipsumq; etiam Simonem Magum à multis pro Deo glorificatũ fuisse, vt testatur Irenæus l. 1. c. 20. Cyrillus Hierosolymitan⁹ catech. 6. Clemẽs l. 6. constit. Apost. c. 9. Iustin⁹ in apologia p Christianis, Arnobi⁹ cõt. gẽt. l. 2. Epiphani⁹ hæres. 21. Eusebi⁹ l. 2. c. 14. Theodoret⁹ l. 1. hæret. fabul. c. 1. & Augustin⁹ de hæres 1. Id vero nulli⁹ Põtificũ facit.

197 III. *Deum Patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit: quia aduersum vniuersa consurget. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur.* Vbi verò Pontifex abnegato Deum Patrum suorum, nouum Deum eius loco colendum suscepit? Nam quod Sectarij aiunt, *Deum Maozim* esse Missam, seu vt vocant, *Deum Missaticum*, vanissima calumnia est, ipsismet Sectarijs aduersa. Nam præterquam quod ipsum Missæ Sacrificiũ non nisi Deo vero offertur; *Deum Maozim*, (si quidem hoc nomen à Missa deriuatum velint) eiusque cultum necessario ipsimet sectarij profiteri debent, quando Missę vsum à se suisque magno studio retineri, in ipsa confessione Augustana profitentur: *Falsò*, inquiunt, *accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerẽtia celebratur. Seruantur & vsitatæ cæremoniæ fere omnes.* Retento vtique etiam illo cultu externo, auro, argento, gemmisque radiante, quem hodie Antichristi notam impudenter statuũt. vid. Confess. August. de abusibus art. de Missa.

IV. Antichristus negabit Patrem, & Filium, & Iesum esse Messiam, Ioannis 2. v. 22. ac seipsum pro Messia venditabit: *Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis*; (nempe pro Messia) Ioannis 5. v. 43. Quod nullus Pontificum fecit.

V. Antichristus *blasphemabit tabernaculũ Dei, & eos qui in cœlo habitant*, Apocalypsis 13. v. 6. Hoc autem sectarij faciunt, cultum & inuocationem Sanctorum impie negantes, seque ipsos quoad sanctitatem Cœlitibus æquantes; quos Catholici cum Pontifice magna veneratione colunt & reuerentur. 198

Deniq; cum scriptura tam aperte Romani Põtificis, eiusque Cathedræ officium, auctoritatem, & potestatem asserat, dicente Christo. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Pasce agnos meos, Pasce oues meas*, &c. vt superius fuse persecuti sumus: annõ merissimis nebulis & calumnijs aduersus scripturas grassantur, qui tam apertis scripturæ testimonis obluctantes, obscurissimis quibusdam sententijs, vanisque & confictis interpretatiunculis ex male sano cerebro exsculptis, plus fidei & auctoritatis tribuunt?

Legant nobis sectarij tam claras scripturas: *Petre non super te, vel Cathedram tuam, fundata est Ecclesia. Et hæc ipsa Ecclesia aliquando superabitur diabolica potestate, totaq; Antichristo seruiet. Ego quidem pro te rogaui Petre, sed fides tua in posteris tuis deficiet; & ex Christiana Ecclesia fiet Antichristiana &c. Legite nobis*, ait iam olim in simili causa contra Donatistas, obscuris itidem scripturis Catholicos impugnantes, Augustinus lib de vnit. Ecclesiæ. *Legite nobis hoc de lege, de Prophetis, de Psalmis, de ipso Euangelio, de Apostolicis literis: Legite & credimus, &c. Legite tam aperta, quam sunt ista, &c.* 199

Et cap. 5. *Prorsus*, inquit, *quæ alicuius vel talis interpretationis indigent, interim seponamus; non quia falsa sunt, quæ hoc modo de talibus tanquam inuolucris interpretando soluuntur: sed quia vel interpretem quærunt, nolo in eis nostra ingenia comparentur; sed aperta veritas clamet, & luceat, & obduratas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat. Nemo in eis latebris quærat falsæ sententiæ locum.*

Iam vero qualia sunt hæc, contra scripturas apertas, alias quasdam obscuras & ænigmaticas producere, easque multo adhuc obscurius, imo vanius interpretari; & nihilominus iactare, has esse demonstrationes scripturæ, quibus aliaquæuis loca, etsi clarissima, vna cum tota veteri Ecclesia, Sanctorumque Patrum sensu & sententia cedere debeant. Oportebat sane Prædicantes suæmet Apologiæ Confessionis Augustanæ memores esse, in qua titulo de Sacrificio Missæ adeo dogmaticè & asseueranter traditur *Allegoriæ non pariunt firmas probationes.* Quod si verum est, quid ergo sibi volunt illa allegoricorum Prædicantium dogmata, quibus sua illa de Antichristo deliramenta velut ex ipsa scriptura diuina potissimum fulciunt? *Edom*, id est Lutherani Martyres; *Moab*, id est, simplices Christiani, *Principium filiorum Ammon*, hoc est, infantes ante baptismum mortui: *Oriens*, id est, exortus Euangelij Lutherani; *Aquilo*, id est, Lutherus seu prædicatio Lutheri; *Elias & Enoch*, hoc est, Ministrorum Pseudoeuangelicorum caterua. *Dies 1260. seu menses 42.* hoc est, mille anni, & amplius: *Ægyptus, Lybia, Æthiopia*, hoc est, non Ægyptus, non Lybia, 200

non Æthiopia, sed aliqua alia regio, nescio vbi. Quæ omnia part. 2. Anatomiæ Confess August. demonstrat. 5. §. 13. à num. 235. fusius prosecutus sum.

201 Et vero morem hūc ad proprios sensus inuertendi scripturas nec per se difficilem & iam olim hæreticis perquam fuisse familiarē, optime inter alios notauit Tertullianus de præscript. cap. 38. & 39. vbi etiam nō veretur dicere, *ipsas quoq; scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent: cum legamus, Oportere hæreses esse, quæ sine scripturis esse non possent.* Et in eundem sensum Hieronymus epist. ad Paulinum: *Multi*, inqt, *nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suū incōgrua aptant testimonia: quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas & Virgiliocentonas ac sic non etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum &c.* Similia habent Irenæus lib. 1. contra hæres. cap. 1. & Cyprianus lib. de vnit. Ecclesiæ cap. 9. Sed hæc de scriptura satis.

202 Assertio II. Dicere Romanum Pontificem esse Antichristum, est insignis iniuria aduersus SS. Patres, qui eundem semper pro sumo pastore & capite Ecclesiæ venerati sunt. Probatur & declaratur assertio. Nam vtique grauis aduersus SS. Patres contumelia est dicere, Sanctissimos & doctissimos Patres, qui per mille hacten⁹ & amplius annos in Ecclesia floruerunt, tam grauiter fuisse lapsos, vt Antichristum, hoc est summum Christi hostem & aduersarium, pro Christi Vicario, & Summo Ecclesiæ Pastore haberent; neque tot & tantas Scripturas, quæ de Antichristo extant, quasque Sectarij velut euidentissimæ veritatis argumenta iactant, vlla ex parte intelligerent, sed ab ijs tam diuersa summo consensu traderent. 1. Antichristum esse vnum singularem hominē. 2. Antichristum ex stirpe Iudæorum nasciturū. 3. Antichristum à Iudæis pro Messia receptū iri. 4. Antichristum non diutius regnaturum, quam tribus annis, cum dimidio. 5. Sub Antichristi tempus adfuturos Enoch & Eliam, qui sua prædicatione eius tyrannidi obsistant. 6. Antichristum seipsum pro Deo venditaturum. 7. Antichristum non venturum, nisi sublato Romano Imperio: & similia, quæ Patres vnanimi consensu tradiderunt.

203 Respondet ad hoc Hunnius art. de Ecclesia fol 406. *Veniam dandam esse Patribus, quod cum illorum ætate vaticinia illa essent adhuc obsignata & clausa, & Antichristus nondum plane in apertum erupisset, eum minus agnouerunt.* Et fol. 440. *Patrum sane hac in parte errorem & ignorantiam excusat ipsa ratio temporis.*

In alio autem libro apologetico, qui eiusdem simul Hunnij & Hailbrunnerij nomine sub titulo *Antitanneri* editus est pag. 381. vlterius progressus, vult neque Danielem quidem Prophetam mysterium hoc in specie agnouisse, iuxta illud Danielis 12. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsq; ad tempus statutum; plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* 204 Et infra: *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones vsque ad præfinitum tempus. Cum ergo Daniel ipse testetur*, inquiunt hæretici, *ne se ipsum quidem in specie alia intellexisse, sed esse ea clausa & obsignata, & illustrem eorum notitiam reseruari vsque ad nouissima tempora, vbi multi ex euentu rerum inuenturi sint multiplicem scientiam: plane confidimus, nos DEI voce per hunc Prophetam & Legatum Domini ab arrogantiæ crimine absolui; si maxime gratis mentibus agnoscamus, nos qui in ipsum tempus reuelationis Antichristi incidimus, esse DEI beneficio Patribus hac quidem in parte oculatiores, vtpote quorum tempore nondum ita in apertum eruperat Antichristus; & vaticinia omnia tum demum liquidius intelliguntur, quando euentu res prædictæ adimplentur.* Sed rursum pag. 402. *Neque nos*, inquiunt, *tantillum mouet, hac quidem in parte auctoritas Patrum.* Ita impudentissimi homines; qui hac in re non tantum SS. Patribus, sed ipso etiam Propheta Daniele sese oculatiores scientioresque iactare non verentur; simulque id, quod Daniel de die Iudicij mortuorumque resurrectione, velut in diuinis secretis reponendū scripserat, ad ipsam mediam Christianæ Ecclesiæ ætatem referre.

Neque vero nisi vanissimum huius impudentiæ prætextum adhibent. 205 Aiunt, diuersam rationem temporis rem hanc eandem & Patribus olim obtexisse, & sibi nunc in aperto posuisse; quia eorum tempore nondum ita in apertum eruperit Antichristus, & vaticinia omnia tum demum liquidius intelligantur, quando euentu res prædictæ adimplentur.

Sed cum plerique ipsimet asserant, Pontifices iam à temporibus Gregorij Magni, ante annos circiter mille, in Antichristos degenerasse, nec tamen vllus ex Patribus aut Doctoribus, qui his mille proximis annis vixerit, inueniatur, qui vt volunt aduersarij, natum iam Antichristum vel per somnium cogitarit, plane nulla temporis, aut impleti vaticinij ratio impudentissimam Sectariorum insaniam vllo modo excusare potest; quando se etiam post impleta, vt aiunt, vaticinia, cunctis Patribus & Doctoribus, qui his mille annis vixerunt oculatiores, intelligentioresque iactitant.

Quid enim? An circumstantiæ temporis & 206 personarum, quas nunc iactant hæretici, eædem etiam his mille proximis annis non erant? an doctrina Romanæ Ecclesiæ, an primatus, (præcipuæ nimirum illę circumstantię, ex quibus modo Antichristum exsculpere nituntur aduersarij) non æque eo tempore ac nostro vigebant? An Romanus Pontifex Caput Ecclesiæ se palam non asserebat? an toti Ecclesiæ leges non ferebat, & quidem eas ipsas, quas nunc maxime calumniantur Sectarij de cælibatu Sacerdotum, de monasticis institutis, &c. An Missas (& quem isti calumniatores impudentissime *Deum Maozim & Missaticum* appellant) non palam, non magna solemnitate ac pompa, auro, argento, gemmisque radiante, non celebrarunt? an etiam Imperatoribus in spiritualibus & temporalibus, ita quidem vt nunc facit, ius non dicebat? Sed legatur 207 vel solius S. Gregorij registrum, an minus hac in re sibi potestatis vindicauerit, quam nunc factitare soleant Romani Pontifices.

Cur

Cur ergo ex his circumstantijs, adeo, vt ipsi quidem dicunt, luculentis Antichristi indicijs, natum Antichristum, Patres sanctissimi & doctissimi nõ agnouerunt? cur in describendis proprietatibus & conditionibus Antichristi adeo ab aduersarijs dissentiunt? aut quænam tandem est illa circumstantia temporis, vel adimpleti aduent9, quæ aduersarios ab impudentissima insania excusset; dum se tot SS. Patribus oculatiores faciunt; eisq; adeo procaciter insultant, noctuæ aquilis; muscæ elephantis; hirci leonibus, homines animales viris sanctissimis?

208 Sed cum nec vetus Ecclesia Catholica, siue quoad reliquam fidei doctrinam, siue quoad Romani Pontificis obseruantiam ac æstimationem, ab Ecclesia Catholica, quæ abhinc mille proximis annis floruit, vlla ex parte dissenserit, vt superius quæstione 3. dub. 4. ostensum, paris profecto impudentiæ est, siue his, qui abhinc mille annis vixerunt Patribus, siue etiam ijs, qui eosdem sex fere antea sæculis antecesserunt, quoad reuelati Antichristi notitiam intelligentiores se iactare, ac insuper proclamare, vti Hunnius facit cit. Apologetico cap. 5. *dicere Antichristum*, vti omnes SS. Patres dixerunt, *vnam singularem personam futurum, esse fatuum, & in diuinis litteris inscitiã non excusandam.* Hæc de Patribus.

209 Assertio III. Dicere Pontificem Romanum esse Antichristum, est insignis iniuria aduersus ipsum Romanum Imperium, omnesq; Principes Catholicos. Hęc ipsa fuit vox & publica protestatio Sereniſſimi Principis, ac Vtriusque Bauariæ Ducis, & nunc etiam S. Romani Imperij Electoris Maximiliani, in postremo Colloquio Ratisponensi Anni M. DC. I. sess. 13. cum ad obtundendum impudens os Hunnij non minus erudita, quam libera voce diceret: *Vos appellastis Romanum Pontificem Antichristũ: quæ est iniuria insignis & clarißima; & hoc nunquam probabitis.* Et rursum: *Imo est insignis iniuria, quæ redundat in omnes Catholicos*, vt videre est in editis Actis eiusdem Colloquij.

210 Probatur & declaratur assertio. Nam si Pontifices Antichristus sunt, per Antichristum Romanum Imperium acceperunt Franci, & postea Germani, laudatissimi Imperatores; Antichristus Imperatoris eligendi auctoritatem tribuit Germanis Principibus; idololatras & Antichristi prostibula, nullos vnquam vere Christianos Principes ac Imperatores, ante Lutherum, habuit Germania; imo nec terrarum orbis; quando omnes Reges & Principes Christiani, ante Lutherum, sese Romano Pontifici subiectos & obnoxios profitebantur, tanquam oues Pastori, tanquam discipulos Magistro, tanquam filios patri.

Deinde si Romanus Pontifex iam mille annis in Antichristum degenerauit, necesse est, à totidem iam annis sublatum fuisse Romanum Imperium; cum hæc sit certa quædam nota aduentus Antichristi, vt superius ex Apostolo & SS. Patribus dictum: hoc autem sine iniuria Romani Imperij, in Augustissimo & felicissimo Imperatore Ferdinando etiamnum florentis, dici nequaquam potest.

Sed quid ad hæc Hunnius & Hailbrunnerus in suo illo Apologetico pag. 396. *Pontifices*, inquiunt, *Romani transtulerunt Imperium Romanum de gente in gentem; nunc ad Francones, mox ad Germanos: Ergo re & facto demonstrarunt, se vere esse Antichristum, de quo Spiritus Sanctus in diuinis litteris vaticinatus est Danielis 12.* (potius 11. v. 39.) *vbi de Antichristo dicitur, quod terram diuisurus sit ijs, qui iuuant illum in muniẽdo Deum Maozim, id est, cultu & Deo Missatico.* 211

Nimirum huc vsque euasit Maiestatem calumnandi impudentia, à cõcessa semel, vt existimant, impunitate peccandi profecta. Sed etsi mille scripturæ prætexantur, mentitur ipsa iniquitas sibi. Nam Pontifex transferendo Imperium ad Carolum Magnum, vllam terrarum possessionem ei largitus non est: sed quascunq; terras Magnus ille Carolus, felicissimis auspicijs, & plane diuino nutu prim9 è Francis Imperator obtinuit, earum possessionem partim hæreditate, partim armis acquisiuit; à Pontifice solummodo ius & titulum ac dignitatem Imperatoriam adeptus. Quomodo ergo Pontifex *terram diuidit, aut diuisit gratuito* in Christianos Principes, cum ipsum alioqui Pontificem suas quas habet terras, à Christianis potius Principibus accepisse conquerantur aduersarij? De Missatico Deo, & deuotione Sectariorum aduersus eundem, iam superius diximus.

Obijciunt secundo locum ex Apocalypsis 13. 212 vbi *Ioannes*, inquiunt, *introducit Papam, vel bestiam habentẽ cornua duo simillima agni; sed loquentem instar draconis; deq; ea bestia perhibet, quod plagam, quæ primæ bestiæ decicorni, id est, Romano Imperio inflicta fuerat, per barbaros populos Italiam vastantes, rursum fuerit curaturus; euocando nimirum ex Gallijs Carolum Magnum, cuius adiutus copijs, populos illos ex Italia eiecit & Imperium ad Francos transtulit.*

Respondetur his calumnios is commentis duo 213 falsa supponi. Primum, per bestiam primam significari Romanum Imperium; cum vt veteres scriptores exponunt, & ipse contextus scripturæ aperte indicat, eo nomine intelligatur Antichrist9. I. Quia Ioannes vaticinando ait v. 1. se vidisse *de mari bestiam ascendentem*: at vero Romanum Imperium tempore S. Ioañis dudum fuerat constitutũ.

II. Dicitur vers. 2. *draconem*, hoc est, Satanam *dedisse bestiæ illi virtutem & potestatem magnam.* Atqui Romanum, & præsertim, vt nunc est, Christianum Imperium potestatem suam à Deo habet, non à diabolo.

III. Ioannes ibidem vers. 3, ait, post curatam plagam bestiæ fuisse *adoratum draconem*, hoc est, Satanam. At vero translato Imperio ad Carolum Magnum, non adoratus, sed studio pijssimi Imperatoris profligatus potius fuit ex occidente Satanas, multis Germaniæ & Franciæ populis ex eo tempore ad fidem conuersis.

IV. Bestia illa prima, iam à vulnere sanata, *aperuit os suum in blasphemias ad DEVM, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant.* ibidem v. 6. Quæ Antichristi propria sunt, & à Carolo Magno, eiusque Successoribus, Dei Sanctorumq; cultui addictissimis alienissima.

214 V. De eadem bestia dicitur ibidem v. 5. *Data est ei potestas facere menses quadraginta duos*; quod verissime Antichristo, nullo autem modo Imperio Romano conuenit.

VI. Cura & studio bestiæ secundæ adorabitur bestia prima ibidem v. 12. At Romanum Imperium, Antichristo procurante, nunquam adorabitur, qui se ipsum solum volet adorari.

VII. Tempore Antichristi regnantis, non amplius extabit Romanum Imperium, vt Patres ex scriptura euidenter docent: Ergo non potest intelligi per priorem bestiam à secunda bestia adoratam.

215 Secundo non minus falsum est, per bestiam illam secundam, habentem cornua duo, intelligi aut Antichristum, aut Romanum Pontificem. Primum euidens est ex eo. Nam de secunda bestia dicitur ibidem v. 12. *Fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam*; quod nunquam faciet Antichristus, qui seipsum pro Deo ac summo Monarcha venditabit. Deinde de bestia secunda dicitur ibidem v. 12. *Facturam potestatem prioris bestiæ omnem in conspectu eius.* At quomodo Antichristus potestatem prioris bestiæ fecit, si per eam Romanum Imperium intelligatur?

216 Non minus falsum est, per bestiam secundam designari Papam: quod totidem quasi argumentis refellitur, quot eo loco sunt verba S. Ioannis. Sed pauca quædam attigisse sufficerit. I. ait Ioannes v. 13. *Feciſſe ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram, in conſpectu hominũ.* At quis Pontificum hoc vnquam fecit?

II. Dicet habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ prioris; eique ementito quodam miraculo, quasi spiritum & loquendi facultatem impertiet, ibidem v. 15. Hoc vero quis, quando, aut vbi fecit Pontifex?

III. faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur ibidem v. 15. At quis Pontificum hoc vnquam fecit; etiamsi per bestiam illam priorem intelligeretur Romanum Imperium?

217 IV. Quæ de charactere bestiæ circumferendo dicuntur, ad Pontificem applicari non posse, superius dictum est assert. 1. argum. 5.

Tertio obijciunt pag. 397. illud ex Apocalypsi 17. vbi calumniantur, *Papam introduci vt scortum nobile, quod insideat decicorni bestiæ, eamque subigat & tractet pro libitu, Regesque terræ veneficijs ac vino prostitutionis suæ dementet.* Et in eundem sensum Hailbrunnerus in suo Acatholiconte pag. 439. *quicquid honoris, reuerentiæ, obsequij & officij ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus Christianis præstitum est Romano Pontifici, id*, inquit, *iniuria temporum accidisse: quin etiam hoc modo impleri debuisse Prophetiam Apocalypsis 17. v. 2. & cap 18. v. 3. Reges terræ cum magna meretrice Babylonica fornicaturos. Quod si hæc iniuria sit, posse Iesuitas, eorumque socios, cum Ioanne, cum Christo, & ipso Spiritu Sancto, qui hæc dictarunt aut reuelarunt, expostulare.*

Sed hanc execrabilem & vanissimam calumniam non tam Romano Pontifici, quam Romano Imperio contumeliosam, & in ipsum Spiritum Sanctum sacræ scripturæ authorem iniuriosam, ipsa scriptura euidenter redarguit. I. Dicitur mulier illa *ebria de sanguine Sanctorum*, v. 6. At quinam Pontifices Sanctorum adeo copioso sanguine maduerunt? nihil plane de hoc historiæ habent; cum è contrario plurimi Pontifices sanguinem pro fide fuderint. Quod si vel hæreticos diaboli Martyres nobis dabit Hunnius, nos semper vnius loco centum Catholicos Dei Martyres, ab hæreticis, aut Ethnicis interemptos reddemus.

II. Bestia cui mulier insidere dicitur, habet 218
capita septem, & cornua decem, ibidem v. 7. Per septem autem capita significari *septem montes, & septem Reges*, ipsemet S. Ioannes inferius declarat. Qui etiam addit, ex illis *quinque cecidisse, vnum esse, & alium nondum venisse; & cum venerit, oportere illum breue tempus manere* ibidem v. 10. Quinam autem sunt septem illi Reges, qui Romano Imperio tanquam capita prædicto modo inhæserint?

Dicerent forte aduersarij, esse septem Electores Imperij; nisi à suismet sibi Principibus Electoribus timerent. Verum id etiam nec scriptura, nec historia admittit. Nam 1. Antichristus, secundum aduersarios, iam multo ante hanc Septemuirûm dignitatem constitutam exortus fuerat. 2. Electores septem non sunt *Reges septem*, sed vnus tantum illorum Rex est. 3. Ex septem illis Regibus, ait Sanctus Ioannes, *quinque cecidisse, vnum esse, alium nondum venisse*: quæ nec per somnium quidem Electoribus Imperij aptari queunt.

III. Dicitur ibidem v. 14. quod decem Reges 219
cum Agno pugnaturi, & ab Agno vincendi, vna cum bestia desolatam facient fornicariam, ipsamque igne concremabunt. Atqui Pontificia Cathedra nunquam hactenus desolata fuit, multo minus igne cremata; nec vnquam igne cremari poterit, vtpote spiritualis. Neque dici potest, quinam sint futuri decem illi Reges infideles, qui potestate sua bestiæ, hoc est, vt vult Hunnius, Romano Imperio traditâ, Antichristum simul & Pontificem impugnaturi sint.

IV. denique ipsemet Ioannes aperte declarat, per mulierem, non Pontificem, non Pontificiam Cathedram, sed ciuitatem; nec ciuitatem quamlibet, sed iam tempore S. Ioannis orbis dominium habentem designari, qualis quidem tunc sub Imperatoribus Ethnicis erat Roma, minime vero Pontifex. Et mulier, inquit ibidem v. 18. *quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ.* In quem sensum post Tertullianũ, & Hieronymum; ita etiam aperte de muliere docent Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap. 2. & l. 3. cap. 13. Franciscus Ribera & Blasius Viegas in Apocalypsis cap. 17. vt per eam scilicet intelligatur Romana vrbs, non qualis iam est, fidem Christianam professa, Romanisque Pontificibus subdita, sanctitatis & fidei Magistra, & vt ait Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, quæ *scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione deleuit, vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apostoli voce laudata*: sed qualis circa tempora Sancti Ioannis Apocalypsin scribentis erat, idololatriæ

princeps, superstitionum auctrix, Christiani nominis crudelissima insectatrix, & sub Neronis ac Domitiani, & paulo post sub Traiani dirissimis persecutionibus, multorum millium Martyrum sanguine ebria; qualem etiam excussa Romani Pontificis obedientia; denuo circa finem mundi futuram non contemnendis argumentis quidam sibi colligere videntur. Hæc vrbs talis, & tam detestabilis, adeo prona diaboli ope nixa, vt planissime ac sigillatim citati authores declararunt, per illam mulierem bestiæ, hoc est, diabolo, non Romano Imperio insidentem designatur. Pontificem autem, vel Sedem Pontificiam, aut Ecclesiam Romanam, per mulierem; & simul per bestiam Romanam Imperium significari, ne somnianti quidem sobriè videri potest, & apertissima est aduersus totam Christi Ecclesiam, ipsumque Spiritum sanctum blasphemia, vt dictum.

221 Quod autem aduersarij præterea quorumdam Christianorum & Catholicorum Imperatorum priuatis tamen de causis male in certos quosdam Romanos Pontifices affectorum, exulcerati pectoris scommata quædam & conuitia in eosdem Romanos Pontifices obijciunt, speciatim Friderici II. Ludouici IV. Henrici IV. faciunt illi, quod canes patellarij solent, qui ejecta ab exulcerato pectore phlegmata tanto suauius lingunt & exsugunt, quanto in se horridiora & fœdiora sunt: cum tamen interim constet, eos ipsos Imperatores alioquin Romanam in se Cathedram magna reuerentia coluisse, eidemque se subiectos agnouisse, vt particulatim ostendi in Apologetico relationis de Colloquio Ratisponensi cap. 16.

222 Assertio IV. Dicere Romanum Pontificem esse Antichristum, est insignis iniuria in vniuersam Christianam Ecclesiam. Probatur & declaratur assertio. Nam si Romanus Pontifex Antichristus est, iamque, vt dicunt, à multis annis fuit, Antichristi opera Christum edocti sunt Frãcones, Saxones, cæteri Germani, item Poloni, Dani, Moraui, Bohemi, Vngari, & nostro æuo Indi, Iapones &c. quos Romanæ Ecclesiæ Sacerdotum labore & studio, in Christum credidisse, nec Sectarij negauerint, imo centuriatores ipsi Centuria 1. lib. 2. cap. 10. & Centuria 7. cap. 2. & Cent. 8. cap. 2. testantur: & publica notitia constat, Augustinum, Patritium, Maternum, Chilianum, Bonifacium, Swibertum, Rupertum, aliosque Septentrionalium prouinciarum Apostolos à Romanis Pontificibus missos, in Anglia, Hybernia, Germania Christi Euangelium prædicasse, eosque populos ad Christi fidem conuertisse. Talia ne faciat Antichristus? Abiuratus Christi hostis & aduersarius de quo scribit Apostolus 2. Thess. 2. *quod extolletur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*; seu qui vt vaticinatur Daniel cap. 11. *Deum Patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit.*

223 Et friuolum nimis est, quod Hunnius & Hailbrunnerus in Apologetico pag. 389. dicũt, intelligi facile posse Antichristi opa populos ad Christum fuisse conuertendos. *Si quidem & Iudas*, inquiunt, (*quem Christus diabolum nominat Ioannis 6.*) *in Christiana Religione homines erudiuit, doctrina simul & miraculis. Quin etiam Scribas & Pharisæos, aiunt, circumisse mare & aridam, vt gentes ad suam religionem conuerterent, & tamen ab ipso Christo fuisse dictos fures & latrones.*

Sed nugæ sunt istæ. Nam primum in studio veræ fidei propagandæ, quæ comparatio Iudæ, & Pharisæorum, qui circumeuntes mare & aridam vix vnum proselytum, aut Christianum faciebant; & Romanorum Pontificum, quorum opera tot populi conuersi sunt? Deinde aliud est, malum esse priuatis moribus, & professione ac officio bonum, quales fuerunt Iudas & Pharisæi: aliud, & moribus, & professione ac doctrina simul omni modo execrabilem, Christoque aduersarium esse, vt Antichristum futurum esse, supra ostendimus.

Ostendant illi de Antichristo similiter, vt de Scribis & Pharisæis à Christo pronuntiatum, *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, &c.* Matthæi 23. vel vt de Apostolis; *Qui vos audit, me audit*, Lucæ 10. & tunc fatebimur, nullam iniuriam Christo & Ecclesiæ facere, qui tot populos Antichristi opera ad Christi fidem conuersos dixerit. Vt interim taceam, à Christo non Pharisæos & Scribas, sed eos, qui se ante Christum pro Messia impudenter iactarunt, fures & latrones vocatos esse.

Assertio V. Dicere Romanum Pontificem esse Antichristum, est doctrina calumniosa, nec in Imperio hactenus publica fide tolerata; nec cum doctrina & principijs Pseudoeuangelicorum Prædicantium, à quibus iactatur, consentiens; quamuis ex communi alioqui omnium hæreticorum principio, manifestarijque hæretici doctrina hausta. Hæc assertio quoad singulas partes probatur & declaratur. Primum enim calumniosam hanc doctrinam in Imperio hactenus communi auctoritate & consensu toleratam non esse, nec adeo communi pacificationis formula comprehendi, ita probatur: quia hactenus omnes formulæ pacificationis in Imperio editæ, ad duas tantum Religionis formulas pertinent; Catholicam scilicet, & eam, quæ Confessionis Augustanæ dicitur, vti patet ex Recessu imperiali edito in Comitijs Augustanis Anno 1555. vbi non solum Concordia Passauiensis confirmata, sed insuper etiam plena & absoluta, quoad vtramque Religionem, pacis formula constituta & sancita fuit; addita tamen hac expressa restrictione: *vt omnes aliæ Religiones, quæ cum alterutra prædicta* (Catholicâ, & Confessionis Augustanæ) *non conspirant, in hac pacificatione non contineantur, sed omnino excludantur.* Iam vero Pontificem Romanum esse Antichristum, in tota Confessione Augustana nusquam habetur: Ergo cum sit alioqui dogmã adeo exorbitans, & probrosum ac iniuriosum non solum Romano Pontifici, sed etiam toti Imperio Romano ac vniuersæ Christianæ Ecclesiæ, vt dictũ, non est existimandũ, impunitatẽ & securitatem, quæ alioqui fidei & doctrinæ

224

Confes-

Confessionis Augustanę indulta est, etiam ad hoc ipsum tam prodigiosum & execrabile dogma extendi.

225 Secundo vero id ipsum dogma, eiusque dogmatis propagationem non satis cohærere cum ipsorum Prædicantium præcipue Lutheranorũ, religione & principijs, pluribus argumentis declaratur. I. Quia in ipsa eorum explicatissima fidei professione, nimirum in Confessione Augustana Carolo V. Imperatori Año 30. oblata, nulla eius dogmatis facta est mentio vt dictũ. Quod si hic adeo necessarius est fidei Lutheranæ articulus, cur in sua Confessione, quam à claritate & integritate adeo collaudant, hanc suam fidem professi non sunt? an forte timebant, ne propter hanc suam fidem seu perfidiam diaboli calumniatoris Martyres frerent Prædicantes? aut certe ne fortassis confessio tali in ipsum Romanum Imperium contumelia & probro cõspurcata, in pacis ac conniuentiæ, seu impunitatis ciuilis fœdus & societatem non admitteretur? Sed videant Prædicantes, ne ob hoc ipsum, quod huic contumeliæ, grauissimæque in Imperium Romanum iniuriæ impunitas adpromissa non est, ad promeritas ipsi authores eius cõtumeliæ pœnas aliquando deposcantur.

226 II. Si Pontifex Romanus Antichristus est, reliqui vero Episcopi Catholici, commilitones & socij Antichristi, necesse est, vt Pseudoeuangelici Ministri suæ vocationis & potestatis iurã ad ipsum Antichristum referant: quandoquidem ij, qui vel sapientissime ex ipsis vocationis iura prosequi ac tueri sibi videntur, ea ad Romani Pontificis, ac Episcoporum Catholicorũ auctoritatem ac potestatem referunt. Quam autem ijs honorificum sit, nouoque eorum Euangelio decorum, vocatione Antichristiana niti ac fulciri, ipsi viderint. Nos quidem illis talem honorem non inuidemus.

227 III. Fundamenta, quibus aduersarij hanc calumniam potissimum fulciunt, sunt partim quædam Prophetiæ obscuræ Danielis, quas sensu allegorico suo arbitratu explicant; partim est ipse liber Apocalypsis Sancti Ioannis. At vero neutrum fundamentum ab aduersarijs firmum & solidum haberi potest. Primo, quia ex allegorico sensu firmum argumentum non duci, ipsimet in Apologia Confessionis Augustanæ profitentur tit. de Sacrificio Missæ, vbi asseueranter pronuntiant: *Allegoriæ non pariunt firmas probationes.*

Deinde cũ Lutherus olim præfatione in Apocalypsin adeo diserte testatus sit, *se librum Apocalypsis nec pro Apostolico nec prophetico habere; sed pro tali, qui similis sit libro quarto Esdræ: cuique suus Lutheri spiritus se accommodare nullo modo possit*: qua conscientia Prædicantes, quoue spiritus impulsu, eundem librum Apocalypsis ita nunc contra sui Prophetæ & Euangelistæ Lutheri antiquum illud iudicium ac sententiam, ex prophano sacrum, ex apocrypho authenticum, ex non Canonico Canonicum facere audent; vt eum nunc velut præcipuum nefarij illius sui contra nos dogmatis de Antichristo fundamentum ac principium constituant?

Aut enim sanctus fuit spiritus Lutheri, eum librum reijcientis; aut non sanctus. Si sanctus; Ergo Prædicantium spiritus, vtpote sancto contrarius, prophanus erit: & tunc quid ex prophano spiritu contra nos & vniuersam Ecclesiam rite eoncludent? Si non sanctus, adeoque prophanus: Ergo ex profano spiritu Lutheri fides illorum & Ecclesia enata, quam cordato homini conscientiæ securitatem præstare poterit; quodque ad præscriptam tot sæculis Ecclesiæ Catholicæ authoritatem conuellendam robur habebit?

Tertio vero nihilominus abominabile hoc dogma ex communi omnium hæreticorum principio haustum esse, ita probatur. Quia Prædicantes in tota hac disceptatione de Antichristo, illud principium seruandum præscribunt, vt videre est apud Hailbrunnerum a. 14. c. 3. rem hanc, omni Ecclesiæ auctoritate sepositа, ex sola scriptura diiudicandam & definiendam esse: quod quidem esse cõmune omnium hæreticorum principium, quæst. seq. patebit. 228

In quem sensum etiam citant Chrysostomum homil. 49. in caput 24. Matthæi super illa verba: *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto: id est*, inquit, *cum videritis hæresin impiam, quæ est exercitus Antichristi, stantem in locis Sanctæ Ecclesiæ: in illo tempore, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, id est, qui sunt in Christianitate conferant se ad scripturas. Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi scripturæ diuinæ.*

Cæterum hac re aduersarios turpiter fallere, indubitatum est. Primo enim locus ille quem velut Sancti Chrysostomi falso citarunt hom. 49. in caput 24. Matthæi, non est Chrysostomi; imo nec vllius Catholici scriptoris, sed hæretici. Desumptus enim est, non ex homilijs ipsius S. Chrysostomi in Matthæum, quę græce & latine extant; sed ex authore operis imperfecti, quod solum latine legitur; idque Chrysostomi non esse, *nullam esse dubitationem*, inquit Erasmus in præfatione illius operis. 229

Ex nostris vero, hoc est, Catholicis, egregie Baronius Cardinalis anno 407. num. 11. *Haud æquo animo pati possumus*, inquit, *adscriptas fuisse sanctissimo viro eius titulo hactenus consignatas 54. homilias, quas opus imperfectum in Matthæum nominant &c. Quis enim non iure commoueatur cum videt, adscribi sanctissimo viro, ab incerto authore, sed certo hæretico, hæreticorum deterrimo, compositas illas homilias purulentas, hæresum scatentes vermibus; quæ ne pilum quidem Chrysostomi vel in dictione, vel in sententijs, vel in dogmatibus habent; sed sparsas hæreses Manichæorum, Montanistarum, Arianorum, ac Donatistarum continent; atque plane in omnibus se prodat author longe longius ab Ecclesia Catholica alienum, qui Catholicæ Ecclesiæ toto orbe diffusæ sæpe detrahat, & vix in paucis veritatem reperiri contendat*; vt quidem in illo ipso loco obiecto accidit. 230

Omnium vero Catholicorum certa hæc & cõsentiens sententia est, opus illud aut hæretici 231

esse

esse, aut ab hæretico corruptum; cum Arianæ hæresis expressa & indubitata in eo signa & indicia reperiantur; speciatim homil. 48. vbi *homousianos* (hoc est, Catholicos) vocat hæreticos: qua de causa etiam à Paulo Papa IV. in Catalogo scriptorum suspectæ fidei annumeratum est. Et vero hunc ipsum de quo agimus locum, tanquam ab Arianis, ad solam scripturam appellare solitis, insertum, è quibusdam Codicibus nuper emendatis sublatum esse, testatur Bellarminus lib. 4. de verbo Dei c. 11. Sed qui homiliam illam 49. legerit, simulque cum præcedenti contulerit, in qua, vt diximus, homousiani vocantur hæretici, satis intelliget, totam fere vtriusque homiliæ dissertationem contra homousianos, hoc est, Catholicos esse.

232 Vnde secundo etiam aduertendum, dictum illud à Prædicantibus citatum, non loqui præcise de temporibus nouissimis, nec de propriâ personaliq; ipsius Antichristi præsentia; sed scriptorem illum ad sua; (cum Ariani vigerent) tempora respexisse, vt aperte ipse indicat superius: *Exercitus autem Antichristi sunt omnes hæreses, præcipue ista, quæ obtinuit Ecclesiæ locum, & stetit in loco sancto. &c.* Et rursum: *Abominationem autem desolationis diximus esse hanc ipsam hæresin, quæ occupauit sanctæ Ecclesiæ loca, & multos desolauit à fide. &c.* Ad hanc, vt ait, hæresin spectant verba illa à Prædicante obiecta: *Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias. &c.*

233 Quamnam autem præcipue (vt ipse loquitur) hæresin voluerit hic author designare, non obscurum est ex verbis subsequentibus, & notis quibus eam describit. Nam 1. dicit illas hæreses habere omnia hæc, quæ sunt propriè Christi, *Ecclesias, scripturas diuinas, Episcopos, ordines Clericorum, similiter baptismum, aliter Eucharistiã, & cætera omnia, denique ipsum Christum.* 2. ait eius hæresis tempore *signorum operationem omnino leuatam* (siue sublatam) *esse in vera Ecclesia, magis autem apud eos inueniri, qui falsi sunt Christiani*; vbi procul dubio Catholicos intelligit. 3. passim eam describit veluti late dominantẽ, & à temporibus Constantini præsertim & Theodosij; suos terminos late proferentem. *Et nos quidem,* inquit, *exponimus hic auditiones priorũ & fames &c. quæ ante præcesserunt, à tempore Constantini vsq; ad tempus Theodosij: Abominationem autem desolationis esse hanc ipsam hæresin, quæ occupauit S. Ecclesiæ loca. &c.*

234 Ad eundem plane modum idem author vnam quandam peculiarem sui temporis (vt ait) hæresin siue Ecclesiam perstringit homilia præcedente, in qua, vt dictum, homousianos vocat hæreticos: vt non imerito Bellarminus loc. cit. dixerit, eundem authorẽ hom. 49. ex qua obiectus locus depromptus est, *contra Homousianos illos*, hoc est, Catholicos, (præcedenti homilia hæreticos vocatos) *fere semper loqui*: cum alioqui nulla alia possit hæresis assignari, cui ex mente authoris notæ illæ conueniant. Ex quibus manifestum fit, Prædicantes suæ de Antichristo dissertationis hæreticum fundamentum, ex hæretico authore, ad hæresin Arianam contra Catholicam Ecclesiam tuendam, idq; sub pallio S. Chrysostomi præstruxisse. Ex quo ipso fundamento facile de reliquo toto ædificio fieri potest coniectura. Atq; hæc, pro ratione scholasticæ tractationis, de Antichristo & Antichristiana Sectariorum calumnia, aduersus Romanum Pontificẽ, dicta sufficiant. Plura hac de re disserui in Apologetico relationis de Colloquio Ratisponensi. cap. 14. 15. 16. & 17. & in Anatomia Confessionis Augustanæ part. 2. demonstrat. 5. §. 13. à n. 234. & in Dioptra fidei libro 3. cap. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. E quibus hoc loco potissima selegimus.

DVBIVM VI.

An, & qua ratione Pontificiũ authoritas & definitio sit infallibilis; etiam cum extra Concilium generale aliquid circa fidem definit: & vnde constet, eum publica auctoritate aliquid definire.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

235 VErsati sumus hactenus circa quæstionem an est; an scilicet in Romano Pontifice sit authoritas diiudicandi & definiendi res fidei, easque Ecclesiæ vniuersæ proponendi; sequitur, vt ad quæstionem quid, seu qualis sit ea auctoritas, progressum faciamus; an scilicet sit infallibilis, tum in rebus fidei definiendis, tum etiam in decretis morum sanciendis; cui⁹ rei explicationem hoc & sequenti dubio exequemur. Et quod ad res fidei attinet, quia varia consideratio esse potest Pontificis, ipseq; etiam diuersis mediis ac modis, tum scilicet extra Concilium generale, tum etiam in Concilio generali, rem aliquam fidei definire potest, est ea res, pro varia eiusmodi consideratione, pluribus assertionibus explicanda.

236 Assertio I. Pontifex, vt priuata persona, atq; etiam vt Doctor particularis, non minus ac alius homo, in agendo, opinando, ac tum voce, tũ scriptis, seu editis libris docendo, (secluſa hæresi) labi & errare potest. Hæc assertio est extra controuersiam. Ratio est; quia Pontifex etiam ipse cum homo sit, nec velut persona priuata, & particularis vlla promissione seu priuilegio speciali diuinitus concesso fulciatur, quo minus errare possit, idcirco nec lapsus & error, nec humani quicquã ab eo alienum existimari debet: nec vero eiusmodi libri censendi sunt esse Romani Pontificis decreta, sed priuati tantum Doctoris monumenta.

Et insuper libenter fatemur, non omnes Romanos Pontifices optimis vixisse moribus. Quod tamen adeo publicæ eius auctoritati & officio nihil derogat, vt Christus ipse nobis hac in parte diligenter cautum esse voluerit, ne forte propter mores improbos officium contemnamus. Matthæi 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.*

237 Assertio II. An autem Romanus Pontifex, etiam vt priuata persona, priuatim hæreticus esse possit, incertum est, & inter Catholicos etiamnũ saluâ fide & charitate disputatur. Etenim id re ipsa fieri posse, pleriq; Doctores concedunt. Ita enim sentiunt Turrecremata l. 2. de Ecclesia, capite 112. Caietanus de auctoritate Papæ c. 11. & 21. Castro de iusta hæreticorum punit. cap. 6. Canus l. 6. cap. vlt. Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. item Canonistæ pleriq; ; idq; supponere videntur ipsimet Pontifices, & Concilia, vt videre est Capit. *Si Papa*, dist. 40. & apud Anacletum epist. 3. & in sexta synodo actione 16. & 18. & in Cõcilio Constantiensi sess. 11. idemq; fuse probat Bannes q. 1. a. 9.

238 Nihilo minus id fieri posse, negat Albertus Pighius lib. 4. hierarchiæ Eccles. c. 3. idque reuera nunquam fuisse factum, particulatim ostendit Bellarminus libro 4. de Pontif. cap. 6. & sequentibus. Ratio primæ partis est; quia nulla aperta & liquida promissio diuina exhiberi potest, quæ Pontificem ab huius criminis possibilitate reddat imunem. Nec priuata hæresis in vllum Ecclesiæ præiudicium cedit. Aut enim notoria est, aut occulta: Si primum, iam hoc ipso Pontifex sua potestate excidit, saltem post Generalis Concilij declarationẽ, imo etiam ante, vt dictum dub. 4. Si secundum, iam hoc ipso ea Ecclesiæ nihil incommodat.

239 Ratio secundæ partis est; quia illud Lucæ 22. v. 32. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; probabiliter etiam ad priuatam personam, non solum Petri, sed etiam Successorum eius extendi potest: & valde conforme est perfectioni diuinæ prouidentiæ, vt in Vicario suo, summoq; fidei Præside in terris, à quo cæteri omnes in fide confirmandi sunt, priuatam etiam perfidiam & hæresim propulset; præsertim quando contrarium his mille sexcentis annis vllo casu accidisse, probari non potest, vt ex Bellarmino dictum.

240 Assertio III. Pontifex etiam vt Pontifex errare potest, in particularibus quæstionibus facti diiudicandis, v. g. an hic vel ille Episcopus sit huius vel illius criminis reus, & ideo deponendus; an hæc vel illa persona, vel Respublica hoc vel illud flagitium admiserit, ob quod excommunicationi, aut interdicto sit subijcienda. An cum hac vel illa persona circa votum aut matrimonium ex tali informatione sit dispensandum. &c. Ita etiam sentiunt omnes Catholici. Ratio est. Quia eiusmodi particulares facti quæstiones mere pendent ab humanis informationibus, quibus falsum subesse posse, nemo dubitat. Accedit, quod promissiones infallibilis assistentię diuinæ solum ad cõmunem fidem & religionem Ecclesiæ pertinent; quo casus & quæstiones eiusmodi particulares facti non spectant; quia hoc ipso quod particularia negotia & facta concernunt, nullum fidei aut religioni præiudicium in Ecclesia vniuersali pariunt.

241 Assertio IV. Nec id quidem omnino hæreticum, aut temerarium est sentire, vel dicere, posse absolute loquendo, Pontificem, hoc est, eum, qui antea Pontifex habebatur, frustra velle priuatam suam hæresin manifestam, alijs etiam præsumpta auctoritate publica obtrudere. Probatur. Id enim fieri posse admittit Turrecremata l. 2. de Ecclesia cap 112. ad 7. argumentum, lib. 4 part. 2. capit. 16. & innuit Syluester verb. *opinio*, in fine; quos Gregorius de Valentia hic quæstio. 1. punct. 7. §. 4. ait *rem opinari non penitus improbabilem*. Ratio est; Quia etiam hac re non creatur Ecclesiæ circa fidem & religionem periculum aut præiudicium; cum illa, vt supponimus, de vera fidei sententia certa sit, adeoq; hoc ipso norit Ecclesia, eiusmodi præsumpti Pontificis sententiæ, & mandato, vtpote iam non Pontificis & legitimi Pastoris, sed in lupum degenerantis hominis, nequaquam parendum esse.

Assertio V. At vero quoties Pontifex Romanus aliquid, in re dubia ad fidem totius Ecclesiæ spectante, vna cum Concilio generali definit, vt toti Ecclesiæ credendum, nullo casu errare potest. Hæc est principalis assertio, in qua omnes Catholici aduersus huius temporis Sectarios consentiunt. Probatur ex ipsis promissionibus Petro, eiusque Successoribus factis, quas dubio 2. fuse expendimus. Nam ex primo loco Matthæi 16. v. 18. *Tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam* hoc argumentum deducitur. Potestas illa & auctoritas, quæ per modum petræ & fundamenti, iuxta Christi promissionẽ, Ecclesiam perpetuo sustinere, & aduersus inferorum portas, ac quosuis aduersariorũ impetus immotam tueri debet, necessario est, & esse debet potestas seu auctoritas infallibilis: potestas & auctoritas Petri ac Successorum ipsius Romanorum Pontificum, iuxta Christi promissionem, vniuersam Christianam Ecclesiam velut petra ac fundamentum perpetuo sustinere, & aduersus inferorum portas ac quosuis aduersariorum impet9 imotam tueri debet: Ergo potestas & auctoritas Petri, ac Successorum ipsius Romanorum Pontificum, necessario est, ac esse debet infallibilis, saltem in dubijs fidei quæstionibus, à quarum syncera definitione puritas & integritas fidei totius Ecclesiæ dependet. 242

Similiter ex Lucæ 22. vers. 32. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, ita argumentamur: Potestas illa, siue auctoritas, pro qua Christus ipse efficaciter orauit, ne deficiat aut aberret, quæque à Christo tum ad reliquos Apostolos, tum consequenter etiã ad confirmandam vniuersam Christi Ecclesiam, nulla vi superabilem ex cit. loc. Matthæi 16. constituta est, necessario est, & esse debet infallibilis; potestas hæc Petro eiusque Successoribus (vt dubio 3. probatum) tradita, talis est, pro qua Christus ipse efficaciter orauit, ne deficiat aut aberret; quæque à Christo tum ad reliquos Apostolos, tum cõsequenter etiam ad vniuersam Christi Ecclesiam confirmandam constituta est: ergo potestas hæc siue auctoritas Petro, eiusque Successoribus Romanis Pontificibus tradita, necessario est infallibilis. Maior patet. Minor constat ex ci- 243

tatis

tatis scripturæ verbis: Ex quorum connexione patet, Christum eo potissimum fine ac ratione orasse pro tuenda fide Petri, quatenus id opus esset, ad fratres, totamq; Ecclesiam in fide confirmandam.

244 Ex tertio loco Ioannis 21. à vers. 16. *Pasce agnos meos, pasce oues meas &c.* hoc argumentum desumitur. Quia potestas & auctoritas in fide pascendi & regendi vniuersam Christi Ecclesiam, talis vtique Petro, eiusque successoribus concessa fuit, qualis ad hoc necessaria esset, vt hac auctoritate Ecclesia ipsa in vera fide immota seruaretur, iuxta illud Matthæi 16. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: sed ad hoc prorsus necessaria est auctoritas infallibilis, saltem in definiendis dubijs fidei quæstionibus, vt patet: Ergo potestas & auctoritas pascendi & regendi vniuersam Christi Ecclesiam, Petro & Successoribus ei⁹ concessa, in definiendis dubijs fidei quæstionibus est infallibilis. His accedunt ea, quibus quæstione præcedente dub. vlt. & hac quæst. dub. 1. probauimus, auctoritatem iliam iudiciariam in Ecclesia constitutam, ad definiendas fidei controuersias, & proponendas res fidei, speciatim vero eam, quæ in Doctoribus Ecclesiæ cóiunctim, adeoq; & in Concilio generali residet, esse infallibilem.

245 Secundo probatur assertio auctoritate SS. Patrum; qui tum vniuersim docent, iudicio ac definitioni Romani Pontificis à cunctis fidelibus esse acquiescendum; tum speciatim & expresse asserunt, Romanam Cathedram, vtiq; saltem in dubijs fidei causis definiendis, prorsus esse infallibilē. E quibus Cyprianus epist. 55. ait; *ad Romanos* (hoc est, Cathedram Romanam) *perfidiam non posse habere accessum.* Et Augustin⁹ in psalmo contra partem Donati de eadē Cathedra loquens: *Ipsa est*, inquit, *petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

Petrus Chrysologus in epist. ad Eutychen: *Beatus Petrus, qui in propria sede & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Basilius epistola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum: *Pietati tuæ donatum à Domino est, vt quod adulterum est à legitimo ac puro discernas, ac fidem Patrum sine subtractione vlla prædices.*

Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha epistola ad Hormisdam; *In Sede Apostolica* (Romana) *inuiolabilis semper Catholica custoditur Religio.* Ascani⁹ & cæteri Episcopi Tarraconenses epistola ad Hilarium Papam: *Ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam; inde responsa quærentes, vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.*

Optime Bernardus epist. 190. ad Innocentium Papam: *Dignum nam q; arbitror vbi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis.*

246 Idem ex Romanis Pontificibus asserunt Lucius I. epist. 1. ad Episcopos Hispaniæ & Galliæ, Felix I. epist. ad Benignum, Leo serm. 3. de Assumptione sua ad Pontif. Agatho epist. ad Constantinum Imperatorē, quæ lecta & probata est in VI. Synodo act. 4. & 8. Gelasius epist. ad Anastasium Imperatorem, Gregorius l. 6. epist. 37. ad Eulogium, Nicolaus I. epist. ad Michaelem, Leo epist. ad Petrum Antiochenum, & Innocentius III. Capit. *Maiores*, extra de baptismo.

Quibus accedit sensus & praxis toti⁹ Ecclesię; quia semper ea, quæ à Concilijs generalibus à Sumis Pontificibus approbatis definita fuerunt, tanquam infallibilia habita fuerunt & recepta: Nec mirum, cum hic ipse fuerit Conciliorum eiusmodi de se ipsis sensus, iuxta illud Act. 15. v. 8. *Visum est spiritui sancto, & nobis.*

Ratio est; quia cum tota Ecclesia in dubijs fidei quæstionibus teneatur acquiescere iudicio ac definitioni Romani Pontificis, præsertim in Concilio generali factæ, vt dub. 3. probatum est, necessario sequeretur, vniuersam Christi Ecclesiam in fide errare posse, si Pontifex in eiusmodi definitione errare posset: consequens autem est plane falsum, & contra illud Apostoli 1. Tim. 3. v. 15. *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.*

247 Neque vel in speciem vllum probabile exemplum adferri potest, quo probetur, Pontificem in Concilio generali aliquid definientem errasse. Nam quod Liberius in Concilio Sirmiensi, pace cum Valente & Vrsacio Arianis facta, in subscriptionē hæreseos, ac damnationē Athanasij, cōsensisse videtur, vt scribunt Athanasius in vtraq; Apologia, & Hieronymus in Chronico, & in Catalogo scriptorum in Fortunatiano, id non sponte, nec adeo per modū ex animi sui sententia definientis, sed inuitus & coactus vi tormentorū fecit; externo solū facto, non autē aliquo interno fidei errore lapsus, vt ex Athanasio pluribus docet Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 9.

248 Assertio VI. Imo longe verius est, infallibilitatem Pontificiæ definitionis non pendere à Concilio generali; adeoque Pontificem etiam extra Concilium generale circa dubiam aliquam fidei quæstionem, infallibiliter definire. Hæc assertio non est tam certa, quam præcedens; nec apud Catholicos vndiquaque extra controuersiam. Sunt enim qui sentiunt, Pontificem etiam, vt Pontificem posse esse hæreticum, & docere hęresim, si absque generali Concilio definiat, idq; de facto aliquando accidisse. Hanc opinionem, vt ait Bellarminus libro 4. de Pontifice cap. 2. sequitur & tuetur Nilus in suo libro aduersus primatum Papæ, præter Erasmum, & alios similes Semichristianos. Eandem sequuti sunt aliquot Parisienses, vt Gerson & Almain in libris de potestate Ecclesiæ; nec non Alphonsus de Castro libro 1. cap. 2. contra hæreses, & Adrianus VI. Papa in quæstione vlt. de confirmatione, & quodl. 2. q. 1. qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesia, siue in Concilio generali tantum constituunt infallibilitatē iudicij de reb⁹ fidei. His adde Ockamum dialogo de potestate Ecclesiæ, Gersonē tractatu de examine doctrin. Consil. 5. Panormitanum incapit. *Significasti*, extra de electione.

249 Nihilominus contraria sententia, scilicet Romani Pontificis infallibilitatē in definiendo non pendere à Concilio generali, ac proinde infallibile esse Pontificis iudicium, in dubijs fidei quæstionibus definiendis, etiamsi absque Concilio generali aliquid definiat, est longe communior

& verior Theologorum sententia. Ita enim docent & sentiunt Sanctus Thomas hic quæstione 1. art. 10. & infra quæst. 11. artic. 2. & q. 10. de potentia a. 4. ad 13. & quodlib. 9. art. vlt. & lib. 4. contr. gent. cap. 76. & opusc. contra errores Græcorum c. 32. & l. 3. de regimine Principum c. 9. Alensis 3. par. q. 4. memb. 5. ad 1. Albertus Magnus, Richardus, Durandus, Paludanus, & alij in 4. distinct. 24. Waldensis lib. 2. doctrinalis c. 47. & 48. Gratianus & Canonistæ Cap. *In Canonicis scripturis* dist. 19. & initio dist. 20. Turrecremata l. 2. summæ c. 109. Driedo l. 4. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 3. par. 3. Caietanus in opusc. de potestate Papæ & Concil. c. 9. Eckius l. 1. de primatu Petri c. 18. Hosius lib. 2. contra Brentium, Bellarminus lib. 4. de Pontif. c. 3. Gregorius de Valentia q. 1. pun. 7. §. 41. Bannes hic q. 1. a. 10. dub. 2. alijq; recentiores communiter.

250 Est autem assertio adeo certa, vt quamuis contrarium non sit aperte hæreticum, nũc tamen existimetur *erroneum, & hæresi proximum*, vt censet Bellarmin⁹ loc. cit. Sed & Gregorius de Valentia loc. cit. ait, contrariũ sentientes *in fide errare grauissime*. Deniq; Bannes ibidem asserit, id *tanquam Apostolicam traditionem esse tenendam*. Eandem sententiã contra Sectarios defendimus in nouissimo Colloquio Ratisponensi Anni 1601. tametsi alioqui in disputatione contra hæreticos satis esse potuisset, id quod apud omnes Catholicos in confesso, & de fide certum, atq; adeo proprie cõtra hæreticos controuersum est, defendendum suscipere Pontificem nimirũ, si cum generali Concilio aliquid circa fidem definiat, errare in definiendo non posse; quid sit de altera illa quæstione, inter ipsosmet Catholicos etiamnum controuersa, vt dictum.

251 Probatur autem assertio; Primo ex citatis antea scripturæ testimonijs assert. 5. quibus infallibilitatem Pontificiæ definitionis in Concilio generali probauimus: ea enim proprie & directe nõ ad Concilium generale, sed ad Cathedram & Pontificem Romanum pertinent.

Secundo idem probatur ex definitionib⁹ Conciliorum ac Pontificũ, quæ hoc innuunt. Etenim in Concilio Florentino in decreto Eugenij, definitur, *S. Apostolicã Sedẽ & Romanũ Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificẽ Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorũ, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenã potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur*. Ad hanc autem plenam potestatem pascendi & regendi vniuersalem Ecclesiam pertinet infallibilitas definiendi dubias fidei quæstiones, ne alioquin vniuersalis Ecclesia in errorem fidei inducatur.

252 Præterea Leo X. in bulla damnauit a. 28. Lutheri, quo dixerat, non esse peccatum, neq; hæresin, sentire contrarium eius, quod Papa & maior Ecclesiæ pars sentiat, aut tanquam de fide tenendum definiat, Lucius III. cap. *Ad abolendam*, de hæret. excommunicat eos, qui de Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentiunt aut docent, quam Sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & obseruat.

Sixtus IV. approbando sententiam cuiusdam Complutensis Synodi, tanquã hæreticã damnauit assertionẽ Petri Oxomensis, qua dicebat, Ecclesiam Romanã posse errare, vt patet ex summa Conciliorum in decretis eiusdem Pontificis. His accedunt testimonia Patrum ac veterum Pontificum superius assertio. 5. relata, quæ itidem aperte & directe ipsius Cathedræ & Pontificis Romani infallibilem auctoritatem asserunt.

Tertio idem probatur ex praxi hactenus in Ecclesia vsitata; qua complures hæreses sine Concilio generali à summis Pontificibus damnatæ fuerunt, vt Pelagij, Priscilliani, Iouiniani, Vigilantij: quas mox etiam hoc ipso tota damnauit Ecclesia, vt pluribus dictum dub. 3. 253

Quarto accedit ratio; quę sumitur tum ex necessitate rei: nimis enim alioqui difficile foret, discordias fidei in tempore componere, & exortas hæreses compescere, si semper idcirco generalia Concilia conuocanda essent, vt diximus etiam dub. 2. Tum quia cum ex omnium Catholicorum sententia constet, Pontificem solũ, aut saltem cum aliquo particulari Concilio aliquid in re dubia definientem, esse ab omnib⁹ reuerenter audiendum, certe nisi hoc iudicium esset penitus infallibile, necesse foret, Ecclesiã vniuersam vi eius in errorẽ induci; quod est aperte cõtra infallibilitatẽ Ecclesiæ ex scriptura quæst. præced. demonstratã, præcipue ex illo Apostoli 1. Tim. 3. v. 15. vbi Ecclesia vocatur *columna & firmamentum veritatis*.

Neque tamen idcirco dixeris, frustra Concilia generalia conuocari. Valent enim hæc suo tempore nihilominus plurimum, tum vt adhibita plurium consultatione, pro rei grauitate, maturius statuatur, quod conuenit, idque præsertim in materia reformationis, in quare constituenda, singulari experientia & prudentia opus est: tum vt facilius ac suauius omnes editis decretis acquescant: tum vt hæretici potentius, & efficacius refellantur. Sicut etiam tempore Apostolorum, licet procul dubio solus Petrus definire rem omnem posset, Concilium tamen Apostolorum Hierosolymis conuocari placuit Act. 15. 254

Assertio VII. Etsi quidem Pontifex aliquid circa Religionem definiturus, teneatur pro cuiusque negotij & causæ grauitate, ad veritatem perueſtigandam, debitam diligentiam adhibere, atq; viros doctos, præsertim è Cardinalium cœtu, quantũ temporis & negotij ratio ferre ac postulare videtur, in consilium vocare; eius tamen definitio in dubijs fidei quęstionibus absolute & simpliciter infallibilis est. Ita docẽt citati omnes pro assertione præcedẽti; etsi nõnulli contrariũ dixisse videantur. E quibus Syluester v. *fides*, & in suo dialogo contra Lutherum, Canus l. 5. locorum c. 5. Castro l. 1. de hæresibus c. 8. docent, Papam in definiendo errare posse, si absque consilio doctorum virorum, & maturo iudicio definiat. Neque vero si de eo constet, obligari Ecclesiam ad 255

eiusmodi decretum acceptandum: temere enim definientem non definire vt Papam; cum assistentia Spiritus Sancti, non sit promissa Papæ temere definienti. Quin etiam Castro speciatim ait, non posse Pontificem absq; consilio & consensu Cardinalium definire saltem infallibiliter.

256 Probatur tamen assertio quoad primam partē; quia Deus vtique in hoc iudicio grauissimo, nihil vult temere agi. Et quamuis absolute possit defectum omnem supplere, vult tamen homines humano ac prudenti modo agere. Etsi vero ea diligentia ad consultationem Cardinalium determinate restringenda non sit, vt recte contra Castro ex communi notarunt Canus & Gregorius de Valentia locis cit. cum pro circumstantiarum ratione possit Papa quoslibet consultores adhibere: attamen cum res aliqua grauis, præsertim fidei, definienda est, debet omnino Pontifex, tum per se, tum per alios, communes & consuetas fidei regulas consulere. Cum enim Ecclesia vniuersalis nullis nouis reuelationibus regatur, nec proprie vllos nouos fidei articulos habere possit, vt dictum quæstione 1. dub. 7. Opus est, vt in rebus definiendis communes fidei regulæ consulantur, ex quibus vera fidei sententia eruatur. Tales autem regulæ sunt: S. Scriptura, traditiones Apostolicæ, Concilia approbata, consensus SS. Patrum, aliorumq; Doctorum, consensus fidelium in rebus ad Religionem pertinentibus, de quibus partim hac quæstione dub. vlt. partim sequente quæstione agetur.

257 Secunda pars assertionis probatur. Quia alioqui Ecclesia de infallibilitate Pontificiæ definitionis satis certa non esset; quin etiam vlterius posset decreta Pontificis in examen vocare, an cum debita diligentia lata sint; & si quid secus resciret, eadem reijcere: quod plane est absurdum; cum hac quidem ratione nullus vnquam finis controuersijs imponendus foret, vt dictum in simili quæstione præcedenti dub. 1.

258 Quomodo autem cum ea obligatione adhibendi diligentiam, consistat absoluta infallibilitas definitionis, duplex est modus explicandi, sub opinione situs. Primus est, vt dicamus, diligentiam illam non esse necessariam ad hoc, vt Pontifex infallibiliter definiat, sed solum vt licite & absque peccato definiat. Sicut etiam in Sacramentorum administratione multa requiruntur, vt Sacramentum licite conferatur, quæ ad eius tamen valorem necessaria non sunt. Hunc explicandi modum probabilem censet Gregorius de Valentia; etsi Bannes & alij nonnulli improbent.

259 Secundus explicandi modus est, vt dicamus, fieri nunquam posse, vt Pontifex publicè definiat aliquid, in dubia Religionis causa, sine debita diligentia. Approbat hunc etiam modum Gregorius de Valentia, & determinate asserunt Bellarminus & Bannes, locis cit. qui proinde licet hypotheticam illam concedant, si Pontifex sine debita diligentia definiat, infallibiliter non definit, nunquam tamen idcirco concedunt antecedens: id quod etiam similiter dici potest de Sylvestro, ac præsertim de Cano locis cit. qui ita seipsum satis aperte declarat. Atq; hic modus rem explicandi, vt hæreticorum calumnijs minus obnoxius, ita etiam commodior & probabilior est. Quia quemadmodum si cui Deus reuelaret suam beatitudinem, existimandum non esset, Deum decreuisse illum saluare sine omni prorsus salutis studio; quin potius existimandum esset, Deum hoc ipso etiam reuelasse, eum debitum salutis studium esse adhibiturum; ita etiam in proposito sentiendum est.

Assertio IIX. Neque vero deest sufficiens 260
ratio inuestigandi, Pontificem publica auctoritate aliquid à tota Ecclesia obseruandum aut credendum definire. Hæc assertio eo spectat, vt satis fiat interrogationi postremæ hoc dubio propositæ; vnde constet, Pontificem publica auctoritate, & vt loquuntur ex cathedra aliquid definire.

Probatur vero & declaratur assertio sequentibus regulis. I. Si Pontifex aut circa particularem facti quæstionem tantum, seu quod idem est, circa materiam negotij alicuius particularis determinandam versetur, vt sæpe fit: aut si quidem circa materiā fidei, sed per modum priuati Commentatoris & scriptoris versetur, vt fecerunt Gregorius Magnus, Innocentius IV. Adrianus VI. &c. tunc non definit vt Pontifex aliquid à tota Ecclesia obseruandum. Ita habet communis post S. Thomam quodlib. 9. art. 16. & constat ex dictis.

II. Rursum si in materia fidei Pontifex aliquod 261
decretum edat, vt Pastor Ecclesiæ, diligenter ex circumstantijs, occasione videlicet scribendi, quæstione proposita, verbis decreti &c. diiudicandum erit, quidnam directe docere seu determinare intendat Pontifex. Illa enim, quæ in eius rei duntaxat probationem & confirmationem, aut alias obiter solum & incidenter dicuntur, non cadunt sub eiusmodi definitionem; nec Papa ad ea credenda censetur velle obligare Ecclesiam. Quare etiā per se non habent infallibilem auctoritatem; quin subinde aliquid falsi in illis reperiri possit. Cuius rei exemplum communiter afferri solet ex Capitulo *A quodam Iudæo*, de consecratione dist. 4. de quo alibi.

III. In ipsa vero directa responsione circa ma- 261
teriam fidei, ponderāda sunt verba. Nam si aperte dicat, id esse dogma fidei, aut contrariū repugnare scripturæ, seu Apostolicæ traditioni, vel esse hæreticum, seu in fide erroneum; aut alioqui vtatur verbis præceptiuis, quibus ab vniuersa Ecclesia ita sentiendū esse mandet; ac precipue si anathemate aliter credentes siue sentientes feriat, manifestum signum est, Pontificem id ipsum definire: secus si tantum prohibeat contrarium doceri, etiam sub excommunicatione; id enim vniuersim non sufficit ad exploratā definitionē fidei. Et eadem ratio est, quotiescunq; ex verbis & circūstantijs colligi potest, eum tantum priuatum ferre iudiciū, aut proponere aliquid solum vt doctrinā probabiliorē. In qua re diiudicanda, multum valet, tum virorum Sapientum iudicium, tum Ecclesiæ sensus & consensus.

263 IV. Denique circa ipsum formale decretum definitionis, diligenter aduertendum est, an id legitime & sufficienter fuerit promulgatum; atque etiam an tempus eiusdem obligationi præfixum fuerit elapsum, priusquam id refigeretur, seu retractaretur, iuxta ea quæ tom. 2. de legum Pontificiarum promulgatione generatim docuimus. Etenim vt notat Vasquez 1. 2. tomo 2. disputatione 155. numero 15. id *obseruant summi Pontifices in curia Romana, vt nondum intelligantur loqui de sede Petri, tanquam Iudices & Pontifices, in legibus & Canonibus ferendis etiamsi eos imprimi faciant, donec ad valuas basilicæ Principis Apostolorum de vrbe Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ solenniter publicentur, & exemplar vnum in columna illius campi, & aliud ad valuas Petri per aliquantulum temporis affigatur.* Et addit Vasquez, *accidere etiam interdum, vt in legibus & bullis impressis dicatur, Publicatæ tali die; & tamen nunquam solenniter fuerint promulgatæ; quare nec tunc vim legis habebunt.* Ita Vasquez.

264 Atq; hoc modo satisfit illi difficultati, quę ante annos aliquot frustra nonnullos fatigauit, de Biblijs Sixtinis à Clemente VIII. suppressis & emẽdatis. Nã vt ex viris grauibus & fide dignis, qui Romæ in hanc rem sedulo inquisierunt compertum est, dictum seu decretum illud, quod Sixtus V. suis Biblijs præfixerat, nunquam fuit plene promulgatum, sed tempestiuè reuocatum: ipso etiam Sixto V. animaduertente, *non pauca irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur; adeo vt totum opus sub incudem reuocandum censuerit, atq; decreuerit, etsi id morte præuentus præstare non potuerit,* vt in præfatione Biblorum Clementinorum dicitur.

265 Et quamuis nonnulli scripserint, decretum illud aliquanto tempore ad valuas Ecclesię Romę fuisse affixum, & postea refixum, eoq; ipso quodammodo reuocatum, duobus ante mensibus, quam tempus requisitum elaberetur, mortuo nimirum Sixto V. & reclamantibus Cardinalibus: Ego tamen fidem huic rei habere non possum. Cum enim iam dudum Anno 1609. & 1610. in Academia Ingolstadiensi hæc difficultas, de Biblijs Sixtinis, tum à me, tum ab alijs Doctoribus Theologis priuatim & publicè discussa, & in omnem partem diu multumque versata fuisset, ego tandem ad explorandam facti veritatem, Romam ad P. Ferdinandum Alberum, eo tempore Societatis nostræ per Germaniam Assistentem scripsi, qui in litteris 28. Augusti datis Anno 1610. his ipsis verbis rescripsit: *Circa Biblia Sixtina, post diligentem inquisitionem & discussionem, hanc demiq; responsionem dederunt ij, qui huic rei incumbebant, qua omnis tollitur difficultas, & cui omnes merito acquiescent. Responsio sic habet. Certum est, Bullam de ijs Biblijs nõ fuisse promulgatã; cuius rei certissimum indicium est, in Registro huiusmodi promulgationem non reperiri: & Illustrissimus Cardinalis Bellarminus testatur, se cum ex Gallia Romam redijsset, à pluribus Cardinalibus audiuisse, Bullam illam non fuisse promulgatam, & id quidem illi se certissime scire affirmabant.*

266 Et addit idem P. Alberus: *Sciat præterea R. V. hæc eadem ex S. D. N.* (Paulo V. Pontifice) *habita fuisse: vt tuto his adhærere liceat & oporteat.* Et in literis 4. Septembris eodem anno 1610. ad eiusdem rei confirmationem, hæc adiungit: *Item P. Ayor, eo ipso tempore, quo cœperũt* (typis) *publicari illa Biblia, cum instarent aliqui, Papam posse errare, quia videbatur iam errasse de facto in Biblijs; Respondit publice P. Ayor, Bullam illam non fuisse publicatam, quamuis in impressione legeretur subscriptio cursorum; nam hoc factum fuisse, per anticipationẽ typographi, ita iubente Pontifice, ne impressio tardaretur. Huius rei testis est P. Andreas Eudæmon Ioannes, qui tunc aderat disputationi.* Hæc ille.

267 Quod si etiam Sixtus V. nihil ipse de suo decreto mutando cogitasset, aut non nisi morbo admonente, eam cogitationem concepisset, idipsum iam, inter alia, exemplum esse potest singularis illius curæ ac prouidentiæ, quam Deus erga Ecclesiam ac Romanam Cathedram habet, vt prius ac potius è viuis Pontificem eximat, quam permittat eum falsam aliquam definitionem edere, ac ad finem perducere; si quidem gratis concedamus, aliquid in eo Sixti decreto fuisse erratum, de quo infra quæstione 5. dub. 2.

268 Simile exemplum refertur de Ioanne XXII. qui cum priuatim in eo errore versaretur, animas Beatorum non visuras Deum ante resurrectionem, ac simul in id incumberet, vt eam quæstionem definiret, prius morte sublatus est, quam in aliquem definitionis errorem incideret, tametsi & is ante mortem, suasu affinium, eam sententiam retractauerit, vt partim refert Benedictus XII. in sua Extrauagante, partim ex Ioanne Villano libro 11. hist. cap. 19. plurib us recenset Bellarminus libro 4. de Pontifice cap. 14. Vbi etiam per plura capita sigillatim respondet ad ea, quæ in hoc genere, circa errores quorundam Pontificum obijciuntur.

269 Atque hæc cum etiam ad Conciliorum decreta accommodanda sunt, tum inprimis valent ad epistolas decretales intelligendas, & Canones Pontificios, seu Iuris Canonici. Non enim omnia in ijs sunt eiusdem authoritatis; quin etiam nonnunquam falsa quædam ijs admixta esse possunt, quæ frustra Sectarij contra infallibilitatem definitionis Pontificiæ obijciunt.

Neque hoc ipso, quod Pontifex suam, aut alterius scriptoris sententiam seu doctrinam in Iure Canonico reponit, illico eam publica authoritate definit, vt recte Bannes hic q. 1. a. 10. dub. 2. circa finem; quicquid in contrarium indicet Castro lib. 1. cont. hæres. cap. 4. nisi ex circumstantijs constet, eum velle, vt ea doctrina deinceps velut canon & regula fidei habeatur. Restat, vt breuiter tres generales obiectiones recentiorum Prædicantium contra explicatam Romani Pontificis infallibilitatem dissoluamus.

270 Primo obijciunt friuolam & inanem esse illam distinctionem inter errores Pontificis vt Pontificis, vel non vt Pontificis; & rursum inter particulares facti quæstiones, & publicas

fidei

fidei controuersias &c. Cum enim scripturæ testimonia, quibus Pontificis infallibilitatem probamus, generalia sint, aut vniuersim probabunt, Pontificem errare nullo modo posse; aut nec illud probabunt, illum errare non posse vt Pontificem in definiendo. &c.

Sed facile respondetur ex dictis, eius distinctionis fundamentum in ipsa scriptura aperte fundatum esse. Quia infallibilitas illa eatenus tantum Pontifici competit, quatenus ipse secundaria quædam petra est, cui Ecclesiæ structura nititur, iuxta citatum illud Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Cum vero Ecclesiæ petra censeri non possit, nisi ratione officij, & quidem duntaxat publicorum eiusmodi decretorum, fidem ac Religionem vniuersæ Ecclesiæ concernentium (cætera enim particularia decreta, vt nec destruere, ita nec sustinere possunt vniuersam Ecclesiam) consequēs plane est, vt in publicis solum Religionis controuersijs definiendis, decretisque vniuersam Ecclesiam obligantibus proponendis, infallibilis censeri debeat Pontificis auctoritas. Deinde cum infallibilitas hæc Pontifici diuinitus concessa fuerit, ob commune bonum Ecclesiæ; ne videlicet ipsa ad obedientiam Pontifici in rebus dubijs præstandam obligata, à sanctitate, aut vera fidei sententia quandoque tota deuiare cogeretur, non fuit necesse, vt omnia Pontificis decreta infallibilia essent, sed ea solum, quæ ad religionem spectantia, vniuersam Ecclesiam obligant.

271 Secundo obijciunt. Summus Pontifex, alijque Sacerdotes in veteri testamento, in decretis ad religionem spectantibus potuerunt errare, & reipsa quandoque errarunt, vt patet in Aarone Exodi 32. v. 5. in Vria 4. Regum 16. v. 11. & in Caipha Ioannis 11. v. 49. & 18. v. 24. & Matthæi 26. v. 65. Ergo & Pontifex licet vna cum Concilio Episcoporum definiens potest errare.

Ad hoc respondent nonnulli, concesso antecedente, negando consequentiam: quidquid enim ab illis erratum sit, nihil hoc præiudicare infallibili auctoritati Summi inter Christianos Pontificis Romani. Tum quia illi non habuerint adeo præclaras infallibilitatis promissiones, vt Romano Pontifici ac noui testamenti Episcopis factas constat. Tum quia synagoga non erat ita, vt Christi Ecclesia, indefectibilis, sed potius aliquando finem habitura. Tum quod promissiones in veteri testamento factæ, hypotheticæ tantum & conditionatæ, non absolutæ fuisse videntur. Tum quia Deus in veteri lege magis extraordinaria quadam Prophetarum, quam ordinaria Pontificum, auctoritate Ecclesiam regere voluisse videatur.

272 Sed melius ac tutius negatur antecedens, vt etiam in Colloquio Ratisponensi diximus: Siquidem non obscuræ infallibilitatis promissiones etiam de Sacerdotibus veteris testamenti extant, quamdiu quidem synagoga ex decreto Dei in suo vigore persisteret. Ita enim Deuteronomij 17. v. 9. de Sacerdotali iudicio dicitur: *Qui indicabunt tibi iudicij veritatem*; nempe in dubijs ac publicis Religionis causis requisiti; ibidemque absolute Sacerdotis imperio obtemperandum præcipitur. Ita etiam Malachiæ 2. vers. 7. dicitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Et denique Matthæi 23. v. 2. absolute præcipitur, doctrinæ publicæ & communi Doctorum Synagogæ acquiescendum esse: *Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Quod non fieret, si in eiusmodi communi doctrina omnes simul errare possent.

Ad Aaronem & Vriam respondetur, eos facto 273
tantum externo, non autem definiendo errasse; ad eum scilicet modum, quo etiam Marcellinus Pontifex externa idololatria olim peccauit. Accedit quod Aaron tunc nondum erat consecratus Sacerdos, sed postea primum consecrandus Exodi 29. & Leuitici 8. Ad Caipham expedita responsio est, eum tunc temporis non fuisse amplius absolute Summum Pontificem, nec habuisse adeo summam iudiciariam potestatem in terris; tum quia lex & Cathedra Moysis, tempore passionis CHRISTI, erat prope interitum; tum quia summa potestas iudiciaria erat iam tunc penes CHRISTVM Caipha vtique superiorem; cui nihil derogare poterat iudiciaria illa potestas Caiphæ: ita vt firmum semper ac inuiolatum maneat, Summum simpliciter Pontificem, retenta summa sua iudiciaria potestate, errare in definiendo non posse. De qua re pluribus actum in relatione de Colloquio Ratisponensi part. 1. cap. 5. & in Apologetico eiusdem cap. 11. & 12.

Tertio obijciunt, Pontifices nonnunquam moribus improbis esse: Ergo non est censendum, eos diuinam ac infallibilem Spiritus Sancti assistentiam in definiendo habere, iuxta illud Sap. 1. *Sapientia non intrat in animam maleuolam, nec habitat in corpore peccatis subdito.* Et illud Eccli 1. *Datur Sapientia à Deo his, qui diligunt ipsum.*

Respondetur, negando consequentiam. Ad 274
obiecta scripturæ testimonia dico, in ijs sermonem esse de Sapientia, quæ datur homini ob priuatam ipsius vtilitatem ac salutem; non autem de Sapientia, quæ ratione officij, ob publicum Ecclesiæ bonum, absque vllis meritis & præuia dispositione, personis quibusdam conceditur. Vt videre est in Balaam Numer. 23. & 24. & in Caipha Ioannis 11. qui dicitur prophetasse, *cum esset Pontifex anni illius*; item in Scribis & Pharisæis, quorum præcepta seruanda & facienda, opera tamen imitanda non erant, Matthæi 23. vers. 2. Et denique in ijs, qui *dicent in illa die Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Talis proinde est etiam infallibilis illa Spiritus Sancti assistentia, quæ Pontifici, non ob priuatum, sed ob publicum bonum; non propter dignitatem accipientis, sed ob promissionem dantis, certissime adest.

275 De qua re optime Augustinus lib. 2. contra Petilianum cap. 51. *Si omnes*, inquit, *per totum orbem tales essent, quales vanissime criminaris, Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet; quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? Si propter homines, quos putas legem loqui & non facere; nunquid Dominus IESVS CHRISTVS propter Pharisæos, de quibus ait, Dicunt enim, & non faciunt, Cathedræ, in qua sedebant vllam fecit iniuriam? Ait enim; Cathedram Moysi sedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis. Sed quid est aliud nescire dicere; & tamen non posse nisi maledicere?* Ita Sanctus Augustinus; qui etiam lib. 4. de doctrina Christiana de Scribis & Pharisæis ait: *Illa Cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes.*

276 Ex his vero quæ hoc dubio, & supra dub. 4. docuimus, colligitur, merito ac piè credendum esse, Romanam Ecclesiam, etiam vt particularis Ecclesia est, non posse errare in fide, nec adeo totam deficere, vt docet etiam Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 4. Cum enim vt diximus dub. 4. primatus Petri iure diuino immobiliter sit annexus, Cathedræ Romanæ; hæcque simul in definiendo absolute infallibilis sit, ex dictis hoc dubio, plane efficitur, Ecclesiam Romanam indefectibilem esse, non solum sub conditione, posito quod ibi maneat Petri Primatus, sed etiam absolute: tametsi res hæc non sit ex fide certa, vt omnes agnoscunt & fatetur Bellarminus loco citato.

DVBIVM VII.

Vtrum Summi Pontificis auctoritas sit etiam infallibilis in decretis morum; ac speciatim in approbatione Religionum, & Canonizatione Sanctorum.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 10.

277 DOcuimus dubio præcedenti, Summi Pontificis auctoritatem esse quidem infallibilem in dubijs fidei quæstionibus definiendis, at vero supereſt difficultas, an pariter etiam sit infallibilis in decretis morum; ac speciatim in approbatione Religionum, ac Canonizatione Sanctorum; de quibus sigillatim hoc dubio agendum est.

Primo igitur quæritur, an, & qua ratione Summi Pontificis auctoritas sit infallibilis in decretis morum. Ratio dubitandi est; quia ex vna parte, Pontifex in ijs rebus constituendis, videtur tantum versari circa quæstiones facti particularis, an expediat hic & nunc, hoc vel illud agere; & similiter quantum ad religionum approbationem, & Sanctorum canonizationem; an hæc Religio opportuna sit præsenti Ecclesiæ statui; an hic vel ille sancte vixerit, &c. quarum quæstionũ decisio ab humanis testimonijs pendet, in cuius generis rebus eum errare posse, supra diximus. Ex altera vero parte videntur eiusmodi materiæ concernere publicum cultum ac religionem totius Ecclesiæ.

In hac re supponendum est, circa doctrinam morum, Pontificem etiam vt Pontificem tripliciter habere se posse; primo formaliter docendo & tradendo morum doctrinam, eamque auctoritate Pontificia definiendo, v. g. vsuram esse illicitam, licitum & sanctum esse cultum Sanctorum, & sacrarum Reliquiarum ac Imaginum, communionem sub vna specie laicis esse licitam, &c. Et in his, ex omnium sententia, non magis errare potest Pontifex, quam in cæteris decretis seu definitionibus fidei; cum ea ipsa decreta sint vera decreta fidei, licet in materia practica. Secundo docendo duntaxat per modum exempli, seu in actu exercito, particulari nimirum aliquo aut priuato facto, seu dispositione circa eiusmodi materiam; v. g. dispensando in matrimonio, in solemni voto, &c. & hac quidem ratione constat itidem, ex omnium sententia, Pontificem absolute loquendo, errare posse; cum in his nulla cernatur definitio ad vniuersam Ecclesiam pertinens. Exemplum est in veteri testamento factum Vriæ Sacerdotis, qui ex præcepto Achaz, contra mandatum Domini, nouum altare erexit in templo Domini 4. Reg. 16. Tertio, nec formaliter definiendo, nec etiam in actu dumtaxat exercito & particulari facto docendo; sed Pontificia auctoritate præcipiendo aliquid in materia morum toti Ecclesiæ: & de hoc in præsenti proprie est quæstio. 278

Ad quam breuiter respondetur, in eiusmodi præceptis duo considerari posse; primo ipsam substantiam seu materiam præcepti secundum se, vt nempe illicitum non sit quod præcipitur, neque ad salutem necessarium, quod prohibetur. Et in hac re, ex omnium Catholicorum sententia, errare non magis potest Pontifex, quam si eam formaliter definiret. Tenetur enim non minus tota Ecclesia talibus præceptis se conformare, saltem cum de iniquitate præcepti aperte non constat, quam si aliquid proprie definiret. Sicut ergo propter infallibilitatem Ecclesiæ in credendo, fieri non potest, vt Pontifex aliquid in re dubia definiat falsum, ita etiam propter Sanctitatem eiusdem Ecclesiæ, fieri non potest, vt Pontifex toti Ecclesiæ præcipiat aliquid mali, vel prohibeat aliquid ad salutem necessarium; præsertim quando etiam Ecclesia potissimum Sancta dicitur à professione, quia profitetur sanctam legem seu Religionem, quæ nihil docet falsi, nihil præcipit mali. 279

Denique

280 Denique fieri vix potest, vt talis error in tota Ecclesia contingat, quin simul etiam coniunctus sit error in fide; quandoquidem mandata Pontificis & Ecclesiæ, velut Dei mandata accipienda & habenda sunt, saltem quamdiu non constat aliquid præcipi, quod diuinis mandatis aduersetur, vt optime etiam tradit Bernardus lib. de lege & dispensat. vbi vniuersim de præceptis Superiorum loquens ait: *Quamobrem quicquid vice DEI præcipit homo; quod non sit tamen certum displicere DEO, haud secus omnino accipiendum est, quam si præciperet DEVS. Quid enim interest, vtrum per se, an per suos Ministros siue homines, siue Angelos hominibus innotescat suum placitum Deus? sed homines, inquis, facile falli in DEI voluntate de rebus dubijs percipienda, & in præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tuâ, qui conscius non es: præsertim cum teneas de scripturis* (Malachiæ 2.) *quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est? Requirunt dixerim legem; non quam vel authentica vlla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probauerit; de huiusmodi quippe nec Præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est. Sed quod ita latere aut obscurum esse cognoscitur, vt in dubium venire possit, vtrumnam DEVS sic, aut aliter forte velit, si non de labijs custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique diuina potius consilia requiruntur, quam ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum DEI? Ipsum proinde, quem pro DEO habemus, tanquam Deum, in his, quæ aperte non sunt contra DEVM, audire debemus.* Ita Bernardus.

281 Quocirca etiam Antoninus 3. part. tit. 12. capit. 8. §. 2. hoc sensu ait, Pontificem in præcipiendo errare non posse, *esse de fide*. licet Canus lib. 5. locorum c. 5. non putet simpliciter esse de fide, sed *parum distare; ita vt contrarium sit erroneum.*

Imo etiam pie credi potest, Spiritum Sanctum nunquam permissurum, vt Pontifex etiam in priuatis Ecclesijs aliquid approbet, quod malum est, vel prohibeat quod ad salutem necessarium. Licet enim Ecclesia tota se non teneatur conformare, tali præcepto seu decreto; sumi tamen hinc solet, quasi certum argumentum, ad probandũ, id in quacunque Ecclesia licitum esse. Accedit, quod alioqui vix euitari potest, quin concedendum sit, fieri posse, vt Ecclesiæ singulæ, suum quæque errorem proprium in moribus habeant: quod tamen valde est incommodum & absurdum.

282 Secundo considerari possunt in eiusmodi præceptis circumstantię, non rei præceptę, sed ipsius præcepti, videlicet tempus, modus, quo præceptum fertur. &c. Et in his indefinite loquendo, cõmuniter omnes fatentur, Pontificem aliquando per imprudentiam errare posse, non cõmodo videlicet tempore & modo rem alioqui per se bonam præcipiendo, aut nimis multis legibus, & excõmunicationibus, ac censuris Ecclesiam onerando, vt in specie notauit etiam Bañes hic q. 1. a. 10. dub. 8. post concluſ. 5. Quamquam in particulari, & vbi res dubia est, non est ouium Pastorẽ iudicare, sed simpliciter obtemperare. De qua re plura Castro l. 5. de iusta hæreticorum punitione cap. 6. & Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 5.

283 Secundo quæritur, an Sumi Pontificis auctoritas sit etiam infallibilis in approbatione Religionum. Et Canus quidem lib. 5. locorum cap. 5. simpliciter & sine distinctione affirmat, Pontificem in ijs approbandis errare posse. Sed hæc sententia nisi commode explicetur, merito fidei ac pietati non satis consona censetur. E Contrario Gregorius de Valentia q. 1. pun. 7 §. 41. vniuersim pronuntiat, Pontificem in hac re errare non posse.

Verum distinguendum est hoc loco inter illud Pontificis iudicium quasi speculatiuum, quo publica auctoritate decernit atq; definit, hanc vel illam Religionem, quoad suum proprium institutum & regulam, esse Sanctam, diuinæque legi & Euangelicis institutis conformem, adeoque ex se ad perfectionem obtinendam vtilem; & inter aliud iudicium velut practicum, quamtumuis cum priori ordinarie re ipsa coniunctum, quo permittit, statuit, vel imperat, eandem Religionem hîc & nunc in Ecclesia admittendam esse.

284 Primum illud iudicium omnino existimandum est infallibile, vt ex communi docent Aragonius hic quæst. 1. art. 10. de Pontifice, Bannes ibidem dub. 8. qui oppositum non dubitat hæreticum dicere, & Gregorius de Valentia q. 1. pun. 7. §. 41. qui censet, hanc veritatem eodem certitudinis gradu constare, quo sequentem de Canonizatione Sanctorum.

Probatur, non solũ quia in Concilio Constantiensi sess. 8. damnantur Wicleffus & Huss, qui instituta Religionum à diabolo introducta esse, dicebant; sed etiam quia in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Canone 13. bonæ & piæ iudicantur Religiones omnes, Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatæ. Et in Concilio Tridentino sess. 25. Can. 16. de Regularibus, *pium* vocatur *institutum*, quod Apostolica Sedes approbauit. Denique Pontifices in approbatione solent DEI Omnipotentis indignationẽ, & sæpe etiam anathema intentare ijs, qui ausu temerario tali approbationi contraire tentauerint. Ratio est. Quia alioqui cum Religio, hoc ipso quod approbatur, proponatur per modum medij ad salutem oportuni toti Ecclesiæ, posset Ecclesia in ijs, quæ ad salutem pertinent, in grauem errorem incidere. Plura videri possunt apud S. Thomã, & Bonauenturã, in Opusculis cõtra impugnantes Religionẽ.

285 Quoad alterum vero iudicium, licet forte aliquo prudentiæ defectu errare posset Pontifex, nimis multas Religiones, aut inconuenienti tempore aliquam approbando, quo videlicet, per accidens non ita cõmoda sit eius in Ecclesiam introductio, vt de legibus supra dictũ, & insinuatur cap. vlt. de religiosis domibus, & cap. 1. eodem tit. in 6. & post Canum docent quoq; Aragonius & Bannes loc. cit. siquidẽ res hæc factũ potiꝰ, quam ius concernit; & ad prudentiam spectat,

aduersus quam subinde peccari à Pontifice posse, nemo negat: id tamen in particulari non facile præsumendum, nec factum Pontificis temere iudicandum aut improbandum est, in quo etiam incautum se præstitit Canus loc. citat. quia vt dictum, oues non debent iudicare suum Pastorem, sed sequi.

286 Cæterum cum dictis non pugnat, quo minus aliquæ Religiones, alioqui & ex se, & pro eo etiam tempore, quo approbatæ fuerant, Ecclesiæ vtiles, successu temporis, vel ob malitiam inhabitantium in ea, vel propter circumstantias temporum, & statum Ecclesiæ mutatum, inutiles fieri, ac proinde etiam abrogari possint. Quod enim legibus, id etiam Religionibus quoad hoc accidere potest, vt omnes fatentur: idque solum probant exempla, quæ Canus loc. cit. affert, quãuis forte non omnia sufficienti auctoritate ac fide nitantur.

287 Tertio quæritur, an & qua ratione Pontificis auctoritas sit infallibilis in Canonizatione Sanctorum. De hac re sunt duæ Doctorum sententiæ. Prima negat, decreta Canonizationis esse simpliciter & absolute infallibilia; ita vt sit de fide eos qui à Pontifice canonizati sunt, vere Sanctos ac Beatos esse. Ita plane videtur sentire S. Thomas quodlib. 9. art. 16. vbi ait: *Canonizatio Sanctorum medium est inter duo, scilicet inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & iudicium fallibile eiusdem in causis ciuilibus & criminalibus. Quia tamen*, inquit, *honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod neque etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit.* Idem sentiunt Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 8. Caietanus de Indulgentijs ad Iulium cap. 8. Et citatur etiam Luisius Turrianus 2.2. disp. 16. dub. 3. vbi tamen solum dicit: *non esse hæreticum, asserere, Pontificem posse errare in canonizatione Sanctorum*; eamque dicit esse communem Theologorum, & Bannis. Addit tamen, saltem temerarium esse asserere, Pontificem posse errare in canonizatione Sanctorum.

288 Secunda sententia simpliciter affirmat, decretum illud Canonizationis esse infallibile; ita vt de fide sit, ac per fidem credendum, eos verè Sanctos ac Beatos esse, quos Romanus Pontifex canonizauit. Ita docet Bonauentura in opusc. contra Guilielmum, vbi ait; *ad infidelitatem spectare, de Sancti canonizati gloria dubitare.* Idem docent Canus lib. 5. locorum cap. vlt. Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 7. §. 41. Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 9. Bannes hic art. 10. dub. 7. & Summistæ omnes V. *Canonizatio.* Nec dissentire videntur Waldensis tom. 2. de Sacramentalibus à cap. 122. Driedo lib. 4. de Ecclesiast. dogmatibus cap. 1. & Castro lib. 1. de iusta hæreticor punit. cap. 6. De hac re esto

Assertio I. Sancti omnes, qui à Pontifice canonizantur, necessario ab omnibus reuerenter colendi, & pro Sanctis habendi sunt. Hæc assertio apud omnes Catholicos est extra controuersiam. Ratio est, quia hoc directe decernitur & præcipitur in decretis Canonizationis, vt videbimus: quibus proinde in re diuinæ legi aperte non contraria, ab omnibus reuerenter obtemperandum est, iuxta dicta superius.

289 Assertio II. Licet non sit aperte hæreticũ dicere, Sanctorũ canonizationẽ non esse prorsus infallibilem; est tamen id scandalosum, temerarium, & hæresin sapiens; præsertim si quis in particulari diceret, aliquem Sanctorum ab Ecclesia seu Summo Pontifice canonizatum, non esse in cœlo. Ita ex mente Sancti Thomæ, & aliorum quos citauimus, speciatim notarunt Gregorius de Valentia, Bannes, & Luisius locis citatis ex communi. Ratio præter dicenda assert. seq. est, quia opponere se iudicio ac decreto Pontificis in re tam graui, & ad communem totius Ecclesiæ Religionem ac cultum spectante, siue illud in dubium reuocare, non potest non esse Summæ temeritatis, iuxta illud Augustini epist. 108. vbi ait: *Si quid horum* (quæ nimirum ad Religionem pertinent) *tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ esse.*

290 Assertio III. Sed & firmiter credendum Canonizationem Sanctorum à Pontifice factam, esse infallibilem; ita vt sit de fide, vere Sanctos ac Beatos esse eos, qui à Summo Pontifice canonizati sunt. Ita contra primam sententiam sentio cum auctoribus secundæ sententiæ. Probatur primo, ex auctoritate & sensu Ecclesiæ ac Pontificum. Nam in Concilio Constantiensi sess. 8. damnatur error Wicleffi 44. vbi sanctitatem Augustini, Benedicti, Bernardi in dubium vocat. Et in Bulla canonizationis Sancti Bonauenturæ ait Sixtus IV. *Confidentes, quod in hac Canonizatione non permittas nos DEVS errare.* Et infra: *Hunc Sanctum esse, fideliter firmiterq; teneri debere decernimus.*

Item Ioannes XXII. in Canonizatione Sancti Thomæ Aquinatis, post enumerata eius miracula, inquit: *Hæc sunt testimonia tua DEVS, quæ de hoc viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis. Nam si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quo animam eius cœlum possidere iam credimus.* Sixtus V. in canonizatione Sancti Didaci: *Publico nostro, & huius Sanctæ Sedis testimonio, quæ à Spiritu Sancto gubernatur & regitur, B. Didaci Sanctitatem optimo iure declaratam esse, &c.* Et infra: *Nos ipsi de Spiritus Sancti singulari patrocinio, atque infallibili assistentia diximus.* Clemens VIII. in canonizatione S. Hyacinthi: *S. Spiritu, quo Ecclesia afflata nunquam fallitur, multis cum precibus inuocato.*

291 Secundo probatur assertio ratione. I. Quia Pontificis definitio, in decretis morum vniuersam Ecclesiam concernentibus ferendis, est infallibilis, saltem quoad substantiam ipsius decreti; ita vt materia præscripta bonis moribus non aduersetur, vt superius hoc dubio dictum: at vero eiusmodi decreta Canonizationis sunt quædam definitiones ad mores vniuersæ Ecclesiæ spectantes; quibus scilicet definitur, hunc vel illum necessario ab vniuersa Ecclesia pro Sancto habendum & colendum esse: Ergo necesse est, ea decreta saltem quoad substantiam infallibilia esse: ita vt materia

præscri-

præscripta bonis moribus non aduersetur: atqui aduersaretur, si canonizatus ille Sanctus reuera Sanctus & Beatus non esset; quia reuera per se contra bonos mores actus superstitiosus est, pro Sancto colere, qui Sanctus non est.

II. Impossibile est Ecclesiam vniuersam errare in ijs, quæ ad diuinum cultum & Religionem pertinent; cum sit *columna & firmamentum veritatis* 1. Timoth. 3. quam docet etiam Spiritus Sanctus *omnem veritatem*, Ioannis 16. Cum ergo vniuersa Ecclesia pro Sancto habeat & veneretur à Pontifice canonizatum; impossibile est, vt hoc iudicium sit falsum. Quod argumentum etiam procedit de alijs Sanctis præsenti canonizandi more antiquioribus, quos vniuersa Ecclesia colit, vt de Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, & plærisque Martyribus. 292 &c. III. Vi eiusmodi decreti canonizationis, obligantur omnes fideles ad credendum fide diuina, talem esse Sanctum & Beatum; vt ex decretis Pontificum citatis colligitur: Ergo decretum illud est infallibile; alioqui enim posset totam Ecclesiam ad errorem obligare.

IV. Canonizatio differt à beatificatione, non solum quod hæc aliquando permittit cultum talis Sancti solum alicui parti Ecclesiæ, puta certæ Religioni, aut Episcopatui; sed etiam quia hæc vniuersim solum permittit, vt talis habeatur Sanctus, non autem ad hoc credendum obligat: Canonizatio autem plane obligat, vt is pro Sancto habeatur & colatur. Denique nullum est argumentum alicuius momenti, quod contrarium suadeat.

293 Objcitur primo, Pontificem in eiusmodi canonizatione, ex informatione & testimonijs humanis procedere; quibus absolute falsum subesse posse, nemo negauerit. Respondetur, hanc quidem veluti conditionem præsupponi ad canonizationem; sed quæ tamen proprie ac vltimate eiusmodi humanâ industria ac fide non nititur, sed infallibili assistentia Spiritus Sancti, qua iuxta diuinas promissiones Pontifex in eiusmodi decretis infallibiliter dirigitur; vti etiam in cæteris fidei definitionibus accidit.

294 Objcitur secundo, Ecclesiam falli posse in cultu ac veneratione Reliquiarum, ac hostiæ alicuius consecratæ, existimando nimirum esse corpus Sancti, aut hostiam esse consecratam, cum tamen non sit. Respondetur, quod de hostia dicitur, esse impertinens; quia hæc materia non concernit Religionem ac mores totius Ecclesiæ; neque hostiam nisi sub conditionem saltem tacita adoramus. Quod vero ad Reliquias attinet, esto accidere possit noñunquam in his error, est tamen hic error, non ita pernitiosus ex suo genere, tum quia tam vniuersalis esse non solet; tum quia Reliquias non veneramur propter se, sed propter Sanctos, & tanquam Sanctorum pignora; idque etiam sæpe sub tacita conditione. Quo fit, vt si forte pro veris Reliquijs falsæ supponitæ sint, iam animus ad has in indiuiduo colendas non feratur.

Addo denique Ecclesiam vniuersalem neq; in hoc iudicio errare posse, si seruatâ debita proportione fiat comparatio. Nam vt recte dixit Caietanus loc. cit. *Si Ecclesia tota ita definiret* (vel crederet) *hoc corpus esse S. Francisci, sicut S. Franciscum esse in gloria, credendum esset, sicut in hoc secundo, ita nec in primo errare posse.*

Objcitur tertio. Etsi Pontifex, aut Concilium defunctum aliquem damnent, & vt hæreticum detestentur, non ideo tamen hoc ipso infallibiliter certum est, talem esse damnatum; cum ille in vltimo vitæ articulo resipiscere potuerit: Ergo nec in canonizatione censendum est infallibile Ecclesiæ iudicium. Respondetur, negando consequentiam: nam etiamsi Ecclesia, secundum prudens iudicium, ac fori externi præsumptionem, aliquem detestetur vt hæreticum, & in hæresi mortuum; nihil tamen idcirco definit in foro Dei, quoad finalem impœnitentiam; quid enim refert hoc scire? sed loquitur solum tum de illo statu, in quo ille suum errorem pertinaciter defendit, tum etiam secundum iustam præsumptionem fori externi, vt dictum. 295

Objcitur quarto. In Canonizatione Sanctorum, non exprimitur, aut reperitur aliqua manifesta fidei definitio; nec subiungitur anathema &c. Respondetur negando assumptum, quo ad priorem partem. Nam si communis formula Canonizationis recte expendatur, contrarium apparebit. Talis enim ea esse solet: *Ad honorem Omnipotentis & æterni DEI, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri IESV CHRISTI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, N. N. in cœlesti Hierusalem iam receptum & æternæ gloriæ corona donatum, de fratrum nostrorum consilio declaramus, eumque tanquam Sanctum publice & priuatim colendum esse decernimus & definimus.* 296

Quæ plane est formalis & manifesta definitio; & quidem circa materiam Religionis, quæ vniuersam Ecclesiam concernit; qualis non potest non esse fidei definitio. Et quamuis non addatur anathematis comminatio, addi tamen solet *interminatio diuinæ indignationis*; quod sufficientissimum indicium est absolutæ voluntatis obligandi vniuersam Ecclesiam, ad credendum, & seruandum id, quod à Pontifice decretum & definitum est: præsertim quando etiam in plerisque decretis Conciliorum, vti etiam in ipsius Concilij Tridentini capitibus, vbi fidei veritas doctrinaliter & dogmatice traditur, nullâ adijcitur anathematis comminatio.

Objcitur quinto. Cum de S. Francisco à Gregorio IX. canonizato adhuc nonnulli subdubitarent, & Nicolaus III. nouâ bullâ eius canonizationem confirmaret, in hunc solummodo modum scripsit: *Rogamus & hortamur in Domino, quatenus ab assertione contrarij, aures de cætero penitus auertatis*: at si putasset, priorem canonizationem esse definitionem fidei, omnes dubitantes de fidei errore serio reprehendisset. 297

Respondetur, verisimile esse, ijs qui dubitabant nondum satis constitisse, an Beatus Franciscus, non ita pridem defunctus, à priori

Pontifice

Pontifice solum beatificatus, an reuera etiam canonizatus esset; aut certe aliunde habuisse causas quasdam dubitandi non plane omnis coloris expertes; quos proinde cum bona fide agere sibi viderentur, opus non erat seueriori reprehensione castigare. Præsertim quando etiamnum fatemur, non esse hæreticum negare, eiusmodi canonizationis decreta infallibilia esse.

298 Obijcitur sexto. Multæ in Ecclesia coluntur tanquam virgines, etiam ex ijs, quæ sæpe in adultiori ætate ex gentilitate ad fidem conuersæ sunt. &c. cum tamen virginitatis vix satis explorata indicia haberi possint; quando sæpe virginitas occultissimo modo amittitur: Ergo non est de fide, eas esse virgines; ac proinde nec esse Sãctas.

Respondeo in his distinguendum videri. Quædam enim ex his canonizantur, aut pro Sanctis habentur, non proprie ac formaliter sub titulo Virginitatis; etsi cum pro talibus iure habeantur, officium Virginum de ijs recitari soleat; sed ratione ac sub titulo Martyrij, aut vitæ alioquin sancte traductæ: & de ijs non existimo aut ab Ecclesia definiri, aut fide diuina credendum esse, eas Virgines esse, loquendo scilicet de Virginitate stricte, prout omnem voluntariam pollutionem excludit: cum tamen interim nihilominus ex fide certum sit, eas vere Sanctas ac Beatas esse, ex eo scilicet titulo, ob quem proprie ac directe canonizatæ fuerunt.

De quibusdam vero nonnunquam speciatim
299 & expresse in ipsa canonizatione declaratur & definitur, non solum esse Sanctas, sed etiam esse Virgines, vt in canonizatione S. Catharinæ Senensis à Pio II. peracta accidit; & tunc vtrumque pariter fide diuina credendum est; quando etiam specialibus miraculis Virginitas alicuius contestata fieri potest; quæ in eiusmodi casu intercessisse, non est dubitandum.

DVBIVM VIII.

Quænam, & quanta sit auctoritas Conciliorum; & vtrum Concilium generale sit supra Pontificem.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

300 Distinguendæ sunt in præsenti plures quæstiones. Primo quæritur, vtrum Concilia per se habeant auctoritatem infallibilem, etiam non accedente approbatione Summi Pontificis. Et supposita distinctione inter Concilia particularia, quæ ex Prælatis vel Pastoribus vnius solum vel Diœcesis, vel Prouinciæ congregantur; & inter Concilia generalia, quæ ex Episcopis & Prælatis totius Ecclesiæ congregantur; qualia inprimis celebria & sancta habentur quatuor illa antiquissima, Nicænum I. sub Siluestro contra Arium, Constantinopolitanũ I sub Damaso contra Macedoniũ, Ephesinũ sub Cœlestino contra Nestoriũ, Chalcedonẽse sub Leone cõtra Eutychen:

Certum est primo, Concilia particularia per
301 se non habere infallibilẽ auctoritatem; quia nulla de his extat promissio infallibilitatis: habere tamen, quando confirmantur à Pontifice, iuxta dicta dub. 6. & 7. de infallibilitate Pontificis. Qua ratione Concilia Carthaginensia, Ancyranum, Neocæsarienſe, Gangrense, Sardicense, Africanum, approbata sunt à Leone IV. dist. 20. Canone *Delibellis*. Vt alia taceam, quæ ipso vsu & consensu tacite ab Ecclesia approbata censentur, vt recte notarunt Canus l. 5. locorum c. 5 & Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 7. §. 45.

Secundo certum est, Concilia etiam gene- 302
ralia posse errare, adeoque infallibilia non esse, si definiãt aliquid, seu dissentiẽtibus Legatis Apostolicæ sedis, seu consentientibus contra instructionem Pontificis; qualẽ videlicet de rebus definiendis cõmuniter Legatis dare Pontifex solet. Sunt enim eiusmodi Concilia acephala, imo mõstrosa, & illegitima, velut corpora à suo capite dissentientia.

Tertio satis certum est, Concilia generalia er- 303
rare non posse si aliquid concorditer definiant, omnibus consentientibus, etiam Legatis Romanæ sedis, habentibus & sequẽtibus expressam Papæ instructionem. Ita ex cõmuni docent Bellarminus l. 2. de Concilijs c. 11. alijq; citandi. Ratio est; quia tunc iam hoc ipso sunt aliquo modo approbata à Summo Pontifice.

Illud vero dubium est, vtrum eiusmodi Conci- 304
lia legitime alioqui congregata, hoc est, vel Sumi Pontificis auctoritate, vel propria sponte, tempore Schismatis, aut vacante Sede, infallibiliter definiant, quãdo vel absentibus Legatis Pontificijs definiunt, vel illis quidem consentientibus, sed nullam à Pontifice instructionem specialem circa rem definiendam habentibus; vt in Concilio Tridentino propter varietatem rerum definiendarum, accidit.

In qua re omnes illi, qui Concilia generalia e- 305
uehunt super Pontificem, absolute affirmant, omnia Concililia generalia legitima habere infallibilem auctoritatem; quos paulo post quęsito sequenti referemus. Alij vero quidam, vti Sotus in 4. dist. 20. q. 1. a. 4. Castro l. 1. de iusta hæretic. punit. cap 6. & Aragonius hic q. 1. a. 10. docent, Concilia generalia infallibiliter definire, saltem quando consentiunt præsentes Legati, etiamsi nullam instructionem habeant: eamque rem sub opinione sitam esse, sentiunt Canus l. 5. locorum c. 5. Bañes hic a. 10. dub. 3. & Bellarminus loc. cit.

Sed nihilominus vniuersim affirmandum est, 306
Concilia etiam generalia, quamtumuis legitime congregata, in definiendo errare posse, si decreta ipsa nulla auctoritate Summi Pontificis fulciantur, aut comprobentur; vt fit cum vel in Schismate, vbi de vero Pontifice non constat, seu vacante sede, sine auctoritate Pontificis, & præsentia Legatorum ipsius; vel cum auctoritate quidẽ Pontificis, ac in præsentia Legatorum ipsius, hisque ipsis in definitionem consentientibus, sed sine speciali instructione Pontificis circa res ipsas definiendas, celebrantur; nec postea speciatim à Summo Pontifice approbantur. Ita docent S.

Thomas

Thomas opuscul. contra Impugnat. Relig. Turrecremata lib. 3. de Ecclesia cap. 32. 33. 34. 38. Caietanus de auctoritate Papæ & Conciliorum cap. 8. & in Apologia part. 2. c. 21. Sylvester v. *Concilium* §. 3. Pighius lib. 6. eccleſiaſt. hierarchię cap. 6. Gregorius de Valentia hic. q. 1. pun. 7. §. vlt. eandemque sententiam vt probabiliorem sequuntur Canus, Bañes, & Bellarminus locis cit.

306 Probatur assertio his argumentis. I. Nullum est scripturæ testimonium, quo Concilio generali seorsim eiusmodi infallibilitas transcribatur. Solum obijci potest locus ille Ephes 4. vbi Deus dicitur in Ecclesia *posuisse Pastores & Doctores, vt non circumferamur omni vento doctrinæ. &c.* Sed facilis est responsio; nam sub his vel maxime comprehẽditur Romanus Pontifex. Quare hinc non colligitur, Concilia absque Pontificis auctoritate, sed vna cum Pontifice quidem, velut capite & præside omnium Pastorum ipsorumque Conciliorum, infallibilem habere auctoritatem.

II. Ipsamet Concilia & Pontifices idipsum declarasse videntur. Nam càpit. *Significasti*, de electione, ait Pontifex *omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem facta esse, & robur accepisse.* Similia habentur in VII. Synodo generali act. 6. tom. 1. & in VIII. Synodo act. 1. & 7. & in quadam Romana Synodo sub Symmacho dist. 69. Canone *Bene quidem*, & in alia Romana sub Damaso lib. 5. hist. tripartitæ c. 29. & in Concilio Florentino decreto vnionis.

III. Idem colligitur ex perpetua Ecclesiæ praxi; qua Concilia etiam generalia petere solent approbationem à Summo Pontifice: de quo Gelasius in Epist. ad Episcopos Dardaniæ, & Nicolaꝰ in Epist. ad Michaelẽ Imperatorem. Exemplum recens extat in Concilio Tridentino.

IV. Accedit experientia; qua cõstat, quædam Concilia generalia per Pontificem nõ approbata erasse; vt Ephesinum II. in causa Dioscori, à Leone quidem indictum, sed non confirmatum; Basileense sub Eugenio IV. item Ariminense, D C. Episcoporum in causa Arij; & Constantinopolitanum sub Leone Imperatore, quæ tamen postrema duo nec Pontificis quidem auctoritate congregata fuerunt.

307 V. Accedit ratio: tum quia Concilia, quamtumuis de cætero vniuersalia, nulla Romani Põtificis auctoritate nixa & firmata, vere non sunt vniuersalia seu Oecumenica, cum capitis sui, adeoque vniuersalis & Oecumenici Patriarchæ auctoritate destituantur. Vnde nec totam Ecclesiam perfecte repræsentant; licet vtcunque repræsentent corpus Ecclesiæ; id quod tamen non facit, vt in definiendo errare non possint; posset enim & totum Ecclesiæ corpus absque capite in definiendo errare, vt suo loco superius dictum; sed summum, vt omnes quidem errare non possint errore personali, vt recte notarunt Canus & Bannes locis cit. quamquam & hoc ipsum valde incertum est, si non omnes, aut prope omnes Ecclesiæ Prælati conueniant; quia nihil obstat, maiorem partem Doctorum & Pastorum errare circa fidem, aut ab ea deficere. Accedit quod in scripturis auctoritas infallibilis definiendi recte soli Petro, eiusque successoribus promissa est; quod ipsum cum sit personale priuilegium, non potest à Pontifice Legatis, alijsue personis communicari.

Secundo quæritur, vtrum Concilium generale sit supra Pontificem, loquendo scilicet de Concilio generali, non solum eo, cui Papa per se, vel per Legatos præsit, sed etiam quod absque consensu Apostolicæ Sedis aliquid decernat. Quam quæstionem cum Bellarminus de Eccles. à cap. 13. diligenter & accurate tractet, nos breuiter expediemus. Et quidem affirmatiuam sententiam ex Catholicis sequuti sunt Cardinalis Cameracensis, siue Petrus de Alliaco, Ioannes Maior, Ioannes Gerson, Iacobus Almain, in tractatibus de potestatibus Ecclesiæ; qui nunc habentur in operibus Gersonis par. 1. editionis Parisiensis; item Nicolaus Cusanus tract. de concordantia Canonum l. 2. c. vlt. Panormitanus in capit. *Significasti*, de electione, & ibidem Magister eius Cardinalis Florentinus, & Abulensis in caput 18. Matthęi q. 108. & in defensorio trium cõclusionum, & alij apud Bellarminum c. 14. qui omnes docent, Papam esse quidem caput & Pastorem singulorum Christianorum, & singularum Ecclesiarum, si seorsim sumantur; non autem totius Ecclesiæ congregatæ in Concilio generali; vt quod habeat potestatem plenam & supremam, etiam inuito Pontifice, definiendi Religionis cõtrouersias, sanciendi leges, dandi Indulgentias, quin etiam ipsum Papam iudicandi, puniendi, & deponendi: etsi vtcunque interim eadem suprema potestas regendi Ecclesiam instrumentaliter resideat aliquo modo in Pontifice; ita tamen vt eius auctoritas per se non sit infallibilis, nisi communis Ecclesiæ auctoritas accedat. Quo fit; vt 309 secundum istos Papa in Ecclesia non sit velut pastor in ouili, velut paterfamilias in domo, velut Rex vel Prorex in regno; sed id duntaxat, quod est Consul in ciuitate, Rector in Academia, Magister generalis ordinis in aliqua Religione, aut Dux Venetus in Republica Veneta. 308

Eandemque sententiam probarunt etiam Cõciliabulum Pisanum, & Concilium Constantiense; imo etiam aperte definiuit Cõcilium Basileense. Denique eidem sententiæ ex parte affines sunt etiam nonnulli Canonistæ, qui dixerunt, non inuitum quidem, sed sponte tamen Pontificem subijci Concilio posse. Ita Glossa in Canone *Nos si in copetente*, 2. q. 7. & Canone *In Synodo* dist. 63.

Cæterum communis & vera sententia est negatiua, quam supponere videntur omnes Scholastici in 4. dist. 19. vt & S. Thomas hic q. 1. a. 9. & 10. & aperte docent Antoninus 3. part. tit. 22. c. 10. §. 4. Summæ historialis, & 2. part. tit. 3. c. 11. Summæ Theologicæ, Turrecremata l. 2. de Ecclesia cap. 93. & 104. & respons. ad Oratores Basileenses, Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 1. cap. 6. Augustinus de Ancona tractat. de potest. Ecclesiæ, Dominicus Iacobatius lib. 10. de Concilijs art. 7. Caietanus tract. de auctoritate Papæ & Conciliorum, Pighius lib. 6. de hierarchia Ecclesiæ, Ferrariensis lib. 4. contra Gentiles c. 76. Franciscus Turrianus tribus libris 310

hac de

hac de re scriptis, Sanderus lib. 7. de visibili monarchia, Canus lib. 5. locorum cap. 5. Bannes, & cæteri Commentatores hic q. 1. a. 10 Gregorius de Valentia punct. 7. §. 45. Bellarminus cit. lib. 2. cap. 17. & Canonistæ fere omnes in capit. *Significasti*, de elect. & Canone *Si Papa*, dist. 40.

311 Probatur hæc veritas I. Ex Scriptura, quæ S. Petro eiusque Successoribus aperte super vniuersam Ecclesiam, & totum ouile Christi, tanquam Summo Pastori potestatem tribuit, vt probauimus dub. 2. & 3. significans simul, eum esse velut Oeconomum & seruum, quem Christus Dominus suo loco *constituit super familiam suam*, vt ita que totam, Lucæ 12. & Matthæi 24. velut Pastorem super vniuersum ouile Ioannis 10. & 21.

312 II. Probatur ex Concilijs. Nam in Chalcedonensi epist. ad Leonem, Romanus Pontifex agnoscitur pro capite totius Cõcilij, & Petrus cui successit Papa vocatur *Caput corporis Ecclesiæ*. In Lugdunensi Papa vocatur *Sponsus Ecclesiæ, & rector vniuersalis Ecclesiæ*, vt refertur capit. *Vbi periculum*, de elect. in 6. In concilio Florentino ante decretum vnionis, definitur, Pontificem esse *caput totius Ecclesiæ, & vniuersalis Ecclesiæ Rectorem*. In Constantiensi sess. 15. damnatur error Hussij dicentis, Papam non esse immediatum *Vicarium Christi*.

Præterea in Concilio Sinuessano sub Marcellino, in Romano sub Sylvestro, in Romano V. sub Symmacho approbante librum Ennodij Diaconi; item in VIII. Synodo act. 7. & in Lateranensi sub Alexandro III. vti habetur capit. *Licet*, de elect. dicitur, *primam Sedem*, adeoque Pontificem Romanum, *à nemine iudicari*.

Denique Concilium Lateranense vltimum sub Leone X. sess. 11. contrario decreto Concilij Basileensis reprobato, diserte & ex professo definit, *Pontificem esse super omnia Concilia*, quod decretum si Catholici illi Doctores vidissent, nunquam, vt opinor, oppositum docuissent.

III. Accedunt SS. Patres, qui diserte asserunt, ipsam per se Cathedram Romanam esse infallibilem, & totius Ecclesiæ caput, vt diximus dub. 3. & 6.

313 IV. Accedit ratio: tum quia Pontifex est verum caput Ecclesiæ, & habet supremam potestatem in Ecclesia, vt superius ostensum est locis cit. atqui fieri non potest, vt sint duæ supremæ potestates, aut duo capita eiusdem communitatis vel corporis. Tum quia ad bonum Ecclesiæ regimẽ necessarium est, vnum esse quoddam caput totius Ecclesiæ, à Concilijs generalibus independens, vt dictum dub. 1. & 6. Denique Pontifex iure diuino Superior est omnibus Ecclesiæ membris: Ergo repugnat iuri diuino, vt se subijciat potestati coactiuæ alterius, vt Canonistæ illi dixerunt.

314 Cæterum licet hæc sententia certissima & verissima videatur, adeo vt etiam contraria erronea & temeraria, imo hæresi proxima merito censeatur apud Bellarminum, & alios citatos: attamen quia in nullo Concilio, quod ab omnibus extra controuersiam pro generali habeatur, aperte hactenus definita est (nam de Lateranensi vltimo nonnulli dubitant, an fuerit vere generale) ideo nec iam quidem opposita opinio hæretica censetur; vti nec hæretici illi, qui contrarium sentiunt, vt recte notauit Bellarminus cap. 13. & 17.

Neque vero Concilium Basileense, quoad hoc est vllius auctoritatis; licet ante apertum schisma 315
fuerit habitum pro legitimo. Constantiense vero approbatum quidem est à Martino V. sed solum quoad decreta fidei conciliariter ab eo constituta, vt cum Caietano notauit Gregorius de Valentia loc. cit. Neque tamen idcirco negandum est, Patres in Concilijs, vt veros iudices definire; quod cõmuniter omnes docent, ac inprimis Canus l. 5. locor. c. 5. & Arragonius hic q. 1. a. 10. de Concilijs; etsi nonnulli eos Papæ Consiliarios esse velint: quam tamen quæstionem de nomine esse potius, quam de re, & vtrumque diuersa ratione vere dici posse, existimat Valentia loc. cit.

Tertio quæritur, an Ecclesiæ, seu Concilij generalis approbati auctoritas sit maior, quam scripturæ. Respondetur breuiter, cum distinctione. Aut enim est sermo de Ecclesia generatim, vt includit etiam ipsos scriptores Canonicos, Prophetas scilicet, & Euangelistas, atque Apostolos: & hoc modo non est maior scripturæ auctoritas, quam Ecclesiæ; sed intensione quidem æqualis, extensione verò minor; cum Apostoli & Euangelistæ infallibili auctoritate plura docuerint & fecerint, quam quæ præcise libris canonicis continentur. Aut est sermo de Ecclesia, prout distinguitur contra scriptores Canonicos; & sic absolute maior est Scripturæ Sacræ auctoritas, quam Ecclesiæ, seu Cõcilij quamtumuis generalis; cum illius auctoritas sit diuinior & sacratior: eo quod in nulla re prorsus errare possit; quod de Conciliorum & Pontificum decretis dici non potest, ex dictis dub. 6. Atque ita recte docet etiam Bellarminus lib. 2. de Eccles. cap. 12. Idemque in simili dicemus de Traditionibus quæstione sequente. 316

Quod autem Sectarij dicunt, nos scripturam 317
sacram subijcere Ecclesiæ seu Papæ aut Concilio, seu quod idem est, ex nostra sententia Papam vel Ecclesiam esse supra scripturam, eo videlicet, quod Ecclesiæ testificatione ac definitione scripturæ auctoritas nobis innotescat, mera calumnia est. Si enim Ecclesiã de scriptura iudicare diceremus, verumne sit, an falsum, quod scriptura docet; ita vt scriptura suam infallibilitatem habeat ab Ecclesia, quomodo de Concilijs iudicare Pontificem docemus, tunc vere diceretur, nos Scripturam Ecclesiæ iudicio subijcere. Verum quia hoc nullo modo dicimus; sed solum Ecclesiam nobis patefacere & ipsam scripturam sacram & genuinam eius sententiam, mendacium vanissimum est, dum clamant, nos scripturam Ecclesiæ subijcere, vt recte etiam notauit Bellarminus citat. lib. 2. de Ecclesia cap. 12. & lib. 3. de verbo Dei cap. 10.

QVÆSTIO V.

De norma fidei; speciatim de Scriptura Sacra, & traditionibus; deque resolutione fidei.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

ABsoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. An sit aliqua Scriptura Sacra, seu quod idem est, aliquod verbum Dei scriptum; & vnde dignoscatur; quibusque libris contineatur. II. Quænam editio scripturæ habenda sit pro legitima & authentica III. An præter scripturam, seu verbum Dei scriptum, admittendæ sint traditiones, seu verbum Dei non scriptum. IV. An traditiones, seu verbum Dei non scriptum sint eiusdem auctoritatis cum verbo Dei scripto; & qua ratione legitimæ Traditiones dignoscantur ab illegitimis. V. Quænam sit totius fidei resolutio.

DVBIVM I.

An sit aliqua scriptura sacra, seu quod idem est, aliquod verbum Dei scriptum; & vnde dignoscatur; quibusque libris contineatur.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 9. & 10.

1 POstquam hactenus de iudice controuersiarum fidei actum est, sequitur, vt de norma fidei agamus. Sicut enim in ciuili Republica iudex non ex suo capite causas ciuiles decidere, iusque dicere, ac sententiam ferre debet; sed in ijs definiendis ad certam normam, hoc est, leges seu scriptas, seu non scriptas adstringitur; ita multo magis in Republica Ecclesiastica, iudex in definiendis controuersijs Religionis, ad certã normam fideique infallibiles regulas adstrictus est. Has vero, generatim loquendo, non esse alias, quam locos proprios ac proprie Theologicos, ex quibus scilicet infallibilia desumuntur argumenta ad comprobanda ea, quæ Religionem attinent, indubitatum est.

2 Eos locos cum varij varie numerent, duæ tamen rationes eosdem distinguendi magis nobis probantur, vt ex instituto docuimus tom. 1. disp. 1. q. 5. dub. 1. Vna est, qua generatim omnis locus proprius ac proprie Theologicus, adeoque omnis norma fidei distinguitur, in duos hos generalissimos locos, seu regulas fidei; nempe in verbum Dei scriptum, & non scriptum, seu quod idem est, in scripturam sacram, & traditionem. Altera; qua paulo distinctiore enumeratione, septem infallibiles fidei regulæ distinguuntur, nimirum 1. Explorata auctoritas sacræ scripturæ. 2. Explorata auctoritas traditionum Christi & Apostolorum. 3. Perspecta & consentiens auctoritas totius Ecclesiæ Catholicæ; siue consensus fidelium exploratus, cum aliquid ereduntur velut ad fidem pertinens. 4. Auctoritas explorata Conciliorum generalium seu approbatorũ, quidpiam circa fidem definientium. 5. Auctoritas legitima & explorata definitionis Romani Pontificis, aliquid definientis in dubia fidei quæstione. 6. Consentiens & explorata auctoritas SS. Patrum, in aliquo fidei dogmate tradendo. 7. Similis consensus siue auctoritas Ecclesiasticorum Doctorum quouis tempore existentium, vt ex instituto docuimus loc. cit.

E quibus, cum cæteras fidei regulas omnes, exceptis primis duabus, nempe auctoritate S. Scripturæ, & traditionum Christi ac Apostolorum iam ante explicauerimus, nimirum partim superius q. 3. & 4. vbi de Ecclesia, & Doctoribus Ecclesiæ, de Summo item Pontifice, & Concilijs egimus; partim cit. tom. 1. q. 5. dub. 1. vbi speciatim de SS. Patrum auctoritate, ac simul etiam dub. 2. de vario scripturæ sensu ex instituto tractauimus, superest, vt hoc loco breuiter de ijs, quæ circa scripturam reliqua sunt, speciatim de numero librorum canonicorum, veraque eius editione, ac deinde generatim de traditionibus agamus. 3

Et quod ad præsentem dubitationem attinet, quam late tractaui olim in propria Disputatione de verbo Dei Monachij propositа Anno 1599. ac postea etiam in Dioptra fidei lib. 1. cap. 3. & 4. & in Examine Huñianæ relationis de Ratisponen. Colloquio cap. 18. supponimus primo, Scripturam sacram in proposito vocari illam, quæ Spiritu sancto inspirante seu dictante conscripta est, & per hominem, velut calamum quendam, diuina manu regente exarata; secũdum illud psalmi 44. v. 2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*; & illud Baruch apud Ieremiam 36. v. 18. *Loquebatur* (Ieremias) *quasi legens ad me omnes sermones istos; & ego scribebam in volumine atramento.* Dici vero solet scriptura *Verbum Dei*, tum quod mentem diuinam nobis pandat; tum quod quasi quidam sermo Dei sit, quem *Spiritu sancto inspirante inspirati loquuti sunt sancti DEI homines*, 2. Petri 1. vers. 21. 4

vel potius, quem Deus ipse *per os Sanctorum locutus est*. Lucæ 1. v. 70.

5 Dicitur etiam *Scriptura Canonica*; vel quod ipsa Canon sit & norma seu regula fidei, *cui benefaciamus attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco* 2. Petri 1. vers. 19. vel quod eius libri Canone, Ecclesiastico notati & descripti sint; vt præter Athanasium in synopsi, notauit Sanctus Augustinus pluribus locis, speciatim de sermone Domini in monte lib. 1. cap. 38. & lib. 15. de ciuitat. Dei cap. 23. & lib. 18. cap. 38. & contra Faustum lib. 22. cap. 79. vbi ait: *Has scripturas Canon Ecclesiasticus respuit*. Et contra Cresconium lib. 2. cap. 32. *Non sine causa*, inquit, *tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineāt*. Et tamen hanc etymologiam *nugas* vocat magnus ille *nugator* Kemnitius, in Examine Concilij Tridentini sess. 4.

6 Supponimus secundo, eiusmodi scripturam sacram extare, contra Libertinos ac Schwenckfeldium; qui negant, vllam eiusmodi scripturam sacram Deo inspirante conscriptam, fideiq; infallibilem regulam extare; atque adeo scripturas scriptoresq; sacros impie rident, ac pro fabulis habēt; & suos interim enthusiasmos pro viuo, vero & vnico Dei verbo iactant. Sed quis non rideat potius istos phanaticos enthusiastas? Quasi vero quem sibi Spiritum Dei familiarissimum gloriantur, is Prophetis, Apostolisque Dei inter scribendum non adfuerit, aut si adfuit, mutus omnino otiosusque fuerit, nec eis ad scribēdum quidquam contulerit. Quod si ita est, si inquam Spiritus sanctus, vel non adest sanctissimis, vel si mutus est & otiosus, cum adest, tunc profecto nec Spiritum Dei habent, nec quidquam ex Deo loquuntur, isti phantastæ; nec hoc ipsum quidem, quod sancti Dei homines, Spiritu sancto inspirati, nihil loquuti sint, nihil scripserint.

7 Supponimus tertio, auctoritatem scripturæ sacræ tam diuinam & sacrosanctam esse, vt nefas sit, eam vel minimi in re leuissima erroris à scriptore sacro profecti arguere. *Admisso enim in tantum auctoritatis fastigium aliquo mendacio*, (aut errore) *nulla particula horum librorum manebit, quæ non possit in dubium reuocari*, inquit præclare Augustinus epist. 8. ad Hieronymum. Absit igitur, aliquem Euangelistis memoriæ lapsum, cum Erasmo in Annotat. ad 2. & 27. caput Matthæi, impingere; aut quidquam non diuino, sed humano tantum spiritu in eiusmodi libris scriptum asserere: vt quidem asseruerūt Anomæi apud Epiphanium hæres. 76. & alij quidam antiquiores hæretici. *Quod si aliquid in eius modi literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam*, inquit rursum Augustinus epist 19. ad Hieronymum. Similem errorem refellit etiam Hieronymus in cap 5. Micheæ & in præfat. commentar. epist. ad Philemonem.

8 Sed difficultatem habet illud Matthæi 27. v. 9. *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, &c.* Vbi manifestum videtur, errore quodam positum nomen Ieremiæ, pro Zacharia. Negant quidam, vllo id errore accidisse. Verum rectius alij errorem agnoscunt: sed auctorem erroris Euangelistam negant. Putant enim, ab Euangelista, omisso penitus Prophetæ nomine, pro more, scriptum solummodo fuisse: *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam*; postea vero aliunde illapsum esse Ieremiæ nomen. Huius rei argumento est, quod & in Syriaco nomen Ieremiæ non legitur; & quod Augustinus lib. de consensu Euangelistarum cap. 7. scribit, suo tempore in multis etiam latinis codicibus lectum non fuisse. Atque ita docent Iansenius & Maldonatus in illum locum Matthæi, & Baronius tomo 1. Annalium Anno Christi 34.

Supponimus quartò, scripturā sacram suam illam tam eximiam auctoritatem, ac infallibilem veritatem non aliunde habere, quam ab ipso eiusdem authore Deo, qui nec falli, nec vllo modo fallere potest: *qui non est Deus quasi homo, vt mentiatur*, Num. 23. v. 19. Inde ergo habet, quod diuina sit, quod sacra sit, quod ab omni falsitate alienissima sit, vnde omnino habet, quod sit: ita vt proinde Ecclesia scripturam veram, sacram, aut diuinā minime faciat, vel constituat, sed solum notificet, vt mox dicetur. Alia ratio est eius denominationis, qua scriptura *Canonica* dicitur. Licet enim priori notione & significatu hui⁹ nominis de quo supra, scriptura Canonica saltē in actu primo per Ecclesiam non efficiatur, tamen posteriori sensu, scriptura quod Canonica sit, hoc est, in canonem Ecclesiasticum accepta, vtique ab Ecclesia habet, à qua in canonem recepta est. His positis, ad propositam quæstionem, quinam libri sint sacri, sequentibus assertionibus respondemus. 9

Assertio I. Scriptura sacra omnibus & solis ijs libris cōtinetur, quos Ecclesia Catholica quouis tempore existens, in canonem recipit: nec est vllum documentum sufficiens, quo scriptura sacra à non sacra discernatur, sepositā Ecclesiæ Catholicæ infallibili auctoritate. Ita sentiunt omnes Catholici, contra huius temporis Sectarios, qui vt Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem effugiant, varijs alijs modis ac criterijs scripturas sacras à non sacris discerni posse docuerunt, quos nunc ordine refellemus. 10

Primo enim Caluinus lib. 1. Instit. cap. 7. §. 2. id partim per se manifestum fieri, partim ex arcano testimonio Spiritus petendum contendit: *Quod autem rogant*, Catholici, inquit, *vnde persuadebitur, à Deo fluxisse* (hos vel illos scripturæ libros) *nisi ad Ecclesiæ decretum confugiamus: perinde est, ac si quis roget; vnde discemus lucem discernere à tenebris, album à nigro, suaue ab amaro? Non enim obscuriorem veritatis suæ sensum vltro scriptura præ se fert, quam coloris sui res albæ ac nigræ, saporis suaues & amaræ*. Et infra §. 4. ait, auctorem scripturæ Deum esse, *ex arcano testimonio spiritus, quod Spiritus sanctus piorum cordibus obsignet*, discendum esse.

Sed manifeste errat, & cæcutit Caluinus. Nam si per se euidens est distinctio inter scripturam sacram & non sacram, tum pari ratione verbum diuinum etiam non scriptum, discernetur ab alio 11

verbo

verbo non diuino; cum vtrumq; per se eiusdem sit efficaciæ & auctoritatis; quam vtiq; verbum diuinum à scriptione non emendicat; cõsequens autem plane falsum est, & contra scripturam; ex qua constat, etiam Sanctos nonnunquam dubitasse, an vere esset verbum seu vox Dei, quam diuinitus ad se factam audierant, vt patet de Israele seu Iacob, dum contra Deum fortis luctaretur, Genes. 32. de Gedeone, Iudicum 6. de Manue, eiusdemq; vxore, Iudicum 13. & deniq; de Samuele, 1. Reg. 3.

Secundo, si verum est id Caluini pronuntiatũ, necesse est cæcos fuisse omnes quasi SS. Patres, qui rem adeo per se claram & euidentem non perspexerint; dum in scripturæ canone consignando, salua fide & charitate, cum res adhuc dubia esset, & à se mutuo nõnihil, & à Caluino plurimũ dissentiebant; nihil in hoc genere, sine Ecclesiæ auctoritate scire se libere profitebantur, vt partim superius ex Augustino retulimus, partim magis patebit inferius.

Tertio, hanc vel illam esse scripturam sacram, fide solum credimus, vt & alia mysteria supernaturalia; at vero fides non est rerũ euidentiũ, sed obscurarũ, iuxta Apostolũ Heb. 11. vbi fidem definit esse *argumentum non apparentium*. Qui etiam 1. Cor. 13. ait. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

12 Sed neq; arcano spiritus testimonio id satis discerni posse, vti secundo loco dixerat Caluinus, ex eo itidem perspicuũ redditur, tum quod ijdẽ sanctissimi Patres, quibus nemo iure negauerit, opem Spiritus sancti multo propius ac certius astitisse, quam Caluino, alijsq; eiusmodi ventris & Veneris mancipijs, de quibusdam eiusmodi libris dubitarunt; nec vndequaq; inter se, vel cum Aduersarijs senserunt, vt dictum; tum quod ipsi etiam aduersarij, licet omnes spiritum iactent, inter se minime consentiunt, vt inferius dicemus.

13 Secundo vero plures docent, id ex internis ipsius scripturæ critirijs dignosci. Ita præter Caluinũ loc. cit. Ioannes Pappus disp. de auctorit. script. thesi 22. Ægidius Hunnius in Tractatu de scriptura, & in Colloquio Ratisponensi sess. 10. vbi ait; *quod Euangelium Matthæi sit canonicum, & habeat diuinam auctoritatem, id habemus non simpliciter ex auctoritate Ecclesiæ, sed internis etiam critirijs, quorum multa sunt.* Nimirum inter ea à Sectarijs recensentur dignitas scripturæ, & antiquitas, efficacia in animis legentium, vel audientium, sermonis cum quadam maiestate simplicitas, traditæ in ea doctrinæ consensio, vaticiniorum consecutus euentus, miracula. &c.

Sed inania sunt hæc effugia. Quia in scriptura ipsa, si, quidquid demum in ea est, alicuius critirij nomine dignum, examussim expendamus, non est nisi argumentum & oratio, tanquã materia; indubitata veritas, tanquam forma; stylus & idioma tanquã quid extrinsecus aduenies; & si quid præterea cogitari potest, ad ista reuocatur, aut sane ex his enascitur: ex nullo autem istorũ, vel separatim vel copulatim vna cũ alijs sumpto, scriptura sacra sufficienter innotescit. Ergo nullum in ipsa scriptura critirium assignari potest, ex quo ipsa sufficienter discernatur. Non ex argumento, oratione, stylo, siue idiomate. Tum quia nihil omnino de scripturę argumento & oratione 14
sciremus, nisi aliunde prius scripturas dignosceremus. Tum quia hæc omnia scripturæ sacræ cum prophana cõmunia sunt, aut esse possunt. Tractant Iosue & Regum libri bella Iudæorũ, tractat eadem Iosephus prophanus scriptor. Sermo scripturæ sacræ hebraicus, chaldaicus, syriacus, græcus, latinus est; eundem esse scriptorum prophanorum quis nescit? Stylus varius, generatim tamẽ loquendo, simplex & vulgaris est; non humanæ sapientiæ verbis splendidus, sed rerũ & sententiarum pondere grauis. Idiotismus scripturæ sacræ ex lingua præcipue hebraica & græca nascitur. Quid ergo in stylo & idiomate non cõmune cum alijs prophanis eiusdẽ sermonis libris? aut si quid omnino hac in re propriũ scripturæ est, quis illud proprium, ante scripturam iam aliunde cognitam, probe discernit? cum præsertim ipsi scripturæ libri non minus aliquando inter se, quam à non sacris, sermonis proprietate dissentiant.

Multo min9 ex veritate aut falsitate scripti, scriptura sacra à non sacra potest internosci. Multa 15
enim profane scripta vera sunt, & inter se optime consentientia; & sacra tamen non sunt: nisi forte nihil vnquam veri scripserint Sectarij. Contra vero multa in scripturis sacris, ob apparentem repugnantiam, talia sunt, vt nisi aliunde sciremus, DEO dictante conscripta esse, falsa nobis penitus videri possent. Talia passim in Moyse & prophetis, in Apostolis & Euangelistis occurrunt, vt omnes sciunt & in proprio opusculo diligenter annotauit Seraphinus Cumiranus Feltrensis. Nonne ergo si ex veritate, sepositâ Ecclesiæ authoritate, iudicium faciendum sit, profana 16.
sacris, sacra profanis miscebuntur? Est quidẽ aliquid reconditæ & latentis veritatis (ex qua etiam eiusdem maiestas & efficacia potissimum nascitur) in scriptura, quod scripturæ proprium est; nempe quod non solum ipsa non fallat, sed nec fallere aut errare possit, vtpote dictante spiritu sancto conscripta. Sed hanc propriã veritatis excellentiã, cum per se occultissima sit, tum demũ in scriptura agnoscimus, cum iam aliunde scripturam sacram, eiusq; auctorem Deum cognouerimus.

Ita etiam antiquitas scripturæ per se nihil pro- 17
bat; quia sunt & esse possunt profana quædam scripta antiquiora quibusdam sacris. Et oraculi impletio, eius quidem ipsius veritatem & authoritatem demonstrat, sed totius scripturæ, cui insertum est, diuinam authoritatem, non satis demonstrat. Præsertim cum libri quam plures scripturæ proprie non sint prophetici, sed historici; vt sunt libri Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon. Et vt pro veritate quidem fidei, libris sacris explicatæ, multi martyrium subierint, pro ipsis tamen libris sigillatim ac in specie, præsertim vero omnibus & singulis v. g. pro epistola ad Titum, vel Philemonem, quinam passi martyrium 18
fuerint, nemo ostendet.

Atq; in eundem sensum breuiter etiam contra Dauidem Paræũ, in disp. de author. script. interna

eiusmodi critiria iactantem, alibi disserui. Inter ea enim ab ipso numerantur. 1. authoritas scriptoris, quam ipsæ sacræ literæ in quibusdam libris patefaciunt: quasi vero non de his ipsis libris & locis quæratur, vnde cognoscatur, ea vere scripturam sacram esse. 2. Diuinum quoddam doctrinæ genus. Sed doctrina talis communis esse potest libris canonicis cum non canonicis, nec etiam in omnibus scripturæ partibus eadem argumenti excellentia cernitur, vt dictum. 3. Styli 19 diuini maiestas. Sed nec in hoc par est omnium scripturæ partium ratio: & si quid alicubi eximium elucet, ex idiotismo linguæ originalis oritur, vt dictum: præterquam quod ipsi scriptores sacri (& quidem ipse Apostolus) nonnunquam styli sui, siue sermonis quandam tenuitatē agnoscunt. 4. Diuinus doctrinæ consensus. Sed hic esse potest etiam in scriptore profano: præterquam quod ille tam apertus non est, vt nisi aliunde de librorum authoritate constaret, facile deprehendi non posset, vt supra dictū. 5. Mirabilis sacræ scripturæ effectus. Sed hoc partim commune habet cum omni doctrina diuina, partim non in omnibus partibus sacræ scripturæ, (vt in libris Regum, Paralipomenon &c.) per se notabile est. Esto igitur valeant ea, quæ allata sunt scripturæ 20 critiria, ad confirmandam fidem eorum, qui iam credunt librum esse canonicum; in quem sensum disserit Bellarminus c. 2. l. 1. de Verbo Dei: at vero dicere, ex ijs solis, seclusâ omni Ecclesiæ authoritate, discerni satis scripturam sacram à non sacra, vanissimum est: præsertim quando ipsimet illi, qui hæc critiria assignant, in canone consignando nō plane consentiunt, siue Lutheranos cum Caluinistis, siue ipsos inter se Lutheranos conferamus, vt inferius dicemus.

21 Tertio nonnulli ex ipso quoq; titulo seu inscriptione, Apostolum seu Prophetam auctorē præferente, id in plærisque discerni asserunt. Ita Gryneus Caluinista Basileensis disp. de scriptura, & Hunnius in Colloquio Ratisp. sess. 10. vbi ait: *Quin & Euangelium Matthæi esse Matthæi sacrosanctū, etiam ipsa inscriptio testatur.* Sed & hoc cōmentitium est. Vel enim tituli, partes sunt librorum canonicorum, quibus præfiguntur; vel non sunt. Si sunt; Ergo quando de libri veritate & auctoritate dubitatur, de ipsorum quoque titulorum auctoritate dubitari necesse est: si non sunt; ergo infallibilem auctoritatem ad testificandum non habent, ac proinde non erit conueniens eorum 22 testimonium, quia non satis certum. Taceo, quod & apocrypha scripta multa auctorem Prophetam, aut Apostolum præferunt, vt est Euangelium Thomæ, cuius meminit Augustinus cōtra Adimantum c. 17. Euangelium Petri, quo vsi sunt Nazaræi, teste Theodoreto l. 2. hæretic. fabul. & quo etiā Seraphion Catholicus Episcopus ad tempus deceptus fuit, vt est apud Eusebium l. 6. c. 10. Item Apocalypsis Petri, de qua idem 23 Eusebius l. 6. c. 11. Præterea Euangelia Barnabæ, Bartholomæi, Andreæ, & alia huius generis, quę recensentur à Gelasio dist. 15. Cauone *Sancta Romana.* De quibus verissime dicit Augustinus lib. 15. de ciuitat. Dei cap. 13. *Multa sub nominibus Prophetarum & Apostolorum ab hæreticis prolata sunt, quæ omnia sub nomine apocryphorum, auctoritate canonica, diligenti examinatione reiecta sunt.*

Quarto asserunt nonnulli, ex allegationibus, 24 quæ extant in nouo testamento, colligi, quis fuerit Canon scripturæ veteris testamenti. Ita censent Kemnitius in examine Concilij Tridentini 1. part sess. 4. Grynæus thesi 10. de scriptura, & Hunnius in examine libri 1. Bellarmini de verbo Dei cap. 4. Sed hæc censura itidem puerilis est, & tantis censoribus indigna. Nam 1. Si veteris testamenti canon ex nouo testamento innotescit, sine proponentis Ecclesiæ auctoritate, ipsius noui testamenti canon vnde innotescit? an vicissim ex veteri? Crederem si Moyses Matthæum allegaret. An ex se ipso; vno videlicet libro alteri testimonium perhibente? Sed hoc nimis friuolum est. Nam dato, quod posteriores quidem libri semper allegarent priores, quis tandem allegauerit postremum? Vt interim taceam, vix vllum librum noui testamenti ab alio distincte citari. Quod sane argumentum probat, sine authoritate Ecclesiæ ipsos noui testamenti libros proponentis, nec vnum quidem librum veteris testamenti velut sacrum innotescere posse.

II. Etiamsi quam fieri potest clarissimè veteris testamenti Canon in nouo consignaretur, & 25 ipsius noui testamenti libri se mutuo apertissime velut digito demonstrarent; vnde obsecro hanc mutuam sacrorū librorum testificationem errore & falsitate carere scias, sine præuia Ecclesiæ propositione, ex qua prius constet, eiusmodi testificationem, vtpote libris sacris contentam, fallacem esse non posse? Annon alioquin merito dubius & anceps etiā inter luculentissimos testes hærebis, si non prius noris, eos decipere non posse?

III. Sed & hoc falsum est, proposito iam se- 26 mel legitime per Ecclesiam noui testamenti canone, posse iam vltro per seipsum quemque veteris testamenti canonem ex nouo colligere. Quomodo enim id fiat? Ex allegationibus, inquiunt, librorum veteris testamenti, quæ extant in nouo testamento. Ergone qui allegantur sacri erunt? Erit igitur sacer scriptor Epimenides poëta, cuius illud allegat Paulus Tit. 1. vers. 12. κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. &c. *Cretenses semper mendaces.* Sacer etiam erit Menander, cuius illū, senarium citat. 1. Cor. 15. vers. 33. φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Sacer denique erit Aratus, ex quo in testem vocato hemistichium illud profert idem Paulus Act. 17. vers. 28. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *Ipsius enim & genus sumus*: Sed forte non tam honorifice citantur poëtæ isti, quam Prophetæ veteris testamenti? Sane Paulus cum Epimenidem adducit, vocat eum *proprium Cretensium Prophetam*, eiusque testimonium tanquam verum aperte comprobat: quod vix ita de Moyse dicit. Vno verbo fieri potest, vt ab Apostolis & Euangelistis citentur, aut citati fuerint libri quidam veteris testamenti, etiam non sacri, vt ex

similibus

similibus adductis exemplis liquet, idque re ipsa accidisse circa librum Enoch, & alios, qui citati interierunt, & nonnulli Patres, & viri doctissimi sentiunt. Ergo ex sola per se citatione alicuius libri, non sufficienter colligitur, eum librum esse sacrum & canonicum.

27 IV. Accedit, quod neque omnes quidem, etiam Sectariorum iudicio, sacri veteris testamenti libri, in nouo allegantur. Certe ex libro Ruth, ex Regum 1. ex libris paralipomenon, ex Esther, Iob, Ecclesiaste, Threnis Ieremiæ, Sophonia Propheta, nemo facile inuenerit vllum testimonium in nouo testamento allegatum, multo minus libros ipsos de nomine citatos: Et libros Esdræ, Esther, Ecclesiasten, Canticum Salomonis, non citari vspiam ab Euangelistis, aut Apostolis, fatetur ipsemet Hunnius loco citat. vbi præterit etiam Sophoniam & Abdiam Prophetas. &c. Quid si iam ad partes & capita singulorum librorum descendatur; de quibus tamen non minus, quam de ipso libro dubitari potest? Ideone ergo, quia nec libri singuli, neque singula librorum capita, neque singula capitum membra, ex veteri testamento citantur in nouo testamento, reijcienda erũt? Certe si ex allegationibus noui testamenti faciendum sit iudicium, ita faciendum erit: quod tamen absurdissimum esse, omnes intelligunt.

28 Quinto. Circa eundem veteris testamenti canonem, nonnulli Iudaizantes Sectarij recurrunt ad Synagogam, & Canonem Iudæorum, ita vt omnes & soli illi sacri libri sint, quos Iudæi olim in canonem receperunt: quem canonem etiam sequuntur nonnulli Patres. Sed & hæc sententia pluribus modis refellitur. I. Fieri enim facile potuit, vt cõmunem Synagogæ notitiam & traditionem præterierint quidam libri Canonici: sicut etiam in Christi Ecclesia iam olim libri quidam canonici non ita omnibus noti & perspecti erant; qui tamen postea successu temporis auctoritatem acceperunt, vt dicetur: & forsan etiamnum quidam non satis cogniti delitescunt, vt inferius dicetur. Et *credita* quidem Iudæis Apostolus affirmat *eloquia Dei*; Rom. 3. v. 2. sed non addit omnia; multo minus omnia ab eis recepta asserit. Neque ideo quod liber quispiam in canonem non recipitur, continuo vt profanus & indignus canone reprobatur.

29 II. Hebræorum canonem licet aliqui Patrum sequuti sint, nullus tamen Ecclesiæ Christi limites posuit, vt in canonem recipere non possit librum, olim à Iudæis in canonem non receptum. Etenim ipse Hieronymus præfatione in Iudith, historiam Iudith tanquam sacram habuit, quia *Synodus Nicæna*, inquit, *in numero sanctarum scripturarum legitur computasse*. Et Augustinus lib. 18. de Ciuit. c. 36. *Libros*, inquit, *Machabeorum non Iudæi, sed Ecclesia pro canonicis habet*. Et rursum in speculo ante Sapientiam Salomonis: *Ista de libris posuimus, quos & Iudæi Canonicos habent. &c. Sed non sunt omittendi & hi libri, quos quidem ante Saluatoris aduentum constat esse conscriptos; sed eos non receptos à Iudæis, recipit tamen eiusdem Saluatoris Ecclesia.* Et Isidorus l. 6. originum c. 1. *In canone hebraico non sunt, Sapientiæ liber, Ecclesiasticus, &c. quos etsi Hebræi inter apocrypha seperant; Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros & honorat, & prædicat.*

30 III. Illi ipsi Patres, qui hebręum canonem referunt, in eo consignando non consentiunt. Nã prophetiam Baruch canoni annumerant Hilarius in prologo super psalmos, Epiphanius hæresi 8. Cyrillus Hierosolymitan⁹ catechesi 4. item epistolam Ieremiæ Origenes apud Eusebium lib. 6. cap. 19. & Athanasius in synopsi: quæ tamen alij prætermittunt. Librum Esther ab Hieronymo in prologo galeato, atque etiam à Sectarijs receptum, non reponunt in canone Athanasius loc. cit. Melito apud Eusebium lib. 4. c. 26. Gregorius Nazianzenus, & Amphilochius in versibus suis. Sapientiam Salomonis canoni accenset Melito loc. cit. & refert Isidorus lib. 1. de officijs c. 12. eundem librum fuisse olim ab Hebræis pro canonico habitum; sed ob illustres adeo prophetias de Christo suppressum.

Denique cum ipse Iosephus lib. 1. contra Apionem referat, libros ab Artaxerxis (Longimani) tempore conscriptos, non æqualẽ habere auctoritatem eum prioribus, non est ratio, cur extra Iudæorum canonem reponantur Tobias, Iudith, Baruch, partes Danielis; quòs ante regnum Longimani scriptos fuisse, satis constat. Et ipsum Ecclesiasticum, scripturæ, seu legis nomine citat Iosephus lib. 2. contra Apionem, vt ex græco textu patet.

31 Sexto asserunt nonnulli, ex veteris testamenti libris, eos omnes & solos canonicos esse, qui à Prophetis, & lingua propheticâ conscripti sunt. Sed & hoc friuolum est. Nam si proprie de Prophetis, nempe futura vaticinantibus, sermo sit, falsum est & cõmentitium, omnes libros sacros à Prophetis esse conscriptos, alias enim ex canone excludendi forent tum libri Ruth, Iob; de quorum auctoribus nihil certi constat; tum libri Iosue, Iudicum, & Paralipomenon, in quibus nulla propria vaticinia auctorum reperiuntur. Quare etiam in synagoga olim omnes libri Canonici in tres classes diuisi fuerũt, nimirum, in legem, Prophetas, & hagiographa, vt est apud Epiphanium l. de mensur. & pond. & Hieronymum in prolog. galeato. Et Augustinus l. 2. de doctrina Christiana cap. 8. inter libros sacros veteris testamenti, prẽter libros eorum, qui proprie Prophetę appellati sunt, agnoscit alios, qui inter propheticos annumerandi sunt. Si autem Propheta latius dicatur omnis ille, qui occulta Dei sensa patefacit, iuxta Apostolum Ephes. 4 fatendum est quidem omnes libros sacros esse propheticos, vti loquitur etiam S. Petrus epist. 2. c. 1. Sed nihil hinc de numero librorum canonicorum certi constitui potest; quia hac ratione propheticus habebitur, quisquis canonicus aliunde probabitur.

32 Accedit quod necillud necessarium est, vt omnes Prophetarum libri sint sacri; potuit enim vtique etiam Propheta nonnulla ex suo sensu, ac humano spiritu scribere. Linguam autem propheticam qua ratione vel autoritate Nouatores ad vnum certum, siue certa quædam idiomata

constringendam probant; cui quodlibet idioma idoneum est? Siquidem constat, nonnulla veteris testamenti non hebræo, sed chaldeo, aut arabico sermone conscripta esse, teste Hieronymo præfat. in Danielem, & in Iob. Neque etiam hoc ipsum constat, libros quos Sectarij reijciunt, initio hebraice conscriptos non fuisse, vt videre est apud Origenem epist. ad Iulium Africanum, & Hieronymum præfat. in libros Regum.

33 Septimo non pauci, cum satis animaduerterent, ex supradictis regulis non satis discerni posse libros sacros à non sacris, ad Ecclesiæ quidem auctoritatem confugiendum esse censuerunt; sed ita tamen, vt hoc iudicium in solidum veteri solummodo Ecclesiæ reseruarint. Putant enim fieri non posse, vt progrediente tempore, libri quidam, de quibus olim dubitatum fuit, pro canonicis vnquam Ecclesiæ auctoritate legitime proponantur. Ita Kemnitius examine Concilij Tridentini part. 1. session. 4. vbi ait: *Pendet tota hæc disputatio à certis, firmis, & consentientibus primæ & veteris Ecclesiæ testificationibus, quæ vbi desunt, sequens Ecclesia, sicut non potest ex falsis facere vera; ita nec ex dubijs potest certa facere, sine manifestis & firmis documentis.* Et rursum: *Vbi enim*, inquit, *non possunt proferri certissima documenta primitiuæ & antiquissimæ Ecclesiæ, ex testificationibus veterum, qui non longe post Apostolorum tempora vixerunt, libros illos, de quibus controuertitur, fuisse sine contradictione & dubitatione pro legitimis & certis acceptos & commendatos Ecclesiæ, non valent vlla humana decreta.*

34 Sed hoc itidem non minus facile refellitur. Nam I. Cum ipsos veterum Patrum & Scriptorum libros, quos nunc solos testes & patronos ascisciunt aduersarij, nec habeant, nec agnoscant, nisi ex perpetua Ecclesiæ Catholicæ ad hæc vsque tempora continuatæ testificatione & traditione, fieri non potest, vt hac in re Ecclesiæ præsentis auctoritas excludatur: continua enim traditione opus est, quæ nonnisi per Ecclesiam continuatur.

II. Non est minus infallibilis præsentis Ecclesiæ auctoritas, quam Ecclesiæ veteris: vtraque enim est *columna & firmamentū veritatis* 1. Timoth. 4. Si ergo veteris Ecclesiæ traditio & testificatio de libris sacris habetur infallibilis; cur non & Ecclesiæ præsentis?

III. Neque olim statim ac simul totus canon vniuersæ Ecclesiæ Catholicæ innotuit, sed successiue, & per partes; non solum quia ipsi libri non simul ac eodem tempore perscripti fuerunt, sed etiam quia eorum notitia non nisi successiue per diuersas Ecclesias fuit propagata, ita vt dum Ecclesiæ quidem nonnullæ de aliquo libro certæ essent, aliæ tamen de eodem, aut nihil scirent, aut dubitarent. Quid nî ergo idem etiam post tempora Apostolorum accidere potuerit?

IV. Secundum eam regulam, etiam ex illis ipsis libris nonnulli ex canone expungendi forent, quos nunc ipsimet Sectarij recipiunt, vt est epistola ad Hebræos, & Apocalypsis, de quibus olim dubitatum fuisse constat.

35 Denique falsum & absurdum est, in rebus ad fidem pertinentibus, nihil posse certi definiri à posteriori Ecclesia, vbi constet, olim fuisse dubitatum. Certe de origine animæ grauissime dubitarunt veteres, Augustinus, Eucherius. &c. imo eam per traducem gigni, maxima pars Occidentalium sensit, vt testatur Hieronymus epist. 82. ad Marcellinum & Anapsychiam. De mille annis temporalis cuiusdam Regni Christi in terris non solum dubitarunt, sed etiam falsum errore quodam sibi persuaserunt Papias, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, Apollinarius, Victorinus &c. qui idcirco *Chiliastæ* siue Milliarij dicti sunt. Eodem modo Cyprianus, cum multis Africanis Episcopis, dum censeret ab hæreticis baptizatos rebaptizandos, non solum in re grauissima dubitauit sed & errauit. Et num ideo de his rebus incerta semper erit Ecclesia?

Ex quibus omnibus manifestum est, non posse vlla ratione, infallibili Ecclesiæ auctoritate sepositā, libros sacros à prophanis sufficienter discerni; sed id ex Ecclesiæ Catholicæ, quouis tempore existentis, propositione & testificatione necessario discendum. Non ita quidem, tanquā si Ecclesia arbitratu suo, sine vllis veterum testimonijs, *facere possit librum canonicum de non canonico, & de canonico non canonicum; ita vt si Papa vellet, scriptura diuina non plus auctoritatis haberet, quam fabulæ Æsopi*, vt impudentissime suo more calumniatur Kemnitius 1. part. examinis sess. 4. sed quia consultis antiquorum monumentis, & testimonijs, ipsoque populi Christiani communi sensu & cōsensu, certum librorum sacrorum canonem consignare, atque etiam libros quosdam tanquam canonicos proponere potest, de quibus olim fuerit à nonnullis dubitatum. 36

Ita Athanasius in synopsi quatuor tantum Euangelia recipienda esse tradit, quia ita *Sacri Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ Canones sanxerunt.* Ita Augustinus contra epistolam fundamenti cap. 5. *Ego*, inquit, *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Et rursum de Apostolorum actibus loquens ibidem: *Cui libro necesse est me credere, si credo Euangelio; quoniam vtramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas.* Et Concilium Carthaginense III. canone 47. post cōmemoratos diuinæ Scripturæ libros, subdit; *Qui à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.* Et Cōcilium Toletanum I. in assertione fidei: *Si quis dixerit, vel crediderit, alias scripturas, præter quas Ecclesia Catholica recipit, in auctoritate habendas, vel esse venerandas, anathema sit.* 37

Denique ex ipsis etiam Sectarijs, Brentius in prolog. & Kemnitius loco cit. vt & Wittackerus q. 3. de script. cap. 6. tandem hac in re ad Ecclesiæ Catholicæ traditionem confugere coacti fuerunt: eandemq; traditionem à Sectarijs in Colloquio Ratisponensi agnitam fuisse dub. 3. dicetur. Et Lutherus ipse lib. de captiuit Babylonica tom. 2. Wittenberg. fol. 88. *Hoc sane habet*, inquit, *Ecclesia, quod potest discernere verbum Dei à verbis hominum: sicut Augustinus confitetur, se Euangelio credidisse, motum auctoritate Ecclesiæ, quæ hoc esse Euangelium prædicabat.* 38

Ratio generalis est; quia Ecclesia quouis tempore existens, hoc est, Præsules Ecclesiæ, ac in

primis

primis Romanus pontifex, habet infallibilem auctoritatem decidendi ac definiendi fidei controuersias, quouis tempore occurrentes, ipsamque adeo scripturam sacram proponendi & explicandi, vt probauimus quæstio. præced. dub. 1. 3. & 6.

39 ASSERTIO II. Omnes, soli, & toti illi libri sacri & canonici sunt, quos decretum Concilij Tridentini sess. 4. his verbis exhibet: *Sacrorum librorum indicem* (sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus) *huic decreto adscribendum censuit; ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti; Testamenti veteris; quinque Moysi, id est, Geneseis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Neemias, Thobias, Iudith, Esther, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & secundus. Testamenti noui; quatuor Euangeliorum, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti: quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli; ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ; Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis nõ susceperit &c. anathema sit. Hactenus Concilium.*

40 Ex quo colligitur, omnes omnino libros, qui in Vaticanis biblijs recens editis, & à Sixto ac Clemente VIII recognitis, seriatim ponuntur, aut qui etiam in alijs biblijs latinis vulgatæ editionis communiter extant, si tamen hinc duos duntaxat libros, Esdræ nimirum tertium & quartum, & orationem Manasse Regis excipias, cum omnibus suis partibus, iuxta decretum Concilij Tridentini, tanquam vere sacros & canonicos habendos esse: tametsi olim nondum edito Canone Concilij Tridẽtini Driedo l. 1. de script. & dogm. Eccles. cap. vlt. librum Baruch, & postrema Danielis capita; sicut & Esther posteriora capita Lyranus, Carthusianus, Hugo, Caietanus, & quod mirere, post Concilium Tridentinum Sixtus Senensis l. 1. & 8. Bibliothecæ fauente etiam nonnihil Stapletono in Relect. controuer. 5. q. 3. a. 3. à canone reiecerint: quos inter alios bene refellunt Bellarminus l. 1. de verbo Dei c. 7. & 9. & Gregorius de Valentia hic q. 1. pun 7. §. 43.

41 Cum eo vero decreto Concilij Tridentini examussim consentiunt Innocentius I. in epist. ad Exuperium, Gelasius I. in proprio decreto, quod refertur Can. *Sancta Romana*, dist. 15. Augustinus l. 2. doctrinę Christianæ c. 8. Isidorus l. 6. etym. cap. 1. Rabanus de instit. Cleric. lib. 2. cap. 35. & Concilium Florentinum in decreto Eugenij. Ex quibus vel solis testibus sufficienter probatur posita assertio; quando res hæc omnis pendet ex autoritate Ecclesiæ, vt dictum assert. 1.

Vt tamen ea res magis confirmetur, operæ pretium est aduertere, quam absurde Lutherus, alijq; huius temporis Sectarij, quamq; inconstanter ac minime inter se consentienter docuerint. Quod vt intelligatur, obseruandum est ex recensitis superius veteris testamenti libris canonicis quosdam esse, de quibus nulla vnquã, neq; apud Iudæos, neque apud Christianos Catholicos fuit dubitatio; quos idcirco nonnulli etiam *Protocanonicos* appellant; alios vero esse, de quibus iam olim etiam in Ecclesia fuerit dubitatum, quos idcirco *deuterocanonicos* appellant; non impio illo sensu, quo nostri temporis Sectarij ea voce libros illos designant, quos è canone sacrorum librorũ exturbant; nec vt ijs vllo modo minor, quam prioribus auctoritas tribuatur; sed vt vno verbo vtraque librorum classis, per respectum ad veterẽ Ecclesiam vtcunque distinguatur. 42

Iam ergo tametsi cæteri huius temporis Sectarij ex prima librorum classe, nullum à canone excludant, Lutherus tamen insigni impudentia; cuius & ipsos hodie Lutheranos pudet, complures eiusmodi libros tanquam profanos à Sacrorum librorum censu reiecit. Nam I. De Ecclesiaste ita loquitur in latinis sermonibus conuiuialibus Francofurti in 8. impressis Anno 1571. tom. 2. fol. 100. *Hic liber* (Ecclesiastes) *non est plenus; multa ibi abrupta: neque ocreis neque calcaribus indutus est, hoc est, nullam habet perfectam sententiam; equitat in arundine longa, sicut & ego, dum eram in Monasterio.* Et alia multo plura habentur in germanicis Colloquijs Lutheri ab Aurifabro editis Francofurti tit. de libris veteris & noui testamenti fol. 379. vbi addit, eum librum fuisse conscriptum non à Salomone, sed à Syrach, tempore Machabæorum; & esse *velut Talmud ex pluribus libris, fortassis ex bibliotheca Regis Ptolomæi Euergetis, in vnum opus congestum.* 43

II. Idem Lutherus in cit. colloquijs germanicis, de prouerbijs Salomonis ita loquitur: *Ea ab alijs collecta, & ex ore Regis, dum ea ad mensam* (scilicet inter pocula, vti Lutherus sermones suos Conuiuiales solebat) *aut alibi pronuntiaret, excepta & annotata fuisse.* 44

III. In ijsdem sermonibus conuiuialibus Aurifabri tit. de Patriarchis & Prophetis fol. 282. de libro Iob ita loquitur Lutherus, se non credere, omnia ita gesta & peracta fuisse, vti in eo libro narrantur. Et rursus tit. de libris vet. & noui testamen. ait, librum Iob. *esse veluti fabulæ argumentum, ad proponendum patientiæ exemplum.*

IV. Ibidem tit. de libris veteris & noui testam. fol. 380. ita generatim de libris Prophetarum sentit Lutherus: *Nullius*, inquit, *Prophetæ conciones integræ & perfectæ conscriptæ sunt; sed illorum discipuli & auditores nunc vnam sententiã arripuerunt, deinde rursus aliam; & sic in vnum librum contulerunt; atque ita conseruata fuere biblia.* Quod si verum esset, iam Prophetarum libri, vtpote non à 45

Prophetis, sed promiscue & fortuito à discipulis & auditoribus conscripti, authentici non essent; maxime ex aduersariorum sententia, qui ex veteris testamenti libris nullos nisi à Prophetis conscriptos pro authenticis habent. Nec obstat, quod idem Lutherus in suis biblijs eosdem libros pro canonicis habet. Id enim proprium fuit Lutheri, pro vertiginoso, quo agitabatur spiritu, eodem ore calidum & frigidum spirare, sibique ipsi contradicere.

46 Interim eam Lutheri impudentiam damnant omnia Concilia, omnes Pontifices, & Patres, tam græci, quam latini, qui quacunque de causa librorum sacrorum canonem conscripserunt. Vt sunt Innocentius I. epist. ad Exuperium, Gelasius I. proprio decreto, quod refertur Can. *Sancta Romana* dist. 15. Concilium Laodicænum Canone 59. Carthaginense III. Canone 47. Origenes apud Eusebium l. 6. hist. c. 18. Epiphanius l. de mensuris & ponder. Cyrillus Hierosolymitanus cat. 4. Athanasius in synopsi, Gregorius Nazianzenus l. de gen. script. Hieronymus in prolog. gal. Augustinus l. 2. doctr. Christ. c. 8. Ruffinus de Symbolo. Vt omittam Melitonem Sardensem apud Eusebium l. 4. c. 26. & Iosephum l. 1. contra Apionem. Quos omnes ante annos plus mille testificatos, sequuti sunt Isidorus l. 6. Etym. c. 1. Damascenus l. 4. de fide c. 10. Rabanus de instit. clericorum lib. 2. c. 35. & Concilium Florentinum decreto Eugenij.

Quibus testibus etiã eliditur Castalionis procacitas, qui teste Beza præfat. in Iosue, petulanter asseruit, Canticum Canticorum Salomonis non esse sacrum, sed amatorium inter Salomonẽ & vxorem eius filiam Pharaonis.

47 Quod vero ad cęteros libros veteris testamenti attinet, de quibus olim nonnulla fuit controuersia, consentiunt quidem huius temporis Sectarij in eo, vltima capita Esther & Danielis non esse canonica; vti neque sex istos libros, Baruch, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum. Sed peculiare est Lutheri, quod totum librũ Esther ex canone excludit l. de seruo arbit. contra Erasmum tom. 2. Wittenberg. fol. 474. vbi ait: *Esther librum Iudæi habent in canone, digniorem omnibus, me iudice, qui extra canonem haberetur.* Et in sermonibus cõuiualibus germanicis fol. 380. tit. de libris veteris & noui testam. ita Lutherum loquentem refert Aurifaber, eum scilicet, dum secundum librum Machabęorum corrigeret, dixisse, *se huic libro, vt & libro Esther adeo esse infensum, vt optaret, eos prorsus non extare: quia nimium iudaizent, & multum gentilitatis sapiant.*

48 Cæterum libros Esther & Danielis, haud dubie integros, prout nimirum in græca communi olim, & latina editione extant, pro canonicis habent ijdem omnes illi testes, & sacrorum librorũ descriptores, quos paulo antea contra Lutherum adduximus; exceptis Hieronymo, Gregorio Nazianzeno, & Athanasio locis cit. quod quidem ad librum Esther dumtaxat attinet: quamuis Athanasius etiam expressam facit mentionem Susannæ, hymni trium puerorum, & draconis interfecti.

Libri Baruch expresse quidem nulla fit mentio nisi à Concilio Laodiceno, secundum versionem 49
Gentiani Herueti, Epiphanio, Cyrillo, Concilio Florentino, & Tridentino locis citat. Sed haud dubie ab omnibus etiam alijs, sub nomine Ieremiæ, in canone ponitur hoc ipso, quod cum Baruch esset scriba Ieremiæ, librum eius habuerunt pro parte quadam vaticiniorum Ieremiæ. Cuius rei argumentum certissimum est, quod frequenter testimonia Baruch sub nomine Ieremię citantur à veteribus, speciatim à Clemente Alexandrino lib. 1. pædagogi cap. 10. Ambrosio lib. 1. de pœnitent. cap. 8. & lib. 3. Hexaemeron ca. 14. Basilio lib. 4. contra Eunomium, Augustino lib. 18. de ciuit. cap. 33. &c. Quod non aduertit Driedo, qui hunc librum itidem à Canone excluſit, nondum perspecto decreto Concilij Tridentini.

Libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, 50
& Machabæorum numerant in canonicis, Innocentius, Gelasius, Concilium Carthaginense, Florentinum, Isidorus locis cit. & Augustinus tum loc. cit. tum lib. 2. contra Epistolam Gaudentij c. 23. & lib. 18. de ciuit. cap. 36. vbi ait: *Libros Machabæorum non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.* Sed & Epiphanius *Sapientias Salomonis, & filij Sirach* in canone computat.

Ad libros vero noũi testamenti quod attinet, 51
Sectarij huius temporis licet inter se consentiant, Epistolas Iacobi, & Iudæ vere canonicas non esse, in cæteris tamen inter se non consentiunt. Nam I. Lutherus non solum in antiquis, sed etiam recentioribus biblijs præfat. in Apoc. & in epist. ad Hebræos, eumque sequutus Iacobus Hailbruñerus lib. german. de script. & Eccles. fol. 13. alijque nonnulli antiquiores Lutherani, è canone excludunt Apocalypsin; quam tamen & Caluinistæ, & Lutherani hodie cõmuniter in Canonem recipiunt, vt videre est apud Hunnium, lib. 1. examinis Bellarmini cap. 19.

II. Huñi[9] in præfa. explicationis in epist. ad Hebræos eandẽ epistolã ad Hebræos indubitate pro sacra & canonica habet; quã tamẽ nõ solũ Iacob[9] Hailbruñerus, alijque Lutherani cõmuniter, sed etiam Hunnius ipse alibi, nempe de verbo Dei c. 17. pro libro vere canonico non habent.

III. Centuriatores Magdeburgenses centur. 1. 51
lib. 2. c. 4. tit. de script. noui testam. Kemnitius in examine Concilij Tridentini sess. 4. decret. 1. Brẽtius in confess. Wittenberg. cap. de sacra script. & Hunnius lib. 1 examinis Bellarm. c. 18. pro canonicis non agnoscunt secundã epistolam Petri, secũdã & tertiã epistolã Ioañis; quas tamẽ & Lutherana biblia hodie, & alij Lutherani, speciatim Ministri Coburgẽses (ex instituto refutati in Dioptra fidei lib. 1 ca. 4.) inter Canonicos annumerant.

Sed & Lutherus de plerisque longe aliter olim scripsit, quam aut ipse postea, aut Lutherani hodie ferre & probare possint; cuius rei hæc pauca exempla sunto. Nam I. in antiquis biblijs præfatione in nouum testamentum ait; *S. Iacobi epistolã vere stramineam epistolam, & expertem indolis Euãgelicæ esse.* Et in peculiari præfatione ad epistolas Iacobi & Iudæ asserit, *esse S. Paulo, alijsq; scripturis directe contrariam.* Similia habet in sermonibus

con-

conuiuial. Aurifabri tit. 59. de libris vet. & noui testam. fol. 379. vbi ait; *multos in eo laborasse & sudasse, vt epistolam S. Iacobi cum S. Paulo concordarent, sicut & Philippus Melanchthon in apologia hac de re egit, sed non serio, &c.*

53 II. Idem Lutherus præfatione in epistolam ad Hebræos ait, eam epistolam *grauem habere uæuum; eo quod cap. 6. & 10. Peccatoribus post baptismum deneget pœnitentiam, quodq; cap. 12. asserat, Esau quæsisse pœnitentiam, sed non inuenisse; quod est*, inquit, *contra omnia Euangelia & Epistolas S. Pauli.*

III. Idem Lutherus præfat. in Apocalypsin ait, *hunc librum nec Apostolicum, nec Propheticum esse, sed similem quarto libro Esdræ, &c. cui suus se spiritus accommodare non possit.* Quæ omnia fusius retuli & discussi in Dioptra fidei lib. 1. cap. 4. & partim etiam in Anatomia confess. August. part. 1. demonstrat. 2. vbi etiam complura exemplaria authentica bibliorum Lutheri sigillatim expressi & consignaui, in quibus ea Lutheri verba (quę Lutherani hodie plane indicta esse vellent, & subinde à se inueniri non posse simulant) leguntur.

Denique in biblijs Lutheri, etiã ad hodiernum vsque diem, à librorum Canonicorũ numero excluduntur, epistola ad Hebræos, epistola Iacobi, epistola Iudæ, & Apocalypsis S. Ioannis, vt videre est in præfatione Lutheri ad easdem epistolas; cum tamen & Apocalypsin hodie plerique recipiant, & Coburgenses Ministri part. 1. c. 1. §. 3. fol. 4. æqualem ijsdem epistolis cum alijs canonicis libris auctoritatẽ tribuant, nisi quod in primitiua Ecclesia eorum auctores fuerint ignorati.

54 Quæ tamen Sectariorum censuræ omnes, quatenus supradicto Concilij Tridentini decreto aduersantur, facile redarguuntur. Nam Epistolas S. Pauli quatuordecim, ac proinde illam etiam ad Hebræos, Petri duas, Ioannis tres, Iudæ vnam, Iacobi vnam, in Canone habent omnes omnino illi, qui Canonem scripserunt superius allegati. Solus Hieronymus epistola ad Paulinum illam ad Hebræos vt Canonicam non videtur agnoscere, dum ait; *eam à plerisq; extra numerum poni*, cum tamen non solum ij, quos dixi, magno consensu contrarium testentur; sed etiam idipsum Origenes lib. 6. hist. cap. 18. editionis Ruffin. omnium antiquorum testimonio disertissime confirmet: *Quamuis*, inquit, *nonnulli de ea, quæ ad Hebræos scripta, dubitauerint. Sed ego dico, sicut mihi à maioribus traditum est, quia manifestissime Pauli est, & semper omnes, antiqui maiores nostri ita eam vt Pauli epistolam susceperunt.* Imo ipsemet Hieronymus epistola 129. ad Dardanum de eadem epistola ad Hebræos, ac simul de Apocalypsi ita scribit: *Nos vtrumq; recepimus, nequaquam temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes: qui plerumq; vtriusq; vtuntur testimonijs, non vt interdum de apocryphis facere solent, sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis.*

55 Apocalypsis quoque Ioannis ab ijsdem omnibus, qui scripturarum canonem contexuerunt, in canone reponitur; excepto dumtaxat Concilio Laodicæno, & Gregorio Nazianzeno, atque Cyrillo locis cit. Athanasius autem in Synopsi disertissime, *Est præterea* (in canone, inquit,) *& Apocalypsis Ioannis Theologi, à priscis sanctis, & spiritu Dei imbutis Patribus, velut quæ illius sit accepta & approbata.* Quamuis enim de hac, vt & alijs epistolis quibusdam à veteribus nonnullis fuerit dubitatum, vt Eusebius lib. 3. hist. cap. 25. & Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis testantur, simul tamen & à plurimis iam olim pro Canonicis habitæ, & tandem communiter ab Ecclesia receptæ sunt, vt speciatim de Epistola Iacobi & Iudæ testatur idem Eusebius lib. 2. hist. cap. 23. cum ait: *Nos tamen scimus, etiam istas cum cæteris ab omnibus pene Ecclesijs recipi.* Et Nicephorus lib. 3. de omnibus istis dubijs ait; *Ecclesiam iam dudum illas pro legitimis & testamentarijs recepisse.* Quæ vero à Sectarijs in contrarium obijciũtur, accurate dissoluuntur à Bellarmino lib. 1. de V. Dei & à Iacobo Gretsero in defensione eiusdem tom. 1.

56 ASSERTIO III. Etsi non plane improbabile sit, quod quidam dicunt, posse Ecclesiam etiamnum librum aliquem de nouo in Canonem recipere, non quidem scribendo denuo librum sacrum; aut aliquem, qui iam olim omnium suffragijs vt adulterinus & profanus fuerit reiectus; sed alium quempiam iam olim scriptum proponendo & declarando vt sacrum, qui & in magna pridem auctoritate fuerit, neque tamen citra controuersiam ab omnibus pro sacro agnitus sit: qualis fortassis videri potest siue liber Hermetis (discipuli Pauli) qui *Pastor* dicitur, qui à multis Patribus Clemente, Irenæo, Origene, Athanasio, Eusebio, Hieronymo diligenter citatur & commendatur: siue *Constitutiones Apostolicæ*, à Clemẽte editæ, & tertius Machabæorum, de quibus in Canone 83. Apostolorum fit mentio: siue tertius Esdræ, & Psalm. 151. quos in Canone ponit Athanasius; itẽ Canones Apostolorũ, quos in Canone collocat Cyrillus Hierosolymitanus locis cit. & Damascenus l. 4. fid. c. 18. contrariũ tamẽ videtur verius. Prior pars assertionis colligitur tum ex auctoritate Scriptorum quos citauimus, tum quia nusquam constat, hos libros omnes, quos retulimus, ab Ecclesia positiuè fuisse reiectos, tanquam indignos canone, esto nonnulli habiti & dicti sint apocryphi, quasi negatiue, hoc est, non exploratę auctoritatis, & fortassis etiam quibusdam in locis ab hęreticis deprauati. Posterior pars probatur ex eo, quod neque ad hoc sufficientia veterum testimonia suppetunt; neque vsus aut sensus præsentis Ecclesiæ in eam partem inclinet, vt merito existimemus, fieri posse, vt ea quandoque pro canonicis habeantur & recipiantur; quando præsertim dum nonnulli à Gelasio can. *Sancta Romana* dist. 15. & ab alijs dist. 16. inter apocrypha numerantur, aliquam etiam erroris suspicionem contraxisse videntur. De qua re videri potest etiam Baronius tom. 1. Anno Christi 102. & Stapletonus in Relect. controuer. 5. q. 3.

57

DVBIVM II.

Quænam editio Scripturæ habenda sit pro legitima & authentica.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 10.

58 AD fidei dogmata ex scripturis comprobanda, satis non est scire, quinam libri sint sacri; sed necesse est insuper scire, quænam sit vera & authentica sacrorum librorum editio; quæ res quia prolixè & accurate contra huius temporis Sectarios tractatur à Bellarmino lib. 2. de verbo Dei, & in defensione eiusdem à Iacobo Gretsero tomo 1. idcirco breuiter hoc loco absoluetur.

59 Notandum est igitur, scripturam sacram quatuor potissimum linguis scriptam haberi; hebraica nimirum, græca, latina, & vulgari seu vernacula, hoc est, germanica, gallica, Italica, Hispanica, &c. Et hebraice quidem scripti extant omnes veteris testamenti libri, præter librum Baruch, Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiasticum, Iudith, & libros Machabæorum; Danielis item, & Esther quædam capita: quamuis Hieronymus in prologo galeato testetur, se primum Machabæorum librum hebraicum reperisse. Omitto tertium & quartum Esdræ, qui canonici non sunt, vt dictum.

60 Circumfertur etiam Euangelium S. Matthæi hebraicum, per Munsterum editum, & per Quinquarboreum reuisum ac emendatum: sed quod haud dubie suppositititium est. Tum quia nulla certa auctoritate de eius origine constat: tum quia quædam apocrypha continet, vt in Pater noster adiectionem illam ex græco textu desumptam, quam sibi iam Nouatores tanquam propriam vindicant. *Tuum est regnum &c.* Tum quia probabilissimum est, Euangelium S. Matthæi initio Syriace (quæ lingua tum communis erat) non hebraice conscriptum fuisse, vt videre est apud Bellarminum lib. 2. de verbo Dei cap. 4.

61 Extat etiam in vetus testamentum paraphrasis Chaldaica, quæ *Targum* vocatur. Sed hæc quam magni fit à Iudæis, tam parui à Christianis; quando constat, eam priuatam tantum versionem esse, nunquam publica Ecclesiæ auctoritate comprobatam; tametsi ea nonnunquam vtilis esse possit, ad peruicaciam Iudæorum huius temporis retundendam.

Nouum etiam testamentum in Syriacam linguam ex græco conuersum habetur; idque Syri ab ipso S. Marco factum asserunt: sed incertum est hoc vt videre est apud Bellarminum ibidem.

62 Græcæ editiones veteris testamenti variæ olim fuerunt; sed illa omnium celeberrima, quæ nunc quoque, etsi quibusdam locis vitiata, in manibus est, versio septuaginta duorum seniorum, qui in Ægypto, regnante Ptolomæo Philadelpho, mirabili consensione & celeritate, vt SS. Patres, alijque veteres Scriptores testantur, totum vetus testamentum, septuaginta duorum dierum spatio, ex hebraico in græcum verterunt. Sed & totum nouum testamentum (præter Euangelium Sancti Matthæi, epistolam ad Hebræos, & Euangelium S. Marci; quorum hoc latine, illa vero hebraice, siue Syriace, primum conscripta, postea vero etiam in græcum idioma conuersa fuisse, communis est sententia) ab initio græce conscriptum fuisse, constat: quæ editio, etiamnum in manibus versatur.

Latine vero omnes noui & veteris testamenti libri scripti extant, varijs tamen versionibus, 63
E quibus duæ veteris testamenti versiones latinæ, cæteris celebriores habentur; vna ex græco facta quæ olim vetus & vulgata dicebatur, quæque, vt probabile est, fuit illa *Itala*, quam sanctus Augustinus lib. 2. doctr. Christian. cap. 15. alijs omnibus præfert. Altera, quæ nunc vulgata dicitur, & vt communis ac certa habet sententia, à S. Hieronymo ex hebraico elaborata est, excepto tamen psalmorum libro, qui in vulgata nostra editione à S. Hieronymo emendatus & recognit9, non autem ex hebræo denuo conuersus extat; exceptis etiam libris Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum; quos non est credibile à S. Hieronymo translatos fuisse: sicut neque nouum testamentum ab eo de integro ex græco conuersum, sed emendatum dumtaxat, & recognitum in nostra vulgata editione habemus, vt hęc omnia fuse ostendit Bellarminus cit. lib. 2. cap. 8.

Vulgaris seu vernaculæ linguæ tot sunt editionis, quot linguæ, imo quot interpretum capita. Quibus positis, sectarij huius temporis, speciatim Caluinus in antidoto Concilij Tridentini & Kemnitius in examine eiusdem sess. 4. siue contradicendi, siue tergiuersandi studio, magnopere contendunt, in veteri testamento solam editionem hebraicam, in nouo solam græcâ authenticam esse, ac proinde quicquid ab ijs in nostra vulgata editione dissentit, secundum earũ normam corrigendum: editionem vero latinam vulgatam, tam noui, quam veteris testamenti, qua tota Ecclesia latina per octingentos fere annos vsa est, penitus corruptam, ac proinde nullius auctoritatis esse volunt. Hinc ex Sectarijs alij aliam versionem, Lutherani in decreto quodã Lipsiensi Lutheri biblia sola pro Canonicis habẽt, Zuingliani cum Anabaptistis & Caluinistis nullam versionem authenticam esse contendunt; qua de causa etiã Caluinistæ in Belgio nuper, de authentica primum Bibliorum editione cogitandum esse decreuerunt. Sed doctrina Catholica in sequentibus assertionibus consistit. 64

Assertio I. Quamuis olim tam hebraica editio veteris testamenti, quam græca noui, vere authentica esset; hoc tamen tempore, propter varia menda & vitia, quæ in vtramque irrepsisse manifestum est, neutra adeo sacrosancta habenda est, vt vniuersim ad eorum normam reliquæ omnes editiones corrigendæ sint. Ita docent Catholici omnes, speciatim Driedo lib. 1. de script. cap. 1. Canus lib. 2. locorum cap. 13. 65

Bellar-

Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 2. & 7. Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 7 §. 42. & Stapletonus relect. princip. doctrin. fidei controuers. 5. quæstio. 3. artic. 1. & 2. & colligitur ex Concilio Tridentino sess. 4. vt dicetur assert. sequent.

Ratio primæ partis est; nam vt superius dictũ, vetus testamentum saltem à maiori parte, de qua loquimur, hebraice primum per ipsos sacros scriptores, Deo dictante, conscriptum fuit. Nouum autem testamentum, partim græcè, primum ab ipsis Apostolis & Euangelistis scriptum, partim ab ijsdem in græcum sermonem conuersum est: ergo dubium esse non potest, quin illæ editiones, olim cum adhuc incorruptæ extarent, pro authenticis essent habendæ.

66 Secunda pars assertionis contra Sectarios probatur primum generali ratione. Dubium enim esse non potest, id quod euidenti experientia quotidie obseruamus, in frequenti & varia, eademque per multos annos repetita transcriptione, tam hebraici textus, quam græci, facile, imo quodammodo ineuitabiliter varia librariorum menda erroresque incidere potuisse; vt nihil dicam de criticorum, aut eorum, qui certis præiudicijs ac erroribus præoccupatos habebant animos, varijs studijs & artibus; quibus quotidie videmus, optimorum auctorum libros deprauari; præsertim quando librorum idiomata vulgo minus sunt perspecta & ob maximam literarum quarumdam similitudinem, vt præcipue in hebraico idiomatè accidit, errori magis sunt obnoxia. Certe nisi aduersarij specialem ac apertam Dei reuelationem exhibeant, quod nunquam ipsi facient, nulli prudenti persuadebunt, nullos in hebræum, aut græcum textum errores irrepsisse. Et quis nescit melius subinde esse, ex limpido riuo, quam ex turbato fonte aquam haurire?

67 Quod vero speciatim ad græcam noui testamenti editionem attinet, plus non dico, quam quod nouatores vltro fatentur. Erasmus certe in annotationibus ad 6. Matthæi, agnoscit multa in græco redundare: addo ego, non pauca etiam desiderari, vti speciatim in quibusdam græcis exemplaribus præclarissimum illud de S. Trinitate testimonium 1. Ioannis 5. vers. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Et hi tres vnum sunt.* Sed & Beza in annotationibus ad nouum testamentum agnoscit, non raro vitiosum esse græcum textum.

68 Quod vero speciatim ad hebraicum veteris testamenti textum attinet, hoc argumento Nouatores refelluntur. Aut enim volunt, eum textum habere & conciliare infallibilem auctoritatem, per se ac sine punctis acceptum; vel vna cum punctis acceptum: neutrum potest dici. Ergo &c. Non primum; quia sine punctis textus ipse adeo ambiguus est, varieque legi & exponi potest, vt citra errorem, vel certe citra præsentissimum errandi periculum (sepositâ versione latina, vel græca) vix ac ne vix quidem vnum caput, vel etiam vna periodus hebraici textus legi possit; præsertim quando nulla iam certa traditione constare potest, quo modo sacri scriptores, & antiqua Iudeorum Synagoga initio hebraicum textum legerint: Ergo textus hebraicus, sine punctis, non potest esse infallibilis auctoritatis, scilicet vt in praxi infallibilem præstet & conciliet auctoritatẽ ad fidei dogmata probanda.

Antecedens tum experientia constat ijs, qui hebraici sermonis peritiam habent; tum à me 69 olim in disputat. de verbo Dei Anno 1599 Monachij propositâ, hoc exemplo euidenter ostensum est. Quid enim v. g. si quis illud Deuteronomij 4. vers. 2. vbi iam in hebræo legimus; *Lo Thosiphu alhaddabar, ascher anoci metzaueh ethcem*; hoc est: *Non addetis super verbum, quod ego præcipio vobis*: minima punctorum secundæ dictionis facta mutatione, (nempe cholem in kamez, chiric kathon in kibbuz) ita legeret. *Lo Thasuphu al haddabar*, &c. hoc est, *Non deficietis super verbo &c.* Nonne hac ratione insanus Nouatorum clamor, quo hunc locum in nos velut fortissimum telum aduersus inuocationem Sanctorum, cultum imaginum, legem ieiunij, continentiæ, aliasque Ecclesiasticas traditiones intorquent, penitus conticesceret? Et omnino legi sic posset, nisi vulgata editio aliter legendum significaret.

Neq; secundum dici potest, nimirum textum hebraicum vna cum punctis sacrum & authenti- 70 cum esse. Cum enim puncta primum post tempora Hieronymi, quadringentis & amplius annis post Christum natum transactis, à perfidis Masoretis Iudæis ad textum adiuncta sint, vt refert Iacobus Episcopus Christopolitanus præfatione in Psalmos, & Rabbi Elias in præfatione Masoret hammasoret, quis credat, hostes fidei nostræ, in punctis addendis, nunquam errasse, aut nunquam præiudicato suo errori fauisse: vt omnino quidem fecisse agnoscit etiam Caluinus Instit. cap. 6. §. 11. (alias 1. capit. 13. §. 9.) cum apud Isaiam cap. 9. vers. 6. pro *Iikkare El*, *vocabitur DEVS*, legunt יקרא אל *Iikra El*, *vocabit DEVS*. Et similiter apud Ieremiam cap. 32. v. 6. יקראו *Iikreo*, *vocabit eum* pro יקראו *Iikreu*, *vocabunt*, vel יקראהו *Iikreuhu*, *vocabunt eum*.

Quamuis enim ea ipsa verba, vt nunc hebraicè leguntur, ita explicari possint, vt diui- 71 nitatem Christi astruant, accipiendo scilicet verbum illud hebræum *Iikra*, *vocabit*, neutraliter, pro sonabit, seu erit; non ita tamen euidenter ac irrefragabiliter: eum sensum repræsentant, quin pertinax Arrianus facilem inueniat rimam, per quam elabatur, referendo illud verbum *vocabit* cum subiunctis nominibus Dei proprijs, ad Deum Patrem; quicquid obganniant Iunius & Hunnius in suis contra Bellarminum libris.

Multo minus excusabilis est error ille in psalm. 21. vers. 18. Vbi cum nos legimus *Foderunt manus meas*, ipsi pro כרו *Caru Foderunt*, absq; vllo sensu legunt כארי *Caari sicut leo*. Et alia similia passim occurrunt menda, ex literarum inter se similium permutatione orta. Vt psal. 4. v. 3. psal. 10. v. 1. &c.

72 Assertio II. Valet tamen subinde nihilominus hebraicus & græcus textus, tum ad errores librariorum, qui forsitan in nostram editionem vulgatam latinam irrepserint, agnoscendos & emendandos (neque enim istos defendimus, vt calumniatur Kemnitius loc. cit.) tum ad ambiguitatem vocis, aut phrasis diiudicandam; tum ad vim & energiam idiotismi in latina versione repræsentati melius intelligendam; tum ad veram lectionem inueniendam, si quando hæc in latino textu variat: ad hæc, inquam, vtiliter nonnunquam adhiberi potest textus græcus & hebraicus, si tamen sobrie, & accomodatè ad cæteras fidei regulas, adhibeatur. Ita cum Bellarmino lib. 2. cap. 11. ex sensu etiam veterum Patrum, præcipue S. Hieronymi, & Augustini non solum sentiunt, sed ipsa etiam praxi ostendunt & demonstrant viri doctissimi, qui vel ex instituto scripturam sacram interpretantur, vel in varijs lectionibus vulgatæ versionis latinæ conferendis ac diiudicandis operam posuerunt, è quibus in primis est Salmeron tomo 1. prolegom. 6. Lucas Brugensis tum in notationibus antiquioribus, ante bibliorum correctionem editis, tum in posteriore opere, vbi sigillatim rationem reddit omnium earum emendationum, seu potius lectionum, quæ in recognitis biblijs Clementinis prætermissis alijs positæ aut seruatæ fuerunt.

73 Assertio III. Cæterum latina editio vulgata pro authentica ab omnibus habenda est; neque licet eam quoad sensum, si modo de vera lectione eiusdem constet, vllo prætextu seu colore reijcere. Ita sapienter definitum est in Concilio Tridentino sess. 4. decreto de editione & vsu Sacrorum librorum, vbi dicitur: *Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum vtilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit & declarat, vt hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu, in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, vel præsumat*; nempe quoad rem ipsam, siue sensum à verbis repræsentatum; ad quem potissimum respexit Concilium; ac simul vbi de vera lectione eiusdem versionis constet: alias enim non reijcietur ipsa vulgata editio seu versio, sed falsa, aut dubia lectio.

74 Ratio assertionis est. I. Quia tota Latina Ecclesia iam à tempore S. Gregorij, per nongentos & amplius annos, hac vna editione vsa est; in qua re vt Deus eam tamdiu errasse fuerit, non est consentaneum Dei prouidentiæ, eiusque promissis; præsertim quando pluribus annis non alia fuit vera Ecclesia, quam latina. II. Editio nostra vulgata vel est vetus Itala illa, ab Augustino loc. cit. commendata; vel illa quam S. Hieronymus composuit & adornauit. Si primum, habet sufficiens testimonium ab Augustino, accedente tam diuturno vsu Ecclesiæ. Si secundum, habet testimoniũ omnium veterum, in quorum manus quandoque peruenit, speciatim Augustini lib. 18. de ciuit. cap. 43. Gregorij lib. 20. Moral. cap. 24. Isidori lib. 6. etym. cap. 5. & lib. 1. diuinorum officiorum cap. 12. item Bernardi, Haymonis, Hugonis, & aliorum doctissimorum virorum, qui eam interpretati sunt.

75 III. Sectarij, nisi hanc editionem vulgatam ab Ecclesia approbatam pro authentica & infallibili recipiant, nullam habere possunt infallibilem scripturæ textum, atq; adeo nec infallibilem fidem, vtpote quæ scriptura nititur. Sequela probatur. Quia vnde scit Caluinus & Kemnitius, græcum & hebraicum textum esse authenticum? Respondebunt ex eo, quod per Apostolos & Prophetas scriptura primum linguis illis conscripta est. Vnde vero sciunt, eosdem textus non esse corruptos? nunquid ab antiquis Patribus hoc didicerunt? at neque hoc illi asserunt, & post illorum tempora corrumpi potuerunt. Nunquid à recentioribus? sed hi nostram editionem approbant. Nunquid ab Ecclesia Catholicâ? sed ab hac damnantur. Nunquid per priuatam reuelationem, toti Ecclesiæ & antiquitati hactenus incognitam? Sed vnde sciunt eam à Deo esse, & non à diabolo, transfigurante se in Angelum lucis? Sed Deus hoc ipsum eos docuit. Verum vnde hoc constat, ex qua manifesta scriptura, ac indicio?

76 Addo denique ex Bellarmino lib. 2. cap. 13. 77 iudicium Conradi Pellicani Zuingliani, qui cum bis psalterium ex hebraico conuersum edidisset, ita de nostra editione iudicat: *Tanta dexteritate, eruditione, & fide hebraico quoad sensum concordare deprehendimus vulgatam editionem psalterij, vt eruditissimum pariterque pijssimum, & vere prophetali spiritu præditum uisse interpretem græcum & latinum non dubitem; quam quam alicubi dissentiant à punctis hebraicis, quibus nunc Iudæi vtuntur; quæ olim non fuisse similia, ambigere cogor, & quarumdam literarum mutationem factam suspicio sit, conferentibus singula diligenter.* Hæc ille.

78 Ex quibus colligitur, editionem nostram vulgatam verè authenticam esse, & sensu quidem, per omnia, & in omnibus locis concordem esse cum editione illa, quæ primum ab ipsis sacris Scriptoribus Deo dictante conscripta est; neque audiendos esse illos, qui fas esse putant, vulgatâ versionem latinam, etiam vbi de genuina eius lectione constet, ex græco aut hebraico textu, si quandoque ab ijs dissentiat, corrigere, vt recte etiam notauit Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 7. §. 42.

79 Assertio IV. Vulgata versio latina in biblijs à Sixto V. & Clemente VIII. recognitis, exhibetur quidem quam fieri potuit pura, & emendata: non ita tamen quin adhuc quibusdam in locis, vbi iam olim eiusdem lectiones variant, locus esse possit disceptationi & crisi, qua aliqua alia lectio ei, quæ in ijs biblijs posita est, subinde præferri possit. Ita habetur ex præfatione eorundem Bibliorum ad Lectorem, vtique scitu & voluntate Romanæ Sedis conscripta; in qua cum vetus illa ac vulgata editio generatim fuisset cõmendata, his verbis: *Huius autem veteris ac vul-*

gatæ

gatæ editionis tanta semper fuit auctoritas, tamque excellens præstantia, vt eam cæteris omnibus latinis editionibus longe anteferendam esse, apud æquos iudices in dubium reuocari non possit. Qui namque in ea libri continentur, (vt à maioribus nostris quasi per manus traditum nobis est) partim ex S. Hieronymi translatione vel emendatione susceptí sunt; partim retenti ex antiquissima quadam editione latina, quam S. Hieronymus in caput 49. Isaiæ communem & vulgatam, S. Augustinus lib. 2. doctr. Christ. cap. 15. Italam, S. Gregorius epist. dedicatoria ad Leandrum cap. 5. veterem translationem appellat. &c. mox inferius de modo, ratione, ac perfectione recognitæ illius editionis bibliorum ita subiungitur. *Accipe Christiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia, veterem ac vulgatam S. Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam præ humana imbecillitate, affirmare difficile est; ita cæteris omnibus, quæ ad hanc vsque diem prodierunt, emendatiorem purioremque esse, minime dubitandum.*

Et vero quamuis in hac bibliorum recognitione, in codicibus manu scriptis, hebræis græcisque fontibus, & ipsis veterum Patrum commentarijs conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit: in hac tamen peruulgata lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur consulto immutata relicta sunt: tum quod ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, S. Hieronymus (epist. ad Suniam & Fretellam, & præfat. Euangeliorum ad Damasum) *non semel admonuit: tum quod facile fieri posse credendum est, vt maiores nostri, qui ex hebræis & græcis latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quam ij, qui post illorum ætatem ad nos peruenerunt, qui fortasse tam longo tempore idemtidem describendo, minus puri ac integri euaserunt: tum denique quia Sacræ Congregationi Amplissimorum Cardinalium, alijsq; eruditissimis viris, ad hoc opus à Sede Apostolica delectis, propositum non fuit, nouam aliquam editionem cudere, vel antiquum interpretem vlla ex parte corrigere vel emendare; sed ipsam veterem ac vulgatam editionem latinam à mendis veterum librariorum, nec non prauarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quo ad eius fieri potuit, restituere; eâque restitutâ, vt quam emendatissime imprimeretur, iuxta Concily Oecumenici decretum, pro viribus operam dare.* Hactenus præfatio.

80

81 In qua speciatim obseruandum illud, quod dicitur, in hac vulgata editione, *sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta esse.* &c. Item quod sæpius iteratur ea clausula, *Quanta fieri potuit diligentia*; vel, *quoad eius fieri potuit*, castigatam, restitutam &c. & denique, *omnibus numeris absolutam affirmare, difficile esse.* Quibus verbis plane significatur, posse adhuc locos aliquos repetiri, qui in disceptationem veniant: præsertim quando nullo præcepto, multo minus sub censuræ alicuius interminatione interdicitur, ne quis vnquam vllâ aliam lectionẽ, olim circa eandẽ vulgatam editionẽ vsurpatã, ei, quæ in recognitis illis libris expressa est, anteferre ausit; modo interim in textu ipso nulla fiat mutatio; hoc enim nõ licet. 82

Id vero vt subinde licite fieri posse, satis ex dictis colligitur; ita vt passim, ac frequenter, & sine auctoritate alicuius antiqui exemplaris fiat, fas esse existimandum non est; quando saltem plerasque recte ac ex iudicio restituta ac emendata esse docetur; ita quidem vt ea editio omnibus anterioribus censenda sit *emendatior ac purior.* Neq; ideo fidei, aut religioni præiudicium creatur: quia omnis illa lectionis varietas, de qua controuersari adhuc licet, nullum fidei aut morum dogma aliunde ex scriptura sacra non manifestum concernit; sed in rebus plerumq; minimis versatur; quæ sæpe nec sensus quidem; multo minus aliquã dogmatum varietatem inducant.

Atque ex his fortassis defendi recte potest, etiã Sixtum V. Pontificem, tametsi nõ pauca aliter in suis Biblijs legenda censuerit; nihil tamen, quod ad fidei & religionis integritatem ac puritatẽ attinet, erasse: esto minus forte circumspecte, nec vndiq; satis ad publicam Ecclesiæ vtilitatẽ & ædificationẽ accomodate, ea Bibliorum recognitio, & de acceptanda recognitione præceptio, initio concepta & publicata visa fuerit: in qua re subinde errare posse Pontificem, salua fidei & religionis integritate, dictum est quæst. 4. dub. 7. Certe in hoc rerum genere transigendo, etiam intra limites recti, magna potest esse varietas & latitudo. 83

Assertio V. Nulla versio vllius linguæ vulgaris, neque vlla recentiorum Interpretum versio, pro sacra & authentica habenda est; ita vt per omnia indubitate credi possit, aut debeat, Sacri Scriptoris sensum assecuta. Ita habet communis Doctorum sententia. Ratio est; quia nulla talis versio vnquam legitur ab Ecclesia ita approbata: & fatentur ipsi etiam aduersarij suos interpretes, absolute loquendo, infallibilis auctoritatis non esse; quando Hunnius in Colloquio Ratisponensi sess. 9. diserte professus est, *simpliciter & absolute loquendo, certum esse*, quod possit errare Ministerium. Quo sensu etiam Augustinus lib. 2. doct. Christ. cap. 12. & epist. 19. & 59. & epist. 8. ad Hieron. dicit, interpretes posse errare. 84

Vt vero speciatim de Lutheri biblijs aliquid dicamus, occurrunt in ijs non pauci errores & corruptelæ, partim additione, partim detractione, vel commutatione verborum commissæ. I. Rom. 3. v. 28. vbi legimus *Arbitramur iustificari hominem per fidẽ, sine operibus legis*, ipse in suis biblijs, impie & sacrilege, contra omnium exemplarium fidem, addidit, particulam *Solum*; de qua re pluribus egi in Anatom. Confess. August. p. 1. demonstr. 2. num. 6. & in Hæretico Lutheranismo part. 2. §. 7. 85

II. Marci 11. v. 26. omisit illam sententiam: *Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.* Quæ tamen verba in optimis quibusque tam græcis, quam latinis editionibus leguntur, & hactenus continua traditione in Ecclesia recepta sunt.

III. Ita etiam 1. Thess. 4. v. 3. omittit hæc verba: *Vt abstineatis vos à fornicatione.*

IV. Omittit præclarissimum de Sanctissima

Trinitate testimonium 1. Ioannis 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Et hi tres vnum sunt.*

86 V. Quod ad verborum commutationem attinet, Isaiæ 9. v. 6. vbi Christo in textu hebraico attribuitur nomen *El*, in græco ὁ Θεὸς, ipse, in gratiam vtique Iudæorum, posuit voculam Krafft / seu, *fortitudo.*

VI. Lucę 1. v. 28. pro vocula græca κεχαριτωμένη, seu *gratia plena* substituit voculam Holdselig seu *gratiosa.*

VII. Galat. 3. v. 10. pro illis verbis, *Quicunq; enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, græce ὅσοι γὰρ ἐξ ἔργων νόμου εἰσὶν, ὑπὸ κατάραν εἰσί, vertit Lutherus, Dann die mit deß Gesetzes Werck vmgehen / die seynd vnder dem fluch / hoc est, *Qui opera legis tractant* (quod quidem fecerunt ipsimet Paulus, alijque Apostoli, Actorum 16. v. 3. & 87 cap. 21. v. 24. 26.) *sub maledicto sunt.* Omitto alia, de quibus videri etiam potest Cochlæus de actis Lutheri Anni 1522. & Hieronymus Emserus de versione noui testamenti Lutheri, & apologia Friderici Staphyli part. 2. de germanica bibliorum versione.

Sed & aliorum similium interpretum ac interpretationum vanitatem & inconstantiam pluribus erudite perstringit Iacobus Gretserus lib. 2. Defens. Bellarmini cap. 15. & in tract. de nouis translationibus ibidem, post finem libri secundi. Sane Lutherus ipse lib. cont. Zuinglium de verit. corp. Christi in Euchar. exosus tantam interpretationum varietatem; *Si diutius*, inquit, *steterit mundus, iterum erit necessarium, vt propter diuersas scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conseruandam fidei vnitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus.*

Optime proinde in nostri temporis Sectarios quadrat illud Tertulliani de præscript. cap. 17. *Ista hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus, ad dispositionem instituti sui, interuertit: & si recipit, non recipit integras; & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.*

88 Assertio VI. Licet Ecclesia Catholica non quidem omnino prohibeat vulgares bibliorum translationes, vt iam dudum dixit Kemnitius in examine loc. cit. quemadmodū videre est regula quarta indicis librorum prohibitorum, editi à Pio IV. vbi post facultatem ab Ordinario impetratam, conceditur etiam Laicis eiusmodi bibliorum lectio; recte tamen ibidem prohibet, ne & passim sine discrimine ea lectio permittatur, & ne in publico & cōmuni Ecclesiæ vsu (in ipsis scilicet diuinis officijs) scriptura sacra vulgari lingua legatur, aut canatur.

Prior pars assertionis constat ex dictis; præterquam quod ipso vsu in Germania obtentū esse videtur, vt Bibliorū germanicorum lectio per se illicita non censeatur, si modo ea versio ab aliquo Catholico interprete profecta sit, vt notauit etiā Iacobus Gretserus tom. 1. Defens. Bellar. l. 2. c. 15. de Verbo Dei. Quo fit, vt recentiori illa obseruatio Indicis ad regulam 4. Clementis VIII. auctoritate edita, quâ etiā Episcopis denegatur licētia, concedendi eā facultatē legendi vel retinendi Biblia vulgaria &c. in Germania locū nō habeat.

Secunda pars assertionis probatur, ex vsu Ecclesiæ veteris testamenti; itemq; Apostolorum, & vniuersalis Ecclesiæ. Nam nec in veteri testamento semper sacra scriptura vulgari lingua, aut priuatim ab omnibus lectitabatur, aut publice prælegebatur. Neque enim Esdras post captiuitatem Babylonicam, cum lingua hebraica desijsset esse vulgaris, sacram scripturam in vulgarem, nempe Syriacam linguam transtulit; sed eam ex hebraico textu, vt legitur lib. 2. Esdræ cap. 8. populo interpretatus est. Paraphrasis autem Chaldaica, vel tota, vel saltem ex potiore parte, post Christum facta est; neque modo publice ab Hebræis pro scriptura sacra legitur. Apostoli item licet ad diuersos populos, eosque linguis diuersissimis vsos, suas epistolas scriberent, ad Romanos scilicet, Galatas, Corinthios, & Iudæos in toto orbe dispersos, non tamen vulgari lingua eas conscripserunt. 89

Vniuersa vero Ecclesia semper his tantum linguis tribus, titulo Crucis Christi sanctificatis, in cōmunibus & publicis Ecclesiæ officijs vsa est, græca videlicet, hebraica, & latina; etiam cum hæ iam dudum desijssent esse vulgares. Quod patet tum ex Augustino l. 2. doctr. Christ. c. 11. vbi dicit, ad intelligentiam scripturarum, trium tātum linguarum cognitionem esse necessariam: tum ex eo, quod nullus author vllius vulgaris versionis, in publico Ecclesiæ conuentu vsurpatę (nisi forsan ex speciali summi Pontificis licentia, qualis etiam pro Sinensi regno hodie concessa fertur) vnquam meminit. Item in toto Oriente tempore Hieronymi, sola translatio græca LXX. interpretum per Origenem, Lucianum, Hesychium, emendata, in publico vsu erat, vt colligitur ex Hieronymo præfat. in lib. Paralipomenon; & tamen in Ægypto, Syria, Galatia, Ponto, Cappadocia, Phrygia, Pamphylia, quæ partes sunt orientis, neque græca, neque vlla alia communis quædam omnibus erat vulgaris lingua, vt ex Actorum 2. intelligi potest. In Africa vero, teste Augustino l. 2. doctrin. Christianæ cap. 13. Psalmi latine cantari consueuerunt. 90

Idem de præfatione Missæ, *Sursum corda &c.* testantur Cyprianus sermone de oratione Dominica, & Augustinus de bono perseuerantiæ c. 13. Idemque de alijs terræ partibus fuse demonstrat Bellarminus l. 2. de Verbo Dei c. 15. Et vero ante Lutherum in Italia, Germania, Gallia, Hispania, Græcia, græcæ tantum & latinæ linguæ vsum in Ecclesia fuisse constat: nec possunt Nouatores aliquod eius moris initium assignare; præterquam vbi olim etiam hebraicâ aut Syriacâ linguâ diuina forsan officia peragebantur. Recte vero Augustinus epist. 118. asserit, contra id, quod *vniuersa facit Ecclesia, disputare, insolentissimæ insaniæ esse.* 91

Ratio eiusdem moris ac decreti Ecclesiæ est; quia publicus, aut etiam priuatus promiscue vsurpatus scripturæ vsus, in linguis vulgaribus, 92

facile

facile potest vnitatem fidei scindere, communionem Ecclesiæ turbare, hierarchiæ Ecclesiasticæ ordinẽ peruertere, scripturę textum frequentibus versionibus corrumpere, simplicitatem fidelium offendere, scandala & hæreses disseminare, Religionis Christianæ Maiestatem violare, sicut & re ipsa apud Sectarios accidere compertum est. De qua re plura Hosius in dialogo de Sacro vernaculo celebrando.

Neque aduersus hãc doctrinam pugnat dissertatio Apostoli 1. Cor. 15. de cognito idiomate in Christianorum conuentibus vsurpando, nisi simul adsit, qui interpretetur &c. Ea enim spectant partim ad exhortationes & collationes spirituales, vt docent antiqui Patres, Cyprianus in epist. ad Pompeium, Basilius in quæst. breuibus q. 278. Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 8. Ambrosius, Theodoretus, Sedulius, Haymo, & Oecumenius in eundem locum: partim sermo est de Canticis spiritualibus, quæ olim in Ecclesia ab ipsis Christianis composita, ad communem populi instructionem, ædificationm, & consolationem, in Christianorum conuentibus publice cani consueuerunt, vt post Dionysium c. 3. & 4. de diuin. nom. tradit Eusebius lib. 2. hist. cap. 17. ex Philone, & pluribus persequitur Bellarminus cit. cap. 15.

93 Cæterum contra assertionem 3. varia obijciũt Sectarij; sed potissimum hæc duo. Primum est, quod ipse Hieronymus libro de optimo gen. interpret. & comment. in Prophet. & Ecclesiast. docet, quædam aliter fuisse vertenda, quam nunc in versione nostra vulgata leguntur.

Respondeo cum Bellarmino cit. lib. 2. cap. 10. etsi nostra versio, saltem maiori ex parte, sit Hieronymi, vt superius dictum; quatuor tamen de causis accidere facile potuisse, vt quædã in nostra editione aliter legantur, quam ipse legenda censuerit. I. est error librariorum, qui tamen caute admittendus est, præsertim vbi lectio quædam omnibus fere correctioribus exemplaribus cõmunis est, & longo vsu approbata videtur. II. Varia significatio vocabulorum, in quam S. Hieronymus intuens, modo hanc versionem, modo aliam præferẽdã cẽsuit, quod de se ipse testatur l. 1. Apologiæ cõtra Ruffinũ, vbi dicit, se psalmo 2. vertisse, *Adorate pure*, & in cõmentarijs tamen exposuisse, *Adorate filium*, quoniam vox hebræa ambigua est. III. Quod proinde ipse Hieronymus suammet versionẽ, aut etiam sententiã, in commentarijs expressam, recensuit, & mutandam iudicauit. IV. Quia certo Ecclesiæ iudicio quandoque factum est, vt prima versionis lectio retineretur, licet eam Hieronymus mutandam censeret. Vbi fatendum, maiorem Ecclesiæ auctoritatem esse, quam Hieronymi.

94 Alterum est, quod noui Sectariorum literiones obijciunt, multos in nostra versione, tam veteris, quam noui testamenti, legi solœcismos & barbarismos. Sed expedita responsio est. I. Similia reperiri apud ipsosmet Scriptores sacros, Euangelistas scilicet & Apostolos, præcipue apud Sanctum Paulum in epistolis, & Ioannem in Apocalypsi, quæ tamen nisi impudentissimus iure reprehendat; vti nec in classicis linguæ latinæ auctoribus, in quibus itidem non dissimilia subinde leguntur. II. Pleraque errata, quæ obijciuntur, nec sunt solœcismi, nec barbarismi, sed partim exempla imperitiæ Prædicantium, qui ignorabant, eadem apud optimos latinæ linguæ auctores fuisse vsurpata; partim hebraismi, hellenismi, archaismi, & similes tropi ac figuræ. III. Eruditissimi, & linguæ latinæ peritissimi Patres semper iudicarunt, eiusmodi nonnullam in grammaticæ regulis incuriam scriptoribus sacris, ac eorum interpretibus, imo & ipsis quandoque Ecclesiasticis tractatoribus, non esse vitio vertendam: in quibus res ipsę potius, quam verba spectanda sint; & à quibus bene viuendi, non loquendi scientia discenda sit. Ita diserte docent Arnobius lib. 1. cont. genres, Hieronymus in cap. 40. & 47. Ezechielis, Augustinus lib. 2. doctr. Christ. cap. 13 & lib. 3. cap. 3. & lib. 4. c. 10. & in psalm. 50. & libro de catechizandis rudibus cap. 9. S. Gregorius præfatione in libros Moralium, & Agobardus Episcopus Lugdunensis apolog. ad Fredegisum. Breuiter idem Augustinus in psalmum 148. *Melius est*, inquit, *vt nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi.* Quæ omnia fusius persequitur Iacobus Gretserus tom. 1. Defensionis Bellarmini l. 2. de Verbo Dei c. 14. vbi etiam ipsorum Sectariorum quorundã iudicio ac Censura, retundit Wittackeri, Iunij, ac præcipue Hunnij maledicentiam; qui vulgatam versionem latinam tãquam barbaram ac solœcam non minus imperite, quam impudenter traducunt. 95

DVBIVM III.

An præter scripturam, seu verbum Dei scriptum, admittendæ sint traditiones, seu verbum Dei non scriptum.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 8. 9.

NOmine Traditionis hoc loco generatim intelligitur doctrina aliqua ad religionem pertinens, quæ nec in scriptura aperte traditur, nec ex sola perse scriptura infallibiliter seu euidenter colligitur. Quæ etiam vocatur Verbum DEI non scriptum; maxime si quæ traditio immediate ab ipso Christo profecta sit; quia vtique verbum Dei est, quidquid Christus docuit, siue ab Euangelistis & Apostolis postea scripto comprehensum fuerit, siue voce traditum. Sed & traditiones Apostolorũ, ac Ecclesiæ, in materia Religionis, verbum Dei non scriptum recte dicũtur, hoc ipso, quod diuino spiritu ac nutu traditæ sunt, iuxta illud Matthæi 10. v. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris, qui loquitur in vobis.* Et Act. 15. v. 28. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Quo posito, huius temporis Nouatores respondent, scripturam esse vnicam fidei normam; nec esse vllas traditiones, seu verbum Dei non scriptum, quod pro fidei & Religionis norma habendũ sit: adduntque, id esse cõmune tam nouo, quã veteri 96

testamento, post legem à Moyse scriptam: cuius etiam testimonio id potissimum probant; Deuter. 4. v. 2. & cap. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi hoc tantum facito.* &c. Eadem fuit olim communis omnium hæreticorum sententia, vt inferius dicetur.

97 Contraria est omnium Catholicorum sententia: quam expresse definiuit Concilium Tridentinum sess. 4. decret. de canon. scriptur. vbi dicitur: *Sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, perspiciens, veritatem* (fidei) *& disciplinam morum contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore, ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos vsque peruenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quã noui testamenti, cum vtriusq; vnus Deus sit auctor; nec non traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conseruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia suscipit & veneratur.*

98 Quæ Catholica veritas probatur primo ex ipsa scriptura sacra, quæ aperte nonnunquam traditiones cõmendat. Vt 2. Thess. 2. v. 14. *Itaq; fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Vbi Apostolus, quamuis iam post scriptum Euangelium, aliaque scripta quædam Euangelica, expresse præcipit, vt etiam traditiones non scriptæ obseruentur. Item 1. Cor. 11. v. 2. *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis; & sicut tradidi vobis* (vtique voce) *præcepta mea* (non Christi tantum) *tenetis.* Si autem sola scriptura religionis norma esset, propter eius duntaxat obseruationem laudandi essent Corinthij. Similis est locus 1. Tim. 6. v. 20. *O Timothee depositum custodi*: vtiq; verbo traditum. Et ex veteri testamento habemus illud Ecclesiastici 8. v. 9. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbijs eorum conuersare: ab ipsis enim disces sapientiam.* Et v. 11. *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à Patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum.*

99 Quo spectant etiam alia scripturæ loca, quibus docetur, nõ omnia fidei dogmata, seu disciplinæ Ecclesiasticæ instituta, viua voce à Christo tradita, fuisse ab Apostolis & Euangelistis cõscripta; Vt Ioañis 16. v. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Ita etiam Lucæ 24. v. 27. *Christus incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Et tamen quænam in particulari scripturæ veteris loca, & qua ratione Christum significent, quæue Christi fuerit eorum locorum interpretatio, nullibi scriptũ est. Et rursum Act. 1. v. 3. de Christo dicitur, quod Apostolis se manifestauerit *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*; nempe de Ecclesiæ futuro statu & institutis. Denique Ioannis vlt. v. 25. dicitur: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos; qui scribendi sunt libros.* Vbi quidem Ioannes facta solum Christi cõmemorat, sed quibus vtiq; etiam dicta eiusdẽ admiscerẽtur; sicut nullũ prope factum Christi à Ioañe, aut alijs Euangelistis, sine aliquibus eiusdẽ dictis cõmemoratur. Ea vero dicta & doctrina Christi cum nusquã scripta sint, ad traditiones ac Verbũ Dei scriptũ pertinẽt.

100 Secundo probatur Catholica doctrina peculiaribus quibusdam exemplis diuini cultus & obsequij, iam olim tempore scriptæ legis (quam tamẽ vt dictum, aduersarij non minus, pro eo tempore vnicam fidei ac religionis normam constituunt) extra scripturam legitime instituti, vel suscepti: quæ quidẽ iã olim contra Huñium & Hailbrunnerum notaui & fusius defendi in apologetico pro relatione de colloquio Ratisponẽsi c. 9. Etenim I. Dauid absque vllo scripturæ mandato, constituit statã lege cantores *in organis Musicorum, nablis*, videlicet, *& lyra, & cymbalis vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ, & coram arca Domini recordarentur operum eius, & glorificarent, atq; laudarent Dominum Deũ Israel.* 1. Paralipomenon 15 v. 16. & c. 16. v. 4.

101 II. Dauid ac Salomon absq; vllo scripturæ diuinæ præcepto, templũ Domino ædificandũ curarunt, & varijs quoq; imaginib⁹ ac statuis exornãdũ, 1. Paralipomenõ 17. & 2. Paralipomenon 4.

III. Ezechias sine scripturæ mandato, cõmuni *consilio Principum & vniuersi cœtus Hierusalem statuit*, posse ob hanc quoq; causam, quod Sacerdotes, qui possent sufficere phase celebrãdo, sanctificati non essent, licite mense secundo celebrari phase, 2. Paralipomenon 3. v. 2. & 3. Neque enim Numerorum 9. v. 10. & sequentibus, quidquam hac de re statuitur, sed solum conceditur duobus hominum generibus, vt pascha secundo mense celebrare possint; primo, si quis imũdus, deinde si quis in itinere esset. Et additur: *Si quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.* Quæ lex tantum abest, vt Ezechiæ & Sacerdotibus alijsue, qui nec immundi, nec in itinere erant, differendi paschatis celebrationem indulserit, vt eiusmodi dilationem, nisi aliqua exceptio admittatur, potius aperte damnaret. Quo spectat etiam quod ibidẽ 2. Paralipomenon 30. v. 18. dicitur, *Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit phase, non iuxta quod scriptum est.* vbi Prædicantes ipsi coacti sunt fateri, Ezechiam hæc fecisse, aut ex peculiari Dei reuelatione, vel ex instinctu & consilio Prophetæ Isaiæ. Quo tamen ipso fateri coguntur, aliquem cultum, absque scripto Dei mandato, etiã in veteri lege susceptum Deo placuisse; atq; adeo non omnem additionem ad cultum, & detractionem circa cultum à Deo fuisse prohibitam: neq; vero etiam Pentateuchum Mosis fuisse vnicam normam cultus & religionis populo Iudæorum.

IV. Eiusdem Reges Ezechiæ ductu, & simul etiam cõmuni multitudinis cõsensu factum est, vt ad vnius hebdomadis Paschalis à lege præscriptæ festiuã solenitatẽ alia hebdomas Paschalis adijceretur. 2. Paralip. 30. v. 23. Vbi Huñius: *Respondetur*, inquit, *etsi hoc postremum non habebat ex verbo*

scripto

scripto, tamen ex verbo Domini habuit per Prophetam sæpe dictum (Isaiam) *annuntiato*, hoc est, voce tradito. Vbi parum abest, quin Hunnius hac in re se Catholicum profiteatur.

V. Iosias præter legem, & morem omnium Regũ Israel, à diebus Samuelis Prophetæ, splendidissimum celebrauit pascha 2. Paralipomenno 35. Vbi cum Iosias longe plures, quam lex iusserat, victimas ac sacrificia paschalia obtulerit, Sacerdotesq; eas in honorem Dei mactarint, plane sequitur, aliquid in diuino cultu, extra legem scriptam, à Iosia & Sacerdotibus in paschatis illi⁹ celebratione fuisse additum.

104 VI. Accedit solemnitas Phurim; quam in memoriam diuini beneficij, quo populus Israel à tyrannide Amanis liberatus fuerat, scriptâ hac de re epistolâ, cunctis Iudæis omni studio seruandam proposuerunt Esther & Mardochæus Esther 9. vers. 23. Vbi post mandatum Mardochæi recitatum dicitur; *suscepisse Iudæos in solemnem ritum cuncta, quæ eo tempore facere coeperant, & quæ Mardochæus literis facienda mandauerat.* Et vers. 27. rursum differitur; *suscepisse Iudæos super se, & semen suum & super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies* (Phurim) *absque solemnitate transigere quos scriptura testatur, & certa expetunt tempora, annis sibi iugiter succedentibus. Isti sunt dies quos nulla vnquam delebit obliuio; & per singulas generationes cunctæ in toto orbe Prouinciæ celebrabunt; nec est vlla ciuitas, in qua dies Phurim, id est sortium, non obseruentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his ceremonijs obligata est.* Et mox dicitur, Reginam & Mardochæum scripsisse epistolam secundam, vt omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum. Ex quibus manifestum est, festos hos dies non fuisse liberæ obseruationis, vt falso Prędicanter dixerant (quamuis idipsum etiã nostro argumento nil præiudicaret) sed necessario ab omnibus obseruandos.

105 VII. Absq; vllo etiam scripturæ præcepto aut præscripto, Machabæi in memoriam expurgati templi, similiter instituerunt nouam illam festiuitatem Encæniorum, 1. Machabæorum 4. v. 56. & 59. Vbi non solum dicitur factam esse *dedicationẽ altaris diebus* octo, & oblata fuisse *holocausta cum lætitia &c. & ornatam faciem templi coronis aureis & scutulis, & dedicatas portas, & pastophoria.* &c. sed etiam additur: *Et statuit Iudas, & fratres eius & vniuersa Ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annũ, per dies octo, à quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio.* Vbi noua rursum obligatio eius festi celebrandi indicta est. Quam agnoscunt etiam Iudæi, qui hãc ipsam festiuitatem in suum calendarium, inter cæteras anni festiuitates celebrandam retulerunt. Confirmat deniq; Christus, qui eundẽ cultum etiam sub opinione necessitatis susceptum, non improbauit, sed sua quoq; præsentia condecorauit & confirmauit, Ioannis 10. v. 22.

106 Quibus exemplis insuper etiam addimus sequentia. Nimirum VIII. Tam in lege naturæ, quam in lege scripta, fuit aliquod remedium diuinitus institutũ, ad expiationem peccatũ originale, etiam pro fœmellis; & tamẽ nulla vspiã in scriptura de eo fit mentis; vt proinde sub lege quoq; scripta, necessario aliquid, etiam sub ratione dogmatis & cultus, obseruandum esset, in scripturis nusquam traditum.

IX. Exploratores terræ promissionis, non improbante etiam postea Iosue, securitatem ac indemnitatem publica fide ac iureiurando promiserunt Raab, eiusq; domui Iosue 2. v. 14. cum tamen alioqui Deus omnem illum populum gladio & vastatione delendum mandauerit, ac simul pacta & fœdera cum eis ineunda vetuerit, Exodi 34. v. 15. & Deut. 7. v. 2.

X. Gedeon præter cõmunem legem Moysis, sacrificauit extra tabernaculum, etiam cum Sacerdos non esset, vtpote ex familia Manasse, non Leui descendens, Iudicum 6. v. 20. & 25. 107 XI. Idem fecit Manue, Iudicum 13. v. 16. & 19.

XII. Samson accepit vxorem Philisthæam & alienigenam, contra cõmunem legem Moysis, diuino tamen instinctu & impulsu ductus, Iudicũ 14. v. 4. vbi dicitur: *Parentes autem eius nesciebant, quod res à Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthiim.*

XIII. Samuel etsi non ab Araone ortus, sacrificauit tamen & nouum altare erexit 1. Regum 7. v. 9. & 17. qui etiam sacrificauit in Excelso, 108 vbi nec tabernaculum, nec arca Domini erat 1. Reg. 9. v. 12. & seq.

XIV. Dauid necessitate ductus, comedit panes sanctificatos, quos alioquin ei edere non licebat 1. Regum 21. v. 6. idq; ipsum velut recte factum tuetur Christus Matthæi 12. v. 3.

XV. Idem Dauid absq; præcepto & præscripto scripturæ instituit & celebrauit nouam solemnitatem translationis arcæ ex Cariathiarim, ac domo Aminadab, in domum Obededom: vbi simul etiam *cum omni Israele ludebat coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.* 2. Regum 6. v. 5. & 1. Paralip. cap. 13. v. 1.

XVI. Simili ratione idem Dauid nouo Tabernaculo extructo, diuerso à Mosaico, quod remãserat in Gabaon, adduxit arcam Dei de domo Obededom 109 *in ciuitatem Dauid cum gaudio: & erant cum Dauid septem chori, & victima vituli. Cumq; transcendissent, qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bouem & arietem; & Dauid saltabat totis viribus ante Dominum. Porro Dauid erat accinctus Ephod lineo* qui insuper etiam præter Leuitas, Cantores, & Sacerdotes ad nouum tabernaculum, vbi arca erat, in ciuitate Dauid constitutos, deputauit etiam alios Sacerdotes ad sacrificia peragẽda coram Tabernaculo Domini in Gabaon. 2. Reg. 6. v. 12 & 1. Paral. 16. v. 1. & 39. Quæ omnia, si circumstantias spectes, absque præcepto aut præscripto scripturæ facta sunt.

XVII. Idem Dauid ad placandum Deum, ob 110 peccatum numerati populi, nullo scripturæ præscripto *ascendit & constituit altare Domino in arca Areuna Iebusæi, & obtulit holocausta & pacifica.* 2. Regum 24. v. 18. & 25.

XVIII. Salomon absq; vllo scripturæ præcepto ædificauit nouum altare Domino, in eoq; sacrificauit, *quoniam altare æreum, quod erat coram*

Domino, minus erat, & capere non poterat holocaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum. XIX. Rechabitæ absq; vllo præcepto Dei, nouum quoddam vitæ genus quasi religiosum instituerunt & coluerunt; vinum non biberunt, domum non ædificarunt, & vineam, & agrum, & sementem non habuerunt, sed habitauerunt in tabernaculis Ierem. 35. v. 6. 9. Omitto plura.

111 Tertio probatur eadē veritas Catholica exemplis traditionum noui testamenti; quæ quamuis nec in scriptura expresse tradantur, nec ex ea sola, sepositâ Ecclesiæ auctoritate, sufficienter colligantur, tamen necessario obseruandæ & retinendæ sunt. Etenim I. Necessarium est scire & credere, an & quinam libri sint canonici; quod tamen ex sola per se scriptura sufficienter non colligitur, vti demonstrauimus dub. 1.

II. Ad dogma Religionis pertinet, pascha celebrandum esse die Dominico, non autem cum Iudæis Luna 14. adeo vt opposita doctrina Quartadecimanorum velut hæretica damnata sit, vt dictum q. 4. dub. 3. probat 3.

112 III. Necessarium etiam dogma est, diem dominicum festiue celebrandum esse, diesq; festos Christi & Apostolorum obseruandos; de qua tamen re nullum prorsus scripturæ præceptum, aut monitum extat.

IV. Necessario itidem credenda est intemerata Virginitas B. Mariæ; damnatâ iam olim cōtrariâ Heluidij hæresi; quæ tamen virginitas itidem ex sola scriptura sufficienter non probatur, vt etiam in Colloquio Ratisponensi dictum sess. 10. in Relat. de eodem colloquio part. 2. cap. 3.

113 V. Fidei dogma est, paruulos esse baptizandos, etiam absq; propria fide actuali; quod itidem ex sola per se scriptura sufficienter non colligitur, vt dictum in Colloq. Ratisponensi sess. 12. & in Relatione de eodem part. 2. c. 7. & testatur Augustinus l. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 23. Et lib. 10 de Genesi ad literam cap. 23. vbi ait: *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda, neq; vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda est, nisi Apostolica esset traditio.* Et rursum serm. 14. de verbis Apostoli c. 18. vbi ait: *Vtique prodest Christus paruulis baptizatis; prodest ergo non credentibus? Sed absit, vt ego dicam non credentes infantes. Iam superius disputaui, credit in altero, qui peccauit in altero: dicitur, credit, & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hæc habet auctoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet canon; contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse confringitur.*

114 Neque ad hoc Prædicantes in colloquio aliud respondere potuerunt quam pudendum illud. *Nos ab Augustino hac in parte libere dissentimus*; Vt videre est in Protocollo Monacensi edit. 2. sub fin. pag. 367. Cum tamen ipse etiam Lutherus pædobaptismum traditione potissimum niti agnouerit epist. ad duos parochos de Anabap. tom. 2. germ. Witt. fol. 278. cum ait. *Hoc nondum concludas, inquies, certum esse paruulorum baptismum, quia non est vlla sententia ex scriptura. Respondeo, verum est: non satis valide concluditur (scripturæ) sententijs, vt possit idcirco inchoare paruulorum baptismū apud primos Christianos, post Apostolos, At concluditur tamē tantū, vt iā nostro tempore bona conscientia nemo audeat baptismum paruulorum tamdiu vsitatum & continuatum repudiare aut omittere, cum Deus reipsa illum non solum toleret, sed etiam tueatur ab origine, vt necdum interierit. Quia vbi Dei opus cernitur, æque credendum & credendum est, ac vbi eius verbum auditur; nisi aperta scriptura tale opus nobis vitandum significet.* Ita Lutherus.

VI. Diuina itidem fide credendum est, baptismum hereticorum esse validum, adeoq; ab hæreticis baptizatos non esse rebaptizandos. Id autem tantum abest, vt ex sola scriptura, sepositâ traditione, sufficienter colligatur, vt potius Cyprianus ex ea contrariū colligere sibi certo visus fuerit: cum Stephanus Papa, & postea Augustinus, alijsq; Patres, è contrario ad Catholicum dogma pefendendum, Ecclesiæ potius traditionem allegarent, vt dictum in eodem colloquio Ratisponensi sess. 12. & in Relatione de eodem par. 2 c. 7. Vid. Augustinum l. 2. de bapt. cont. Don. c. 7. & l. 5. cap. 23. & lib. 2. cont. Donatistas cap. 5.

VII. Necessario acceptandum & retinendum 115
est Apostolorum symbolū; quod tamen nōnisi ex Apostolica traditione accepimus, si nimirū contextum ipsum & complexum articulorum, non singulos per se articulos spectemus.

Deniq; Apostoli Act. 15. v. 28. absq; vllo scripturæ mandato, vel præscripto, sanxerunt Apostolicum illud decretum, Abstinendum esse à sanguine & suffocato. &c. idq; etiam eo tempore à Christianis necessario obseruandum erat. Plura exempla referuntur in testimonijs Patrum, quæ subiungimus.

Quarto igitur probatur eadē Catholica veritas 116
ex antiquis Patribus. Irenæus l. 3. aduersus hæreses c. 2. traditiones aperte commendat, vbi inter alia de hæreticis loquens ait: *Cum autem ad eam iterum traditionē, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorū in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos, aduersantur traditioni dicentes, se non solū Presbyteris, sed etiā Apostolis existentes sapientiores, syncerā inuenisse veritatē.* Et c. 3. *Traditionem*, inquit, *Apostolorum in toto mundo manifestatā, in Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum, vsq; ad nos, qui nihil tale docuerunt, neq; cognouerunt, quale ab his deliratur.*

Tertullianus lib. de corona militis c. 3. *Habentes*, inquit, *obseruationem inueteratam, quæ præueniendo statum facit. Hanc si nulla scriptura determinauit, certe consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest, si traditū prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta? Ergo quæramus, an & traditio non scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio, vindicamus.*

Et mox plura instituta Ecclesiæ, quædā etiam 117
pro temporis ratione mutabilia, ex traditione profecta referendo, addit etiam hæc: *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus. Die dominico ieunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare; eādem immunitate à die paschæ in Pentecostem vsq; gaudemus.*

Calicis, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram, anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitus, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunq; nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

Et rursum cap. 4. *Harum & aliarum disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætendetur auctrix.* Et paulo post: *His igitur exemplis renuntiatum erit, posse etiam non scriptam traditionem in obseruatione defendi.*

118 Basilius in lib. de Spiritu Sancto capit. 27. *Dogmata*, inquit, *quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio, id est, in occulto tradita recipimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem; nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint iura ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur reijcere, impudenter & eadamnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur; imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Et mox: *Vt signo crucis eos, qui spem collocauerunt in Christum, signemus, quis scripto docuit?*

Et infra: *Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum qui baptismum accipit; ex quibus scriptis? nonne ex tacita secretaq; traditione? Ipsam porro olei inunctionem quis sermo scripto proditus docuit?* Et infra: *Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniat in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud edictum; nam dogmata silentur; edicta vero publicantur.*

Similia habent Dionysius cap. 1. Eccles. hierarchiæ & Clemens Alexandrinus libro 1. stromatum.

119 Epiphanius hæresi 61. *Oportet autem & traditione vti: non enim omnia à diuina scriptura possunt accipi. Quapropter aliqua in scripturis; aliqua in traditione SS. Apostoli tradiderunt. Quemadmodum dicit S. Apostolus: Sicut tradidi vobis. Et alibi: Sic doceo, & sic tradidi in Ecclesijs, & si continetis, nisi frustra credidistis.*

Chrysostomus homil. 4. in illud 2. Thess. 2. *State & tenete traditiones. Hinc est perspicuum*, inquit; *quod non omnia per epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoq; sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoq; traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio, nihil quæras amplius.*

120 Augustinus libro 4. de baptismo contra Donatistas c. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur.* Et epist. 118. c. 5. *Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Obiecimus hæc eadem testimonia aduersarijs in Colloquio Ratisponensi, quæ habentur sub finem sess. 14. Sed ipsi ad Irenæum, Tertullianum, Basilium, Epiphanium, Chrysostomũ respondent nihil. Ad Augustinum quid dixerint superius dictum.

121 Quinto probatur eadem Catholica veritas ex historia totius antiquitatis, ex qua constat, hoc ipsum fuisse commune omnium quasi hæreticorum principium, adeoq; originem apostasiæ, & totius confusionis Babylonicæ, quam hæreses in mundum intulerunt, iactare scripturas, nihilq; esse credendum asserere, nisi particulatim in scriptura sacra traditum. Nam quod hæretici omnes magnopere scripturã iactare soliti sint, perspicue testantur Tertullianus lib. de præscript. contra hæret. cap. 15. & 17. Ambrosius lib. 4. in cap. 4. Lucæ, Hilarius lib. 2. ad Constant. Athanasius orat. 1. contra Arianos, Epiphanius epist. 60. inter opera S. Hieronymi, Augustinus tractatu 18. in Ioannem homil. 9. & lib. 83. quæst. q. 69. & libro 7. de Genesi ad literam c. 9. & l. 2. de nuptijs & concupiscentia c. 31. & luculentissime Vincentius Lyrinensis in cõmonitorio contra hæreses c. 35. 36. & 37.

Deinde vero plerosq; hæreticos solam scripturam, exclusis traditionibus Ecclesiæ, pro norma fidei iactitasse, demonstratur his documentis. I. Ita de Arianis testatur Hilarius lib. contra Constantiũ; vbi Arianum ita loquentem introducit: *Nolo verba, quæ non scripta sunt legi.* Et Maximinus Arianus apud Augustinũ initio l. 1. cõtra eundẽ ait: *Si quid de diuinis scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est vt audiamus: hæ vero voces, quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur. Præterea cum ipse Dominus moneat nos, & dicat. Sine causa colunt me, docentes mandata & præcepta hominũ.* Et ijdem Ariani apud Epiphanium hæresi 73. *Reijcimus*, inquiunt, *vocem Coëssentialem* (homousion) *velut alienam à diuina scriptura.* 122

II. Pelagiani apud Augustinum lib. de nat. & grat. c. 39. *Credamus*, inquiunt, *quod legimus: & quod non legimus, nefas credamus astruere: quod de cunctis etiam dixisse sufficiat.* 123

III. Nestorius, vt refertur l. 12. hist. tripart. c. 4. *dum naturaliter eloquens fuisset, se putabat doctum, & libris antiquiorum interpretum dedignabatur incumbere, omnibusq; se meliorem putabat esse.* Quod etiam apud Socratem, Cyrillum, & in actis Ephesinis refertur.

IV. Eutychetis vox est, vt habetur in Concilio Chalcedonensi act. 1. *In qua scriptura iacent duæ naturæ?*

V. Lollardi apud Bernardum de Luxẽburgo, catalogo hæreticorum, *Nihil*, inquiunt, *præter sanctas scripturas recipimus: quidquid istis apponitur, vel subtrahitur, est blasphemum.* Vide etiam Waldensem tom 1. doctrin. cap. 3.

VI. Abailardus, teste S. Bernardo epist. 190. *ab omnium Patrum fide* (adeoque & Ecclesiæ traditione) *discedere non curabat.* 124

VII. Wicleffus in supplemento trialogi c. 9. ait: *Quidquid Papa, vel Cardinales sciunt ex scriptura sacra deducere, id tantum est credendum, vel ad eorum monita faciendum est: & quidquid vltra præsumpserint, contemnendum est, tanquam hæreticum.* Idem de sui temporis hæreticis referentem Irenæum paulo antea adduximus.

Sexto probatur eadem Catholica veritas ratione. I. Traditiones quædã diuinæ extiterunt, ante omnem scripturam sacram: ijsque solis 125

aliquando gubernabatur vera Ecclesia. Nam per bis mille annos ab Adamo vsque ad Moysen, Scriptura Sacra nulla fuit; cum omnium consensu Moyses fuerit primus scriptor sacer. Deinde rursus per bis mille annos, à Moyse vsque ad Christum, fuit quidem sacriptura sacra, sed solum penes Israeliticum populum; cum tamen ex alijs etiam gentibus multi veram haberent fidem, & ad veram spectarent Ecclesiam, vt constat de Iob, & amicis illius. Quid ni ergo fieri potest, vt pars quoque doctrinæ Christianæ sine scripto syncere tradita, apud Christianos Deo disponente propagetur?

126 Verum doctrina non scripta, inquies, facile excidit, facile corrumpitur. Non multo certe facilius, quam scripta: quam toties fere deprauari contingit, quoties scribitur. Accedit quod illę ipsæ traditiones non scriptæ Apostolorum & diuinæ, diligenter postmodum à maioribus nostris, ad posteritatis memoriã, literis consignatæ sunt. Neq; enim ideo non scriptæ dicuntur, quia nullibi scriptæ sunt, sed quia in scriptura sacra scriptæ non sunt. Et quid times impostoras modicę fidei? Si censes credendum Ecclesiæ dicenti; Hoc scripsit Paulus; cur non credis eidem asserenti; Hoc dixit Paulus: cum præsertim nec illud aliunde sciat, quã ex eo, quod dixit Paulus. Deus nimirum est, qui regit Ecclesiam; sine quo Rectore nõ minus illa falli posset in scriptura, quam in traditione; iam in vtroque secura, vt etiam alibi disputaui.

II. Doctrina fidei ac Religionis Christianæ, secundum legem Dei ordinariam, nec potest quidem vllo modo sufficienter cognosci ex scriptura, sine aliqua traditione Ecclesiæ; qua manifestũ fiat, quæ sit scriptura sacra, & quis sit sensus scripturæ sacræ, vt partim dictum supra dub. 1. partim quæst. 3. dub. vlt.

127 III. Ecclesiæ auctoritas circa doctrinam fidei ac religionis simpliciter est infallibilis; cum sit *columna & firmamentũ veritatis*, 1. Timoth. 3. v. 15. vt fusius dictum partim q. 3. dub. 3. partim q. 4. dub. 6. & 7. Ergo eius doctrinæ acquiescendum est, siue scripta sit, siue tradita.

IV. In omni Republica & Comunitate, præter leges scriptas, seruandæ sunt etiam consuetudines legitimę; eæq; parem cum scriptis legibus auctoritatem habent, vt dictum tõ. 2. d. 5. q. 1. du. 1.

V. Sine traditione Ecclesiæ, fit, vt Sectarij reipsa nullam certam & infallibilem fidei normam habeãt. Quia propria & immediata regula fidei, non est præcise ipsa litera nuda, seu cordex sacræ scripturæ secundum se, sed significatio ipsius, adeoque sensus & interpretatio. Hanc vero cum illi, sepositâ Patrum & Ecclesię auctoritate & traditione, aliunde non habeant, quam ex suo capite & ingenio depromptam, necessario efficitur, normam fidei, quam habent, infallibilem non esse; quando quidem fatentur, & se, & vniuersum ministerium suum in scriptura interpretanda absolute falli posse, vt etiam dictum dub. 2.

128 Quâ de causa Augustinus iam olim, in eundem sensum, contra Manichæos disseruit l. 32. contra Faustum cap. 19. *Videtis, id vos agere, vt omnis de medio Scripturarum* (quoad verum & genuinum sensum) *auferatur auctoritas, & sum cuique animus auctor sit, quid in quaque scriptura probet, quid improbet: id est, vt non auctoritati scripturarum subijciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subijciat, non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideo recte scriptum videatur; quia hoc illi placuit.*

Et Hieronymus in caput 1. Epistolæ ad Galat. tom. 6. *Marcion & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes non habent Euangelium, quia non habent Spiritum Sanctum, sine quo humanum fit Euangelium, quod docetur. Nec putemus, in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum folijs, sed in radice rationis &c. Grande periculum est, in Ecclesia loqui, ne forte interpretatione peruersa, de Euangelio Christi, hominis fiat Euangelium, aut, quod peius est, diaboli.*

Et optime Hilarius lib. 2. ad Constantium: Scripturæ, inquit, *non in legendo sunt, sed intelligendo.* Hoc autem argumentum fusius tractaui in Anatomia Confess. Augusti. part. 2. demonstrat. 7. §. 3.

Septimo probatur eadem Catholica veritas confessione ipsorum aduersariorum, in Colloquio Ratisponensi Anni 1601. Vbi quamuis in sua thesi 1. asseruissent, *Verbum Dei, Prophetarum, Euangelistarum, & Apostolorum scriptis comprehensum, Doctrinæ, cultus, ac fidei Christianæ, vnicam certam, atque infallibilem normam esse*; postea tamen, vi argumentorum coacti, cum vrgeretur illa traditio de libris canonicis, tandem fassi sunt, scripturam sacram non esse vnicam fidei normam, sed earum tantum fidei veritatum, quę articulos aut dogmata concernant. Vt ex his formalibus verbis aduersariorum liquet. 129

Etenim I. Statim in 1. sess. Proto. Monac. edit. 2. pag. 24. Hunnius, cum inter traditiones non scriptas, olim in veteri testamento recipiendas, à nostro Iacobo Gretsero prolata fuisset etiam ista, *Libros Moysis esse Moysis, esse Canonicos, esse verbum Dei*, mox his verbis respondit Hunnius: *Libros Moysis esse Moysis, conceditur esse hanc traditionem testimonium Ecclesiæ Dei.* Et infra: *Non est*, inquit, *quæstio de traditionibus, de quibus vtrinque inter nos conuenit; sed de his, secundum quas dogmata inter nos & inter vos controuersa cognoscenda & iudicanda sunt. Aliene igitur hoc à vobis affertur.* Ita Hunnius. 130

II. Idem Hunnius sess. 10. Prot. Monac. pag. 232. cum rursus eadem traditione vrgeretur, ait: *Distinguo ergo inter duplices traditiones; quarum aliæ sunt historicæ, aliæ vero dogmaticæ. Et quod attinet censuram sacrarum scripturarum noui testamenti, tum canonicarum tum Apocrypharum* (quinam videlicet libri sint canonici, quinam apocryphi) *certum est, eam Ecclesiæ censuram pertinere non ad ipsa per se dogmata, sed ad historiam. Neque posse per testimonium Ecclesiæ nouum aliquod & peculiare produci dogma, quod deinde assuendum sit cæteris dogmatibus in scriptura expressis.* Spectat ergo res hæc, quinam libri sint canonici Hunnij confessione, ad *censuram & testimonium Ecclesiæ.* 131

III. Ia-

III. Iacobus Hailbrunnerus sess. 11. protoc. Monac. pag. 259. dum iterum premeretur exemplo eiusdem traditionis, ita loquitur: *Aduersarij potius videntur tergiuersari, & auditoribus fucum facere, dum probaturi, scripturam esse normam* (leg. *non esse normam vnicam*) *& admittendas esse traditiones, eam traditionem afferunt* (de canonicorum scilicet librorum numero & auctoritate) *de qua inter nos prorsus nulla est controuersia.* Et rursus pag. sequent. *Miror*, inquit, *quod vrgeatur adeo hæc traditio, cum de ea inter nos non sit controuersia. Vtrinque enim sacram scripturam accipimus.* Agnoscit ergo & admittit Prædicans hanc traditionem.

133 IV. Rursum Hunnius eadem sess. 11. pag. 260. *Respondeo*, inquit, *per distinctionem, quod pari quidem fide credendum sit, hos vel illos libros esse canonicos; idque non modo propter testificationem Ecclesiæ, sed & propter interna criteria. Nihilominus vero non conficitur hinc, quod illa testificatio, licet necessario credenda, sit pars quædam verbi diuini, siue articulus, & caput doctrinæ Christianæ.* Certe si testificatio illa diuina fide credenda est, nec tamen est pars verbi diuini, scilicet scripti, euidens est, aliquid diuina fide credendum esse, quod tamen non sit pars verbi diuini scripti.

134 V. Idem apertissime habetur sess. 13. vbi etiam idcirco gratiæ ingentes actæ sunt aduersarijs, pro hac confessione, sed & simul contra eosdem, totamque eorum causam, conclamatum, quod post vnius quamuis integræ horæ tergiuersationem plane incredibilem, tandem ad propositam quæstionem, qua perpetuo ac sine intermissione vrgebantur, aiendo respondere coacti fuerint; *aliquid* (nempe traditionem de libris canonicis) *esse credendum, quod nec extet in scriptura, nec inde solum euidenter deducatur.* Verba nostra formalia, prout in vtroque (Monacensi scilicet pag. 288. & Lauingano) protocollo habentur, sunt ista: *Recte. Dixerant autem Domini* (antea videlicet, dum diu multumque tergiuersarentur) *non esse hoc controuersum: sed an aliquid sit addendum* (scripturæ) *tanquam dogma, seu articulus fidei. Quod inprimis diserte pugnat contra omnia vestra dicta quibus conuincere volebatis, nihil omnino debere credi, quod in scriptura diserte non extet. Iam vero corruit omnis impetus & strues argumentorum vestrorum, si vel vnum aliquid sit credendum, quod nec extet in scriptura, nec inde solum euidenter deducatur; vt iam concessum est. Qua de re iudicium iam relinquo Auditoribus.*

135 Tantum vero abfuit, vt prædicantes huic nostræ tam lubenti acceptationi contradicerent, vt eam adhuc magis corroborarent; id solum excipiendo, nihil tamen ideo in cultu, & in articulis, & in dogmatibus credendum, quod non vel expresse contineatur in scriptura, vel inde per bonam consequentiam deduci queat. Verba Hunnij formalia, iuxta vtriusque authentici protocolli fidem, sunt ista: *Finaliter concludo, quod non sit aliquid in cultu & in articulis, & in dogmatibus credendum, quod non vel expresse contineatur in scriptura, vel inde per bonam consequentiam deduci queat. In qua nostra finali conclusione penitus acquieuimus; & iudicium committimus DEO, & Ecclesiæ ipsius.* Ita Hunnius: qui vti palam est, nullo verbulo interim negat, quin aliquid tandem diuina fide sit credendum extra scripturam, quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habeat.

Quod quidem quam consequenter sit dictum nihil disputo: Satis est, aduersarios fateri coactos fuisse, aliquid sane extra scripturam diuina fide esse credendum, quidqd id demum esset, & quocunque nomine appellaretur. Quocirca & ego tunc in colloquio omnem hanc causam his verbis concluſi: *Ego similiter Deo ipsi Ecclesiæ, & toti auditorio committo iudicium; quod scilicet illa loca Deuteronomij 4. 5. & 12. male & contra suam conscientiam adduxerit aduersarius, dum vniuersaliter probare conatus fuit, nihil credendum, nisi quod in scriptura extet, aut inde euidenter deducatur. Qua in re ad Protocollum me refero.* Atque ita omnis hac de re contentio vtrinque cessauit.

Verba autem, quibus Hunnius, id quod diximus, in eadem sess. 13 confessus fuerat, hæc erant: *Multoties responsum est, esse aliquid necessario credendum* (scilicet extra scripturam, de qua re ibidem disputabatur) *tanquam historiam a Spiritu sancto traditam, & quidem fide infallibili, quod tamen nec cultus, nec dogmatis, nec articuli rationem habet.* 136

Ita testatur I. Protocollum, quod in ipso Colloquio, ex parte Sereniſſimi Bauariæ Ducis, tanquam eo tempore constitutus colloquij Notarius, conscripsit nobilis & clarissimus vir Dñus Leonardus Treuttwein Vtr. Iuris Doctor, tunc temporis Consiliarius Episcopalis, & Syndicus in Cathedrali Ecclesia Ratisponæ, postea vero Reuerēdissimi & Illustrissimi Principis ac Episcopi Ratisponensis Cancellarius, in quo vox illa *Traditam* sine vlla litura vel rasura legitur. Neque sine dubio aliter initio scripserant alij Notarij; etsi mihi eorum exemplaria videre non licuit.

II. Idem testantur omnia antecedentia & consequentia eiusdem loci, vt cuiuis inspicienti patebit.

III. Idem euidenter conuincit nostra eius responsi acceptatio, paulo antea exposita; quæ vti diximus, ab aduersarijs nullo verbulo repudiata; vel improbata fuit. 137

IV. Idem fatentur ipsimet aduersarij. Cum enim illis postea, tum in præfatione protocolli Monacensis, tum alijs scriptis post Colloquium editis, grauissime fuisset exprobratum, protocollum hoc loco fuisse ab aduersarijs falsatum, & pro voce *Traditam*, in reuisione Protocolli substitutam fuisse voculam *Descriptam*, nunquam ipsi factum diserte negare ausi; sed potius excusare, aut in iocum trahere conati sunt. Itaque in sui protocolli Lauingani appendice aiunt: *De voce Traditam, aut Descriptam, cum paginæ Monacenses in promptu non sint, non est quod moneamus; nisi quod falso nostratibus tribuitur, ob certum aliquod commodum* (factum igitur ipsum non negant) *vnam aut alteram vocem fuisse immutatam; hacq querela non tam Nostros, qui in toto negotio candide & aperte egerunt, quam suos quoq reuisores ac Notarios* (fraudis nimirum inscios) *accusant.*

Et

Et Hunnius in suo Apologetico contra meam relationem de Colloquio pag. 488. rem hanc omnem in iocum trahere nititur, ioculariter asserens, *me nodum in scirpo quærere, & in aere papiliones insequi, & ex musca elephantem facere, quasi mons peperierit, &c.*

138 Item Tubingenses Prædicantes in suo libro germanico, quem *Triumphum Iesuiticum* appellarunt pag. 61. & 62. mutationem ipsam aperte fatentur. Aiunt enim: *Nihil referre, quod pars aduersa in suo protocollo initio habere potuerit vocem Traditam. Eius enim reuisores postea tantum comperisse, vt eiusmodi voculam prudenter ac scienter deleri, eiusq; loco alteram vocem Descriptam, proposito* (si mentiri fas est) *conuenientem substitui sinerent.*

Ita etiam Iacobus Hailbrunnerus in suo Acatholico Codice art. 15. cap. 20. num. 542. rursum ad risum confugit; nimirum *Adamum Tannerum vna cum sociis suis, circa voculam, Traditam, quod ea in Bauarico publicorum Notariorum & reuisorum protocollo deleta, eiusque loco supposita fuerit vocula Descriptam, ridiculam mouere logomachiam; adeo vt etiam instrumentum publicum desuper confici curarint, eo fine, vt totum Protocollum Lauingæ impressum suspectum redderent: cum tamen reipsa non multum interfit* (si mentienti credimus) *siue Traditam, siue Descriptam legatur; eo quod vtrumque verbum eundem sensum habeat.*

Propterea denique cum hoc iterum iterumque, tam latina, quam vernacula lingua, post omnem aduersariorum excusationem & replicam, ijsdem grauissime fuisset sæpius exprobratum, tandem illi silentio rem omnem premẽdam atque inuoluendam censuerunt.

V. Idem postremo ad oculum demonstrat authenticum protocollum Bauaricum: vti publico & authentico instrumento (quod etiamnum penes me retineo) voluntate ac iussu ipsius Sereniſſimi Vtriusque Bauariæ Ducis, & nunc Romani Imperij Electoris MAXIMILIANI &c. omni fide testatissimum est factum: id quod à me quidem iam alibi typis publicatum, hic tamen etiam, ad perpetuam Sectariorum confusionem, visum est ad verbum esse inserendum. Sic igitur habet: 139

IN NOMINE DOMINI AMEN.

140 NOtum sit vniuersis ac singulis, præsens hoc instrumentũ visuris, lecturis, seu legi audituris, & pateat euidenter. Quod Anno à Natiuitate Domini ac Redemptoris nostri IESV Christi M.DC.III. Indictione prima, die vero 25. mensis Februarij, hora octaua, vel circiter, ante meridiem, Pontificatus Sanctissimi D.N. Domini Clementis VIII. PP. Anno XI. corã me Notario publico infra scripto, in præsentia fide dignorũ testium, specialiter ad hoc rogatorũ ac vocatorũ, personaliter constitutus fuit, Magnificus, Nobilis & Amplissimus vir Dñus Ioachimus Donsperger, Sereniſſimi Principis ac Dñi Dñi Maximiliani, Comitis Palatini Rheni, Vtriusque Bauariæ Ducis, Dñi mei Clementissimi Consiliarius secretus, supremus Cancellarius, & Præfectus in Marquartstain &c. atq; ex clementissima voluntate & auctoritate Serenitatis suæ, viua voce exposuit, nec non à me Notario publico requisiuit, quatenus in quadã controuersia, quæ circa Protocollũ Colloquij Ratisponensis, Año sexcentesimo primo habiti, exorta est, speciatim vero quoad voculas TRADITAM & DESCRIPTAM, in illa oratione Ægidij Hunnij Prædicantis Lutherani, quæ habetur sess. 13. & sic incipit: *Multoties responsum est, &c.* ipsummet authenticum, ac vtriusque partis reuisorum nominibus & sigillis confirmatum Protocollum, quod in Archiuo suæ Serenitatis inuiolate asseruatur, inspicere, necnon de rei veritate, per vnũ vel plura, publicũ publicaue instrumenta testari vellẽ.

Qua requisitione debito modo admissa, & inspectione præmemorati authentici Protocolli folio 175. cum omni diligentia facta, ma-

nifeſte deprehendi, in eo loco prius ſcriptum fuiſſe vocabulum TRADITAM, iam vero vocula TRADITAM leui litura (vt tamen nihilominus facile legi poſſet) deletâ, eius loco ſuppoſitum haberi vocabulum DESCRIPTAM, idque quantum animaduertere licuit, ſine vllo alterius lituræ aut raſuræ vitio. Acta ſunt hæc Monachij in Caſtro nouo, & quidem in interiori conclaui Cancellariæ ſecretæ. Anno Domini, Indictione, Pontificatu, die & hora ſupraſcriptis: præſentibus ibidem nobilibus clariſſimisq; Viris, Chriſtophoro Gevvuoldo, & Ioanne Simone Wangereccio in Gerſdorff, Iuris vtriuſque Doctoribus, ac ſuæ Serenitatis Conſiliarijs aulicis, teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis atque rogatis.

Ego Ioannes Pfrontner Fueſſenſis, Auguſtanæ Diœceſis, vtriuſq; Iuris Doctor, publicus Apoſtolica & Cæſarea auctoritatibus, Romæ ac in Camera Imperiali Spiræ approbatus & immatriculatus Notarius, Nunc temporis ſupremi Ducalis Aulæ iudicij Monachij iuratus cauſarum Patronus &c. Quia ſupradictis præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ratione collationis fierent & agerentur, vna cū prænominatis Dominis teſtibus, & adiuncto Dn. Notario hic ſubſcripto præſens interfui: Ideo hoc publicum inſtrumētum, manu equidem alterius fideliter ſcriptum, manu propria ſubſcripſi, ſignaui, & publicaui, in fidem & teſtimonium præmiſſorum omnium, ad hoc ſpecialiter clementer vocatus & requiſitus.

Ego Oſwaldus Stadlerus, artium & Philoſophiæ Magiſter, laicus, Friſingenſis Diœceſis, ac ciuis Monacenſis, Apoſtolica & Imperiali auctoritate, publicus & in Archiuo Romani Collegij immatriculatus Notarius, Atteſtor me præmiſſis omnibus, vna cum ſupra nominatis Dominis teſtibus interfuiſſe, & vidiſſe, quod loco & tempore præfatis ſubſcriptus Dñus Notarius clementer requiſitus, Protocollū authenticū & ſigillatū ſuis manibus tenuit, loco ſupradicto diligenter inſpexit, in eodemq; vocem TRADITAM leui litura deletā, vocē vero DESCRIPTAM ſuppoſitā inuenit. Quas quidē voces prædicto modo Protocollo cōtineri, aliaq; oīa, ſic vt præmittitur, rite ac legitime fieri vidi et audiui. Ideo præſens inſtrumētū etiā ſubſcripſi, in maiorē fidē præmiſſorū clemēter etiā requiſitus.

SIGNVM NOTARIATVS.

SIGNVM NOTARIATVS.

141 Ex quibus euidenter cōſtat, ab Huñio in oratione ſuperi⁹ ex protocollo recitata, vſurpatā fuiſſe vocula TRADITAM, non DESCRIPTAM; atque ſic etiā ab ipſis Notarijs fuiſſe exceptā, etſi poſtea in Protocolli reuiſione, per inſignē impoſturā & falſi crimē, ab aduerſarijs ſuppoſita fuerit vocula DESCRIPTAM; vt iam ſæpius palam, aperte & grauiter aduerſarijs, idque etiam in ipſa præfatione Protocolli Monacēſis, auctoritate Sereniſſimi Vtriuſq; Bauariæ Ducis, & nunc S. R. Imperij Electoris Maximiliani &c. editi, fuit exprobratū; nec ipſis quidē aduerſarijs factū negātibus, vt dictum. De qua re fuſe ac ſæpius egi in relatione de colloquio par. 3. c. 5. & in apologetico præfat. ca. 12. & in Examine Huñianæ relationis c. 19. & in hæretico Lutheraniſmo initio, & in Anatom. confeſſ. Auguſt. demonſtrat. 7. §. 4. & 5.

142 Quibus omnibus denique accedit iudicium & cenſura Dauidis Paræi, Profeſſoris quondā Haidelbergēſis, qui cū perlecto Protocollo diſputationis Ratiſponenſis, animaduertiſſet, quam male Lutherani Prædicantes cōmunē vtriſq; cauſam, de ſola ſcriptura norma & iudice, egiſſent, ſpeciatim verò, quod conceſſiſſent aliquā traditionē eſſe diuina fide credēdam, de libris ſcilicet canonicis, quæ ex ſola ſcriptura ſufficienter non colligatur, diſputationē propoſuit, typiſq; publicauit, de auctoritate ſacræ ſcripturæ, cuius diſputationis theſes 117. 118. & 119. agentes de illo ipſo dogmate fidei, quod libri, qui habētur ab omnibus ſacri & canonici, vere tales ſint, in prima eiuſdē diſputationis editione (poſtea enim aliquid mutauit) ita ſe habent. *Sequitur quarto, quod non ſatis caute negatū fuerit ab eorū,* (Ieſuitarū in colloquio Ratiſponēſi) *antagoniſtis* (Lutheranis ſcilicet Prædicātibus) *id eſſe articulū fidei, ſiue generaliter, ſiue ſpecialiter: magis vero incaute conceſſum, id haberi ex traditione, ſiue teſtificatione Eccleſiæ.*

Si enim tantū vel præcipue ex traditione ſeu teſtificatione Eccleſiæ id crederemus, vtiq; principiū fidei, imo tota fides noſtra niteretur teſtimonio Eccleſiæ: ſcripturā vero non eſſet vnica norma fidei & dogmatum: & ſic haberēt aduerſarij (Ieſuitæ) *quod volebant.* 143

Deniq; (ſequitur) *quod in Ieſuiturū argumento tunc agitato: dogma de ſcripturis canonicis nō cōtinetur in ſcripturis: dogma illud eſt Catholica fide credendū, & eſt articulus fidei: Ergo quædā Catholica fide credēda, & quidā articuli fidei, nō cōtinētur in ſcripturis, & per cōſequens ſcripturæ nō ſunt vnica norma: non minor negādo fuerit, q̄ antagoniſtæ eorū fecerūt; ſed maior, ppoſitio.* Ita Paræ⁹.

Ecce ergo aduerſarij noſtri etiā contra ſeipſos, ſeu fidei ſuæ, quo ad hanc rē, ſocios, pro nobis teſtimoniū dicūt; eos ſcilicet cōcedendo, vnā ſaltē illā traditionē de libris canonicis ab Eccleſia acceptandā, cauſā cecidiſſe, & Catholicis palmā reliquiſſe. De qua re fuſius cū Pareo diſputauit Joañes Milhuſin⁹ è Societate noſtra, S. Theologię in Academia Mogūtina Profeſſor, in cēſura de ſacrarum ſcripturarū auctoritate, edita Añ. 1603. & in ſpeculo miſeriarū eiuſdē Paræi, edito Anno 1505.

Vt

144 Vt proinde nihil vel à vero, vel à fide abhorrens de eadem disputatione Ratisponensi scripserit siue D. Ioannes Pistorius in tractatu germ. de eadem re, Ministros Lutheranos in eo Colloquio *se & suam sectam turpius, quam vnquam alias, prostituisse, summaq; ignominia dedecorasse*: siue P. Adamus Contzen in Iubilo Iubilorum; *Anno 1601. Colloquio Ratisponensi concussum Lutherismum, & multorum conuersioni viam paratam esse, &c. dum Lutherani quocunq; se modo verterent, aliquid extra scripturas credendum illis esse, tandem concedere coacti, &c. Verum cum multi Colloquij meminerint*, inquit, *multa etiam scripta sint, & multorum conuersioni disputatio illa occasionem dederit, in medio relinquo*: Et cum illo etiam ego.

145 Cæterum contra hanc doctrinam Catholicam multa obijciunt aduersarij, sed nullius momenti, & iam ab alijs, partim etiam à me sæpius refutata & protrita, è quibus proinde hic potissima solum breuiter attingo. Primo obijciunt, scripturam fore imperfectam, si non omnia fidei ac Religionis dogmata particulatim contineat. Respondetur negando sequelam; quia imperfectum non dicitur, nisi cui aliqua perfectio debita deest; alioquin enim Prædicantes perfecti non essent, quia cornua non habent: at vero ea perfectio scripturæ debita non est, vt omnia fidei ac religionis dogmata particulatim contineat: hoc enim nec probant aduersarij, & ex eo refellitur, quod scriptura proprie ac primario non ideo conscripta fuit, vt esset norma seu comprehensio fidei, siquidem & multa non habet, quæ credenda sunt, vt superius ostensum; & multa habet, quæ non ideo scripta sunt, quia credenda sunt, sed ideo credenda sunt quia scripta sunt: vti cædes Abel, homicidium Lamech, ebrietas Noe, incæstus Loth, canis Tobiæ, & innumera alia.

146 Primario igitur conscripta est, vt esset commonitorium vtile ad conseruandam & fouendã doctrinam ex prædicatione acceptam; quod eo ipso sufficienter præstat, dum quædam fidei capita expresse tradit, alia vero ex traditione non scripta tenenda monet. Quod si tamen vel maxime ideo etiam scripta esset, vt fidei regula esset, minime tamen sequeretur, eam adæquatam fidei regulam esse; sicut etiam in Republica ciuili leges quidem scribuntur, vt ciuilium actionum regula sint sed non adæquata; quando præter ius scriptum, etiã ius non scriptum admittendũ est, vt dictũ. De qua re pluribus in Apologetico relationis de Colloquio cap 6.

147 Secundo vrgent illa Deuteronomij loca c. 4 v. 2. & c. 5. v. 32. & c. 12. v. 32. vbi prohibetur ne quidquã ad verbum Dei scriptum addatur, neue ad dextram vel sinistram declinetur. Respondetur breuiter primo, illis locis determinate sermonẽ esse de Pentateucho, & præceptis diuinis veteris testamenti, quæ ad Christianos nihil pertinent; eo vel maxime, quod constat, Deum in Synagoga plusquam sexcentis legibus, tam quæ ad cultum, quã quæ ad mores & iudicia pertinent, prolixissime complexum esse, etiam quoad minimas omnium rerum circumstantias: cum tamen è diuerso Ecclesiæ Christianæ vix pauciſſima præcepta scripto commendauit, quibus Christiani populi mores & cultus conformarentur.

Respondetur secundo, ijs verbis proprie ac formaliter solum prohiberi, ne quis omnino, seu omissione, seu comissione quidquam diuinis præceptis aduersum faciat; hoc enim est, nihil demere, vel addere, & nec ad sinistrã declinare, nec ad dextram: cũ tamen interim non solũ in noua, sed etiã in veteri lege multa circa cultum ac religionem licita fuerint, quæ à Deo præcepta non erãt, vt superius demonstrauimus. De qua re pluribus in Apologetico relationis cap. 5.

Tertio obijciunt quędam loca noui testamenti. 148
I. Illud 2. ad Tim. 3. *Ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutẽ &c. Oñis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Itẽ Galat. 1. *Si quis vobis euãgelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Et Galat. 3. vbi dicitur, Testamento (etiam humano) nihil addi posse, quanto minus ergo diuino.

Respondetur, Prædicantes circa primum locũ, 149
quẽ nos planissime, vti sonat, totum admittimus, supra modũ mirifice nugari, vt vel vnicus iste locꝰ documento esse possit, quam indignis modis scriptura ab eis tractetur. Quando enim dicit Apostolus, *Sacræ literæ*, volũt ipsi subintelligi, *solæ*. Cũ ait: *Quæ te possunt instruere*, addunt ipsi, *sufficienter*; excluſa videlicet Ecclesiæ, & traditionũ auctoritate. Cũ ibidẽ ait Apostolus: Omnis scriptura vtilis est ad docendũ, &c. rursum adest Hunnius, & hũc Apostoli textũ suis strophis turpissime distorquet. *Omnis*, inquit, id est, *tota: vtilis est*, id est, *sufficiens est*. Clamabã iam olim ego: Erras; nugaris, impostor es *Omnis*, ait Apostolus, non tota: *vtilis est*, non sufficiens est: cur ex tuo capite alia verba sine traditione, sine auctoritate Ecclesiæ, sine textu scripturæ, imo contra aperta verba scripturæ obtrudis? Cur scripturæ verba distorques, contra genuinam eorum significationem? cõtra receptissimum loquendi vsum? contra mentem Apostoli? contra concordem omnium Patrum interpretationem?

Addebam, si vox vtilis significaret sufficiens, 150
tunc omnem scripturam, atque adeo quemlibet scripturæ librum, fore sufficientem ad salutem & instructionem, quia omnis scriptura, adeoq; etiã omnis scripturæ liber est vtilis ad docendũ, &c.

Et quid ad hoc respondet Huñius in Apologetico contra relat. pag. 335. *Mirum*, inquit, *quo? Apostolus non in textu suo talẽ adiecerit explicatiunculam. Vtilẽ quidẽ esse scripturã, non tamen ad salutẽ sufficere.* Hic quid facerem Hunnio? Sensum eius loci vrsi non alium, nisi quem ipsamet verba Apostoli aperte præseferunt. *Vtilem* dixerat Apostolus, ego quoque *vtilem* esse contendebam, vt dixerat Apostolus. *Sufficientem* nunquam dixerat Apostolus; ego quoque nec dixisse nec cogitasse asserui. Et iam adest Hunnius, admiratione an stupore correptus; *Mirum*, inquit, *quod talem explicatiunculam nõ adiecerit Apostolus:* cũ ipsa tamen explicatio nostra, non tã sit explicatio, quã nuda recitatio verborũ Apostoli, quæ vt sonant salua esse cupimus,

& à Prædicanticis corruptelis immunia. Mirum profecto, si hanc adeo impudentem stoliditatem, ac stolidam impudentiam vniuersus mundus non damnat.

151 Ad secundum locum respondetur, voculam *Præter*, græcè παρὰ, eo loco idem significare, quod *contra*, vt etiam SS. Patres interpretati sunt. Quo sensu etiam eadem vox accipitur Rom. 16. v. 17. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis*; vbi sine dubio *Præter*, significat idem quod *Contra*; cum scandala vtique non sint tantum præter, sed etiam contra verbum Dei. Neq; impugnare hanc responsionem potuerunt aduersarij in Colloquio Ratispon. sess. 7. ineptissime dicendo, *principium esse petitum.*

152 Ad tertium locum respondetur, inde tantum colligi, nihil posse ipsi scripturæ inseri; traditiones vero non scriptas omnes repudiandas, minime. Nam etiam extra testamentum potest testator peculiari quodam codicillo seu fidei cõmisso quasdam dispositiones hæredibus, seu Executoribus Testamenti cõmendare, quæ non minus executioni mandandæ sunt, quam ea, quæ testamento constituta sunt.

153 Tertio obijciunt quosdam Patres, qui subinde dicunt, cuncta, quæ ad Religionem pertinent, sufficienter in scripturis contineri. Respondetur id ab eis duplici sensu verissime dici. Primo quia scriptura ea, quæ omnibus simpliciter scitu necessaria sunt, præcipuos videlicet articulos fidei in symbolo contentos, decē præcepta, & Sacramenta magis necessaria, satis explicate tradit, & simul Doctorem & iudicem Ecclesiam monstrat, sacrasque traditiones generatim commendat, ex quibus cætera discantur, vt recte notauit Hosius libro 3 de auctoritate scripturæ ante medium, & Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 10.

154 Secundo; quia omnia dogmata & decreta fidei & religionis ex Scriptura euidenter etiam deducantur, non ex ea quidem sola & solitarie spectata, sed accedente infallibili auctoritate Ecclesiæ: ex qua sic argumentari licet: Quicquid Ecclesia, in sacris scripturis cõmendata, publicâ auctoritate credendũ proponit, id iuxta ipsas scripturas est infallibiliter verum, secundum illud Matthæi 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus* Et 1. Tim. 3. v. 15. *Ecclesia est columna & firmamentũ veritatis.* Hoc vel illud est tale: Ergo &c. Quare nec vnquam Sectarijs dandum est, nos quidquam credere, quod nulla ratione in scriptura contineatur, vel ex ea deducatur, vt etiam in Colloquio post sess. 8. fusius responsum est; siquidem in scripturis omnia continentur, aut explicite, aut implicite, modo explicato.

155 Quarto speciatim obijciunt Irenæum l. 3. c. 2. vbi contra Gnosticos disputans ait: *Cum ex scripturis arguuntur, in accusationem conuertuntur ipsarum scripturarum; quasi non recte habeant, neq; sint ex authoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inueniri veritas, ab his, qui nesciunt traditionem.*

Respondetur, cum Irenæus ibidem de ijsdem hæreticis mox subiungat, eos ad traditionẽ prouocatos, etiam *aduersari traditioni*, vt superius ex Irenæo recitauimus; hæc quæ obijciuntur &c. cõtra Sectarios recte dici; non autem aduersus Catholicos. Illi enim pro libitu scripturas, quæ ad palatum non faciunt, reijciunt, puta libros Machabæorum, epistolas Iacobi, Iudæ &c. *tanquam non sint ex auctoritate*; cum versione latina impugnantur; *non recte se habet*, inquiunt: cum traditione ex communi Ecclesiæ sensu & consensu premuntur, *aduersantur traditioni*, sese Patribus & Doctoribus omnibus præferentes; hoc solo deteriores illis, quos Irenæus insectatur, quod nec verbo quidem tenus, & in speciem saltem, traditiones admittant. *Aduersus tales*, inquit ibidem Irenæus, *certamen nobis est, qui more serpentum lubrici, vndique effugere conantur.* Plura hac de re in Relat. de Colloquio par. 1. c. 10. & in Apologetico eiusdem c. 8. & 10.

DVBIVM IV.

An traditiones seu verbum Dei non scriptum sint eiusdem auctoritatis cum verbo Dei scripto; & qua ratione legitimæ traditiones dignoscantur ab illegitimis.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 2. a. 9. & 10.

156 QVod ad primum quæsitũ attinet, distinguenda sunt tria traditionum genera: nimirum 1. Diuinæ, quæ ab ipso Christo traditæ. 2. Apostolicæ, quæ ab Apostolis traditæ. 3. Ecclesiasticę, quæ post Apostolos ab Ecclesia, hoc est, Petri & Apostolorũ successoribus traditæ sunt; etsi non raro Ecclesiasticæ traditionis nomen generatim omne genus traditionis in Ecclesia conseruari solitæ complectatur.

157 Quo posito, dicendum est, traditiones diuinas non scriptas, & doctrinam diuinam Christi in Euangelijs conscriptam; item traditiones Apostolicas non scriptas, & decreta Apostolorũ scripta; & deniq; traditiones Ecclesiæ non scriptas, cum decretis Ecclesiæ scriptis eiusdem auctoritatis esse, eandemq; vim habere ad Catholicam ac veram fidei ac religionis doctrinam comprobandam. Ita Bellarminus l. 4. de verbo Dei c. 2. Ratio est. Nam verbum Dei suam auctoritatẽ non accipit à charta vel scriptura; sed ex eo, quod à Deo profectum sit, vel imẽdiate per Christum, vel mediate per Apostolos; ac proinde si quid eodem modo à Deo procedat, siue scriptum sit, siue non sit, parẽ semper auctoritatem habebit. Paulo diuersa est ratio traditionũ Apostolicarũ, & Ecclesiasticarũ, si nõ cum ipsa doctrina scripta, sed formaliter cũ ipsa scriptura fiat comparatio; hãc enim ex parte modi præcellentiorem esse, quam decreta Apostolorum, vel Ecclesiæ, dictũ est q. 4. dub. 8. sub finem.

Ad secundum quæsitum respondetur sequentibus assertionibus.

158 Assertio I. Est aliquis in Ecclesia modus seu regula penes quam legitimæ traditiones certo

certò dignoscantur ab illegitimis. Ita speciatim Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 9. & Gregorius de Valentia q. 1. punct. 7. §. 43. ex communi. Probatur. Constat enim infallibiliter Ecclesiæ Catholicæ, de vna saltem taditione legitima, illâ scilicet quæ est de Canone librorum sacrorum, vt dictum dub. 2. Ergo id pariter etiam constare
159 poterit, de alijs. Consequentia probatur. Tum quia eadem via & ratio suppetit ad omnes æque cognoscendas, vt inferius dicetur. Tũ quia si Ecclesia infallibilis est in vna traditione ad posteros propaganda, erit etiam infallibilis in cæteris; & plane absurdum est, credere Ecclesiæ scripturam proponenti, & non credere eidem scripturas explicanti: vti faciunt aduersarij, qui vnam ab Ecclesia traditionem accipiunt, & non omnes; cum eadem omnes fide & auctoritate proponantur. Nam si fallere potest Ecclesia Catholica, cur credunt Euangelium proponenti? si non potest, cur non credunt explicanti? Et si recte creditur Ecclesiæ Catholicæ, laudanti Euangelium, recte etiam omnino credetur vituperanti & condemnanti Lutherum, aliosque Nouatores, vt optime contra Manichæos argumentatur Augustinus contra Epistolam Manichæi cap. 5.

160 Qui etiam libro de vtilitate credendi c. 14. in eundem sensum sapienter disserit: *Cur non*, inquit, *apud eos potissimum diligentissime requiram, quid Christus præceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid vtile præcepisse iam credidi? Tunc mihi melius expositurus es, quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te* (sine Ecclesia Catholica) *mihi hoc commendaretur esse credendum? Hoc ergo credidi, vt dixi, famæ celebritate, consensione, vetustate* (in Ecclesia Catholica) *roboratæ. Vos autem* (Sectarij) *& tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est, quin nihil dignum auctoritate proferatis. Quæ igitur ista tanta dementia est? Illis* (Catholicis) *crede, Christo* (aut Euangelio) *esse credendum; & à nobis disce quid dixerit. Cur obsecro te? Nã si illi deficerent, nec me quidquam docere possent, multo facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quam de illo quidquam, nisi ab hũ, per quos ei credidissem, discendum.* Ita Augustinus. Ex quibus colligitur, eandem Ecclesiæ auctoritatem sufficere, generatim, ad discernendas traditiones legitimas ab illegitimis.

161 Assertio II. Sed nec deest certa ratio, qua particulatim ipsæ etiam traditiones diuinæ ac Apostolicæ discernantur & dignoscantur. Ita Bellarminus l. 4. de verbo Dei c. 9. & Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 7. §. 43. qui in has fere regulas consentiunt. Prima est, infallibilis Ecclesiæ auctoritas; cum vel Concilia, vel Summus Pontifex, aliquid tanquam ex traditione diuina vel Apostolica acceptum, credendum aut tenendum proponunt. Sicut enim Ecclesia infallibiliter potest proponere, quinam libri sint sacri, ita etiam quæ traditio sit diuina vel Apostolica. Atque hac ratione imaginum cultus, tanquam ex traditione Apostolica proueniens, in VII. Synodo art. 6. approbatus est.

162 Secunda regula, est concors Patrum sententia; cum vel circa communia dogmata & obiecta, aliquid tanquam ex fide certum asserunt, quod alioquin in scriptura particulatim traditum non reperitur; eiusmodi est perpetua Virginitas Deiparæ: vel expresse asserunt, quidpiam ex traditione Apostolica profluxisse, vt est cultus imaginum & Symbolum Apostolorum. Ratio sumitur ex auctoritate infallibili Patrũ, in rebus ad fidẽ pertinentibus, de qua suo loco dictũ. Dixi vero, *circa obiecta communia*, non particularia quælibet, vt est v.g. Concilium Nicænum fuisse legitimum, & infallibilis auctoritatis; quia hæc traditio ita particulatim spectata, proprie est traditio Ecclesiastica, non diuina vel Apostolica; quandoquidem obiectum ipsorum Apostolorum tempore posterius est, nec ab initio Ecclesiæ per Apostolos fundatæ commune fidei dogma.

Tertia est vnanimis consensus & vsus fidelium, si quid extra scripturam, circa fidem aut religionem credant vel obseruent, quod excellentius sit, 163
quam vt humana solum auctoritate constitui potuerit. Ecclesia enim tota circa res fidei nõ errat; cum sit *columna & firmamentũ veritatis* 1. Timoth. 3. v. 15. Hac ratione, inter cæteras, nititur dispensatio in votis & iuramentis in Ecclesia vsitata, itemque diremptio matrimonij rati per votum solemne Religionis.

Quarta est illa, quam tradit Augustinus lib. 4. 164
de baptismo contra Donatistas cap. 24. *Quod enim vniuersa tenet Ecclesia*, inquit, *nec Concilijs institutũ, sed semper retentũ est, non nisi ab Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.* Vnde etiam epist. 118. ad Ianuarium cap. 5. *insolentissimam insaniam esse dicit, contra id, quod vniuersa Ecclesia facit, disputare.* Ratio huius regulæ est: quia si quid circa fidem, aut Religionem semper in Ecclesia receptum aut obseruatum fuisse constet, quod tamen nullo Concilij aut posterioris Ecclesiæ decreto nouiter institutum sit, necesse est, vt ex Apostolica traditione descenderit. Cuius generis sunt ordines minores, ieiunium quadragesimæ, obseruatio diei Dominicæ, &c.

Ex quibus etiam dissoluitur illa Sectariorum obiectio; sub specie traditionum multas hæreses 165
in Ecclesiam posse irrepere. Respondetur enim, plures hæreses in Ecclesia fuisse exortas, occasione scripturæ male intellectæ, quam occasione traditionum, quas hæretici communiter reijciebant, vt dictũ dubio præcedenti. Et quemadmodum certa in Ecclesia auctoritas est, ad veras scripturas, ita etiam ad veras traditiones infallibiliter discernendas, vt dictum. Et quod noñulli hæretici olim Apocryphas & occultas quasdã Traditiones non scriptas iactarint, id legitimis traditionibus non magis præiudicat quam quod siue ijdem simul, siue ceteri communiter, scripturas pro suis erroribus falso venditarunt. Plura hac de re videri possunt, præter citatos, apud Martinum Peresiũ Aialam tractatu proprio de Tradit. Albertum Pighium controuers. 12. & Stapletonum in opere de principijs fidei doctrinalibus, controuersia 7. lib. 12. & in Relect. de ijsdem, controuers. 5. q. 5.

DVBIVM V.

Quænam sit totius fidei resolutio.

S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 1. & 10.

166 POstquam hactenus ea, quæ ad obiectum fidei, tam formale, quam materiale; eiusque propositionem & notificationem, tum priuatam, tum publicam; quæque adeo etiam ad normam, & iudicem controuersiarum fidei pertinent, explicauimus; sequitur, vt de totius fidei resolutione in suas causas & principia, è quibus potissimum est ipsius obiectum, agamus.

167 Vbi supponimus primo, resolutionem fidei ex suo genere, non habere se, vt resolutionem conclusionis in sua principia complexa; sed vt resolutionem simplicem actus in suam causam; vti constat ex dictis quæst. 1. dub. 3. assert. 10. Fides enim non est habitus discursiuus; quidquid dixerint Durandus in 3. distinct. 24. Vasquez 1. part. tom. 1. disp. 4. & 5. & vt apparet Marsilius in 3. q. 14. & Michael Medina de fide lib. 5. c. 11. quorum nonnulli dicunt, primum quasi principium fidei, ex quo reliqua inferantur esse, Ecclesiam regi à Spiritu Sancto, seu habere infallibilem auctoritatem; alij vero, dictum à Deo esse verum, seu quod idem est, reuelationem diuinam esse infallibilem: quorum sententiam generatim refutauimus loc. cit. in specie vero de ijs, qui fidem resolui docuerunt in principia euidentia, agetur inferius in discussione primæ sententiæ. Vbi tamen non negamus, posse in ipsa applicatione obiecti credendi interuenire discursum; sed hoc est, quod dicimus, facta sufficiente applicatione obiecti, ipsam fidem immediate & sine discursu assentiri veritati propositæ, tanquam reuelatæ à Deo, vt ibidem dictum.

168 Secundo supponimus ex dictis eadem quæst. 1. & 2. cum in credente duo iudicia interueniant, quorum vnum est iudicium de credibilitate obiecti fidei, præuium fidei, spectansque ad ipsius fidei acceptationem, qua volumus credere; alterum est, ipse assensus fidei secundum se: idcirco resolutionem etiam vtriusque non eandem, sed diuersam esse. Aliud enim est quærere, in quidnam vltimate ipse assensus fidei secundum se, seu ipsa eius certitudo resoluatur; aliud in quidnam resoluatur iudicium de credibilitate, adeoque ipsa voluntas credendi, seu acceptandi fidem, qua nempe animum applicauimus ad credendum.

169 Tertio supponendum, circa resolutionem etiam ipsius assensus fidei in suas causas, duplex causę genus posse inquiri; primum est genus causæ efficientis, seu causa credendi ex parte potentiæ; altera est causa credendi ex parte obiecti, seu ratio credendi obiectiua. His positis, sequentes assertiones statuimus.

170 ASSERTIO I. Causa immediata & propria, ex parte potentiæ, siue causa efficiens, in quam vltimo resoluitur fidei assensus eiusque certitudo, est lumen fidei, seu habituale seu actuale, quo illustratus & confortatus homo elicit actum supernaturalem fidei. In hunc sensum admittendum est, quod docent Scotus in 3. distinctione 23. quæstione vnic. & Bannes hic quæstione 1. articulo 1. dub. 4. alijque nonnulli recentiores, absolute asserentes, fidem resolui in ipsum lumen supernaturale, quo homo diuinitus illustratur, & adiuuatur ad eliciendum actum fidei. Isti enim recte assignant causam fidei actualis ex parte potentiæ, sed non ex parte obiecti: cum tamen in quouis alio assensu, præter rationem & causam assentiendi ex parte intellectus, assignari debeat ratio formalis ex parte obiecti; de qua quidem etiam præcipue solet esse quæstio; imo quæ vnice fere inquiritur, cum de resolutione alicuius actus seu habitus agitur, vt recte notauit Medina loc. cit. & dictum cit. q. 1. dub. 3. assert. 7.

Ratio vero assertionis est manifesta: quia ipsum lumen fidei, tum habituale, tum etiam actuale, in diuina scilicet inspiratione & illuminatione positum, ex parte potentiæ præstat illam certitudinem propriam fidei, hoc ipso, quod in genere causæ efficientis seu physicæ, seu moralis, de quo alibi actum, tanquam propria & immediata causa ad actum fidei concurrit. 171

ASSERTIO II. Causa vero ex parte obiecti seu ratio fidei obiectiua, in quam formaliter & vltimate resoluitur ipse assensus fidei, est prima veritas obscure reuelans, seu ipsamet reuelatio obscura primæ veritatis: in qua quidem primum locum obtinet ipsemet internus DEI conceptus, seu notitia de veritate reuelata; secundarium externa signa, quibus velut instrumentis Deus suum conceptum pandit. Ita cum S. Thoma ex communi Doctorum sententia docuimus cit. q. 1. dub. 3. assert. 1. 2. & 3. vbi ex instituto probauimus, hanc esse rationem formalem obiectiuam fidei. 172

ASSERTIO III. Causa credendi ex parte obiecti, non quidem per modum rationis formalis obiectiuæ, sed per modum regulæ infallibilis, qua secundum legem Dei ordinariam, notificantur ipsis iam credentibus cæteræ veritates diuinitus reuelatæ, est infallibilis auctoritas, seu propositio Ecclesiæ. Est itidem S. Thomæ hic quæst. 5. articulo 3. & 1. part. quæstio. 1. art. 8. ad 2. & communis Doctorum sententia, vt dictum cit. quæst. 1. dub. 3. assert. 7. & quæst. 2. dub. 3. & q. 3. dub. 1. vbi probauimus, secundum legem Dei ordinariam, præter priuatam propositionem obiecti credendi, requiri etiam publicam propositionem Ecclesiæ, per modum regulæ infallibilis, qua veritates credendæ notificentur fidelibus; licet interim absolute fides primum concipi possit, sine eiusmodi propositione Ecclesiæ præuia; & vero eadem fide diuina credatur reuelationi etiam priuatæ, vt dictum cit. quæst. 1. art. 3. assert. 8. 173

Quare interroganti, cur credas, seu vnde scias, hæc omnia & singula, quæ credis, esse diuinitus reuelata; recte respondebis, te id quidem 174

euidenter non scire; quin etiam credere formaliter, nõ ob aliam rationem credendi obiectiuam: attamen certe credere ob eam ipsam reuelationem diuinam, qua obiecta eiusmodi credenda reuelata sunt, mediante infallibili Ecclesiæ propositione tibi patefactam; quæ quidem propositio non sit ratio vltima credendi, sed medium per quod obiecta credenda, simul cum ratione credendi, tibi debito modo applicentur; adeoq; conditio, sine qua, iuxta legem Dei ordinariam, credenda omnia & singula à non credendis discernere non potuisses, iuxta dicta quæstione 3. dub. 1.

175 Et quamuis etiam scriptura sit infallibilis regula fidei, Ecclesia tamen & notior, & vniuersalior est; cum etiam ipsam scripturam, sensumque ipsius, vbi opus est, ac præterea nonnulla extra scripturam reuelata patefaciat, vt dictum quæst. præcedent. tametsi viciſſim ipsa etiam infallibilis auctoritas Ecclesiæ ex scriptura comprobetur, vt ostendimus quæst. 3. Quo fit, vt sub Ecclesia, velut notiori & communiori regula, etiam contineantur tum scripturæ, tum cæteræ credendi regulæ dub. 1. & 3. explicatæ; licet alias ad singulas etiam suo modo, & in certo genere, ratio credendi referri possit, vel ad regulas credendi, & conditiones applicantes diuinam reuelationem in certa materia.

176 Assertio IV. Causa seu ratio obiectiua, in quam resoluitur iudicium euidens de credibilitate fidei, sunt motiua, quæ ad fidē concipiendā necessaria sunt: cum tamen interim fides ipsa, seu fidei certitudo, in ea, veluti in causam seu rationem assentiendi, minime resoluatur; sed solum velut in conditionem applicantem obiectum fidei. Ita recte Gregorius de Valentia hic quæst. 1. pun. 1. §. 10. & satis constat ex dictis quæstio. 2. dub 1. & 2. Ratio est; si enim quæram, cur fides de obiecto tam obscuro & arduo tibi credibilis visa sit; seu quod idem est, cur in animum induxeris, fidem tam arduam acceptare? recte respondebis; quia ita mihi proposita est, vt grauissimis motiuis & argumentis facta sit euidenter credibilis. Idemque sine dubio intendunt illi, qui ipsam fidem resolui docuerunt in humanam auctoritatem, de quo infra.

177 Atque in eundem fere sensum Albertinus tom. 1. prin. 3. Coroll. 4. à numero 10. docet, resolutionem fidei vltimate fieri ad plures causas secundum diuersum genus causæ. 1. ad veritatem primam tanquam ad rationem formalem Qua in assentiendo. 2. ad Deitatem, tanquam rationem formalem Qua in essendo: est enim hæc quasi causa seu ratio in essendo ipsius veritatis primæ: quamquam vbi ratio assensus quæritur, nihil opus est causam in essendo ipsius rationis assentiendi inuestigare. 3. etiam vltimate, inquit, ad ipsam dictionem Dei obscuram, tanquam ad rationem formalem sub qua in assentiendo, seu tanquam ad modum informatiuum ipsius rationis formalis Qua; de quo modo loquendi dictum quæstione 1. dub. 3. 4. ad fidem acquisitam (de motiuis fidei) tanquam ad conditionem applicantem obiectum fidei, vt credendum fide diuina; mediante scilicet illo iudicio credibilitatis, quod in ea motiua tanquam rationem obiectiuam resolui diximus. 5. ad Ecclesiam, tanquam ad rationem formalem Qua in proponendo, vt instrumentum veritatis, seu vt regulam infallibilem, qua fideles ipsi post fidem acceptatam, ea, quæ præterea diuinitus reuelata sunt, addiscunt & discernunt, vt dictum. 6. ad ipsum habitum seu lumen fidei; tanquam ad causam efficientem in eleuando intellectum ad ordinem supernaturalem. Quæ omnia quod ad rem ipsam attinet, satis ex dictis constant.

Atque ex his facile nunc iudicium ferri potest 178
de varijs sententijs circa resolutionem fidei; quas operæ pretium est breuiter discutere. Prima est eorum, qui cum alijs nonnullis existimantes, fidei resolutionem esse tanquam resolutionem alicuius conclusionis in sua principia, non vt resolutionem simplicis actus vel assensus in suas causas seu rationes, dixerunt, fidem vltimate resolui in aliqua principia euidentia lumine naturali; qualia sunt, Deum esse primam veritatem; & primam veritatem seu reuelationem primæ veritatis esse infallibilem. Ita Marsilius in 3. quæst. 14. & Vasquez 1. part. tom. 1. disputat. 4. & 5.

Sed hæc sententia, præterquam quod fidem 179
male facit habitum discursiuum, insuper ex eo etiam refellitur, quod euidentia eiusmodi principiorum necessaria non est credenti, vt expresse docet S. Thomas hic q. 1. a. 5. ad 3. & satis patet exemplo fidelium simplicium. Accedit quod cum fides sit obscura, non potest habere pro ratione assentiendi principia euidentia, ex S. Thoma ibidem; vbi docet, principia fidei non posse esse visa à credente.

Nec fundamentum eius sententiæ alicuius momenti est: quamuis enim cuilibet credenti propositiones illæ certæ esse debeant, non tamen lumine naturali, sed satis est, vt sint certæ per ipsam saltem fidem: non quasi prius aliquis distinctus assensus circa eiusmodi veritates per fidem elici debeat, ex quo postea alius fidei assensus, quasi per discursum, colligatur; sed quia saltem implicite simul cum quauis alia veritate reuelata creduntur, & quisque credentium paratus est, saltem vbi opus est, & euidentia earundem deest, etiam explicitum de ijs fidei assensum elicere.

Secunda sententia est, fidem vltimate resolui 180
in aliquid humana fide creditum. Credo enim, inquiunt, Deum esse trinum & vnum, quia ipse reuelauit. Credo reuelasse, quia mihi sufficienter proponitur: hoc autem credo ex motiuis humanis, adeoque fide humana. Ita nonnulli recentiores; & fauent Gabriel & Scotus in 3. distinct. 23.

Sed hæc sententia intellecta de resolutione ipsius assensus fidei secundum se, adeoque de ratione formali obiectiua eiusdem assensus, plane falsa & improbabilis est. Sic enim fides non esset diuina, & prsus infallibilis, sed more humana; vti v. g. fides illa, qua credimus Constantinopolim

aut

aut Romam esse: siquidem essentia habitus & actus desumitur ab vltima ratione formali obiectiua; quæ si humana est, necesse est etiam fidē humanam & naturalem esse, vt fusius prosequuntur Canus l. 2. locorum c. 8. & Gregorius de Valentia q. 1. pun. 1. §. 9.

Verum explicari tamen fortasse possunt citati authores, de resolutione fidei, spectatæ non secundū se, sed quoad suam credibilitatē, seu quoad conditionem applicantē rationem assentiendi. Est enim hoc speciale in fide diuina, quod ipsa secundū se altiori quadam ratione nititur, quam iudicium præuiū de credibilitate; quodque adeo motiua credibilitatis tantum sint conditio applicans rationem credendi, non ipsa ratio assentiendi per fidem: licet secus accidat in fide humana.

181 Tertia sententia est, fidem vltimate resolui in auctoritatem Ecclesiæ. Hanc indicant Durandus in 3. dist. 24. q. 1. & dist. 25. q. 3. Sotus, Gabriel, Almain in 3 dist. 23. eamq; ex instituto propugnat Michael Medina lib. 5. de fide c. 11. cui fauet illud Augustini contra Epistolam fundamenti c. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas moueret.*

Sed hæc sententia non potest à cōmuni, quam explicauimus, differre, nisi in modo loquendi. Si enim de auctoritate Ecclesiæ non diuinâ, sed vt in humanis sumâ, loquamur, sic fides, in eam resoluitur, vt in euidens motiuum, & rationē credibilitatis. Si autem loquamur de infallibili auctoritate Ecclesiæ, vt proponentis diuinam reuelationem, sic in eam resoluitur fides, vt in regulam (quoad nos) certo cognoscendi diuinam reuelationem, adeoq; discernendi reuelata à non reuelatis.

182 Et quia vnumquodque in id vltimo resoluitur, per quod primo accipit essendi initium, ideo recte aliquo sensu dici potest, fidem vltimo resolui in auctoritatem Ecclesiæ, velut motiuum credendi; si nempe fides non præcise secundum se, sed quoad sui acceptationem & credibilitatem spectetur. Ad quod indicandum, alij distinguentes inter resolutionem fidei secundum se, & quoad nos, dicunt, priori modo fieri in Deum; posteriori in Ecclesiam. Ita velut ex communi docent Sotus libro 2. de nat. & grat. cap. 18. Hosius in confess. fidei cap. 16. Vega in Tridentinum libro 9. cap. 5. Canus lib. 2. locorum c. 8. licet Arragonius hic quæstio. 1. art. 1. simpliciter neget, fidem vltimo resolui in auctoritatem Ecclesiæ.

183 Quarta sententia est, fidem vltimate resolui in ipsum lumen fidei. Ita Bannes hic quæstione 1. articulo 1. dub. 4. & Arragonius citat. artic. 1. Sed hi rationem credendi ex parte quidem subiecti recte assignarunt; verum aliam rationem credendi ex parte obiecti, quæ magis principaliter inquiritur, male prætermiserunt, aut potius vtramq; inter se confuderunt, vt dictum q. 1. dub. 3. assert. 7.

184 Cæterum contra doctrinam hactenus explicatam obijcitur primo. Propositio Ecclesiæ est vera causa & ratio cognoscendi, seu credendi, Deum hoc vel illud reuelasse: ideo enim credo Deum reuelasse, quia Ecclesia proponit: Ergo talis cognitio seu assensus fidei non resoluitur in propositionem Ecclesiæ solummodo vt in conditionem sine qua non, sed potius vt in veram & vltimam rationem ipsius fidei secundum se.

Respondetur negando consequentiam. Solum enim probatur, esse causam fidei in nobis progenerandæ, facientem scilicet, vt in nobis illa fidei cognitio gignatur, idque per modum applicantis intellectui obiectum eius formale, diuinam scilicet reuelationem; non autem probatur, esse causam & rationem vltimatam ipsius fidei secundum se consideratæ, videlicet præcise quoad essentiam & rationem suam formalem, prout abstrahit non solum à motiuis, quæ eius obiectum materiale faciunt credibile, sed etiam à medijs, quæ eius obiectum formale nobis applicant.

Quæ responsio confirmatur tum ex eo, quod 185
ipsa propositio Ecclesiæ, non proponit obiectum credendum propter se vltimate, sed vt credendum ob diuinam reuelationem. Tum quia vniuersim obiecti propositio formaliter non est ratio ipsius assensus secundum se. Tametsi enim in Mathematica discipulus acquirat scientiam conclusionis ob propositionem & doctrinam Magistri, non tamen ideo hæc propositio, sed ipsum medium demonstrationis, est ratio formalis sub qua assensus illius scientifici. Accedit quod in rebus etiam naturalibus, aliud est, esse causam ipsius rei generandæ; aliud causam ipsius rei quoad essentiam præcise spectatæ.

Secundo obijciunt Sectarij, in nostra fidei re- 186
solutione committi circulum. Diuinam enim, inquiunt, scripturam creditis ob infallibilem auctoritatem Ecclesiæ; & hanc rursum ob scripturam, ex qua scilicet infallibilem Ecclesiæ auctoritatem soletis probare. Ecce aiunt circulum in vestra credendi ratione.

Ad hoc argumentum fuse respondi in disput. de fide dudum proposita Anno 1606. à thesi 78. Nam primum animaduertere debebant aduersarij, tali regressu non replicari ipsammet rationem formalem obiecti fidei, sed motiua tantum & regulas credendi, vt ex dictis constat. Deinde nec illud aduertunt, nobis absolute loquendo tali regressu ad credendum opus non esse. Quasi videlicet nec vllum quamtumuis semper ab vniuersa 187
Ecclesia receptum scripturæ librum, nisi propter creditam iam antea diuina fide infallibilem Ecclesiæ auctoritatem; nec hanc nisi propter scripturam credere possimus. Cum ex dictis manifestum sit, posse ex communibus motiuis fidei, quibus ipsa etiam Ecclesiæ auctoritas, sed nondum vt infallibilis fide infallibili credita cōtinetur, vtrumuis, & vtrumq; absq; vlla eorum necessaria inter se dependentia credi, vt recte etiam indicat Gregorius de Valentia hic q. 1. pun 1. §. 9. Potest enim ex duabus hisce regulis credendis, vtrauis per se separatim, & independenter ab alia, ita sufficienter proponi ex communibus fidei motiuis, in quibus etiam Ecclesiæ auctoritas velut in humanis suma continetur, vt ei tanquam euidenter credibili sine dubitatione fides adhibenda sit,

188 Ad hæc nesciunt isti, apud Aristotelem 1. Post. c. 3. & Philosophos, circulûm in ratiocinando nec vocari, nec culpari, nisi quando ab eodem prorsus ad idem, nulla interim vtriusque variatione quoad notitiæ rationem interueniente, fit regressus. Quod tum demum accidit, quando consequens ex antecedente illatum, nullâ alia, præterquam antecedentis notitiâ fultum & probatum, mox iterum ad sui antecedentis probationem assumitur. Sic enim plane idem eiusdem respectu, foret prius & posterius, aut certe, notius & ignotius; sic idem ex seipso probaretur, vt optime Aristoteles contra veterum quorundam errorem argumentatur.

Secus est, quando consequens alio quodam diuerso medio innotescit, atque sic demum ad sui antecedentis probationem assumitur; tunc enim nec Aristoteles, nec vllus Philosophorum negat, fas esse regressu in argumentando vti. Neq; vero sic absurdis superius adductis, aut alijs quibuscunq; vllus aperitur locus, neque ipsi etiam Aristoteli insuetum esse noscitur, tali regressu in ratiocinando vti; quandoquidem ex diuisibilitate motus probat diuisibilitatem temporis, & contra; & rursum æternitatem motoris ex æternitate motus, & contra, vt videre est apud eundem 6. physic. tex. 37 & 38. & 8. Physic. tex 53.

189 Hoc vero in proposito accidere, ita manifestum fit. Quando enim ex infallibili Ecclesiæ propositione, persuadetur alicui fides, siue totius scripturæ diuinæ, siue certæ tantum alicuius partis, de qua dubitat, iam certe illa Ecclesiæ propositio, quâ talis, infallibilis non creditur (etiam loquendo de motiuis credendi) ex ipsius scripturæ, quæ suadenda est, infallibili authoritate; sed vel ex cõmunibus fidei motiuis, in priore casu; vel ex alterius cuiusdam libri Canonici iam antea explorata authoritate, in posteriore.

190 E conuerso quando ex aliquo scripturæ loco v. g. Matthæi 16. 1. Timoth. 3. suadetur infallibilis Ecclesiæ in proponendo authoritas; iam pro argumento fidem suadente nõ adhibetur scriptura, prout præcise ex Ecclesiæ infallibili authoritate & propositione discitur; sed vt vel ex alijs scripturæ locis, vel ex cõmunibus motiuis fidei, quibus ipsa, vt diximus, Ecclesiæ authoritas quidem, sed non vt infallibilis, & infallibili fide credita continetur, rectissime creditur.

191 Et sane quoties alicuius veritatis assensus externo medio nititur, nil penitus obstat, quo minus ille ex vno medio conceptus, vicissim ad eiusdem medij assensum concipiendum assumatur; modo seorsim vtraque eiusmodi veritas aliunde sufficienter credibilis reddatur, atque sic demum in probando mutuas sibi inuicẽ operas præstent. Exemplum esset, vt de humana politia taceam, si Deus duobus Prophetis reuelaret quæpiam, & in his ipsis etiam vtriq;, vtrumq; verum esse Prophetam, addita vi sufficiente, qua singuli sua eiusmodi vaticinia sufficienter credibilia redderent. &c. Tum enim vicissim vnus alteri testimonium merito perhiberet.

Imo hoc reipsa iam quodammodo accidit in Christo Domino, & Ioanne Baptista, quorum vterque, cum suis dictis iam antea sufficientem fidem, tum ex vita, tum ex miraculis astruxisset, rectissime alter alteri veritatis testimonium perhibuit, ita vt Christo fides haberetur ob testimonium Ioannis, tanquam ob motiuum fidei, iuxta illud Ioannis 1. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum*; qua de causa etiam Christus testimonium Ioannis pro se allegauit Ioannis 7. & vicissim Ioanni, ob authoritatem Christi, quæ à parte rei erat ipsissima credendi ratio, iuxta illud Lucæ 7. *Et omnis populus audiens* (testimonium CHRISTI de Ioanne) *& publicani iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis.* Nunquid vero hæc per inanem circulum quispiam facta calumniabitur?

Quin vero potius hi ipsi aduersarij, qui circulum nobis obijciunt, illi ipsi sunt, qui in *circuitu ambulant*, & in sua credendi ratione circulum ineluctabilem habent. Nam interrogati, vnde credant, scripturam esse diuinam, & vere Dei verbum, respondent ex interna testificatione Spiritus Sancti: si pergas, vnde constet, internam illam testificationem esse à Spiritu Sancto, respondent, ex scriptura Ioannis 10. *Oues meæ vocem meam audiunt* Si rursum quæras, vnde norint hanc esse scripturam sacram, rursus ad internam testificationem recurrunt, vt videre est apud Dauidem Paræum disputat. de verbo DEI thesi 23. 24. 57. 58. 61. & 105. Atque sic deinceps perpetuo circulo reuoluuntur quamdiu Ecclesiæ authoritatem dignoscendis diuinis scripturis non adhibent. 191

Atque hic ex doctrina Aristotelis, omniumque Philosophorum ideo plane verus, ineuitabilis, & absurdissimus plane circulus est, seu ex hoc contra alios disceptent; siue eo priuatim solummodo ipsi in credendo & assentiendo vti velint (pariter enim ad vtrumque circulus iste iuxta Philosophos est inutilis) quod aliunde nulla ipsi adducere possunt motiua, quibus vtrumque eorum, quod circulariter credunt, per se sufficienter credibile reddant. Motiua enim communia fidei nostræ recipere non possunt, nisi reliquam etiam pariter fidem nostram recipiant; propria non habent, & si quæ habere sibi videntur, præ nostris valent nihil; adeo vt vlla prudenti ratione ijs moueri ad credendum quicquam (multo minime aliquid fidei nostræ aduersum) nullatenus possint; quando longe amplioribus fidei nostræ motiuis ad credendum non mouentur.

Atque hæc de resolutione fidei satis.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

De ipso habitu fidei secundum se, eiusque subiecto remoto.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.

ABsoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. Quid sit fidei habitus, & in qua potentia; & an, qualemue habitum voluntatis adiunctum habeat. II. Vtrum fides sit practica; itemque vna, perfecta, infusa, & Theologica virtus; eaque tam à charitate separabilis, quam per eam veluti formam perfectibilis, ac prima virtutum. III. An, & qua ratione fides certitudine tum scientias naturales, tum alias virtutes & habitus intellectuales superet. IV. De subiecto remoto fidei; speciatim an in primo statu innocentiæ tum Angeli, tum homines; an etiam Christus, Prophetæ, & Apostoli fidem habuerint; itemque an siue in Beatis, siue in dæmonibus, aut hæreticis nunc reipsa fides existat. V. An, & qua certitudine quisque in seipso fidei præsentiam agnoscere possit: & quinam sint eius effectus: deque intellectus & scientiæ fidei affinibus donis.

DVBIVM I.

Quid sit fidei habitus; & in qua potentia; & an, qualemue habitum voluntatis adiunctum habeat.

S. Thomas 2. 2. q. 4. 2. 1. & 2.

1 POstquam hactenus ea, quæ tam actibibus, quam habitui fidei communia sunt, pertractauimus; sequitur, vt distincte ac seorsim, tum de habitu, tum de actibus fidei agamus: quorum considerationem etsi Sanctus Thomas habitui fidei anteposuerit, nos tamen postponendum existimauimus; non solum quia habitus in genere causæ efficiētis prior est actibus, sed etiam quia ab eius cognitione ipsa etiam cognitio actuum fidei non parum dependet.

2 Quod vero ad præsentem dubitationem attinet; Quæritur primo cum S. Thoma hic citat. quæst. 4. art. 1. Vtrum hæc sit competens habitus fidei definitio, quæ ei ab Apostolo tribuitur Heb. 11. v. 1. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et respondetur breuiter affirmatiuè cum S. Thoma ibidem, & cum Magistro alijsque Theologis in 3. dist. 23. Probatur, tum auctoritate Apostoli ibidem, qui ex instituto verba ita conformauit, quasi fidei naturam expositurus: tum ex cōmuni sensu SS Patrū, speciatim Hieronymi in c. 5. epist. ad Galat. Augustini l. 2. de peccatorum meritis & remissione ca. 21. & Bernardi epist. 190. qui eodem modo Apostolum intellexerunt.

Quibus accedit ratio ex re ipsa, & sensu eius definitionis petita. Dicitur enim fides *Substantia sperandarum rerum*; siue quia res illæ, quæ sperantur, per fidei habitum, & cognitionem in nobis quodammodo subsistunt, eo modo quo omne cognitum est in cognoscente: siue quia fides est fundamentum, & quasi basis substans toti ædificio spirituali, quod spe & charitate cœlum versus erigitur, vt Scholastici cum Magistro loco citat. dixerunt; seu quod idem fere est, iuxta Sanctum Thomam hic cit. art. 1. quia est prima inchoatio rerum sperandarum, virtute quodammodo, ac per modum fundamenti continens omnes res sperandas: quo ipso simul etiam est substantia seu fundamentum ipsorum *sperantium*, vt loc. cit, & alibi legit Augustinus.

Quamuis autem etiam multa alia, quæ non sperantur, vt Incarnatio facta, pœnæ inferni, per fidem in nobis intelligibiliter subsistant; quia tamen res speratæ sunt obiecta fidei, tum magis principalia, tum magis etiam afficientia animum hominis, idcirco earum potius, quam aliarum mentionem fecit Apostolus; sub his interim primarijs obiectis etiam cætera comprehendens.

Deinde vero dicitur fides, *argumentum*, seu 3
conuictio, (græce ἔλεγχος) rerum *non apparentium*, quia per modum argumenti facit firmiter assentiri, rebus non apparentibus, hoc est, obscure reuelatis: quibus proinde duabus partibus definitionis, fides ab omnibus alijs habitibus, siue actibus intellectus distinguitur, vt docet S. Thomas hic citat. art. 1. *Per hoc enim*, inquit, *quod dicitur argumentū, distinguitur fides ab opinione, suspicione, & dubitatione, per quæ non est adhæsio intellectus firma ad aliquid. Per hoc autem, quod dicitur, Non apparentium, distinguitur fides à scientia & intellectu, per quæ aliquid fit apparens*, (siue euidens.) *Per hoc autem quod dicitur, substantia*

sperandarum rerum, distinguitur virtus fidei à fide communiter sumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem speratam.

4 Et confirmatur eadem doctrina, quia vt recte ait S. Thomas ibidem, *aliæ definitiones, quæcunque de fide dantur, explicationes sunt huius, quam Apostolus ponit* (& cum ea optime consentiunt.) *Quod enim dicit Augustinus tract. 40. in Ioannem, & lib. 2, quæst. Euangelic. q. 39. Fides est virtus, qua creduntur, quæ non videntur: & quod dicit Damascenus lib. 4. fidei cap. 12. Fides est non inquisitivus assensus: & alij* (Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. part. 10. cap. 1.) *dicunt, quod fides est certitudo animi quædam de absentibus, supra opinionem, & infra scientiam, idem est ei, quod Apostolus dicit, argumentum non apparentium.* Etsi reuera definitiones istæ non tam sint descriptiones propriæ fidei theologicæ, quam communes etiam fidei acquisitæ & humanæ.

Optime vero cum ea Apostoli definitione conuenit illa S. Dionysij cap. 7. de diuin. nomin. *Fides est manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipsis veritatem ostendens.* Hoc enim inquit S. Thomas loc. cit. *idem est ei, quod dicitur substantia rerum sperandarum.* Planius tamen dici potest, Habitus certus & ineuidens, quo firmiter assentimur rebus diuinitus reuelatis, scilicet propter ipsam reuelationem diuinam, tanquam rationem formalem assentiendi, vt dictum q. 1. dub. 3.

5 Etsi vero ea Apostoli definitio possit accommodari etiam actui fidei, vt facile consideranti patebit, & S. Thomas hic cit. quæst. 4. a. 1. indicat, optime tamen conuenit habitui; cui idcirco ex mente Theologorum, ac eiusdem S. Thomæ, inprimis accommodatur: idque rursum vel vt sit definitio accidentalis, vt dixerunt Alensis 3. part. q. 78. memb. 5. art. 2. & Albertus in 3. dist. 23. a. 18. si nimirum partes illæ definitionis explicentur, per modum actus secundi, vt significent effectum habitus fidei, cui accidit, quod per eum res sperandæ actualiter in nobis subsistant, & res obscuræ actualiter cognoscantur: siue etiam vt sit essentialis, vt docent S. Thomas hic, Bonauentura, Richardus, & alij in 3. dist. 23. si nimirum voces illæ accipiantur aptitudinaliter, aut etiam per modum finis; vt sensus sit, fidem esse habitū, qui ex sua natura aptus est efficere, & assensum firmum de rebus obscuris, & vt res sperandæ in nobis quodammodo subsistant: ita vt fidei habitus ad eiusmodi actus veluti finem ordinetur, quod multis etiam alijs definitionibus Philosophorum commune est

6 Ex quibus colligitur primo, temere Erasmum in eum locum Apostoli dixisse, fidem ab Apostolo ibidem non definitam, sed tantum fuisse laudatam: quod pluribus refellit Bellarminus lib. 1. de iustific. cap. 5.

Colligitur secundo, falso huius temporis Sectarios docere, per fidem ab Apostolo hic definitam intelligi fiduciam. Qui error inde euidenter refutatur, quod Apostolus eiusdem fidei actum ibidem fusius explanans, apertissime significat, eum esse assensum intellectus, non fiduciam voluntatis. Vt cum ait I. vers. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* II. *Fide* (vtique non fiducia) *Noe metuens aptauit arcam in salutem domus suæ.* III. v. 6. De eadem fide dicitur: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Vt plane non nisi vanissimæ confidētiæ plenus sit quisquis fiduciam somniat, quam intellectionem & credulitatem vocauit Apostolus.

Secundo quæritur, vtrum fides quidem ipsa 7
sit in intellectu, nihilominus tamen etiam in voluntate requirat habitum. De qua re sequentes assertiones ex mente S. Thomæ cit. q. 4. a. 2. & veriore Theologorum sententia statuimus.

Assertio I. Fidei habitus formaliter & 8
subiectiue est in intellectu. Ita S. Thomas cit. a. 2. alijque Theologi omnes in 3. dist. 23. quidqd Nouatores paulo antea refutati in cōtrariū dixerint. Ratio sumitur ex dictis; quia actus & habit⁹ sunt in eodē subiecto: actus autē fidei, qui est, intelligere, credere, &c. vt ex Apostolo cit. Heb. 11. probauimus, est in intellectu: Ergo, &c.

Assertio II. Ad credendum tamen requiritur positiua quædam motio voluntatis, neque 9
sufficit non contradicere. Ita contra Scotum in 3. dist. 25. quæst. 2. & Henricum Gandauensem quodlib. 5. q. 21. ex communi docent S. Thomas hic q. 4. a. 2. Caietanus 1. 2. q. 65. art. 4. & Albertinus tom. 1. princ. 3. Corollar. 5. num. 10. Et videtur certa sententia, tum ex scriptura & Patribus q. 2. dub. 1. relatis, qui docent, fidei actum necessario esse voluntarium & liberum, & à voluntate pendentem. Clarum est illud Concilij Arausicani Can. 5. vbi dicitur, *initium fidei esse ipsum credulitatis affectum.* Idem colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. & 6.

Ratio, quæ etiam de fide acquisita procedit, est; quia intellectus per obiectum fidei, vtpote ineuidens, non satis determinatur ad assentiendum; ergo necesse est aliunde determinari: neque vero determinatur à se, quia intellectus ex communi sententia per se non est potentia formaliter libera: Ergo à voluntate.

Et licet forte ad fidei humanæ assensum sufficere posset illa motio voluntatis, qua intellectus semel fuit applicatus ad audiendam testificationem, animo & voluntate credendi, quod visum fuerit verosimilius; hic tamē requritur, vt post factā etiam propositionē denuo eliciatur voluntas credēdi, cū volitio propositionē antecedens non videatur ita constās & efficax, multo min⁹ supernaturalis esse potuisse, sicut ad firmiter & supernaturaliter credendum opus est.

Assertio III. Quare præter habitum fidei 10
in intellectu situm, datur etiam in voluntate aliquis habitus inclinans voluntatem ad acceptandam fidem. Ita S. Thomas cit. q. 4. a. 2. eademque videtur communior Theologorum sententia in 3. dist. 23. etsi contrarium dixerint Scotus in 3. dist. 25 q. 2. Henricus quodlib. 5. q. 21. & Vasquez 1. 2. tom. 1. disp. 87. c. 1. nu. 1. rati, nullum habitum in voluntate requiri; cuius sententiæ fundamentum assertione præcedenti refutatum est. Vnde etiam sumitur ratio: quia actus fidei est voluntarius & liber, etiā quoad specificationē,

ac pro-

ac proinde non procedit ab intellectu, nisi mediante quodam impulsu seu inclinatione voluntatis: Ergo necesse est etiã in voluntate habitum constitui, à quo illa voluntas credendi procedat: iuxta commune fundamentum de constituendis virtutum habitibus, vbi specialis est difficultas & honestas.

Neq; verum est, quod dicit Henricus loc. cit. intellectum satis determinari ad assensum ab ipso habitu fidei: quia habitus intellectus non determinat ad assensum vltra vires obiecti, seu supplẽdo defectum obiecti; sed eo supposito, solum facilitat seu vim confert ad eliciendum actum.

11 Assertio IV. Habitus ille voluntatis, non minus quam ipse habitus fidei, supernaturalis est etiã intrinsece, ac quoad substantiã. Posterior pars assertionis de habitu fidei, communis nunc Doctorũ sententia, cum S. Thoma hic q. 6. a. 2. speciatim Richardi in 3. dist. 23. art. 7. q. 2. Medinæ 1. 2. q. 62. a. 2. Gregorij de Valentia q. 6. pun. 1. idemque fuse probat Albertinus tomo 1. princip. 3. corall. 5. num. 4. contra Scotum, Durandum, Ockamum, Gabrielem, Paludanum in 3. d. 23. & Caietanum 1. 2. q. 109. & 2. 2. q. 181. a. 2. qui docent, actum fidei esse tantum supernaturalem quoad modum, naturalem autem quoad substantiam. Quo modo fere etiam loquitur S. Thomas infra q. 172. a. 2. Sed is per substantiam actus intelligit communem rationem ex obiecto materiali desumptam, vt ex communi dictum tom. 2. disp. 3. dub. 2. & d. 6. q. 1. dub. 2. & q. 3. dub. 1. In quem sensum etiam Scotum, Durandum, Gabrielem interpretatur Gregorius de Valentia q. 6. pun. 1. Ratio à priori est: quia habitus intellectus potissimum specificãtur ab obiecto formali Quo: hoc autem in fide plane supernaturale est, scilicet reuelatio Dei obscura, ex quæst. 1. dub. 3. Ratio à posteriori est; quia ad ipsum fidei actum, etiam quoad substantiam, requiritur adiutorium gratiæ, vt diximus cit. tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 1.

12 Priorem partem assertionis ex cõmuni sententia eorũ, qui eiusmodi habitum in voluntate admittunt, docent Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 4. & Albertinus loc. cit. num. 9. Ratio est; Nam & huius habitus obiectum non solum materiale, quod est ipse actus fidei, sed etiam formale, quod est ipsum credere, quatenus necessarium est ad vitam æternam, ipsâque adeo reuelatione diuina formaliter nititur, est supernaturale. Accedit, quod etiã ad ipsum velle credere, non minus quã ad credere, auxiliũ gratiæ requiritur, ex Concilio Arausicano loc cit. & dictis cit. disp. 6. q. 3. dub. 1.

13 Aliter se res habet cum iudicio illo præuio & antecedente assensum fidei; seu speculatiuo, quo generatim cognoscitur credibilitas fidei ex humanis motiuis, quod ad Ethicum pertinet: seu practico, quo iudico hic & nunc, esse credendũ, seu absolute bonum & expetibile credere; quod ad prudentiam pertinet: cum neutrum iudicium habeat obiectum formale supernaturale. Primum enim solum versatur circa euidentiam credibilitatis, quæ naturaliter est cognoscibilis, & immediate nititur humanis motiuis.

Alterum vero nititur eo ipso iudicio, de euidentia credibilitatis, tanquam ratione assentiendi; propter hanc enim intellectus iudicat, bonum esse, hic & nunc velle credere fide diuina. 14

Quia tamen hoc ipsum iudicium practicum cum efficax est, mediante simul motione voluntatis, mouet intellectum speculatiuum ad assentiendum veritati reuelatæ, multo altiori assensu, quam sit vel assensus motiuorum, vel assensus de euidentia credibilitatis, ideo nec hoc quidem iudicium potest haberi sine auxilio gratiæ; eâq; de causa etiam dici potest supernaturale quoad modum, vt pluribus persequitur Albertinus loc. cit. num. 7.

Dices. Omnem actum voluntatis supernaturalem quoad substantiam, præcedere debet intellectu actus eidem proportionatus, ac proinde etiam supernaturalis quoad substantiam. Ergo aut voluntas credendi supernaturalis non est quoad substantiam; aut iudicium quoque illud practicum de credendo, itidem quoad substantiam supernaturale esse debet. 15

Respondetur, negando consequentiam. Quia voluntas credendi non nititur formaliter ac immediate illo iudicio practico, quod solum velut conditio est, sine qua voluntas se non potest applicare ad volitionem actus credendi: sed nititur alio quodam iudicio practico, habente pro ratione formali assentiendi immediate ipsam auctoritatem diuinam. Atque hæc est ipsa gratia præueniens, & illuminatio ac inspiratio diuina; quam Deus operatur in nobis sine nobis; vtique etiam quoad substantiam supernaturalis, vt post Vegam l. 6. in Tridentinum c. 8. & Ferrariensem 3. contr. gent. c. 40. declarat Albertinus loc. cit. num. 7.

Et confirmatur hæc doctrina. Quia cum ipsum velle credere sit initium omnis fidei, impossibile est, vt procedat ab actu fidei, aut alterius habitus supernaturalis, qui sit natura posterior fide; quales sunt omnes alij habitus intellectiui supernaturales, vt sunt prudentia infusa, donum sapientiæ, scientiæ, consilij. &c. Ergo iudicia quidem deliberata, quæ actum credendi præcedunt, non possunt esse supernaturalia quoad substantiam.

Fateor tamen, vel ob hoc ipsum argumentum non improbabiliter dici posse, voluntatem illam credendi fidei præuiam, solum esse supernaturalem quoad modum: quando præsertim seclusâ fide certum non est, absolute possibilem esse fidem supernaturalem, sed solum modo conandum esse, vt eliciatur fides supernaturalis, vt dictum quæstio. 2. dub. 2. ad obiectionem.

Assertio V. Habitus ille in voluntate situs, à charitate, religione, obedientia, studiositate, cæterisque virtutibus distinctus est. De hac re varie loquuntur Doctores, ac speciatim ipse etiam S. Thomas. Nam primo hic quæstio. 4. art. 2. ad 2. & art. 3. ad 3. & a. 7. ad 3. significat S. Thomas, esse obedientiam. Sed certum est, S. 16

Thomam

Thomam obedientiam eo loco non accepisse pro speciali virtute; sed generatim, prout includitur in omni virtute inclinante hominem saltem materialiter ad obtemperandum Deo, vt patet ex eodem artic. 7. Cum autem voluntas illa credendi habeat per se proprium & distinctum obiectum, assignandus est aliquis specialis habitus, à quo per se & immediate procedat, vt etiam supponit S. Thomas hic a. 2.

17 Secundo idem S. Thomas hic quæst. 4. art. 3. hunc habitum indicat esse charitatem, vt notat etiam Caietanus hic art. 2. Sed hoc intelligit S. Thomas, solum quoad actus fidei in ratione virtutis Christianæ vndequaque perfectos & meritorios vitæ æternæ, vt patet ex eodem art. 7. ad 5. Interim vero quia etiam ad alios actus fidei, quamuis à charitate non procedentes, motio voluntatis prærequisita habitum postulat, à quo connaturaliter eliciatur, ideo alius quidam habitus assignandus est, ad quem per se ac vniuersim hic actus pertineat.

18 Vnde tertio Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 4. sub initium dicit esse virtutem studiositatis, quæ moderatur appetitum sciendi. Et addit, id muneris in primis pertinere ad studiositatem, prout est virtus moralis non solum acquisita, sed etiam infusa. Verum non satisfacit. Nam primo ad studiositatem non pertinet intellectum determinare ad assentiendum, sed impellere & applicare potentias ad studium moderatum sciendi, iuxta S. Thomam infra q. 166. Deinde ex sententia eiusdem Gregorij de Valentia, & communi aliorum Doctorum, quam nos etiam tom. 2, disp. 3. q. 5. dub. 2. sequuti sumus, omnes virtutes morales infusæ per peccatum mortale cum gratia iustificante amittuntur. Cum igitur studiositas, vt est virtus moralis acquisita, ad supernaturalem affectum credendi non sufficiat, quod recte supponit Valentia loc. cit. non poterit etiam vniuersim sufficere infusa, vtpote qua carent peccatores, nihilominus ad credendū habiles. Eademque de causa non potest etiam habitus ille voluntatis esse religio, vt alij nonnulli dixerunt.

19 Quocirca dicendum videtur cum Suario 3. part. tomo 1. quæst. 7. artic. 3. & de religione tomo 1. cap. 5. num. 2. istum habitum voluntatis à charitate, religione, studiositate, cæterisque virtutibus distinctum esse, vt in assertione dictum; cum habeant distinctum obiectum formale, videlicet ipsam per se bonitatem supernaturalem actus fidei, quam vt sic nullus alius voluntatis habitus respicit.

Quamuis autem idem habitus physice distinguatur ab habitu fidei, moraliter tamen vnum quid cum eodem censetur, ob subordinationem, quam ad illum habet; sicut & ipsi actus, vtriusque habitus inter se, ob subordinationem, quæ inter eos cernitur, vt recte notauit Suarez lib. 2. de relig. cap. 3. nu. 2. Quare etiam 1. Corinth. 13. vers. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*, & alibi sub nomine fidei vterque habitus comprehenditur, & vterque simul suo modo est fundamentum salutis: quamuis si inter se conferantur, prior sit habitus ille voluntatis, vtpote cuius est actus ille, qui in Concilijs, præsertim Arausicano loc. cit. vocatur initium fidei, seu pia affectio voluntatis ad credendum.

DVBIVM II.

Vtrum fides sit practica, itemq; vna, perfecta, infusa, & Theologica virtus; eaque tam à charitate separabilis, quam per eam veluti formam perfectibilis.

Sanctus Thomas 2.2. q. 4. a. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & quæst. 6. a. 1. & 2.

SPectat hæc dubitatio tum ad habitus fidei 20
quædam attributa ac proprietates; tum ad proximum eius genus, quod dubio præcedenti nondum satis explicatum est, cognoscendum. De qua re, iuxta ordinem quæsitorum in dubitatione propositum, sequentes assertiones statuimus.

ASSERTIO I. Habitus quidem ipsius fidei 21
simpliciter & absolute loquendo, est speculatiuus, secundum aliquas tamen veritates etiã formaliter practicus: habitus autem ille in voluntate situs, fideique respondens, simpliciter & absolute est practicus. Primam partem tradunt omnes illi, qui habitū etiam Theologiæ simpliciter speculatiuum, & secundum quid practicum esse tradunt, vti nos etiam docuimus tom. 1. disp. 1. q. 4. dub. 3. Siquidem omnes fatentur, eandem quoad hoc esse rationem fidei Catholicæ. Vtriusque enim obiectum attributionis, nimirum Deus, est speculabile tantum; tametsi simul vterque habitus versetur circa veritates etiam quasdam practicas; vt cum de actionum humanarum bonitate, malitia, ac præceptorum omnis generis obligatione agitur: neque repugnat, eundem habitum secundum diuersos assensus simul formaliter esse speculatiuum & practicum; quando hæ per se non sunt differentiæ essentiales habitus, vt ibidem diximus.

Eadem est mens S. Thomæ hic q. 4. a. 2. ad 3. vbi 22
ait, fidem *esse in intellectu speculatiuo sicut in subiecto*, attamen simul etiam *per dilectionem operari*: sicut etiam intellectus speculatiuus *extensione fit practicus*, iuxta Aristotelem 3. de anima text. 29. & 49. Paulo aliter sentiunt Caietanus, & Aragonius hic q. 4. a. 2. & Gregorius de Valentia q. 4. punct. 2. qui docent, habitum fidei solum eminenter esse practicum simul & speculatiuum, quod etiam indicat Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 2. num. 2. De qua re plura loc. cit.

Secunda pars assertionis videtur extra controuersiam esse; & ex eo patet, quod habitus ille voluntatis est virtus quædam moralis, quæ versatur circa praxim, seu actionem liberam, prout bene vel male, fieri potest.

ASSER-

23 Assertio II. Etsi quidem fides duos habitus complectatur, vnum intellectus, alterum in voluntate situm, vt dictum dub. præcedenti: ipse tamen per se habitus fidei, est vnus numero in singulis; vnus autem specie, sed numero diuersus in omnibus credentibus: quod similiter de voluntatis habitu fidei subordinato dicendum est. Ita S. Thomas hic q. 4. a. 4. & 6. Prima pars patet ex dictis dubio præcedenti. Secunda pars contra quosdam male olim hac de re philosophantes probatur: quia plures numero habitus fidei in eodem subiecto superflui forent; cum alioqui sint eiusdem speciei, vt supponitur.

Tertia pars censetur de fide, ex illo Ephes. 4. v. 5. *Vnus Dominus, vna fides*; quod saltem de vnitate specifica verificari debet. Ratio est, quia obiectum fidei est vnum, siue loquamur de obiecto materiali attributionis, siue de formali Quo ex q. 1. dub. 2. & 3.

Ex quo etiam colligitur, siue alioqui habitus scientiarum naturalium complectantur plures habitus partiales specie distinctos, siue non, id tamen de habitu fidei affirmari non posse, vt pluribus diximus tom. 1. disput. 1. quæstione 4. dub. 2.

Quarta pars patet; quia idem numero habitus non potest esse in diuersis numero subiectis.

42 Assertio III. Turpiter proinde errant Sectarij huius temporis, qui fidem, quam vocant historicam, nempe assentientem articulis credis, fidem miraculorum, & fidem iustificantem, simpliciter & adæquate inter se diuersas faciunt; vt videre est apud Bellarminum de iustif. l. 1. c. 5. & Gregorium de Valentia hic q. 1. pun. 1. initio. Probatur aperte ex Apostolo Hebr. 11. qui de vna & eâdem fide, & quidem, vt ipsi etiam Sectarij fatentur, iustificante loquens, ait I. v. 3. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*; quod ipsi fidei historicæ tribuunt. II. v. 33. per eandem fidem, *Sanctos obturasse ora leonum, extinxisse impetum ignis*; quod est fidei miraculosæ. III. demum v. 33. per fidem *operatos esse iustitiam, adeptos esse repromissiones*; quod est fidei iustificantis.

Ratio est; quia eo ipso, quod credimus, vera esse, quæ Deus reuelauit, atque illud inprimis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, disponitur homo ad ipsam iustitiam, iuxta Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. deque eadem fide dicitur, Marci 16. vers. 17. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia eicient, &c.* Neque ad miraculum patrandum aliud quicquam magis est oportunum, quam credere Deum esse Omnipotentem, seu *non esse impossibile illi omne verbum.*

25 Interim tamen, quia fides Catholica actu non iustificat, nisi charitate formata; neque miracula operatur, nisi vt peculiari cuidam fiduciæ de miraculoso euentu subsecuturo coniuncta, vt habet communis sententia apud Gregorium de Valentia quæstione 4. punct. 4. recte dici potest, fidem actu iustificantem, & fidem actu miracula patrantem, inadæquate saltem à fide Catholica nude spectata distingui: non quod fides miraculorum, & fides iustificans, secundum se diuersa sit à catholica fide; sed quia certe vtraque secundum aliquid sibi adiunctum distinguitur à fide nudè sumpta; quo modo paries albus distinguitur, ab eodem pariete nude secundum se spectato; cui scilicet superaddit albedinem.

Imo si fides miraculorum, vt nonnulli etiam ex Catholicis faciunt, sumatur pro illa ipsa fiducia, seu actuali, seu habituali, de euentu miraculoso subsecuturo, tum etiã simpliciter & absolute loquendo, sine errore dici poterit, fidem miraculorum esse à fide Catholica distinctam, vt loquuntur Abulensis in cap. 17. Matthæi quæstio. 165. & Arragonius hic quæst. 1. art 1. idque probant ex illo 1. Corinth. 12. vers. 8. *Alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu.* 26

Sed melius, & conuenientius iuxta Apostolum, fides miraculorum dicitur ipsa fides Catholica, vt iunctam habens fiduciam sicut dictum: & verius est, etiam in cit. loco fidem non significare fiduciam de miraculo subsequuturo, vt colligitur ex verbis imediate sequentibus, *alij gratia sanitatum in vno Spiritu; alij operatio virtutum &c.* sed certam quandam firmitudinem assensus fidei, persuasioni contrariæ cedere nesciam.

Assertio IV. Fides etiam secundum se spectata, est vera & essentialiter perfecta virtus; tametsi plenum & perfectum virtutis statum non habeat sine charitate. Ita habet communis Doctorum sententia in 3. distinct. 23. & Bannes hic quæstio. 4. art. 5. ait, oppositum sibi videri plusquam temerarium; cum communis fidelium consensio eam pro virtute etiam Theologica habeat. Ratio est; quia illi vere competit ratio & definitio virtutis, prout dicitur habitus bonus potentiæ aliquo modo rationalis, bonum faciens habentem, & opus eius bonum reddens; bonitate scilicet non tantum secundum quid, qualis cernitur in virtutibus mere intellectualibus, sed etiam bonitate moris, à prudente electione dependentis, & ad salutem æternam comparandam ordinatæ. 27

Quare etiam fides est virtus non tantum secundum quid, quales sunt intellectuales illæ, scientia, ars. &c. sed simpliciter dicta, non minus quam prudentia, vt expresse docet S. Thomas 1. 2. q 56. a. 3. & nos docuimus tom. 2. disp. 3. q. 3. dub. 1. & q 4. dub. 1. Quod quidem non solum de habitu, quem fides in voluntate supponit accipiendum, sed etiam de ipso habitu fidei in intellectu sito; siquidem & iste intellectum perficit non secundum se nude spectatum, sed vt pie motum à voluntate, iuxta ea quæ ibidem fusius diximus.

Oppositum tamen sensit Durandus in 3. dist. 23. quæst. 6. vbi docet, nec fidem informem esse proprie virtutem, quia actum euidentem, adeoque in genere cognitionis perfectum non habet; neque fidem formatam verius, quam informem; cum charitas fidei sit per aceidens & nihil intrinsecæ perfectionis addat. Sed fallitur; habet enim vtraque actum, iuxta conditionem 28

potentiæ & obiecti, ac statum huius vitæ, plane perfectum; & hæc, non quidem quoad intrinsecam & essentialem virtutis rationem, sed quoad perfectum statum virtutis saltem extrinsece, à charitate perficitur, vt mox dicetur.

29 Neque vero huic assertioni aduersatur Sanctus Thomas hic q. 4. art. 5. vbi docet, fidem formatam esse quidem virtutem; informem autem non item. In quem sensum etiam Bonauentura in 3. dist. 23. a. 5. Richardus artic. 4. q. 2. & alij nonnulli dixerunt, fidem informem non esse proprie & simpliciter virtutem, sed formatam. Et rationem omnes assignant: quia videlicet fides informis non habet actum simpliciter bonum & perfectum, hoc est, vtilem ad vitam æternam consequendam. &c.

Hi enim, vt ex ratione subiecta patet, nomine virtutis perfectæ, aut simpliciter dictæ, non intellexerunt virtutem præcise quoad rationem essentiæ perfectam, sed peculiari modo perfectam secundum rationem status, quem sibi deposcit virtus Christianæ, vt fructuosa sit ad vitam æternam; eo modo loquendi, quo Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. fuse probat, nullam veram virtutem esse posse sine charitate & gratia Dei. In quem sensum etiam S. Thomas 1. 2. q. 65.
30 a. 2. & q. 71. a. 4. vniuersim docet, habitus virtuosos sine charitate non habere veram & propriam rationem virtutis.

Quamuis autem hæc nominis quæstio sit, isque modus loquendi verum sensum habeat, vt dictum, nihilominus tamen absolute ac simpliciter loquendo negari non debet, siue fidem etiam informem, siue etiam alias virtutes acquisitas, quamuis charitati non iunctas, vere ac proprie virtutes esse; cum habeant totam rationem & essentiam virtutis, vt dictum, & post Scotum ac Gabrielem 3. dist. 36. recte notauit Vasquez 1. 2. disp. 88. n. 4. sicut nemo recte diceret, puerum non esse verum & perfectum hominem, sed virum.

Ex quibus etiam satis patet posterior pars assertionis; præter ea, quæ dicentur assert. 9.

31 Assertio V. Fides est virtus per se infusa; siue loquamur de habitu intellectus, siue de habitu voluntatis. Ita S. Thomas hic q. 6. a. 1. & 2. & communis Doctorum in 3. dist. 23. Ratio sumitur ex dictis dubio præcedent. vbi docuimus, vtrumque habitum, tam intellectus scilicet, quam voluntatis, esse supernaturalem etiam intrinsece ac quoad substantiam. Idem patet ex Scriptura Ephes. 2. v. 8. *Gratia estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Idem contra Pelagianos colligitur ex Concilio Mileuitano cap. 4. Arausicano can. 5. & Tridentino sess. 6. cap. 7. & can. 3. De qua re ex instituto egimus tom. 2. disp. 3. q. 4. dub. 2. & disp. 6. q. 1. dub. 2. & quæst. 3. dub. 1. vbi speciatim de necessitate gratiæ ad credendum contra Pelagianos & Semipelagianos egimus.

32 Assertio VI. Intellectualis fidei habitus est virtus Theologica: habitus autem ille voluntatis non item, sed potius virtus moralis. Prima pars est communis Doctorum in 3. distinct. 23. & S. Thomæ 1. 2. q. 26. a. 3. & 4. adeoque proinde certa, vt sine temeritate negari non possit. Ratio est: quia immediate versatur circa Deum, tanquam circa obiectum Quod, & Quo, ex dictis q. 1. dub. 2. & 3.

Secundam partem tradit Gregorius de Valentia hic q. 1. pun. 4. & videntur supponere authores illi, qui eiusmodi habitum voluntatis agnoscunt. Ratio sumitur ex dictis dub. præced. quia habitus ille voluntatis non versatur immediate circa Deum velut obiectū Quod, sed circa ipsum fidei actum, in quem tendit, & ad quem inclinat. Nihilominus tamen prout moraliter vterque habitus vnam virtutem constituit, recte idem simpliciter & absolute dici potest virtus Theologica; quia saltem secundum aliquid sui, & id quidem quod in ea potissimum est, Deum immediate attingit, vt notauit Suarez tom. 1. de relig. l. 2. c. 3. num. 2.

Assertio VII. Potest fides à charitate seiuncta existere. Hæc assertio est cōmunis Doctorum 33
in 3. dist. 23. & apud S. Thomam hic q. 4. art. 4. Et si quidem sermo sit de eadem solum specie fide, est de fide certa, ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 15. & Can. 28. Si autem de eadem quoque numero fide intelligatur, est ita certa, vt iuxta Gregorium de Valentia hic q. 4. punct. 4. contrarium merito censeatur temerarium, vtpote nec satis conforme Concilio Tridentino loc. cit. & in regraui repugnans cōmuni Doctorum sententiæ vt dictum, quidquid olim nonnulli in contrarium senserint, vt videre est apud Magistrum & Albertum ibidem, & S. Thomam hic cit. a. 4. qui eos perspicue refellit.

Eadem vero assertio contra Nouatores huius 34
temporis, qui reiecta fidei formatæ & informis distinctione, communiter omnes docent, veram fidem, quæ ad salutem requiritur, sine charitate esse non posse, probatur primo ex scriptura. Nam Matthæi 17. v. 22. Christum Dominum agnoscentes & confitentes (vtique per fidem) tanquam *operarij iniquitatis* excluduntur ab ingressu regni. Matthæi 22. v. 13. Regem ad conuiuium seu Ecclesiam vocantem audit quidam (hoc ipso vtiq; fidelis) & tamen caret *veste nuptiali* charitatis, authore Hieronymo, & Chrysostomo in eundem locum, & Gregorio homil. 36.

Item Matthæi 25. vers. 12. virgines fatuæ Dominum expectantes cum lampadibus (ac proinde fideles) sed sine oleo charitatis, seu bonorum operum, audiunt triste illud: *Nescio vos* Et rursum ibidem Matthæi 25. vers. 41. impij illi in extremo iudicio, nulla infidelitatis culpa notati, sed sine operibus misericordiæ inuenti, damnantur. Præterea Ioannis 12. vers. 42. apertissime dicitur: *Verum tamen & ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*: charitate proinde, non fide destituti.

Eodem modo 1. Cor. 13. v. 2. palam protestatur Apostolus: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes* 35
transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.

Vbi

Vbi Apostolum etiam de fide Christiana loquutum esse, patet multis argumentis. Nam 1. Apostolus vniuersalissime ait: *Omnem fidem.* 2. Inferius subiungit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas,* &c. vbi nemo dubitat, de fide Christiana sermonem esse. 3. Fides miraculorum, de qua sola loquutum esse Apostolum Nouatores contendunt, aut est ipsamet fides Christiana, aut certe eam supponit, ex dictis.

Neque dici potest, Apostolum eo loco solum ex suppositione casus impossibilis hyperbolice loquutum esse. Non enim dicit, Si haberem omnem fidem, sed *si habuero*: qui modus loquendi casum ex se possibilem significat, vt patet in simili Matthæi 17. v. 19. *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc.*

36 Denique Iacobus cap. 2. v. 14. & 17. & 21. & 26. loquens de fide, quæ Abrahani operibus cooperata fuerat, ac proinde pars quædam fuerat iustificationis, ait: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est*: atqui corpus sine spiritu verum corpus est, & si non viuum: Ergo & fides sine operibus seu charitate, vera quidem fides, sed mortua est. Non ergo, vt volunt Sectarij, fides dicitur mortua sine charitate, sicut homo dicitur mortuus, qui hoc ipso verus homo non est, sed sicut corpus mortuum; vt expresse habent verba scripturæ.

Secundo probatur eadem assertio ex SS. Patri-
37 bus quos fuse referunt Bellarminus lib. 1. de iustif. cap. 15. & Gregorius de Valentia hic q. 4. punct. 4. Clarissimus est ille locus Augustini lib. 15. de Trinitate cap. 18. vbi ait: *Ipsam fidem non facit vtilem nisi charitas: sine charitate quippe fides potest esse, sed non prodesse.*

Tertio probatur ratione S. Thomæ hic q. 4. a. 4. Ea quæ extrinsecus, & per accidens tantum rei adiacent, possunt salua rei substantia adesse & abesse; sic autem se habet charitas respectu fidei; inter quas nulla intrinseca & essentialis habitudo seu necessarium vinculum assignari potest, maxime quia fides est prima virtutum Theologicarum, vt dicetur assert. vlt. neque solet prius dependere à posteriori, sed contra.

38 Sectariorum autem obiectiones ita facile soluuntur. I. Illud ad Romanos 10. *Corde creditur ad iustitiam*, aut solum significat communem motionem voluntatis ad omnem actum fidei necessarium, ex dictis dubio præced. aut si charitatis affectum significat, sensus est, fidem non iustificare, nisi viuam & charitati iunctam.

II. Recte dicitur 1. ad Timoth. 5. *Qui suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Quia licet talis corde credat, & ore confiteatur fidem, factis tamen negat, iuxta Tit. 1. vers. 16. eo peior infidelibus quo intelligentior fide.

III. Neque etiam obstat illud 1. Ioannis 2. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est.* Id enim, vt recte notarunt Beda & Oecumenius, intelligendum est non de fidei, sed cuiusdam familiaritatis & amicitiæ notitia, qua etiam impios nescire Deus dicitur, Matthæi 7. & 25. Alioquin nec fides, quam Sectarij historicã vocant sine charitate esse posset. Et quomodo fides esse non potest, sine mandatorum obseruatione, quam Aduersarij nec possibilem quidem esse docent?

IV. Iacobi 2. Fides peccatoris comparatur 39
fidei dæmonum: sed non omni ex parte; nam hoc ipso, quod similis est, non plane eadem, sed aliquo modo diuersa est. Conueniunt ergo, quod & vtraque est de eodem obiecto materiali, saltem inadæquato; & quod vtraque infructuosa est: sed discrepant, quod illa vera fides supernaturalis, & Christiana est; hæc non est, quia in inferno nullus gratiæ supernaturali locus est.

V. Abacuc 2. Rom. 3. & 5. 1. Ioannis 5. & ali- 40
bi passim, fidei tribuitur vis iustificandi. Sed sermo est, aut de fide formata, quæ per charitatem operatur, iuxta Apostolum Galat. 5. v. 6. aut de causa inadæquatæ iustitiæ, & totius ædificij spiritualis, ac *humanæ salutis initio, fundamento, & radice omnis iustificationis*, iuxta Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 8. De qua re plura tomo 2. disp. 6. q. 4. dub. 3.

VI. SS. Patres aliquando fidem per peccatum deficere dicunt. Sed loquuntur aut de fide viua, & per charitatem perfecta, aut de quodam eius defectu non secundum substantiam, sed secundum operationem & effectum.

Assertio VIII. Imo verius est, fidem adul- 41
tis sine gratia & charitate infundi quoque, & in ijs augeri posse. Ita expresse docet S. Thomas q. 6. a. 2. ad 3. Caietanus, Bannes ibidem, Gregorius de Valentia q. 6. punct. 2. & si contrarium dixerint Scotus in 3. d. 36. q. 1. a. 4. Durandus 3. d. 23. q. 6. Vega in Concil. Trident. lib. 7. cap. 28. & fere Sotus lib. 3. de grat. cap. 3. qui solum in baptismi Sacramento, ab adultis ita augeri posse concedit, non extra. Probatur; tum quia poni potest sufficiens dispositio ad fidem, eiusque augmentum, ante charitatem: nempe ipse actus fidei. Tum quia fides, semel acquisita, conseruari potest sine charitate; quid ni & acquiri, & augeri, non quidem efficienter producendo, aut per meritum de condigno acquirendo augmentum fidei, sed vel per modum meriti de congruo, vt docet Valentia quæst. 5. p. 4. vel potius per modum dispositionis; qua ratione per actum fidei etiam primum acquiritur fides, vt dictum est tomo 2. disput. 6. quæst. 4.

Nec obstat primo Concilium Tridentinum 42
sess. 6. cap. 7. asserens, hæc omnia simul infundi, fidem, spem, charitatem: quo modo loquitur etiam S. Thomas 1. 2. q. 62. art. 4. Nam vocula *simul*, iuxta omnes, non potest vniuersim denotare idem infusionis instans; cum peccator fidelis, amissa charitate, in iustificatione solam charitatem infusam accipiat. Solum ergo significat, vel eorum habituum in iustificatione necessariam coniunctionem; aut certe sermo directe solum est de infideli; qui primum iustificatur, ac saltem eodem tempore omnia hæc accipit. Nec secundo obstat, quod in statu peccati mortalis, ex veriori, non acquiruntur

cæteri habitus virtutum moralium infusarum: quia verius est, nec actus quidem earum elici sine charitate, vel dispositione ad illam: præterquam quod aliunde constat, virtutes morales infusas à charitate nunquam separari, vt alibi dictum tom. 2. disp. 3. q. 5. dub. 2.

43 Assertio IX. Fides tamen charitatis accessione extrinsece perficitur; ita vt proinde charitas sit quasi forma quædam fidei. Ita ex communi Sanctus Thomas hic quæst. 4. art. 3. vbi absolute asserit, charitatem *dici formam fidei*. Quod tamen ipsemet satis explicat, non ita accipiendum, quasi charitas sit proprie dicta & intrinseca quædam fidei forma, seu essentialis, vt est anima respectu corporis; seu accidentalis, vt est albedo respectu parietis: sed quia sane aliquo modo, instar formæ, perficit & exornat actum fidei; tum conferendo illi nouã speciem accidentalem, eo modo, quo finis extrinsecus actui cõfert nouam speciem, ex doctrina eiusdem 1. 2. q. 18. a. 7. tum conferendo illi nouam vim & dignitatem moralem, hoc est, ratione meriti, cum alioqui actus fidei sine charitate meritorius non sit, iuxta dicta tom. 2. disp. 6. q. 6. dub. 2. & 4. Atque eodem modo charitas etiam aliarum virtutum forma dicitur infra q. 23. a. 8.

Et ex dictis vtraque hac, & 7. assertione, sumitur illa distinctio *fidei informis, & formatæ*; itemq; *mortuæ & viuæ*; quæ eundem fidei habitum, sed iuxta diuersum statum significant vt dictum.

44 Assertio X. Fides inter omnes virtutes supernaturales ordine naturæ est prima. Ita S. Thomas hic q. 4. a. 7. & Caietanus ibidem, ex communi. Probatur tum ex illo Hebr. 11. v. 1. vbi propterea fides dicitur *substãtia* seu fundamentum *rerum sperandarum*. Tum quia virtutes Theologicæ, cum circa ipsum finem versentur, natura priores sunt moralibus infusis; & in Theologicis illa cæteris natura prior est, quæ cum in intellectu sita sit, suum reliquis obiectum ostendit ac proponit. Alius est ordo dignitatis, & temporis. Sicut enim sæpe, saltem infantibus, simul infunduntur, iuxta Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. ita sine controuersia charitas præcellit fidei, iuxta Apostolum 1. Corinth. 13. v. 3. De qua re plura diximus tomo 2. disputat. 3. quæst. 5. dub. 2. & 3. cum Sancto Thoma 1. 2. quæst. 62. artic. 4.

DVBIVM III.

An, & qua ratione fides certitudine tum scientias naturales, tum alias virtutes & habitus intellectuales superet.

S. Thoma 2. 2. q. 4. a. 8.

SPectat hoc dubium ad vnum quoddam cæteris illustrius fidei attributum, eius nempe certitudinem cognoscendam.

45 Respondet vero S. Thomas cit. a. 8. fidem simpliciter, & ex parte causæ, seu rationis formalis, qua nititur, esse certiorem scientia, & omnibus habitibus naturalibus intellectus; secundũ quid autem, & ex parte subiecti, siue quoad nos, minus certam.

Verum vt res hæc tota, qua de varie loquuntur Theologi, recte intelligatur, supponendum est ex cõmuni doctrina Philosophorum, & Theologorum, quam etiam supponit S. Thomas ibidem, certitudinem actus vel habitus duplicem esse, vnam obiectiuam, seu vt vocant, obiecti, seu quod idem est, ex parte obiecti; sic dictam, non quod in obiecto dumtaxat, nõ autem in ipso subiecto, seu intellectu, actuue illius insit, vt male Durand⁹ infra citandus S. Thomam interpretatus censuit; sed quia actui cum obiecto quodam modo cõmunis est, & primario seu originaliter ex ipso obiecto prouenit, ac reipsa nihil aliud est, quã infallibilis veritas: vnde etiam dici potest & solet *certitudo infallibilitatis*, vndecunq; tandẽ ipsa oriatur.

Altera certitudo vocari solet subiectiua, siue subiecti, aut ex parte subiecti, quę videlicet subiecto ipsiq; assensui propria est, nec cõmunis obiecto, etiamsi interim fortasse oriatur etiam ex conditione obiecti: quo modo iuxta cõmunem & receptum nunc inter Philosophos & Theologos loquendi modum, nihil est aliud, quam firma & cõstans adhæsio intellectus, excludens omnem dubitationem, saltem deliberatam. Vnde etiam à Bonauentura, Durando, Alberto, & alijs in 3. dist. 23. vocatur *certitudo adhæsionis*: quæ quidem si obiecto cõmensurata sit, censenda est vera certitudo, vt docet S. Thomas in 3. dist. 23. q. 2. a. 2. & dist. 26. q. 2. a. 4. Sin autem præter dignitatem obiecti, temere concepta sit, tunc potius dicenda est pertinacia, ex cæcitate, aut duritia cordis orta, vel vt loquitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 9. *Vana & temeraria fiducia, seu credulitas.* Oritur quidem ea potissimum ex penetratione seu euidentia obiecti, iuxta S. Thomam hic cit. a. 8. sed non solum, vt sequentibus assertionibus declaramus. 46

Assertio I. Tam actus, quam habitus fidei, certitudine quidẽ infallibilitatis, seu ex parte obiecti, superat omnes omnino actus & habitus naturales, quãtumuis certos & euidẽtes. Ita S. Thomas hic q. 4 a. 8. Caietan⁹, Bañes, Arragonius ibidẽ, Gregorius de Valentia q. 4. pun. 8. ex cõmuni Doctorũ in 3. dist. 23. contra Abailardũ, asserentẽ fidei assensionem esse incertã opinionẽ; quẽ luculenter refutat S. Bernardus epist. 190. & partim etiam contra Scotum in 3. dist. 23. q. vn. vbi significat, fidem infusam, non magis quam acquisitam, per se ac ex natura habitus inclinare in verum tantum; cum, vt ait, *decipi & non decipi, non sit à parte habitus, nec à parte assensus, quem facit, sed à parte obiecti, secundum quod obiectum verè seu falsè præsentatur habitui.* 47

Quæ doctrina satis refellitur tum ex dictis q. 1. dub. 5. vbi ex instituto probauimus, fidei nõ posse subesse falsum; tum ex cõmuni & recepta doctrina Aristotelis 6. Ethic. 3. vbi docet, virtutibus intellectualibus, qualem etiam esse fidem diuinã dictum est dubio præced. semper verum dici, ita vt ex natura sua circa vera tantum obiecta 48

versen-

versentur, adeoque vt ad assensum veri tantum obiecti, nõ falsi inclinent: quod etiam ex instituto docuimus tom. 2. disp. 3. q. 2. dub. 2. Secus est de opinione, aut fide humana, quæ non sunt virtutes, vt ibidem diximus, & recte notauit Caietanus q. 4 a. 5.

49 Ratio assertionis est. Quia omnis infallibilitas actuum & habituum naturalium nititur ratione & lumine naturali: fidei autem infallibilitas nititur auctoritate diuina; idque dupliciter, quatenus videlicet & ex parte obiecti nititur diuina reuelatione, & ex parte subiecti lumine supernaturali fidei diuinitus indito; ex quo vtroque capite accidit, vt habitu vel assensu fidei falli nullo modo possimus, vt fusius dictum q. 1. dub. 5.

Neq; dicas, etiam fidei assensum niti illo principio naturaliter no o, Quodlibet est aut non est; Item, de quolibet verum est affirmare aut negare. Fides enim nullo eiusmodi principio naturali per se nititur, vt dictum est q. 1. du. 3. & q. 5. dub. vlt. Quamuis interim, prout hoc principiũ in ipsis etiam fidei veritatibus includitur, fide quoque credatur. Eadem enim fide, qua credimus Deum esse, etiam negamus, Deum non esse.

50 Assertio II Certitudine adhæsionis seu ex parte subiecti fides quidem secundum quid inferior est habitibus & actibus naturalibus euidentibus, puta scientiæ, sapientiæ, intellectus; non tamen simpliciter. Primam partẽ tradit S. Thomas hic q. 4. a. 8. ex communi: idemque volunt Albertus in 3. dist. 23. a. 17. & Bonauentura eadem dist. a. 1. q. 4. quando dicunt, fidem certitudine speculationis seu cognitionis vinci ab eiusmodi actibus. In quem fere sensum etiam Hugo Victorinus l. 1. de Sacramentis part. 10. c. 1. ait, *fidem esse certitudinem animi de rebus absentibus, supra opinionem, & infra scientiam constitutam.*

Ratio est; quia eiusmodi assensus naturalium habituum, hoc ipso quod euidens est, aliqua ratione immobilior & firmior est; siquidem stante apprehensione terminorum vel principiorum, nulla ratione abijci vel in dubium vocari potest; cum tamen fides simpliciter abijci possit, etiam stante motiuorũ apprehensione, ob ineuidentiã.

51 Secundam assertionis partem tradunt Albertus & Bonauentura locis citat. & consentit Gregorius de Valentia q. 4. pun. 8. & indicat S. Thomas art. 8. ad 2. cum ait; *hominem per fidem multo certiorem reddi de eo, quod audit à Deo, quam de eo, quod videt propria ratione per alios habitus.* Ratio est: quia vt recte Bonauentura loc. citat. notat, *vera fides magis* (aliqua ratione) *facit adhærere ipsum credentem veritati creditæ, quam aliqua scientia alicui rei scitæ.*

Quod probatur primo, tum exemplo tot Martyrum, qui pro fide etiam mortem oppetierunt; tum experimento omnium vere credentium, qui mallent omnem scientiam potius perdere vel negare, quam vel vnum articulum fidei. Secundo iuxta rectam rationem agendo, quisque tenetur adeo firmiter fidei assentiri, vt certo & efficaciter statuere debeat, vbi opus est, potius millies mori, & omnia naturaliter scita negare, quam vllo modo fidem abijcere; cum tamen ex aduerso stultus foret, qui pro vna veritate mere naturali, secundum se spectata, mori vellet, iuxta Bonauenturam ibidem. Tertio. Fidei habitus, quamdiu quidem in intellectu manet, minus finit dubitare aut dissentire, quam vllus habitus euidens naturalis, qui vnica tantum dubitatione aut dissensu quamtumuis deliberato non statim totus perditur. 52

Oritur autem hæc firmitas assensus fidei, tum ex ratione assentiendi, quæ certissima est; tum ex motione voluntatis, accedente lumine fidei. Vnde rursum sumitur alia ratio; quia lumen supernaturale fidei, quanto natura sua excellentius est, tanto etiam efficacius est ad intellectum persuadendum. De qua re dictum etiam nonnihil supra quæst. 2. dub. 1.

Assertio III. Assensus fidei, etiam vt in nobis est, simpliciter & absolute certior est quibusuis actibus naturaliter certis vel euidentibus. Ita S. Thomas hic q. 4. art. 8. vbi ait: *Multo magis homo sit certior de eo quod audit à Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quæ falli potest.* Idem docent Caietanus, Bannes, Arragonius ibidem, Albertus, Bonauentura, Richardus, Gabriel cit. dist. 23. & omnes Theologi, excepto Durando eadem dist. q. 7. qui temere & periculose ausus est dicere, quasdã naturales scientias simpliciter certiores esse fidei actu, vel habitu. 53

Probatur assertio primo ex scriptura 1. Ioañis 5. v. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum,* (adeoque omnia mundana) *fides nostra.* Et 2. Cor. 10. v. 4. de fidei robore ac viribus dicitur: *Arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi.* Quibus verbis significatur, nullã scientiam adeo claram & apertam esse posse, quã parati esse non debeamus, pro tuenda fide negare, si quoquo modo fidei repugnaret. Quod ex parte reipsa etiam nunc accidit. Sunt enim quædam principia, quæ etiam in sensu falso, fideique repugnante, à Philosophis olim existimabantur euidentia, & tamen iam à nobis, cum ea quidem vniuersalitate, rectissime negantur, vt accidit in mysterio Trinitatis, circa illud, Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

Secundo idem asserunt SS. Patres. Basilius in psalmum 115. *Fides supra rationales methodos ad assensum trahens.* Chrysostomus homil. 31. in epist. ad Heb. *Nec fides,* inquit, *dici potest, nisi circa ea, quæ non videntur, amplius quam circa ea quæ videntur, satisfactionem quisque habuerit.* Augustinus lib. 7. confession. cap. 10. *Facilius dubiterem viuere me, quam non esse veritatem* (etiam supernaturaliter inspiratam) *quæ per ea, quæ facta sunt intellecta conspicitur.* Et Richardus de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate cap. 2. *Quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius tenemus, quam quod fide credimus.* 54

Tertiò accedit ratio. Quia certitudine obiecti seu infallibilitatis simpliciter certior est fides omni scientia seu cognitione naturali, ex dictis 55

assert. 1. Certitudine autem subiecti seu adhæsionis, quæ certitudine obiecti inferior est, & per se sola nec digna quidem certitudinis nomine, est quidem inferior secundum quid, sed non simpliciter, ex assert. 2.

56 Assertio IV. Fides quidem ratione manifestationis seu claritatis cedit supernaturalibus actibus intellectus & scientiæ, prout sunt dona Spiritus Sancti; attamen ratione certitudinis quoad nos, adeoque ratione adhæsionis ex ipsa notitia infallibilitatis, seu non errandi securitate ortæ, ijsdem antecedit. Ita Sanctus Thomas cit. articulo 8. ad 3. vbi ait: *Perfectio intellectus & scientiæ* (etiam inquantum sunt dona Spiritus Sancti) *excedit cognitionem fidei, quantum ad maiorem manifestationem, non tamen quantum ad certiorem inhæsionem.*

Et mox rationem adiungit; quia eiusmodi certitudo donorum, non quidem secundū se (cum hæc immediate etiam nitantur auctoritate Dei testantis, & quidem aliquo clariori modo, quam per fidem) sed quoad nos aliquo modo nititur fide, tanquam principio: Ergo sicut certitudo principiorum superat certitudinem conclusionis, ita supradicta certitudo fidei superat certitudinem donorum. Antecedens probatur; quia omnes eiusmodi extraordinariæ reuelationes seu illuminationes Spiritus Sancti ad fidei regulam examinantur, iuxta illud *Probate Spiritus, si ex Deo sunt* 1. Ioannis 4. vers. 1. Et facile fieri potest, vt quod nobis quidem manifestius est, minus tamen sit certum, ex dictis.

57 Assertio V. Certitudo visionis beatificæ, vti etiam scientiæ per se infusæ, simpliciter maior est certitudine fidei. Hæc assertio est extra controuersiam. Ratio est. Quia vtraque hæc notitia certitudine quidem obiecti par est, aut forte etiam maior quodammodo ipsa fide; cum sicut ista nititur diuina veritate in dicendo, sic visio beatifica nitatur diuina veritate in essendo. Certitudine autem subiecti, cum vtraque illa scientia supernaturalis sit, & euidens, fidem simpliciter superat. Neque dicas, certitudinem vnam maiorem esse non posse altera. Non enim in mera priuatione, sed in positiua quadam actus perfectione consistit, etsi per priuationem explicetur, certitudo quidem obiecti per negationem falsitatis, subiecti autem per negationem formidinis.

58 Assertio VI. Nunquam proinde absolute dicendum est; hæreticum certius, aut etiam æque certo adhærere suis erroribus, ac Catholici adhærent per fidem veræ & Catholicæ fidei veritatibus, etiam addendo limitationem, certitudine subiecti. Ita recte docet Bannes hic q. 4. a. 8. & colligitur ex dictis; etsi non pauci aliter sint locuti; in quibus Sotus lib. 3. de nat. & gratia cap. 10. ait, *hæreticos omnes suorum errorum, quos catholicas existimant veritates, tantam habere certitudinem* (ex parte subiecti) *quam nos articulorum fidei.* Et ibidem dicit, *hoc non esse dubium, & de hoc dubitare, esse puerilem errorem.*

Similiter Molina 1. part. q. 1. a. 5. docet, eiusmodi certitudine, quæ se tenet ex parte subiecti, *posse hæreticum adhærere interdū certius*, id est firmius, *errori, quam Catholicus adhæreat veritati; & proteruum quemuis posse firmius adhærere rei in se dubiæ, quam cordatus & prudens rei certæ.* Quin etiam ipse Bannes 1. part. q. 1. a. 5. ait; *hoc pacto aliquos hæreticos firmius adhærere suis erroribus, quam alij suis veritatibus.* Eodem modo loquuntur Medina 1. 2 q. 109. a 2. dub. vlt. & Vega lib. 16. in Tridentinum cap. 13.

Sed vt dixi, absolute ita loquendū non est. Quia 59
sola adhæsio intellectus, quamtumuis firma, sine respectu ad obiectum debito modo proportionatum, non est proprie certitudo, nec digna nomine certitudinis, etiam addendo ex parte subiecti, sed potius pertinacia seu vana credulitas, vt initio ex S. Thoma & Concilio Tridentino notauimus: Ergo cum alioqui modus ille loquēdi non admodum bene sonet, nec modo loquendi veterum Doctorum satis sit consentaneus, ab eo abstinendum est; cum interim res ipsa alijs verbis multo commodius explicari possit, dicendo nimirum, quantâ constantia & certitudine per fidem Catholicus veritati adhæret, tantâ obstinatione & pertinacia hæreticos adhærere posse & solere falsitati. Plura de hac re in simili diximus tom. 1. disp. 1. quæst. 4. dub. 4. vbi de Theologiæ certitudine certitudini fidei subordinata egimus.

DVBIVM IV.

De subiecto remoto fidei; speciatim an in primo statu innocentiæ, tum Angeli, tum homines; an etiam Christus, Propheta, Apostoli, & cæteri iusti fidem, & quidem æqualem habuerint; itemq; an siue in Beatis, siue in dæmonibus, aut hæreticis, nunc reipsa fides existat.

S. Thomas 2. 2. q. 5. aa. 4.

TAmetsi quidem hæc dubitatio, vti etiam 60
præcedens, communis fere sit ipsis etiam fidei actibus, præcipue tamen ad habitum fidei pertinet; ad quam iuxta varietatem quæsitorum in dubitatione propositorum, sequentibus assertionibus respondemus; agendo 1. de Angelis & hominibus in statu primæ cōditionis. 2. de Christo & Beatis. 3. de dæmonibus ac damnatis. 4. de viatoribus ac iustis. 5. de hæreticis, seu errantibus in fide. 6. de æqualitate vel inæqualitate fidei, in eodem vel diuersis subiectis.

Assertio I. Tam Angelus, quam homo, in prima sui conditione habuerunt fidem. Ita S. Thomas cit. q. 5. a. 1. Caietanus, Bannes, Arragonius ibidem, Gregorius de Valentia q. 5. pun. 1. itemq; Carthusianus, alijq; Scholastici cōmuniter in 3. distinct. 23. Zumel 1. par. q. 62. art. 3. &

Vasquez 1. par. tomo 2. disput. 135. cap. 3. & 3. part. tomo 1. disp. 53. cap. 1. omnesque recentiores.

Probatur assertio primo ex illo Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*: Angelus vero & homo, in prima sui creatione, erant in statu accedendi ad Deum, vtpote proprie viatores & necdũ beati, vt omnes fatentur: Ergo &c. Secundo, Angelus & homo in eo statu habuerunt gratiam, & quidem necdum consummatam per gloriam: sed talis esse non potest sine fide. Ergo &c. Maiorem supponit S. Thomas ex 1. par. q. 62. art. 1. & q. 9. art. 1. estque *dogma Catholicum*, vt recte notauit Bannes hic q. 5. art. 1. etsi quod simul statim cum natura gratiam acceperint, non sit adeo certum, vt videre est apud Sotum lib. 1. de natura. & grat. ca. 5. & dictum à nobis tom. 1. disp. 5. q. 6. dub. 1. Minor probatur ex illo Abacuc 2. vers. 4. & Rom. 1. v. 17. *Iustus ex fide, vivit.* Et Hebr. 11. vers. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Cum hoc tamen non pugnat, quo minus & Angeli, & homo in primo statu creationis, quædam manifesta & euidenti cognitione cognouerint, quæ iam à nobis non nisi per fidem cognoscuntur, vt añotat S. Thomas hic cit. q. 5. a. 1. etsi quænam illa sint obiecta, non explicet: ego de veritatibus quibusdam naturalibus Deum præcipue concernentibus intelligo.

62 Ex quibus refelluntur illi, qui contra hanc communem & certam Theologorum sententiam docuerunt olim, Angelum in statu viæ, & hominem in statu innocentiæ, non habuisse fidem. Ita sensisse videntur Hugo Victorinus libro 1. de Sacramentis par. 5. capit. 14. & par. 6. capit. 14. Magister in 2. distinct. 23. Alensis in summa de virtutibus collat. 35. articulo 2. & Gandauensis quodlib. 7. q. 14. Sed qui tamen fortassis explicari possunt de cognitione quidem aliqua clariori & perfectiori, sed intra latitudinem fidei, vt notauit Arragonius hic q. 5. a. 1. & ex parte S. Thomas ibidem ad 1. qui eandem quoq; sententiam, tacito auctorum nomine refert & refellit. In quam tamen sententiam, quoad Angelos, propendet etiam Durandus in 3. distinctio. 23. quæst. 9.

63 Fundamentum huius sententiæ, quo simul etiam posita assertio impugnatur, est; quia formale obiectũ Quo fidei, est reuelatio obscura, non clara ex dictis q. 1. dub. 3. at vero, quicquid sit de homine, recte tamen Angeli in illo statu habuerunt reuelationem euidentẽ, non autem obscuram; qua de causa etiam omnia obiecta fidei illis erant euidentia in attestante: Ergo &c. Minor probatur. Quia Angelus supremus, de quo est præcipua difficultas, euidenter cognouit & sensit, se habere reuelationem quandam de obiectis fidei; & partim quia supremus erat, partim quia euidenter cognoscebat omnia naturalia, euidenter simul etiam cognouit, eam sibi impressam non esse ab alia creatura: Ergo euidenter cognouit supernaturalem, & à Deo esse.

94 Accedit, quod omnes Angeli euidenter cognoscunt omnes suas perfectiones naturales: Ergo simul etiam euidenter cognoscere poterant, supernaturales esse actus & habitus gratiæ & virtutum, quos à DEO acceperant: quo ipso simul habebant euidentiam ipsius diuinæ reuelationis, positæ in eiusmodi motionibus præuenientis gratiæ, & infusione supernaturalium habituum. Neque absurdum est, Angelos, supposita reuelatione, aliquod ens supernaturale ipsis per modum actus secundi inhærens, saltem sub communi ratione, prout est à Deo solo producibile, & solum quoad quæstionem an est, euidenter & naturaliter potuisse cognoscere.

Ad hoc argumentum sane difficile, varie respondent Doctores. Caietanus & Arragonius hic q. 5. a. 4. itemq; Carthusianus, Zumel, Vasquez loc. cit. videntur negare maiorem, rati reuelationem euidentem solum in attestante posse esse formale obiectum Quo fidei; cuius tamen oppositum docuimus supra q. 1. dub. 3. 65

Secundo Bannes hic q. 5. art. 1. alijq; nonnulli recentiores negant minorem; rati nullam dari euidentiam in attestante rerum supernaturalium, nisi Deus ipse attestans clarè videatur; quod etiam fere tradit Vasquez 1. par. d. 195. Sed nec istud nobis probari potest; & oppositum non solum probatur adductis antea rationibus, sed etiam alijs pluribus, quæ ab exemplis Prophetarum & Apostolorum desumuntur, præcipue Moysis & S. Pauli, quibus Deus facie ad faciem, & supra communem vsum apparuisse & reuelatus fuisse dicitur; præsertim quia alias prophetia distingui non posset à fide, vt etiam quæstione 1. dub. 3. diximus.

Tertio Gregorius de Valentia hic quæstione 5. punct. 1. simul & priorem Bannis responsionem approbat, probabilius censens, etiam Apostolos non habuisse talem euidentiam in attestante, & aliam vt magis expeditam adiungit, Angelum videlicet etsi habuerit euidentiam in attestante, potuisse tamen nihilominus, & quidem vtiliter, actum fidei circa eadem obiecta elicere. Sed modum quo hoc fiat, non explicat.

Respondeo igitur, concessâ Maiore formaliter acceptâ, nempe reuelationem diuinam, quatenus eâ quidem fides nititur, non esse claram, sed obscuram; negando minorem eodem sensu formaliter acceptâ; quasi videlicet reuelatio Angelis facta, quatenus eâ quidem fides nitebatur, fuerit clara & euidens in attestante. 66

Id vero duobus modis declaratur. Primo vt Angelus quidem nullam reuelationem à Deo habuerit, nisi reipsa clare cognitam, modisq; ac medijs euidentibus propositam & intimatam; potuerit tamen nihilominꝰ elicere fidei assensum, qui immediate eiusmodi claritate non niteretur, sed precise ipsa reuelatione diuina secundum se: etsi interim claritas illa per modum quasi motiui, fidem credibilem faceret, adeoque ex parte propositionis iuuaret ad credendum.

Quod fieri posse facile intelliget ille, qui iuxta doctrinam q. 1. dub. 3. & q. 2. dub. 1. traditam meminerit, reuelationẽ Angelo factam vt sic formaliter distinctam esse à propositione eiusdem

reuelationis. Illa enim formaliter nihil aliud est, quam assertio seu testificatio quædam exterior diuina, abstrahendo à modo & medio, quo eadem Angelo innotescit. Propositio vero comprehendit modum & media, quibus ipsa Angelo notificatur. Illâ igitur fides diuina nititur; hac assensus fidei secundum se non nititur, sed ipsa dumtaxat fidei credibilitas. Illa semper vt sic formaliter obscura saltem negatiue, hoc est, non clare cognita esse debet; hac potest etiam ipsa reuelatio euidenter innotescere.

67 Et confirmatur hæc responsio, quam etiam tradidimus supra quæst. 1. dub. 3. quia euidentia ista in reuelante, erat naturalis in Angelo, ex dictis: Ergo hac supernaturalis fidei assensus secundum se niti non potuit; quia impossibile est, vt ratio formalis obiectiua, seu obiectum formale Quo, habitus seu actus intrinsece supernaturalis, sit naturalis, vt sæpius dictum.

Quo argumento generatim probatur, nullum penitus actum supernaturalem in Angelis niti potuisse eâ euidentia, tanquam ratione formali obiectiua: & quia tamen nihilominus negari non potest, eos habuisse aliquem assensum supernaturalem circa obiecta ita sibi reuelata, plane fatendum est, eum assensum non potuisse alium esse, quam fidei; vtpote quæ sola nititur reuelatione formaliter non euidenti.

68 Alter modus rem eandem declarandi est, si dicamus, reuelationem Angelis factam, diuerso respectu, fuisse claram simul & obscuram, secundum diuersa media; ita scilicet vt quibusdam euidentibus, & simul alijs non euidentibus medijs notificaretur. Quod ita explico. Sicut enim Petrus loquens duobus modis alteri innotescere potest, primo ipsa conditione, tractu, & tenore vocis seu pronuntiationis, qua quidem ratione loquens plerumque non nisi probabiliter innotescit: deinde etiam ex ipsius Petri personali repræsentatione, qua se alteri palam spectandum exhibet: ita secundum proportionem, circa reuelationem diuinam Angelis factam, distinguere possumus duplicem modum, quo ea Angelo innotuerit, vnum scilicet obscurum ex proprijs quibusdam conditionibus diuinæ reuelationis ortum, quo satis quidem credibiliter, non tamen euidenter Deus loquens innotesceret; alterum, quo Deus Angelo, non quidem secundum essentiam clare repræsentaretur, sed in ratione tamen reuelantis, ab eo clare & euidenter agnosceretur. Et ex his duobus reuelandi modis priori dumtaxat nitebatur assensus Angelorum; cum posteriori, si quidem medium præstans euidentiã reuelantis esset supernaturale, niteretur assensus propheticus, vel alius quispiam fide quidem superior, sed visione beatifica inferior.

69 Assertio II. In Christo etiam viatore, alijsque beatis non fuit, nec est fides, siue quoad actum, siue quoad habitum. Ita S. Thomas supra q. 1. a. 4. & in 1. 2. q. 67. a. 5. & 3. part. q. 7. a. 3. & cõmunis Doctorũ in 3. dist. 23. & 26. cum Augustino l. 14 de Trinitate, & l. 1. de doctr. Christ. c. 37. qui generatim docent, in beatis fidem non esse, quicquid in contrarium dixerit Gerson tract. de vita spirit. cui sententiæ fauet etiam Durandus cit. dist. 23.

Probatur assertio ex scriptura 1. Cor. 13. v. 10. *Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*; tam fidei scilicet, quam prophetiæ obscura cognitio. Et ibidem v. 8. *Charitas nunquam excidit; siue prophetiæ euacuabuntur; siue linguæ cessabunt; siue scientia* (obscura huius vitæ) *destruetur*. Et idem v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Et v. 13. *Nunc autem* (hoc scilicet vitæ mortalis tempore coniuncta) *manent fides, spes, charitas, tria hæc*. Et 2. Corinth. 5. v. 7. *Per fidem ambulamus, & non per speciem*; vbi opponitur visioni fides.

Ratio assertionis est. Licet enim visio beatifica seu lumen gloriæ, non habeat formalem ac physicam repugnantiam cum fidei habitu, vt recte notarunt Scotus, Durandus, & Gabriel, quidquid nonnulli cum Capreolo in contrarium dixerint, habet tamen certe moralem quandam repugnantiã cum actu fidei; qua fit vt conuenienter obscuro fidei assensu credere non possit, qui tam claro & excellenti lumine aliquid videt. 70

Accedit quod ipsamet imperfectio actus & habitus fidei statum beatificum non decet, vt pluribus dictum supra q. 1. dub. 6. Ex quibus sequitur, nec in Christo quidem fuisse fidem, quandoquidem & ipse ab instanti Incarnationis beatus fuit, vt particulatim docet Sanctus Thomas 3. part. q. 7. a. 3.

Nec obstat primo, quod Beatis quædam reuelantur, quæ in Verbo non vident. Nam & istorũ habent euidentiam supernaturalem saltem in reuelante; nec aliunde conueniens est, vt simul etiam per obscuram fidem eadem credant; quamuis retineant piam affectionem credendi conditionatam, & saltem à charitate imperatam; vellẽ credere, si res postularet, vel admitteret, &c. 71

Nec obstat secundo, quod Irenæus lib. 2. cap. 47. & lib. 4. cap. 25. & Tertullianus lib. de patientia circa finem asserunt, iuxta Apostolum cit. 1. Cor. 13. fidem, spem, & charitatẽ in cœlis permansuras. Hoc enim & verbis Apostoli, & cõmuni cæterorũ Patrũ explicationi aduersatur, vt dictum, nisi quis putet, eos solum loquutos de fide secundum communem quandam rationem, desumptam ex eodem obiecto materiali, vt notauit Gregorius de Valentia hic q. 5. pun. 2. &c. 72

Assertio III. Sed nec in dæmonibus, aut cæteris damnatis, est ver9 & supernaturalis fidei habitus, vel actus. Ita S. Thomas hic q. 5. a. 2. vbi quidem solum de dæmonibus loquitur, sed eadẽ est ratio omnium damnatorum. Quod ita etiam docent Bannes & Arragonius ibidem, & Gregorius de Valentia q. 5. pun. 2. ex cõmuni Doctorum in 3. dist. 23. Nec obstat, quod idem S. Thomas infra q. 18. a. 2. ad 3. dicit, *damnatos magis posse habere fidẽ, quam spem*. Sensus enim est, statui damnatorum non tam repugnare fidem, quam spem; licet vtraque repugnet; spes enim plane tolleret rationem & statum damnationis, non ita fides. 73

Ratio

Ratio assertionis est. Tum quia fides ex sua natura, tanquam fundamentum salutis, ordinatur ad cœlestem beatitudinem: Ergo non decet in ijs permanere, qui ex natura status omni spe eiusdem beatitudinis plane exciderunt. Tum quia & fidei habitus intrinsece donum DEI supernaturale est, ex dictis; & actus eiusdem non elicitur, nisi interueniente, tam ex parte Dei, auxilio actualis gratiæ, quam ex parte credentis pia motione voluntatis; ex quibus neutrum damnatis competit, vtpote omnis doni & ornamenti supernaturalis expertibus.

74 Nihilominus Durandus in 3. distinctione 23. quæstione 9. contrarium opinatus docet, fidem infusam manere tum in cæteris damnatis, tum etiam in dæmonibus, posito quod isti fidem aliquando habuerint ante lapsum: quam sententiam etiam Gregorius de Valentia hic q. 5. pun. 2. iudicat probabilem, neque à SS. Patrum, aut scripturę doctrina alienam. Ratio sumitur, tum ex Iacobi 2. fidem dæmonum cum fide peccatorum comparantis. Tum quia damnati nihil admiserunt contrarium fidei ante statum damnationis habitæ. Tum quia alias inter damnatos non distinguerentur fideles ab infidelibus.

75 Sed est sententia falsa, & contra communem, ex dictis. Ad primum patet ex dictis supra dub. 2. assert. 7. Ad 2. respondetur ipsum statum pugnare cum actu vel habitu fidei, vt dictum. Ad 3. respondetur, fideles satis distingui à cæteris, siue charactere baptismali, iuxta Caietanum hic, siue potius ipsius fidei acquisita ad plura obiecta extensione, iuxta Valentiam.

76 Assertio IV. Est tamen in dæmonibus, alijsque damnatis, fides aliqua acquisita & naturalis, ipsâmet euidentia credibilitatis formaliter & immediate nixa. Ita S. Thomas, alijque citati ibidem q. 5. art. 2. ex communi omnium. Et est de fide ex scriptura Lucæ 16. v. 24. vbi diues epulo, non sine fide quadam acquisita, tum Abrahæ opem implorat, tum fratribus suis ab eadē inferni pœna timet. Et aperte Iacobi 2. v. 19. *Tu credis quoniam vnus est DEVS; bene facis: & dæmones credunt & contremiscunt*: quod tamen ex verbis antecedentibus de assensu & notitia euidenti ipsius existentiæ DEI accipi possit.

77 Ratio assertionis est. Quia omnes damnati partim ex manifesta vaticiniorum, quorum memoriam retinent, impletione; partim ex ipso genere supplicij naturæ ordinem transcendentis; partim ex eo quod nonnulli, vi iudicij saltem particularis, ac per remorsum conscientiæ intelligunt, se ob infidelitatem damnatos; partim etiam ob cætera motiua fidei multo iam melius perspecta plurimarum veritatum fidei summam habent euidentiam credibilitatis, si non etiam euidentiam naturalem, aliquarum rerum fidei in attestante. Dæmones quidem certe euidentem retinent memoriam habitæ semel euidentiæ in attestante, propter quam nullo modo possunt dissentire ijs veritatibus fidei, de quibus talem olim euidentiam habuerunt.

78 Assertio V. Omnes autem puri Viatores huius vitæ sunt capaces fidei, sed & B. Virgo, Prophetæ, & Apostoli; omnesque iusti in hac vita re ipsa fidem habuerunt, & habent: quam & animæ purgatorij retinent. Supponit Sanctus Thomas hic quæstione 5. articulo 2. alijque Commentatores ibidem, consentiunt cæteri Doctores in 3. distinctio. 23. nisi quod Durandus ibidem quæstione 9. num. 12. vniuersim negat in ijs qui immediatam & euidentem à Deo testificante reuelationem acceperunt, fuisse proprie dictam. Ratio primæ partis de Viatoribus huius vitæ est, quia omnes capaces sunt diuinæ gratiæ & æternę salutis, quę sine fide nulli contingit, iuxta illud Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad Deum.*

Secunda pars de iustis omnibus huius vitæ patet, tum ex eodem Apostoli testimonio, ex quo colligitur, sine fide iustitiam in hac vita non consistere, tum ex toto contextu Apostoli eodem cap. 11. ad Heb. vbi à primo Abel iusto quasi ad vltimum probat, & ostendit, eos per fidem placuisse Deo, speciatim vero Abraham, Isaac, Iacob, Moysen, Dauidem, Samuelem, aliosq; Patriarchas & Prophetas fidem habuisse, ac per eam salutem obtinuisse: eademq; imo maior est Beatæ Virginis, & Apostolorum ratio; de quibus omnibus generatim dici potest illud eiusdem Apostoli vers. 39. *Hi omnes testimonio fidei probati sunt.*

Tertia pars probatur; quia animæ purgatorij & iustæ sunt, & claram Dei visionem necdum adeptæ: Ergo fide non carent. Accedit quod adhuc in via versantur ad beatitudinem consequendam, eamq; sperant & expectant; quæ spes fidem supponit. Denique nulla est causa, ob quam fidem, quam in hac vita habuerant, amiserint. 79

Nec obstat, quod B. Virgo Apostoli & Prophetæ, vt & animæ purgatorij habuerunt euidentiam rerum fidei in reuelante. Nam præterquam quod Prophetæ, & forsan etiam Apostoli, non de omnibus fidei veritatibus talem euidentiam habuerunt, facile fieri potuit, vt nō obstante eâ euidentia de ijsdem obiectis fidē habuerint; vno ex duobus modis explicatis circa assertionem primam de Angelis; præsertim vero modo posteriori, qui facilius propheticis eiusmodi reuelationib⁹ applicari potest. Deniq; abstrahendo à proprijs & particularibus reuelationibus ijdem omnes credere potuerunt ob cōmunem reuelationē aliunde Ecclesiæ factam, ex communibus fidei motiuis.

Assertio VI. Etsi qui per inaduertentiam, ac citra pertinaciam alicui veritati fidei dissentit, fidei supernaturalis habitum non perdat: hæreticus tamen, seu quiuis alius, pertinaciter vel vni tantum veritati fidei dissentiens, amittit habitum supernaturalis fidei. Ita S. Thomas hic quæst. 5. artic. 3. Caietanus, Bannes, Arragonius ibidem Gregorius de Valentia punct. 3. & cōmunis Doctorum in 3. dist. 23. contra Durandum ibidem q. 9. num. 8. temere sentientem, etiam hæreticos 80

quoad cætera obiecta retinere habitum fidei diuinæ. Ratio primæ partis est; quia ratio credendi in eo, qui citra pertinaciam alicui veritati fidei dissentit, respectu cæterorum obiectorum, adhuc viget & permanet; quę proinde non minus quam antea credere potest.

81 Secunda pars probatur primo ex scripturâ id satis aperte docente. Ideo enim 1. Tim. 1. vers. 19. de hæreticis dicitur, quod *repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander.* Item 2. Tim. 2. v. 18. de ijsdem dicitur; *Qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam: & subuerterunt quorundam fidem.* Et 2. Tim. 3. v. 8. *Ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem:* qui autem circa fidem reprobi sunt, nullam veram & diuinâ fidem habent.

Secundo idem probatur ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 15. vbi id aperte asseritur, his verbis: *Aduersus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti.* Etsi Valentia loc. cit. cum alijs putet, id ex instituto ibidem non definiri. Idem significant SS. Patres, dum idcirco asserunt, hæreticos extra Ecclesiam esse, vt dictum q. 3. dub. 2.

82 Tertio accedit ratio S. Thomæ. Quia *species cuiuslibet habitus*, inquit S. Thomas, *dependet ex formali ratione obiecti; qua sublatâ, species habitus remanere non potest. Formale autem obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima.* At vero in eo, qui pertinaciter errat in vno fidei articulo, non viget, nec vim habet ea ratio formalis obiecti fidem specificans. Tum quia talis non inhæret infallibili auctoritati Ecclesiæ, quæ secundum nos est regula certissima cognoscendi reuelationem diuinam. Tum quia eo ipso, quod semel dissentit diuinæ reuelationi sufficienter propositæ, facit eam, quantum in se est, fallibilem. Tum quia talis sibi obstruit viam, quo minus ob diuinam reuelationē fide indubitata quicquam omnino possit prudenter credere: quandoquidem aliquid, quod ipsi non minus, quam cætera, prudenter credibile redditum est, negat.

83 Alia ratio est: quia habitus fidei est habitus per se infusus, vt dictum dub. 2. tales autem habitus amittuntur etiam per vnum actum formaliter contrarium, vt patet in spe, & in charitate. Secus fit in habitibus acquisitis; qui vt per plures actus acquiruntur, ita non nisi per plures destruuntur, vt proinde sine ratione ab his ad illos argumentetur Durandus. An autē etiam vna cum fide amittatur habitus Theologiæ quod asserit Valentia loc. cit. diximus tomo 1. disp. 1. q. 4. dub. 1.

84 Assertio. VII. Hæretici tamen nihilominus habent ac retinent fidem acquisitā ac naturalem earum veritatum, quas non negant. Ita S. Thomas cit. art. 3. ex communi. Ratio est, Quia cum etiam fideles, præter veros ac supernaturales actus fidei, sæpe eliciant actus alios mere naturales fidei acquisitæ, de ijsdem obiectis materialibus; hinc fit, vt superueniente hæresi, maneat idem habitus naturalis fidei acquisitæ; non secus ac ipsæ species intelligibiles permanent: ex quo sequitur, vt ij nihilo fere minus habiles appareant ad credendum, quam fuerunt antea. Idem diximus de Theologia naturali & acquisita loc. cit. Ex quibus etiam refutata manent fundamenta Durandi.

Assertio IIX. Fides potest in vno maiore esse, quam in alio. Ita S. Thomas cit. q. 5. a 4. ex communi: & est assertio de fide certa ex scriptura Matthæi 8. v. 10. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Matthæi 14. v. 31. *Modicæ fidei quare dubitasti?* Matthęi 15. v. 28. *O mulier magna est fides tua.* Lucæ 17. v. 5. *Dixerunt Apostoli Domino. Adauge nobis fidem.* Ioannis 20. v. 29. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt.* Rom. 2. v. 3. *Sicut vnicuique Deus diuisit mensuram fidei.* 2. Cor. 10. v. 15. *Spem habentes crescentis fidei vestræ.* Et 2. Thess. 1. v. 3. *Supercrescit fides vestra.* 85

Vnde patet, etiam in eodem homine vno tempore maiorem fidem esse posse, quam alio. Ratio est. Potest enim fides crescere tum ex parte obiecti materialis explicite crediti; ita vt vnus alio explicatiorem fidem habeat, ex dicendis quæst. sequenti; tum ex parte subiecti, & quidem tam secundum firmitudinem ac intensionem maiorem ipsius actus credendi, quam secundum maiorem deuotionem voluntatis, seu credendi promptitudinem, vt magis patebit quæstione sequenti. 86

DVBIVM V.

An, & qua certitudine quisque in se ipso fidei præsentiam cognoscere possit; & quinam sint eius effectus: deque intellectus & scientiæ fidei affinibus donis.

S. Thomæ 2. 2. q. 6. a. 1. & q. 7. 8. & 9.

PRimum quæsitum est, an & qua certitudine quisque scire possit se habere verum fidei diuinæ & supernaturalis actum seu habitum. De hac re iam antea tractata tom. 2. disput. 6. quæstio. 4. dub. 5. breuiter sequentes assertiones statuimus.

Assertio I. Fidei certitudine, secluſa speciali reuelatione, scire non possumus, nos habere verum & supernaturalem actum seu habitum fidei. Ita ex communiori sententia docent, Durandus in 3. distinct. 17. q. 4. Ruardus art. 9. & 14. Vega libro 9. in Tridentinum cap. 36. Aiala de traditionibus part. 2. cap. 1. Sotus libro 3. de nat. & grat. cap. vlt. Gregorius de Valentia hic quæstione 6. punct. 1. etsi contrarium dixerint Scotus in 3. distinctione 23. Caietanus, & Bartholomeus Medina 1. 2. quæstio. 112. art. 5. & Bannes hic q. 6. a. 1. quibus fauet S. Thomas 1. 2. q. 112. a. 5. ad 2. cum ait, *Omnem habentem fidem* 87

certum

certum esse se habere fidem; sed qui loquitur de veritate fidei ex parte obiecti, vt dictum loc. cit.

Ratio est; quia reuelationes cõmunes de existentia seu præsentia fidei, sunt generales tantum; quę proinde particulatim singulis absolute applicari non possunt, sed solum sub conditione si quis fructuose Sacramenta perceperit, aut debitum studium ad comparandam fidem contulerit; de quo nullam infallibilem certitudinem habemus. Sicut tamẽ quisq; infantem baprizans ex fide credit, eum esse valide baptizatum, ita etiam eàdem fide credit habitus fidei, spei, & charitatis eidem infusos esse; cum in eo nullum possit esse impedimentum fructum & effectum Sacramenti impediens, secus est cum is, qui baptizatur est adultus.

88 Assertio II. Sed nec proprio experimento euidenter quisque in seipso fidei diuinæ præsentiam scire vel cognoscere potest. Ita cum Scoto in 3. distinct. 23. quæst. vn. & Gabriele eadem distinct. quæst. 2. art. 2. concluſ. 2. docent Gregorius de Valentia hic q. 6. punct. 1. & Bannes ibidem a. 1 etsi contrarium dixerit Caietanus eodem a. 1. cui fauet Augustinus l. 13. de Trinitate, asserens, vnumquemque *in corde suo videre fidem, si credat.* Sed quod intelligi potest de assensu fidei generatim spectatæ, ex parte obiecti materialis crediti, abstrahendo an sit assensus fidei acquisitæ & naturalis, an vero supernaturalis & infusæ.

89 Ratio est; quia euidenti experientia scire non possumus, nos vere ob reuelationẽ diuinam, tanquam rationem formalem obiectiuam assensus, adeoq; actu plane infallibili & supernaturali credere: tum ob similitudinem actuum naturalium & supernaturalium circa idem obiectum materiale versantium; quæ causa est, cur etiam charitatis præsentiam in nobis euidenter non sentiamus: tum quia alias sequeretur, nos habere euidentiam rerum fidei ipsiusque diuinæ reuelationis, saltem in attestante, quandoquidem euidens est, quod fide diuina, hoc est, vere ob diuinam reuelationem creditur, falsum esse non posse, ex dictis q. 1. dub. 5.

90 Assertio III. Probabilis tamen, & subinde moraliter certa eius rei cognitio à singulis haberi potest. Ita cõmunis apud citatos: & colligitur ex illo Apostoli 2. Cor. 3. v. 5. *Vosmet ipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmet ipsos quia Christus IESVS in vobis est, nisi forte reprobi estis?* Ratio est; quia ex studio & conatu ad fidei diuinæ actus exercendos adhibito, facile quisque probabilem, ac subinde etiam moraliter certam eiusmodi cognitionem sibi comparare potest, vt à potiori constat ex ijs, quæ de gratia & charitate pluribus diximus cit. tomo 2. disputatione 6. quæstione 4. dub. 8. Vbi hac de re plura.

91 Secundo quæritur, quinam sint fidei effectus. Respondetur cum S. Thoma hic quæstione 7. articulo 1. & 2. præter actus ab habitu fidei elicitos siue productos, de quibus quæst. seq. duos potissimum esse diuinæ fidei effectus, nempe timorem Dei, & purificationem cordis. Primus effectus colligitur ex illo Iacobi 2. v. 19. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Si enim ex naturali fide dæmonum proportionatus ei timor, scilicet naturalis exoritur; etiam ex fide supernaturali proportionatus eidem timor Dei, vtiq, supernaturalis prodibit.

Ratio est. Quia per fidem apprehenditur Deus tum vt vindex peccati, tum vt summum bonum, cui subdi & parere omnes debent. Ex prima consideratione nascitur timor Dei seruilis; ex altera timor filialis, quo à Deo separari, eumq; offendere ob suam bonitatem veremur. Hic effectus prius est fidei formatæ; ille informis: quamquam etiam ex formata prodire quandoq; possit & debeat, vt dicetur disp. sequent. de spe.

Alter fidei effectus patet ex illo Act. 15. vers. 9. *DEVS nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.* Ratio est; quia purificatio cordis, consistens in immunitate à peccati, prauorumque affectuum contagione, oritur tum ex cognitione diuinæ Maiestatis; tum ex perspectâ rerum caducarum vilitate, quam vtramque cognitionem fides præstat. Atq; eadem ratione cum fides sit fundamentum totius humanæ salutis, etiam cætera quæ ad salutem hominis pertinent, effectus fidei aliquo modo censeri possunt, iuxta Apostolum ad Heb. 11. vbi fidei omnium virtutum actus velut eius quidam effectus tribuuntur; vt obedientia, cultus diuini religiositas, prouidentia de futuris, contemptus mundi, hospitalitas, patientia in persecutionibus, Martyrium ac mortis perpessio, ac operum quoq; mirabilium perpetratio; quæ omnia Apostolus pluribus scripturę exemplis sigillatim confirmat. 92

Nec dubium, magnam causam impietatis, ac vitiorum in hoc mundo grassantium, esse defectum fidei; siue quia ea raro exercetur, siue quia bona malaque futuræ vitæ, eiusq; æternitas non firmiter & viuaciter, aut certe non supernaturali, sed naturali tantum quodã assensu creduntur, iuxta illud Moysis, Deuteronomij 2. v. 29. *Vtinã saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Et Eccli 7. v. 40. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua; & in æternum non peccabis.* Et Isaiæ 57. v. 1. *Non est, qui recogitet corde suo. &c.*

Tertio quæritur, quænam sit ratio donorum, intellectus & scientiæ, tanquam fidei affinium habituum. De qua re agit S. Thomas hic q. 8. & 9. Quia enim septenarius donorum numerus ex probabili sententia septem principalibus virtutibus respondet, tribus scilicet Theologicis, & quatuor cardinalibus, vt dictum tom. 2. disp. 32. q. 6. dub. 1. idcirco S. Thomas singulis quibusq; eiusmodi virtutibus (temperantia excepta) etiam donorum eisdem respondentium seu affinium tractationem subiungit. Verum quia de ratione, numerõ, distinctione, & comparatione donorum Spiritus Sancti inter se, ac speciatim de dono intellectus & scientiæ; quæ ob similitudinem materiæ fidei annectit S. Thomas hic loc. cit. pro ratione instituti satis egimus, nihil opus est ea hoc loco repetere. Tantum hæc duo annotentur. 93

Primum,

94 Primum; etsi S. Thomas tum hic q. 9. a. 2. in corp. tum in 1. 2. q. 63. a. 4. & 7. significare videatur, donum sapientiæ à dono scientiæ distingui, ex parte obiecti materialis, nempe quod per illud generatim perficiatur iudicium intellectus circa res diuinas; per hoc iudicium circa res creatas seu humanas; quod etiam docet Gregorius de Valentia hic q. 8. punct. vnic. melius tamen & accommodatius ad mentem S. Thomæ hic q. 9. art. 2. responsione ad 3. & infra q. 45. art. 2. ad 3. distingui ex parte obiecti formalis seu medij: quod nimirum, etsi vtrumque donum perficiat intellectum ad rectum iudicium ferendum, mediante quodam peculiari instinctu Spiritus Sancti, de rebus credendis & agendis, idque tam diuinis, quam humanis, & creatis; attamen donum sapientiæ pro medio habeat causas altissimas adeoque diuinas; scientiæ vero donum pro medio habeat res creatas, vt etiam notauit Caietanus hic q. 9. a. 2.

95 Alterum est; S. Thomam præter morem in alijs virtutibus obseruatum, duo hæc dona Spiritus Sancti, Intellectus scilicet & scientiæ, eidem virtuti fidei subiungere & annectere; cuius ipse rationem reddit quæst. 9. art. 1. ad 3. Cum enim sibi obiecisset, *donum esse perfectius virtute; ac proinde vnum donum sufficere ad perfectionem vnius virtutis*: cum ergo virtuti fidei respondeat donum intellectus, non respondere eidem donum scientiæ; *nec apparet*, inquit, *cui alij virtuti respondeat*: ad hoc respondet Sanctus Thomas, dona *esse perfectiora virtutibus moralibus & intellectualibus, non virtutibus Theologicis; sed magis omnia dona ad perfectionem virtutum theologicarum ordinari velut ad finem: & ideo non esse inconueniens, si diuersa dona ad vnam virtutem Theologicam ordinentur.*

Hæc vero etsi probabiliter dicantur, nihilominus tamen, quia quibusdam verius videtur, dona Spiritus Sancti ex suo genere esse perfectiora virtutibus etiam Theologicis, hoc ipso, quod ex altiori motiuo, speciali nimirum instinctu Spiritus Sancti procedunt, & potissimum ad actus præstantiores virtutum ordinantur; simul etiam quia iuxta distributionem sancti Thomæ, non seruatur debita proportio septenarij numeri virtutum & donorum, nec supereſt donum, quod virtuti temperantiæ respondeat, ideo non improbabiliter dici potest, donum scientiæ non tam respondere fidei, quam virtuti temperantiæ, quatenus exhibet & moderatur affectum inordinatum rerum sensibilium. Sed de qua re non est magnopere laborandum. Vide S. Thomam. 96

QVÆSTIO VII.

De actibus fidei, tum internis, tum externis; deque gratijs gratis datis fidem concernentibus.

S. Thomas 2. 2. q. 2. & 3.

ABsoluetur hæc quæstio sex dubitationibus. I. Quid, & quotuplex sit actus fidei; quid credere, & quotuplex; & quomodo distinguatur credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. II. Quæ, & quotuplex sit necessitas actus fidei; speciatim an & quid siue ex obiectis naturalibus siue supernaturalibus necessitate præcepti credendum sit omnibus. III. An, & quid necessitate præcepti credendum sit omnibus; & quando præceptum fidei obliget. IV. An & qua ratione actus fidei sit meritorius, ac necessario bonus. V. An, & qua ratione externa confessio fidei necessaria sit ad salutem; quæue in ea re sint obseruandæ regulæ. VI. Qua ratione gratiæ gratis datæ se habeant ad fidem; quot item, & quænam sint; & quæ singularum sit ratio; an etiam sint habitus.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit actus fidei; quid credere, & quotuplex; & quomodo distinguatur credere Deo, credere Deum, & credere in in Deum.

S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 1. 2. & q. 3. a. 1.

1 PLeraque præcedenti quæstione disputata de habitu fidei, etiam actibus fidei communia sunt; præsertim quæ de certitudine, & subiecto, tam propinquo, quam remoto fidei, deque præsentiæ eiusdem notitia docuimus: Præter quæ tamen speciales aliæ difficultates de actu fidei,

cum

cum S. Thoma hac quæstione à nobis explicandæ sunt. Et quod ad præsentem dubitationem attinet.

2 Quæritur primo, quid, & quotuplex sit actus fidei. Respondeo breuiter actum fidei generalissime dici quemlibet actum hominis moralem cuiusuis potentiæ, qui à fide seu habituali, seu actuali procedit. Quomodo generatim loquendo dupliciter fidei actus distingui possunt; alij proprij, alij improprij. Proprij sunt, qui ex suo obiecto seu specifica ratione ita ad fidem pertinent, vt proprie ac per se non sint aliarum virtutum actus. Improprij sunt, qui cum ex obiecto, seu specifica ratione sua sint actus aliarum virtutum, simul tamen ex fide aliquo modo procedunt; qua ratione etiam actus spei, charitatis, aliarumque virtutum dici possunt actus fidei, quatenus à fide, seu ex affectu fidei, à ratione imperantur, iuxta dicta quæst. præced. dub. vltimo de effectibus fidei. In præsenti vero non est quæstio de improprijs fidei actibus; sed solum de proprijs.

3 Quales rursum sunt duplices; alij enim sunt interni, qualis est credere; alij sunt externi, vt est confessio seu professio fidei, verbis aut signis externis facta, vt docet S. Thomas q. 2. art. 1. & q. 3. a. 1. Quæ quidem confessio actus fidei dicitur, non quidē immediate & physice elicitus; hic enim actus solus internus est; nec etiam quouis modo imperatus, tales enim esse possunt actus omnium virtutum, vt dictū; sed dicitur proprius actus externus fidei, qui per se, & quantum est ex natura sua, solum aut præcipue causatur à fide, à qua etiam proxime regulatur & dirigitur, non mediante alio habitu: etsi nonnunquam imperetur etiam ab alijs virtutibus; quarū proinde hoc casu actus imperatus dicitur, puta veracitatis, fortitudinis, religionis.

4 Cuius rei hæc ratio est, iuxta S. Thomam eadem quæst. 3. art. 1. quia confessio fidei, vt est externum signum vel oratio significatiua veritatis à Deo reuelatæ (quæ illius primaria & intrinseca ratio est) per se ac proxime ordinatur ad ipsum finem fidei; nempe vt tam verbis & opere, quam mente fides habeatur primæ veritati, ac proinde auctoritas diuinæ ac summæ veritatis vndequaq; inconcussa subsistat. Actus autem externi ad eam virtutem pertinent, ad cuius finem per se ac primario ordinantur, etiamsi in alijs potentijs existant, quam in quibus sunt virtutū habitus, quorum dicuntur actus. Vti videre est in oratione, quæ proprie dicitur actus religionis; & in actu martyrij, qui dicitur actus fortitudinis; & in actu ieiunij, qui actus est proprius temperantiæ; licet omnes isti actus sint in potentijs diuersis ab ijs, in quibus sunt habitus virtutum, quarum dicuntur actus.

5 An autem confessio fidei dicenda sit actus elicitus, an potius imperatus fidei, quæstio est de nomine. Aliqui, vt Vasquez 1. 2. disputat. 83. num. 16. & Bannes hic q. 3. a. 1. vocant eiusmodi actus *elicitos*, vel saltem cum addito, *secundo elicitos*, earum virtutum, quibus adscribuntur, conuenienter S. Thomæ infra q. 81. art. 4. ad 2. Alij vero vocant actus per se ac immediate imperatos; de qua re non est litigandum; dummodo vtrinque intelligatur quod dicitur.

6 Quæritur secundo, quid & quotuplex sit credere, quem internum fidei actum esse diximus. Respondet S. Thomas hic quæst. 2. a. 1. credere, prout est actus diuinæ fidei, nihil aliud esse, quam *cum assensione cogitare*. Ita enim existimat definire Augustinum lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 2. Vbi simul ad eandem definitionem tuendam, multa annotat S. Thomas, ac speciatim istud, cogitare accipit pro intellectus consideratione, cum aliqua inquisitione, & voluntatis consensu; ad firmum assensum determinantis.

Sed non est, cur in eo multum laboremus, vt hanc propriam actus fidei definitionem esse tueamur, quando reuera nec ea videtur mens fuisse Augustini, vt recte notauit Vasquez 1. 2. disput. 209. n. 20. nec id verba præse ferunt: cum ea potius sit, generalissima quædam notio cuiuslibet assensus, circa quamuis materiam, siue hic assensus sit euidens, siue ineuidens; siue certus, siue probabilis; & siue pro ratione assentiendi habeat auctoritatem dicentis, siue rationem. Quomodo etiam in scriptura subinde vsurpari videtur, vt cum Iacobi 2. vers. 19. dicitur: *Et dæmones credunt, & contremiscunt*, nempe de quo immediate antea fuerat sermo, *quoniam vnus est Deus*, de quo vtiq; dæmones euidentem assensum habent. Et sæpe vulgo dicere solemus, aliquid à nobis credi, etiamsi res illa ratione, non auctoritate nitatur. 7

Quare omissa ea siue definitione, siue notione ipsius *Credere*, breuiter dicendum est, Credere generatim & proprie, prout est actus fidei habitus distincti ab alijs habitibus, præsertim scientiæ & opinionis, nihil aliud esse quam assentiri ob authoritatem seu testificationem dicentis, vt dictum etiam q. 1. dub. 1.

8 Quo sensu credere aliud spectat ad fidem humanam, seu naturalem, vtpote nixum auctoritate humana, seu naturali alicuius creaturæ, in quocunq; demum obiecto versetur: aliud spectat ad fidem diuinam & supernaturalē. Quo modo credere rursum aut nititur euidentia ipsius DEI supernaturaliter testantis, aut reuelatione seu testificatione DEI obscura: prior ad propheticam pertinet, vt dicetur dub. vltimo, posterior fidei diuinæ propria est, & ad hunc locum pertinet: quo sensu credere, prout est actus elicitus diuinæ fidei, nihil aliud est, quam firmus assensus intellectus diuina reuelatione obscura nixus ex quæstione 1. dub. 3. Atque hunc ipsum etiam esse iustificantis fidei actum à fiducia voluntatis diuersum, contra Nouatores ostendimus quæst. præced. dub. 1.

9 Quæritur tertio, an & quomodo distinguantur actus fidei per hoc, quod est, credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Respondetur, hæc sane aliquo modo inter se distingui, vti omnes Theologi docent, ex Augustino serm. 181. de tempore & serm. 61. de verbis Dñi, & tract. 21. in Ioannem. Ex quo Magister in 3. dist. 23. ita eam distinctionem declarat. *Aliud est*, inquit,

credere

credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Credere Deo, est credere vera esse quæ loquitur; quod & mali faciunt: & nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum, est credere quod ipse sit Deus, quod etiam mali faciunt. Credere in Deum est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari. Eandem distinctionem cum Magistro generatim tradunt & sequuntur cæteri Scholastici in 3. distinctione 23.

10 Quam etiam S. Thomas hic quæst. 2. art. 2. ita explicat. Nam quia credere ad intellectum pertinet, prout à voluntate mouetur, hinc fit, vt ratione vtriusq; potentiæ coniunctim triplicem habitudinem sortiatur ad suum obiectum, seu terminum; duas quidem præcise, vt est actus intellectus, nempe habitudinem ad obiectum materiale primarium, quæ significatur, per illa verba, *Credere Deum*; secundam ad obiectum formale Quo, quæ significatur verbis illis, *Credere Deo*. Tertiam vero, vt est actus à voluntate imperatus, & aliquo modo relatus in Deum velut vltimum finem; quæ significatur, per *credere in Deum*.

11 Circa quam distinctionem notandum primo, eam non ita intelligendam esse, quasi sit diuisio actuum fidei reipsa diuersorum, vt cum Sancto Thoma ibidem art. 1. ad 2. docent omnes; quia credere Deum, semper inuoluit etiam credere Deo; etsi non contra. Credere quoque in Deum semper inuoluit credere Deum, & Deo, vt recte notauit Arragonius hic eodem a. 2. & magis patebit ex sequentibus: sed quia sane est quædam rationis distinctio, per quam seu plures, seu vnus atque idem actus fidei, secundum diuersas habitudines ad varium obiectum seu terminum, recte distinguitur, vt dictum.

12 Notandum secundo, *Credere in Deum*, cum directe & formaliter sit actus elicitus ab intellectu, & imperatus à voluntate, esse quidem vnum actum intrinsece ac in recto, significare tamen plures actus; ita quidem vt per se ac primario dicat ipsum assensum fidei, simul tamen etiam connotet actum voluntatis, quo ipse assensus fidei in Deum velut vltimum finem aliquo modo referatur: Sicut quiuis alius actus ab vna potentia elicitus, & ab alia imperatus, absolute vnus actus est, sed plures significat.

13 Quo sensu etiam dixit Caietanus eadem quæstione 2. articulo 2. eiusmodi actum proprie *non esse multum* (hoc est, plures) *sed multiplicem*. Nec quoad hoc dissentire videtur Durandus in 3. distinctione 37. quæstione 7. numero 6. licet in contrarium relatus à Caietano & Arragonio hic articulo 2. sed in eo potius deceptus videtur Durandus, quod ibidem indicat, Credere in Deum supponere quidem actum fidei, tamen formaliter ac in recto esse actum charitatis, seu voluntatis referentis actum fidei in Deum: quod est contra vim verborum, Sanctum Thomam, & communem cæterorum Doctorum sententiam, vt recte aduertit Gregorius de Valentia hic q. 2. punct. 1.

14 Notandum tertio, cum inter omnes quidem constet, per *Credere in Deum*, inuolui & significari aliquem actum voluntatis, quo assensus fidei referatur ad Deum, velut vltimum finem; duo tamen esse dubia, quæ explicatione indigent. Primum est, an ad hoc, vt aliquis dicatur credere in Deum, determinate requiratur actus charitatis, referens fidei actum ad Deum; an potius sufficiat imperfectior quidam motus voluntatis, puta spei, seu etiam ipsius habitus voluntatis, fidei respondentis, quo intellectus inclinatur & determinatur, ad assentiendum diuinę reuelationi. Secundum dubium est, an *credere in aliquem*, semper inuoluat relationem ad finem vltimum; ita vt nunquam dici recte possit de homine seu alia creatura.

15 Ad primam dubitationem respondeo breuiter, totam quæstionem esse de nomine; in rigore tamen verborum sufficere actum voluntatis charitate inferiorem. Quod ita declaro. Etenim determinate requiri actum charitatis, docet Augustinus locis cit. quem ita etiam sequūtur Sanctus Thomas hic quæstione 2. articulo 2. & quæstione 1. articulo 9. ad 3. item Magister, & alij Scholastici in 3. distinctione 23. qui etiam propterea dicunt, non omnem credentem Deo credere in Deum; idemque modus loquendi passim etiam celebratur à Concionatoribus & Catechistis.

Posteriori autem modo (scilicet actum charitatis determinate non requiri) loquuntur idem Augustinus lib. de fide & operibus c. 14. & vlt. Chrysostomus homil. 30. & 52. in Matthæum, Bernardus serm. 24. in Cantica, quando dicunt, omnes fideles, etiam peccatores, in Deum credere. 16 Imo ita expresse loquitur etiam ipsa Scriptura Ioannis 12. v. 42. *Verum tamen & ex Principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* In quem locum etiam Caietanus notauit, illum quoque in Deum credere, qui credit collocando in Deo omnem suam spem & fiduciam, vt etiam peccatores facere possunt.

Idem colligitur ex Concilio Chalcedonensi act. 16. & confirmatur vsu quotidiano fidelium, ac totius Ecclesiæ. Omnes enim, etiam peccatores, quotidie dicunt & profitentur in Symbolo, *Credo in Deum*; idque non solum in persona Ecclesiæ, sed etiam propria, cuius vtique nomine singuli professionem fidei faciunt. Quare etiam à Scriptura & Patribus aliene non loquuntur, qui dicunt, eo loquendi modo generatim significari rationem formalem credendi, prout mediante voluntatis motione ei se quis libere subijcit; ac proinde omni actu fidei aliquo modo in Deum credi: etsi pfecte hoc nō fiat, sine actu charitatis.

17 Ad secundam dubitationem respondetur, per vocalem *In aliquem credere*, ordinarie quidem, sed non semper ac necessario significari relationem ad vltimum finem, quicquid dixerit Magister loco citato: siquidē in symbolo Apostolorū, iuxta probabilem pluriū SS. Patrum lectionem, habetur *Credo in S. Ecclesiam*: vbi speciatim Hieronymus contra Luciferianos & in epistolam ad

Philemo-

Philemonem & Chrysostomus homil. 6. de symbolo notant particulam *In*, iunctam cum particula *Credere*, non semper significare formalem ac supremam rationem credendi, quæ est Deus, sed aliquando vnum ex credendis, vel etiam auctoritatem proponentem fidem.

18 Quo modo etiam Exodi 14. v. 31. in textu hebraico legitur *Crediderunt in Deum, & in seruum eius Moysen* vt etiam diximus q 1. dub. 8. Nihilominus quia hic modus loquendi minus vsitatus est, vbi de fide supernaturali agitur, non passim, & sine circumspectione vsurpandus videtur. Ex quibus tanto magis etiam refelluntur huius temporis Sectarij, cum aiunt; actum fidei iustificantis in scriptura solum significari per verba illa *Credere in Deum*; de qua re egimus superius q. 6. dub. 2.

DVBIVM II.

Quæ, & quotuplex sit necessitas actus fidei; spectatim an, & quid, siue ex obiectis naturalibus, siue supernaturalibus, necessitate medii necessario credendum sit omnibus.

S. Thomas 2.2. q. 2. a. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

19 FIdei actum aliquo modo ad salutem necessarium esse, indubitatum est; & constat ex innumeris scripturæ locis, quorum nonnulla inferius referentur: sed quæ, & qualis, & cuiusnam fidei, & de quo obiecto, sit ea, respectu cuiusuis status humanæ vitæ, necessitas; id cum multifariam controuersum sit, hac & sequenti dubitatione paulo vberius explicandum est.

20 Vbi supponendum est primo, eorum, quæ ad salutem hominis conducunt & necessaria sunt, siue sint actus humani, siue alia media, ad salutem hominis, seu primam, in iustificatione positam; seu vltimam, nempe ipsam beatitudinem, diuinitus ordinata & præscripta, duplicem distingui necessitatem. Alia enim vocatur, *necessitas medij*, alia, *necessitas præcepti*. Necessitate medij ad salutem necessaria dicuntur illa, sine quibus iuxta legem Dei ordinariam, nullo modo salus acquiri potest, etiamsi quis inuincibiliter ea ignoret, illisue inculpabiliter careat.

Necessitate autem præcepti ea necessaria dicuntur, quæ ex vi quidem diuini præcepti necessariò facienda aut procuranda sunt, cum facultas suppetit; non ita tamen quin etiam secundum legem D. N. I. ordinariam, absque eis saluari possint illi, qui citra culpam, nempe ob impotentiam vel ignorantiam inculpabilem, ea prætermittunt; saltem quantum est ex necessitate præcepti; siquidem ea necessitas solum ex præcepto oritur, à cuius violatione in omni materia impotentia vel ignorantia inculpabilis excusat. Necessitas medij adstringit etiam vsu rationis carentes, puta infantes, amentes; necessitas præcepti non item.

Et vero sunt nonnulla, quæ vtraque necessitate ad salutem necessaria sunt, vt v.g. votum baptismi, vel pœnitentiæ Sacramenti; item pœnitentia formalis aut virtualis in adultis peccatoribus, &c. quædam sola necessitate præcepti necessaria sunt, vt actus eleemosynæ, temperantiæ, & alia pleraque præcepta: quædam sola necessitate medij vt gratia Dei præueniens, & quoad salutis vltimæ consecutionem etiam prædestinatio, &c.

Supponendum secundo, aliam esse *fidem explicitam*, aliam *implicitam*; seu quod idem est, aliud credere explicite, aliud implicite: quæ distinctio sumitur ex Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 14. & Gregorio lib. 2. Moralium c. 25. & traditur à Magistro, & alijs Doctoribus in 3. dist. 25. quidquid improbe ac imperite eam reprehendat Caluinus lib. 3. Instit. c. 2. sect. 2. Dicitur vero explicite credi illa veritas, quæ in se ipsa formaliter & expresse creditur, quæque adeo per se immediate terminat actum fidei. Implicite verò illud, quod solum creditur in alia quadam veritate, in cuius fide etiam illius fides virtute aliquo modo continetur. 21

Quod quidem dupliciter accidit; primo, quãdo illa ipsa veritas, quæ implicite credi dicitur, in altera virtute cõtinetur, nempe vt conclusio particularis in vniuersali, quo modo credens Deum Creatorem totius vniuersi, credit etiam Creatorẽ cœli, terræ, Angelorum, hominum, &c. Secundo quando saltem fides illius in fide huius secundum animi præparationem aliquo modo continetur, ita vt qui vnũ credit, ex vi ipsius actus fidei & præsentis dispositionis animi, sit paratus etiam alterũ credere. Qua ratione in quouis actu fidei implicite ac virtute quodammodo continetur fides omnium, quæ Deus reuelauit: quia omnis credens aliquid propter diuinam reuelationem, non solũ vniuersim credit, Dei reuelationem esse infallibilem, sed simul etiam credit, eam re ipsa circa hoc vel illud obiectum accidisse, inductus cõmunibus quibusdam fidei motiuis, quæ reipsa cæteris etiam obiectis credendis conueniunt, quo fit, vt is hoc ipso paratus sit etiam credere cuiuis reuelationi seu veritati reuelatæ, si pariter sub ijsdem motiuis proponatur. 22

Ex quibus colligitur, fidem implicitam non ideo talem dici, quod proprie ac formaliter nulla sit vera fides, quodque explicite circa nullũ prorsus fidei obiectum versetur, vt Sectarij nostri temporis sibi imaginantur, sed quia implicite quidem solum ad certum quoddam obiectum terminatur, cum tamen interim nunquam aliquid implicite credi dicatur, nisi per verum actum fidei supernaturalis, vt recte notarunt Gregorius de Valentia hic q. 2. punct. 3. & Bannes q. 2. a. 8. etsi Gabriel in 3. dist. 25. ipsam quoque habitualem fidem seu habitum fidei vocet fidem implicitam, respectu veritatum, ad quarum assensum inclinat. Sed quæ acceptio impropria est, & ad hunc locũ non pertinet.

23 Supponendum tertio, tres humanæ vitæ ſtatus diſtingui poſſe, de quibus præſens dubitatio locum habere poteſt, cum quæritur, quidnam, ſeu hac, ſeu illa neceſſitate neceſſario credendum ſit aut fuerit; nimirum ſtatum legis naturæ, qui à primo hominis lapſu durauit vſque ad Moyſen; ſtatum legis ſcriptæ, qui à Moyſe durauit vſq; ad Chriſtum, & demum ſtatum legis Euangelicæ, qui à Chriſti prædicatione perdurat vſque ad finem mundi. In quo omni ſtatu, ſolum de adultis, vſum rationis habentibus eſt quæſtio, atque ijs præſertim, qui peccato mortali obnoxij ſunt, ſiue iam antea baptizati ſint, ſiue non ſint, quandoquidem conſtat, & apud omnes in confeſſo eſt, baptiſmum adultis ad ſalutem non prodeſſe, niſi credentibus.

Quid vero de ijs ſentiendum ſit, qui poſt baptiſmum in infantia receptũ, nunquam adhuc peccauerunt mortaliter, an ſine omni bono opere ac merito, adeoque etiam ſine fide actuali nonnunquam ſaluari poſſint, dictum eſt tom. 2. diſp. 6. q. 6. dub. 6. Quibus tamen ſuppoſitis, omnia quæ de neceſſitate actus fidei dicemus, ſecundum proportionem ijs ipſis etiam iuſtis accomodanda ſunt, in ordine ad gratiam conſeruandam & gloriam conſequendam. His ita præmiſſis, de neceſſitate medij reſpectu actus fidei ſequentes aſſertiones ſtatuimus.

24 Assertio I. Fides mere naturalis ad ſalutem non ſufficit; neque etiam fides ſeparatim concepta de obiectis naturalibus, quæ ratione naturali euidenter demonſtrari poſſunt, per ſe eſt ad ſalutem neceſſaria: etſi neceſſaria ſit ad bene eſſe, & quibuſdam nonnunquam etiam per accidens ſimpliciter neceſſaria. Ita quoad priorem partem docent S. Thomas hic q. 2. a. 3. & 4. alijque Doctores communiter poſt Magiſtrum in 3. diſt. 25. Ratio patebit ex aſſertione ſequenti.

Secundam partem tradit S. Thomas in toto diſcurſu articuli 4. præſertim ad 2. Ratio eſt. Tum quia iuxta S. Thomam ibidem, & q. 1. a. 5. eiuſmodi obiecta naturalia ab ijs, qui habent demonſtrationem & euidentiam eorũdẽ, nec poſſunt quidẽ diuina fide credi. Tum etiam quia nulla ratio vel auctoritas probat, eiuſmodi obiecta naturalia, ſi ſeorſim ac per ſe ſumantur, diuina fide neceſſario eſſe credenda; etſi quidem nonnulla vt inuoluta ſeu comprehenſa alijs obiectis ſupernaturalibus neceſſario credenda ſint, vt inferius dicetur. Et quis neget ſaluum fore eum, qui credit Deum etiam vt ſupernaturale bonum eſt, eſſe vnum, infinitum, omnipotentem, &c. etiamſi de Deo vt ſummo bono naturali ſeorſim nullum fidei actum eliciat?

Tertiam partem ex inſtituto tradit S. Thomas cit. art. 4. vbi generatim pronuntiat, *neceſſarium eſſe homini accipere per modum fidei, non modo ea, quæ ſunt ſupra rationem, ſed etiam ea quæ per rationem cognoſci poſſunt.*

25 Idque propter tres cauſas. 1. *Vt citius homo* (inquit) *ad veritatis diuinæ cognitionem perueniat.* 2. *Vt cognitio DEI ſit communior.* 3. *Propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus diuinis eſt multum deficiens: Cuius ſignum eſt, quia Philoſophi de rebus humanis naturali inueſtigatione perſcrutantes in multis errauerunt, & ſibiipſis contraria ſenſerunt. Vt ergo eſſet indubitata & certa cognitio apud homines de DEO, oportuit quod diuina eis per modum fidei traderentur, quaſi à DEO dicta, qui mentiri non poteſt.* Ita S. Thomas.

Ex quibus colligitur, iuxta Sanctum Thomam, etiam ſingulis neceſſarium eſſe, de obiectis eiuſmodi naturalibus, quandoquidem totius Chriſtianæ vitæ ac fidei quaſi quædam fundamenta ſeu præſuppoſita ſunt ſaltem ſecundum habitualem mentis diſpoſitionem, habere firmũ quendam aſſenſum, ſiue nimirum demonſtratione nixum, ſiue quadam euidentia morali, ex conſentiente & conſtanti teſtificatione quaſi totius mundi profecta; ſiue reuelatione diuina nixum.

Ex quo ſequitur quarta pars aſſertionis; nimirum quibuſdam per accidens etiam ſimpliciter 26
neceſſariam eſſe fidem & reuelationem eiuſmodi obiectorum; nimirum ijs, qui & ob ingenij hebetudinem, & ob loci prauæque educationis incommoditatem, vti ſæpe in medijs Indijs accidit duobus prioribus certitudinis modis deſtituuntur, iuxta ea, quæ tomo 1. quæſt. 1. dub. 3. tradidimus. Vbi ſimul addidimus, reuelationem eiuſmodi veritatum non tantum toti humano generi, ſed etiam ſingulis ad bene eſſe neceſſariam fuiſſe.

Assertio II. Quouis tempore, & in 27
omni humanæ naturæ ſtatu, ad vtramque ſalutem, adultis neceſſitate medij neceſſarius fuit, atque etiamnum eſt verus aliquis actus diuinæ fidei. Eſt de fide, & extra controuerſiam inter Catholicos Doctores, ex tota epiſtola S. Pauli ad Romanos, & ad Galatas; vbi hoc ipſum ex inſtituto probat Apoſtolus, neminem vnquam fuiſſe iuſtificatum, niſi per fidem; quam etiam eſſe peculiare donum Dei, idem Apoſtolus docet Epheſ. 2. v. 8. & Philipp. 1. v. 29. Accedit ſpeciatim illud Heb. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

Quo modo loquendi tum ex ipſa vi ac proprietate verborum, tum ex communi Patrum interpretatione, ac totius Eccleſiæ ſenſu, aſtipulante ſimul totius Scripturæ analogia, neceſſitas medij ſignificatur. Idem colligitur ex Concilio Mileuitano Canone 4. Arauſicano canon. 5. & ſequent. Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. & 8. Idem docent omnes SS. Patres, ſpeciatim Cæleſtinus Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, Innocentius I. epiſt. 25. cap. 9 & 12. Quibus accedit ratio S. Thomæ ſequenti aſſertione explicanda.

Assertio III. Actus ille fidei neceſſitate 28
medij omnibus neceſſarius, neceſſario eſt, & eſſe debet ſupernaturalis; idque ex triplici capite, nimirum primo ex parte principij, ita vt ſit ab auxilio ſupernaturali diuinæ gratiæ. 2. ex parte medij vt concipiatur propter diuinam reuelationem. 3. ex parte obiecti materialis, ſeu veritatis quæ creditur. Ita habet communis ſententia Theologorum, poſt Magiſtrum in 3. diſt. 25. & Sanctum Thomam hic quæſt. 2. art. 3. & 1. 2. q. 113. art. 4. ad 2. & q. 4. de veritate a. 11. eamque fuſius probant Sotus in 4. diſt. 1. q. 2. a. 3.

Canus relect. de Sacramentis in genere part. 2. q. 2. concluſ. 1. Gregorius de Valentia hic q. 2. punct. 2. neq; vel ex hæreticis fere aliquis fuit, qui negaret fidem ad ſalutem neceſſariam, aliqua tandem ratione ſupernaturalem eſſe debere, niſi forte Manichæi & Pelagiani, de quibus infra.

Prima pars aſſertionis eſt de fide, contra Pelagium; qui negauit, vllum internum gratiæ Chriſti auxilium ad credendum eſſe neceſſarium, vt fuſius dictum tom. 2. diſput. 6. q. 3. dub. 1. vbi ex inſtituto eum Pelagij errorem refutauimus; oſtendendo, neminem credere poſſe, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, ſine auxilio gratiæ Chriſti: id quod aperte definitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Can. 3.

29 Secunda pars itidem videtur ex fide certa; quidquid etiam ex Catholicis nonnulli in contrarium aliquando dixerint, vt inferius dicetur; & ſequitur euidenter ex præcedente aſſertione. Nam veræ ac diuinæ fidei actus formaliter ac intrinſece nititur reuelatione diuina, tanquam ratione formali obiectiua ſibi adæquata, ex dictis quæſtione 1. dub. 3: Ex quo ſequitur, fieri nullo modo poſſe, vt aliquis veræ ac diuinæ fidei actus concipiatur, niſi ob diuinam reuelationem. Plura circa tertiam aſſertionis partem.

30 Tertia pars etſi nondum plane exiſtimetur eſſe de fide, ita vt oppoſitum ſit hæreticum; mihi tamen velut certiſſima habenda videtur, ſicut etiam Arragonius hic quæſtione 2. art. 3. ait, hoc ſibi non minus videri certum, quam quod in prima & ſecunda aſſertionis parte dictum eſt; quamtumuis ea ſimul cum ſecunda parte, à pluribus fuerit negata. E quibus olim primo fuerunt Manichæi, qui nihil credendum eſſe dicebant, niſi quod naturali ratione demonſtrari poſſet, teſte Auguſtino lib. de vtilitate credendi cap. 1.

Deinde huc ſpectat Pelagius, qui vt eſt apud Auguſtinum libro 1. de gratia capit. 41. aliquando docuit, reuelationem ſupernaturalem eſſe quidem vtilem ad ſalutem, ſed non neceſſariam.

Tertio huc ſpectant etiam nonnulli ex Catholicis, ſpeciatim Vega lib. 6. in Concilium Tridentinum cap. 17. & 20. & vt referri ſolet Victoria, & olim etiam Sotus libro 2. de natura & gratia cap. 11. primæ editionis; qui putabant ſaluari poſſe etiam ſecundum legem Dei ordinariam eum qui aliqua ratione cognoſcens legem naturalem, faciat quod poteſt; dummodo interim inuincibiliter obiecta ſupernaturalia ignoret, tametſi Vega ſimul addat, reipſa nullum ita fuiſſe ſaluatum; quod ab eo gratis & ſine ratione dicitur. Idem ſignificat Caietanus Commentario in caput 11. epiſtolæ ad Hebræos, vbi tamen ſimul aliquam ſaltem ex parte principij ſupernaturalem cognitionem videtur requirere.

31 Peius adhuc Eraſmus in commentario Tuſculanarum quæſtionum Ciceronis; Zuinglius vero in expoſitione Chriſtianæ fidei a. 12. Herculem, Theſeum, Socratem, Ariſtidem, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, & alibi etiam Senecam, quamtumuis diuinæ fidei expertes, in cœlis collocant. Quorum quidem ſententiam generatim loquendo, nec in ſpecie diſputando, num forte hic vel ille vera prius ac ſupernaturali fide obtentâ, fuerit ſaluatus; Canus loc. cit. aſſerit *erroneam & forte hæreticam*; Gregorius de Valentia quæſtio. 2. punct. 2. ait, *ab omnibus iam, vt erroneam reyci*; Bannes hic quæſtione 2. articulo 3. dicit, *aut eſſe hæreſim, aut hæreſi proximum.*

Probatur eadem aſſertionis pars ſimul cum ſecunda, primo ex ſcriptura; quæ ſæpius aperte eam indicat. 32 Nam in epiſtola ad Romanos, & ad Galatas, dum Apoſtolus tam reſpectu Iudæorum, quam Gentilium fidei neceſſitatem comprobat, aperte & ex inſtituto loquitur de fide Chriſti, aut certe Dei reuelantis auctoritate nixa. Itē 1. Cor. 2. verſ. 6. omnem humanam & naturalem rerum cognitionem tanquam ad ſalutem inſufficientem reijcit, cum ait; *Vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: Sapientiam vero non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei Sapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit DEVS ante ſæcula, in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſeculi cognouit.*

Et ibidem cap 1. verſ. 19. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi Sapiens? vbi Scriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia, non cognouit mundus per ſcientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis* (diuina vtique reuelatione nixæ) *ſaluos facere credentes.* Denique Hebr. 11. verſ. 1. vbi fides ad ſalutem neceſſaria deſcribitur, vocatur *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Cuius quidem generis obiecta non niſi ſupernaturali reuelatione Dei cognoſcuntur. Nec obſtat illud ibidem v. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*; id enim de Deo non præciſe vt auctore ac prouiſore rerum naturalium intelligendum eſſe, inferius dicetur.

Ratio eſt; quia alias nulla cauſa eſſe, cur nō in aliquo ſaltem caſu, ſaluari homo poſſet, per cognitionem etiam ex parte principij naturalem, 33 hoc eſt, ex ſolis naturæ viribus profectam, vt recte etiam argumentatur Arragonius loc. cit. Cognitio enim naturalis Dei, & præceptorum naturalium acquiri poteſt etiam ſine auxilio gratiæ, vt dictum tom. 2. diſp. 6. q. 3. dub. 1. Conſequens autem eſſe abſurdum, & contra fidem, cōſtat ex prima aſſertionis parte.

Huc etiam ſpectat ratio S. Thomæ hic quæſt. 2. art. 3. in qua explicanda multum laborat Caietanus. 34 Ea vero in hoc breuiter conſiſtit. Quia cum ad viſionem Dei (in qua conſiſtit vltima beatitudo hominis) intellectu ac voluntate acquirendam nemo pertingere poſſit, ſola vi naturæ, opus eſt, vt intellectus interuentu cœleſtis ac ſupernaturalis doctrinæ ductus eo pertingat; iuxta illud Ioannis 6. v. 45. *Omnis qui audiuit*

audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: Atqui discere à Deo nemo potest quidquam, nisi Deo docenti ac reuelanti credat, iuxta illud Philosophi: *Addiscentem oportet credere:* Ergo necesse est credere Deo reuelanti; ac proinde etiam aliquid, ex Dei reuelatione dependens.

35 Assertio IV. In omni statu, necessario necessitate medij credendum seu cognoscendum explicite est, & fuit, Deum esse; ac remuneratorem esse, adeoque curam & prouidentiam habere humanarum rerum non modo naturalem, & in hac vita, sed etiã supernaturalem ac in altera vita. Ita ex communi Doctorum sententia docet Gregorius de Valentia q. 2. punct. 3. contra Vegam l. 6. in Concilium Tridentinum c. 17. & 20. docentem, etiam saluari posse eos, qui per ignorantiam inuincibilem ignorantes vnum verum Deum, legem naturalem, quantum in se esset seruare conarentur: quæ sententia erronea est, vt ex dictis colligitur.

36 Probatur assertio ex illo Apostoli Heb. 11. v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Vbi verbis præcedentibus necessitas medij explicatur; subsequentibus obiecta necessario credenda determinantur; ita vt per verba illa Deum esse, aut respectus habeatur ad eos, qui euidentiam & demonstrationem eius veritatis non habent, vel certe significetur existentia Dei, non solum vt boni naturalis, sed etiam supernaturalis, adeoque vt auctoris bonorum etiam supernaturalium; tametsi alioqui hoc præcise obiectum naturale, Deum videlicet, qua naturaliter cognoscibilis est, esse, per se ac separatim, neque necessitate medij, neque præcepti, per se loquendo, necessario credendum sit, vt assertione prima dictum; tametsi alioqui in omni statu necessaria fuerit firma quædam cognitio vnius veri Dei, vt S. Thomas hic q. 2. art. 7. & 8. supponit & dictum supra assert. 1. eaque causa est, cur in assertione dixerim credendum seu cognoscendum.

37 Ratio huius assertionis est; quia sine hac cognitione & fide, non potest esse supernaturalis actus spei, & charitatis; sine quibus tamen nullus peccator adultus saltem extra Sacramentum seu primam, seu vltimam salutem consequi potest: Cæterum in eo ipso obiecto Deum esse remuneratorem aliquo modo supernaturalem, inuoluuntur simul etiam aliæ veritates, vt Deum esse, item auctorem aliquo modo esse bonorum supernaturalium, item hominem non vt brutum secundum animam continuo interire: quæ tamen non propterea pari necessitate seperatim & distincte omnia credenda fuere, vt ex dictis colligitur.

38 Assertio V. In statu legis naturæ & Mosaicæ, necessitate medij credenda explicite non fuerunt mysteria Incarnationis & Trinitatis. Colligitur ex S. Thoma quæstio. 2. art. 7. & 8. & est communis omnium Theologorum sentẽtia cum Magistro in 3. dist. 25. Probatur ex illo Apostoli Gal. 3. v. 23. *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat.* Vbi de fide Iesv Christi sermo est, vt ex verbis antecedentibus patet. Idem docet Augustinus l. 19. contra Faustum cap. 14.

Ratio est; quia cum eo tempore necdum peractum esset mysterium Incarnationis, ipsique homines ob ruditatem & tarditatẽ parum capaces essent tam sublimium mysteriorum, non fuit conueniens explicitam eorundem mysteriorum fidem tanta necessitate ab omnibus exigere. Pluribus eandem assertionem probant Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 11. & 12. Et in 4. dist. 1. q. 2. a. 3. & Canus relect. de Sacramentis in genere part. 2. concluſ. 2.

Assertio VI. Sed nec ante promulgatum sufficienter Euangelium necessitate medij omnibus explicite credenda fuerunt illa Trinitatis & Incarnationis mysteria. Ita ex communi docet Gregorius de Valentia q. 2. punct. 4. Probatur ex scriptura exemplo Cornelij, qui antequam explicite crederet in Christum, iustus erat, Act. 10. v. 2. etsi Magister in 3. dist. 25. significet, eum habuisse etiam antea fidem explicitam de Christo venturo. Ratio est; quia vniuersim lex Euangelica, quoad præcepta seu statuta eiusmodi positiua, necessitate medij non obligabat ante sufficientem promulgationem Euangelij, vt generatim diximus tom. 2. disp. 5. q. 4. dub. 2. 39

Assertio VII. Fides tamen implicita Christi, & SS. Trinitatis, in omni statu necessitate medij necessaria est & fuit, tum ad primam, tum ad vltimam salutem Ita S. Thomas hic quæst. 2. art. 7. ad 3. & est certa apud omnes Doctores. Probatur ex Apostolo Rom. 4. & 5. & ad Gal. 2. & 3. & 2. ad Cor. 4. & alibi passim: vbi fides in Christum tanquam simpliciter & omni tempore ad salutem necessaria cõmendatur. Vnde etiam Act. 4. v. 12. dicitur: *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri* Et 1. Cor. 10. v. 3. de hominibus veteris testamenti dicitur: *Omnes* (per fidem) *eandem escam spiritalem manducauerunt. & omnes eundem potum spiritalem biberunt: bibebant autẽ de spiritali consequente eos petra, petra autem erat CHRISTVS.* Hæc vero cum accipi non possint de fide explicita in Christum, vt dictum assert. 5. necessario de fide saltem implicita accipienda sunt. 40

Eodem modo loquuntur SS. Patres. Ratio est. Tum quia hæc fides implicite continetur in fide ipsius Dei supernaturalem prouidentiam habentis, quæ semper necessaria fuit, vt dictum. Tum quia hoc ipso, quod lex vetus vmbra fuit & figura venturi Christi, fides eiusdem legis virtute ac implicite quodammodo referebatur ac terminabatur ad Christum, vt pluribus dicetur assert. seq.

Neq; vero ideo pari ratione dicendũ est, omnium rerum aliarum, etiã quæ postea primũ successu temporis reuelatæ sunt, fidẽ implicitã omni tempore fuisse necessariam: Quia fides rei necdũ reuelatæ, proprie nullo modo potest dici necessaria; cum illa necdum quidem etiam in actu primo sit obiectum fidei. Earum vero rerum, quæ dudum hominibus reuelatæ fuerunt, etsi fides implicita necessaria dici possit, non tamẽ proprie necessitate medij; hoc ipso, quod non essent de aliquo generali salutis medio; sine quo nemini 41

salus

salus contingeret: ob quam proinde causam, peculiari adhuc modo fides implicita Christi necessaria dicitur vtpote rei ad salutem prorsus necessariæ, vt recte notauit Bannes hic quæst. 2. a. 7. Accedit alia causa sequenti assertione explicanda.

42 Assertio VIII. Valde etiam probabile est, in omni statu medij necessitate necessariam fuisse explicitam fidem Dei Liberatoris saltem in communi; qua videlicet Deus crederetur auctor bonorum supernaturalium, ad remedium peccatorum, & corruptelæ humanæ naturæ. Indicat S. Thomas a. 7. ad 3. vbi ait: *Si qui tamen saluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt saluati absq; fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum esse Liberatorem hominum secundum modos sibi placitos; & secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus ipse reuelasset, secundum illud Iob 35. capite: Qui docet nos super iumenta terræ.*

Idem post Alensem 3. part. q. 82. mem. 3. a. 1. Albertum in 3. dist. 25. a. 1. Bonauenturam ibidem q. 2. Scotum q. 2. Gabrielem q. vn. a. 2. expresse docet Gregorius de Valentia q. 2. punct. 3. Nec dissentit Arragonius q. 2. a. 5. licet enim dicat, fidem explicitam vnius Mediatoris solum necessariam fuisse tempore legis scriptæ, Iudæis tam minoribus, quã maioribus, non autem tempore legis naturæ, vel Gentilibus extra synagogã, non videtur tamen loqui de fide Dei Liberatoris vniuersim, abstrahendo, an aliquis esset Mediator, an non; quandoquidem ibidem expresse docet, in omni statu necessariam fuisse fidem, qua Deus crederetur vnus, Creator, Iustificator, & Glorificator; quo spectat etiam imortalitas animæ. Ratio est; quia in omni statu necessaria necessitate medij fuit pœnitentia, quæ cognitionem & peccatorum, & ipsius Dei Liberatoris à peccatis includit.

43 Ex quibus colligitur, fidem implicitã in Christum, quam S. Thomas q. 2. a. 7. vocat *fidem sub velamine*, & a. 8. fidem quasi *obumbratam & occultatam in fide maiorum*, fuisse in minoribus tripliciter. Primo hoc ipso quod minores crediderunt, illa sacrificia ante legem, & in lege præfiguratiua Incarnationis & Passionis, fuisse diuinitus ordinata seu disposita, vt docet S. Thomas q. 2. art. 7. Secundo, dum ijdem generatim credebant, quod ipsorum maiores siue Ecclesia credebat, iuxta eundem S. Thomam a. 6. ad 3. Tertio eo ipso, quod omnes tam Iudæi, quam Gentiles habebant fidem illam explicitam diuinæ prouidentiæ, credentes *Deum esse liberatorem hominũ secundum modos sibi placitos*, iuxta S. Thomam a. 7. ad 8.

Vbi etiam addit peculiaria quædam exempla, quibus docet, multis Gentilium factam fuisse reuelationem de Christo: *Vt patet, inquit, per ea, quæ prædixerunt. Nam Iob 19. Scio quod Redemptor meus viuit. Sybilla etiam prænuntiauit quædam de Christo, vt Augustinus libro 13. contra Faustum capit. 15. dicit. Inueniuntur etiam in historijs Romanorum*, (apud Theophanem, Baronium Anno 780. &c.) *quod tempore Constantini Augusti, & Irenæ matris eius, in-*

uentum fuit quoddam sepulchrum, in quo iacebat homo, auream laminam habens in pectore, in qua scriptum erat, Christus nascetur ex Virgine; & ego credo in eum. O sol sub Irenæ & Constantini temporibus iterum me videbis. Atque in eundem sensum etiam superius quæst. 1. dub. 7. docuimus, eadem obiecta fidei quouis tempore saltem implicite credita fuisse.

Assertio IX. Quamuis probabile sit, 44
etiamnum post Euangelium sufficienter in orbe promulgatum, fidē explicitam Christi Redemptoris, multoq; magis SS. Trinitatis, non esse necessariam omnibus necessitate medij, neque ad primam, neq; ad vltimam salutem; probabilius tamen est, ita necessariam esse ad vtramque salutem.

Prima assertionis pars ex eo probatur; quia multi & graues Doctores absolute docent, eiusmodi fidem non ita esse necessariam, vti Richardus in 3. dist. 25. a. 4. q. 1. Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 11. & in 4. dist. 5. q. vn. a. 2. Vega loc. cit. & significat S. Thomas 3. part. q. 69. art. 4. ad 2. post Altisiodorensem lib. 3. tract. 3. cap. 1. q. 5. & Guilielmũ Parisiensem tract. de fide. Canus quoq; Relect. de Sacramentis in genere part. 2. Bannes hic q. 2. a. 5. negant, fidem Christi explicitam esse necessarium medium ad primam salutem; etsi fateantur esse necessariam ad vltimam salutem. 45

Præterea Azor tom. 1. lib. 8. cap. 6. q. 6. ait; *Si quis ob ingenij hebetudinem Trinitatis articulum nequeat percipere, satis esse si credat explicite alios clariores, nimirum Christum filium, Dei natũ ex Virgine, passum, cruci affixum. &c.* Huc spectant etiam illi, qui præter fidem generalem Ecclesiæ, solum exigunt, vt quis explicite credat Deum esse, & benefacta debitis præmijs afficere, malefacta supplicijs punire. Pro qua sententia Azor cit. q. 6. refert Innocentium, Hostiensem, Ioannem Andreæ, & Abbatem in caput 1. de Summa Trinitate & fide Catholica. Deniq; huc spectant illi, qui olim absolute docuerunt, satis esse generatim credere ea, quæ credit mater Ecclesia, in quibus est Summa Rosella, & anonymus quidam apud Syluestrum v. *fides* q. 3. qui tamen ab omnibus communiter & merito reijciuntur, ex dictis.

Ratio eiusdem partis est; quia nullo satis firmo argumento ea necessitas probari potest. Quę enim pro contraria sententia adducuntur, vel de fide Christi implicita aut de necessitate præcepti satis probabiliter explicari possunt. Præterquã quod mysterium Trinitatis sua natura abstrusissimum est; cuius nec terminos quidē & comunem notionem rudiores facile intelligere posse videntur; quis enim ex communi plebe scit, quid sit natura, quid persona; necdum quomodo à se inuicē distinguantur &c. Quibus de causis etiam Gregorius de Valentia q. 2. punct. 4 & Bannes a. 5. hanc sententiam probabilē censent; quidquid Canus loc. cit. loquendo de fide in Christũ, ac vltima salute, eam velut temerariam aut erroneam sugillet.

Nihilominus tamen secunda pars assertionis 46
probatur ex eo; quia ea est communior Theologorum sententia. Eam enim supponunt aut indicant S. Thomas hic q. 2. artic. 7. Magister in 3.

dist. 25. Albertus ibidem a. 2. ad 6. Bonaventura a. 1. q. 2. Durandus eadem dist. 25. q. 1. n. 9. Gabriel q. vn. a. 2. eamque fuse probant Gregorius de Valentia hic q. 2. punct. 4. & 5. & quoad fidem Christi Lorinus Act. 2. v. 38. & Iosephus Acosta lib. 5. de procuranda Indorum salute cap. 3. & 4. præter Canum, Bannem, & Arragonium, qui saltem ad vltimam salutem talem fidē docent esse necessitate medij necessariam.

Fundamentum præcipuum huius sententiæ sumitur ex scriptura; quę sæpius magno pondere inculcat necessitatem fidei actualis in Christum, vt Marci 16. vers. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Ioannis 3. vers. 14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*; periturus vtique quisquis non credit in ipsum, sicut perierunt, qui serpentem non aspexerunt: Et itidem vers. 18. *Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine Vnigeniti Filij DEI.* Item Gal. 2. vers. 16. *Scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem IESV CHRISTI.*

47 Ratio est; quia Christ⁹ est primaria causa moralis & meritoria nostræ salutis; ad cuius gloriam veluti finem etiam ipsa salus nostra ordinatur. Conueniens ergo fuit, vt luce Euangelij patefactâ ab omnibus exigeretur explicita fides Christi.

48 Quæ argumenta etiam accommodari possunt ad fidem SS. Trinitatis; præsertim quando sine ea Christi filij DEI Incarnatio credi & concipi non potest; ac præterea eiusdem mysterij in ipso statim Sacramento baptismi publica ac solemnis fit protestatio: etsi contrarium quoad mysterium Trinitatis indicant Scotus in 3. dist. 25. q. 1. circa finem, & Azor loc. cit. eo quod multi simplices non videantur propriam rationem huius tam profundi mysterij posse percipere. Sed fortasse Scotus accipit explicite credere prodistincte credere.

Nam confusam aliquam eius rei notitiam habere, adeoque credere hoc mysterium, vt loquuntur, *quoad substantiam*, non est adeo difficile. Quod quidem Azor loc. cit. post Gabrielem in 3. dist. 25. art. 2. ita explicat, vt substantia articuli Trinitatis sit; *Deum esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; & hos nequaquam esse tres Deos, sed vnum Deum.* In Deo vero esse vnitatem naturæ, & reuera distinctionem personarum, *ad explicationem*, inquit, *eius articuli pertinet, quæ doctorum, non rudium hominum est.*

49 In quem sensum etiam videtur scripsisse Hosius in confess. fidei cap. 2. *Distinctionem personarum & vnitatem substantiæ, si qui sunt rudiores, quam vt comprehendere possint, non est adeo necessarium ad salutem omnibus explicate credere, vt si quis minus hæc fuerit assequutus, de eius salute dubitandum sit.*

Eadem ratione etiam satisfieri potest discursui, quo hac in re vtitur Sa verbo *fides*, cum ait: *Alij sentiunt multis* (rudioribus qui per ignorantiam à peccato excusantur) *sufficere, cum baptismo, credere quod credit Ecclesia. Quam opinionem*, inquit, *etsi adhuc solebam improbare, nunc non ausim. Quid enim? dicemusne perire infinitam Christianorum alioqui bonorum multitudinem, qui de mysterio etiam Trinitatis & Incarnationis vix quidquam recte norunt, imo peruerse sentiunt, si interroges. &c.*

Sed ex dictis colligitur, non ideo necessarium esse, tam multos damnari, vt magis inferius patebit. Quod si qui sunt adeo rudi intellectu, vt ea mysteria sub propria aliqua notione concipere nullo modo possint, tum ij quoad hanc rem cum infantibus ac fatuis comparandi erunt; neque enim credibile est, Deum à quoquam exigere maiorem cognitionem, quam per vim intellectus ipse consequi possit.

Illa vero distinctio Cani, Bannis, & Arragonij, 50
de prima & vltima salute, in hac materia noua est, & fundamento caret. Nam in scriptura ad salutem vltimam nihil requiritur aliud, quam vt quis sit in gratia, & si adultus est, meritum habeat vitæ æternæ. Neque SS. Patres in hac materia, vsquam huius distinctionis meminerunt; & loca, quæ pro necessitate fidei adduximus, non solū loquuntur de vltima salute, sed etiā de prima; adeo vt vel nihil, vel vtrumq; æque probent.

Nec obstat illud Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est; & quod inquirentibus se remunerator sit.* Nam vt recte dixit S. Thomas a. 8. ad 1. hæc quidem duo credere, illic ad salutem necessarium esse dicitur; sed non, sufficere. Quod etiam de Cornelio ab Arragonio adducitur, non spectat ad tempus legis Euangelicæ sufficienter promulgatæ, vt superius dictum.

Assertio X. Sed & probabile est, hoc tempore omnibus necessitate medij necessariam esse 51
explicitam fidem seu cognitionem articulorum diuinitatis, qui in symbolo continentur, videlicet Deum esse vnum, Creatorem, Saluatorem seu Iustificatorem, & Glorificatorem. Ita Gregorius de Valentia q. 2. punct. 5. & Arragonius a. 5. vbi addit, hæc ipsa quoque semper ac in omni statu necessario fuisse credenda explicite. Idem videntur supponere alij, & fere ex dictis colligitur. Nam vnum Deum & Creatorem esse, continetur in ipsa communissima ratione Deitatis, & primi principij; Saluatorem seu Iustificatorem, & Glorificatorem esse, continetur in fide Liberatoris & remuneratoris Dei, iuxta dicta; esto hæc olim ita distincte non fuerint omnibus cognoscenda seu credenda, vt recte Valentia loc. cit.

Dixi tamen fidem seu cognitionē; quia priora 52
duo, cum sint euidenter scibilia, ex sententia quidem S. Thomæ seorsim ac secundum se credi non possunt, nec debent, ab habentibus eorū demonstrationē: ex nostra vero sententia, licet ita credi possint, nō tamē debēt, vt assertione prima dictū.

Quomodo autem nihilominus, non obstantibus his, quæ hactenus docuimus, quiuis etiam fidelis habeat sufficientem gratiam, qua credere possit & saluari, diximus tom. 2. disput. 6, q. 2. dub. 2. Nimirum Deus facientem quod in se est cum auxilio gratiæ præuenientis, quod nemini denegatur, vlteri⁹ illuminabit, aut per se, aut per

Angelos, aut per homines, vt supranaturalem fidem concipere, atque ita iustificari & saluari possit; idque supposita lege Dei, opus proprie miraculosum non erit, sed potius executio quædam & effectus ordinariæ prouidentiæ Dei, vt recte post Albertum in 3. dist. 25. art. 2. ad 6. Durandum q. 1. n. 9. & Gabrielem q. vn. a. 2. ex communi docet etiam Valentia loc. cit. punct. 4.

53 Et consentit S. Thomas in commentario epist. ad Romanos cap. 10. lect. 3. quantumuis hic q. 2. a. 5. ad 1. pro absurdo habere non videatur, quod Deus aliquem in pœnam etiam solius peccati originalis, auxilio gratiæ ad fidem necessariæ destituat. *Ad multa*, inquit, *tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante: sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ; quod quidem auxilium quibuscunque diuinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati; vt Augustinus dicit* (aut potius innuit cap. 5. & 6.) *in libro de corrept. & gratia.* In quem sensum etiam loquitur S. Thomas hic q. 10. a. 1. idque multo expressius docuit Ariminensis apud Suarez 3. part. tom. 4. disp. 8. sect. 2. n. 21. vbi eam ipse sententiam *valde falsam*, nondum tamen aliqua censura dignam iudicat. Sed de hac re pluribus disseruimus tom. 2. loc. cit.

DVBIVM III.

An, & quid necessitate præcepti necessario credendum sit omnibus; & quando præceptū fidei obliget.

S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 5. 6. 7. 8.

54 DE hac re sequentes assertiones statuimus. ASSERTIO I. Ea quæ necessitate medij, pro ratione cuiusque status, credenda fuerunt singulis, iuxta dicta dub. præcedenti, fuerunt etiam credenda necessitate præcepti. Est extra controuersiam. Ratio est. Quia quando aliquid in libera hominis potestate situm, maxime vero si sit aliqua actio humana, ex diuina ordinatione est medium necessarium ad salutem, tunc id hoc ipso quoque cadit sub præceptum diuinum. Alias fieri posset, vt is etiam, qui præcepta diuina seruasset, adhuc tamen non saluaretur; quod est cōtra dictum Christi Matthæi 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

55 ASSERTIO II In omni quoque statu, etiam legis naturæ, credēda vel cognoscēda præterea fuerunt ea, quorum cognitio vniuersim ac in omni statu, erat necessaria ad recte & honeste viuendū, etiam in ordine ad finem supernaturalem. Est itidem certa, & communis Doctorū sententia. Ratio est manifesta. Quia qui iubet aliquid faciendum, iubet etiam id, sine quo illud fieri non potest, si modo in hominis sit potestate, vt sunt actiones istæ morales, de quibus loquimur.

56 Ex quo colligitur, in oñi statu, præter ea, quæ diximus dubio præcedenti, hæc quoque necessitate præcepti necessario fuisse credēda vel cognoscenda. Primum est. Deum esse sumum bonum, & vltimum hominis finem etiam supernaturalem: alioqui enim nec sperari, nec diligi Deus supernaturaliter potuisset; quod tamen in omni statu erat necessariū. Cum vero dicitur, in statu legis naturę nulla fuisse pręcepta diuina positiua, intelligendum id est, aut de statu puræ naturæ, aut de actibus solum externis, & quoad particulares ceremonias sacrificiorum & Sacramentorum, non de pure internis, vt recte notauit Suarez 3. par. tom. 4. disp. 15. sect. 3. n. 10. & 11. Secundum est, hominem diuinis legibus teneri, Deumque de ijs rationem ab eo exacturū, puniendo malos, & remunerādo bonos etiā in altera vita; quod tamē vnū quoq; est ex credendis necessitate medij. Tertium sunt pręcepta naturalia decalogi, & alia generaliora, quæ in decalogo supponuntur. Quartum est 57 imortalitas animæ & libertas arbitrij, quamquam illa etiam necessitate medij aliquo modo credenda fuerit ex dictis. Quintum est peccatum originale, vt probabiliter docet Canus Relect. de pœnitentia part. 2. saltem credendo in confuso omnes à principio suę natiuitatis indigere gratia Dei pro qua paruulis concilianda, parentes certū remedium adhibere teneantur. Sextum addi potest ex S. Thoma hic q. 2. art. 6. ad 3. alijs non repugnantibus, in omni quoque statu necessarium fuisse simplicibus, generatim credere ea, quæ vera Ecclesia credit. Quia populus simplex cum totus pendeat ab auctoritate maiorum, vix alioqui habet, in quo suam fidem constanter possit fundare.

Addunt alij pœnam æternam, aliaque Dei attributa; & Hugo Victorinus lib. 1. part. 10. cap. 7. 58 Deum non esse auctorem peccati. Sed quæ diximus in lege naturæ videntur suffecisse. Neque enim probari potest, aut ratione ipsius per se fidei aut ratione rectæ operationis, plus requisitum ab omnibus fuisse. Dixi tamen *cognoscenda* vel *credenda*; quia cum nonnulla ex his essent etiam ratione naturali euidenter nota, non erat opus ea per se fide diuina credere, vt dictum in simili dubio præcedenti.

ASSERTIO III. In lege Mosaica etiam alia 59 nonnulla præcepti necessitate explicite omnibus credenda fuerunt; nempe quæ pro speciali ratione eius status, necessaria essent omnibus ad recte operandum. Patet, quia multa alia populus ille facere tenebatur, quæ non nisi diuina reuelatione poterant cognosci. Vt Deum præcepisse circumcisionem, & Sabbathi sanctificationem; item eduxisse populum de terra Ægypti, ac proinde hoc beneficium perpetuo grata mente recolendum; & similia, quæ ex singulari præcepto Dei vniuerso populo debebant proponi iuxta Exodi 12. Deuteronomij 6. 11. & 16.

Tale etiam probabiliter fuit, aduenturum aliquando Messiā seu Christum Saluatorē ac Mediatorem, non quidem distincte, quod is ipse futurus esset naturalis filius Dei, passurus, & resurrecturus, sed in confuso, vt dubio præcedenti ex Arragonio dictum, & docet etiam Bañes hic q. 2. a. 5.

Id enim dogma præcipuum quasi quoddam fundamentum fuit eius Ecclesiæ, quod & in Circumcisione, & alijs sacrificijs palam ipsa profitebatur: ac præterea ex Colloquio Samaritanæ, & alijs Iudæorum sermonibus cum Christo habitis, satis colligitur, omnes communiter eo tempore Messiæ aduentum expectasse.

60 Assertio IV. Sed & in lege naturæ, post lapsum, & in statu legis Mosaicę, necessitate præcepti maiores quidem explicite credere tenebantur SS. Trinitatis & Incarnationis Christi mysteriũ, etiam quatenus per mortem & Resurrectionem suam redempturus erat genus humanum; minores autem non item. S. Thomas hic q. 2. a. 7. & 8. & communis Doctorum in 3 dist. 25. Vocantur autem Maiores, quibus incumbit officium regendi & docendi adeoque pascendi alios doctrina spirituali; cæteri vocantur Minores, ex Augustino lib. 14. de Trinitate cap. 1.

61 Prima pars assertionis probatur. Quia omni tempore extabant expressæ reuelationes de his mysterijs, atque etiam per sacrificia aliasq; ceremonias mysterium Christi Redemptoris adumbrabatur: oportebat ergo saltem maiores illud cognoscere, vt etiam plures reipsa cognouisse ostendit S. Thomas a. 7. in corpore & solutione argumentorũ. Addit nec Adamũ quidẽ ante peccatũ ea cognitione Christi caruisse. Licet enim tunc quidem non habuerit fidem Christi Redemptoris & passuri, habuit tamẽ fidẽ Christi in carne vẽturi, *secundũ quod*, inqt, *ordinabatur ad consummationẽ gloriæ* iuxta dictũ Adami Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrẽ & matrẽ, & adhærebit vxori suæ*: quod Apostolus ad Ephes. 5. dicit, Sacramentũ magnũ esse, in Christo & Ecclesia; idq; *Sacramentũ*, inqt S. Thomas, *non est credibile primũ hominẽ ignorasse*. Eadẽ est cõmunis Doctorum sententia in 3. dist. 25.

62 Secunda pars assertionis probatur, tum ex difficultate tanti mysterij, tum ex illo Galat. 3. v. 23. *Priusautem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat.* In quẽ sensum loquitur etiã Augustinus l. 19. contra Faustũ c. 14. Interim tamen fatendum est, si quis ex minoribus hanc veritatem fidei sufficienter edoctus fuisset, ab eo tum quidem eam veritatem negari nullo modo potuisse, sed ei quoad specificationẽ actus necessario credendam fuisse. At non ideo tamen Minores per se huius fidei præcepto tenebantur; ita vt in eiusmodi veritatem inquirere, eamque ex instituto addiscere debuerint.

63 Assertio V. In statu legis Euangelicæ, ac ex ipso statim tempore, quo ea cœpit obligare, tenebãtur quidẽ omnes, tã maiores, quã minores eiusmodi mysteria Trinitatis & Incarnationis explicite credere; attamen multi propter ignorantiam inuincibilẽ à peccato infidelitatis & iã olim excusabantur, atque etiamnũ, saltem inter barbaros degentes, excusari possunt. Est cõmunis ac prope certa Theologorum sententia. Et prima pars est S. Thomæ hic q. 2. a. 7. & Doctorum in 3. dist. 25. Ratio sumitur, tum ex dictis dub. præced. vbi etiã necessitate medij fidem eam hoc tempore esse necessariam docuimus; tum ex ijs, quæ generatim diximus de legibus tom. 2. disp. 5. q. 4. dub. 2.

Secunda pars assertionis generatim & ex instituto probabitur inferius q. 8. dub. 1. Ratio breuiter est, quia tametsi omnes, si cum auxilio præuenientis gratiæ Dei congruenter viuant rationi naturali, possint absolute ad earum veritatũ cognitionem peruenire, vt dub. perced. dictum, non tamen possunt ex animi deliberatione ac proposito eam sibi cognitionem comparare, cum nulla habeãt principia dubitãdi vel inquirendi, vt supponimus. Dixi vero, *saltẽ inter barbaros*, seu Ethnicos, quia inter Christianos difficilius admitti potest ignorantia inuincibilis horum articulorum: nisi quod Scotus, Sa, & Azor citati dubio præcedenti, dum admittunt, inter ipsos quoque fideles esse aliquos qui vel ob hebetudinem ingenij, vel ob defectum ac negligentiam pastorum, rationẽ seu substantiam horum mysteriorum ignorent, consequenter etiam admittere debent, inter ipsos quoque Christianos dari posse ignorantiã inuincibilem eorundem mysteriorũ: quod videtur etiam sentire Vasquez 1. 2. disp. 211. n. 3. Sed hæc rariora videntur. Plura inferius loco citato. 64

Assertio VI. In statu legis Euangelicæ, tenentur quoq; omnes adulti explicitè scire & credere omnes articulos fidei, in symbolo Apostolorum contentos, saltem quoad substantiam. Ita S. Thomas hic q. 2. a. 5. Caietanus, Bannes, Arragonius ibidem, & Gregorius de Valentia q. 2. punct. 3. post Alensem, Scotum, Marsilium, Gabrielem, & cõmunem Doctorum in 3. dist. 25. Idem supponitur in catechismo Romano de symbolo, & in multis decretis apud Gratianum de consecratione dist. 4. vt & apud SS. Patres Athanasium in symbolo, Cyrillum Hierosolymitanum catechesi 5. Augustinũ lib. de fide & symbolo cap. 1. & lib. de symbolo ad catechumenos, & alios, qui scripserunt in symbolũ, cuius proinde etiã cognitio præsensque memoria exigitur tum à baptizandis, tum à volentibus contrahere matrimonium, de consecrat. dist. 7 & apud Augustinum loc. cit. 65

Sed & in VI. Synodo canone 7. dicitur, non esse censendum Catholicum, qui id memoriter nõ retineat, & in Rhemensi, non esse admittendum ad communionem. 66

Deniq; grauissime multa Concilia iniungunt Parochis, vt populum hæc doceãt, speciatim Cabilonense II. canone 4. Aurelianense canon. 10. & 19. Lateranense sub Leone sess. 9. & Tridentinum sess. 6. cap. 7. de reformatione, & sess. 24. c. 4. Ratio assertionis est. Quia symbolum Apostolorum est collectio præcipuarum fidei veritatum, quæ scilicet magis propinque nos ordinant ad vitam æternam, quæque idcirco etiam in breuem quasi summam ab Apostolis collatæ sunt, vt habeant omnes facilẽ quandam & expeditam regulam credendi, vt dictum supra q. 1. dub. 8.

Et quamuis nihilominus Doctores pleriq; sentiant, per se non esse mortale, statam illam symboli Apostolici formam sub verbis præscriptis memoria non tenere, vt ex cõmuni tradunt Medina lib. 6. de fide cap. 6. Gregorius de Valentia q. 2. punct. 1. & Sa verbo *fides* (vbi tamen in contrarium refertur Nauarrus) & Azor tom. 1. lib. 8 cap. 7. q. 5. communiter tamen censetur esse, 67

saltem

saltem venialis negligentia, si quis id addiscere negligat, iuxta Paludanum in 4. distinctione 15. quæstione 5. Nauarrum Manuali cap. 11. numero 22. & in capitulum *Quando*, de consecrat. distinct. 1. cum præsertim simplices vix alioquin satis articulorum cognitionem percipiant & retineant: vt recte proinde etiam dixerit Azor loc. cit. *in magno periculo versari eos, qui fidei articulos & decem præcepta non discunt.*

68 Quod autem multi Scholastici, speciatim Albertus, Bonauentura, Richardus, Durandus in 3. dist. 25. consentiente, vt apparet, etiam Azorio tom. 1. l. 8. c. 6. q. 2. docent, articulos duntaxat ab Ecclesia *solemniter* omnibus explicite credendos, non satis expeditam rationem habet. Quia sunt nonnullę veritates fidei, quæ ab Ecclesia solemniter celebrantur, vt Circumcisio Christi, aduentus Magorum, missio Spiritus Sancti; quas, cum symbolum Apostolorum non exprimat, nemo facile dixerit, per se loquendo, omnibus explicite credendas, vt recte notauit Valentia cit. punct. 4. etsi contrarium indicet Alensis 3. part. q. 82. memb. 3. a. 1. E contrario resurrectio mortuorum, iudicium extremum, & communio Sanctorum in symbolo Apostolorum non frustra sunt posita; cum tamen nulla peculiari solemnitate in Ecclesia celebrentur.

69 Dixi tamen *articulos*: quia non omnes circumstantiæ articulorũ, quales significantur illis verbis, *Sub Pontio Pilato. &c. Tertia die.* &c. necessario sub peccato mortali explicite credendæ vel cognoscendæ sunt, vt ex communi recte docent Valentia loc. cit. & Azor tom. 1. lib. 8. c. 6. q. 4. vbi videtur sentire, etiam descensum Christi ad inferos, item vnam Sanctam & Catholicam Ecclesiã, Sanctorum cõmunionem, remissionẽ peccatorũ, carnis resurrectionẽ, perpetuamq; Deiparæ Virginitatem non necessario explicite esse credenda, eo quod hæc, vt ipse ait, in articulis quatuordecim, prout à Scholasticis solent numerari, expressè non computentur. Sed hoc non videtur verum:

70 tum quia falsum est, vniuersim istã nõ computari in articulis quatuordecim, vt suo loco dictum, & patet ex ipsius Azorij doctrina c. 5. q. 1. Tum quia Ecclesia vna, sancta, Catholica, tanquam generalissimũ fidei fundamentum simplicibus inprimis necessaria creditu est, vt supra dictum, quamuis in illo quatuordecim articulorum complexu per se ac seorsim non computetur, vt proinde non satis esse existimem articulos quatuordecim, prout ab Azorio referuntur & exponuntur, credere, vt dictum, quamtumuis ipse contrarium sentiat.

71 Dixi secundo, *quoad substantiam.* Quia non est opus, vt simplices valde distinctã notitiã cognoscant omnes fidei articulos; satis est simplicem articulorum sententiam tenere, hoc est, vt ex Gabriele explicat Azor cit. cap. 6. q. 5. scire id quod simpliciter, licet confuse & generaliter significatur vocibus in articulo contentis, v. g. per sessionem Christi ad dextram intelligant, Christum etiam secundum humanitatem, summa quadam beatitudine & felicitate perfrui in cœlis, & sic de cæteris, vt fusius persequuntur Bannes & Azor locis cit. & de mysterio Trinitatis dictum dub. præced. Alioqui solum in ipso externo verborum codice hærere, satis non est, vt ex communi recte Valentia loc. cit.

Assertio VII. Omnes quoque in lege 72
Euangelica tenentur ex præcepto scire ea, quæ & cõmuniter Christianis omnibus, & cuiq; iuxta suum statum necessaria sunt ad recte viuendum. Ita docent omnes, & ratio patet ex dictis. Vnde etiã sequitur primo, omnes scire debere substantiam & rationem Sacramentorum baptismi, pœnitentiæ & Eucharistiæ, & quæ ad eadem Sacramenta digne recipienda sunt necessaria. In cæteris vero Sacramentis idem opuserit, si quando ea suscipere quis voluerit. Quare etiam sapienter in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 7. de reformat. statutum est, vt ante Sacramentorum administrationem, prius eorum vsus & efficacia, pro suscipientium captu explicentur; & sincera doctrinę Christianę catechesis populo fideli tradatur, quin & sacra eloquia, & salutis monita singulis diebus festis vel solemnibus explanentur.

Secundo omnes etiam tenentur scire modum 73
legitime Deum orandi, ac in specie etiam, iuxta receptum Ecclesiæ morem, Orationem Dominicam; item præcepta Decalogi, & cõmunia præcepta Ecclesiæ, atq; etiam opera misericordiæ, saltem quatenus pro loco & tempore cõmuniter exercenda sunt; quamquã hæc cognitio, vt & septem peccatorũ mortalium, fere etiam in Decalogo contineatur. Et quidem orationẽ Dominicã, non minus quam Apostolorum symbolum, etiam sub præscripta verborum formula memoriter tenere necesse est, vt omnes fatentur. Cætera vero per se loquendo necesse non est memoriter & ordine seu verbo tenus, vti in Catechismis proponuntur, scire, ac recitare posse; satis est eorum substantiam nosse, quantum opus est cuiq; tum vt præcepta ad se pertinentia seruare, tum vt fidem eorum, cum necesse fuerit, absq; errore profiteri possit, vt ex communi tradit Azor loc. cit.

Maiores autem, ac præsertim Parochi & Epis- 74
copi non solũ curare debent, vt subditi ea perdiscant, iuxta superius dicta, sed etiam ipsi, pro sua cuiq; personæ ac muneris conditione, explicatiorem adhuc fidem, maioremq; rerũ spiritualiũ & Ecclesiasticarũ cognitionẽ procurare tenentur. De qua re multa extant in decretis dist. 36. & 38. & in Concilio Toletano II. in principio, & in Arelatensi sub Carolo Magno c. 3. Turonensi III. c. 3. & 4. Lateranensi sub Leone sess. 9. & in Tridentino sess. 7. c. 1. de reformat. & sess. 22. cap 2.

De eadem re disserunt etiam Scholastici in 3. dist. 25. & S. Thomas 3. par. q. 36. a. 1. & hic q. 2. a. 6. vbi breuiter ait: *Explicatio fidei oportet quod perueniat ad inferiores homines per maiores: & ideo sicut superiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiã de rebus diuinis quam inferiores, vt dicit Dionysius 12. cap. cœlestis hierarchiæ, ita etiã superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorẽ notitiam de credendis, & magis explicite credere.* Et ibidẽ ad 2. notat, *simplices nõ esse examinandos de subtilitatibus fidei, nisi quando habetur suspicio, quod sint ab hæreticis deprauati, qui in his, quæ ad subtilitatem fidei pertinent, solent fidem simplicium deprauare.*

Assertio

75 ASSERTIO VIII. Etsi quidem absolute loquendo, cætera implicite credere sufficit, non est tamen in ijs, si sufficienter, ac præsertim Ecclesiæ nomine proponantur, liberũ cuiq; credere quod libeat; sed tenentur prorsus omnes sub peccato mortali, quantum in se est, nihil fidei contrarium credere, adeoq; saltem quoad specificationem actus, omnia, quæ Ecclesia credenda proponit explicite credere. Est certa doctrina apud S. Thomam hic q. 2. a. 5. & a. 6. ad 2. contra Erasmum l. de Sarc. Eccles. concord. & l. 20. Epistolarũ, ad Carolum & ad Ferdinandũ Imperatores, & contra Georgium Cassandrum l. de officio pij viri, & alios nonullos antiquiores, apud Bellarminum l. 3. de mem. Eccles. c. 19. & apud Gregorium de Valentia hic q. 2. pun. 6. relatos, qui præpostero pacis studio dicebant, modo symbolum fidei, aut alij præcipui articuli vtcunque teneantur, de cætero quid quisq; credat parum interesse, etiamsi quis sciat hoc vel illud esse ab Ecclesia definitũ, vel ad
76 credendum propositum. Sed est error manifestus; qui refellitur primo ex Scriptura, quæ necessitatem vnius ac veræ fidei, non compatientis secum vllum pertinacem in fide errorem, sæpius inculcat. Ephes. 4. v. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Quæque omnes hæreticos & aduersus Ecclesiam contumaces à consortio totius Ecclesiæ segregat, aut segregandos præcipit, Matthæi 18. v. 17. Rom. 16. v. 17. Galat. 1. v. 8. ad Titum 3. v. 10. 2. Petri 2. v. 1. & sequentibus, 2. Ioannis v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis.*

77 Secundo refellitur ex SS. Patribus, ac perpetua praxi Ecclesiæ, quæ semper vel in minimo circa fidem contra Ecclesiæ sensum pertinaciter aberrantes acriter insectata est, vt patet vel ex vnica illa controuersia quæ fuit de voce *Homousios*, in historia tripartita lib. 5. c. 20. & apud Ruffinum l. 10. hist. c. 21. Socratem l. 4. c. 11. & apud Athanasium passim, præsertim epistola de Synodo Ariminensi & Seleuciensi, ac Hieronymum contra Luciferianos. Optimum est illud Athanasij in symbolo: *Quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.*

78 Ratio est: quia qui vnicam fidei veritatem pertinaciter, & contra Ecclesiæ authoritatem negat, is tum Deum ipsum, quantum in se est, mẽdacij arguit, tum Ecclesiæ auctoritatem infallibilem, quę tamen nobis est necessaria quædam credendi regula, conuellit; ac proinde totam rationem credendi, omnemq; fidem funditus euertit ac destruit, vt dictum etiam quæst. præced. dub. 4. Interim tamen dubium non est, multos simplices sæpe ob ignorantiam excusari posse, negantes ea, quæ alioqui de fide certa sunt, vt recte notauit S. Thomas q. 2. a. 6. ad 2. ac in specie fusius persequitur Azor tom. 1. l. 8. c. 6. q. 7. 8. & 9.

79 Ex quibus colligitur, duplex esse genus præcepti quoad actus internos fidei; vnum est negatiuum, non dissentire voluntarie rebus fidei, nec de earum veritate voluntarie dubitare; quod semper ac pro semper, & in omni materia obligat, vt dictum. Alterum est affirmatiuum, re ipsa nempe aliquando eliciendi actum internum fidei; quod semper quidem obligat sed non pro semper, ac in omni materia, vt dictum.

Quæres, quandonam determinate obliget. Respondeo breuiter cum Valentia q. 2. pun. 6. obligare I. statim post vsum rationis, cum primum alicui fides sufficienter proponitur, saltem si quis antea fuerit infidelis; tenetur enim tunc fidem acceptare, ne si in mora sit, aut peccatum infidelitatis incurrat, aut saltem duritiæ ad credendum. II. in articulo mortis, quo nimirum tempore etiam præceptum charitatis obligat, vt suo loco dicetur. III. Quoties in vita opus est, vel ad tentationem grauem in fide superandam, vel ad professionem fidei debito modo faciendam, vel ad debitos aliarum virtutum supernaturalium actus exercendos, puta orationis, spei, charitatis, pœnitentiæ, qui sine præuio fidei actu elici non possunt.

Et quamquam Azor l. 8. c. 7. 4. 6. vniuersim dicat, fideles teneri solum cum lege compelluntur ad amissam iustitiam recuperandã, per actum veræ pœnitentię, verius est tamen, quod diximus; quia etiam extra illum casum nonnunquam obligantur homines, ad actus charitatis & virtutum supernaturalium exercendos, vt agnoscit deniq; ipsemet Azor l. 8. c. 27. q. 8. Vtrum autem ignorantia rerum credendarum sit peccatum distinctũ ab illo, quod ex illo subsequitur, generatim diximus tom. 2. disp. 4. q. 9. dub. 1.

Huc etiam spectat, quod ad explicandum illud 80
Apostoli Rom. 3. legem factorum distinguentis contra legem fidei tradit S. Thomas q. 16. a. 1. I. Nec in veteri nec in nouo testamento directe legem fuisse latam de credendo in vnum Deum; quia lex non datur inquit nisi ei, qui se antea agnoscit subditum legislatori: hoc autem in proposito fit per fidem. Quocirca etiam doctrina de vno Deo Exodi 20. Deuter. 6. solum per modum cuiusdam præambuli, indicatiuo loquendi modo cæteris præceptis præmittitur. Quod dictum intelligi debet de præcepto verbis imperatiuis formaliter expresso: alias enim constat reipsa in vtraque lege præceptum fidei extare vt dictum. II. In veteri lege, supposita fide vnius Dei nullum aliud præceptum fidei traditum fuisse.

Quod intelligi debet cũ tribus limitationibus. I. de lege propria veteris testamenti; qua ratione excluduntur præcepta spectantia ad cultum internum vnius veri Dei. 2. de præcepto fidei per se obligante non in ordine ad praxin; qua ratione excluduntur omnia, quę ob ipsam praxin fuerunt ab omnibus credenda vel cognoscenda 3. de præcepto generali etiã simplices obligante ex dictis. III. In noua lege supposita fide vnius Dei conuenienter fuisse præcepta alia præscripta de cæteris fidei credibilibus seu obiectis, vti ex dictis constat. Ac per hoc ipsum differt lex noua ab antiqua lege quod præcipua fidei nostræ mysteria non ita fuerunt in lege veteri manifesta; quamuis interim de rebus agendis multo plura illic essent præscripta quam in lege noua. De qua re pluribus actum de legibus q. 4. dub. 3.

DVBIVM IV.

An, & qua ratione actus fidei sit meritorius, ac necessario bonus.

S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 9. & 10.

81 ACtum internum fidei posse esse, atque etiam re ipsa esse meritoriũ, si ex charitate procedat extra controuersiã est, ex dictis tom. 2. disp. 6. q. 6. du. 4. & patet ex Apostolo Heb. 11. v. 33. *Sancti per fidẽ vicerunt regna, operati sunt iustitiã, adepti sunt repromissiones*: idq; de fide est, contra Abailardũ, damnatũ idcirco ab Innocentio Papa, vt habetur inter epistolas S. Bernardi epistola 194. Et vero recte addit S. Thomas hic q. 2. a. 9. actũ fidei cum & quoad exercitiũ, & quoad specificationẽ liber sit, posse ratione vtriusq; esse meritorium, secus quã actum scientiæ, qui cum solum quoad exercitiũ, non quoad specificationem liber sit, vt constat, solum ratione exercitij potest esse meritorius.

82 Sed dubitatur primo, vtrũ etiã primus actus fidei (siue sit prim⁹ simpliciter, siue primus dũtaxat in aliqua supernaturalis operationis serie) adeoque ipsa etiã prima credendi voluntas, possit esse actus meritorius. Negant Marsilius in 3. q. 14. a. 5. dub. 3. Almain dist. 14. q. 2. & Arragonius hic q. 2. a. 9. Ratio est. Tũ quia primus actus fidei antecedit omnem relationem charitatis erga Deum, ad meritum necessariam. Tum quia prima voluntas credendi non potest esse meritoria; cum non fundetur in actu fidei, quem tamen omne meritum videtur supponere.

83 Sed contraria sententia videtur probabilior; quam supponit S. Thomas hic q. 2. a. 9. & tuetur Capreolus in 2. dist. 40. ad 3. contra cõclusionẽ 2. Quæ quidẽ sententia nullã habet difficultatẽ apud eos, qui ad meritũ in homine iusto non requirunt relationẽ actualẽ aut virtualẽ ipsius actus ad Deũ per charitatẽ, quã sententiã nos etiã loc. cit. diximus esse probabilẽ. Ex nostra vero sententia, quã ibidem velut probabiliorẽ defendimus, dicendũ est cum Capreolo loc. cit. actũ eiusmodi meritorium esse, si, vt fieri potest, in eodem instanti, quo elicitur, coniunctus sit cum actu charitatis, non quidem vt est prior natura actu charitatis, sed vt secundũ considerationem nostrã posterius ab eo quodam̃odo informatur, ad eiusque finẽ refertur; esto interim physice quasi ab eo nõ procedat, nec imperetur vti generatim diximus ibidem dub. 6.

84 Ex quo patet responsio ad primum oppositæ sententiæ fundamentum. Ad secundum respondendum est, non omnem actum voluntatis meritorium supponere actũ fidei, à quo reipsa procedat; sed satis esse vt & fundetur in iudicio aliquo modo supernaturali, ex dictis quæ præced. dub. 1. & ex gratia procedat, ac terminetur saltem ad ipsam fidẽ. Quare cum fides dicitur fundamentũ meriti, in fide includitur etiam voluntas credendi; cuius proinde fundamenti aliud fundamentum requirendum non est.

85 Secundo dubitatur, vtrum ratio inductiua seu mouens ad fidem minuat meritum fidei; de qua re ex instituto disserit S. Thomas hic q. 2. a. 10. Et vero variant in ea re Doctores. Primo enim Durandus in 3. dist. 24. q. 3. dicit, rationem demonstratiuam tollere totum meritum fidei, circa illud videlicet obiectum, de quo habetur demonstratio; rationem autem topicam seu probabilem nec tollere, nec minuere. Secundo Caietanus 3. part. q. 36. a. 1. dicit, rationem demonstratiuam tollere, rationem autem topicam minuere meritum fidei. Tertio S. Thomas hic a. 10. docet, rationem, quæ fidem antecedat minuere meritum fidei, consequentem vero potius augere, vel certe signum esse maioris meriti, sicut etiam de passione circa obiectum bonum alibi docuerat 1. 2. q. 24. a. 3. ad 1. & q. 77. a. 6. ad 2. Nos rem hanc sequentibus assertionibus breuiter explicamus.

86 ASSERTIO I. Motiua, seu rationes illæ, quæ necessariæ sunt ad fidei credibilitatẽ, per se nullo modo minuunt meritũ fidei. Hæc est assertio est extra controuersiam, vt recte notarunt Bannes & Arragonius hic q. 2. a. 10. Ratio est, quia sine his nullus potest esse actus veræ & diuinæ fidei, & si esset, fides prudens non esset, nec laudabilis, sed leuis ac vitiosa. Vnde etiam merito notauit Bannes ibidem, rationes illas non esse computandas inter eas, quas S. Thomas vocat antecedentes fidem, cum sint plane necessariæ ad fidem, atque adeo quasi concomitãtes; seu potius quia S. Thomas de rationibus non necessarijs ad credendum locutus est.

87 ASSERTIO II. Nec euidens quidem ratio seu cognitio rei credẽdæ, per se tollit, aut minuit meritũ fidei, si solũ cõcomitanter se habeat ad volũtatẽ credendi, siue alias antecedat fidẽ, siue subsequatur: imo si ex fidei amore, seu credendi propẽsione nascatur studiũ inqrendi rationes pro fide, tunc illæ potius augent meritũ fidei, aut certe sunt signũ eiusdẽ augmenti. Hæc est mẽs S. Thomæ hic cit. a. 10. Vocat enim rationẽ antecedentẽ, quæ causa est ipsius fidei, ita vt sine ea fidei assensus nõ esset. Probatur ex illo Ecclesiastici 24. v. 31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*

Ratio est. Tum quia meritum fidei consistere potest in sola animi præparatione ad credendum, iuxta S. Thomam hic a. 10. ad 2. & 3. part. q. 7. a. 3. ad 2. vbi propterea ait, Christum Dominum habuisse meritum fidei, etiamsi fidem non habuerit. Tum quia potest quis fidem præferre demonstrationi, atque adeo propter reuelationem obscuram potius, quam propter demonstrationem assentiri; cum ex nostra quidem sententia actus fidei non impediatur tali euidentia, & vero aliunde etiam suam propriam & intrinsecam difficultatem ac excellentiã ex proprio obiecto retineat, licet ex parte subiecti minuatur aliquo modo difficultas credendi; quod tamen ad minuendum fidei meritum nihil facit vt colligitur ex dictis tomo 2. disp. 6. q. 6. dub. 5. Idem confirmatur exemplo Angelorum & Prophetarum, qui simul cum fide habuerunt euidentiam reuelantis, vt dictũ quæst. præced. dub. 4. nec tamen idcirco vtique minoris meriti fidem habuerunt. 88

ASSER-

89 Assertio III. Notitia tamen euidens rei credendæ, & quælibet alia humana ratio, maior quam alioqui ad prudenter credendum sufficiat, si credendi voluntatem ita antecedat, vt sit causa propter quam aliquis credit, & sine qua non crederet, minuit aut omnino tollit meritum fidei, saltem ex parte praui affectus voluntatis nolentis propter alia motiua sufficientia credere. Hæc est mens S. Thomæ, hic cit. art. 10. & cõmunis Doctorum. Probatur ex illo Christi Ioannis 20. v. 29. *Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vbi significatur, fidem Thomæ fuisse minoris meriti, quam aliorũ, qui non viderunt & crediderunt. Qua de causa tales etiam in scriptura reprehenduntur tanquam tardi corde, & duri ad credendum, Lucæ 24. vers. 25. & Act. 7. v. 51. quibus etiam dicitur illud Ioannis 4. v. 48 *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Ratio est; quia non credere nisi maioribus, quam opus sit, rationibus persuasum, est mala animæ dispositio, quæ etsi quidem per se non inficiat ipsum actum credendi, minuit tamen ipsius meritum hoc ipso, quod à voluntate credendi minus perfecta procedit.

90 Assertio IV. Quin etiam aliunde per accidens, tum hæ, quas diximus, tum aliæ etiam rationes quælibet minuere possunt meritum fidei si quis videlicet raro, vel nunquam verum fidei, diuinæ actum eliciat, nitentem scilicet ipsa reuelatione diuina; sed assensum duntaxat naturalẽ, seu actum fidei humanæ, nitentem solum aut euidentia naturali, seu ipsius veritatis credendæ, seu credibilitatis, adeoque motiuis ac propositione humana; aut si quis ex duritia quadam cordis, etiam acquisito iam semel habitu fidei, non eliciat actum fidei nisi moueatur noua semper ac speciali consideratiõe ac velut examine humanorum motiuorum. Priorem partem recte tradit Arragonius hic q. 2. a. 10. vbi ita explicat S. Thomam ibidem. Ratio per se patet: quia assensus mere humanus & naturalis, aut meritorius non est, aut saltem non tam meritorius, quam actus supernaturalis fidei, qui hoc casu ex hypothesi intermittitur; vt proinde non tam minui eius meritum, quam tolli dicendum sit.

91 Posteriorem partem tradit Gregorius de Valentia q. 2. punct. 7. Ratio est; quia etiam hoc casu minus resoluta & perfecta est credendi voluntas. Neque vero ad actum fidei eliciendum, necesse est particulatim fidei motiua ad mentem reuocare, satis est generatim cogitare & persuasum esse, id quod credendum est, grauissimis argumẽtis prudenter & euidẽter tanquam firma fide propter diuinam reuelationem credendum credibile esse. Atq; in hunc sensum accipiendum est, quod ait S. Thomas 3 part. q. 36. a. 1. *Natiuitatem Christi non debuisse omnibus fidelibus manifestari, sicut pastoribus est manifestata, quia alias diminueretur meritum fidei.*

92 Potest hic etiam tertio quæri, vtrum omnis actus internus fidei diuinæ necessario sit bonus; an vero aliquando ex mala intentione procedere atque ita deprauari possit. Quod quidem affirmant Medina 1. 2. quæstion. 56. artic. 6. & alij quidam recentiores; saltem loquendo de homine, qui iam habitu fidelis est; in quo non putant isti ad fidei actum prærequiri actum voluntatis supernaturalem, speciali quodam auxilio Dei elicitum. Sed suppositis ijs, quæ docuimus supra quæst. præced. dub. 1. & in mat. de gratia tom. 2. disp. 6. quæst. 3. dub. 1. opposita sententia est verior, ac tenenda: quam fuse tuentur Vasquez 1. 2. disp. 53. cap. 4. & Bannes hic q. 4. art. 5. dub 2. Fundamentum præcipuum sumitur ex Concilio Arausicano Canone 5. vbi vniuersim definitur, ipsum etiam *affectum credulitatis per gratiæ donum nobis ineſſe.* Accedit, quod fides non est virtus mere intellectualis, sed aliquo modo etiam moralis, vtpote pendens ex pia motione voluntatis; adeoque virtus simpliciter, non tantum secundum quid, vt dictum quæst. præced. dub. 2.

93 Dices. In eo ipso casu antea proposito, quo aliquis non crederet, nisi oblatis maioribus motiuis, quam ad credendum necessaria sint, actus credendi procedit ex mala & peruersa voluntate non credendi, nisi accedentibus maioribus motiuis: Ergo est malus. Respondeo negando antecedens; quia in eo homine supponenda est duplex voluntas; vna fugæ, nolentis scilicet credere propter sufficientia motiua; & hæc quidem voluntas mala est, sed ex ea assensus fidei non procedit, vt patet, imo verius est, eum actum simul consistere non posse cum actu fidei; etsi præcedere potuerit, vt in simili dicetur inferius quæst. 8. dub. 1, quæsito 2. Altera est prosecutio, seu voluntas credendi propter maiora motiua, & hæc voluntas per se mala non est, sed imperfecta; ob dispositionem quandam habitualem operantis, non quidem iam nolentis credere, sed non crediturí, nisi propter maiora motiua; ex qua proinde etiam imperfectior fidei assensus procedit, vt ante dictum.

DVBIVM V.

An, & qua ratione externa confessio fidei necessaria sit ad salutem; quæue in ea re obseruanda sint regulæ.

S. Thomas 2. 2. q. 3. aa. 2.

94 AN, & qua ratione confessio externa fidei sit actus fidei diximus supra dub. 1. Quod vero ad eius necessitatem seu obligationem attinet, supponendum est ex communi & certa omnium Theologorum sententia, cum S. Thoma hic q. 3. a. 2. extare plane aliquod præceptũ diuinũ, ad fidei confessionẽ pertinens, tum negatium scilicet, de nunquã neganda fide vera; tum affirmatiuum, de confitenda aliquando vera fide; quorũ illud semperac pro semper obliget, nempe vbi res serio agi videatur, vt excludantur Comœdiæ & ioci: hoc vero solũ pro certo tempore, vt in simili dictum dub. præced. Idque est de fide contra Elcesaitas apud Eusebium l. 6. hist. c. 28. Epiphanium lib 1.

hæres.19. item contra Priscillianistas apud Augustinum de hæresibus c. 70. & contra Libertinos huius temporis, qui vtrumque eiusmodi præceptum negant; contra apertam scripturam, in qua vtrumque præceptum simul aut seorsim expresse refertur.

Patet hoc Matthæi 10. vers. 32. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Lucæ 9. v. 26. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Maiestate sua.* Item Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* 2. Timoth. 2. v. 12. *Si negauerimus, & ille negabit nos.* Similia habentur Marci 8. v. 38. & Lucæ 12. v. 8. Denique 2. Ioannis v. 7. *Seductores* vocantur, *qui non confitentur IESVM CHRISTVM* 95 *veniſſe in carne.* Huc spectant lachrymæ Petri, quibus peccatum abnegationis Christi amare defleuit, Lucæ 22. v. 62. Idem habetur Canone 61. Apostolorum, & in Concilio Nicæno Can. 11. & alibi passim, vt videre est causa 11. q. 3. Ratio patebit inferius.

Oritur autem hæc obligatio profitendi fidem generatim, ex eius virtutis præcepto, ad cuius finem ipsa professio potissimum requiritur, puta vel ex virtute Religionis, cū directe propter honorem Dei tuendum necessaria est; vel ex iustitia seu charitate erga proximum, si propter eius cōmodum ex officio seu charitate procurandū necessaria sit. Paulo diuersa est ratio abnegationis fidei; quæ licet etiam alijs virtutibus aduersari possit, per se tamē & directe aduersatur tum fidei, vetanti ne Dei authoritas infallibilis in dicendo lædatur; tum si quando falso aliquo cultu seu peculiari dehonestatione per fidei abnegationem Deus inhonoratur, Religioni; cui nimirum opponitur idololatria, & quæuis delatio falsi cultus. His positis, vt cognoscatur, quænam regulæ seruandæ sint circa præceptum confessionis fidei, sequentes assertiones statuimus.

96 Assertio I. Nunquam licet exterius verbis apertis profiteri falsam fidem, aut negare veram fidem, dicendo res fidei esse falsas, aut improbabiles; quamtumuis interim mente fides retineatur. Est certa & extra controuersiam apud Sanctum Thomam hic q. 3. a. 2. omnesque Catholicos: quia vtrumque aperte est contra præceptum negatiuum fidei, quod semper & pro semper obligat, vt dictum; adeo vt sit intrinsece malum, aut falsam fidem aperte profiteri aut negare veram. Ratio est: quia qui abnegat veram fidem, aut falsam profitetur, hoc ipso fatetur, non esse vera, quæ fides docet; qua ratione necesse est grandem iniuriam fidei, Deoque ipsi, qui fidem reuelauit irrogari; quasi in suis ipse dictis verax non sit sed mendax.

97 Alia ratio est eum quis in alio peccatorum genere seu materia peccat suumq; peccatum seu vere seu falso profitetur. Qui enim furatur v. g. aut fornicatur, aut huic se vitio obstrictum fatetur, non hoc ipso profitetur, secundum rectam rationem bonum, adeoque honestum esse, quod agit; quando constat, homines in eiusmodi actionibus affectu potius, quam iudicio duci, adeoque stante etiam integro iudicio de malitia & turpitudine rei, quæ agitur, nihilominus peccare iuxta illud, *Video meliora proboque: deteriora sequor.* At qui veram fidem abnegat, aut falsam profitetur, non potest non hoc ipso profiteri, eam fidem quā abnegat esse falsam, ac proinde etiam falsam esse reuelationem Dei, qua eadem fides intrinsece nititur.

Quare etiam inter omnes certum est mortaliter peccare, qui serio dicit, se esse Religione Machometanum, siue Turcam, aut Iudæum, vel Lutheranum seu Caluinistam, aut qui negat, se esse Catholicum, vel Christianū: quia etiam talis hoc ipso dicit fidem Christi veram non esse: nisi forte interrogans nomen eiusmodi non accipiat pro nostræ Religionis symbolo, sed pro alia quadam cōditione nationis, aut gentis nihil ad Religionē spectante. Vt si quis ex infidelibus bellū cū Christianis, non præcise Christianæ Religionis intuitu gerens, roget fidelem, sitne Christianus. Hic quia reuera infidelis solū cupit scire, an sit de hostili exercitu, non peccabit fidelis contra professionem fidei, negando se esse Christianum, vocabulum scilicet hoc nō significatu proprio sed iuxta mentē interrogantis vsurpādo, vt recte notarunt Bañes & Arragonius hic q. 3. a. 2. & Azor tom. 1. l. 8. c. 27. q. 1. Qua ratione etiā dicere, se esse Turcam vel Iudæum natione vel gente, fidei professioni nihil aduersatur. 98

Assertio II. Nullo etiam casu licet simulare falsam Religionē, vsurpando facta eiusmodi, quæ quasi natura sua, vel cōmuni omnium gentium vsu, Idololatriæ seu alterius falsi cultus rationem habent; qualia sunt v. g. Iurare per falsum Deum, adolere incensum, aut genu flectere idolo. Ita communiter docent Scholastici Alensis 3. par. q. 183. memb. 2. Antoninus 2. part. Theolog. tit. 12. c. 6. Caietanus, Bañes, Arragonius hic q. 3. a. 2. Angelus, Armilla, Syluester, & alij, verbo *fides*, Nauarrus Manual. c. 11. n. 25. Gregorius de Valentia hic q. 3. punct. 2. Vasquez 1. 2. disp. 182. c. 4. Ratio est. Quia talis non minus abnegat veram fidem, & falsam profitetur, quam qui verbis id facit; cum illa signa fere nōn minus clare & distincte id significent, quam verba. Accedit communis sensus Ecclesiæ, quæ semper thus adolētibus coram Idolo, tanquā graui debito obnoxijs, grauem pœnam indixit. Addit Vasquez loc. cit. ex cōmuni, simulationē quę factis accidit, in quauis materia non minus esse malum seu mendacium, quam quod verbis accidit. Simulationem autem c. 8. n. 71. notat, tunc tantum esse, quando intētione interiori volumus exterius significare id, quod reuera non est, vel contra. 99

Cæterum contra hanc assertionem Adrianus in 4. q. 2. de baptismo a. 2. ad 1. docet, si id non fiat animo infideli & irreligioso, nec sequatur scandalum, neque graue damnum, aut infamia fidei, non esse intrinsece malum, simulate exercere eiusmodi actiones falsæ religionis significatiuas. I. Quia etiam Apostoli ad tempus obseruarunt ceremonias legis abolitæ. II. Naaman con- 100

ceſſu Eliſæi Idolo flectebat genu, vt colligitur ex 4. Regum 5. III. Iehu ſimulauit cultum Baal 4. Reg. 10. Quod factum laudat Hieronymus; ſicut etiam in Apoſtolis ſimulationem in materia Religionis, quoad ceremonias legis, quam eſſe iam mortiferam exiſtimabat, approbat in c. 2. ad Gal.

101 Verum licet hæc ſententia diſcrepet ab errore hæreticorum ſuperius relato; quandoquidem eiuſmodi ſimulationem tantum permittit in factis & extra caſum, quo alioqui præceptum affirmatiuum de confitenda fide obliget, atque idcirco etiam Gregorius de Valantia loc. cit. aſſerat, eam ſententiam videri poſſe non improbabilem, etſi contraria videatur tutior & longe probabilior; mihi tamen omnino videtur falſa & improbabilis: tum ob fundamentum ſuperius poſitum; tum quia eſt contra communem Doctorum, & SS. Patrum ſententiam.

102 Ad primum reſpondetur, Apoſtolos ſine vlla ſimulatione falſæ Religionis, licite ad tempus obſeruaſſe ceremonias legis veteris, vtpote necdũ mortiferas, vt cum S. Auguſtino, & cõmuni Theologorum, contra S. Hieronymum dictum in mater. de legibus tomo 2. diſp. 5. q. 3. dub. 5.

Ad ſecundum reſpondetur Naaman non ipſi Idolo, ſed Regi & domino ſuo Idolum adoranti, pro conſueto eius temporis more eundẽ ſuſtentando, genu flexiſſe, ſimulque Rege idolum colente, in eodem loco Deum cœli, cuius cultum iam alias, etiam templi ædificandi ſtudio, palam proteſtari ſolitus erat, adoraſſe & coluiſſe, iuxta Lyranum & Caietanum ibidem: idq; in caſu neceſſitatis, ſimiliter facere poſſe ſeruum aut ancillam infidelis domini, ſecluſo ſcandalo & cõtemptu Religionis, tradit Azor tom. 1. l. 8. c. 27. q. 7.

103 Ad tertium; Auguſtinus lib. cont. mendac. c. 2. ſimulationem illam Iehu vocat *impium mendacium*. Et S. Thomas q. 111. a. 1. ad 2. ait, *non oportere excuſare illum, quia fuit peſſimus Rex, & ſcriptura laudat zelum eius, non omnia facta*, vt ſatis ibidem patet v. 26. Illud vero v. 30. *Quia ſtudioſe egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab &c.* ad certum duntaxat genus factorum Iehu pertinet. Hieronymus vero etſi noñunquam ſimulationem in materia Religionis liberius probet, vt dictum de Legibus loc. cit. nunquam tamẽ adeo apertã, ac quæ ex omnibus circũſtantijs ſerio fiat, falſæ Religionis ſimulationẽ probaſſe videtur.

Nam ipſius etiam Iehu non erat adeo ſeria in ſpeciem ſimulatio, quin & Gentilibus ſuſpecta eſſe poſſet, & Iudæis præcipuis conſtaret fictam tantum ſimulationem eſſe; ſicut etiam paulo poſt euidenter id omnibus erat demonſtraturus. Qua
104 de cauſa etiam Vaſquez n. 70. ait, Iehu non tam factis ſimulaſſe falſam Religionem, quam verbis formaliter mentitum eſſe; à quo tamen velut officioſo mendacio per ignorantiam, ſicut alij quidam antiqui Patres, forte fuerit excuſatus; cum etiam Chryſoſtomus & Caſſianus (contra S. Auguſtini, & communem ſententiam, definitam ab Innocentio III. capit. *Super eo*, de vſuris) exiſtimarint, mendacium officioſum non ſemper eſſe peccatum. Similiter cũ Hieronymus in Apoſtolis ſimulationem probat, loquitur de cæremonijs Iudaicis per ſe non malis, nec falſæ Religionis ſignificatiuis.

Ex quibus colligitur, eſſe per ſe intrinſece malum, adeoque peccatum mortale, hæreticorũ quam vocant cœnam (Corporis Chriſti expertẽ) etiam ſimulate duntaxat, ac retenta interim fide vera, accipere; niſi quis forte, vt de quodam milite narratur, ipſo actu & facto manifeſtum faciat illam à ſe nõ vt ſacram ceremoniam, ſed contemptim & ludibunde tanquam profanum conuiuiũ ſuſcipi; quod ipſum tamen abſque temeritate cõmuniter non fieret. Non eſt autem peccatum, in neceſſitate baptiſmum ab hæretico, aut etiam in articulo mortis à Sacerdote hæretico, ſi non adſit alius, abſolutionem, ſecluſo ſcandalo, accipere; cum in his caſibus non falſæ, ſed potius veræ fidei fiat profeſſio, vt pluribus ſuo loco dicetur. 105

Assertio III. Nunquam etiã licet eo genere 106
actionis ſeu habitus vti, quod eo quidem loco & tempore, quo vſurpatur, iuxta communem hominum conceptionem, non habet alium vſum, quam vt ſignificet cultum falſæ Religionis; etiamſi forte natura ſua, aut communi Gentium vſu id non ſignificet. Ita habet communis ſententia apud citatos.

Vbi notandum, quadruplex eſſe gen⁹ actionũ, ſeu veſtium, aliarumue rerum, quæ non quidem natura ſua, ſed hominum vſu quodam & inſtitutione, appropriatæ ſunt fidelibus aut infidelibus. Primum genus eſt earum rerum, quæ ſolum materialiter eorum propriæ ſunt, hoc eſt, non quatenus ſunt huius vel illius fidei, ſed quatenus ſunt huius nationis, vel prouinciæ, vel etiam dignitatis politicæ, qualis eſt v. g. habitus Mandarinorum ſeu Doctorum in China. Secundum; 107
quæ introductæ quidem ſunt, ad dignoſcendos fideles ab infidelibus, verum non directe intuitu Religionis aut cultus Religioſi; ſed propter cauſas politicas & externam pacem Reipublicæ, vt ſunt flaui pilei Iudæorum Romæ; quos quidem illi non geſtant, vt hoc modo ſuam Religionem profiteantur, ſed vt in re alioqui indifferente Magiſtratui politico ſatisfaciant, in ordine ad commune bonum Reipublicæ. Tertium quæ per ſe & directe intuitu cultus Religioſi geſtantur aut fiunt; ita tamen vt res illæ habeant præterea alium vſum primarium, quam ſignificationem Religioſi cultus; vt ſunt inter nos veſtes communes Sacerdotum, & Religioſorum, abſtinentia carnium, & ſimilia. Quartum; quæ vt hic & nunc v- 108
ſurpantur, nullum alium vſum habent, præter ſignificationem ſeu proteſtationem cultus Religioſi, vt ſunt apud nos veſtes ſacræ, corona capitis, &c. apud infideles, quædam veſtes habentes ſigna ſuperſtitioſa pura imaginem Idoli, ſiue Mahometis depictam, eo loco, tempore, & modo, quo nonniſi Idololatræ aut Mahometani ea veſte vti ſoleant, idque ad ſuam fidem profitendam; quale etiam forte, vt notauit Arragonius hic q. 3. a. 2. apud Turcas eſt ſignum dimidiæ lunæ in pileo.

In his ergo reb⁹, de quib⁹ loquitur præſes aſſertio, quia ſignificatio cultus falſi nunquã in ipſo

vsu potest ab eis separari, nunquam vllo fine aut casu vti licitum est; nisi forte manifestæ necessitatis causa, ad corporis nuditatem tegendam seu pellendum frigus. &c. esset enim hæc alias formalis quædam professio falsæ religionis; quæ de causa ad fidem conuersus, etiam cum periculo vitæ ab hostibus fidei imminente, eiusmodi signa deponere, ijsque abstinere tenetur. Nec vt existimo contrarium sentiunt Sa verbo *fides*, & Azor tom. 1. lib. 8. c. 27. q. 4. dum vniuersim docent, non esse per se malum, habitu aut signo infidelium assumpto, suam fidem occultare: videntur enim exponendi iuxta sensum assertionis sequentis, extra casum propositum, cum ipsemet Azor quæstione 6. etiam in vexillis eiusmodi signa superstitiosa excludat, vt inferius dicetur.

109 Assertio IV. Rebus autem seu vestibus primi generis vti bono fine, ad se occultandum, nō est per se malum, quod proinde secluso scandolo & fidei contumelia, recte fieri potest. Ita Syluester, Caietanus, & citati omnes, quibus accedit Suarez 3. par. tom. 4. disp. 33. sect 6. Ratio est; Quia ista non sunt signa infidelitatis, sed nationis, aut dignitatis politicæ, sicut idioma linguæ.

110 Assertio V. Idem probabilius videtur de rebus secundi & tertij generis, quæ videlicet præter significationem falsæ religionis, habent quendam alium commodum & honestum vsum. Significat hoc Bannes hic quæstione 3. a. 4. & Sa verbo *fides*: etsi contrarium indicent Caietanus, Sylvester, Nauarrus, Gregorius de Valentia locis cit. & Toletus in summa libro 4. cap. 2. qui omnes docent, mortale esse Romæ gestare pileum Iudæorum, aut in Turcia ligare caput tobalia alba.

Ratio assertionis est. Tum quia ista signa proprie ac formaliter non sunt protestatiua aut significatiua falsæ religionis, aut certe non hunc solum, sed etiam alium vsum primarium habent: quo fit, vt non quilibet, qui illis vtitur, prudenter possit aut debeat existimari eiusmodi signis vti, ad falsam religionem significandam. Tum quia vt recte notauit Vasquez loc. cit. numero 29. & 49. discrimen est inter res & verba. Hæc enim habent ex ipsa institutione humana, 111 determinatam significationem, seu propriam, seu figuratam, à qua sine falsitate (Vasquez addit *sine mendacio* etiam si contra mentem interim non loquaris) distorqueri non possunt: at vero res, cum præter significationem ab humana institutione dependentem, habeant varios vsus naturales, adeoque naturaliter etiam alia multa significare possint, saltem in casu nostro, de quo loquimur, non est eorum significatio humanæ impositioni adeo adstricta, quin cum res exigit, etiam ad aliud quidpiam significandum adhiberi possint, quam quod ex humana institutione significant.

Sicut etiam verbis ambiguis ex causa vti (secluso casu, quo fides aperte profitenda sit) quibus nempe æque vera & falsa fides significari possit, non est intrinsece malum: vt si quis dicat, Ego sum Euangelicus, seu Euangelij cultor. Et confirmatur assertio; quia S. Sebastianus vsus est chlamyde militari, qua tamen eo quidem tempore, ex lege Imperatoris distinguebantur gentiles à fidelibus. Nec in contrarium est vlla firma ratio.

Assertio VI. Præceptum affirmatiuum de 112 fide confitenda, etiam cum periculo vitę obligat: at non pro omni tempore, sed generatim in duobus tantum casibus; quando scilicet alias aut honor Deo debitus, aut debita proximo vtilitas subtraheretur. Ita S. Thomas hic q. 3. a. 2. vbi ait: *Confiteri fidem non semper, nec in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per omissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut etiam vtilitas proximo imponenda: puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide: in huiusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis.* Eandem assertionem tradunt communiter cæteri Scholastici locis cit.

Ratio est; quia cum actus iste externus sit, & 113 per se non sit medium aliquod salutis respectu operantis, nec omnino etiam ad bonum ipsius ita pertineat, vt eius quidem præcise causa possit tanta cum obligatione esse in præcepto, sequitur, ob alterutrum tantum finem, ex duobus dictis, præcepti necessitate, ac subinde etiam vbi res grauis est, cum periculo vitæ exercendum. Censetur autem honor Deo debitus subtrahi, quando vel ignominia aliqua Deus afficitur: vt *fides* idcirco *putetur non esse vera*, inquit S. Thomas; vel eximius aliquis Dei honor ex fidei professione consequuturus negligitur. Proximis autem vtilitas debita subtrahitur, si illi propterea auertantur à fide, siue quia peruertuntur fideles, siue quia non cōuertuntur infideles, qui & facta fidei professione facile conuerterentur, & alia ratione oportune iuuari & conuerti non possunt, iuxta charitatis leges infra suo loco explicandas; quæ hac in re semper ob oculos versari debent, vt ex Sancto Thomare cte declarauit Valentia cit. quæstione 3. punct. 2. In particulari vero res ex circumstantijs prudenter diiudicanda est.

Quamuis autem, vt ex communi dictum, 114 ob solam ipsius operantis vtilitatem seu commodum, præceptum confessionis fidei cum vitæ periculo non obliget, non tamen negandum est, ob ipsius etiā præcise operantis causam seu commodum, nonnunquam fidei confessionem ex præcepto necessariā esse posse. Vt si quis videlicet alias ob omissam fidei professionē, aut grauē infamiam contracturus, aut etiā corporis seu vitæ periculū aditurus esset; hoc enim casu, ex precepto charitatis erga seipsū quemq; ad fidē profitendam teneri indubitatū est. Quod ipsum etiam significasse videri potest S. Thomas cit. a. 2. vbi inter alios casus quibus præceptū confessionis fidei obligat, etiam hunc refert, *si quis interrogatus de fide taceret: & ex hoc crederetur, quod non haberet fidem:* vbi nimirum subintelligendum est, cum tamen talis existimatio aut ipsi operāti, vel alijs pernitiosa, aut honori diuino præiudicatiua esset. Alias enim vni-

uersim eam de nobis existimationem non semper necessario auertendam esse ex dictis constat, & paulo post magis patebit.

115 Assertio VII. Extra hos casus, licitum est fidem dissimulare, abstinẽdo duntaxat ab ijs verbis vel factis, quæ veram fidem significent, aut etiam vsurpando quædam signa Religionis indifferentia, iuxta quartam & quintam assertionem: non autem vsurpando verba vel facta, quæ iuxta mores hominum, nullum alium vsum habent, quam significationem falsæ Religionis, iuxta primam, secundam, & tertiam assertionem. Ita citati: & colligitur ex dictis.

116 Vt autem hæc doctrina sit in praxi vtilior, resoluemus breuiter ex dictis aliquos casus particulares, qui circa fidei professionem dubij esse, ac sæpius occurrere possunt. Etenim colligitur primo, licitum esse, per se loquendo, exploratoribus seu militibus Christianis, in bello assumere habitum & sermonem Turcicum; vt & vexilla signis consuetis Turcarum insignita in classe vel exercitu erigere; vt nempe hostibus hoc strategemate deceptis damnum inferatur, vt recte notarunt Bannes hic q. 3. a. 2. & Azor tom. 1. lib. 8. cap. 27. q. 6.

117 Qui tamen addit, id peccatum esse, si infidelium signum sit superstitionis symbolum; puta, inquit, *si esset signum Martis, Palladis, aut Iouis, quos pro Diis stultæ & insanæ Gentes coluerunt.* Cæterũ Bannes hanc limitationem non addit; quæ si vera esset, vix vnquam liceret infideliũ vexillis insidiarum causa vti; cum semper habeant Solis, aut Lunæ aut Mahometis, aut alterius cuiuspiam rei, quam infideles hostes superstitiose colunt, nomen aut figuram. Quocirca, cum eiusmodi vexilla, communi quasi omnium Gentium more, non semper vsurpentur in honorem eius rei, cuius nomen aut figuram impressam habent; esto id nonunquam accidat; sed potius alium vsum primarium habeant, & vero hunc ipsum etiã communi Gentium more receptum, vt hostes decepti capiantur; probabile existimo per se ac vniuersim non esse malum, sine discrimine, quæuis eiusmodi hostium vexilla vsurpare, iuxtam quartam & quintam assertionem. Aliter se res habet cum vestibus illis, de quibus assertio tertia loquitur; quæque vt supponitur, Idoli signo nunquam solent insigniri, nisi ab ijs, quibus illud in veneratione est.

118 Colligitur secundo, comedere carnes inter hæreticos, die prohibito, ad tegendam fidem, & mortis periculum euitandum, per se ac intrinsece non esse malum, iuxta quintam assertionem; ac proinde licite fieri posse, si alius modus euitandi periculum non suppetat, & absit scandalũ ac contemptus fidei. &c. Ita Azor loc. cit. q. 3. & apertius lib. 7. c. 29. q. 7. Per accidens tamen id erit illicitum, si nimirum præceptum affirmatiuum de confitenda fide vrgeat. Quod quidem accidit, si cui, iam ante pro fideli habito, ipso facto in odium & contemptum Religionis vis intentetur, ad hoc, vt in religionis contemptum carnes comedat. Tunc enim iuxta exemplum Eleazari & Machabæorum, moriendum est potius, quã Ecclesiæ leges violandæ, aut earum etiã violatio quoquo modo simulanda, vt ex cõmuni tradunt Azor ibidem & Nicolaus Serarius 2. Machab. cap. 7. post Caietanum, Sotum, Nauarrum Couarruuiam, & alios.

Similis casus est, si cui ex instituto ac manifestæ probationis causa carnes ab hæreticis apponantur, vt notauit Azor ibidem, saltem regulariter loquendo, iuxta dicenda de interrogatione inferius: aut si Religiosus vel alius vir grauis, pro fideli agnitus, carnes inter hæreticos comedat, nõ assignata vlla causa probabili, v. g. infirmitatis, vel necessitatis, ob quã id sibi licitum sit: ac generatim si contemptus aliquis in Deum, aut apud proximum graue scandalum timeatur, ex hoc quod vir grauis, forte aliquando agnoscendus, carnes die vetito ex timore comederit, iuxta dicta assert. 6. 119

Colligitur tertio, an, & qua ratione infideli interroganti de fide respondendum sit. Etenim Caietanus quidem hic q. 3. a. 2. putat, semper hoc casu obligare præceptum de confitenda fide. Quod etiam significare videtur S. Thomas ibidem, cum, vt dictum, inter alios casus, quibus confessio fidei obligat, ponit etiam hunc, *si quis alioqui non putetur habere fidem.* Sed rectius Bannes cit. a. 2. Gregorius de Valentia punct. 2. & alij regulariter tantum id verum existimant; quando videlicet alioqui dissimulatio fidei cederet in Dei iniuriã, aut nocumentũ proximorum, addo ego, vel etiam personæ propriæ, iuxta dicta assert. 6. 120

Illud vero communiter tunc accidet, si quis palam & à publica potestate (præsertim à Tyranno fidei persecutore, vt bene Arragonius eodem a. 2.) interrogetur de fide; & sæpe etiam alias, si interrogans & interrogatus sit persona grauis, à cuius constantia & auctoritate multi pendeant. Secus si quis à furibundo aut ebrio rabula, ad cædem parato, subito inuasus interrogetur, an sit Catholicus, Papista. &c. Tunc enim, ac in alijs similibus casibus, quia nullus ad Deum honor, aut proximum vtilitas ex fidei confessione magnopere redundabit, satius erit aut tacere aut interrogantem eludere. &c. esto deceptus ille existimet, te non esse Catholicum, nec habere veram fidem. Nam vt recte etiam notauit Valentia, casus ille, quem S. Thomas, vt distinctum posuisse videtur, non est vniuersaliter & distincte accipiendus, sed regulariter, & vt cum aliquo ex cæteris assert. 6. explicatis connexus.

Multo minus contra fidei professionem, per se loquendo, peccat Sacerdos, aut Religiosus, qui interrogatus, an sit Sacerdos aut Religiosus, puta Monachus aut Iesuita, id neget; quia cum religiosi ordinis, aut Sacerdotij susceptio iuxta Religionis nostræ præscriptum, non sit in præcepto singulis, idcirco non statim tali negatione aut fides abnegatur, aut status Religiosus siue Sacerdotium cõtemnitur; sicut alioqui negatione fidei fides tanquam falsa contemnitur. Quare licet etiam in casu necessitatis, extra cõtrouersiam deponere habitum, & tonsuram, atque etiam omittere horas Canonicas, ob vitandũ mortis periculum, secluso scandalo & contemptu Religionis, 121

vt re-

vt recte notauit Azor cit. lib. 8. cap. 27. q. 2. iuxta quartam & septimam assertionem.

122 Colligitur quarto, quid faciendum sit, si lata lege certus habitus, per se non superstitiosus, Christianis præcipiatur. Nam si lex non sit in viridi obseruantia, aut primario non sit instituta ad fidem profitendam, sed ob finem politicum, & subsit causa rationabilis omittendi habitus, aut licet præcipue sit instituta ad fidei professionem, sitque adeo in viridi obseruantia, adhuc tamen in casu necessitatis, si absit scandalum & contumelia fidei, poterit is habitus prætermitti, vt recte docent Bannes, Valentia, & Arragonius locis cit. Quicquid Caietanus cit. a. 2. ratus, legē talem eandem vim habere cum interrogatione Tyranni, vniuersim dicat, nullo casu licite posse omitti præscriptum habitum, si lex illa proprie sit lata ad profitendam fidem, & simul in viridi sit obseruantia. Atque idem seruata proportione pariter dicendum est, si qua lege Christianis aliquis habitus sit prohibitus, ex eorumdem sententia, exemplo S. Sebastiani, de quo supra assert. 5.

123 Colligitur quinto, non peccare contra fidei professionem, adeuntes hæreticorum templa & conuentus, eorumque conciones audientes, ijs in locis, vbi passim Catholici cū hæreticis eas audire solent, non vt fidē hæreticā profiteantur, sed vel vt errores Prædicantiū notent, vel aliā ob causam, iuxta quartā & quintā assertionē. Secus est in alijs locis, vbi nulli adeunt, nisi ob fidē profitēdā: tunc enim saltem ratione scandali peccabitur, accedendo, vt recte notarunt Gregorius de Valentia q. 3. pun. 2. & Azor cit. c. 27. q. 5. Qua ratione etiā speciatim in Anglia id illicitū esse, viri docti & pij senserunt, ipseq; etiā Pontifex Paulus V. declarauit: præsertim ga tā Catholicorū, quā hæreticorū ijs locis cōmunis sensus fuisse refertur, à fide saltē ex parte, & quoad externam apparentiā deficere eos, qui vt edicto Regis pareant, templa hæreticorum adeunt. Neque tamen per se loquendo, vel ab his, vel ab illis excōmunicatio legentiū libros hæreticorū, aut cōmunicantiū cum excōmunicatis in crimine criminoso aut fauentium hæreticis incurri videtur: cū isti quidē nec libros hæreticos legant, nec hæreticis, vt sic, cooperētur, nec faueant, vt suppono: secus esset, si quis induceret verbi præconem aliquem ad hæretice concionandū.

124 Addit vero Azor loc. cit. posse illicitum nō esse conciones hæreticorum audire, ijs in locis, vbi id pro fidei falsæ protestatione seu fauore non habeatur, etiamsi Princeps hæreticus id mandarit, non ea quidem expressa intentione, vt fidei falsæ professio fiat, sed vt illi vtcumque in re indifferenti obtemperetur: quod ex eo confirmari potest; quia alias saltem ob erroneam conscientiā peccarent Iudæi, qui Romæ coguntur Catechismum seu doctrinam Christianam audire.

Quod si vero Princeps imperet hoc obsequium præstandum in protestationem aut fauorem hæreticæ perfidiæ, tunc sane quidem Catholicis non licebit obtemperare, iuxta sextam assertionem, & Corollarium secundum; nisi forte hac aperte protestatione præmissa, id officium se præstituros in obsequiū Principis, nō in erroris contestationem, vt notauit ibidem Azor; quandoquidem alias supponitur, rem esse per se licitam neque legibus Catholicæ Religioni aduersam.

125 Colligitur sexto, non esse intrinsece malum, hæreticorum nuptijs, baptismo, sepulturæ interesse; modo non detur causa, vt aliquid ab ijs impiè & contra Ecclesiæ præcepta agatur. Quin imo probabile mihi est, posse Catholicos ob piam vtilitatem, aut publicam tranquillitatem, etiam filios eorum, quamuis ab hæretico Ministro baptizandos, è baptismo suscipere, saltem accedente hac protestatione, seu significatione, se filios iuxta veram Christianam fidem, non hæreticam perfidiam instituendos suscipere; quod ipsum tamen satis per se ex conditione ipsius personæ suscipientis colligitur: sicut etiam nullum est peccatum, in necessitate baptismum ab hæretico, si nullus Minister alius adsit, accipere, aut procurare, vt superius dictum.

Vt autem hæreticus in patrinum à Catholico adsciscatur, nunquam videtur esse licitum. Cum enim hoc sit intrinsecum patrini officium, baptizatum in fidei doctrina instituendum curare, neque præsumi possit, hæreticum aliam fidei institutionem procuraturum, quam perfidiæ suæ consonam, idcirco ea patrini hæretici aduocatio aperta esset falsæ religionis protestatio. Potius igitur, si Catholicus desit, omnino prætermittendus est patrinus, vt suo loco de Baptismo pluribus dicetur. Plura huius generis occurrunt in materia de baptismo, & partim etiam quæst. sequente, vbi de infidelitate agetur.

DVBIVM VI.

Qua ratione gratiæ gratis datæ se habeant ad fidem; quot item & quænam sint, & quæ singularum sit ratio; an etiam sint habitus.

S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 1. 4. 5. & 2. 2. q. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. & 178.

126 NOn agit quidem S. Thomas de hoc argumento in tractatione de fide; quia tamen id maximam cum fide affinitatem habet; partim quia omnes eiusmodi gratiæ gratis datæ potissimum referuntur ad plantandam, nutriendam, & tuendam fidem, vt inferius patebit, & docet S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 4. & 3. p. q. 7. a. 7. partim etiā quia nonnullæ ex ijs sua natura non paruam similitudinem, quin & commune nomen cum fide habent; & vero simul etiam inter actus potius, quam habitus numerantur, idcirco consultum visum est, ne de ijs nihil penitus agatur, quæ quidem alioquin à scholæ Doctoribus ferè prætermitti solent, breuiter de illis hoc loco agere.

127 Primo igitur quæritur, quid sint gratiæ gratis datæ, & quomodo vniuersim à gratia gratum faciente

ciente differant. Respondetur, per gratiam gratis datam hoc loco intelligi, peculiaria quædam munera diuinæ gratiæ, quæ proprie ac principaliter non ad propriam habentis vti gratia gratum faciens, sed aliorum salutem ordinãtur, ac solo fere arbitratu diuinæ voluntatis distribuuntur, iuxta S. Thomam 3. part. q. 7. a. 7. ad 1. vbi ait: *Sicut gratia gratũ faciens ordinatur ad actus meritorios, tam interiores, quam exteriores* (adeoq; ad propriam habentis salutem:) *ita gratia gratis data ordinatur ad quosdam actus exteriores fidei manifestatiuos*, adeoque proximi salutem concernentes. Quamuis autem etiam gratia gratũ faciens gratis detur; quia gratia nisi gratis sit, gratia non est, iuxta Augustinũ in Enchiridio c. 107. quia tamen *gratia gratum faciens*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 1. ad 3. *addit aliquid supra rationem gratiæ gratis datæ, quod etiam ad rationem gratiæ pertinet, quia scilicet hominem gratum facit Deo, ideo gratia gratis data, quæ hoc non facit, retinet sibi nomen commune.*

128 Cum quo non pugnat, quo minꝰ eædem gratię noñunquã ad eorũ etiã, quibus cõceduntur, sanctitatem demonstrandã, aut ornandã referantur, iuxta illud S. Gregorij homilia 17. in Ezechielem: *De eis* (Sanctis Prophetis &c.) *foris ostenditur, quales apud Omnipotentem Dominum intus habeantur.* Vnde etiam S. Thomas 3. par. q. 27. a. 5. ad 8. ait: *Non est dubitandum, quin B. Virgo acceperit excellenter donum sapientiæ, & gratiam virtutum, & etiam Prophetiæ: non tamen accepit, vt haberet omnes vsus harum, & similium gratiarum, sed secundum quod conueniebat conditioni ipsius.* De hac etiam gratia loquitur S. Petrus epist. 1. c. 4. v. 10. *Vnusquisq; sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

129 Nec dubium est, quin gratię gratis datæ dignitate & excellentia cedant gratiæ gratum facienti, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 5. consentiente Apostolo; qui post cõmemoratas gratias gratis datas 1. Cor. 12. v. 31. addit de charitate, ad gratiã gratũ facientẽ spectante: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* In quẽ sensum etiã Augustinꝰ l. 15. de Trinitate c. 18 ait. *Nullum est isto Dei dono* (Charitate) *excellentius, solũ est, quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum Sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt.* Ratio est; quia gratiæ gratis datæ nec tam propinquè nec tã efficaciter, ad vltimã hominis beatitudinẽ conferunt; nec per se in subiecto aut sanctitatẽ supponunt, aut efficiunt; nec per se vllam peculiarẽ piamq; dispositionem præuiam requirunt; quando sæpe etiam impijs cõmunicantur, vt videre est in Balaam, Numerorũ 24. in Caipha, Ioannis 11. & impijs illis, quibus dicitur: *Nunquam noui vos*, Matthæi 7. v. 27.

130 Secundo quæritur, quæ, & quotnam sint gratiæ gratis datæ. Respondetur, eas ab Apostolo 1. Cor. 12. v. 7. & sequentibus, in hunc modum recenseri: *Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatẽ. Alij quidẽ per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum; alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Ex quibus nouem vniuersim gratiæ gratis datę colliguntur; nimirum Sermo sapientię, Sermo scientię, Fides, Gratia sanitatum, Operatio virtutũ, Prophetia, Discretio spirituum, Genera linguarum, Interpretatio sermonum.

Cuius nouenarij numeri rationem ita edisserit S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 4. *Gratia gratis data ordinatur ad hoc, quod homo alteri cooperetur, vt reducatur ad Deum: homo autem ad hoc operari non potest interius mouendo (hoc enim solius Dei est) sed solum exterius docendo, vel persuadendo. Et ideo gratia gratis data illa sub se continet, quibus homo indiget ad hoc, quod alterum instruat in rebus diuinis, quæ sunt supra rationẽ. Ad hoc autem tria requiruntur. Primo quidem, quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis diuinorum, vt ex hoc instruere alios possit. Secundo vt possit confirmare, vel probare ea, quæ dicit: alias non esset efficax eius doctrina. Tertio vt ea quæ concipit, possit conuenienter Auditoribus proferre.*

Quantum igitur ad primum, tria sunt necessaria: sicut etiam apparet in Magisterio humano. Oportet enim, 131 *quod ille qui debet alium instruere in aliqua scientia, primo quidem vt principia illius scientiæ sint ei certissima: & quantum ad hoc ponitur fides, quæ est certitudo de rebus inuisibilibus, quæ supponuntur vt principia in Catholica doctrina. Secundo oportet, quod Doctor rectè se habeat circa principales conclusiones scientiæ, & sic ponitur sermo sapientiæ, quæ est cognitio diuinorum. Tertio oportet, vt etiam abundet exemplis & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas: quantum ad hoc ponitur sermo scientiæ, quæ est cognitio rerum humanarum, quia inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.*

Confirmatio autem, in his, quæ subduntur rationi est 132 *per argumenta: in his autem quæ sunt supra rationem diuinitus reuelata, confirmatio est per ea, quæ sunt diuinæ virtuti propria, & hoc dupliciter. Vno quidem modo, vt Doctor sacræ doctrinæ faciat, quæ solus Deus facere potest in operibus miraculosis, siue sint ad salutem corporum; & quantum ad hoc ponitur gratia sanitatum: siue ordinentur ad solam diuinæ potestatis manifestationem, sicut quod sol stet, aut tenebrescat, quod mare diuidatur; & quantum ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundo vt possit manifestare ea, quæ solius DEI est scire, & hæc sunt contingentia futura, & quantum ad hoc ponitur Prophetia: ita etiam occulta cordium, & quantum ad hoc ponitur discretio Spirituum. Facultas autem pronuntiandi potest attendi, vel quantum ad idioma, in quo aliquis possit intelligi: & secundum hoc ponuntur genera linguarum, vel quantum ad sensum eorum, quæ sunt proferenda, & quantum ad hoc ponitur interpretatio sermonum.* Ita S. Thomas. Sed in qua partitionis ratione, breuique singularum gratiarum descriptione, quædam non carent difficultate, quæ etiam à S. Thoma alijs locis aliter explicata videntur, vt inferius dicetur.

133 Illud dubitatur, an eo nouenario omnes gratiæ gratis datæ comprehendantur. Ratio dubitandi est; quia inter eas nõ cõprehenduntur Sacramẽtalis potestas consecrandi, ordinandi, & absoluendi; nec potestas & facultas regendi, aliaque

ad

ad alienam salutem procurandam talenta, & munera diuinitus concessa vel instituta. Respondeo tamen cum Sancto Thoma loc. cit. sub eo nouenario omnes gratias gratis datas comprehendi; quæ ita scilicet ad aliorum salutem ordinantur, vt à solo auctore Deo dependeant, *diuidente singulis prout vult*, vt loquitur Apostolus citat. 1. Corinth. 12. vers. 11. Qualia non sunt ea, quæ obijciuntur, quæ potius ad diuisiones ministrationum & operationum pertinent, quas ipse Apostolus ibidem v. 4. à diuisionibus gratiarum distinxit, vt recte notauit Sanctus Thomas 2. 2. ante quæst. 171. *Diuisiones*, inquit Apostolus, *gratiarum sunt, idem autem Spiritus; & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & diuisiones operationum* (vitæ scilicet actiuæ vel contemplatiuæ) *sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.*

134 Quæritur tertio, quænam singularum gratiarum sit ratio. Respondeo breuiter & singillatim percurrendo singulas. Nam quod ad primas duas gratias attinet, de *Sermone Sapientiæ, & Scientiæ* varie loquuntur Patres & Doctores. Quidam ea dona ad externum sermonem referunt; alij ad cognitionem, in qua tamen explicanda rursum variant. Equidem ad vtrumque, sed potissimum ad sermonem velut proprium obiectū pertinere existimo, cum S. Thoma 1. 2. verbis cit. vbi cum expresse ea dona ad cognitionem retulisset, mox tamen ibidem ad 4. vltimate ad sermonē pertinere docet; *Sapientia & scientia*, inquit, *computantur inter gratias gratis datas, secundum quod important quandam abundantiam scientiæ & sapientiæ, vt homo posßit non solum in seipso recte sapere de diuinis, sed etiam alios instruere & contradicentes reuincere. Et ideo inter gratias gratis datas significanter ponitur, sermo sapientiæ, & sermo scientiæ: quia vt Augustinus dicit, 14. de Trinitate cap. 1. aliud est, scire tantummodo, quid homo credere debeat, propter adipiscendam vitam beatam: aliud est scire, quemadmodum hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur.*

135 In eundem sensum saltem de sermone sapientiæ loquitur Chrysostomus homil. 29. vbi ait: *Quid est sermo sapientiæ? quem habebat Paulus, quem habebat Ioannes filius Tonitrui. Quid est autem sermo scientiæ? quem habebant multi ex fidelibus, qui scientiam quidem habebant, non poterant autem docere, nec facile alijs annuntiare quæ sciebant.* Et Hieronymus in 1. Cor. 12 *Sapientiæ sermo, est, sapienter & apte ac rationabiliter loqui & posse disserere, vel docere, quod norit sane. Qui ex dono habet sapiētiæ, sine suo conatu loquitur & labore, & nemo illi sicut B. Stephano potest contraire.*

136 Similia de vtraq; hac gratia habent Theodoretus in eundem locum Apostoli, & S. Thomas in Comentarijs Apostoli ibidem, & 2. 2. q. 177. a. 1. Ratio est, quia quamuis hæ gratiæ principaliter referantur ad sermonis officium recte erga alios administrandum, simul tamen inuoluunt & prærequirunt internam notitiam qua & res ipsæ, & ipsa loquēdi ratio accomodate ad docendū alios apprehendātur & cognoscātur, vti ex Augustino vidimus, & patet in ipsa Theologiæ scientia, cuius cognitio potissimū ad fidē tuendā explicandāque refertur. Accedit quod ipsa per se rerū diuinarum cognitio partim ad fidē, & ad donum intellectus, partim ad donum scientiæ & sapientiæ pertinet.

Vnde etiam Suarez 3. part. tom. 1. disp. 21. sect. 2. ait: *Duæ gratiæ, sermo sapientiæ & scientiæ ad sermonē applicatæ, nihil aliud sunt, quā facilitas quædā ex speciali Spiritus sancti auxilio data, ad proponendas seu explicandas* (vel etiam tuendas) *res fidei, vel delectando, vel persuadendo eas, per superiores aut inferiores causas, aut per effectus, & similia exempla confirmando & declarando.* Vbi simul ex mente S. Thomæ locis cit. indicatur discrimen inter sermonem sapientiæ & scientiæ. Ille enim procedit ad diuina explicanda, persuadenda, & tuenda, ex superioribus causis, & diuinis rationibus, hic vero ex effectibus seu rationibus inferioribus & creatis; vt in simili etiam de dono sapientiæ, & scientiæ alibi docuimus.

137 Non minus varia est Doctorum sententia de tertia *Gratia fidei*: Nam primo Hieronymus in 1. Cor. 12. Chrysostomus hom. 29. in Paulū, Theodoretus in citatum Apostoli locum, Abulensis in Matthæum q. 165. & Caietanus 1. Cor. 13. eam ad fidem miraculorum referunt. Sed non probatur, quia fides miraculorum eadem est cum fide Catholica dogmatum, vt superius q. 6. dub. 1. dictū, & docent Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 42. Hilarius canone 17. super Matthæum, & Ambrosius l. 8. supra Lucam. Id vero quod fides miraculorum fidei dogmatum supperaddit, ad gratiam sanitatum & virtutum pertinet.

138 Secundo S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 4. & Gregorius de Valentia tom. 2. disp. 8. q. 3. pun. 1. fauente etiā Suario 3. part. tom. 1 disp. 21. sect. 2. fidei gratiam in certitudine de rebus inuisibilibus, eaq; rara & firma circa principia fidei constituunt. Sed nec istud probatur; quia ista certitudo & ad propriam salutem potius, quam alienam; & ad ipsam fidei virtutem, ac annexum intellectus donum pertinet; nec posset hac ratione defendi, gratia fidei fuisse in Christo.

Tertio nonnulli ad constantiā fidei conseruandæ ac profitendæ referūt. Ita Ambrosius cit. 1. Cor. 12. & Caietanus 2. 2. q. 3. a. 1. ad 2. cum Glossa cit. 1. Cor. 12. Quod etiam sub disiunctione tradit S. Thomas cit. 1. Cor. 12. & 2. 2. q. 4. a. 5. ad 4. vbi ait: *Fides non accipitur pro fidei virtute; quia hoc est commune omnibus membris Christi: sed pro constantia fidei, vel pro sermone fidei; prout scilicet homo potest recte proponere ea, quæ fidei sunt.* Sed neque hoc probatur; quia constantia fidei siue retinendæ, siue profitendæ, ad propriā itidem salutem, & vel ad ipsam fidei virtutem, vel ad fortitudinem pertinet, de qua S. Thomas 2. 2. q. 3. a. 1. ad 2. ait: *Fortitudo remouet impedimentum confessionis fidei, scilicet timorem vel erubescentiam.*

139 Dicendū est igitur, cum S. Thoma cit. 2. 2. q. 4. a. 5. ad 4. fidem quæ gratia gratis data dicitur, accomodate ad ea, quæ Apostolus antea ibidem de sermone sapiētiæ & sciētiæ dixerat, accipi, p sermone fidei, prout scilicet homo recte potest proponere ea quæ fidei sunt, infra tamen scilicet copiam & vbertatem sermonis sapientiæ, & sermonis scientiæ; ita scilicet vt fidei gratia imbutus simpliciter quidem ac sine ornatu & amplifi

catione, planetamen, aperte ac distincte, atque ad auditorum, etiam rudium captum accomodate, fidei dogmata proponere, nescientesque docere possit; vbi simul tamen etiam ex parte intellectus includitur distincta quædam, & methodica ipsorum fidei dogmatum notitia, ad docendum alios accommodata: quæ gratia potissimum in Catechistis requiritur.

140 Quarto; Alia gratia gratis data est, *donum linguarum*; quod nihil aliud est, quam facultas seu peritia *loquendi variis linguis*, vti de Apostolis loquitur scriptura Actorum 2. v. 4. de quo etiam plura leguntur 1. Cor. 14. Et quamuis nonnulli Patres, speciatim Cyprianus de operibus Christi cardinalibus, Gregorius Nanzianzenus sermone in Pentecoste, & Nicetas ibidē, quos sequuntur glossa ordinaria in Act. c. 2. & Lyranus ibidē, existiment, Apostolis ita concessum fuisse linguarum donum, vt vna tantum lingua loquentes intelligerentur à diuersarū linguarum hominibus; ipsa scilicet voce ita varie in aere commutata & efformata, vt ad vniuscuiusq; audientium aurem & captum accomodate accideret; idq; etiam factum subinde credibile sit, ipsum tamē donum linguarum proprie ac præcipue in eo positum non fuit, sed potius vt vere ac reipsa omnium gentium linguis loquerētur, vti constat ex citato Scripturæ loco, cui consonat illud Apostoli 1. Cor. 14. v. 18. *Gratias ago Deo meo quod omnium vestrum lingua loquor*: idemque docent ex Patribus Augustinus sermone 186. de tempore, Leo sermone 1. de Pentecoste, Chrysostomus homil. de Spiritu Sancto, & Gregorius homil. 30. in Euangelia.

141 Quintò; Alia gratia itidem ad sermonem pertinens, est *Interpretatio sermonum*, qua fiebat, vt sensus eorum, quæ alius vel peregrina lingua, vel supra captum audientium differebat exponeretur & explicaretur. Priorem huius gratiæ rationem & vsum indicant Theodoretus 1. Cor. 12. & Chrysostomus homil. 29. in 1. Cor. 12. & Ambrosius in 1. Cor. 12. Vbi ait, interpretis sermonum officium esse, *dicta illorum qui linguis loquuntur, vel literis, per donum Dei fideliter interpretari.* posteriorem attingit S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 4. vbi docet interpretationem sermonum referri *ad sensum eorum, quæ sunt proferenda*, vel ab alijs prolata; quo proinde etiam ipsius scripturæ interpretatio pertinet iuxta eundem S. Thomam lect. 2. in 1. Cor. 12. cōuenienter illi 2. Petri 1. v. 20. *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est prophetia.* Vbi sensus est; quia scriptura sacra Spiritus Sancti instinctu conscripta est, ideo secundum eiusdem Spiritus instinctum, non autem ex proprio ingenio, interpretandam esse.

142 Sexto; Alia gratia ad cognitionem potissimum ac formaliter pertinens, est *Prophetia*; ad quam etsi proprijssime spectet reuelatio seu prænotio euentuum futurorum, iuxta S. Thomam 2. 2. q. 171. a. 3. non tamen ad hanc solam materiam coarctatur; quando etiam ad præsentia & præterita, certa quodam lumine diuinæ reuelationis notificata, extenditur, iuxta eundem S. Thomam ibidem vbi ait: *Manifestatio, quæ fit per aliquod lumen, ad omnia illa se extendere potest, quæ illi lumini subjiciuntur.* Vnde Gregorius homil. 1. in Ezechielem, *Prophetia*, inquit, *de futuro est. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Prophetia de præterito, In principio creauit DEVS cœlum & terram: de illo enim tempore dixit homo, quo non erat homo. Prophetia de præsenti est, quando Paulus Apostolus dicit 1. Corinth. 14. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, conuincitur ab omnibus, iudicatur ab omnibus; occulta enim cordis eius manifesta fiunt: cum dicitur occulta cordis eius manifesta fiunt, profecto monstratur, quod per hunc modum spiritus prophetiæ non prædicit, quod futurum est, sed ostendit quod est.* Quare & occultorum cordis alieni, & longe absentium notitia ad prophetiam pertinet, iuxta S. Thomam loc. cit. tametsi hoc loco paulo strictius accipiatur, vt in explicatione sequentis gratiæ dicetur.

Differt prophetia â fide, non ideo proprie, quod Prophetis immediate à DEO fit reuelatio; 143
credentibus autem per fidem solum mediate; cōtrarium enim patet in Angelis, & primo homine, sed quod hæc nitiatur reuelatione obscura, vt suo loco dictum; illa vero, si in suo genere perfecta sit, reuelatione clara; qua scilicet reuelans Deus vi ipsius reuelationis, (non sola vi discursus, aut iudicij naturalis) clare innotescat, ita vt prophetia proinde includat euidentiam in attestante seu reuelāte, vt bene docet Caietanus 2. 2. q. 17. a. 5. & indicat S. Augustinus lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. & S. Thomas cit. q. 171. a. 5. & a. 3. ad 2, & q. 12. de veritate a. 2. & 3. p. q. 7. a. 8. ad 1. etsi alij aliter sentiant, & Suarez hic disp. 8. sect. 5. & 3. p. tom. 1. disp. 21. sect. 1. à claritate & obscuritate censeat abstrahere.

Probatur tum illo Danielis c. 20. v. 1. *Intelligentia est opus in visione.* Tū quod idcirco Prophetæ *Videntes* dicti sunt, eandemq; ob causam ipsi Prophetæ adeo fidenter dicebant: *Hæc dicit Dominus.* speciatim Dauid 2. Reg. 23. v. 4. *sicut lux auroræ, oriente sole, mane absq; nubibus rutilat.* Accedit quod alias prophetia neq; à fide distingui, vt suo loco dictū, neq; (si necessario obscura esset) Christo tribui posset, contra communem. 144

Quare etiam ad Prophetiam pertinet, vt ipsi 145
Prophetæ probe discernant ac norint, quid ex Deo loquantur ipsi, & quid de suo, itemq; si actus prophetiæ perfectus sit, vt visionum ac reuelationum propheticarū sensum probe percipiant. Tametsi nonnunquā in Prophetis præter veram & perfectam cognitionē propheticā, dentur etiā subinde quidā actus in eo genere imperfecti, aut plane diuersi generis, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 171. a. 5. vbi ait: *Mens Prophetæ dupliciter à Deo instruitur: vno modo per expressam reuelationē, alio modo per instinctum quēdam occultissimum, quem nescientes humanæ mentes patiuntur, vt S. Augustinus tract. 8. in Ioannem dicit. Ad ea, quæ cognoscit per instinctū, aliquando sic se habet, vt non plane dicere possit, vtrum hæc cogitauerit diuino instinctu, vel per spiritum proprium. Non autem omnia, quæ cognoscimꝰ diuino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur. Talis enim instinctus est, quidā imperfectum in genere prophetiæ.* Idem habet S. Gregorius hom. 1. in Ezechielem. Atq; hoc primum

genus

genus est cognitionis imperfectæ in ratione prophetiæ; quę quidem proprie etiam prophetię nomen non meretur.

146 Secundo huc spectant meræ apprehensiones Propheticarum visionum, absque notitia significationis earumdē. Non enim Pharao Genesis 41. aut Nabuchodonosor Danielis 2. & 4. diuinarum visionum spectatores, proprie Prophetæ erant; sed potius Ioseph & Daniel, qui has exposuerunt.

Tertio huc pertinent eæ reuelationes & visiones Prophetarum, quarum sensus solum ex parte, non ex toto Prophetis innotescunt. Vnde S. Thomas 2. 2. q. 174. a. 4. *Sciendum*, inquit, *quod quia mens Prophetæ est instrumentum deficiens, etiam veri Prophetæ non omnia cognoscunt, quæ in eorum visis aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit.* Et Augustinus lib. 12. in Genesin ad literam cap. 9. *Minus Propheta*, inquit, *qui rerum, quæ significantur sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt; & magis Propheta, qui solo earum intellectu præditus est; sed & maxime Propheta, qui vtroque præcellit, vt & videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat.*

147 Prophetiæ modus varius est; ac præcipue triplex iuxta S. Thomam 2. 2. q. 174. a. 1. ad 3. post Augustinum l. 12. de Genesi ad tit. c. 7. & Isidorum lib. 7. etym. c. 8. 1. per externam obiecti repræsentationem. 2. per internam imaginationis apprehensionem. 3. per simplicē illustrationem intellectus: de quibus S. Gregorius l. 18. Moralium c. 2. *Aliquando*, inquit, *Dominus voluntatem suam indicat imaginibus cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus ante oculos corporeos ex aere assumptis; potuit & interius per semetipsum Dominus vim suæ sententiæ cordi sine verbis insonare.*

Rursum vero Prophetia, inquit S. Thomas 2. 2. cit. q. 174. art. 3. *in qua manifestatur supernaturalis veritas per imaginariam visionem, diuersificatur secundum differentiam somnij, quod fit in dormiendo; & visionis, quæ fit in vigilando; quæ pertinet ad altiorem gradum Prophetiæ; quia maior vis prophetici luminis esse videtur, quæ aliquem occupatum circa sensibilia in vigilando abstrahit ad supernaturalia, quam illa, quæ animam hominis abstractam à sensibilibus inuenit in dormi-*
148 *endo.* Cum quo non pugnat, aliquam visionem in somno, si Deus simul animum ad recondita mysteria intelligenda expressis verbis erudiat, præstantiorem esse posse, quam Propheticam visionem vigilanti oblatā; quia iuxta eundem S. Thomam ibidem, *altior gradus prophetiæ videtur quando Propheta audit verba exprimentia intelligibilem veritatem, siue in vigilando, siue indormiendo, quam quando videt aliquas res significatiuas veritatis. &c.* multoq; magis quando Propheta non solū videt *signa verborum vel factorum, sed etiam videt vel in vigilando, vel in dormiendo aliquem sibi colloquentem, aut aliquid demonstrantem: quia per hoc ostenditur, quod mens Prophetæ magis appropinquet ad causam reuelantem.*

149 Cum prophetia affinitatem habet *Raptus*, quo aliquis præter naturæ ordinem (vt excludatur somnus) abstrahitur à sensibus ac rerum sensibilium apprehensione. *Quæ abstractio*, inquit S. Thomas q. 175. generatim *potest ex triplici causa contingere. Vno modo ex causa corporali, sicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. Secundo modo, ex virtute dæmonum, sicut patet in arreptitijs. Tertio modo ex virtute diuina. Et sic loquimur nunc de raptu, prout scilicet aliquis spiritu diuino eleuatur ad aliqua supernaturalia, cum abstractione à sensibus, secundum illud Ezechielis 8. Spiritus eleuauit me inter cœlum & terram, & adduxit me in Hierusalem, in visione Dei.*

Et quamuis Raptus habere soleat causam ex 150
parte appetitus; siquidem hoc ipso, quod is ad aliquid vehementer afficitur, *potest contingere*, inquit ibidē S. Thomas a. 2. *quod ex violentia affectus homo ab omnibus alijs alienetur*, iuxta Dionysium c. 4. de diuinis nominib⁹ vbi ait: *Est autē extasin faciens diuinus amor*, sicut etiam in eodem appetitu delectationem velut effectum causare raptus potest; proprie tamen ac formaliter raptus *non pertinet ad vim appetitiuam, sed solum ad cognoscitiuā*, cuius scilicet proprie est mentem à materialium ac sensibilium rerum concretione ac sensu liberam reddere, iuxta S. Thomam ibidem.

Differt raptus ab exstasi, iuxta eundem ibidem 151
ad 1. *Nam extasis*, inquit, *importat simpliciter excessum à seipso, secundum quem scilicet aliquis extra suam ordinationem* (seu liberam sui dispositionem) *ponitur. Sed raptus super hoc addit violentiam quandam*, adeoq; singularē ab omnibus sensibus abalienationem extrinseca Dei virtute factam. Ex quibus etiam colligitur, raptum quidem simul coniungi posse cum prophetia, non tamen necessario; sicut etiam raptus sine prophetia esse potest; quando homo in raptu sola fidei, siue etiam donorum Spiritus Sancti, Intellectus scilicet, Sapientiæ, & Scientiæ vsu, absque noua, & prophetica reuelatione diuina, diuina contemplatur, etsi forsan hoc rarius accidat.

Septimo Prophetiæ gratiæ adeo affinis est *dis-* 152
cretio spiritum, itidem ad cognitionem pertinens, vt vno quodam sensu etiam ad prophetiam pertineat, ex dictis; quamuis hoc loco iuxta S. Thomam 1. 2. q. 111. art. 4. ita contra eam distinguatur, vt prophetia, quatenus est specialis gratia gratis data, in præuidendis futuris contingentibus, aut certē alijs procul ab humana cognitione remotis cognoscendis versetur; discretio Spirituum autem in occultis cordium cognoscendis occupetur. Cui tamen materiæ addi debet etiam certum iudicium in omni genere de bono, seu malo spiritu, deque instinctu & motione ab ijsdem profecta. In quem sensum Chrysostomus loc. cit. homil. 29 in 1. Cor. ait: *Quid est discretiones Spirituum? nosse quis sit spiritualis, & quis non spiritualis, & quis impostor.* Et Ambrosius citat. 1. Corinth. 12. *Alij datur discretio spirituum, vt intelligat & iudicet, quod dicitur an Spiritus Sancti sit, an mundani.* Et Hieronymus ibidem: *Vt qualis vel quo spiritu veniat, vel loquatur, intelligat.* Et Theodoretus ibidem: *Vt eos discernerent, qui ab aduersario spiritu agebantur.* Potest tamen ipsa discretio spirituū etiā fieri notitia & lumine quodam inferiori, quam sit lumen propheticum, vti fit, quando ex varijs

regulis

regulis, & simul ex indicijs naturaliter aut experimentaliter notis, interni instinctus diiudicantur; qua ratione discretio Spirituum à prophetia etiam essentialiter differet.

153 Eadem fere ratione *Operatio virtutum & Gratia sanitatum*, quas quod externa opera concernant, ad hunc postremum locum reseruauimus, non tam ex parte formæ, quam materiæ differunt. Cum enim vtraque versetur in perpetratione miraculorum, hoc solo inter se differunt, iuxta S. Thomam 1. 2. q. 111. a. 4. quod hæc circa ea miracula patranda versetur, quæ *ad salutem corporum* pertinent; illa vero circa alia, quæ ordinantur *ad solam diuinæ potestatis protestationem*, vt superius dictum. Sed & ab Ambrosio & Hieronymo in 1. Cor. 12. ad operationem virtutum refertur etiam eiectio dæmonum; quæ tamen non absque ratione etiam ad gratiam sanitatum referri potest.

154 Dubitatur, an miracula præter Deum principalem authorem, habeant etiam causas instrumentarias creatas physicas, an solum morales. Posterius asserunt Bonauentura 3. dist. 13. a. 2. q. 3. Richardus ibidem, Gabriel q. vn. a. 3. dub. 2. Scotus in 4. dist. 1. q. 5. Durandus q. 4. Marsilius q. 2. a. 2. & Canus Relect. de Sacramentis part. 4. Priorem partem tuentur Capreolus in 4 dist. 1. q. 1. a. 3. Ferrariensis 4. contra Gentiles cap. 56. Paludanus in 4. dist. 1. q. 1. concluf. 3. Sotus dist. 9. q. 2. a. 7. Vega lib. 7. in Tridentinum cap. 14. & plærique Thomistæ; quibus plurimum fauet S. Thomas 3. part q. 62. a. 4. ad. 2. & q. 63. a. 2. ad 1. & q. 27. de veritate a. 4 ad. 4. & 2. 2. q. 178. a. 1. ad. 1. vbi ait *Deus principaliter operatur, qui vtitur instrumentaliter, vel interiori motu hominis, vel eius locutione.*

155 Quæ sententia mihi etiam probabilior videtur, saltem respectu ipsius humanitatis Christi, quæ fuit instrumentum coniunctum ad patranda opera miraculosa; cuique etiam hic honor præ cæteris debebatur, vt passim docet S. Thomas, & suo loco tom. 3. pluribus dicetur. Neque opus est, ad hanc rem peculiari qualitate, seu corporea seu spirituali, ipsi instrumento impressa, vt existimant Capreolus, Paludanus, Ferrariensis, & alij: sufficit actualis vsus & applicatio instrumenti, vt suo loco de potentia obedientiali actiua creaturarum, deque Sacramentis generatim dicetur. In alijs vero Sanctorum, aut rerum sanctarum miraculis, existimo solum interuenisse concursum moralem; quia vmbra Petri v. g. cum esset aliquid solum negatiuum, nec potuit quidem habere efficientiam physicam ad aliquid operandum. Eadem videtur ratio aliarum eiusmodi rerum.

156 Quæritur quarto, an gratiæ gratis datæ sint habitus. Respondetur, quasdam sua natura esse posse habitus, dubitari vix potest. Tales sunt sermo sapientiæ, sermo scientiæ, Fides, Genera linguarum, Interpretatio sermonum; quando negari non potest, à Deo infundi posse habitus, quibus homo aptus reddatur, tum ad oportune enuntianda diuina, tum ad loquendum varijs linguis, easque interpretandas; cum similes quidam habitus, saltem naturales, etiam humano studio acquiri possint; & probabile est, donum linguarum reipsa non fuisse distinctum à speciebus intelligibilibus vocum & significationis earundem, siue à Deo nouiter collatis, siue certo modo dispositis & ordinatis. Quas proinde gratias ita etiam habitualiter Apostolis communicatas fuisse, verius videtur; tametsi alioqui S. Thomas, à toto genere loquendo, passim significet, gratias gratis datas magis in actu, quam in habitu consistere.

E contrario certum videtur, gratiam sanitatum, & operationem virtutum, formaliter & essentialiter habitus non esse, nec esse posse; quando nulla qualitas creata possibilis esse videtur, quæ potentiæ alicui subseruiat, per modum alicuius connaturalis instrumenti, ad miracula perpetranda; hoc ipso, quod ea vim omnem creatam superant; quidquid sit de qualitatibus illis, quasi per modum potentiæ impressis ad miracula perpetranda; quas tamen ipsas verior sententia non admittit, vt dictum. 157

De duabus gratijs potest esse quæstio, an sua natura sint, vel esse possint habitus; nimirum de prophetia, & discretione spirituum. Equidem existimo, ipsum lumen Propheticum, quoad iudicium & assensum in Prophetis (Christo excepto, de quo inferius) habituale nunquam fuisse; etsi quoad species aut phantasmata Prophetis nonnunquam extraordinarie indita habitualiter permansisse nihil dubitem. 158

Vnde Gregorius 2. Moral. 28. *Si Prophetia*, inquit, *Spiritus semper Prophetis adesset, inquisitus Amos Propheta non diceret: Non sum Propheta.* In quem sensum etiam S. Thomas 2. 2. q. 171. a. 2. docet, Prophetas futura pro arbitratu non præuidere. Species tamen & phantasmata, quia natura sua permanentes quædam sunt qualitates, nulla ratio est cur statim desitâ propheticâ illustratione, desinere debuerint. In quê sensum accipi potest illud S. Thomæ loc. cit. *In intellectu Prophetæ, cessante actuali illustratione, remanet quædam habilitas ad hoc, quod facilius iterato illustretur.*

Imo vero probabilius videtur, lumen propheticum, ea quidem ratione, qua Prophetis communicari solebat, quantum ad ipsum iudicium, non posse sua natura esse habituale. Ratio est; quia actus prophetici non habent firmam aliquam & constantem rationem formalem, quæ nitantur; sed solum transeuntem, per modum alicuius actualis illustrationis, quæ non potest diutius officium rationis formalis prophetiæ obire, quam dum & quamdiu actualiter perdurat; vt ex ipsa scriptura colligitur, quia lumen propheticum per modum actualis & transeuntis locutionis ac reuelationis describitur, puta; *Factum est Verbum Domini*; *Locutus est Dominus*; *Mane erigit mihi aurem.* 159

Idem de discretione Spirituum sentio, quatenus per eam occulta cordium Deo reuelante patefiunt; secus est, si loquamur de notitia, quæ ad discernendos spiritus ex certis quibusdam regulis & experimentis comparari & addisci potest. 160

Cum

161 Cum quo non pugnat, quo minus aut olim aut etiamnum hodie quidam, diuina destinatione ac deputatione, gratiam prophetiæ, & discretionis spirituum etiam constanter ac permanenter quasi possideant; non quod ea vti possint quoties velint, sed quia Deus illos identidem ac frequenter illustrando, ad hanc functionem velut ex officio obeundam vocauerit. Quo sensu Prophetæ olim dicti sunt, etiam cessante actuali prophetica illustratione, ex deputatione scilicet diuina; secundum illud Hieremiæ cap. 1. *Prophetam in gentibus dedi te*, vt notauit S. Thomas loc. cit. In quem sensum etiam intelligitur illud Numer. 11. *Cum requieuisset in illis spiritus prophetarum, nec vltra cessauerunt.*

162 Nec obstat, quod S. Thomas 3. part. quæst. 7. a. 7. ad 1. significare videtur, omnes gratias gratis datas per modum habitus permanenter in Christo fuisse; quod etiam speciatim de prophetia asserit Hieronymus epist. 125. ad Damasum quæst. 3. Non enim ideo sequitur, omnes eiusmodi habitus propriè & formaliter in Christo fuisse habitus, vt ex dictis colligi potest. Accedit, quod cum prophetia in Christo non fuerit re ipsa distincta à cognitione supernaturali, quam per visionem beatam, vel per se infusam de diuinis rebus habuit, iuxta Suarez 3. part. tom. 1. disp. 21. sect. 1. recte concedi potest, notitiam propheticam in Christo vere ac proprie habitualem fuisse, at simul ab ea quæ cæteris prophetis communicata fuit, longe diuersam, vt dictum.

QVÆSTIO VIII.

De Infidelitate, alijsque vitijs fidei oppositis.

S. Thomas 2. 2. q. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

ABsoluetur hæc quæstio septem dubitationibus. I. Quæ & quot sint vitia fidei opposita, speciatim de infidelitate; an semper sit peccatum, non obstante quauis ignorantia. II. In quonam subiecto sit peccatum infidelitatis; & quantum sit peccatum. III. Quot sint species infidelitatis; & qualis inter eas quoad grauitatem sit comparatio. IV. An omnes infidelium actiones sint peccata. V. Quid sit hæresis, & Apostasia; & quomodo inter se differant. VI. Quænam sint apostatarum & hæreticorum pœnæ. VII. De peccato Blasphemiæ; speciatim etiam in Spiritum sanctum, quid, quale, quantum, & quotuplex sit hoc peccatum. De Communicatione vero cum infidelibus agetur quæstione sequenti.

DVBIVM I.

Quæ, & quot sint vitia fidei opposita; speciatim de Infidelitate; an semper sit peccatum, non obstante quauis ignorantia.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 1. & q. 14. & 15.

1 POstquam hactenus de obiecto, deque propositione obiecti fidei, item de habitu & actibus eiusdem egimus; sequitur postremo, vt de vitijs fidei oppositis agamus; quæ quidem S. Thomas initio quæstionis 10. in tria genera dispertitur; vt nimirum aliqua opponantur interno actui fidei, qualis est infidelitas cum suis speciebus; alia vero opponantur confessioni fidei, qualem S. Thomas esse dicit blasphemiam; denique alia opponantur scientiæ & intellectui, tanquam donis fidei affinibus, qualem esse docet cæcitatem mentis, & hebetudinem sensus; in quibus tamen duobus postremis vitijs explicandis non est nobis immorandum.

2 Solum notetur, scientiæ quidem directe opponi Ignorantiam, de qua satis actum est tom. 2. disp. 2. q. 1. dub. 7. & disp. 4. q. 9. dub. 1. & 2. Dono vero intellectus opponuntur voluntaria cæcitas mentis, & hebetudo sensus. Quarum illa quidem facit, vt mens voluntariè (seu directe, seu indirecte) à spiritualium veritatum consideratione (à peccato alioqui retrahere solitâ) abstrahatur, & potissimum ex luxuriæ peccato oriri solet: hæc vero ex gula enasci consueta, consistit in quadam difficultate & stupiditate mentis, in penetrandis & distincte percipiendis rebus spiritualibus; de quibus agit S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 31. Non videntur autem hæc peccata esse distincta ab ijs, è quibus nascuntur, aut quæ ex illis postea nascuntur; nisi ea ratione qua ipsamet ignorantia aliquando per se peccatum esse potest, vt generatim dictum cit. disp. 4. q. 9. dub. 1. & paulo post inferius hoc dubio speciatim in hac ipsa materia fidei dicetur. Vide S. Thomam hic q. 15.

Quod vero ad infidelitatem attinet, hoc no- 3

mine

mine, præcisè ipsa omissio actus fidei, etiam pro tempore, quo ex præcepto eliciendus erat; sed intelligitur tum carentia tam actus, quam habitus fidei simul, in subiecto apto (vt excludantur Christus, & Beati,) tum etiam quæuis positiua repugnantia mentis cum assensu fidei; qualis cernitur non solum in positiuo dissensu veritatum fidei, vel etiam in oppositio assensu fidei, sed etiam tum in dubitatione de veritate rerum fidei, iuxta dicenda dub. 5. tum in ipsa voluntate non credendi, vel etiam credendi oppositum rebus fidei.

4 Quo posito, quæritur an & quandonam infidelitas sit peccatum, seu an semper sit peccatum, non obstante quauis ignorantia. Ad quam quæstionem Sanctus Thomas hic quæstion. 10. artic. 1. respondet duabus conclusionibus communiter receptis I. Infidelitas contraria, seu contrarie oppositia fidei, (adeoque voluntaria) semper est peccatum. Hæc conclusio, quoad rem ipsam est ex fide certa, Ioannis 3. vers. 18. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Ioannis 15. vers. 22. *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* nempe infidelitatis. Marci vlt. vers. 16. *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ad Titum 3. v. 3. *Eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes &c. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus, sed secundum suam misericordiã saluos nos fecit.* Quid sit autem infidelitas contrarie oppositia fidei inferius dicetur.

5 Conclusio II. S. Thomæ est: Infidelitas secundum puram negationem accepta, qualis est in ijs, qui nihil de fide audiuerunt, non est peccatum; sed potius pœna peccati, ex peccato primi parentis consequuta. Hæc assertio est communior Theologorum sententia, vt dicemus. Probatur ex Ioannis 15. vers. 22. *Si non veniissem, & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent*; magnum scilicet illud peccatum infidelitatis, iuxta Augustinum tractat. 89. in Ioannem. Quibus addi potest illud Rom. 10. v. 17. *Fides ex auditu.* Et v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?*

6 Ratio est. Quia ignorantia inuincibilis non est peccatum, vt suo loco ex comuni dictum: talis autem est, quã quis moraliter & humano modo, hoc est, deliberate & ex intentione pellere non potuit: at qui nihil vnquam de fidei doctrina audiuit, non potest moraliter & humano modo, hoc est, deliberate & ex intentione peruenire ad cognitionem fidei; quandoquidem nec suspicandi quidem principium habet, esse aliam quandam fidem rerum supernaturalium necessariam; etsi absolute loquendo possit, si nempe cum auxilio præuenientis gratiæ faciat quod potest, & ad quod aliunde tenetur, vt dictum superius q 6. du. 2. Ergo, &c.

7 Et confirmatur conclusio; quia omnes fatentur, ante sufficientem promulgationem Euangelij, multas nationes habuisse ignorantiam inuincibilem fidei: at vero etiam nunc plures gentes apud Indos reperiuntur, quæ nihilo plus audierunt de fide; apud quas videlicet, aut nunquam fides prædicata seu nuntiata fuit; aut si olim fuit, diuturna tamen obliuione ita extincta est, vt nulla plane eius memoria superfit.

Recte tamen addit S. Thomas, tametsi quidem eiusmodi infideles non damnentur propter peccatum infidelitatis; nihilominus tamen iuste damnari propter alia peccata contra legem naturalem, quæ cum excitantis gratiæ auxilio vitare singula potuissent, saltem petendo etiam maiorem opem à Deo, quam ipsa experientia duce, sibi necessariam esse discere poterant. Quomodo etiam loquuntur Ambrosius lib. 2. de vocatione Gentium, & Augustinus lib. de grat. & lib. arbit. cap. 3.

Cæterum vt circa has conclusiones, & mens 8
S. Thomæ, & simul res ipsa, præsertim cum quæritur, an etiamnum hodie dari possit ignorantia inuincibilis fidei, clarius percipiatur, notandum est primo, infidelitatem contrariam seu contrarie oppositam fidei, iuxta S. Thomam, censeri & vocari illam, quæ ex parte ipsius quoque voluntatis ita fidei aduersatur, vt vel directe vel indirecte voluntaria sit; siue ea interim accidat per ignorantiam priuationis, siue prauæ dispositionis: contra autem puræ negationis infidelitas est & dicitur illa, quæ ita dicit negationem fidei, vt nec simul vllo modo sit voluntaria; siue interim cum hac ipsa absentia fidei coniunctus sit error positiuus aduersus fidem, adeoque ignorantia prauæ dispositionis, siue non iuxta dicta superius quæstion. 6. dub. 2. Quare vno verbo sensus vtriusque conclusionis Sancti Thomæ est, infidelitatem aliquo modo voluntariam esse peccatum; nullo modo voluntariam non esse.

Notandum secundo, quod S. Thomas loc. cit. 9
dicit, in ijs, qui nihil de fide audierunt, infidelitatem seu ignorantiam fidei, vtpote inuincibilem, non esse peccatum, regulariter accipiendum esse; nisi videlicet Deus ipse prædicationem seu propositionem externam fidei, vti potest, per se ipsum, aut Angelum; adeoque per internas inspirationes & instinctus, seu priuatas reuelationes ita suppleat, vt quis etiam sine externa prædicatione seu propositione, prudenter possit & debeat ad credendum moueri, iuxta dicta quæstion. 2. dub. 1. Tunc enim si quis non crederet, immunis non esset à peccato infidelitatis.

Notandum tertio, non eos tantum, qui ni- 10
hil de fide audierunt, sed alios etiam, quibus necdum sufficienter fides est proposita, à peccato infidelitatis excusari posse, si post moralem diligentiam ad veritatem inueniendam adhibitam, necdum ea motiua deprehendant, quibus prudenter ad fidem acceptandam moueri possint & debeant. Quo fit, vt etiam inter hæreticos & schismaticos, plures simplices à peccato infidelitatis excusentur; quia nimirum suis maioribus & pastoribus credunt, nec adhuc sufficienter vident, eos errare, ob eandem rationem, vt recte cum Victoria Relect. de Indis concluf. 1. n. 33. Vegâ lib. 6. de iustificat. cap. 19.

& Pe-

& Petro Soto tract. de ratione medendi peccatis lect. 2. tradit Vasquez 1. 2 tom. 2. disp. 120. cap. 5. num. 14. & 15. contra Durandum in 2. dist. 25. q. 1. num. 10. frustra distinguentem inter puram ignorantiam & errorem. Nec aduersatur S. Thomas quodlib. 3. a. 10. cum ait; nullum excusari, si sequatur opinionem erroneam alicuius Doctoris, circa res fidei. Intelligitur enim hoc, si id alioqui norit aduersari ei doctrinæ, quam ipse antea communiter in Ecclesia audiuit, vt post Bonauenturam in 3. dist. 25. a. 1. q. 3. recte intellexit Vasquez ibidem.

11 Notandum quarto, modum diligentiæ ab infidelibus ad veram fidem inuestigandam adhibendæ, non ijsdem terminis quoad omnes circumscribi. Illi enim, qui fidem alioquin cum ratione naturali non pugnantem habentes, nihil prorsus de vera & supernaturali fide audierunt, adeoque nec principium vllum habent suspicandi, esse etiam fidem supernaturalem necessariam, aliud sane facere non possunt, quam vt cum auxilio gratiæ DEI præuenientis naturalem legem seruent, quantum possunt, inuocando etiam ad hoc opem Dei, velut generalis prouisoris rerum omnium.

Alij qui de fide quidem nostra aliquid audierunt, sed nulla fide digna relatione, non peccant, in rebus illis, quæ rationi naturali non aduersantur, acquiescendo ijs, quorum auctoritatem ipsi, hac in re, cæteris longe anteferendam non leuiter existimant, vt ex dictis colligitur, & recte etiam notauit Arragonius hic q. 10 art. 1.

12 Quibus vero etiam, propositis nonnullis pro vera fide motiuis, non leuis suspicio de veritate nostræ, & falsitate suæ fidei ingenerata est; ita quidem, vt ea suspicio secundum rectam rationem nulla opposita auctoritate deponi seu eneruari possit, ij sane & Ecclesiæ Doctores adire, interrogare, audire, tenentur; & si ne sic quidem secundum rectam rationem, forte ob incapacitatem rudioris ingenij, omnis dubitatio eximi videatur deficiente iam ope humana, ad diuinam per orationem instanter confugere debebunt: ita vt hæc vniuersalis regula statui posse videatur.

Eos qui in probabili dubio de fide, facta sincera inquisitione apud eos, quos prudens ratio consulendos dictabat, adhuc dubij hærent, teneri demissis precibus opem à communi Domino petere; idque præsertim, si vt inter hæreticos accidit, iam sint persuasi, esse aliquam rerum supernaturalium fidem necessariam: id quod sæpe etiam vtiliter præstitum, plurium exempla & experientia docent. Atque ad hunc fere modum conciliari etiam poterunt ea, quæ de necessitate implorandæ opis diuinæ, in hoc casu, è varijs auctoribus refert & disputat Vasquez loc. citat. Certe Antisiodorensis lib. 3. Summæ tract. 3. cap. 2. q. 3. & Adrianus quodlib. 2. q. 1. & quodlib. 4. a. 1. non sine causa, sæpe in hoc genere orationem esse necessariam docent.

13 Notandum quinto, secundam conclusionem S. Thomæ inter Scholasticos controuersam esse. Non enim desunt, qui absolute pronuntiant, non dari hoc tempore, post sufficientem Euangelij promulgationem, ignorantiam inuincibilem rerum fidei, seu vniuersim, seu quoad ea duntaxat mysteria, sine quorum cognitione nulli contingit salus. Ita enim docent Hugo Victorinus li. 2. de Sacramentis part. 6. cap. 5. Alensis 2. part. q. 112. memb. 8. & quæst. 153. memb. 3. Antisiodorensis loc. citat. Parisiensis tractat. de legibus cap. 21. Albertus in 2. dist. 22. a. 10. Bonauentura in 3. dist. 25. a. 1. quæst. 2. & 3. Gabriel in 2. dist. 22. a. 3. du. 1. Gerson alphabeto 61. litera K. & alphab. 62. lit. I. Adrianus quodlibeto 2. q. 1. & quodlib. 4. art. 1. & Corduba lib. 2. q. 4. conclusione 2. & 3.

Cæterum retinenda est vera & communis sententia S. Thomæ loc. cit. quam in specie etiam circa ignorantiam mysteriorum Trinitatis & Incarnationis docuimus supra quæst. 7. dub. 3 assert. 5. & tradunt ac sequuntur Bannes & Arragonius ibidem, Durandus in 3. dist. 25. q. 1. ad 1. Caietanus 2. 2. q. 1. a. 4. Conradus de contractibus q. 100. Almain tract. 1. Moral cap. 4. Victoria Relect. de Indis conclus. 1. Sotus in 4. dist. 5. q. vn. a. 2. dub. vlt. licet lib. 2 de nat. & grat. cap. 12. in oppositum magis propenderet; item Vega lib. 6. in Tridentinum cap. 18. Castro lib. 2. de lege pœnal. cap. 14. Petrus Sotus de remedijs pecc. lect. 2. Gregorius de Valentia hic q. 10. punct. 1. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 13. quæst. 2. Vasquez cit. disp. 120. cap. 3. Idemque aperte tradit Augustinus tract. 89. in Ioannem, vbi hanc quęstionem ex instituto tractat. Nec difficile est ad argumenta contrariæ sententiæ respondere. 14

Obijcitur primo, hanc ignorantiam infidelibus esse voluntariam, tum propria voluntate, in peccatis actualibus, quibus impedimentum ponunt gratiæ, qua tandem ad cognitionem fidei peruenire potuissent; tum aliena volũtate primi parentis. Ergo est peccatum personale, aut originale. Respondetur, quod ad priorem partem antecedentis attinet, eam ignorantiam propria voluntate non esse voluntariam; quia tunc tantũ ignorantia ex peccato actuali consequens, est ignoranti voluntaria, adeoque peccatum, quando aut reipsa præcessit, aut certe ex intentione potuit præcedere & concipi notitia, aut saltem suspicio obligationis sciendi, vt suo loco dictum; quod in proposito non accidit. 15

Quoad alteram partem antecedentis, respondeo, etsi ignorantia hæc dici possit voluntaria voluntate aliena, non ideo tamen esse peccatum, nec originale quidem; quia non omnis priuatio perfectionis debitæ, etsi voluntaria voluntate primi parentis, est peccatum originale; sed gratiæ solum & charitatis priuatio, in qua consistit auersio habitualis à Deo, vt suo loco dictum, tom. 2. disp. 4. q. 7. dub. 4. & recte aduertit Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 132. num. 43. 16

Nihilominus tamen si quis diceret, fidem & spem esse partes quasdam, etsi minus principales, iustitiæ habitualis, vt sentit Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 6. non inconuenienter Concilio Tridentino session. 6. cap. 7.

& nos aliquo sensu probabiliter dici posse docuimus tomo 2. disp. 6. q. 5. dub. 2. is, si consequenter etiam assereret, non ipsam quidem ignorantiam actualem, sed priuationem habituum fidei & spei, minus principaliter etiam pertinere ad peccatum originale infideliũ nondum renatorum, cum eo non videretur magnopere contendendum. Neque vero de hoc in proposito est controuersia; sed an ipsa ignorantia seu carentia fidei, in eiusmodi infidelibus, sit peccatum ab originali distinctum.

17 Obijcitur secundo. Deus facienti quod in se est (saltem cum auxilio gratiæ præuenientis) certo confert gratiam vberiorem, qua credere & conuerti possit, vt suo loco de gratia docuimus: Ergo infideles quilibet fidem acquirere possunt; qua proinde si carent, suâ culpâ carent. Respondetur hac ratione solum probari, infideles nec sine culpa aliorum peccatorum fide carere; quod superius ipsi docuimus; & simul etiam absolute ad fidei cognitionem peruenire posse; non probatur tamen, posse moraliter & ex intentione. Sicut etiam agricola, in cuius agro thesaurus absconditus est, potest quidem absolute thesaurum illum inuenire, si agrum fodiat, sed ex intentione non potest.

18 Obijcitur tertio illud Apostoli Rom. 10. vers. 12. vbi significat, omnes gentes potuisse Deum inuocare & colere: quid ni igitur etiam vera fide credere? Respondeo, aliud esse Deum vt auctorem rerum naturalium cognoscere & colere; aliud, etiam vt auctorem rerum supernaturalium credere: ad illud enim naturale rationis lumen sufficit; quod proinde saltem à toto genere Gentiles inuincibiliter ignorare nequiuerunt; vt suo loco tomo 2. dictum; ad hoc non item. Deinde nec illud quidem vult Apostolus, nullum ex infidelibus habere posse ignorantiam inuincibilem, vnius veri DEI; sed certe quidem infideles communiter & à toto genere non habuisse.

19 Obijcitur quarto; iuxta nostram sententiam assignandum fore quartum locum æternæ commorationis, pro adulto infideli, nullum aliud peccatum personale habente, si in eo statu moreretur. Ad hoc respondet Vasquez loc. citat. adultum illum, iuxta leges diuinæ prouidentiæ, in eo statu nunquam moriturum; vti nec prædestinatus mori potest in statu peccati mortalis, idque eo magis, quod si infidelis adultus cum auxilio gratiæ præuenientis vitet peccatum, vt potest, certissime à DEO auxilium propinquè sufficiens ad credendum recepturus est.

Sed quamuis hæc responsio merito admittenda sit, ex casu, quo talis adultus cum peccato originali solum veniale coniunctum habet, vt suo loco dictum, tomo 2. disp. 4. quæst. 5. dub. 4. non video tamen in præsenti casu, vbi infidelis oñis peccati personalis expers supponitur, si mox sub initium vsus rationis ex hac vita decedat, cur idcirco quarto loco indigeat; quandoquidem tunc eadem esset illius ratio, quæ est infantium non baptizatorum; de quorum commoratione post diem iudicij alibi dictum citat. tomo secundo disputatione 4. quæstione 10. dub. 5.

DVBIVM II.

In quonam subiecto sit peccatum Infidelitatis; & quantum sit peccatum.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 2. & 3.

QVæritur primò, in quo subiecto sit infidelitatis peccatum. 20 Respondetur cum sancto Thoma q. 10. a. 2. ex communi, peccatum infidelitatis, quod est dissentire, seu non consentire rebus fidei sufficienter propositis, esse in intellectu, tanquam in proprio & immediato subiecto; in voluntate autem tanquam vniuersali principio omnis peccati. Primum patet; quia peccatum quodlibet in ea potentia tanquam subiecto inest, quæ est proximum principium eliciens actum immanentem peccati; seu etiam cui immediate inest priuatio debitæ rectitudinis peccato oppositæ: sed talis est intellectus, respectu infidelitatis: Ergo, &c.

Altera pars responsionis probatur; quia nullum est peccatum, nisi voluntarium; adeo vt voluntas sit communis radix omnis peccati. Hæc doctrina quoad vtramque partem patet ex ijs, quæ de subiecto peccati generatim docuimus tom. 2. disp. 4. quæst. 8. dub. 1. vbi contra Scotum, & alios, cum S. Thoma 1. 2. q. 74. diximus, peccatum proprie & formaliter non esse in sola voluntate; vt etiam supponunt Valentia & Bannes hic, & pluribus prosequitur Arragonius cit. art. 2.

Sed difficultas est, vtrum etiam infidelitas 21 eius, qui deliberate dubitat de fide sufficienter proposita; aut ita credit Deum esse, vt nollet credere, si demonstrationem de eodem obiecto non haberet, vtrum, inquam, tale infidelitatis peccatum, quod ex communi sententia in vtroque casu committitur, simpliciter loquendo sit etiam in intellectu. Bannes, & alij quidam hoc loco q. 10. a. 2 affirmant: Valentia pun. 2. ibidem negat; ideoque doctrinam S. Thomæ intelligendam dicit de infidelitate completa; quod quidem satis etiam verba S. Thomæ indicant; cum infidelitatem, quam in intellectu velut proximo subiecto collocat, dicit esse *dissentire fidei, qui est*, inquit, *proprius actus infidelitatis*.

Mihi peccatum dubitationis simpliciter vi- 22 detur esse in intellectu; cum in eodem formaliter sit ipsa dubitatio repugnans negatiuo præcepto fidei; quo non solum omnis dissensus, sed etiam dubitatio prohibetur: idque ideo quod dubitans, hoc ipso, quod dubitat, saltem implicite & quasi in actu exercito, (sæpe etiam in actu signato) obiectum fidei, quamtumuis sufficienter propositũ, incertũ facit; cum inter eius assensum,

& con-

& contrarium errorem ob incertitudinem vtrinque anceps hæreat. Quo fit etiam, vt de fide deliberate dubitans, totam rationem fidei plane conuellat, & ipsam adeo fidem totam amittat; iuxta dicta q 6. dub. 4. & dicenda inferius dub. 5. vbi dubitationem in fide ad hæresin spectare docebimus.

23 Alterum autem peccatum simpliciter in voluntate collocandum videtur; cui scilicet inest prauus ille affectus non credendi. Quia tamen hic ipse affectus nec ad supernaturalem fidei actum sufficit, ex dictis q. 6. dub. 1. nec simul cum fidei habitu videtur posse consistere; quandoquidem talis actus directe aduersatur habitui voluntatis ad credendum pie inclinanti, quem ipse fidei habitus in intellectu situs præsupponit, non minus quam actus fidei supponit actum voluntatis, seu piæ affectionis ad credendum, spectantis ad illum voluntatis habitum, ex dictis ibidem, ideo recte etiam dici potest, cum illo ipso peccato voluntatis coniungi simul verum peccatum infidelitatis in intellectu situm; sic tamen vt ex vtroque peccato moraliter vnum peccatum constituatur.

24 Quæritur secundo, quantum peccatum sit infidelitas. Respondetur cum S. Thoma q. 10. a. 3. sequentibus assertionibus.

Assertio I. Infidelitas ex suo genere est peccatum mortale, nec potest vnquam esse veniale, ob paruitatem materiæ; sed solum ob indeliberationem. Hanc assertionem supponunt S. Thomas loc. cit. in corp. & ad 2. & alij Theologi communiter. Prima pars patet, tum ex citatis scripturæ locis; tum quia directe aduersatur Deo, cuius auctoritatem ac testificationem falsam aut incertam reddit.

Secunda pars probatur; quia obiectum proprium ac immediatum infidelitatis nunquam non graue est, nempe authoritas Dei attestantis: æqualis prope malitiæ est, Deum seu in testificanda re parua, seu magna mendacem facere, iuxta ea, quæ de peccato veniali generatim docuimus tō. 2. disp. 4. q. 5. dub. 5.

Tertia pars probatur ex dictis ibidem; quia in omni materia ac peccati genere, à mortali excusare potest indeliberatio seu inaduertentia: & sicut in alijs peccatis datur semiplena deliberatio, aut ignorantia culpabilis, ad peccatum quidem veniale sufficiens, non tamen ad mortale, vt ibidem diximus; ita nullum dubium est, id ipsum etiam circa infidelitatem, ac dubitationem circa fidē accidere posse, ac sæpe reipsa accidere. Quoquidem casu etiam omnes consentiunt, tali infidelitatis peccato fidem non amitti; quia cū per illud fides demeritorie destruatur, nimis magna foret pœna, ob venialem infidelitatis culpam, fidei habitu priuari.

25 Assertio II. Infidelitas ex suo genere est maius peccatum omnibus ijs, quæ contra virtutes morales; non autem, quæ contra alias virtutes Theologicas committuntur. Ita S. Thomas cit. q. 10. a. 3. ex communi. Prima pars probatur. Quia infidelitas, hoc ipso, quod virtuti Theologicæ opponitur, directe est contra Deum, quem tanquam veritatem primam immediate ac formaliter deserit & lædit; ita quidē, vt, sicut ibidem simul indicat S. Thomas, infidelis (nempe qua talis) *quantum ad quid*, nihil plane veri de Deo cognoscat; etsi per aliam cognitionem, qua infidelis non est, cognoscere aliquid veri possit de Deo, vt intellexerunt Caietanus & Valentia ibidem: vel potius, vt ego intelligo; quia cum essentia Dei sit plane simplex, fieri non potest, quin tota eius quidditas simul conuellatur, ab eo, qui falsam opinionē de Deo habet: *quia id quod ipse opinatur, inquit S. Thomas, non est Deus*; etsi quoad quæstionem An est, verum & generalem aliquem Dei conceptum retinere possit. Per cætera autē peccata virtutibus moralibus opposita, non ita formaliter & directe à Deo receditur. 26

Secunda pars patebit inferius suis locis, de spe & charitate. Ratio breuiter est; quia saltem peccatum odij charitati oppositum grauius ex suo genere est infidelitate; quia aduersatur ipsi bonitati diuinæ, quæ ratione nostra maior perfectio est, quam veritas in dicendo, cui aduersatur Infidelitas. Desperationem vero ait S. Thomas q. 20. articulo 3. esse per se & ex parte obiecti minus peccatum infidelitate; etsi nobis quandoque soleat esse periculosior. Rationem adiungit; quia infidelitas, sicut & odium Dei est contra Deum secundum se; desperatio contra Deum, vt participatur à nobis, seu vt est bonum nostrum.

Assertio III. Ex circumstantijs tamen, 27
potest aliquod peccatum, contra virtutes morales, esse grauius infidelitate. Ita Sanctus Thomas cit. quæstione 10. articulo 3. ad 1. Et ideo, inquit Augustinus lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 10. *noluit præcipitare sententiam, de malo Catholico, & hæretico alias* (contra alia præcepta) *non peccante: quia peccatum hæretici etsi sit grauius ex genere, potest tamen ex aliqua circumstantia alleuiari; & è conuerso peccatum Catholici ex aliqua circumstantia aggrauari.* Ratio est; quia hoc commune est omnibus peccatis, vt vnius malitia, saltem ob indeliberationem, valde diminui; contra vero alterius peccati malitia ex circumstantijs multum aggrauari possit, vt suo loco generatim docuimus, tom. 2. disputatione 4. q. 3. dub. 2.

Assertio IV. Infidelitas etsi, modo explicato, in se & ratione dissensus fidei grauissimum 28
sit peccatum; excusat tamen ratione ignorantiæ aliquo modo cætera peccata; adeo vt cæteris paribus grauius peccet fidelis, quam infidelis. Ita S. Thomas eadem q. 10. a. 3. ad 3. ex communi. Probatur ex illo Apostoli 1. ad Tim. 1. vers. 13; *Qui prius blasphemus fui, & persecutor & contumeliosus: sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci incredulitate.* Ratio est. Quia per ipsam fidem plurima cognoscuntur motiua supernaturalia, suâ naturâ à peccato auocantia, quæ infideles aut nullo modo cognoscunt, aut certe tam firmiter & perfecte non cognoscunt. Quo fit; vt quamuis hæc doctrina potissimum procedat de peccatis, quæ propriè ex infidelitate committuntur, de quibus etiam loquitur Apostolus loc. cit. suo tamen modo de omnibus accipienda sit, quando-

quandoquidem remote, modo explicato, omnia infidelitati seu fidei defectui tribui possunt.

29 Accedit, quod per quædam peccata fidelium nonnunquam specialis contumelia irrogatur Sacramentis fidei; quod in eodem genere peccati inter infideles non accidit. Vnde *pro adulterio*, inquit Sanctus Thomas, *si committatur à fideli, & ab infideli, cæteris paribus, grauius punitur fidelis, quam infidelis: tum propter notitiam veritatis ex fide; tum etiam propter Sacramenta fidei, quibus est imbutus, quibus peccando contumeliam facit*; adde speciatim, ob Sacramentum matrimonij, quod per adulterium à fideli solum, non infideli violatur. Intelligenda est autem assertio de ignorantia infidelitatis non affectata; quia affectata potius aggrauat, quam minuit peccatum, vt cum Sancto Thoma 1. 2. quæstione 76. articulo 4. generatim dictum tom. 2. disputatione 4. quæstione 9. dub. 1.

DVBIVM III.

Quot sint species Infidelitatis; & quæ; qualisue inter eas quoad grauitatem comparatio.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 5. & 6.

30 DE hac re, ex mente S. Thomæ cit. q. 10. a. 5. & 6. sequentes assertiones statuimus. Assertio I. Penes diuersitatem errorum pugnantium cum fide, non distinguuntur, nec possunt distingui siue determinari certæ species Infidelitatis. Ita S. Thomas cit. a. 5. ex communi. Ratio est. Tum quia errores eiusmodi possunt esse infiniti. Tum quia sola diuersitas materialis obiectorum, non sufficit ad specificam distinctionem actuum, seu habituum. Ex quo sequitur, cæteris paribus, ac in eodem subiecto, omnes errores fidei esse eiusdem speciei.

31 Assertio II. Penes diuersum tamen modum, quo infidelitas fidei aduersatur, recte vniuersim constituuntur tres diuersæ species Infidelitatis; nimirum Paganismus, Iudaismus, & hæresis, seu Apostasia. Ita Sanctus Thomas citat. quæst. 10. art. 5. ex communi. Probatur primo auctoritate Ecclesiæ. Nam etiam Cœlestinus Papa, in quadam epistola ad Episcopos Galliæ, quæ habetur in Concilio Ephesino, easdem tantum tres species Infidelitatis commemorat: Et Ecclesia, in die Parasceues, pro ijsdem tribus tantum Infidelium generibus, Iudæis scilicet, Paganis, & hæreticis sigillatim orare consueuit. Deinde probatur ratione Sancti Thomæ. Aut enim Infidelitas aduersatur fidei nullo modo susceptæ, & est Paganismus: aut fidei susceptæ solum in figura & vmbrâ, nempe in Circumcisione, & Sacramentis veteris legis, quæ fuerunt vmbra futurorum; & est Iudaismus. Aut denique aduersatur fidei in se ac formaliter, siue vt loquitur S. Thomas, *secundum ipsam veritatis manifestationem* susceptæ; & est hæresis quæ etiam communi nomine vocatur apostasia à fide; præsertim si quis à fide Christiana prorsus ad Paganismum aut Iudaismum deficiat.

Ex quibus sequitur, ad has tres species Infidelitatis quosuis Infidelitatis modos reuocari: cum sit diuisio adæquata; vtpote per terminos contradicentes facta; quod in specie ita vlterius declaratur. Etenim Infidelitas illius, qui infans baptizatus, etiam inter hæreticos, postea sua sponte cum hæreticis in fide iungitur, ad hæresim pertinet, vt ex communi docet Gregorius de Valentia q. 10. punct. 3. Sicut & infidelitas Iudæi, qui reiecto Iudaismo, ad hæreticos transit, adeoque hæreticâ seu potius nulla fide imbutus, baptismum recipit; vt tandem etiam fatetur Bannes hic cit. a. 5. non solum quia simul eodemque tempore, & fidem veram ac Catholicam, cuius est baptismus, profitetur, & simul eandem per hæresin abnegat; sed etiam quia talis ipso saltem affectu hæresis malitiam directe approbat, etsi fidem formaliter nunquam susceperit, nisi in suo signo seu Sacramento. Infidelitas autem Mahometana, quia nec baptismum habet, nec in cæteris totam fidem, sicut nec totam veterem legem recipit, licet ex parte Euangelium, partim etiam legem Moysi profiteatur, ad Paganismum pertinet, vt docent Caietanus & Arragonius hic cit. a. 5. 32

Quin etiam fieri potest, vt quis duas species infidelitatis simul contrahat, vt notauit S. Thomas eodem a. 5. ad 3. Nam si quis ex Christiano fiat Iudæus, is simul reus erit & hæresis seu Apostasiæ, ratione fidei Euangelicæ, post eius professionem, negatæ; & perfidiæ Iudaicæ, ratione professionis Iudaicæ corrumpentis figuram Euangelij, vt notauit etiam Caietanus ibidem. Idem dicendum videtur, si infans baptizatus, postmodũ inter Paganos vel Mahometanos educatus, culpabiliter in Paganorum vel Mahometanorum infidelitatem incidat; etsi Bannes eodem a. 5. putet, tantum fore Paganismum. Idem dicendum est, si catechumenus post fidem semel susceptam, ad Paganismum v. g. aut Iudaismum redeat; etsi Bannes cit. a. 5. tantum hæresis peccatum; Valentia autem cit. punct. 3. eius infidelitatis, ad quam magis deficit, velint committere. 33

Sane quidem ad hæresin S. Thomas determinate non requirit actualem baptismi susceptionem, vt recte aduertit Bannes; licet oppositum innuat Caietanus & supponere videantur Valentia & Arragonius locis cit. Sicut neque ad eam determinate requiritur professio fidei, proprijs verbis aut signis ex intentione facta; sed sufficit aut susceptio fidei habitualis in baptismo, vel actualis fides extra Sacramentum propria intentione suscepta. 34

Nec obstat, quod Paganismus fidei nunquã susceptæ repugnat; quod non facit ille, qui ex Christiano ad Paganos transit. Hinc enim tantũ probatur, eiusmodi Christianũ in opere quasi externo nõ habere consumatũ Paganismi peccatũ. Interim tamen hoc ipso, quod Paganorũ infidelitatem, cũ omni suo modo ac malitia approbat, ipso certe affectu peccatũ Paganismi committit. Quod etiam secundum proportionem affirmauerim de

Iudæo, aut alio fideli, siquis olim ante legem Euangelicam, ad Paganismum defecerit: secus siquis manente cognitione veri Dei, aut etiam legis Mosaicæ professione, in particulares alios circa religionem errores incidisset: is enim tunc solum hæreticus censendus erat.

35 Assertio III. Tres illæ Infidelitatis species in genere moris notabiliter differunt; ita vt distincte etiam in confessione sint explicandæ; siue interim metaphysicè loquendo vere ac proprie distinguantur specie, siue non. Ita habet communis omnium sententia. Probatur & declaratur assertio: quia longe aliud est moraliter loquendo, fidem semel susceptam negare, aliud non susceptam. Rursum aliud susceptam in figura, aliud in veritate susceptam negare. Sicut aliud est susceptum ordinem aut officium deserere, aliud nunquam susscipere. Oritur enim ex ipsa susceptione & professione fidei peculiaris obligatio eam conseruandi; quod in alijs virtutibus non ita accidit. Ratio est; tum quia peculiaris malitia est agnitæ semel veritati repugnare: tum quia ipsa fidei professione aliquis in cœtum fidelium receptus, ad eiusdem leges sese obstringit, ne ab ijs pro libitu desciscere possit. Accedit, quod Pagani (à toto genere) totam fidem & mente, & externis signis omni modo reijciunt: Iudæi totam quidem fidem Christianam in seipsa similiter reijciunt; at in figura tamen, & externis quibusdam signis recipiunt & profitentur: hæretici communiter neque fidem quidem reipsa exhibitam, siue in se spectatam, aperte totam reijciunt, sed tantum ex parte: quamuis interim mente ac animo totam fidem reipsa perdant.

36 Et quia species peccatorum, saltem in genere moris diuersæ, plane distincte in confessione explicandæ sunt, vt omnes fatentur, ideo necesse est, etiã eas, quas diximus species Infidelitatis, in confessione distincte exprimere, ex omnium sententia: siue interim metaphysice, vt quidam volunt propria ac vera specie non distinguantur, siue distinguantur, vt sentiunt Caietanus, Bañes, & Arragonius cit. a. 5. asserentes scilicet, distinctionem eam inuoluere diuersitatem obiecti. Aliud enim obiectum esse hæresis, nempe contrarium fidei professæ, (siue susceptæ) aliud Iudaismi, nempe contrarium fidei promissę, (seu in figuris adumbratæ;) aliud paganismi, vtpote cõtrarium fidei nec professæ, nec promissæ. Accedit, quod paganismus ita recedit à fide Christiana, vt eam nullo modo profiteatur; Iudaismus ita, vt eam profiteatur in figura, in se tamen eam neget: hæresis vero (saltem prout cæteras species infidelitatis excludit) Christianam fidem in se profitetur, etsi quosdam eius articulos negat. Quæ tamen non est ipsa ratio principalis distinguendi eas species, vt ex Sancto Thoma retulimus; sed potius est quid desumptum ab obiecto materiali, circa quod erratur, in quo Iudaismus hæresin, & vtramque paganismus grauitate superat, cum tamen simpliciter, & absolute loquendo, contrarium dicendum sit, vt inferius ex S. Thoma dicetur.

Assertio IV. Quin etiam ipsa nonnunquam particularis ac materialis à vera fide aberratio in confessione explicanda est. Probatur & declaratur assertio. Nam Gregorius de Valentia hic quæst. 10. punct. 3. vniuersim docet, etiam ipsam particularis erroris qualitatem in confessione explicandam: quod tamen vniuersim nimis durum, nec vsitatum, aut satis rationi consentaneum videtur; quandoquidem errores fidei per se specie non differunt, & multi nec moraliter quidem secundum grauitatem admodum differunt. E contrario Arragonius dum conformiter S. Thomæ hic articulo 5. asserit, tres illas Infidelitatis species esse infimas, & de cætero omnes errores contra fidem tantum materialiter inter se differre, & efficere solum numericam distinctionem intra prædictas species, vniuersim indicat, eiusmodi errores particulatim explicandos non esse. 37

Mihi vero eiusmodi à fide aberratio eatenus saltem videtur in confessione explicanda, quatenus tum ex multitudine errorum, tum quandoque ex ipso quoque materiali obiecto erroris (puta si immediate circa DEVM, eiusue attributum aliquod accidat) notabiliter aggrauatur Infidelitatis peccatum, etiam in eadem specie, iuxta ea, quæ generatim suo loco in materia de pœnitentia dicentur. Qua de causa etiam certum existimo, in ipso quoque apostasiæ peccato explicandum esse, non solum an quis ad Turcas, an ad Idololatras defecerit, etiamsi ex dictis hæc peccata Infidelitatis specie non differant; sed etiam in peccato hæresis saltem ipsam hæreseos sectam generatim manifestandam, vt constet, an quis fuerit Anabaptista, an Lutheranus, an Caluinianus seu Zuinglianus, an Trinitarius, an plures eiusmodi sectas simul iunctas habuerit: quod ita reipsa etiam existimo in praxi obseruari. 38

Assertio V. Ratione modi, quo eiusmodi Infidelitatis species repugnant fidei, adeoque etiam simpliciter & absolute loquendo, deterrima est hæresis; hinc Iudaismus, postremo Paganismus. Ita S. Thomas cit. quæst. 10 art. 6. ex communi. Probatur ex illo 2. Petri 2. vers. 21. *Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis, non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim illis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum: & sus lota in volutabro luti.* Idem docent SS. Patres speciatim Hieronymus in caput 18. Isaiæ circa illud, *Væ terræ cymbalo alarum*, &c. & Chrysostomus homil. 50. ad populum Antiochenum. Ratio colligitur ex dictis. 39

Assertio VI. Extensiue autem, & ratione errorum materialium cum fide pugnantium, adeoque secundum quid, res fere & à toto genere contrario modo se habet, vt nimirum paganismus Iudaismum & hæresin, Iudaismus hæresin grauitate superet. Ita Sanctus Thomas ibidem, ex communi. Ratio est, quia circa plura errat Ethnicus, quam Iudæus, & Iudæus, quam hæreticus, intellige regulariter, & quasi 40

à toto genere; quandoque enim hæretici etiam ex hoc capite Ethnicorum malitiam superant, vt de Manichæis notat Sanctus Thomas cit. articulo 6. de nostris hæreticis Valentia cit. pun. 3. Plura dub. 5. vbi in specie de hæresi & apostasia agitur.

DVBIVM IIII.

An omnes Infidelium actiones sint peccata.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 4.

PErtinet hæc etiam dubitatio ad Infidelitatem, eiusque naturam in genere cognoscendam.

41 Neq; vero est hæc eadem quæstio cum illâ, quam tractauimus in materia de gratia tom. 2. disputat. 6. quæstio. 3. dub. 2. an homo possit vllum opus bonũ morale facere, sine gratiæ auxilio, vt nonnulli existimasse videntur; quandoquidem Infidelitas non excludit omne auxilium gratiæ, sed solum fidem.

42 Neq; etiam secundo proprie eadem hæc quæstio est, cum illa Augustini, contra Iulianum l. 4. c. 3. an Infideles habeant aliquas *veras virtutes*; non solũ quia vocula *veræ virtutis* emphatica est, & Augustino, alijsque sacris scriptoribus proprie virtutem Christianam, & ad iustitiam Christianam pertinentem sonat, vt inferius dicetur, sed etiam quia virtus simpliciter & absolute dicta habitum significat, eumque ita in suo genere perfectum, vt subiectum vere & absolute denominet: fieri autem potest, vt licet absque fide paucæ quædam actiones bonæ morales eliciantur, nunquam tamen constans virtutis habitus acquiratur, multitudine scilicet vitiosorum actuum vim bonorum actuum, ad constantem habitum virtutis gignendum, prorsus obliterante ac eneruante.

43 Neque tertio quæstio est, an actio, quæ non est ex fide, hoc est, non secundum conscientiæ dictamen, iuxta phrasin Apostoli Rom. 14. v. 23. possit esse moraliter bona. Nam & in hoc omnes tam Catholici, quam hæretici consentiunt, actionem eiusmodi bonam esse non posse, vt suo loco dictum tom. 2. disp. 2. q. 6. dub. 2.

Vt mirum sit, fuisse qui cum super hac quæstione diu multumque disputasset, asserendo, Augustinum contra Pelagianos contrarium asserentes indubitate sensisse, omnia opera Infideliũ esse peccata, idq; etiam ex eodem docuisse Gregorium Ariminensem, & Cassalium; eamque S. Augustini mentem fuisse, etiam plures recentiores, euidentia verborum Augustini conuictos, agnouisse, imo omnes Catholicos circa rem hanc (vbi de Augustini mente agitur) prope consentire, & quod amplius est, omnes Patres, saltẽ eos, qui tempore Augustini, & post ipsum vixerunt, contraque hęresin Pelagianam & semipelagianam scripserunt, idem cum S. Augustino docuisse; tandem tamen totam controuersiam ad eum sensum reuocat, vt & Augustinus, & Patres cæteri, per fidem intellexerint practicum conscientię dictamen, iuxta phrasin Apostoli Rom. 14. v. 23. Quasi vero Pelagiani, contra quos ea in re disputat Augustinus, senserint, aliquid contra conscientiam aut rectum conscientiæ dictamen factũ, esse bonum, & expers peccati, quod nemo dixerit.

Nec quarto hoc loco proprie quæritur, vtrum sine fide possit fieri vllum bonum opus meritorium vitæ æternæ: quamuis enim hoc alioqui cõtra Pelagianos controuersum sit, proprie tamen & ex instituto non hoc loco, sed in 1. 2. de meritis bonorum operum disputatur. Obiter tamen hic etiam aliquid cum S. Thoma dicetur.

Alius est igitur status huius controuersiæ, is- 44
que duplex. Primus contra huius temporis Sectarios, an absque fide iustificante, adeoque ab ijs, qui nondum sunt renati & iustificati, vllum opus bonum morale & peccati expers fieri possit. Illi enim simpliciter docent, omnia opera, non solum infidelium, qui fide dogmatica carent, sed etiam non renatorum, qui, vt aiunt, fide iustificante, seu potius ipsa iustitia destituuntur, non solum esse peccata, quod etiam de operibus iustorum dicunt; sed etiam à Deo pro peccatis, & quidem mortalibus, æternamque damnationem adferentibus imputari, vt videre est in Apologia confess. August. a. 18. & 20. & in articulis Smalcaldicis de lib. arbit. & apud Caluinum lib. 2. Instit. cap. 3. & lib. 3. cap. 120.

Alter controuersiæ status & sensus est, contra 45
quosdam Catholicos Doctores, an saltem omnes actiones eorum infidelium, qui Deum verum nullo modo cognoscunt, sint peccata. Etenim Gregorius Ariminensis in 2. dist. 41. q. vn. a. 2. docet, etsi quidẽ infideles, qui Deum verũ aliquo modo saltem ratione naturali cognoscunt, possint quædam opera moraliter bona facere, omnes tamen actiones eorum Infidelium, qui Deum verum non cognoscunt, esse peccata, eo quod tales ad malum finem, vel certe non ad debitum finem, ipsum scilicet Deum, qui est vltimus finis noster, referant omnia. Quam sententiam ex instituto etiam tuetur Gaspar Cassalius l. 1. quadripart iust. à cap. 21. vsque ad 27. Fauet eidem sententiæ aliquo modo Capreolus in 2. distinctio. 41. quæst. vn. articulo 3. vbi Gregorij sententiam admittit quantum ad actiones alioqui ex pcepto Dei eliciẽdas, quas nempe existimat necessario ad Deũ aut formaliter, aut virtualiter referri debere.

Male vero Cassalius pro eadem sententia 46
refert omnes illos, qui vel negant, aliqua creatura fruendum esse, vel docent, omnes actiones moraliter bonas debere aliquo modo, siue explicite, siue implicite, ad Deum velut vltimum finem referri. Vtrumque enim præstari potest, etiam ab eo, qui Deum vnum non cognoscit, vt inferius dicetur. Male etiam Arragonius hic q. 10. a. 4. pro eadem sententia allegat eos, qui dicunt, sine speciali Dei gratia nullum opus bonum fieri posse, quod etiam putat sensisse Augustinum. Sed est impertinens ad propositũ; quandoquidem etiam infideles non omnino carent eiusmodi gratia speciali & actuali, vt superius dictum.

Commu-

47 Communis autem & vera Doctorum sententia est, posse à quibuscunq; infidelibus nonnunquam opera quędam bona moralia, omnisq; peccati & malitiæ expertia fieri; quam sententiam breuiter sequentibus assertionibus declaramus & confirmamus.

48 Assertio I. Omnia quidem opera Infideliũ, ex infidelitate facta, adeoq; ad malum finem infidelitatis actualiter, aut proprie virtualiter relata, sunt peccata. Ita S. Thomas hic q. 10. artic. 4. ex cõmuni omnium Theologorum sententia. Patet ex illo Matthæi 7. v. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere: neq; arbor mala bonos fructus facere*; nimirum saltem qua mala est. In quem sensum etiam S. Thomas ibidem ad 1. explicat dictũ Glossæ in illud Rom. 14 *Omne quod non est ex fide, peccatum est*; cum ait: *Omnis infidelium vita est peccatum*: Quod *intelligendum est*, inquit S. Thomas, *vel quia vita infidelium non potest esse sine peccato, cum peccata sine fide non tollantur: vel quia quidquid agunt ex infidelitate, peccatum est. Vnde ibidem subditur, quia omnis infideliter viuens vel agens, vehementer peccat.* Ita S. Thomas. Ratio est manifesta; quia omnis actio ad malum finem formaliter aut virtualiter relata, est mala & peccatum, vt suo loco dictum. Dixi autem *virtualiter proprie*; quia sola habitualis relatio

49 non sufficit, vt inferius patebit.

Assertio II. Nullum etiã ab infidelibus opus vere ac simpliciter, adeoq; de condigno meritorium fieri potest. Ita S. Thomas ibidem nemine dissentiente. Rationem adiungit: quia peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem; infidelitas autem est quoddam peccatum mortale: Ergo Infideles gratia carent. *Ac proinde manifestum est*, inquit, *quod infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia* (nempe gratum faciente seu iustificante) *scilicet opera meritoria.*

Sed hæc ratio procedit solum de Infidelibus, in quibus infidelitas à peccato mortali non excusatur; cum tamen sint alij, in quibus infidelitas à peccato mortali propter ignorantiam excusatur, vt dictum dub. 1. quibus tamen nihilo magis meritum de condigno attribui po-

50 test. Ratio igitur vniuersalis est; qua nullum datur meritum de condigno sine gratia sanctificante, vt suo loco dictum tom. 2. disp. 6. quæst. 6. dub. 2. & expresse etiam docet S. Thomas hic loc. cit. At vero Infideles quilibet, hoc ipso, quod fide carent, etiam carent gratia iustificante; quæ sine fide esse non potest: Ergo impossibile est, vt infideles, fide scilicet destituti, de quibus loquimur, vllam habeant actionem meritoriam de condigno.

In quo etiam olim grauiter errarunt Pelagiani, qui meritum de condigno asseruerunt absque omni gratia Christi; contra quos proinde passim hoc sensu disputat Augustinus, præsertim contra Iulianum libro 4. cap. 3. Alia ratio est meriti de congruo, saltem respectu alicuius præmij temporalis; id enim sine fide & gratia sanctificante esse posse, ex communi docuimus cit. quæstio. 6.

51 dub. 10.

Assertio III. Hæreticum tamen, & in Concilio Tridentino merito damnatũ, nostri tẽporis Sectariorum dogma est, omnia infideliũ ac non renatorum opera esse peccata. Ita sentiunt omnes Catholici; & patet ex verbis Concilij Tridentini sess. 6. canon. 7. vbi relatus antea Sectariorum error, omnia opera Infidelium, hoc est, vt ipsi intelligunt, non renatorum, seu fide iustificante, quam vocant, carentium esse peccata, diserte & ex instituto damnatur: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum grauius peccare, anathema sit.*

Probatur assertio primo ex scriptura, quæ satis aperte indicat, posse aliqua opera bona mo- 52
ralia esse, etiam sine vera fide, & quidem in ipsis quoque Ethnicis, qui Deum verum non cognoscunt. Matthæi 5. vers. 46. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?* Certe redamare amantes, & resalutare salutantes, quod à Christianis pariter & Ethnicis fieri posse Christus asserit, est opus aliquod moraliter bonum. Quod si Gentiles in hoc ipso opere, semper ob aliquam prauam circumstantiam peccarent, non erat, cur in hoc opere Gentiles cum Christianis exæquarentur. Item Rom. 2. vers. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea* (aliqua scilicet) *quæ legis sunt faciunt.* Quem locum fusius expendimus tomo 2. disputatione 6. quæstione 3. dub. 3. vbi generatim probauimus, posse aliquod opus bonum morale fieri absque omni auxilio gratiæ; quanto magis sine gratia fidei.

His accedunt ex scriptura peculiaria exem- 53
pla infidelium, etiam qui verum Deum non agnouerunt, & nihilominus tamen ob quædam opera moralia in scriptura laudantur. Tales sunt obstetrices Ægypti, Exodi 1. vers. 17. de quibus dicitur: *Timuerunt autem obstetrices DEVM, & non fecerunt iuxta præceptum Regis Ægypti, sed conseruabant mares.* Et vers. 21. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos.* Talis etiam est Berzellai, commendatus à fide & beneficentia erga Dauidem Regem 2. Regum 17. vers. 28. Item Nabuchodonosor fortiter & iuste Tyrum expugnans, laudatus idcirco & remuneratus à DEO Ezechielis 29. vers. 18. Cum tamen malis operibus nullum præmium, sed pœna debeatur, vt dictum tomo 1. disputatione 6. quæst. 6. dub. 4. & 10. Huc spectat illud Danielis 4. vers. 24. ad Nabuchodosor: *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime.* Quod sane dici non potuisset, nisi eleemosynas bene facere potuisset; quia malis actionibus peccata non redimuntur, sed cumulantur.

Secundo probatur assertio auctoritate Patrum. 54
Hieronymus in Ezechielis caput 29. ait: *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedẽ accipit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absq; mercede, Dei iudicio præteriri.* Et in caput 1. ad Gal. *Vnde multi absq; fide & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, vt parentibus obsequantur, vt inopi*

manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant. Sancte, inquit, adeoque sine omni peccato.

Chrysostomus homil. 67. ad populum Antiochanum. *Non potest malus omnino malus esse; sed euenit, vt aliquid habeat boni; neq; bonus esse omnino bonus, sed nonnulla solet habere peccata.*

Basilius homil. 9. hexaem. *Sunt & apud nos* (homines quoscunque) *virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsi animæ, non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura*, (adeoque sine fide & gratia) *ineſt.*

55 Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. *Quanto tolerabilius illas, quas dicis in impijs* (etiam infidelibus Deum vnum ignorantibus) *esse virtutes, diuino muneri potius, quam eorum tribueris tantummodo voluntati, licet hoc ipsi nesciant.* Et in lib. de perfectione iustitiæ. *Quasi pro magno habendum sit, velle nubere* (etiam absque peccato) *vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosius disputatur.* Et lib. de Spiritu & lit. cap. 27. *Quamquam si discutiatur, quo fine fiant* (opera quædam ex suo genere bona, ab infidelibus) *vix inueniuntur, quæ iustitiæ debitam laudem defensionémue mereantur. Vix*, inquit, hoc est, non sæpe quidem, sed raro. Et infra. *Sicut enim non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera*, (vtique bona) *sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.*

Et author hypognost. lib. 3. *Fatemur, esse liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, aut inchoare, aut certe peragere; sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam malis.* Similia habent alij.

56 Tertio accedit ratio contra Sectarios. Nam si omnia opera non renatorum peccata essent, ideo essent, quod operans destitueretur integritate iustitiæ originalis, vt ipsi aiunt; vel etiam quod ipsi9 velut impij ac Deo exosi omnia opera etiã Deo exosa essent, iuxta illud Sapiẽtiæ 14. v. 9. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius.* Et Eccli 34. v. 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus*: sed neutrum potest dici: Ergo. Non primum; quia constat, iustitiam originalem integram homini in hoc statu, non esse debitam; alioqui etiam in ipsis iustis nunquam vere peccata delerentur & auferrentur; quod est aperte contra Scripturam psalm. 50. & alij locis innumeris, vt ex instituto probauimus tom. 2. disp. 4. quæst. 7. dub 3. & 4. & disp. 6. q. 5. dub. 1. Neque secundũ dici potest; quia iuxta citatum locum Sapientiæ, Deus non quæuis opera peccatoris, sed personam quidem ipsam ratione impietatis, & impietatem eius odio habet. Posterior autem locus intelligitur de acceptatione ad salutem æternam.

57 Assertio IV. Multo etiam verius, ac simpliciter tenendum est, posse quoque ab infidelibus Deum verum non agnoscentibus, opera quędam bona moralia, & vndequaque honesta fieri, etiam possibilitate consequenti; ac proinde non omnia opera eorumdem infidelium esse peccata. Hæc est communis omnium fere Theologorum sententia, quam tradunt Magister, cæteriq; Scholastici in 2. dist. 26. & 41. excepto, vt dixi, Ariminensi. Item S. Thomas, Caietanus, Bannes, Arragonius, Cõmentatores hic q. 10. a. 4. item Gratianus, omnesque Canonistæ causa 28. q. 1. omnesque Societatis nostræ Theologi, qui sua scripta typis publicarunt, speciatim Gregorius de Valentia hic q. 10. punct. 2. Bellarminus lib. 5. de grat. & lib. arbit. cap. 9. & sequent. Suarez lib. 2. de prædestinat. cap. 11. Et tom. 1. de grat. prolegom. 6 cap. 2. num. 6. Vasquez 1. 2. disp. 191. capite 2. & Luisius Turrianus hic disp. 50. dub. 3. post Sotum lib. 1. de nat. & grat. cap. 20. & Capreolum in 2. dist. 41. qui omnes oppositam Gregorij sententiam ex instituto refellunt.

Probatur assertio primo ex allatis Scripturæ, & Patrum testimonijs, quæ fere omnia loquuntur non solum de iniustis & peccatoribus, sed etiam de quibuscumque infidelibus, etiam Ethnicis, & verum Deum non agnoscentibus, vt consideranti patebit. 58

Secundo speciatim probatur auctoritate & definitione Ecclesiæ. Nam in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. inter alias propositiones Michaelis Baij, qui lib. 2. de virtutibus impiorum Ariminensis sententiam fuse defendit; damnatur, non solum propositio 45. *Omne quod agit peccator, vel seruus peccati, peccatum est*: sed etiam hæc eius propositio ordine 26. *Ad Pelagianismum reijcienda est illa sententia, omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Vbi errore librariorum, initiò desiderari particulam negatiuam *Non*, & res ipsa loquitur, & recte notarunt Vasquez, Suarez, & Luisius locis cit. nisi malis cum nonnullis dicere, verba illa, Ad Pelagianismum reijcienda est illa sententia, esse Verba bullæ, & ad priorem propositionem Baij referri, vt ex contextu bullæ colligitur. In eo vero omnes citati conueniunt, in Baio damnatam esse hanc propositionem, *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*, vt etiam alibi docuimus tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 2. Qua de causa etiam hoc tempore tutum non videtur, eam Baij seu Ariminensis sententiam defendere; multo minus dicere, inter damnatas Baij propositiones, non paucas esse Catholicas: cum pot9 adæquate spectatæ, secundum proprietatem verborum, respectiue censendæ sint erroneæ, temerariæ, male sonantes, &c. vt citata bulla loquitur, & recte exponit Suarez loc. citat. de grat.

Tertio probatur assertio duabus rationibus. Si enim omnia opera Infidelium essent peccata, ideo essent, quod vt ipsi aiunt, ab eiusmodi infidelibus ad Deum velut vltimum finem referri debito modo non possent: sed consequens est falsum: Ergo. &c. Minor probatur; quia ad bonitatem actus moralis non requiritur, aut actualis seu explicita relatio operis ad Deum, aut etiam virtualis proprie dicta; supponens scilicet actualem, & ex illa procedens. Alias enim sequeretur, etiam fideles peccare, quoties bona opera moralia actualiter aut virtualiter ad Deum non referunt. Sed sufficit relatio implicita, seu ex ipsa 59

natura

natura operis; qualis modus relationis ad Deum cernitur in omni opere, quod ad bonum finem moralem per se expetibilem refertur, & simul tamen nulla mala circumstantia vitiatur, vt ex communi docuimus tom. 2. disp. 1. q. 1. dub. 3. & 4. & in hac ipsa materia respondet S. Thomas in 2. d. 41. q. 1. art. 2.

60 Altera Ratio est. Quia infideles, etiam qui verum Deum non cognoscunt, non destituuntur sufficientibus auxilijs gratiæ, quibus adiuti peccata vitare, legemque naturæ aliquo modo seruare possint, sicq; etiam se disponere ad vberiora gratiæ auxilia recipienda, quibus immediate possint credere, vt ex communi & certa docuimus tom. 2. disp. 6. q. 2. dub. 2. & q. 3. dub. 7. Ergo possunt bene moraliter operari; quia opera mala nec fiunt ab auxilio gratiæ; nec disponunt ad vberiora auxilia gratiæ.

Et confirmatur eadem ratio; quia ex opposita sententia sequitur, infideles verum Deum non agnoscentes, nec habere gratiam immediate sufficientem, vt credere possint; nec habere vllum modum seu medium, quo ad eiusmodi gratiam se disponere possint; quandoquidem priusquam veri Dei cognitionem habeant, nihil facere possunt, nisi peccare: constat autem peccata non esse dispositiones ad gratiam, seu actualem, seu habitualem acquirendam, sed potius impedimenta. Neque dici potest, eosdem habere possibilitatem antecedentem, non consequentem. Quia cum eiusmodi infideles nonnunquam absque culpa habeant ignorantiam veri Dei, cuius cognitionem opposita sententia per modum principij necessariam esse docet, ad omnem actionem bonam moralem, sane fatendum est, ex eadem sententia eosdem infideles carere possibilitate etiam antecedente ad operandum bene moraliter.

61 Assertio V. Idem dicendum de operibus diuina lege præceptis. Ita contra Capreolum habet communis sententia cæterorum, quos citauimus. Ratio est: quia licet quidem positiuo præcepto Dei obligemur subinde, ad referenda omnia nostra etiam actu, ad Deum velut vltimum finem; minime tamen necesse est, vt hæc relatio fiat, quoties aliquid diuina lege præceptum exequendum est: præterquam quod etiamsi tale præceptum esset, nihilominus à peccato excusare posset ignorantia.

62 Assertio VI. Nihil etiam obstat, quo minus Infideles quicunque acquirant bonis actionibus moralibus aliquos virtutum moralium habitus; quamuis vt plurimum nonnisi male moraliter operentur. Ita fere citati, speciatim S. Thomas 2. 2. q. 65. a. 2. & 2. 2. q. 23. a. 7. Capreolus in 2. d 41. q. 1. a. 3. item Bellarminus, Gregorius de Valentia, Suarez, Vasquez, & alij. Et posterior pars est extra controuersiam. Ratio est; tum quia cum infideles Deum verum non agnoscentes, vltimum finem malum sibi præfixum habeant, puta Idolum aliudue bonum temporale, rectæ rationi repugnans, valde pronum est, vt omnes suas, aut certe pleraque actiones ad eundem finem referant, à quo proinde inficiantur. Tum quia ob naturæ corruptionem, & immoderatam propensitatem ad bona temporalia, à toto genere valde difficile est, in agendo, tam quoad obiectum, quã quoad omnes circumstantias, præsertim finis extrinseci, ne ad vanam gloriam v. g. referantur, debitam obseruare rectitudinem.

Priorem partem, præter auctores citatos, 63
expresse docet Basilius loc. cit. Ratio sumitur ex dictis; quia ex actibus generantur habitus proportionati. Cum igitur ab infidelibus subinde exerceantur actus boni morales, fieri potest, vt etiam habitus bonos morales, adeoque virtutes morales acquirant. Nec obstat, quod frequentius male operantur: quia nihilominus fieri potest, vt in vno quodam genere certo virtutis v. g. pietatis erga parentes, aut fortitudinis bellicæ, aut iustitiæ politicæ, sæpius bene operentur, quam male; adeo vt etiam constantes & durabiles virtutum moralium habitus ex eiusmodi frequentatis actibus generentur. Plura in solutione argumentorum.

Cæterum contra tertiam assertionem, obijciunt Sectarij quatuor præcipue Scripturæ loca. I. 64
Illud Matthæi 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* II. illud Ioannis 15. *Sine me nihil potestis facere*; item, *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, &c. sic nec vos, nisi in me manseritis.* III. Illud Rom. 14. *Omne quod non ex fide est, peccatum est.* IV. denique illud ad Titum 1. *Coinquinatis & Infidelibus nihil est mundum.*

Ad primum Respondetur, sensum esse, arborem malam non posse bonos fructus facere, in- 65
quantum mala est; adeoque nec ipsam malam voluntatem in quantum aliquid male vult seu intendit, posse bene moraliter operari, iuxta dicta superius, & Augustinum in Enchiridio cap. 15. Adde, arborem simpliciter malam, saltem à potiori & à toto genere, nonnisi fructus malos facere; eademque ratione etiam Infideles, quibuscum illic fit comparatio, ex maiori parte fructus bonos non facere, vt antea dictum.

Ad secundum Respondetur, eius generis loca pertinere ad opera pietatis, quæ ad conciliandam salutem spectant; quæ quidem sine Christi gratia fieri non possunt, vt alibi dictum.

Ad tertium Respondetur, sensum esse, id quod 66
fit contra fidem, peccatum esse; siue per fidem intelligatur ipsa fides Christiana; siue quod verius est, *Conscientia*, aut rectum rationis decretum, iuxta Chrysostomi, Glossæ, aliorumque Patrum, & interpretum certam & communem interpretationem; quæ satis ex ipso textu patet, & recte pluribus declaratur à S. Bernardo tract. de præcepto & dispensat.

Ad quartum Respondetur, illic sermonem 67
duntaxat esse de Iudæis, qui tempore etiam nouæ legis, in vsu ciborum, legem Moysis putabant seruandam; Et sensus est, hos vbique, & in omni ciborum vsu, ob eiusmodi infidelitatem peccare; cum & immundis seu prohibitis lege vescendo, peccent, ob erroneam conscientiam; & ab immundis abstinendo, in superstitionem incidant. Plura Bellarminus l. 5. de grat. & l. arbitr.

Porro contra quartam & sextam assertionem 68
vlterius obijciunt Ariminensis, Cassalius, &

qui

qui eum eisdem sentiunt, primo auctoritatem Augustini, contra Pelagianos, potissimum aduersus Iulianum lib. 4. cap. 3. disputantis; cum simpliciter, & absolute negat, in Ethnicis fuisse veras virtutes: cuius proinde eam fuisse sententiam, non solum auctores eius sententiæ, ex Augustini verbis demonstrare sibi videntur; sed etiam ex auctoribus nostræ sententiæ, euidentia scilicet verborum conuicti, eam fuisse Augustini sententiam, fatentur, inquiunt, Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis part. 11. cap. 8. Ruardus Tapperus a. 11. Bannes hic q. 10. a. 4. ad 1. Suarez lib. 2. de prædestinat. cap. 14. num. 2. & 3. Vasquez 1. 2. disp. 210. cap. 8. num. 73. & sequent. Malderus hic. q. 10. a. 4.

69 Respondeo, male citari Suarium, Vasquium, Malderum; omnes enim isti explicant Augustinum, pro nostra sententia; & Vasquez ibi agit de alia quæstione, an opus bonum fieri possit, sine omni auxilio gratiæ. Deinde quidquid isti dixerint, persuaderi mihi nunquam potuit, eam fuisse Augustini sententiam. I. Quia ipse Augustinus in locis antea pro nostra sententia citatis, satis aperte contrarium docuit. II. Magister sententiarum, S. Thomas, alijque Scholastici, tam veteres, quam recentiores communiter, speciatim Bellarminus, Gregorius de Valentia, Suarez, Vasquez, in Augustino versatissimi, nunquam Augustinum ita intellexerunt.

70 III. Ipsemet Augustinus seipsum ita declarat, vt solum de operibus pietatis, verisque virtutibus Christianis ad salutem spectantibus, ac vitæ æternæ meritorijs loquatur. Nam libro 4. contra Iulianum cap. 3. cum à Pelagianis producti essent Fabritij, Reguli, & Fabij, Ethnicique Philosophi, ait Augustinus: *Nec in istis est vera iustitia, qua iustus ex fide viuit.*

Deinde ita etiam & sensit, & Augustinum intellexit Prosper cap. 16. de ingratis, in cuius capitis argumento ait: *Natura per se non valet vitæ æternæ fructus edere.* Et multa similia adduximus tom. 2. disputatione 6. quæstione 3 dub. 2. Accedit, quod Augustinus eodem sensu docet tract. 45. in Ioann. & cap. 3. cont. Iulianum, nullum opus esse integre bonum, nisi per fidem ac dilectionem Dei referatur in Deum; quod tamen, sine errore, nonnisi ad modum explicatum intelligi potest.

71 IV. Ipsi contrariæ sententiæ defensores denique (etsi nec id quidem vere, vt dicemus) asserunt, Augustinum, aliosque Patres, voculam *fidei* non accepisse, neque pro fide supernaturali, neque pro naturali Dei notitia, sed pro practico iudicio conscientiæ; nec esse sermonem de infidelibus, nisi reduplicatiue ac formaliter, hoc est, *infideliter viuentibus.* Qua ratione igitur dici potest, omnia opera Infidelium, qui vera Dei cognitione carent, ex mente Augustini esse peccata?

72 V. Id ipsum deposcit scopus disputationis Augustinianæ contra Pelagianos; quorum error vtique in eo positus non erat, quod assererent, posse vtcunque nonnunquam aliqua bona opera fieri ab Ethnicis; sed quod simul assererent, posse opera fieri sine omni fide & gratia Christi quæ ad salutem pertineat, & sint meritoria vitæ æternæ, vt videre est apud Augustinum cit. cap. 3. contra Iulianum. Quare vltimatus scopus Sancti Augustini contra Pelagianos disputantis plus non postulat, quam vt neget, posse opera pietatis & vitæ æternæ meritoria fieri sine fide & gratia Christi.

Vt proinde hæc vera, & solida sit tam Augustini, quam Prosperi, Fulgentij, & aliorum, qui eundem contra Pelagianos disputantem sequuti sunt, explicatio, vt quoties dicunt, nullam veram virtutem esse sine fide & gratia CHRISTI, loquantur de virtute habente verum ac perfectum statum Christianæ virtutis, adeoque valente ad vitam æternam comparandam; quo modo etiam scriptura sine charitate omnia pro nihilo ducit 1. Cor. 13. 73

Ita Augustinum intellexit Sanctus Thomas, 1. 2. quæstione 6. articulo 2. vbi concludit: *Patet igitur ex dictis, quod solæ virtutes infusæ sunt perfectæ & simpliciter dicendæ virtutes: quia bene ordinant hominem ad vltimum finem simpliciter. Aliæ vero virtutes, scilicet acquisitæ, sunt virtutes secundum quid, non autem simpliciter. Ordinant enim hominem bene respectu vltimi finis in aliquo genere, non autem respectu vltimi finis simpliciter. &c.* Similia habet 2. 2. quæstion. 23. art. 7. vbi eodem sensu negat, vllam veram virtutem esse posse sine charitate. *Sed si*, inquit, *accipiatur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua vera virtus dici sine charitate, inquantum ordinatur ad aliquod particulare bonum.* Quo vtroque loco S. Thomas simul etiam mentem S. Augustini interpretatur.

Ita etiam seipsum explicat Augustinus cit. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. vbi inter cætera ait: *Quod cum facimus* (vitia scilicet fugiendo & innocentiam consectando) *ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus, id est, hoc natura nostræ consentaneum est ad salutem & veram felicitatem. Non enim absurde virtus definita est ab eis, qui dixerunt, Virtus est animi habitus naturæ modo, ac rationi consentaneus. Verum dixerunt. Sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt.* Et infra: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in CHRISTO est, vera promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.* Et rursus eodem cap. fin. *Aut certè quando saltem concedis, opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem regnumque perducere; scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum* (non bonum absolutè spectatum) *sine DEI gratia, quæ datur per vnum mediatorem DEI & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum DEI donum, regnumque perduci.* Vbi aperte vides, Sanctum Augustinum non de quolibet opere bono contra Pelagianos disputare. 74

Ex quibus manifestum est, eam primariam fuisse Augustini contra Pelagianos controuersiam, 75

an veræ

an veræ virtutes, verique actus virtutum, ad salutem hominis spectantes, & vitæ æternæ meritorij sine fide & gratia Christi esse possint. In quem proinde sensum non solum illa Augustini dissertatio contra Iulianum, sed etiam alij plures similes loci accipiendi, vbi negat, sine veri Dei cultu & fide veram esse posse virtutem. Vt l. 5. de ciuit. c. 16. & lib. 9. cap. 4. & lib. de vera innocentia & in Enchiridio c. 37. & l. 1. Retract. cap. 3.

76 Nihilominus tamen, quia hoc ipsum fauere poterat causæ Pelagianorum, si infidelibus absque fide & gratia Christi, actiones vtcunq; moraliter bonæ & culpæ omnis expertes, frequenter, vel vt plurimum concederentur; quandoquidem hoc ipso credibile videri poterat, eas saltem mediate ad salutem hominis fuisse profuturas, vti etiam nos suo modo superius diximus: ideo Augustinus locis citat. vlterius progressus, negat actiones infidelium, nimirum à toto genere, vel vt plurimum, aut etiam frequenter fuisse bonas, & omnis culpæ expertes; idque vel quia debita carerent circumstantia, cuius defectu sæpe vitia virtutibus simillima esse soleant; vel ac potissimum quidem ob defectum debiti finis; quia scilicet plerunque non nisi ad vanum aliquem finem vltimo fini contrarium referrentur; ita vt proinde si adæquate spectarentur, iuxta phrasin Apostoli Rom. 14. non essent ex fide, hoc est, secundum rectæ rationis dictamen: non quod de hoc principalis esset Augustino cum Pelagianis disceptatio; quando & ipsi alioquin facile admittebant, quod hoc sensu non est ex fide, peccatum esse; sed quia eius doctrinæ inculcatio ad dissoluendas Pelagianorum obiectiones esset necessaria.

Ad quem modum omnia Augustini dicta inter
77 se facile conciliari poterunt.

Eodemque sensu intelligendi sunt Prosper, alijque Patres, quando absolute asserunt, omnia infidelium opera esse peccata; nempe quia vt ipse Augustinus superius citatus loquitur, *Vix* vllum est, quod omni defectu careat.

78 Secundo speciatim objcitur Canon 17. Concilij Arausicani, vbi ea res, aiunt, videtur definita his verbis: *Fortitudinem Gentilium, mundana cupiditas; fortitudinem Christianorum DEI charitas facit.* Respondetur, per mundanam cupiditatem intelligi vanam aliquam finis intentionem: & sensus est, vt plurimum & à toto genere fortitudinem Gentilium eiusmodi vano fine maculari; licet aliquando, sed raro, absque malo eiusmodi fine esse possit: sicut è contrario fortitudinem Christianorum non semper, sed per se, quantum est ex natura Christianæ Religionis, DEI charitas facit: cum tamen vtique inter fortitudinem ex mundana cupiditate, & ex charitate profectam, in vtroque tam fideli, quam infideli, dari possit medium, nempe fortitudo ad suum proprium finem & obiectum, absq; vllius malæ circumstantiæ adiectione, relata.

79 Tertio objcitur hoc potissimum argumentum. Omnis actio pro fine vltimo habens creaturam, est mala: Sed omnia opera Ethnicorum Deum verum non agnoscentium, sunt talia: Ergo. &c. Maior patet. Minor probatur dupliciter. Primo; quia omnia cuiusq; hominis opera referuntur ad vltimum finem ipsi operanti propositum, seu bonum, seu malum: sed omnes Ethnici malum sibi aliquem vltimum finem, adeoq; creaturam pro vltimo fine propositam habent: Ergo. &c. Secundo quia omnis actio, quæ ad Deum formaliter aut virtualiter non refertur, sed in suo immediato obiecto vltimate conquiescit, idque propter se expetit, pro fine vltimo habet creaturam: tales sunt autem omnes Ethnicorum actiones, etiam illæ, quæ à nobis bonæ dicuntur: Ergo. &c.

Ad hoc argumentum respondetur, negando primi syllogismi minorem, proprie loquendo. 80
Ad primam probationem respondetur, maiorem simpliciter esse falsam, de vera & proprie dicta relatione intellectam, formali scilicet, aut virtuali; esto vera sit de relatione habituali, quæ tamen opus ex se bonum non inficit, etiamsi finis ille vltimus operanti propositus sit malus, vt ex communi docuimus tom. 2. disp. 1. q. 1. dub 4.

Ad secundam probationem Respondetur, maiorem itidem esse falsam: quamuis enim talis actionis obiectum propter se expetatur, non tamen ideo statim expetitur per modum vltimi finis simpliciter, sed solum per modum finis vltimi, in aliquo certo genere obiectorum particularium; quod non est illicitum, si obiectum tale, vt supponimus, sit per se bonum; secus esset; si obiecta essent ex se media & indifferentia, vt ex communi suo loco dictum, & recte notauit Caietanus hic quæstion. 10. art. 4. Ex quibus sequitur, talem hominem proprie etiam non frui creatura, ea phrasi, qua id Doctores communiter illicitum esse tradunt; quia non habet creaturam pro vltimo fine simpliciter; sed potius idipsum obiectum vna cum actione circa idem versante, sua natura vlterius ad vltimum finem refertur; esto latiori significatiõe dici possit creaturæ fruitio, vt loco citato, ac etiam disput. 2. q. 3. dub. 2. pluribus dictum. 81

DVBIVM V

Quid sit hæresis, & apostasia; & quomodo inter se differant.

S. Thomas 2. 2. q. 11. & 12.

EGimus hactenus generatim de Infidelitate, fidei opposita; nunc è speciebus eiusdem, quid proprie sit hæresis & Apostasia, & quomodo inter se differant, paulo magis explicandum est. Et quod ad hæresin attinet; etsi vox hæresis græce ἀπὸ τῆς αἱρεῖσθαι, seu ab electione dicta, iuxta nominis notionem, latius accipi possit, & vero nonnunquam soleat, ad propositum tamen, prout certam speciẽ infidelitatis significat, ex his quæ S. Thomas hic q. 10. a. 5. & quæst. 11. a. 1. & 2. & q. 12 a. 1. ad 3. disputat. ita generatim definiri potest: Est error pertinax, veræ fidei manifestè contrarius, in eo qui Christi fidem 82

aliquando

aliquando suscepit. Cui similem etiam descriptionem habent Gregorius de Valentia qu. 11. punct. 1. & Arragonius q. 11. art. 1. post Turrecrematam lib. 4. summæ part. 2. c. 11. & Canum l. 12, loc. c. 11. Eaq; definitio communem & essentialem rationem hæresis explicat; etsi loquendo de hæresi, prout in externo foro Ecclesiæ puniri solet, vel ab Apostasia nonnunquam distinguitur, aliquanto magis restringenda sit, vt inferius dicetur.

83

Dicitur primo *Error*; quia hæresis non est peccatum precepto tantum affirmatiuo fidei priuatiue oppositum, sed præcepto negatiuo, adeoque contrarie. Intelligitur autem nomine erroris, siue quis aliquam fidei propositionem directe & formaliter neget; siue iudicet tantum, saltem in actu exercito, non esse omnino certam, vt facit in fide dubitans: quæ proinde dubitatio, si pertinacia accedat, etiam ad hæresin pertinet; tametsi perfecta & consumata hæresis non sit, si formale iudicium contra fidem non accedat, vt recte notarunt Caietanus & Bannes hic, & Gregorius de Valentia q. 11. punct. 1. secus si reflexum iudicium accedat, quo quis dicat, rem aliquam fidei esse incertam, iuxta ea quæ tradit Vasquez 1. 2. disp. 65. num. 4.

84

Neque enim dubitatio in fide tantum priuatiue, sed plane contrarie fidei opponitur, vt ex communiori Theologorum sententia, post Antoninū 3. part. tit. 23, cap. vlt. Adrianum quodlib. 2. Gabrielem in 3. dist. 23. q. 2. & Turrecrematam l. 4. summæ part. 2. c. 2. docent Caietanus & Gregorius de Valentia loc. cit. & insinuatur c. 1. de hæreticis, vbi dicitur: *Dubius in fide infidelis est.* Ad quem modum etiam loquitur Hieronymus in cap. 2. Abacuc; etsi Canus l. 12. locorum c. 9. cum nonnullis existimet dubitationem in fide solum priuatiue fidei opponi, ac proinde essentialiter hæresin non esse.

85

Dicitur secundo, *pertinax*; quia absque pertinacia nulla est hæresis, vt ex Augustino epist. 162. relato causa 24. q. 3. Canone, *Dixit Apostolus*, docet S. Thomas q. 11. a. 2. ex communi omnium. Ratio est, quia hæresis ab electione dicitur; eo quod hæreticus in credendo, seposito rectæ rationis dictamine & Ecclesiæ auctoritate, proprij capitis seu animi libito ducatur.

Sed in quo consistat hæc pertinacia difficultatem habet, nec omnes eodem modo explicant. Etenim primo nonnulli significant, pertinaciam ex diuturnitate temporis, & durationē erroris esse metiendam; quam sententiam Bannes & Arragonius hic q. 11. a. 1. tribuunt Syluestro v. *hæresis*; sed quem defendit & explicat Valentia loc. cit. Alioquin est sententia prorsus falsa & improbabilis; quando error fidei etiam longo tempore durare potest, sine pertinacia & hæresi, vt in rudibus & simplicibus: contra vero hæresis breuissime vno velut momento consummari.

86

Secundo Sotus in 4. dist. 22. q. 2. a. 3. vniuersim sentit, omnem errorē intellectus fidei oppositum, cum quacunq; ratione voluntarij, etiam indirecte & interpretatiue, saltem ad peccatum mortale sufficientis, quamuis ex ignorantia proueniat, esse peccatum hæresis; quod ferè sentit etiam hic Valentia quæst. 10. punct. 1. Sed hoc vniuersim dici nō potest; & est contra communem Doctorum sententiam, vt dicetur. Si enim quis bona fide, aut ex negligentia inquirendi veritatem erret, ita vt ei fidei veritas aliqua necdum sufficienter proposita sit, habenti interim promptam voluntatem credendi, si sufficienter ipsi proponatur, peccat quidem subinde etiam mortaliter, sed non tamen peccato hæresis, vt communiter omnes sentiunt.

87

Tertio Canus lib. 12. locorum cap. 9. & Gregorius de Valentia q. 11. punct. 1. docent, omnem errantem saltem ex ignorantia affectata pertinaciter errare, & peccare peccato hæresis; quod etiam significat Torres 1. part. q. 32. a. 4. Sed cōtra hoc est, quod etiam ignorantia affectata potest solum ex socordia, aut alio affectu prauo; nō ipsius fidei, seu Ecclesiæ contemptu prouenire, vt recte notauit Vasquez 1. 2. disput. 126. cap. 2.

88

Qui proinde quarto ex sua sententia duo asserit. Primum est, nullum errorem contra fidem ex ignorantia etiam culpabili profectum, modo non sit affectata, esse hæresin; quod apud eundem ex communi tradunt etiam S. Thomas hic q. 11. art. 2. ad 3. Caietanus ibidem, Canus & Torres locis cit. Cordubal. 1. q. 16. §. 7. Nauarrus manual. c. 11. n. 17. Syluester, & Armilla v. *hæresis*; item Alensis 2. part. q. 161. memb. 1. Durandus, Paludan⁹, Gabriel in 4. dist. 13.

Alterum est, errorem in rebus fidei, ex ignorantia affectata, posse esse absque peccato hæresis; cum nimirum oritur ex tædio discendi tantum; secus si oriatur ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia putat parui momenti esse ea, quę in ipsa creduntur. In quem sensum etiam inferius n. 6. & 8. vniuersim dicit, hæresin postulare, ex parte intellectus, circumstantiam illam scientiæ, qua errans norit, suam opinionem aduersari Catholicæ Ecclesiæ testimonio; additq;, pertinaciā in hoc ipso consistere. Sed nec hoc vniuersim recte dici videtur. Quia siue hoc ad pertinaciam requiratur, siue non, certe quidem fieri potest, vt quis in media hæreticorum natione natus & educatus, norit quidem suam fidem Ecclesiæ Catholicæ aduersari, & tamen necdum sit verus ac formalis hæreticus; eo quod nec fides ipsa, nec auctoritas Ecclesiæ Catholicæ, hactenus ei sufficienter proposita sit, vt fieri posse superius quæstione 7. dub. 3. & q. 8. dub. 1. ex communi diximus.

89

Quinto Bannes, & Arragonius hîc, & Azor tomo 1. libro 8. cap. 9. quæstione 8. post Syluestrum v. *hæresis* 1. quæstione 2. vniuersim docent, ad hæresin non sufficere ignorantiam quātumuis crassam & affectatam. Sed contrarium est verius, vt dicemus. Addit Arragonius cit. art. 1. sub finem, ad hæresin requiri, quod sit error voluntarius contra eam doctrinam, *quam quis scit esse reuelatam*. sed hoc dici non potest; quia nullus hæreticus scit, imo nec obscure quidem agnoscit, doctrinam, cui repugnat, esse reuelatam; alioqui enim vix, aut nullo modo posset ab ea dissentire.

Quo-

90 Quocirca ad rem hanc explicandã distinguẽdum videtur, inter peccatum hæresis, vt in simili facit etiam Suarez 3. part. tom. 5. disp. 43. sect. 1. & disp. 21. n. 4. & in præsenti etiam Valentia loc. cit. Aut enim spectatur præcisè quoad suam essentiam, & quasi theologice, aut secundum vsum forensem; prout scilicet in foro externo Ecclesiæ certæ quædam pœnæ hæresi decernuntur. Quo posito, sequentia pronuntiata constituo.

91 I. Ad pertinaciam hæresis priori modo spectatæ, satis est, vt quis alicui fidei veritati, quam aduertit sibi, tanquam propter diuinam auctoritatẽ diuina fide credendam, sufficienter esse propositã dissentiendo aduersetur. Ita docent Sotus & Gregorius de Valentia loc. cit. Ratio est. Tum quia tale peccatum vtiq; contrariè, & non priuatiue solum opponitur fidei, eamq; tollit: ergo in eo, qui antea fidem sufficienter professus fuit, est hæresis quoad substãtiam. Tum quia generatim loquendo, pertinax recte dicitur, quisquis rationabiliter de errore conuictus, nihilominus suo proprio iudicio insistit, & studio contradicendi à veritate dissentit. Et confirmatur. Sicut enim vniuersim ad fidem diuinam non requiritur, vt quis credat propter Ecclesiæ auctoritatem, velut regulam fidei, vt suo loco dictum q. 1. dub. 3. ita nec ad infidelitatem oppositam vniuersim requiri videtur, explicita ac formalis repugnantia cum Ecclesiæ auctoritate.

92 II. Idem censendum est, si quis ex solo studio contradicendi seu repugnãdi alicui veritati fidei, per ignorantiam affectatam nolit aduertere, vel inquirere rationes sufficienter inductiuas ad fidẽ. Ita quoad hoc recte etiam Sotus, Canus, & Valentia locis cit. Ratio est; non solum quia in moralibus ignorantia affectata, quasi pro scientia reputatur; quando nec à peccato excusat, nec peccatum minuit, vt suo loco dictum; sed etiam quia id ipsum est esse pertinacem, ex contradicẽdi studio, nolle animum aduertere vel applicare ad propositionem seu rationes fidei, quibus iure alioqui deberet acquiescere.

93 III. Si alio quouis modo indirecte voluntarius sit error contra fidem, non est propriè pertinacia nec hæresis, esto per ignorantiam crassam, aut etiam affectatam accidat. Quoad hoc placet sententia Vasquez, Bannis, Azorij, Arragonij, & ex parte Valentiæ, contra Sotum. Ratio est. Quia hic non ducitur contradicendi studio, sed paratũ retinet animum submittendi se Ecclesiæ, ac veræ fidei, neque refugit fidei assensum, qua talis est, sed qua difficilis inuentu, aut in specie repugnans veritati, vel destituta debitis motiuis credendi. Quocirca etiam cum talis error accidit, est ille quidem contra virtutem studiositatis, vel prudentiæ, aut in rebus per se necessario credendis, contra præceptum affirmatiuum fidei; sed non contra negatiuum; sicut etiam tali casu fides non amittitur, vt recte notarunt citati. Idem confirmatur ex eo; quia alioqui dicendum foret, Apostolos nolentes credere Christi Resurrectionem, fuisse hæreticos: quod nemo dixerit.

94 IV. Ad hæresin, iuxta phrasin fori Ecclesiastici, requiritur vlterius, vt quis habeat electionem seu directam voluntatem contradicendi Ecclesiæ Catholicę, adeoque vt vel expresse norit, suam opinionem aduersari doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, sufficienter sibi iam per modũ regulæ credendi propositæ, aut certe solum studio ipsi Ecclesiæ contradicendi, per affectatam ignorantiam id nolit scire, vel aduertere. Primam partem tradit S. Thomas hic q. 11. a. 2. ad 3. quem sequuntur Caietanus, Bañes, Arragonius, Valentia, Vasquez cum alijs superius citatis. Consentit Azor loc. cit. q. 1. vbi ait, pertinaciam significare *voluntatis electionem*, (cum errore) *cum certa notitia eius, quod credit, & sentit Ecclesia.*

Idem aperte (licet alibi aliquo modo varians) tradit Augustinus lib. 4 de baptismo contra Donatistas cap. 16. vbi ait: *Ponamus ergo duos aliquos, isto modo: Vnum eorum v. g. sentire de Christo quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari, extra Ecclesiæ Catholicæ communionem; alium verò hoc idem sentire, sed in Catholica baptizari, existimantem ipsam esse Catholicam fidem: istum nondum hæreticum dico; nisi manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit.*

Ratio videtur esse. Quia cum potissimum motiuum fidei sit auctoritas Ecclesiæ, eademque etiã sit generalis credendi regula, fideique controuersiarum iudex & magistra, vt suo loco dictum; idcirco in foro externo optima ratione is solum existimatur pertinax & incorrigibilis, qui nec ipsi quidem Ecclesiæ vult acquiescere.

95 Qualis est sane etiam ille (quod ad alteram pronuntiati partem spectat) qui ex studio contradicendi, per ignorantiã affectatam, non vult scire vel agnoscere auctoritatem Ecclesiæ, vt recte etiam quantum ad hoc, cum Cano tradunt Valentia & Vasquez locis cit. quidquid repugnare videantur Bannes, Arragonius, Azor locis cit. Secus esset; si quis paratus alioqui Ecclesiæ iudicio acquiescere, quamuis importune interim ac impudenter contenderet, suam doctrinam communi doctrinæ ac sensui Ecclesiæ non aduersari, vt ex Cano, Corduba, & Torre notauit Vasquez loc. cit. n. 7. contra Alphonsum de Castro lib. 1 de iusta hæret. punit. cap. 9 reg. 2.

Quo sensu etiam forte intelligi potest Bannes loc. cit. qui tamen male addit, *iudicantem se esse hæreticum, non posse esse hæreticum*; quod ex dictis refellitur. Potest enim quis plane aduertere, se absque vlla causa rationabili, solo studio contradicendi, aduersari doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quod ad rationem & pertinaciam hæresis sufficit. Et iuxta hæc etiam expendenda sunt ea, quæ tradit Gerson tom. 1. pag. 430. de duodecim signis pertinaciæ siue hæresis.

96 Porro in definitione hæresis dicitur tertio, *Catholicæ fidei manifeste contrarius.* Quia hæresis non est, nisi in materia fidei, iuxta S. Thomam quæst. 11. a. 2. ex communi; & quidem tali, quæ sit manifeste de fide, vel iudicio communi Ecclesiæ, loquendo de hæresi, quam Ecclesia punit; vel saltem iudicio dissentientis; siue interim principaliter & directe ad fidem pertineat, siue indirecte & secundario; iuxta Sanctum Thomam ibidem; quales sunt etiã conclusiones Theologicæ,

quas euidenter constet deduci ex reuelatis, vt cum Cano lib. 12. loc. cap 9. recte docet Valentia, & fusius dictum q. 1. dub. 3. & tom. 1. disp. 1. q. 5. dub. 3. Cæteræ vero propositiones, etsi forte secundum se sint reuelatæ, & de fide, hoc ipso quod non sunt manifeste de fide, non possunt esse materia hæresis; nec circa eas pertinacia hæresis locum habere potest.

97 Vnde notandum, aliud in proposito esse hæresin, aliud propositionem hæreticam, aliud erroneam, suspectam, temerariam, male sonantem, scandalosam, seditiosam, vt habetur ex Concilio Constantiensi sess. 8. *Hæresis* enim proprie non dicitur, nisi per respectium ad personã ipsam pertinaciter errantem, vt dictum.

Hæretica autem propositio talis dici potest, vel absolute & secundum se, quæ nimirum manifesto, & consentienti iudicio Ecclesiæ aduersatur fidei Catholicæ, vt recte docet Castro lib. 1. de hæret. punit. ca. 1. vel etiam respectiue, per respectum ad proferentem cum pertinacia, vt quidem frequentius loquuntur alij; speciatim Caietanus, Bannes, Arragonius hic q. 11. art. 2. & Valentia punct. 1. qui proinde addunt, fieri posse, vt respectu eiusdem, pro aliquo tempore, quamuis nulla interim noua Ecclesiæ declaratione facta, propositio quædam sit hæretica, pro alio tempore non sit: quæ est quæstio de nomine.

98 *Erronea* verò, late dici potest omnis propositio contraria fidei; stricte vero, quæ opponitur ei propositioni, quam omnes communiter esse de fide censent; licet forte interim contra fidem esse non sit vsque adeo certum, neque illa etiam cum pertinacia asseratur.

Propositio *suspecta*, aut hæresin, seu errorem sapiens est illa, quæ licet absolute bonum sensum habere possit, ratione tamen circumstantiarum, in malum ac fidei repugnantem sensum accipi non immerito censetur, vt sunt multæ Glossæ, quas hæretici antiquis Patribus & scriptoribus Catholicis attexunt.

99 *Male sonans* dicitur, quæ pias aures offendit. *Scandalosa*, quæ occasionem præbet ruinæ & erroris. *Seditiosa*, quæ schismatis & seditionis. *Temeraria*, quæ in re graui, cõmuni Doctorũ sententiæ, absque sufficienti ratione & fundamento aduersatur, vt fusius declarat Vasquez 1. 2. disp. 62. num. 13. Confunduntur tamen nonnunquam istæ appellationes, & ab alijs quandoque aliter explicantur, vt videre est apud Canum, Bannem, Arragonium locis cit.

100 Dicitur quarto, *In eo, qui fidem Christi suscepit.* Per hoc enim distinguitur hæresis à cæteris speciebus infidelitatis, ex dictis dub. 2. Addunt Bannes, Valentia, Arragonius, Azor locis cit. *in baptismo*, seu vt fidem, ipsius baptismi susceptione, fuerit professus. Sed hoc iuxta S. Thomam, & veriorem, ad ipsam hæresis essentiam non requiritur, vt ibidẽ diximus; etsi quidem requiratur ad hæresin antonomastice dictam, quam nempe Ecclesia pœna excommunicationis punire potest, & solet, cum non nisi baptizati ab Ecclesia excõmunicari possint: quod recte etiam notauit Suarez 3. part. tom. 5 disp. 21. num. 4.

Atque ex dictis colligitur primo, eum, qui ab Episcopo, vel alijs viris doctis, de errore, quem in fide habet admonitus, non acquiescit, ratus aliter docere Ecclesiam Romanam & Catholicam, cui se submittit, peccare quidem posse etiam cõtra fidem, si res sit talis, ad quam alioqui explicite credendam tenebatur, sed hæreticum non esse, vt ex communi docent Canus, Valentia, Vasquez, & alij contra Castro locis cit. 101

Colligitur secundo, Anabaptistam illum, qui nec fidem habuit vnquam, nec baptizatus est, esse quidem imperfecte, atque etiam affectu hæreticũ, ac proinde essentialem hæresis malitiam contrahere, quandoquidem, vt supponimus, affectu approbat totam hæresis Anabaptisticæ malitiã, quæ etiam suscepto baptismo, circa fidem Catholicam errat, attamen formaliter, & consummato opere hæreticum, aut apostatam non esse. 102

Colligitur tertio, eum qui reuelationi diuinæ priuatæ, eidemque sufficienter propositæ contumaciter ac pertinaciter dissentit, essentialem quidem malitiam hæresis contrahere, quandoquidem etiam priuatæ eiusmodi reuelationes diuina fide creduntur, vt suo loco dictum, q. 1. dub. 3. attamen iuxta phrasin Ecclesiastici fori, hæreticum non censeri; tum quia peculiaris illa pertinaciæ ratio deest; tum quia talis error non est contra communem doctrinam & fidem Ecclesiæ, saltem explicite & directe. 103

Quæritur secundo, quid & quotuplex sit apostasia. Respondeo, apostasiam ex vi nominis defectionem, & in præsenti quidem à Deo significare. Sicut autem quadruplex est coniunctio hominis cum Deo, videlicet per fidem, per obedientiam præceptorum, per statum clericalem, & per statum Religionis: ita quadruplex etiam est apostasia seu defectio à Deo, vt docet S. Thomas hic q. 12. art. 1. quarum illa, quæ est defectio à fide huius loci propria, simpliciter & absolute apostasia dicitur; quia per eam homo simpliciter à Deo recedit. 104

Est autem apostasia hoc sensu, peccatum infidelitatis, in intellectu situm, & fidei oppositum, à cæteris tamen speciebus infidelitatis proprie non distinctum, vt docet idem S. Thomas citat. quæst. 12. art. 1. ad 3. Aut enim apostasia consideratur formaliter, & penes diuersum modum, quo fidei repugnat, adeoque vt est defectio à fide, quã quis antea habuit, vel in baptismo professus est, & sic est hęresis: aut consideratur materialiter, ex parte nimirum termini materialis, ad quem; & sic eius speciei infidelitas est, ad quam se conuertit apostata; puta paganismus, si ad paganismum, aut Iudaismus, si ad Iudaismum, &c. duabus nempe speciebus infidelitatis in vnum atque eundem hominem concurrentibus, vt dictum dub. 2. Quo fit, vt omnis apostata à fide sit hæreticus, vt docent Syluester V. *Apostasia* num. 4. Caietanus quæst. 10. a. 5. & q. 11. a. 1. Gregorius de Valentia hic q. 12. punct. 1. & Bannes a. 1. ex communi, conformiter S. Thomæ ibidem, & q. 10. a. 5. etsi nonnulli aliter loquantur. 105

An autem è conuerso omnis etiam hæreticus sit apostata, quæstio est de nomine. Negant 106

Sylue-

Sylvester v. *apostasia* num. 4. & Gregorius de Valentia q. 12. punct. 1. conformiter S. Thomæ q. 11. a. 1. & q. 12. a. 1. Affirmant alij. Respondeo cum Caietano hic q. 11. a. 1. & in Summa v. *apostasia*, & Suarez 3. part. tom. 5. disp. 22. sect. 2. & disp. 43. sect. 2. dupliciter nomen apostatæ (à fide) posse vsurpari; primo late ac generatim, pro quacunque defectione à suscepta fide, aut in baptismo professa: secundo stricte pro defectione illa, qua quis etiam Christum, adeoq; totam quasi fidem negat. Priori modo, qui satis vsitatus est, & vsurpatur à S. Thoma q. 10. a. 5. omnis hæreticus est etiam apostata; posteriori non item, vti quidem loquitur S. Thomas hic q. 12. a. 1. & q. 11. a. 1. & subinde etiam indicant SS. Patres. Eodem modo solet etiam ipsum vocabulum hæresis stricte nonnunquam vsurpari, pro defectione non à tota fide Christi, sed ab aliquibus tantũ eius pronuntiatis, iuxta S. Thomam quæst. præced. a. 1. Quo sensu etiam in capit. *Contra Christianos*, de hæreticis in 6. apostatæ ab hæreticis distinguuntur. Nec dubium, hoc sensu apostasiam ita saltem materialiter ab hæresi differre, vt distincte sit in confessione explicanda, vt dictum cit. dub. 2. De apostasijs ab ordine & religione, suo loco de ordine & voto agendum est. Videri interim possunt Caietanus v. *Apostasia*, & Gregorius de Valentia q. 12. pun. 1. & Suarez 3. p. tom. 5. disp. 26. à n. 26. & fusius de Religione.

Cæterum communi huic doctrinæ, de ratione distinguendi tres species infidelitatis, ipsamque hæresin ab apostasia, hoc & tertio dubio traditæ, nonnulli recentiores acriter refragantur; è quibus etiam nonnemo addit, eam explicationẽ esse indignam S. Thoma, quasi omnis qui deficit à fide, quam semel vere suscepit, sit vere & proprie hæreticus, tametsi Iudæus aut Turca fiat; ita vt hæresis propria species infidelitatis constituatur ex eo quod à fide semel in se suscepta vel professa deficit. Rationes sunt I. Quia ille sensus repugnat ipsi S. Thomæ q. 12. a. 1 ad 3. vbi docet, apostasiam non sumere speciẽ, ratione termini à quo receditur, sed ratione termini ad quem tenditur, siue in quo sistitur; ac proinde apostasiam nõ dicere determinatam speciem infidelitatis, sed circumstantiam aggrauantem, quæ potest cuiuis infidelitati conuenire.

II. Ille modus loquendi repugnat cõmuni omnium sensui: nec enim solem⁹ vocare tales hæreticos, sed Turcas, aut Iudæos; quales etiam vere sunt: nam à fidei professione dicitur quis Iudæus, Turca aut hęreticus; & vt talis sit, omnino impertinẽs est, quod ante fuerit Christian⁹, nec ne. &c.

III. Filij hæreticorum nunquam baptizati, qui iam adulti parentum sequuntur fidem, sunt veri hæretici, etsi fidem Catholicam nunquã vlla ratione aut susceperint, aut professi sint, vt patet in Manichæis, baptismũ respuentibus, itemq; Anabaptistarum filijs nondum baptizatis; vt & Turcis ad Lutheranam fidem transeuntibus. &c.

IV. Tam scripturæ, quam Patres, vt aliquis sit hæreticus, requirunt, vt profiteatur se esse Christianum. Nam Matth. 7. Christus describens hæreticos, vocat eos falsos Prophetas, venientes sub vestimẽtis ouium; quia scilicet exterius profitentur, se docere fidem Christi, vt docet Hieronymus in hunc locum. Item Apostolus 2. Tim. 3. describens hæreticos ait, eos habere speciem veritatis, (quia scilicet exterius fidem Christi profitentur) & virtutem eius abnegare. Hinc Ambrosius l. 7. in Luc. Nemo, ait, hæreticorũ Christi nomen negat: & Gregorius l. 20. Mor. c. 9. docet, hæreticos sub nomine Christi contra Christum militare. Ex quibus patet, baptizatum abnegantem Christum, eiusque fidem, nõ incidere in hæresin, sed in iudaismum aut paganismum.

Verum hæc tanti momenti nõ sunt, vt cõmunem sententiam euertant. Ad primum Respondetur, S. Thomam, quem sub specie interpretationis authores isti negant, seipsũ negare nõ posse; qui duo hæc à nobis superius tradita aperte docet. Primũ est: Determinatas species infidelitatis distingui penes diuersum modũ repugnandi fidei acceptatæ, vel nõ acceptatæ, modo superius dub. 3. explicato. Sic enim ait q. 20. a. 5. vbi ex instituto rem hanc declarat: *Dicendum, quod si infidelitas attendatur secundum comparationem ad fidem, diuersæ sunt infidelitatis species, & numero determinatæ. Cum enim peccatũ infidelitatis consistat in renitendo fidei, hoc potest cõtingere dupliciter. Quia aut renititur fidei nõdũ susceptæ; & talis infidelitas est paganorũ siue gentiliũ. Aut renititur fidei Christianæ susceptæ, vel in figura; & sic est infidelitas Iudæorũ: vel in ipsa manifestatione veritatis; & sic est infidelitas hæreticorum. Vnde in generali possunt assignari tres prædictæ species infidelitatis.*

Et quamuis S. Thomas ibidẽ in corp. & ad 1. addat, posse etiã infidelitatis species assignari penes diuersitatem errorũ, circa obiecta materialia fidei, seu penes hoc, quod *infideles diuersas falsas sententias sequuntur*; fatetur tamen hac ratione nõ esse determinatas species infidelitatis; eamq; cõsiderationẽ infidelitatis in ratione culpæ esse minus principalem: quia vt ait q. 10 a. 6. *infidelitas habet rationẽ culpæ, magis ex hoc quod renititur fidei, quã ex hoc, quod nõ habet ea quæ sunt fidei: hoc enim videtur magis ad rationẽ pœnæ pertinere*, vt dictum a. 1.

Secundum est, nihil obstare, quo minus diuersæ infidelitatis species etiam in eodẽ homine reperiantur. Sic enim ait S. Thomas q. 10. a. 5. ad 3. *Infidelitas potest esse vna etiamsi in multis erret. &c. Nihil tamen prohibet, hominem diuersis infidelitatis speciebus errare: sicut etiam potest vnus homo diuersis vitijs subiacere, & diuersis corporalibus morbis.*

Ad locum S. Thomæ in contrarium obiectum Respondetur, S. Thomã ibidem non dicere, apostasiam non sumere speciẽ, ratione termini, à quo receditur, sed ratione termini ad quem tenditur; cum is potius de termino à quo, & ad quẽ eodem modo loquatur: *Species*, inquit, *alicuius qualitatis vel formæ non diuersificatur per hoc, quod est terminus motus à quo, vel ad quem: sed potius è conuerso, secundũ terminos, motuum species attenduntur. Apostasia autem respicit infidelitatem, vt terminum, ad quem est motus recedentis à fide.*

Quod autẽ subiungit, apostasiam *non importare determinatam speciem infidelitatis*, considerat ipse Apostasiam, non abstracte & formaliter, sed in ordine ad terminum ad quem se apostata adiũgit & sociat

sociat, vt ex verbis præcedentibus colligitur. Qua ratione apostasia non est vna simplex species infidelitatis, sed est communis omnibus tribus speciebus, duabus ex his in vnum subiectum cõcurrentibus; non ita quidem quasi Paganismus & Iudaismus complete ipso facto in apostata reperiatur; sed quia saltem secundum affectum, singularum eiusmodi infidelitatum rationem & malitiam consectatur, hoc ipso, quod tallis vellet, se nunquam aut verum Deum, aut Christum agnouisse & credidisse. Cum quo nõ pugnat, quo minus apostasia formaliter spectata eandem cum hæresi infidelitatis speciem constituat, vt dictum ex S. Thoma q. 10. a. 5.

Ad secundum Respondetur, cõmunem modum loquẽdi esse verum; reuera enim talis etiam Turcismi aut paganismi infidelitatem contrahit; sed hoc non obstat, quo minus veram etiam & essentialem hæresis malitiam habeat; quæ etiam ipso apostasiæ nomine significari solet. Sumitur autem denominatio vulgo ab eo, quod talis apostasia supra communem rationem hæresis addit, vt criminis ratio magis exaggeretur. Quod autem subiungitur, ad hoc vt aliquit dicatur hæreticus, impertinẽs esse quod ante fuerit Christian⁹, plane falsum est, & cõtra cõmunẽ & apertã S. Thomę sententiam. Alia vtiq; est Catholici ratio, quę Iudaismum, Turcismum, vel hæresin in eodẽ subiecto præcessisse nequaquam supponit.

Ad tertium Respondetur, hęreticorũ filios, qui Christianam fidem nũquam susceperunt proprie & consumato opere non esse hæreticos; sicut nec etiam ab Ecclesia velut hæretici puniri possunt, vt dub. seq. dicemus. Dicuntur tamen & sunt hæretici late loquendo, quia ipso saltem affectu hæresin & apostasiam maiorum, qui olim à Catholica fide defecerunt, approbant. Quod etiam de Turca ad Lutheranam fidem culpabiliter transeunte dicendum est, priusquam baptismum suscipiat: etsi cum post baptismum susceptum, errorem fidei Lutheranæ pertinaciter continuat, perfecte etiam hæreticus fiat, vtpote deficiens ab ea fide, quam in ipso baptismo ad veram solum Ecclesiam spectante implicite professus est, vt dictum dub. 3.

Ad quartum Respondetur, modos illos loquẽdi esse desumptos à strictiore illa significatione vocabuli hæresis & hæretici, prout nunc à cæteris infidelitatis speciebus reipsa separata reperitur: cum tamen negari non possit, formalem & abstractam rationem hæresis latius patere: quia vtique etiam in lege naturæ aut Mosaicæ locum habere poterat hæresis, vbi tamen in communi vsu fidelis populi, Christi professio non vigebat: & vestimenta ouium non significant solam Christianæ fidei professionem, sed quamcunque etiam Verbi & reuelationis diuinæ iactationem, vt in antiquis Pseudoprophetis videre est.

Vtramque vero hæresis acceptionem expresse etiam tradidit S. Thomas: priorem quidem loco superius relato q. 10. a. 5. vbi, vti dictum, ex instituto rem hanc explicat: posteriorem autem quæst. 11. art. 1. vbi ait: *A rectitudine fidei Christianæ dupliciter quis potest deuiare. Vno modo, quia ipsi Christo non vult assentire: & hic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem: & hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum & Iudæorum. Alio modo per hoc, quod intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea, in quibus Christo assentiat: quia nõ eligit ea, quæ sunt vere à Christo tradita, sed ea quæ sibi propria mens suggerit. Et ideo hæresis est infidelitatis species, pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt.* Vbi S. Thomas non retractat aut reuocat eam, quam superius q. 10. a. 5. tradiderat abstractam & essentialem hæresis rationem, quæ communis est cuilibet apostasiæ à susceptа fide; sed eo loco hæresin considerat quasi materialiter, & ex parte obiecti, conformiter notioni & etymologiæ nominis, quam ibidem præmiserat ac prout reipsa ab alijs speciebus infidelitatis seiuncta est: quæ acceptio etiam vulgo magis recepta est, vt dictum. Sed priorem & essentialem atque abstractam rationem & acceptionem hæresis non excludit.

DVBIVM VI.

Quænam sint apostatarum & hæreticorum pœnæ.

S. Thomas 2. 2. q. 11. a. 3. & q. 12. a. 2.

AGit hac de re S. Thomas q. 11. a. 3. & q. 12. a. 2. vbi tamen duas solum hæreticorum & apostatarum pœnas, nempe excomunicationem & amissionem dominij in subditos pertractat. Sed quia sunt etiam aliæ pœnæ, eædemque hæreticis æque ac apostatis communes, generatim de omnibus agendum est. 107

Prima igitur pœna est excommunicatio maior; quam nõ ipso quidem iure diuino, vt putat Eckius in enchiridio, sed antiquissimo iure Ecclesiæ, vt Bannes q. 10. a. 3. Gregorius de Valentia q. 11. punct. 3. & Suarez 3. part. tom. 5. disp. 2. sect. 1. ex cõmuni docent; & nunc quidem etiam in bulla cœnæ reseruatam, ipso facto incurrunt omnes hæretici & apostatæ, qui post baptismum, & vere interius defecerunt, & sufficienti aliquo signo hæresin, vel apostasiam, licet occultissime, & sine vllo teste, expresserunt: non autem qui sola mente in hæresin inciderunt; nec qui solum hæresin, aut Iudaismum, vel Paganismum, exterius, salua interius fide, professi sunt, vt ex communi docent Gregorius de Valentia q. 11. punct. 3. Bannes & Arragonius hic q. 12. a. 2. & fuse Suarez 3. part. tom. 5. d. 4. sect. 2. & in specie de casu hæresis d. 22. sect. 2. Quidquid de pure mentali hæresi in contrarium dixerit Adrianus in 4. q. 2. de confess. & quodl. 8. q. 1. post Glossam & Canonistas Clement. 1. de hæreticis; & de sola professione externa apostasiæ Caietanus hic quæstione 12. articulo 1. & quæstione 94. articulo 1. Ratio est; quia in hoc casu professionis solum externæ, peccatum apostasiæ non est plane consummatum; in priori autem casu, ad forum externum Ecclesiæ non pertinet, quæ de mere internis non iudicat, vt suo loco dictum.

Neque

108 Neque his obstat S. Thomas q. 11. a. 3. vbi ait, ex misericordia Ecclesię, non statim damnari hęreticos, sed post primam & secundam correptionem. Intelligitur enim hoc, vel de pœnis corporis, vel de excommunicatione, quæ nominatim alicui infligatur: Quando constat, etiam temporibus Sancti Thomæ, per constitutionem Lucij III, vt habetur capit: *Ad abolendam*, de hæreticis, omnes hæreticos ipso facto fuisse excommunicatos. Imo probabilius videtur, etiam Apostolorum temporibus, tanquam excommunicatos fuisse vitandos, iuxta illud 2. Tim. 3. v. 5. *Hos deuita.* & 2. Ioannis v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.*

109 Dubitatur hoc loco, an etiam dubitans de fide incurrat excommunicationem. Respondeo probabilius videri, dubitantē solummodo de fide, sine absoluto & formali iudicio fidei oppositō, non incurrere excommunicationem; cum talis hæresin plane consummatam & perfectam non habeat, vt aperte sentit Sa v. *hæresis*, & consequenter sentiunt illi, qui dubitationem solum priuatiuè fidei opponi tradunt: etsi contrarium asserat Toletus in explicatione bullæ Cœnæ excommunicat. 1. quod etiam significant Nauarrus Manual. c. 27. Gregorius de Valentia q. 11. punct. 3. & ex parte Suarez disp. 43. sect. 1, num. 1.

110 Eandem porro excommunicationem incurrunt etiam *hæreticorum receptores, fautores, defensores, aut qui eorum libros hæresin continentes, aut de religione tractantes legunt*, (nisi quis forte pauculos tantum versus v. g. vnam solum paginam legat, iuxta Sa loc. cit.) *tenent, inprimunt &c.* De qua re plura citati, & nos suo loco tom. 4. de Excom. Qui vero aliorum libros, ob errores, vel errorū suspicionem prohibitos legunt, incurrunt quidem excommunicationem indicis non reseruatam, vbi ille receptus est, sed non hanc bullæ cœnæ, vt recte docet Toletus loc. cit.

111 Secunda pœna est irregularitas; quam incurrunt omnes hæretici, siue apostatæ, & eorumdem fautores ex capit. *Quicunque*, de hæreticis in 6. Manet siquidem etiam *post vulnus infidelitatis sanatum, cicatrix irregularitatis*, Canone *Ventum* causa 1. quæst. 1. & Canone *Si quis* 1. q. 7. & cit. cap. 2. de hæret. in 6. Quod ex communi etiam docent Felicianus de irregularitate capit. 7. Henriquez lib. 14. cap. 5. n. 2. & Suarez 3. part. tom. 5. disp. 43.

Eandem incurrunt filij atque nepotes patrum hæreticorum, qui in sua hæresi pertinaciter obierunt; matrum autem hæreticarum soli filij, vt ex capit. *Quicunque*, & cap. *Statutum*, de hæret. in 6 ex communi docent Nauarrus cap. 27. Manualis à numero 121, Gregorius de Valentia tom. 4. de Censuris quæstione 19. & Suarez cit. disputatione 43. sect. 3. ex communi, etsi Toletus libro 1. cap. 25. numero 1. & Sa v. *hæresis*, negent, rati eos solum prohiberi à consequutione beneficij; quod etiam significat Azor tom. 1. l. 8. cap. 13. q. 8.

112 Rectius limitat Henriquez cap. 5. numero 4. vt non procedat, si pater in natione infecta hæresi decessit, notorie quidem hæreticus, sed absque nota infamiæ. Aut si filius natus sit ante hæresin patris; quod etiam alij docent: etsi nec istam quidem limitationem admittat Suarez post alios. Certe in Germania hæc pœna locum non habet, præsertim in filijs.

113 Huc etiam spectat Neophytus, hoc est, recens conuersus & baptizatus, quem pro ratione constantiæ, & morum probitatis, citius aut tardius ad ordines admittit Episcopus, iuxta Suarez loc. cit. Alioqui ante decennium non admittitur, iuxta Nauarrum n. 105. & Henriquez cap. 4. n. 7.

114 Dispensat autem in hac irregularitate omni, solus Pontifex; nisi cum quis ab occulta hæresi in foro conscientiæ legitime absolutus est: cum hoc enim dispensare posse Episcopum, post alios probabiliter docet Henriquez cap. 4. nu. 6. licet aliter Suarez. Quod vero addit Henriquez c. 5. num. 2. cessante infamia hæresis prius notoriæ, per pœnitentiam, in ea irregularitate (quasi ex crimine iam occulto) dispensare posse Episcopū, improbabile videtur, vbi quidem hæc irregularitatis species vsu recepta est: de quo dubitat Sa v. *hæresis*, imo dicit, *parum vsu receptam videri*, vt etiam supra dictum.

115 Tertia pœna est priuatio beneficij, quam Simancha quidem, & Castro apud Suarez infra, primum post sententiam declaratoriam criminis; alij vero, in quibus Suarez cit. disput. 43. sect. 1. num. 4. ex probabiliori & communiori, ipso facto incurri docent; idque nunc saltem iure nouo est manifestum, ex constitutione Pij V. quæ incipit, *Cum ex Apostolatus*. Interim in vtraque sententia fatendum, hæreticum non priuari possessione beneficij, ante sententiam iudicis, vt ex communi notauit Azor cit. cap. 13. q. 8. & mox etiam in simili dicetur.

116 Quarta pœna est priuatio dominij bonorum temporalium: quam ex communi sententia, hæretici & apostatæ ipso facto incurrunt, vt ex capit. *Cum secundum*, de hæret. in 6. docent Syluester. v. *hæresis* 8. n. 12. & sequent. Castro lib. 2. de iusta hæret. punit. c. 5. & 6. & Gregorius de Valentia q. 12. punct. 2. etsi Bannes hic q. 12. a. 2. & Victoria relect. de Indis sect. 1. n. 14. fauente etiam Sa v. *hæresis*, iudicis sententiam requirant.

Vbi tamen notanda sequentia I. In neutra sententia hæreticos ante sententiam, & peculiare præceptum iudicis, teneri bona sua in fiscum 117 conferre, vt omnes docent; quia leges pœnales ante sententiam iudicis ad executionem non obligant, nisi aliud statuatur, vt de legibus dictum.

II. Non posse hanc confiscationem executioni mandari per sæculares Principes; nisi quis prolatā prius ab Episcopo seu Ecclesiastico Iudice sententiā declaratus sit hæreticus, vt aperte cit. cap. dicitur.

III. Habere proinde & retinere hæreticos possessionem & vsum suorum bonorum, donec per 118 sententiā & executionem iudicis, ijsdem priuentur; adeoq; posse interim illos non solum fructibus bonorum vti, pro sua suorumque necessitate, vt docet Syluester n. 13. & 14. sed etiam pro libitu

de illis disponere, vtendo, fruendo, donando, legando, hæredes instituendo; imo etiam vendendo; modo emptori caueant, ne quandoq; ex hac emptione incomodum incurrat. Quæ omnia ipso facto sunt rata, donec irritentur: ita vt etiam recipientes in conscientia tuto retineant, donec priuentur; etiamsi alterius hæresin nouerint, vt quoad hoc recte docuerunt Victoria, Bannes, Sa; etsi aliter alij sentiant.

119 IV. In Germania, ex peculiari etiam ratione, non esse inijciendum scrupulum ijs, qui post hæresin sua bona alienant, vel ab ijs alienata dono vel emptione accipiunt: cum, etiamsi communi lege id non liceret; tamen per contrariam consuetudinem, conniuentibus magistratibus, videri possit ea lex iam quoad hoc eneruata, vt recte notauit Gregorius de Valentia cit. quæstione 11. punct. 3.

120 V. Alioqui per sententiam iudicis, omnia bona hæreticorum, à tempore commissi criminis, fisco addici, vt notat Glossa in cit. capit. *Cum secundum*, ex communi; attamen in Germania non est timendum, ne aliquando fiat huius sententiæ executio, vt dictum.

121 Quinta pœna est priuatio politicæ potestatis; quam ipso etiam facto incurrunt omnes excommunicati, iuxta Canonē, *Nos Sanctorum*, & Can. *Iuratos* 15. q. 6. & Extrauagantem Martini V. *Ad euitanda*, vt cum S. Thoma hic q. 12. a. 2. docent Caietanus, Bannes, Valentia ibidem ex comuni. Vbi tamen discrimen est inter nominatim excommunicatos, & alios nominatim non excomunicatos: illis enim subditi, cum absq; notabili suo detrimento possunt, etiam tenentur negare obsequium: his vero etsi possint, nō tamen tenentur, vt ex dicta Extrauagante pluribus docent Bannes, Valentia, Arragonius, Azor locis cit.

Ratio est; quia ex vna parte isti tanquā excommunicati iam sunt priuati sua potestate, per citata capitula; ex altera vero parte, quoad facultatem cum illis comunicandi, restricta est hæc pœna, vt nemo teneatur vitare tales nisi nominatim excōmunicatos per cit. Extrauagantem, *Adeuitanda*: licet interim nullus fauor ipsis excommunicatis directe præstetur.

Sed & aliud discrimen est, quoad hanc pœnā, inter excomunicatos ob hæresin, & alias causas. 122 Hi enim sunt tantum priuati hac potestate, quādiu non resipiscunt, vt patet ex cit. Canone 1. Illi vero etiam post conuersionē indigent nouo consensu Ecclesiæ, vt ex praxi notarunt Bannes & Valentia cit. q. 12. a. 2.

Sicut autem in simili de beneficijs Ecclesiasticis, & bonis temporalibus dictum est, vsum & administrationē eorumdē non adimi nisi post latam à iudice sententiā; ita etiam de possessione & vsu iurisdictionis, seu potestatis politicę sentiendū est, vt iuxta capit. *Cum secundum leges*, de hæreticis in 6. ex comuni etiā docet Becanus, de fide hæreticis seruanda quæst. miscellanea 7. num. 8. Plura quæst. seq.

123 Cæterum in Ecclesia esse potestatē priuandi hęreticos dominio bonorū, & iurisdictione, patur primo ex scriptura. Nam 2. Paralipomenon 23. Ioiada Sumus Sacerdos vita & regno exuit Reginam Athaliam, non tam ob tyrannidem, quam idololatriā. Rursum 2. Paralipom. 26. Rex Ozias, ob profanationē diuini cultus, lepra percussus, ab Azaria Pontifice, alijsq; Sacerdotibus è templo expulsus, in separata domo habitare, & regnum Ioathan filio cedere coactus fuit. Item Ioañis 22. suma pascendi potestas Petro comissa, hoc ipsum deposcit, vt lupos ab ouili arcere; & modis omnibus, ne gregem deuastent, prohibere possit. Vnde etiam 1. Cor. 5. v. 13. ait Apostolus; *Auferte malum ex vobis ipsis.*

Secūdo, patur ex antiquissima Ecclesiæ praxi; qua Pontifices, propter comune bonū Ecclesiæ, 124 nonnunquam Reipublicæ Christianæ noxios sua iurisdictiōe seu auctoritate priuarunt; alios vero ob defensionē veræ & Christianę fidei, speciali dignitatis & honoris prærogatiua ornarunt. Nec vero aliunde, quam à Pontifice Romano Leone III. Imperiū Occidentis à Græcis ad Francos primum, hinc ad Germanos translatum: vt & similiter, boni comunis causa à Gregorio V. Pontifice statutum, vt Imperator eligatur per septem illos Germaniæ Principes, qui etiam num sunt & dicūtur Electores Imperij. De qua re videri possunt Gregorius de Valentia hic quæstio. 12. punct. 2. & fuse Bellarminus in libris de translatione Imperij.

Tertio acceditratio. Tum quia hæretici iure 125 possunt ipsa vita priuari, vt dicetur inferius: Ergo multo magis alijs bonis temporalibus. Tum quia Ecclesiastica potestas ex suo genere superior est politicâ, vtpote finem multo præstantiorem spectans: Ergo potest de hac, in ordine ad suum finē, puta comunem fidelium salutem disponere. Neq; tamen idcirco dicendum est, Pontificem habere iurisdictionem temporalem & directam in omnia regna, & bona orbis Christiani, sed spiritualem & indirectā vt dictum in defensione Ecclesiasticæ libertatis lib. 2. c. 8. & fuse ostendit Bellarminus l. 5. de Pontifice c. 2. & in simili etiam de Christo tom. 4. suo loco docetur, quidquid nonnulli dixerint.

Sexta pœna, est Infamia & inhabilitas ad munia, 126 & beneficia ecclesiastica; de qua multa in vtroq; iure tit. de hæreticis, & in Cōcilio Lateranensi sub Alexādro III. & sub Iñocentio III. & in capit. *Ad abolendā*, de hęreticis. Quamquā hæc pœna sub irregularitate fere comprehenditur; eodemque modo limitanda est: nec in Germania quoad hæreticos toleratos est in vsu, vt ibidem dictum.

Septima, est pœna corporis, videlicet in- 127 carceratio ex capit. *De Liguribus* causa 23, quæstione 5. Item exilium seu deportatio, olim valde vsitata, ex eodem capit ac tandem pœna mortis, vt definitur à Leone X. in bulla contra Lutherum. De qua re plura quæst. seq. dub. 1. In praxi notanda sequentia.

I. Pœnam mortis à Magistratu quidem poli- 128 tico executioni mandari, sed ex commissione & mandato Ecclesiasticæ potestatis, vt iustitia administretur. Quare non potest Magistratus ciuilis à pœnis eximere hæreticum sæculari brachio traditum, ex capit. *Excommunicamus* 1. §.

Damna-

Damnati, & §. *mouentur*, de hæret. Quidquid in contrarium dixerit Bannes hic.

II. Hanc pœnam procedere, non solum de hæreticis, qui in adulta ætate quandoque Catholici fuerunt, & à fide defecerunt; sed etiam qui in infantia baptizati, hæresin cum lacte matris hausta, pertinaciter tuentur, ex communi; quando & isti vere ac propriè sunt hæretici, vt dictum dub. 5.

129 III. Hac pœna, vbi recepta est, affici, tum omnes relapsos, etiamsi conuerti denuo velint, tum omnes post admonitionem pertinaces, etiamsi nunquam relapsi sint. Alij vero, qui nec relapsi sunt, nec in pertinacia perseuerant, nec alios peruerterunt, licet in rigore mortem nihilominus promereantur, ordinarie tamen mortis pœna affici non solent, vt docet Sanctus Thomas quæst. 11. a. 4. sed cæteris perpetui, vt notarunt Gregorius de Valentia hic q. 11. pu. 3. Capetius lib. de modo coercendi hæreticos cap. 25. & 26. & Azor lib. 8. cap. 14. q. 7.

130 IV. Credentes hæreticis (hoc est, generatim credentes cum pertinacia ea, quæ speciatim credunt hæretici) item fauentes, recipientes hæreticos, quà tales sunt, hoc est, facientes suo hospitio, fauore, vel defensione, vt hæretici securius suos errores prædicent; vel vt occulte latitent, ne deprehendantur à Magistratu, vel vt hæresis quoquo modo diutius duret, posse quidem merito ab Ecclesia puniri; non secus ac ipsos hæreticos: attamen re ipsa non incurrere omnes pœnas hæreticorum, sed eas tantum quæ contra ipsos specialiter latæ sunt, scilicet excommunicationis, infamiæ, & alias, quæ numerantur in capit. *Excommunicamus* 1. §. *Credentes*, de hæretic. & capit. *Accusatur*, de hæret in 6. Plura citati, nominatim Azor cit. lib. 8. cap. 15.

DVBIVM VII.

De peccato blasphemiæ; speciatim etiam in Spiritum Sanctum; quid, quale, quantum, & quotuplex sit hoc peccatum.

S. Thomas 2. 2. q. 13. & 14.

131 AGit S. Thomas de blasphemia, tanquam vitio oppositio fidei, ratione confessionis externæ; licet alioqui non minori ratione inter vitia Religioni oppositia recensèri potuisset, vt inferius patebit. De qua

Quæritur primo, quid sit blasphemia, & quomodo committatur. Respondeo. Blasphemia generatim, iuxta Budæum, *nocens dictum*, iuxta Hieronymum in epistolam ad Ephesios 4. Maledicentiam seu execrationem alicuius boni significat. In proposito autem, ex communi, tam Ecclesiasticorum, quam profanorum Scriptorum vsu, significat contumeliam quandam aduersus Deũ, qua vt docet S. Thomas quæst. 13. art. 1. seu per verba, seu per facta, (siue in actu signato, siue in actu exercito) impie Deo tribuitur, quod ei non conuenit, aut ei detrahitur, quod conuenit. Quo fit, vt ad perfectam blasphemiam requiratur malitia quædam voluntatis, detestantis, & quantum in se est lædere volentis diuinum honorem, vt ex S. Thoma cit. art. 1. ad 1. recte notarunt Bannes & Valentia ibidem, licet alioqui indirecte seu interpretatiue velle derogare diuino honori, per verbum vel factum Deo contumelioſum, satis sit ad rationem blasphemiæ in communi, iuxta eosdem.

Committi potest blasphemia varijs modis, qui 132
non quidem specie essentiali, sed grauitate multum subinde inter se differunt, iuxta Caietanum quæst. 13. a. 1. Primo enim committi potest tam signis externis, quam solo conceptu & apprehensione mentis, iuncta impiæ cuidam indignationi erga Deum, & voluntati eum inhonorandi; siue interim per infidelitatem præbeatur assensus falsæ conceptioni, siue non, vt recte cum sancto Thoma, docent Caietanus, Bannes, Valentia quæst. 13. art. 1. Licet enim homini contumelia reipsa non irrogetur, nisi externo signo; contumelia tamen in Deum, qui æque mentem, ac signa externa intelligit, etiam sola cogitatione mentis consummari potest.

Secundo fieri potest oratione non solũ enun- 133
tiatiua, sed etiam optatiua, vel imperatiua, vt docent ijdẽ, siue ea oratio directe ad Deum, siue ad homines, aut aliam rem creatam dirigatur.

Tertio committi potest, non solum in actu quasi signato, sed etiam in actu exercito; cum quis videlicet ipso modo loquendi, aut agendi, significat, DEVM esse contemptibilem; licet expressis & signantibus verbis nihil falsum DEO tribuatur; vt quidem fit, cum indigne nominantur quædam membra Christi iuxta omnes.

Quartò committitur etiam, vt notauit S. Tho- 134
mas eodem a. 1. ad 2. & 3. ex communi, ab eo, qui nulla Dei mentione facta, impie creaturis tribuit, quod Dei proprium est, aut Sanctos tanquam amicos & seruos Dei maledictis, aut contumelijs incessit; aut etiam alias res sacras, tanquam diuinitus institutas, probrosa voce dehonestat, dicendo v. g. centum Sacramẽta te, &c. In quibus verbis, præter dirum maledictum, inest etiam blasphemia, tum ob Sacramentorum numerum contra fidem contemptim multiplicatum, tum ob rei sacræ ad peruersum vsum inuocatæ dehonestationem; si quidem vllo modo hæc imprecatio in contemptum etiam ipsius Dei, seu rei sacræ vsurpetur.

Denique quoties quis contemptim affirmat aliquid de Deo, quod ei non competit, vel negat quod ei conuenit, vel certe quæ Dei sunt irreuerenter nominat, irridendo, aut per ea turpiter & inhoneste iurando, blasphemus est, vt recte Azor tom. 1. lib. 9. cap. 28. q. 2.

Qui vero, vti fieri solet, ex indignatione so- 135
lum erga alium hominem, aut bestiam, &c. non erga Deum, temere pronuntiaret Corpus vel sanguinem, aut Vulnera DEI, (addo ego, Sacramenta DEI) nihil vlterius peruersi subintelli-

gendo nec alijs circumstantijs significando, se male erga Deum, aut res sacras affectum esse, is quidem vanâ pronuntiatione rerum sacrarũ, quin etiam sæpe ratione scandali vel propriè conscientiæ, grauiter peccabit, sed veram & formalem blasphemiam non committet, vt recte notauit Caietan⁹ in Sum. V. *blasphemia*, & Valentia hic q. 13. pun. 1. quia talis suum Deo honorem derogare non intendit, nec directe & formaliter, seu ex vi vocũ, nec indirecte seu interpretatiue; quando, vt suppono, ex modo pronuntiandi, & alijs circumstantijs nusquam colligitur, eum animo in Deum contumelioso eiusmodi verba vsurpare. Multo minus, per se loquendo, blasphemi sunt, qui dicunt, per Sacramentum, per vulnera Christi, aut Deus vel Sacramenta te perdant: illa enim iuramenta sunt, hoc maledictum est.

136 An tritum illud verbum Germanis consuetum (Schenden) in eiusmodi maledictis, generalem tantum significationem verbi *perdere* habeat; an verò turpem, & Deo rebusque diuinis indignum dehonestationis modum significet, adeoque veram ex se blasphemiam contineat, dubitatur. Et quidem audiui non neminem ita sentientem. Sed ego homines non ita malitiosos, & omni indignatione, signisq; indignationis erga Deum vacuos nõ facile crediderim hoc sensu tã nefario verbum illud accipere: quod sane etiã per se, & ex vi vocis, plus non significat, quam zu schanden machen, latine pudefacere, seu ignominia afficere. Quod etsi per se Deo rebusque sacris non conueniat, per accidens tamen, ob malitiam hominum, & erga malos, conuenire Deo & potest, & solet, quotiescunque Deus hominem, in pœnam peccati, despicabilem reddit, & speciatim quidem etiã loquendo de Sacramento, quando in sacrilego eiusdem vsu extraordinario signo Deus hominis malitiam manifestam facit, vt non raro accidit.

137 Eadem ratione, qui per ignorantiam, licet crassam, absque illa intentione dehonestandi Deum, falsi quidpiam Deo tribuit, vt Deum non esse Trinum in personis, vel Christum non esse Deum, vt faciunt Trinitarij, non est blasphemus proprie, vt colligitur ex dictis, & Caietano q. 13. a. 2. quamuis sit hæreticus, si adsit pertinacia. Plura Corduba lib. 1. q. 17. §. 15.

138 Quæritur secũdo, quale peccatum sit blasphemia, & cui virtuti oppositũ. Respondeo. Blasphemia proprie & essentialiter infidelitas non est, nec semper infidelitatem adiunctam habet, vt ex communi recte docet Caietanus hic q. 13. a. 1. & 2. Aduersatur tamen nihilominus non solum Religioni blasphemia omnis vtpote directe honorẽ Deo debitum subtrahens; sed etiã, quæ quasi p antonomasiam blasphemia est, (ipsa videlicet oratione vel signis externis aliquam fidei veritatẽ in contemptum Dei formaliter negans, vt cum quis dicit, non credo; adeoque in actu signato aliquid Deo derogans, vel ei tribuens, contra fidem, aut etiam creaturis, quod proprium Dei est, cuius quidem blasphemiæ solumodo mentionem fecit S. Thomas q. 13. a. 1.) Talis inquam blasphemia aduersatur etiam confessioni fidei, vt docet S. Thomas ibidem a. 1. 2. & 3. siue directe, vt cum quis intendit falsum aliquid de Deo enuntiare, in eius contemptum, siue indirecte, vt cum quis non intendit negare fidem.

Qua ratione conciliari poterunt inter se Doctores; quorum aliqui absolute dicunt, blasphemiã aduersari confessioni fidei, vt præter S. Thomam loc. cit. docent etiã Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione c. 12. Sotus l. 8. de iust. q. 8. a. 3. Syluester V. *blasphemia* nu. 1. Bannes hic q. 13. a. 1. alij vero absolute docent, aduersari religioni, vt Nauarrus cap. 12. Manual. n. 7. & 8. Gregorius de Valentia hic q. 13. pun. 1. alijque recentiores, fauente etiam S. Thoma a. 1. ad 2. & a. 2. ad 2. 139

Quod si quis Sanctos Dei secundum se absolute, sine illo respectu peculiari ad Deum, contumelia afficiat, ille non contra Religionem proprie, sed contra eam virtutem peccabit, ad quam alioqui cultus tali Sãcto debitus spectat, puta hyperduliæ, vel duliæ, vt recte notarũt Caietanus q. 13. a. 2. & Valentia punct. 2.

Quæritur tertio, quantum peccatum sit blasphemia. Respondetur cum S. Thoma q. 13. a. 2. ex cõmuni, esse peccatum ex suo genere mortale, & quidẽ grauius periurio & homicidio, adeoq; vnũ ex maximis; vtpote habens grauitatem infidelitatis, eamque speciali Dei contemptu aggrauans, vt ait S. Thomas loc. cit. Quod intelligendum est de blasphemia, fidei confessioni opposita, ex dictis, idque seruata debita proportione, nempe vt blasphemia externa sine hæresi, vel apostasia interna, comparetur soli exteriori abnegationi fidei; interiori autem infidelitati & apostasiæ blasphemia illa, quæ cum interna infidelitate coniuncta est. Vtrouis enim modo blasphemia infidelitatem adiunctam peculiari contemptu Dei aggrauat, vt speciatim videre est in damnatorum blasphemia, de qua S. Thomas quæst. 13. a. 4. Alioqui verum est, quod docet Gregorius de Valentia punct. 2. blasphemiam, vt præcise Religioni aduersatur, infidelitatis peccato ex suo genere minus esse. 140

Neque vero à mortali excusat materiæ leuitas, quacunque demum ratione Deo inferatur contumelia, vt recte docent Caietanus, & Valentia cit. a. 2. quia materia huius peccati semper grauis est. Excusat tamen, vt in alijs omnibus, inaduertentia iuxta S. Thomam a. 2. ad 3. ex communi. Vnde si quis inaduertenter hoc faciat, ita vt si aduerteret, non faceret, non peccat mortaliter, vt docet Sa V. *blasphemia*. Quod intelligo, nisi quis id faciat ex consuetudine plane voluntaria, quam is nullo modo conatur deponere; quia tunc manet sufficienter voluntaria in sua causa: perinde ac si quis ebrius committat homicidium, ipsa ebrietate intentum, vt dictũ tom. 2. disp. 2. dub. 7. Secus est, si loquamur de amente, aut qui ob somnum vel ebrietatem rationis compos non est; quando hoc crimen blasphemiæ scienter fieri postulat, vt dictum eod. tom. disp. 4. q. 3. dub. 3. & q. 9. dub. 1. 141

Quæritur quarto, quænam sint pœnæ blasphemiæ. Respondeo, blasphemiam omni iure grauissime puniri. In veteri lege Leuitici 24. v. 16. dicitur: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte mo-* 142

riatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. In authentica, *Vt non luxurientur homines*, Nouella 77. præcipit Imperator, vt blasphemi vltimis supplicijs afficiantur. *Propter talia enim delicta*, inquit, *& fames, & terræmotus, & pestes oboriuntur.* In constitutionibus quoq; Imperialibus politicis Caroli V. cap. 1. 2. & 3. statuitur, vt blasphemi (qui per antonomasiam tales sunt, vt ibidem declaratur) capite damnentur, vel puniantur membris aliquot abscissis, iuxta conditionem personæ. Cæteri vero, qui corpus, vulnera, mortem, passionem cruciatus, & Sacramenta Christi temere praueq; deierant, criminantur, & execrantur &c. denuntiati incarcerentur, vel seuere castigentur. &c. Similia habentur in constitutionibus Carolinis criminalibus n. 106. & in constitutionibus Bauaricis libro 6. parte 7. a. 7. vt taceam alia recentiora rescripta.

143 In iure vero canonico, capit. *Statuimus*, de maledicis, blasphemi, præter alia septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ pœnitentes stare iubentur. Extant etiam complures aliæ Pontificum hac de re grauissimæ sanctiones. Vt in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 6. capit. *Ad abolendam*, vbi speciatim etiam præcipitur, ne quis à blasphemia absoluatur, sine graui pœnitentia. Item constitutio Iulij III. quæ incipit. *In multis*, Constitutio Pij V. *Cum primum ad Apostolatus.* In quibus omnib⁹ hoc potissimum dolendum est, quod tam parum sint vsu receptę; & sic quotidie Magistratuũ negligentiâ, ob impunitatem scelerũ, crescat Numinis offensa, & peccandi licentia.

144 Nam licet, vt dictum, iure cum ciuili, tum canonico, grauissimæ pœnæ in blasphemos constitutæ sint, vix tamen vllæ vsu receptæ sunt, sicut nec illud Concilij Lateranensis, ne quis à blasphemia absoluatur, sine graui pœnitentia iuxta Azorium tom. 1. l. 9. c. 28. q. 6. cũ Armilla; etsi aliter Nauarrus manual. cap. 12. num. 83.

Neq; vero etiã opus est, vbi nulla subest vtilitas, seu spes fructus, increpare blasphemantẽ, vt contra Nauarrum ibidem docet Azor q. 7. cum Concilium Lateranense, quod obijcitur, aut nullũ hac in re nouum ius condiderit, aut certe non sit vsu receptum.

Neq; vero etiã iure cõmuni blasphemia, quamtumuis notoria, est Episcopo reseruata, vt recte post Syluestrũ, Angelum, Armillam V. blasphemia, & Nauarrum loc. cit. docet Azor q. 12. quicquid nonnulli dixerint; etsi forte in quibusdam prouincijs, aut Diœcesibus, specialibus constitutionibus Episcopo soleat reseruari.

145 Quæritur quinto, quid sit blasphemia in Spiritum Sanctum, cuius fit mentio Matthæi 12. Marci 3. Lucæ 12. Respondetur, in hac re non consentire Doctores. Nam I. Origenes libro 2. de pœnit. cap. 17. ait, blasphemiam hanc, esse quoduis peccatum, quod post susceptum baptismum committitur. Sed hęc sententia nec scripturæ, nec rationi conuenit.

Secundo Augustinus Enchiridio capit. 83. & serm. 11. de verbis Domini asserit, peccatum hoc esse impœnitentiam finalem. Sed hæc acceptio, etsi vera sit, est tamen nimis angusta, nec satis accommodata citatis scripturis.

Tertio igitur Scholastici communiter cum Magistro 2. distinctio. 43. & S. Thoma hic quæstione 14. articulo 1. communiter tradunt, id esse peccatum contra bonitatem diuinam, Spiritui Sancto peculiariter attribui consuetam, ex certa malitia commissum; qua quis contemptim aspernetur ea dona, quibus peculiariter homines à peccatis auocari, & ad virtutem impelli solent. Quæ sententia communiter etiam in Catechismis traditur; nec vllo modo reijcienda est. 146

Quamuis enim in scriptura expresse non habeatur, est tamen eidem conformis locis cit. vbi constat, secundum literam, huius peccati nomine aliud non significari, quam opera peculiari virtute Spiritus Sancti, humanæ salutis causa patrata, malitiose ac scienter in prauum sensum detorta calumniari; opponiturque id peccatum *blasphemiæ in Filium hominis*; qua nempe Pharisæi humanam Christi conuersationem calumniabantur, vocantes eum *potatorem vini*; vt docent Athanasius in proprio libello & in oratione 2. in Arianos, Hilarius in caput 12. Matthæi, Chrysostomus homil. 42. in Matthæum, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, Theophylactus, Beda, & alij Commentatores in caput 12. Matthæi, & satis ex textu colligitur. Hinc vero à simili ducta ratiocinatione, recte Scholastici omne etiam aliud peccatum, ex certa quadam, vt diximus, malitia commissum, eodem nomine appellandum censuerunt.

Quæritur sexto, quotuplex, & quale peccatum sit blasphemia in Spiritum Sanctum. Respõdetur ex eadem Scholasticorum doctrina loc. cit. sex species eius recenseri. I. est Desperatio, qua repudiatur spes. II. Præsumptio, qua Dei timor. III. Impugnatio agnitæ veritatis, qua vera fidei cognitio repellitur; quæq; in hæresiarchis plerunque reperitur. IV. Inuidentia fraternæ gratiæ, qua non raro etiam iuuamur ad pœnitentiam, & virtutis studium. V. Impœnitentia finalis, auertens mentem à consideratione turpitudinis peccati, adeoq; deliberate & ex proposito pœnitentiã respuens. VI. obstinatio in malo, quæ reiecta consideratione paruitatis & breuitatis boni creati illiciti, respuit cessationem à malo. 147

Quo fit, vt cum hac quidem ratione diuersissima peccatorum genera eo nomine comprehendantur, diuisio hæc peccati non sit essentialis, sed accidentalis, vt notarunt Caietanus & Valentia hic quæstione 14. etsi Bannes probabile putet, has species non secundum se quidem & absolute, sed quatenus prædictam rationem participant spectatas, veras species esse. Iuxta Augustini vero sententiam, nullum prorsus certum peccatum, sed quædam tantum generalis conditio omnium peccatorũ, quibuscum aliquis hinc decedit, significatur. Ex propria autem scripturæ phrasi locis cit. vnum tantum quoddam certum peccatum, videlicet certa quædam blasphemia denotatur, vt dictum. 148

Quæri-

149 Quæritur septimo, cur hoc peccatum dicatur irremissibile. Respondetur, iuxta S. Augustini quidem explicationem, irremissibile dici, quia ex hypothesi nunquam omnino remittitur, vt patet: iuxta communem vero Scholasticorum explicationem, & mentem Scripturæ, quia non ita facile, vt cætera peccata remittitur, iuxta Sanctum Thomam quæst. 14. art. 3. Quod etiam de impœnitentia finali intelligendum; quæ in hac sententia non significat conditionem peccati, cum quo aliquis decedit, sed deliberatum propositum nunquam pœnitendi, vt dictum, & declarat S. Thomas ibidem a. 2. Qui etiam art. 4. addit, eiusmodi peccatum in Spiritum Sanctum, iuxta scripturæ, & Scholasticorum explicationem, posse quidem absolute etiam post acceptam gratiam, ante omnia cætera committi, sed communiter non solere; idque multo minime à viris perfectis, qui iuxta Origenem lib. 1. periarch. *non simul euacuantur, sed paulatim & per partes decidunt.*

QVÆSTIO IX.

De modo publice ac priuatim agendi cum infidelibus speciatim de permissione libertatis credendi.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. & q. 11. a. 3.

AGit S. Thomas de varia cum infidelibus tractatione & communicatione mixtim; sed quia res hæc specialem difficultatem continet, seorsim à nobis tractabitur. Absoluetur autem quæstio hæc quinque dubitationibus. I. An, & qua ratione infideles communi iure compellendi sint ad fidem. II. Vtrum nihilominus infidelium ritus & errores aliquando sint tolerandi; ipsisq; infidelibus supra fideles dominium permittendum. III. An & qua ratione cum infidelibus de toleranda infidelitate, seu religionis libertate pacisci, eisque impunitatem & securitatem promittere liceat. IV. An eiusmodi pacta & promissa obligent, necessarioq; seruanda sint. V. An & qua ratione cum infidelibus etiam in priuato conuictu, tum cooperando ad aliquod opus infidelitatis, tum etiam disputando communicari possit. An vero & qua ratione infidelium filij baptizari possint, de qua re agit Sanctus Thomas quæst. 10. artic. 12. agendum est suo loco de baptismo tom. 4.

DVBIVM I.

An, & qua ratione infideles communi iure compellendi sint ad fidem.

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 8.

1 SAnctus Thomas hac de re lo. cit. tres cõclusiones veras & cõmuniter receptas statuit. Conclusio I. Infideles, qui nunquã fidem susceperunt, nullo modo sunt compellendi ad fidem, etiamsi alioqui Principibus Christianis tẽporaliter subiecti sint. Ita habet cõmunis Doctorũ sententia, quã tuentur Caietanus, Bañes, Arragonius cit. q. 10. a. 8. Gregorius de Valentia q. 10. pun. 6. itẽ Richardus in 4. dist. 6. a. 3. q. 3. Paludanus dist. 4. q. 4. a. 3. Durãdus dist. 4. q. 6. Sotus dist. 5. q. vn. a. 10. Maior in 2. dist. 44. q. 3. & 4. Victoria relect. de Indis, Syluester verbo *Baptismus* 4. q. 5. Couarruuias in regulã *Peccatum* p. 2. §. 10. etsi quoad infideles Christianis Principibus subiectos, oppositum sentiant Scotꝰ in 4. dist. 4 q. vlt. Gabriel q vlt. a. 3. Alphonsus à Castro lib. 2. de hæretic. punit. cap. 14. & alij quidam apud Syluestrum loc. cit.

2 Probatur conclusio primo ex scriptura, quæ prædicatione solum ac persuasione, non autem violentis modis ac medijs fidem inter gentes propagandam præscribit. Matthæi 10. Lucæ 10. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum: in quamcunq; domum intraueritis, dicite, pax huic domui, &c. Si non receperint, puluerem excutite de pedibus vestris.* Vindicta autem Deo reseruatur ibidem. *Quia tolerabilius erit Sodomæ*, &c. Item Lucæ 9. v. 55. cum dixissent Apostoli aduersus incredulos, *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? conuersus Dominus increpauit illos dicens: Nescitis, cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* In quem sensum etiam Matthæi 12. v. v. 19. & Isaiæ 42. v. 1. de Christo dicitur: *Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quassatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium, &c.*

Item huc spectat illud Matthæi 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes.* Et Marci 16. v. 15. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quod

etiam

etiam Apostoli reipsa præstiterunt, nunquam violentis medijs aduersus Gentiles in Euangelio disseminando vsi, vt ex Apostolorum Actis, & Epistolis patet. Deniq; huc spectat illud Apostoli 1. Cor. 5. v. 12. *Quid mihi de his, qui foris sunt iudicare?* An vero punire posset, quos iudicare non audet?

3 Secundo probatur conclusio vsu & auctoritate Ecclesiæ, ac Sanctorum. Non enim tantum Ecclesia vsa nunquam est hoc modo propagandi Euangelium; cum tamen in Constantino, Theodosio, Valentiniano, Arcadio, Carolo Magno, alijsq; Christianis Imperatoribus, facultas & occasio non defuisset; sed etiam sæpius improbauit, vt videre est capitulo, *De Iudæis*, ex Concilio Toletano IV. & capitulo *Qui sincera* dist. 45. & capitulo, *Maiores*, Extra de baptismo, & Capitulo, *Sicut Iudæi*, de Iudæis & Saracenis. Idem constat ex Ambrosio lib. 7. in Lucam, Gregorio libro 1. registri Epist. 34. & libro 2. epist. 91. Augustino serm. 6. de verbis Domini & lib. 2. contra literas Petiliani c. 85. & habetur causa 23. q. 5. canone, *Ad fidem.*

4 Tertio probatur ratione I. Fides suscipi debet voluntarie, & quidem interueniente pia affectione voluntatis, à Spiritu Sancto excitata, vt superius suo loco dictum: Ergo consentaneum nō est, ad eam cogi vi & minis eum, qui eam prius nunquam suscepit. II. Fides est supernaturale donum: ergo solo iure naturæ ad eam nemo cogi potest: nec vero etiam peculiare ius ad eam rem accepit Ecclesia à Christo, vt ex dictis patet. Ergo. &c. III. Si talis potestas Ecclesiæ concessa esset, tum ea inprimis resideret in Pontifice, vtpote ad spirituale bonum Ecclesiæ per se ordinata: sed hanc potestatem ipse sibi nunquam vindicauit, sicut nec Apostoli, vt ex dictis colligitur. IV. Ex tali coactione sequuntur grauissima incommoda; puta sacrilegia inūmera apud compulsos, odium & blasphemia aduersus fidem, apud cæteros; infinita quoque bellorum confusio, non absque ingenti Ecclesiæ ac totius orbis perturbatione; demum inde Religionis Christianæ credibilitas, bonus odor, dignitas, & maiestas prorsus labefactatur. Licet ergo aliunde nonnunquam commoda quædam Ecclesiæ ex hac coactione sequi potuissent, absolute tamen loquendo, conueniens non erat, vt Christus Ecclesiæ hanc potestatem concederet. Quo posito, sane ea omnia incommoda tanquam indirecte voluntaria, imputabūtur ijs, qui absq; iure hanc sibi potestatem arrogauerint.

5 Cæterum à contrariæ sententiæ auctoribus obijcitur primo illud Lucę 14. *Exi in vias & sepes, & compelle intrare.* Respondetur, hoc aut intelligendum solū de vi, quā ipsæ ratiōes fidei, nō armorū strepitus inferant, iuxta S. Thomam q. 22. de veritate a. 9. aut de hæreticis tantum & Schismaticis, in quos Ecclesia potestatē habet, vt inferius dicetur, iuxta Augustinū epist. 50. vt ita scilicet primo vocati intelligantur fideles; deinde per cæcos & claudos, ex vicis & plateis introductos, infideles, qui fidem nunquam susceperunt, tertio per vim compulsi intelligantur hæretici & apostatæ.

Secundo obijcitur. Infideles, Principibus Christianis subiecti, possunt compelli ad seruandā legem naturalem, vt dubio sequenti dicetur: at hi, quibus fides sufficienter proposita est, ipsa lege naturali tenentur credere; cum naturali lumine euidens sit, obiectum fidei iuxta rectam rationem esse credibile & credendū: Ergo. &c. Respondetur maiorem esse veram, si quod præceptum mere naturale sit, ita vt secluſa omni supernaturali reuelatione obliget, adeoq; sit de obiecto naturali, ob finem naturalem; quale non est hoc præceptum fidei. 6

Tertio obijcitur. Canone *De Iudæis*, dist. 45. laudatur Sisebutus Rex, qui Iudæos compulit ad suscipiendū baptismum. Et ab omnibus cōmendatur factum Ferdinandi Hispaniarum Regis, qui ante centum circiter annos compulit Iudæos & Mauros excedere ex Hispania nisi cōuerterentur. Item Romæ Iudæi coguntur audire doctrinam Christianam per constitutionē quandā Gregorij XIII. quæ incipit. *S. Mater Ecclesia*, & antiquiorem Nicolai III. apud Azorium tom. 1. lib. 8. cap. 24. 7

Respondetur, Sisebuti zelū illic laudari, factum improbari. Ferdinandus cum ob alias causas ne videlicet regnū & Religio ab infidelibus vlterius perturbaretur, iure potuisset eiusmodi infideles ex suo regno eliminare, potuit itidē ex clementia facere potestatē manendi illis, qui Christianam Religionem acceptassent. Quare non aliqua violentia illos ad fidē adegit, sed potius gratiæ & benignitatis pollicitatione ad fidē allexit: in quo tamen nihilomin⁹ Ecclesiæ ministris strenuè elaborandum erat, ne qui fictè hoc facerent. Ita etiam Ecclesia Romana tributū aliunde iuste impositū, quod venientibus ad Christianā doctrinā Iudæis liberaliter remittit, à non venientibus iure exigit. 8

Quod etiam pro vniuersali regula seruandum est, vt quoties infideles seu pœnæ, seu alterius oneris exactione aliunde iure grauari potuissent, tum ijdem eiusdem pœnæ seu oneris condonatione, ad Christianam Religionem allici & prouocari iure possint; quando hoc non est, eos violenter ad fidem cogere, sed potius benignitate pellicere, vt exemplo Iustiniani Imperatoris, teste Paulo Diacono in eius vita, ex communi docent Gregorius de Valentia hic q. 10. punct. 6. & Azor loc. cit. q. 4. 9

Ex quibus etiam soluuntur duo alia quæsita. Primum, an licitum sit, Christianis Principibus eiusmodi infideles à sua ditione expellere, siue absolute, siue sub conditione, si non conuertantur. Respondetur, etsi præcise titulo infidelitatis infideles eiusmodi, maximè Iudæi, non possint à ditionibus Principum Christianorum expelli, vt ex citatis canonibus colligitur; tamen si, vt communiter accidit, regnum aut religionē perturbent, nec absq; fidei contumelia Christianis cohabitent, tunc non modo repelli ingressum postulantes poterunt, sed etiam admissi excludi. In quem modum iam olim à Bauaria excluduntur Iudæi, & in Concilio Toletano VI. cap. 3. decretum fuit vt Reges Hispaniarū non nisi Catholicis in eo regno viuendi licentiā concedant. Huc spectat etiam, quod Hispaniarū Rex Philippus III. ex

Hispanijs

Hiſpanijs eiecit ſicut Maurorum & Iudæorũ reliquias qui etſi fidem Chriſti ore tenus profeſſi, non ſine creatoris & fidei contumelia tamen inter Chriſtianos degebant.

10 Alterum quæſitum eſt; an liceat ſaltem eiuſmodi infideles compellere ad prædicationem Euangelij audiendam. Reſpondetur, cum hoc ſit aliquid per ſe ordinatum ad fidem, probabilius videri, non licere proprie ad hoc cogere; inuitare tamen promiſſione alicuius gratiæ omnino licet. Atque ita docet Gregorius de Valentia loc. cit. etſi Bannes quæſt. 10. art. 8. & Azor cit. q. 3. alijque nonnulli abſolute exiſtiment, ad audiendam doctrinam Euangelij cogi poſſe ſubditos Chriſtianis Principibus; quæ ſententia non eſt improbabilis: cum alioqui, iure naturæ, viros eiuſmodi fide dignos de rebus ad ſalutem pertinentibus diſſerentes audire Ethnici teneantur.

11 Concluſio II. Tales infideles tamen, ſeu Principibus Chriſtianis alioqui ſubiecti, ſeu non ſubiecti, compellendi ſunt, ſi facultas adſit, vt fidem non impediant, vel blaſphemijs, vel malis perſuaſionibus, vel etiam apertis perſecutionibus. Ita cũ S. Thoma cit. quæſt. 10. art. 8. ſentiunt omnes Doctores. Ratio eſt; non ſolum quia cuique iure naturæ licet iniuſtam vim vi repellere; ſed etiam quia Eccleſia ius habet, imo tenetur, quoad poteſt; omnibus impedimentis ſublatis, fidem quam longiſſime propagare; vt patet ex citat. Matthæi 28. *Docete omnes Gentes.* Et quia ex capitulo, *Præterea*, de officio Iudicis delegati, concedens aliquid, cenſetur omnia concedere, ſine quibus poteſtas conceſſa exerceri nequit, poterit etiam Eccleſia ea facere, quæ ad eundem finem ſunt neceſſaria.

12 Ex quo colligitur, infideles quoſlibet cogi poſſe, non ſolum vt Prædicatores fidei nullis iniurijs laceſſant, ſed etiam vt eos in ſuis terris admittant, & à ſuo munere non impediant; ſi modo ſint aliqui, qui Euangelicam prædicationem velint audire. Imo licet de nullo particulatim conſtaret, adhuc tamen probabiliſſimum eſt, poſſe infideles eiuſmodi per ſe loquendo, cogi ad Prædicatores fidei, alioſque Chriſtianos pacifice victuros, nullamque iuſti timoris cauſam infidelibus præbentes, admittendos. Tum quia valde probabile, & moraliter certum eſt, in tanta multitudine non defuturos, qui aures præbere Euangelicæ prædicationi velint. Tum quia Chriſtiani duplici iure gaudent, eiuſmodi terras adeundi; communi videlicet iure Gentium, vt abſque iniuria cuiuſquam in quibuſuis terris negotientur, & peculiari iure propagandi & prædicandi vbique Euangelium. Atque ita docent etiam Caietanus, Couarruuias, Valentia, Bannes, Arragonius locis cit. & Azor q. 7.

13 Concluſio III. Alij infideles, qui quandoq; fidem ſuſceperunt, vt ſunt hæretici & apoſtatæ omnes, etiam pœnis corporis ac mortis per ſe loquendo & communi iure, ob deſertam fidem puniri, & ad eam recipiendam compelli poſſunt. Ita hodie ſentiunt omnes Doctores, & in ſpecie de hæreticis docet S. Thomas q. 11. a. 3. Ratio eſt. Quia infideles iſti per omnia ſubſunt Eccleſiæ iurisdictioni: Ergo non minus, quam ad cætera debita virtutis officia cogi, vel ob alia ſcelera puniri poſſunt. Et quidem ſpeciatim de pœnis ſpiritualibus, patet ex ſcripturâ Matthæi 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*; hoc eſt, eijciatur per excomunicationem à communione fidelium. Et Gal. 5. v. 12. *Vtinam & abſcindantur* (à fidelium comunione) *qui vos conturbant.* Et 1. Timoth. 1. v. 20. *Quos*) hæreticos per excommunicationem) *tradidi Satanæ, vt diſcant non blaſphemare.* Plura dub. 8.

De pœnis corporalibus, ac præſertim de ſupplicio mortis, contrarium olim docuerunt Donatiſtæ teſte Auguſtino epiſt 50. ad Bonifacium, & Huſſius a. 18. damnato in Concilio Conſtantienſi ſect. 15. & noſtro tempore Lutherus a. 33. ex damnatis à Leone X. & in aſſertione eiuſdem articuli, quos ita ſequuntur huius temporis Sectarij, vt tamen cum opportunum cenſent, ſaltem ipſo facto oppoſitam ſententiam libenter ſequantur, præterquam quod verbis etiam apertis eam tradiderunt Beza lib. de hæreticis à ciuili Magiſtratu puniendis, Melanchthon in locis communibus Manlij cap. de Eccleſia, & ſpeciatim aduerſus Catholicæ Eccleſiæ Præſules, Lutherus epit. reſponſ. ad Sylueſtrum in fine, tom. 1. Wittenb. latino fol. 195. & lib. aduerſus Papatum tom. 8. Ienenſi germanico fol. 245. & lib. aduerſus falſo nominatum ordinem Eccleſiaſticum tom. 2. latino Wittenbergenſi. 14

Probatur vero hæc doctrina Catholica, ex ſcriptura Exodi 22. v. 18. *Maleficos non patieris viuere.* Et v. 20. *Qui immolat Dijs, occidetur, præterquam Domino ſoli.* Deuteronomij 13. v. 5. *Propheta autem ille* (falſus & ſeductorius) *aut fictor ſomniorum interficietur; quia loquutus eſt, vt vos auerteret à Domino Deo veſtro.* Et v. 6. *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, aut filius tuus &c. eamus & ſeruiamus Dijs alienis, quos ignoras tu, & Patres tui &c. lapidibus obrutus necabitur; quia voluit te abſtrahere à Domino Deo tuo.* Et v. 12. *Si audieris in vna vrbium tuarum &c. Egreſſi ſunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis ſuæ, atque dixerunt: eamus & ſeruiamus Dijs alienis, quos ignoratis, quære ſolicite & diligenter, rei veritate perſpecta, ſi inueneris certum eſſe, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, ſtatim percuties habitores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam.* Item Deuteronomij 17. v. 2. *Cum reperti fuerint apud te, &c. vir aut mulier, qui faciant malum in conſpectu Domini Dei tui & tranſgrediantur pactum illius, vt vadant & ſeruiant Dijs alienis &c. educes virum ac mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt ad portas ciuitatis tuæ, & lapidibus obruentur.* 15

Exempla particularia habemus, Moyſen Exod. 32. v. 28. qui peccatum Idololatriæ circa vitulũ in eremo erectum adeo grauiter vindicandum in Iſraelitico populo decreuit, vt adiunctis ſibi leuitis, velut Iuſtitiæ publicæ adminiſtris, vindice gladio per caſtra Iſraelitarum graſſatus, vna die viginti tria millia hominum neci dederit. Et rurſum alio loco Num. 15. v. 35. eum qui contra religionem Iſraelitis præſcriptam die ſabbati 16

ligna

ligna collegerat, morte multandum præcepit. Et paulo post in schismate Core authores sceleris agente Moyse grauissimas igne luerunt pœnas.

Habemus etiam Iosue, quo imperante, cum ad Israelitas relatum fuisset, filios Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manasse, altare in terra Chanaan *super Iordanis tumulos, contra filios Israel* erexisse, Iosue 22. vers. 12. quasi eo loco contra leges Religionis à Deo præscriptæ sacrificium oblaturos; *conuenerunt omnes* (Israelitæ) *in Silo vt ascenderent & dimicarent contra eos*: Eratque procul dubio iam in excidium illorum conclamatum, nisi missa prius legatione didicissent, altare illud non sacrificij, sed monimenti & documenti solũ causa fuisse erectum, quo docere illi posteros possent, etiam sibi, quamuis alioquin à cæteris Israelitis Iordane separatis, ius esse ad cultum Dei, & sacrificia cum cęteris Israelitis loco diuinitus destinato peragenda. Habemus denique Deum ipsum, qui cum Israeliticus populus à filiabus Moab seductus, sacrificijs profanis se polluisset, iratus his ipsis verbis Moysi præcepit: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.* Num. 25. v. 4. Quæ tametsi directe ad apostasiam idololatricam pertineant, suo tamen modo, ac seruata proportione, cuiuis apostasiæ à fide vera recte applicantur.

17 Generatim vero contra quoslibet apostatas seu hæreticos, schismaticos, & aduersus Ecclesiæ caput contumaces, Deuter. capite 17. v. 12 dicitur: *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel; cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* Et fere etiam Deut. 18. v. 20. *Propheta autem, qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.*

18 His consonant scripta noui testamenti Actorum 5 v. 5. & 10. Ananias & Saphira ob agri pretium sacrilege defraudatum, ad Petri verbum ac sententiam, morte repentina intereunt. Act. 13. v. 11. Elymas magus & seductor, Pauli sententiâ cęcitate percutitur. Et generale est illud Rom. 13. v. 4. *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*

19 Secundo probatur eadẽ doctrina ex SS. Patribus, & diuturna praxi Ecclesiæ. Certe Augustinus, licet olim in ea fuerit opinione, non esse hæreticos pœnis corporis ad fidẽ cogendos, postea tamen id prolixe approbat, vt videre est Epist. 48. & 50. & l. 2. retract. c. 5. quamuis excipiat supplicium mortis; non quod hæreticos id promereri non putaret vt inferius dicetur; sed quia id decere existimabat Ecclesiæ manſuetudinem eo tempore, quo necdum vlla exstabat lex Imperatorum, qua hæretici iuberentur occidi; quandoquidẽ etiam illa Valentiniani & Martiani Imperatorum lex 8. *Quicunque* Cod. de hæreticis, vbi statuitur vt *vltimo supplicio coerceantur, qui illicita docere tentauerint*, non nisi paulo post obitum Augustini constituta est. Ita etiam lege 5. Cod. de hæreticis, ab Imperatoribus Theodosio & Valentiniano non solum varij omnis generis hæretici ex Romano proscribuntur Imperio, sed simul etiam in Manichæos vltimum supplicium decernitur. De qua re, vti & de mente Augustini, videri etiam potest Baronius Anno Christi 398. 405. 414.

Tertio accedit ratio S. Thomæ infra q. 11. ã. 3. 20
Quia multo grauius est corrumpere fidem, *per quam subsistit animæ vita*, quam falsare pecuniam, *qua corporali vitæ subuenitur.* Si ergo falsarij pecuniæ mortem merentur, multo magis hæretici. Idẽ probatur ratione deductâ ex scriptura, quæ hæreticos lupis, furibus, & latronibus; hæresin autem cancri morbo cõparat, vix nisi ferro medicabili, Matthęi 7. & 10. Ioañis 10. v. 8. 2. Tim. 2. v. 17.

Huc spectant rationes quibus vtitur Augustinus, ad eandẽ rem persuadendã epist. 50. ad Bonifacium, vbi inter alia: *Quid ergo*, inquit, *agit fraterna dilectio? an dum paucis* (Donatistarum hæreticorum) *transitorios ignes metuit caminorum*, (quibus scilicet seipsos nonnunquam perimebant) *dimittet omnes ignibus æternis gehennarum?* Et tract. 10. in Euangelium Ioannis; *Mirantur quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergo mouerentur? Et quõ modo redderent rationem de Imperio suo Deo? Intendat charitas vestra, quid dicam. Quia pertinet hoc ad Reges sæculi Christianos, vt temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam vnde spiritualiter nati sunt.* Et infra: 21
Nam videte qualia faciunt, & qualia patiuntur: occidunt animas; affliguntur in corpore: sempiternas mortes faciunt; & temporales se perpeti conqueruntur.

Et l. 1. contra epistolam Parmeniani c. 10. *Quid istis videtur, vt crimen idololatriæ puteũt iuste ab Imperatoribus vindicari; aut si nec hoc volunt, cur in veneficos rigorem legum exerceri iuste fatentur; in hæreticos autem atque schismaticos impia dissensione nolunt fateri; cum in ijsdem iniquitatis fructibus auctoritate Apostolica numerentur? An forte nec talia potestates illæ humanæ constitutionis permittuntur curare? propter quid ergo gladium portat; qui dictus est minister Dei, vindex in iram eis, qui male agunt?* Ex quibus patet, Augustini sententia, in hæreticos absque iniuria etiam capitis supplicium statui posse.

Cum autem conclusio hæc sine dubitatione, 22
procedat de omnibus illis infidelibus, qui actuali baptismi susceptione, fidem aliquando professi sunt, idque per se loquendo, & seclusis peculiaribus pactis, de quibus dub. 6. alijsque incommodis, quibus per accidens id illicitum esse potest, vt dicetur dub. 5. dubium est tamen, an illi solum infideles, qui reali susceptione baptismi, an vero quicunque etiam alijs modis fidem professi fuerunt, ad fidem fideique professionem cõpelli possint. Atque vt res magis in specie declaretur, primus casus est de aliquo, qui absque intentione debita, inualidẽ baptizatus est, aut alia Sacramenta frequentauit. II. De Trinitario v. g. qui in nomine Patris maioris, &c. ob defectum formæ inualide baptizatus est. III. De adulto qui ex parentibus Christianis natus, per incuriam, aut alio quouis casu necdum baptizatus est. IV. De filio Anabaptistæ, qui cum sit adultus,

adhuc tamen iuxta morem sectæ baptizatus non est. V. De catechumeno, aut, qui se fidem acceptaturum promisit.

23 In hac re supponendum est, Ecclesiam esse Rempublicam perfectam, quæ non modo iure inculpatæ defensionis, quasuis iniurias repellere, sed etiam iure vindicatiuę iustitiæ, competente animaduersione vindicare possit, adeoq; tam corporali, quam spirituali vi illata ad officium compellere eos, qui vel absolute, vel certe ratione iniuriæ eidem subiecti sunt.

24 Quo posito, ad primum casum propositum respondetur distinguendo. Nam si quis nulla vi iniuste compulsus sponte baptismum susceperit, non minus cogi potest ad fidem, quam si valide baptizatus fuisset: tum quia ei, propriam turpitudinem alleganti, nunquam credetur in foro externo, defuisse intentionem: tum quia ob hoc ipsum puniri potest, quod sacrilege & irrisorie Sacramentum susceperit, grauem iniuriam Ecclesiæ intulit. Quod si ad baptismum iniuste compulsus fuit, non poterit ad fidem cogi nisi aliquibus signis ostenderit, se ex animo baptizatum fuisse, ita vt iure præsumi debeat, vere & valide baptizatum fuisse. Habetur ex Innocentio III. capit. *Maiores*, de baptismo, & concilio Toletano, canone *De Iudæis*, dist. 45.

Pari ratione si quis nullo metu iniusto coactus, multo tempore alia Sacramenta tanquam Christianus susceperit, etiamsi nunquam vel in speciem quidem baptizatus fuerit, adhuc tanquã ratione iniuriæ Ecclesiæ subiectus, sub pœna mortis cogi poterit ad fidem, vt recte docet Henriquez l. 2. de baptismo c. 25. n. 6. post alios; & in simili de inualide ordinato tradunt Ostiensis, & Panormitanus apud eundẽ: quia reuera sufficienter alijs modis fidẽ professus est. Secus foret, si quis fidẽ non aliter vnquam, quã verbis, idque citra aliã fraudem, aut iniuriam, professus esset; hic enim tanta violentia compelli non posset, vt inferius dicetur.

25 Ad secundum casum propositum Respondetur; Etsi non desint, qui absolute negent, talem, siue adultus, siue infans ita baptizatus sit, posse ad fidem cogi, eo quod Ecclesiæ non subsit, nec ei proprie iniuriam fecerit, neque etiam, vt particulatim docet Castro l. 1. de hæret. punit. c. 8. contra Ockamum, hæreticus dici possit: mihi tamen nihilominus distinguendum videtur: Si enim infans ita baptizat9 sit, nec adultus postea alijs modis veram fidẽ professus fuerit, tunc ob rationes dictas, crediderim, cogi nõ posse. Si autem adultus ita baptizatus sit, putarim posse aliquo modo cogi, tum ratione iniuriæ Sacramento illatæ; tum quia fidem Christianam, eiusq; symbolum professus, quantum in se est, Ecclesiæ se subiecit.

26 Ad tertium casum Respondetur, posse quidem à parentibus, alioquin etiã ab Episcopo, & Principe Christiano, precibus & præcepto, & forte etiam quibusdam leuioribus minis & pœnis induci, ad baptismum suspiciendum, si præsertim fidem aliquando verbis saltẽ professus sit: sed grauimetu mortis non expedit, & non solet, imo nec potest cogere Ecclesia, vt docet Henriquez cit. c. 25. n. 5. post alios; quidquid Sotus in 4. dist. 5. a. 9. in fine putet, eum pœna cogendum esse ad baptismum. Quamuis enim ratione parentum & originis aliquomodo ad Ecclesiasticam iurisdictionem spectet, ita videlicet vt quantum parenti in filios, tantum etiam Ecclesiæ ratione parentum in hunc liceat; immediate tamen & per se Ecclesiæ subiectus non est, nec absolute, vtpote necdum baptizatus, nec ratione iniuriæ, quam ei nullam intulit: cum præsertim filius adultus, quoad ea, quæ fidem & salutem concernunt, sit sui iuris; ita vt si non absque omni peccato inobedientiæ, tamen citra cuiusquam iniuriam, de se in hoc genere statuere libere possit. Potest quidem igitur talis auctoritate Patris, sed non iudicis potestate ad fidem cogi.

Ad quartum casum eodem modo Respondetur, posse quidem, si parens vere baptizatus sit, 27
patria potestate aliquo modo ad baptismum & fidẽ induci; sed iudicis potestate sub pœna mortis cogi non posse; cum necdum sit Ecclesiæ, seu absolute, seu ratione iniuriæ subiectus: nisi forte hanc iniuriam voces, quod homo non Christianus furto sublatum ab Ecclesia Christiani titulum gerat; quæ tamen adeo grauis non est, vt morte plecti posse videatur. Quod si nec parentes quidem per baptismum Ecclesiæ subiecti sint, tunc non est, vnde aliqua vis ei inferatur, nisi ratione solius professionis Christianæ, quæ solo verbo citra grauem Ecclesiæ iniuriam fieri consueuit, vt dictum.

Ad quintum casum Alphonsus à Castro lib. 28
1. de iusta hæretic. punit. cap. 8. simpliciter docet, Catechumenos cogi posse & puniri ab Ecclesia tanquam hæreticos, si deficiant, quamuis non tam acriter. Sed cum reuera tales absolute Ecclesiæ subiecti non sint, nisi ratione iniuriæ, quã nonnunquam promissionem Ecclesiæ datam violant, quæ tamen per se adeo magna censenda non videtur, putarim quidem præcepto, & leuibus etiam quibusdam minis, non autem metu mortis seu grauium eiusmodi pœnarum cogi posse; nisi forte per fallacem eiusmodi promissionem dolose magnam à fidelibus pecuniæ vim elicuerint, vt de Catechumenis, qui olim sponsione & voto se obstringebant ad fidem Catholicam susciendam, docet Henriquez lib. 2. cap. 25. de baptismo num. 6. Quod si quis Catechumenus nulla adhuc sponsione Ecclesiæ se obstrinxisset, tunc mitius adhuc cum eo agendum esset.

Cæterum hæc, quæ hactenus diximus, procedunt per se loquendo. Nam si alius peculiaris ti- 29
tulus interueniat, qno quis Ecclesiæ subiectus videatur, vt si quis v. g. alios fideles ad suos errores traducere nitatur, ille suis proprijs momentis expendendus erit. Quin etiam quod diximus de compellendis ad fidem ijs, qui non nisi ratione iniuriæ seu delicti Ecclesiæ subijciuntur, intelligendum est de coactione ad fidem qualicunque, seu propria scilicet & directa, seu impropria & indirecta, prout generatim significat vim seu metum illatum ad eum finem, vt fides recipiatur, etiamsi illa vis vel

metus

metus non solo & nudo titulo infidelitatis inferatur, sed ob illlatam iniuriam, iuxta dicta circa primam conclusionem.

DVBIVM II.

Vtrum nihilominus Infidelium ritus, & errores aliquando sint tolerandi; ipsisque infidelibus supra fideles dominium permittendum.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 10. & 11.

30 TRipartita est hæc de tolerandis ritibus vel erroribus prauis infidelium dubitatio. Primo enim quæritur, an & qua ratione superstitiosi ritus hæreticorum, seu aliorum infidelium, qui Ecclesiæ temporaliter subijciuntur, licite aliquando tolerari possint. Respondetur cum S. Thoma hic q. 10. a. 11. sequentibus assertionibus.

ASSERTIO I. Praui ritus moresque infideliũ licite ab Ecclesia tolerantur duabus de causis; nimirum vel ob vitanda maiora mala, vel ne impediatur maius bonum. Ita S. Thomas hic cit. q. 10. a. 11. cui Theologi omnes consentiunt. Probatur ex dicto Christi Matthæi 13. vers. 28. vbi interrogantibus seruis, de zizanijs superseminatis; *Vis imus & colligimus ea?* Respondet Paterfamilias: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsq; ad messem.* Ratio est, quia hæc est communis &
31 adæquata causa omnis iustæ permissionis malorum, vt generatim docuimus tom. 2. disp. 5. q. 1. dub. 3. quando etiam Deus ob easdem causas mala permittit. Neque enim leges & labor Principis in procuratione Reipublicæ pugnare aduersus eiusdem Reipublicæ commodum debent, sed huic potius deseruire. Quocirca etiam olim Christiani Imperatores, quando magna erat infidelium multitudo, eorum ritus superstitiosos ob perturbationem Reipublicæ vitandam, aut ne quod impedimentum salutis obijceretur ijs, qui non raro conuertebantur, ad tempus permiserunt. Quibus etiam de causis non solum possunt, sed etiam nonnunquam debent eiusmodi mala tolerari.

32 ASSERTIO II. Sed & Iudæorum ritus hac peculiari ratione rite permittuntur, quod tanquam figuræ quædam & vmbræ confirmant veritatem fidei nostræ. Patet ex canon. *Qui sincera.* dist. 49. Accedit, quod Iudæi testimonium perhibendo libris sacris contra paganos, non parum Ecclesiæ prosunt, vt notauit Augustinus lib. 18. de ciuitat. cap. 46. Ex quibus etiam colligitur, qua ratione Iudæorum libri tolerandi sint. Qui enim simpliciter expositionem veteris testamenti tradunt, permittendi sunt, vtpote non minus vtiles Ecclesiæ, quam Iudæorum ritus, vt recte Caietanus, Bannes, Arragonius, Valentia loc. cit. Alij verò, qui impiam doctrinam, aut contumelias in Christum seu fidem nostram continent, quales sunt libri Thalmudici, Cabalistici, &c. omnino flammis tradendi sunt, vt iam olim statutum à Gregorio IX. Innocentio IV. Iulio III. Paulo IV. & recens à Clemente VIII. vt videre est initio indicis librorum prohibitorum; quidquid Reüchlinius seu Capnio, & Galatinus, eiusmodi libros Thalmudicos retinendos & explicandos dixerint. De qua re plura Sixtus Senensis Biblioth. lib. 2. verbo *Traditiones.*

ASSERTIO III. Extrà prædictos casus, non 33
sunt permittendi ritus superstitiosi seu impij infidelium, qui Ecclesiæ temporaliter subijciuntur. Ita Sanctus Thomas ibidem, ex communi omnium. Probatur; quia nulla potest alia ratio esse, mala in subditis tolerandi, quam alterutra ex supradictis. Exempla & decreta hac de re habentur in Concilio Carthaginensi V. Canone 15. in Elibertino cap. 44. & in Clementina vnica, de Iudæis & Saracenis. Et lege *Nemo*, Cod. de Paganis, quorum templa & sacrificia aboleri iussit Constantinus, idcirco laudatus ab Ambrosio Epist. 30. & ab Augustino Epist. 48. 50. & 204. Idque reipsa etiam executioni mandarunt, idem Constantinus apud Nicephorum lib. 8. cap. 33. Iouinianus apud eundem lib. 10. cap. 39. Theodosius lib. 12. cap. 25.

Vbi tamen notandum, discrimen esse inter a- 34
postatas Ecclesiæ subiectos, & inter alios tantum temporaliter illi subditos. Illos enim cogere potest Ecclesia, vt dimissis omnibus ritibus Catholicæ doctrinæ oppositis, cum Ecclesia vndequaq; se conforment vt dictum dub. præcedenti: alios autem cogere non potest, nisi vt idololatricos, aliosque superstitiosos ritus, ipsimet naturali rationi repugnantes, vt & cætera peccata contra legem naturæ deuitent.

Atque ex hac doctrina, circa præsentẽ Eccleſię 35
statum, iudicandum est, an & qua ratione libertas Religionis intra certos & præscriptos terminos, aliquando permittenda sit. Certum enim & indubitatum est apud omnes Catholicos, licite non permitti à principibus Christianis, nisi vel ob maius malum vitandum, vel ob maius bonũ procurandum. Quod præter dicta superius, probatur primo ex scriptura, tam noui, quam veteris testamenti, quæ diligentissime cauet, ne vllus falsus aut superstitiosus cultus impune toleretur, neue cum hæreticis promiscue communicetur, vt dictum dubio præcedenti. Certe Ezechias Rex Iuda ob reformatũ ac restitutum veræ Religionis statum, suma laude in scriptura celebratur, magnaque ideo felicitate à Deo donatus scribitur, 4. Regum 18. v. 3. Ita etiam ob verum Dei cultum defensum, ac vbi dilapsus fuerat restitutum, laudatur Dauid, Iosaphat, Iosias; sicut alij ob neglectũ culpantur & vituperantur. De qua re breuiter Augustinus epist. 50. ad Bonifacium: *Temporibus*, inquit, *Prophetarum omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec auerterunt, quæ contra præcepta Dei fuerunt instituta culpantur. Et qui prohibuerunt & euerterunt super aliorum merita laudantur.* Plura dubio sequenti.

Quæritur secundo, an possit Ecclesia per se, aut 36
per Principes Christianos compellere infideles

Christianis temporaliter non subiectos, saltem ad legē naturæ seruandā, adeoque etiam ob peccata naturali legi aduersantia debellare, suoq; dominio spoliatos sibi subijcere. Affirmatiuam sententiam tradunt Ostiensis in cap. *Quod super his*, Extra de voto, Panormitanus ibidem, Aluarus Pelagius de plāctu Ecclesiæ lib. 1. a. 37. Maior in 2. disp. 44. q. 3. Genesius Sepulueda: idq; saltem auctoritate Papæ, vel Imperatoris, licite fieri posse, consentiūt Antoninus 3. par. tit. 22. c. 5. §. 8. Syluester Verbo *Papa* q. 7. Castro l. 2. de iusta hæret. punit. c. 14.

37 Sed dicendum est, hoc non licere; nisi eiusmodi infideles, aut in Ecclesiam fideique prædicatores, vel etiam in alios innocentes iniuriosi sint, ita vt vel fidei prædicationem seu propagationem impediant, vel terras Christianorum occupent, alijsue iniurijs eos lacessant, vel generi humano per manifestam iniuriam pernitiosi sint, vt sunt Anthropophagi, & qui homines innocentes Dijs sacrificant. Ita Caietanus q. 66. a. 8. Gregorius de Valentia quæst. 10. punct. 7. Bannes q. 10. a. 10. Arragonius a. 8. Victoria relect. de Indis part. 1. Couarruuias in regul. *Peccatum*, part. 2. §. 4. Sotus in 4. dist. 5. q. 1. art. 10. Iosephus Acosta de procuranda Indorum salute lib. 2. cap. 6. Molina de iustitia disp. 106.

Ratio est. Quia extra dictos casus nullus suppetit titulus eos debellandi. Non enim adest titulus iustitiæ vindicatiuæ, vtpote qui non nisi superiori in subditos, nempe aut per se, aut ratione iniuriæ subiectos competit: nec titulus iustæ defensionis; quia vt supponitur, infideles illi non sunt iniurioſi alijs, aut pernitioſi humano generi. Neq; titulus correctionis fraternæ ad hoc sufficit: quia fas nō est, eo titulo aliquē violēter bonis suis seu re sua saltē per se licita, ac eidē vtili spoliare.

38 Idem probatur ex Canone *Dispar* 23. q. 8. vbi dicitur: *Dispar nimirum est Iudæorū & Saracenorū causa. In illos enim, qui Christianos persequuntur, & ex vrbibus & prijs sedibus pellunt, iuste pugnatur. Hi vero vbiq; seruire parati sunt.* Similis est lex 6. Cod. de Paganis vbi dicitur: *Christianis qui vere sunt, vel esse dicuntur, specialiter demādamus, vt Iudæis ac Paganis quiete degētibus, nihilq; tentātibus turbulentū legibusq; contrarium, nō audeāt malū inferre, Religionis auctoritate abusi.*

39 Imo Bañes cit. q. 10 a. 11. refert, Paulum III. definiuisse, Indos Occidētales, de quibus olim nonnulli sine causa dubitabāt, esse veros homines, & capaces vitæ æternæ, & veros dominos rerum, quas possident; nec priuandos tali dominio & iurisdictione, ob solam infidelitatem.

40 Ex quibus etiam patet secunda pars assertionis. Potest enim quisque, per modū defensionis, vim iniustam, sibi alijsue illatam, vi repellere, iñocentesq; tueri: ad quod etiā quisq; obligatur, nisi difficultas rei, iuxta charitatis leges excuset. Quod si Respublica perfecta sit, vt est sanę Ecclesia, tū potest etiam iure vindicatiuę iustitię iniurias sibi illatas competente animaduersione vindicare.

41 Porro circa innocentum defensionem duo obseruanda sunt. I. Vt hæc defensio fiat cū moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, quam fieri potest minimo lædentis damno, vt alibi docetur. II. Vt violenta hæc defensio nō sit magis grauis & onerosa innocentibus, quam ipsa iniuria nocentum, vt recte etiam notauit Bañes a. 10. Ob quam causam Iosephus Acosta lib. 2. de procuranda Indorum salute cap. 6. censet, moraliter, & in praxi non satis expeditam esse opinionem illam Theologorum, qui docent Carybas & Anthropophagos in Indijs licite posse bello infestari & subijci vt defendantur innocentes, quos alioquin solent crudeliter mactatos deuorare: tum quia leuiori metu compesci possent infideles illi relicto illis interim rerum suarum dominio. Tum quia, *nullius*, inquit, *rationis est, eos velle defendere, quorum grauiorem perpetres cædem. Constat vero copiosissime, bello Indico plures infinitis partibus absumi, quam vlla barbarorum tyrannide*: Ita ipse. Quocirca, in particulari casu, perpensis diligenter rerum circumstantijs, prudentum iudicio standum erit.

Quæritur tertio, vtrum infideles possint habere prælationem seu dominium supra fideles. 42 Et sermo est de infidelibus ijs, qui alioquin ad fidem cogi non possunt, ex dictis dub. præcedent. De qua re cum Sancto Thoma sequentes assertiones statuimus. Assertio I. Nullo modo, quoad fieri potest, permittendum est, vt infideles de nouo præficiantur fidelibus. Ita S. Thomas cit. a. 10 omnibus cōsentientibus. Probatur; quia hoc aperte cederet in scandalum & periculū fidei; cum facile ad superiorum placita subditorū sensa inflectantur; præterquam quod simul etiam infideles dum hac ratione fideliū defectū cognoscunt, fidem contemnere assuescunt. Quæ causa est, cur Apostolus arguat fideles, qui iudicio contendebant apud infideles 1. Cor. 6. v. 6. Eadem de causa Concilium Toletanum III. Can. 14. Matisconense I. Canone 8. & Auernense Canone 5. & Basileense sess. 19. statuunt, ne Iudæi admittātur ad publica officia, vel gradus Scholasticos.

Item Paulus IV. in propria bulla statuit, vt Iudæi non possint habere bona immobilia inter Christianos, aut ex Christianis nutrices, seruos, aut ancillas: multoque magis ne mancipia Christiana habeant, dudum vetitum fuit à S. Gregorio lib. 7. epist. 113. ad Brunichildem Reginam Francorum. Aliter se res habet cum ministerijs quibusdam liberis, vt artificij alicuius seu culturæ agri, in quibus sine alia subiectione infidelibus operam locare, non ita periculosum est. Quamquam nec hoc permittendum, si ex tali communicatione vel cōuictu subuersio fidelium timeatur, vt notauit S. Thomas eodem a. 10. ad 3. De qua re plures extant Canones dist. 45. & extra de Iudæis & Saracenis. 43

Assertio II. Infideles tamen non hoc ipso amittunt dominium & iurisdictionē in suos subditos, quod hi ad fidem conuertuntur. Est itidem certa, & communis Doctorum sententia in 4 dist. 44. & 45. cum S. Thoma cit. a. 10. Probatur ex scriptura, quæ passim indicat, à Christianis necessario obtemperandum esse, etiam in conscientia, gentilibus Principibus tanquam veris & legitimis dominis, Matthæi 22. v. 21. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Rom. 13. vers. 1. *Omnu anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim* 44

potestas nisi à Deo. Et v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et 1. Petri 2 v. 13. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Similia habentur in epist. ad Titum 2. & 3. Nec obstat illud Christi Matthei 17. *Ergo liberi sunt filij.* Loquitur enim hic Christus de se, tanquam naturali filio Dei summi Regis; & vt sumum etiam de S. Petro, alijsque Apostolis, adeoq; per consequentiam etiam de Summo Pontifice, & personis Ecclesiasticis, quę in Christi quodammodo aula ac familia versantur, de quo alibi.

45 Secundo idem docent SS. Patres, præsertim Polycarpus apud Eusebium lib. 4. hist. cap. 25. Augustinus lib. 5. de ciuit. c. 21. & in psalmum 125. Sicut etiam in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. damnatur error Wicleffi & Huss asserentium, eum qui est in peccato mortali, non esse dominum ciuilem; quod etiam docuisse fertur Armacanus in defensorio pacis. Imo Victoria relect. de Indis, Triedo lib. 3. de libert. Christian. cap. 9. & Sotus lib. 4. de Iustitia quæstione 2. pro manifesto errore habent, si quis dicat, carentem fide, hoc ipso incapacem esse dominij in Christianos exercendi, quod significat Ostiensis in capit. *Quod super his*, de voto & voti redemptione, & Aluarus Pelagius l. 1. de planctu Ecclesiæ cap. 13.

46 Tertio accedit ratio S. Thomæ: quia ius dominij, vel prælationis, introductum est iure humano, nempe Gentium: distinctio autem fidelis & infidelis est ex iure diuino, seu lege gratiæ, quæ non tollit ius humanum, naturali rationę nixum.

47 Assertio III. Habet tamen Ecclesia in actu primo potestatem eximendi fideles à dominio & potestate quorumuis infidelium, siue hi alioqui Ecclesiæ temporaliter subijciantur, siue non. Ita Sanctus Thomas eodem artic. 10. Et prior pars, de infidelibus Ecclesiæ subiectis loquendo, est certa & extra controuersiam. Ratio est: quia quæuis perfecta comunitas potest circa subditorum bona disponere, prout communis vtilitas Reipublicæ, ac inprimis præcipuorum subditorum postulat: ad eiusmodi vero bona pertinet dominium siue iurisdictio infidelium dominorum in subditos.

Secunda pars probatur à S. Thoma; quia *infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei.* Quasi dicat S. Thomas: æquum est, vt translati in sortem filiorum Dei, exoluantur à potestate infidelium, qui in diaboli sorte & castris versantur.

48 Sed hæc ratio potius congruentia quædam est, supponens aliunde ius hoc faciendi; quod quidem hac ratione probatur. Quando enim duæ potestates ita in rem eandem conueniunt, vt earum altera sit perfectior, maior, diuinior, & absolute superior, tunc si vtraq; ex natura sua non bene simul cohæreat, sed altera alteri grauiter præiudicet, debet sane minor illa potestas cedere maiori, ita vt per hanc etiam possit minor illa eneruari, inquantum illa maiori officit: sed ita se habet Ecclesiæ potestas, respectu fidelium, comparata cum potestate politica infidelium. Ergo. &c. Minor probatur; quia infideles communiter solent impedire absolutum ius gubernationis Ecclesiasticæ in subditos, ac simul præcepto, minis, blanditijs, aperte vel occulte auocare eos ab obedientia debita Ecclesiæ; ita vt moraliter sine periculo animæ infidelibus dominis subesse non possint.

Vnde colligitur alia etiam ratio; quia cuique 49
Magistratui licet, subditos, quoad opus est, ab iniusta vi tueri; sed hoc in præsenti aliter vix fieri potest, nisi fideles à dominio infidelium subtrahantur. Ergo. &c. Et confirmatur: quia ob similem causam, dissoluitur matrimonium ab infidelibus ijsdem contractum, si postquam alter conuersus est ad fidem, nolit alter absque iniuria Creatoris cohabitare: & forte etiam hoc ipso, quod monitus iste conuerti recusat, de quo alibi.

Assertio IV. Ecclesia tamen hac sua potestate non vtitur, nisi erga infideles Principibus Christianis temporaliter subiectos; non autem erga alios: nisi cum illi peculiaribus iniurijs Christianos, aut Christianam fidem afficiunt. Primum patet ex multis decretis distinctione 54. & capit. *Constituit*, causa 17. quæstione 4. vbi statuitur, vt Iudæorum serui, si vernaculi (hoc est, in seruitute nati,) vel ad seruitutem empti sint, eo ipso liberi sint, quod ad fidem conuertuntur. Si autem ad mercationem fuerint empti, vt intra tres menses venum exponantur. Idem habetur cap. *Iudæi* & in cap. *Cum sit*, de Iudæis, vbi id ipsum etiam ad Paganos Christianis subiectos extenditur. Similia habentur in Cod. tit. de Iudæis, lege, *Hac Valitura*, & tit. de Episcopis & Clericis, lege, *Deo nobis*. Quo iure, iuxta Bañem hic a. 10. etiamnum conuersis Indis Occidentalibus, auctoritate Pontificis, præficiuntur noui Magistratus. 50

Neque tamen id fieri putandum est, quod Iudæi sint veri & proprij serui ac mancipia Christianorum, vt bene etiam docet Suarez tract. de baptis. disp. 25. sect. 5 licet S. Thomas opusculo 21. & Ostiensis in cap. *Etsi Iudæos*, de Iudæis, ita senserint; sed quia certe sunt Christianorum tributarij, vt loquitur Augustinus in psalm. 57. & 58. & docet S. Thomas hic quæstio. 10. articulo 12. ad 3. & 3. part. quæstio. 68. a. 10. ad 2. In quem sensum etiam accipienda sunt iura, & S. Thomas hic a. 10. cum eos absolute seruos Christianorum vocant. 51

Ratio secundæ partis est: quia id expedit ad 52
publicam quietem & ædificationem, adeoque ad vitandam perturbationem, & scandalum, quod alioqui facile conciperent infideles, si viderent, Christianos titulo fidei præcise eorum dominio subtrahi. In quo se conformat Ecclesia exemplo Christi soluentis tributum etiam indebitum, Matthæi 17. & præcepto Apostoli, vt serui dominos suos honorent, *ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.* 1. Tim. 6. v. 1.

Assertio V. Imo probabile est, seclusâ 53
iniuria, & periculo subuersionis, non posse fi-

deles iure eximi à dominio infidelium, eorum, qui Ecclesiæ nullo modo subijciuntur. Ita Durandus in distinct. 44. quæst. 3. artic. 2. & Bellarminus lib. 5. de Pontifice cap. 7. ratione 3. Etsi contrarium non minus probabiliter asserant Bannes & Arragonius hic quæstio. 10. a. 10. & Gregorius de Valentia quæst 10. punct. 8. fauente S. Thoma eodem a. 10. vbi is absolute loquitur.

54 Ratio prioris sententiæ est; quia tunc nullus videtur suppetere titulus, quo fideles à dominio infidelium dominorum eximantur. Ratio posterioris sententiæ est. Nam vt de dignitate & maiestate Religionis Christianæ nihil dicam, à qua argumentari præcipue videtur S. Thomas; certe ipso titulo defensionis, licet non solum vim re ipsa illatam propulsare, sed etiam probabiliter inferendam modis conuenientibus efficaciter anteuertere. Quamquam in hac re, id saltem discriminis est; quod si Ecclesia titulo solum defensionis, non data ab infidelibus sufficiente causa vindictæ, vtitur, aut solum titulo excellentioris iuris Ecclesiæ, tunc sane non exercet in ipsos infideles directam iurisdictionem, quam nullam habet; si autem in casu illatæ iniuriæ iustæ vindictæ titulo id faciat, tunc etiam directe exercet in ipsos infideles iurisdictionem ortam ex delicto.

55 Assertio VI. Etsi generatim Ecclesia non soleat, nec sine scandalo possit eiusmodi infideles priuare dominio fidelium; nihilominus tamen iure possunt Christiani ab infidelibus in seruitutem abducti fugere ab infidelibus dominis, sine alia tamen vi ipsis dominis illata, & salua obedientia seruili, quamdiu in seruitutis conditione manent: idque etiam generali lege præcipere eis poterit Pontifex. Ita Azor tom. 1. lib. 8. cap. 23. quæstion. 23. Ratio est: quia maius est Ius, quod quisque habet ad suam incolumitatem & animæ securitatem quærendam, quam ius illud infidelium.

Æquum tamen fuerit, vt iustum lytrum dominis infidelibus refundatur, nisi propter tyrannidem, aliasue causas, eo iure priuentur. Multo magis poterunt Christiani, qui ciuiliter tantum subiecti sunt, eiusmodi infidelibus, etiam propria auctoritate, sese in aliam prouintiam conferre, Christianisque dominis ciuiliter se subijcere, à quibus si opus sit, etiam contra infidelium vim defendantur.

DVBIVM III.

An, & qua ratione cum infidelibus de toleranda infidelitate, seu religionis libertate paciſci, eisque impunitatem securitatemque promittere liceat.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 10. a. 11.

56 DOcet quidem generatim Sanctus Thomas cit. quæst. 10. art. 11. infidelium quorumcunque ritus & superstitiones iure nonnunquam tolerari, siue vt vitetur maius malum, siue vt maius aliquod bonum eueniat: an vero & qua ratione de hac ipsa permissione paciſci, eamque promittere, vel in pactum deducere liceat, promissamque seruare oporteat, ipse non declarat; sicut nec communiter alij scholæ Theologi. Quia tamen hæc res hoc tempore, & per se admodum scitu necessaria est, & simul proprie ad hunc locum pertinet, non est à nobis prætermittenda; quâ proinde duabus dubitationibus sequentibus absoluemus.

57 Et quod ad præsentem dubitationem attinet, dum quæritur, an, & qua ratione nonnunquam permissio falsæ, adeoque etiam hæreticæ religionis à Christianis Principibus promitti, & in pactum deduci possit; siue quod eodem pertinet; an & qua ratione Principes Christiani nonnunquam libertatem religionis, seu quam vocant autonomiam credendi concedere, pactoque aut iuramento firmare licite possint; Notandum est primo, libertatem credendi, seu quam vocant autonomiam, absolute & ex vi verborum, multo latius patere, quam sit vnius vel alterius certæ, etsi falsæ, puta Lutheranæ, aut Caluinianæ religionis permissio; qualis ex parte hodie in Imperio concessa apparet: quandoquidem credendi libertas seu autonomia generatim significat liberam potestatem credendi quidquid libeat; vt proinde hæc absoluta & incircumscripta potestas, illa vero restricta quædam credendi libertas vocari possit. Neque vero est quæstio, an Princeps eiusmodi libertatem probare; neque an in vllo vel altero articulo Catholicæ fidei, aliquid concedere possit, ita vt vel minimo fidei articulo obliterato, syncretismus in religione instituatur: hoc enim fieri nulla ratione posse constat ex dictis supra quæstion. 7. dub. 3. sed solum est quæstio de contrariæ religionis permissione, eiusdemque permissionis promissione, salua ipsius in se fidei Catholicæ integritate & sinceritate.

58 Notandum secundo, hoc loco solum quæstionē esse de ijs infidelib⁹, qui aliquo modo, seu temporaliter, seu spiritualiter Ecclesiæ subijciuntur; & potissimum quidem de ijs, qui temporaliter, seu ciuiliter ijs ipsis Principibus Christianis subijciuntur, de quorum pactione & promissione cum infidelibus & hæreticis ineunda quæritur,

De

De cæteris enim, qui Ecclesiæ nullo modo subijciuntur, quique ratione infidelitatis ab Ecclesia seu Christianis Principibus infestari nullo modo possunt, vt sunt Ethnici illi, qui nec temporaliter quidem Ecclesiæ subijciuntur, iuxta dicta dub. 4. nulla potest esse quæstio; quando infidelitas eorundem necessario toleranda est, vt dictum. 59 Sed neque Principes pacto aut promissione disponere solent, de religione eorum, qui ijsdem temporaliter nullo modo subijciuntur, quandoquidem eos hoc ipso circa religionem impedire nullo modo possunt: sicut v. g. Hispanus nihil de religione Gallorum; neque Gallus de Anglorum religione; neque Anglius de religione Belgarum disponere potest: nisi forte aut pacto reciproco; Tolera in tua prouincia eos, qui meæ fidei consortes sunt; & ego in mea prouincia tolerabo vicissim tuæ fidei consortes: aut pacto conditionato, si quo casu eiusmodi regnum seu prouincia ad alterius dominium aliquando peruentura sit. &c. Diuersa est ratio Principum Imperij; qui cum vnam quandam perfectam communitatem, sub vno quodam summo capite, scilicet Imperatore, constituant, cui omnes subijciuntur; hinc fit, vt singuli cæteris coniunctim, quatenus eandem Imperij communitatem constituunt, aliquo modo subijciantur; de quibus proinde etiam imperij Principibus inter se collatis præsens quæstio procedit; an & qua ratione scilicet, quisque Principum Imperij in hoc consentire posset, vt ex pacto, in sua vel alterius Principis ditione, falsa religio toleranda sit.

60 Quibus positis, de proposita dubitatione variæ sunt, aut esse possunt Doctorum sententiæ; duæ scilicet extremæ, & vna media. Prima sententia in vno extremo sita esse potest, eiusmodi pacta, iuramenta, promissa semper ac vniuersim esse illicita. Ratio esse potest; quia nunquam licitum est Principi sibi adimere potestatem & libertatem, summa Reipublicæ sibi commissæ mala, etiam cum opportunum est, propulsandi, adeoque in subditis puniendi & castigandi: at vero quisquis Princeps pacto, iuramento, vel promisso sese obligat, seu vniuersim ad libertatem fidei, aut certe ad aliquam tantum falsam religionem siue sectam concedendam vel permittendam, is hoc ipso sibi adimit facultatem & libertatem summa Reipublicæ mala, vti nimirum est quælibet hæresis, à Republica sibi commissa, etiam cum postea oportunum erit, auertendi, & in subditis castigandi. Ergo. &c.

Maior patet; quia Princeps ex officio tenetur Rempub. saluam tueri; estque ad hoc tam diuino, quã naturali iure obligatus; cui præiudicare ipse non potest. Minor probatur: quia posità semel eiusmodi pactione seu promissione Principis, nunquam postea integrum illi erit, etiam mutatis rerum circumstantijs, ac oblata oportunitate, contra fidem datam hæreseos malum ex sua prouincia exterminandi; siquidem quoties id agere voluerit violatæ fidei reus censebitur, non absque probro & contumelia, imo & præiudicio totius Ecclesiæ Christianæ; cuius pacta & conuenta tanquam friuola, & nullius ad fidem faciendam ponderis, æstimabuntur & repudiabuntur.

Et confirmatur. Quia iure naturæ illicitum 61 est, vt parentibus adimatur libera potestas disponendi de suis filijs, quamdiu hi vsu rationis carent, & in parentum conuictu degunt, etiamsi alioqui parentes infideles ac Ethnici sunt, vt docet S. Thomas hic quæst. 10. art. 12. & pluribus suo loco de baptismo docetur: Ergo multo minus fieri potest, vt Principi in Regimine constituto adimatur potestas legitime disponendi de suis subditis. Atque hæc sententia tametsi quod sciam à nullo Doctore publicis typis defensa fuerit, videtur tamen à quorumdam Theologorum, considerantium incommoda, quæ ex eiusmodi pactis & concessionibus in Ecclesia consequuta sunt, sensu ac mente non admodum esse aliena; cui etiam non parum fauent Brunus & Simancha paulo inferius citandi.

Secunda sententia in altero extremo versatur, 62 vniuersim scilicet existimans, eiusmodi pacta & conuentiones licite iniri, ipsamque adeo permissionem falsę alicuius Religionis licite promisso ac iuramento firmari, quoties eadem Religio licite permittitur. Quam sententiam tametsi nullus etiam, quod sciam, aperte ac diserte libris editis tradiderit, existimo tamen à quorumdam doctorum virorum sensu non abhorrere. Ratio ac fundamentum esse potest; quia quidquid licitum est facere, licitum etiam est faciendum promittere, ac in pactum deducere; sed ex hypothesi, in casu præsenti, licitum est falsam eiusmodi Religionem permittere: Ergo etiam permissionem ipsam promittere, ac in pactum deducere. Vtitur hac ipsa ratione Ioannes Molanus lib. 3, de fide hæreticis seruanda cap. 17. vbi ait: *Porro sicut licet aliquando iustis & grauibus de causis, Religionis libertatem aliquam hæreticis concedere, non quidem probando malum, sed tolerando: ita licet quoque de tolerando pactum inire: potest enim in pactum deduci, quicquid facere licet.* Ita Molanus. Ex quo certe fundamento, nisi limitetur, hæc sententia aperte sequitur.

Tertia sententia in medio posita est, licitum 63 videlicet esse nonnunquam cum hæreticis de securitate & impunitate paciscì, sed non tamen nisi ad certum aliquod & determinatum tempus, quo videlicet omnibus prudenter consideratis duratura sit necessitas eiusmodi permissionis; nunquam autem de perpetua securitate seu impunitate. Ita iam suo tempore quosdam sensisse refert Molanus lib. 4. de fide seruanda cap. 10. vbi ait: *Videntur quidam nostri temporis Scriptores asserere, quod aliquando quidem cum hæreticis paciscì liceat de securitate, sed nunquam de perpetua securitate, qua nunc petitur. Nec hi absurde sententiam suam explicant. &c.*

Imo ipsemet Molanus licet eam sententiam reijciat, ex parte tamen eam admittit ibidem cap. 11. cum ait: *Hoc tantum dico, vt cum hæretici eis* (Catholicis Principibus) *fortiores iniquè petunt perpetuam securitatem, dum aliud non exprimunt, pro eisdem habeantur perpetua securitas, & securitas.*

Quod si qui vero malitiosè dicant Principibus suis, se nec securitate restricta, nec securitate non restricta contentos esse, sed talem exigere perpetuam securitatem, qua etiam vnico tantum sectario superstiti aliquando sua permittatur libertas, id omnino respondendum erit, tam absurdam & impiam postulationem à Catholico Principe nec annuendam, nec audiendam esse.

64 Possent etiam duæ priores sententiæ alijs modis temperari, & ad mediocritatem redigi; vt quod non absoluta cuiusuis sed alicuius, aut aliquarum tantum, puta Lutheranæ, non Caluinisticæ religionis libertas & permissio promitti possit. Sed hæc per se loquendo solum materialiter, vel certe secundum magis vel minus in eodem genere differunt, vt proinde seclusis pactis iam antea constitutis, cæterisque paribus, nulla hinc generalis & formalis distinctio, aut præcedentium duarum sententiarum moderatio desumi possit. Nunc quid nobis hac de re videatur, sequentibus assertionibus declaramus.

65 Assertio I. Diuersitas religionum, fideique libertas, à Christianis Principibus nec approbanda; quia mala est: nec per se loquendo permittenda; multoque minus eius permissio, absque discrimine & magna circumspectione, pacto aut promissione firmanda; quia ex eo malorum genere est, quorum permissio raro potest maioris boni, obuentu maiorisue mali euitatione excusari. In hac assertione consentiunt omnes Catholici post Sanctum Thomam hic quæstione 10. articulo 11. speciatim Ioannes Molanus lib. 1. de fide hæreticis seruanda cap. 20. & sequentibus, Ioannes Lensæus lib. de vnica religione in Republica conseruanda, Martinus Becanus disp. de fide hæreticis seruanda cap. 10. multoque magis Iacobus Simancha Catholic. Institut. cap. 46. Conradus Brunus de hæreticis lib. 3. cap. 15. Petrus Ribadeneira libro 1. de institutione Principis cap. 17. & 18. Franciscus Burcardus in tractat. de autonomia part. 1. & Ioannes Mariana de institut. Regis lib. 3. 66 cap. 17.

Probatur assertio primo ex scriptura veteris testamenti, quæ grauissime cauet, ne aut veræ Religionis violatio impune toleretur vt dub. 4. dictum est; aut pacta cum alienigenis & infidelibus, admittantur. Ita enim Exodi 34. vers. 12. dicitur: *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam: sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide: noli adorare Deum alienum. Dominus Zelotes nomen eius, Deus est æmulator. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum; ne cum fornicati fuerint cum Dijs suis, & adorauerint simulacra eorum, vocet te quispiam vt comedas de immolatis. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos.*

Similia habentur Deuteronomij 7. vers. 2. *Non inibis cum eis fœdus, nec miserebéris earum; nec sociabis cum eis connubia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me, sed vt magis seruiat Dijs alienis: iraſceturque furor Domini, & delebit te cito.*

Quæ quidem lex tametsi positiua sit, adeoque proprie ad Iudæos duntaxat olim spectauerit, quatenus tamen fundatur in adiuncta ratione naturali, desumpta ex peruersionis periculo, merito argumenti loco etiam ad Ecclesiæ statum 67 accommodatur.

Et vero id vniuersim de quibuslibet infidelibus intelligendum, patet ex lib. 3. Regum cap. 11. vers. 1. vbi de Salomone Rege dicitur: *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias & Hettæas: de gentibus, super quibus dixit Dominus filijs Israel; Non ingrediemini ad eas; neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Et lib. 2. Paralipom. cap. 19. reprehenditur Iosaphat, optimus alioqui & pientissimus 68 Rex, quod amicitia & belli societate iunxisset se cum Achab, impio & infideli Rege Israel. Ita enim loquitur scriptura ibidem vers. 1. *Reuersus est autem Iosaphat Rex Iuda in domum suam pacifice in Hierusalem. Cui occurrit Iehu filius Hanani Videns, & ait ad eum: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini mereberis: sed bona opera inuenta sunt in te: eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, & requireres Dominum Deum tuum patrum tuorum.*

Et rursum cap. 20. vers. 35. post commendatam eiusdem Iosaphat pietatem ac felicitatem, subiungitur: *Post hæc iniit amicitias Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia Rege Israel, cuius opera fuerunt impissima. Et particeps fuit, vt facerent naues, quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Asiongaber. Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Iosaphat dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* Quod si Deus tam exosas habuit conuentiones cum infidelibus, quamuis directe nihil derogantes integritati Religionis, in terris Regum & Principum fidelium, multo vtique magis oderit conuentiones, quæ directe fiunt cum præiudicio & læsione Religionis, in ipsis fidelium Principum terris ac prouincijs.

Secundo probatur assertio ex scriptura noui testamenti quæ itidem consortium & communionem cum infidelibus, præsertim hæreticis, grauissime prohibet, vt ostensum superius dub. 4. Quibus accedunt hæc Apostolorum monita Roman. 16. vers. 17. *Rogo vos fratres vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo uentri; & per dulces sermones & benedictiones, seducunt corda innocentium.* Quod si ab hæreticis & seductoribus declinandum, quomodo cum illis pacta & conuenta cum Religionis damno incunda?

Et rursum Galat. 5. vers. 8. & 21. *Modicum fermentum*) hæreticæ doctrinæ) *totam massam*

corrumpit. &c. qui autem conturbat vos portabit iudicium, quicunque est ille. &c. vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Et Galat. 1. v. 8. *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. &c. Iterum dico, si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Et 2. Tim. 2. vers. 16. *Profana & vaniloquia* (hæreticorum) *deuita; multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum vt cancer serpit.* Et rursum ad Tit. 3. v. 20. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Qui ergo hæreticos abscindendos & vitandos atque anathemate feriendos monet, hæresimq; cancro comparat, certe hæreses non esse promiscue permittendas, multoque minus eam promissionem pacto aut iuramento firmandam docet.

70 Eadem est doctrina S. Ioannis epistola 2. vers. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum; nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Idem in sua Apocalypsi cap. 2. vers. 14. & 20. ex ore Dei, graui interminatione reprehendit eos Ecclesiarum Præsules, qui aduersarias doctrinas tolerabant: *Habeo aduersus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum coram filijs Israel, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age; si quo minus, veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Et infra: *Habeo aduersus te pauca; quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere & seducere seruos meos, fornicari & manducare de idolothytis. &c. Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt. &c.*

71 Tertio probatur assertio praxi veteris Ecclesiæ. Quantopere enim viri Sancti, & hæresin, & hæreticorum consortium ac societatem fugiendam esse censuerint, suo exemplo docent tum S. Ioannes, & Polycarpus apud Irenæum lib. 3. cap. 2. tum Antonius teste Athanasio in vita eiusdem; ac Hilarius libro ad Constantium Imperatorem scripto, in quo ex instituto probat, consensionem in fide cum hæreticis admitti nulla ratione posse, quamtumuis eam vehementer vrgeret Constantius Arrianus. Aduersus quem simili argumento librum edidit Lucifer Episcopus Calaritanus, hoc titulo inscriptum, *De non communicando cum hæreticis*, rursusque alium, *de Regibus apostaticis.* Et cum Imperator ea libertate commotus, in auctorem earundem lucubrationum inquiri iussisset, non solum Lucifer se auctorē professus est, sed & aliam in eundem inuectiuam edidit, *De non parcendo in Deum delinquentibus*: ac denique cum sibi necem ab eo intentatum iri existimaret, alium addidit commentarium hoc titulo: *Moriendum pro filio Dei*, vt pluribus refert Baronius Anno Christi 356. Quænam etiam hac de re Augustini fuerit sententia, patet ex l. 2. eiusdē contra Gaudentium c. 11. & epist. 50 ad Bonifacium.

72 Quarto probatur assertio ex iure tam canonico, quam ciuili. Nam quod ad ius canonicum attinet, habemus, præter doctrinam SS. Patrum, perpetuam praxin omnium Conciliorum, ac Summorum Pontificum, à quibus iam olim antiquissimo vsu, ex Christi & Apostolorum traditione accepto, non tantum doctrina hæreticorum reprobari, sed ipsi etiam hæretici anathemate damnari, atque extra Ecclesiam eijci consueuerunt; qua quidem pœna in Ecclesia maior nulla est.

In iure vero ciuili, præter alias, extat insignis constitutio Theodosij, Gratiani, ac Valentiniani Imperatorum, qui Religionis formam in Imperio non aliter, quam ad Romani Pontificis normam institui præceperunt, Lege Cod. de Summa Trinitate, vbi dicitur: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus Religione versari, quam Diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat; quamque Pontificem Romanum sequi claret.* 73

Simile est rescriptum Gratiani, Valentiniani, & Theodosij Imperatorum, qui omnibus hæreticis perpetuum silentium indicunt lege 2. Cod. de hæreticis: *Omnes vetitæ legibus diuinis, & Imperialibus Constitutionibus, hæreses perpetuo quiescant. Nemo vlterius conetur, quæ reperit, profana præcepta vel docere, vel discere: nec Antistites earundem audeant fidem insinuare, quam non habent, & Ministros creare, qui non sunt: nec per conniuentiam iudicantium, omniumque, quibus per constitutiones paternas super hoc cura mandata est, eiusmodi audacia negligatur & crescat. Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deuiare.* Vbi videmus, hæreticis omne verbi ministerium ademptum: simul etiam discimus, quinam iam olim, ante annos plus mille ducentos, hæreticorum nomine fuerint censi, nimirum omnes, *qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deuiare.* 74

Similia habentur lege 3. Cod. de hæret. & apud Eusebium in vita Constantini lib. 3. cap. 6. & 62. eamque seueritatem legum & Ecclesiæ ipsis quoq; hæreticis salutarem fuisse docent Augustinus epist. 48. ad Vincentium & epist. 50. ad Bonifacium, & Leo epist. 91. ad Turibium.

Quinto probatur eadem assertio ratione naturali duplici. Prima ratio est hæc. Nam permissio & tolerantia grauissimi sceleris, quod diuinam Maiestatem plurimum offendit, atque ad vindictam publicam accendit; alios item sua contagione damnabiliter inficit, ac in æternum exitium præcipitat; pacem & concordiam publicam, adeoque ipsam etiam politiam sua natura plurimum perturbat, non potest à Magistratu, seu Ecclesiastico, seu politico, per se loquendo, & extra casum summæ necessitatis, promiscue indulgeri, multo minus pacto aut iuramento firmari: talis autem est permissio hæresis, seu apostasiæ; Ergo permissio hæresis, non potest à Christiano Magistratu per se loquēdo, & extra casum summæ necessitatis, impune ac promiscue indulgeri, multoq; minus pacto aut iuramēto firmari. 75

Maior per se patet. Minor probatur. Nam 76

hæresis

hæresis fidem Deo abrogat, eumque mendacij quodammodo arguit; fidem diuinam, sine qua nulla est salus, quæque omnis Christianæ pietatis fundamentum est, conuellit, ex dictis supra quæst. 6. dub. 4. est violatio fidei Deo datæ, adeoque vera erga Deum perfidia; est apostasia à Deo, & deterrima infidelitatis species, vt ex dictis dub. 2. constat; quam scriptura teste DEVS in Israelitis gladio, fame, peste, bellis, captiuitate, ac demum extrema vastitate est persequutus, vt ex tota historia veteris testamenti patet. Quod malum teste Apostolo 2. Timoth. 2. vers. 7. velut cancer serpit, aliosque sua contagione adeo misere inficit, vt non quiescat, donec vniuersum humanæ societatis corpus depascatur: quod cum ex superbia & insigni animi elatione atque arrogantia oriatur, & in rebus grauissimis, quæ æternam animæ salutem concernunt, dissensionem à probatissimis maiorum institutis, à praxi & sensu totius veteris & Catholicæ Ecclesiæ inuoluat, non potest quidpiam suis studijs aduersum patienter ferre; sed eos, qui pro officij ratione, etiam verbo solum, monendo, hortando, arguendo, reuincendo, eidem huic malo aduersantur, veramque & auitam Maiorum fidem tuentur, extreme persequitur: vnde necessario discordiæ, lites, seditiones, bella oriuntur; vt omnium temporum historiæ, & nostra hæc inprimis infelicia tempora, in Luthero, Caluino, Zuinglio, eorumq; asseclis, præsenti & quotidiano experimento, nimis prô dolor, abunde & luculenter testantur.

77 Altera ratio est. Nam pacta, promissa, vel conuenta illa, quæ solum malitiâ, seu iniqua vi alterius partis contrahentis nituntur, ac simul ex parte materiæ in præiudicium ac diminutionem communis Reipublicæ commodi tendunt, quoad fieri potest, omnibus modis fugienda sunt & cauenda: sed talia sunt pacta illa & conuenta, quæ cum hæreticis, seu infidelibus, de toleranda hæresi, à Principibus Christianis ineuntur &c. Maior patet. Quia talia pacta adeo natura sua Reipublicæ sunt pernitiosa, vt in extremum eius exitium, totamque fidei & Ecclesiæ Catholicæ ruinam aperte vergant. Cum enim nullo iure, sed sola iniuria alterius partis contrahentis nitantur, omnem viam rationemque iustitiæ intercludunt, qua ijsdem in futurum accessus obstruatur; quando eâdem illa via, eodemque titulo quo aduersa pars, in pernitiem Catholicæ Religionis, vnam eiusmodi pactionem extorsit, similiter possit successu temporis, vbi eidem commodum videbitur, nouas alias iterataque pactiones, sine fine, ad plenum vsque Catholicæ
78 Religionis interitum, extorquere. Vbi enim pro iure & pactionis fundamento, est pacisentis iniustitia, illic nullus iniuriæ terminus statui, aut præfiniri potest. Quod magis ex sequenti probatione patescet.

Minor eiusdem argumenti probatur. Quia pacta, quæ cùm hæreticis seu infidelibus de toleranda hæresi ineuntur à Principibus Christianis & Catholicis, communiter, si non semper, ex eo suam originem sumunt, quod ipsimet hæretici & infideles, eiusmodi pactiones per vim aut metum extorquent; cum tamen illi, hoc ipso, quod infideles & hæretici sunt, ad hanc rem ius nullum habeant; non magis, quam perfidus aut fugitiuus miles ius habet, ad propriam vexillum erigendum, militumq; ac militiæ priuilegijs gaudendum.

Sexto probatur eadem assertio, ab experientia & incommodis, quæ eiusmodi pacta & promissa hactenus Catholicæ fidei & Ecclesiæ, ipsique etiam politiæ attulerunt. Tantum enim abest, vt ea ad publicam quietem, firmamq; & constantem aliquam pacem constituendam profuerint, vt potius in maius semper Ecclesiæ publicique boni exitium excreuerint. Id quod vna mecum facile sentiet, quisquis Imperij acta, à prima Lutheri defectione, sincere expendere voluerit. Quanta enim hactenus ad pacem politicam, inter varias credendi formulas, sanciendam, pertentata non sunt? etiam nouis semper cessionibus & condonationibus, ex parte Catholicorum, non absque ingenti Ecclesiæ Catholicæ damno interuenientibus; & tamen adeo nihil ea condonatione & lenitate perfectum est, vt semper in deterius non solum Catholicæ Religionis status in Imperio rueret, sed insuper etiam ea re nouis semper motibus ac dissidijs quasi via sterneretur. 79

Damnatus iam initio, ab optimis Imperatoribus fuerat Lutherus; à Maximiliano I. Augustæ, literis ad Leonem X. Pontificem datis Anno 1518. quæ extant tom. 1. Lutheri latino Wittenberg. fol. 203. item à Carolo V. in conuentu Wormatiensi, ex communi statuum Imperialium consensu Anno 1521. vt habetur tomo 2. Lutheri latino Wittenbergen. fol. 441. Ipsa quoque Augustana Confessio vix nata, mox damnata fuit in comitijs Augustanis, ab eodem Carolo V. ac cæteris statibus, qui *obedientes Imperij status* vocãtur, in peculiari edicto. Anno 1530 simulq; expresse cautum, ne ante Concilium in receptis ab Ecclesia dogmatibus quidquam innouaretur: eratq; hæc via optima ad pacem solidam in Imperio stabiliendam, si ei constanter insistere licuisset, aut libuisset. 80

Sed quid factum? Turcæ Austriam inuadentis metu iniecto, vt apud ipsum Sleidanum lib. 8. historiæ legitur, Anno 1532. in conuentu Norinbergensi, toleratur primum à Carolo V. Augustana Confessio, hac tamen expressa moderatione addita, vt Acatholici præter scriptum illud exhibitum Augustæ, circa Religionem, nihil innouent, nihil doceant, nihil euulgent, & intra hos fines permaneant, ad vsque Concilij tempus; eaque toleratione pax publica Imperij sancitur, vt scribit etiam Osiander in chronico fol. 210. & 212. Verum aduersarij huic decreto & cautioni minime steterunt, nouis semper chartis, librisque, & contumelijs ingentibus, in confessione Augustana minime contentis de Romano Antichristo, &c. aduersus Romanum Pontificem, Imperatorem, ac Principes 81

Catho-

Catholicos, totamque Ecclesiam orthodoxam, temere sparsis, ac in dies magis magisq; propagatis.

82 In Comitijs item Ratisponensibus, Año 1541. ab eodem Imperatore Carolo denuo pax firmatur in hunc modum, vt ijdem Acatholicorum historici notant: *Cæsar quod ad religionem pertinet, & lites omnes, de quibus ambigitur, an sint religionis nec ne, sed & proscriptiones, publicæ quietis causa, donec aliquo vel Concilio vel conuentu* (ad quem scilicet Pontificis auctoritas per legatum accederet) *res cognoscatur, suspendit.* Cæterum aduersarij neque hac pacis transactione diu contenti, Anno 1546. ingentibus copijs Imperatorem, quasi pro mercede factæ condonationis inuadunt; eo consilio & conatu, vt illum, si possent, penitus etiam ex Imperio eliminarent.

83 Sed cum res, Deo bene fauente, aliter cecidissent, ipsique victi in potestatem Imperatoris venissent, mox anno subsequenti, in comitijs Augustanis Anni 1547. & 1548. *Carolus Imperator Octobris die 18.* inquit Sleidanus libro 19. hist. consentiente Osiandro fol. 422. & sequenti, *vt omnes Concilio se submittant petit, & cum Palatino & Mauritio priuatim agit, vt assentiantur, & illi demum Octobris die 23. assentiuntur. Sancita interim fuit formula quædam Religionis, quæ Interim dicebatur; in quam ipsi Protestantes;* (tametsi in singulis articulis propemodum eorum religio partieulatim ibidem reiecta & damnata fuerit) *consenserunt:* adeo vt aduersariorum quoq; scriptor Melchior Goldastus, in suo tomo constitutionum Imperialium, eam religionis formulam appellet, *Caroli V. Imperatoris Augusti declarationem religionis, quæ constituit exercitium Religionis, quale interim esse debeat in Imperio Romano, vsq; ad definitionem Concilij generalis, publicatam & promulgatã, & à statibus Imperij acceptatã, in Comitijs Augustæ 15. Maij, Anno 1548.* Quæ quidem religionis formula etiam habetur tom. 3. Conciliorum editionis Colonienſis per Surium pag. 846.

Certe Imperator ipse Carolus in eo edicto testatur, *se cum communibus Imperij statibus atq; ordinibus consultando & deliberando egisse, vt vestigijs SS. Patrum & Maiorum suorum insistentes, qui semper in Religionis causa ad sacra Concilia confugere, & ab ijs doceri, & informari erant soliti, instituto huic Concilio adhærere, eiq; sese submittere, decretaq; eius expectare, & mandata seruare, vno consensu promiserint.*

84 Sed ne sic quidem aliquid effectum. Neque enim aut promissis, aut legibus & decretis Imperij steterunt aduersarij: sed mox Anno 1552. nouo bello aduersus Imperatorem & status Catholicos susceptο, constitutæ pacis & transactionis terminos perfregerunt; ac eo vsq; demum Regem Ferdinandum iniusta vi & armis adegerunt, vt in transactione Passauiensi, ea omnia, quæ Catholicis ipsi ad id vsq; tempus iniquè ademerãt, Episcopatus, Abbatias, Præposituras, aliaque bona quam plurima, cum ingenti Ecclesiæ Catholicæ damno & præiudicio cedere vellet; ita tamen vt posthac ab iniurijs abstinerent.

Verũ neque sic pax consequuta. Nihilominus enim Albertus Brandeburgicus, palam reprehensâ ea concordia, passim per Germaniam armis grassari perrexit: quem idcirco Anno 1553. eiusdem alioqui religionis consors Mauritius Saxo, missis literis, de communi Principum & ordinum consilio reprehendit, eidemq; publicum bellum indicens, ita inter cætera scripsit, vt est apud Sleidanum lib. 25. *Cum nuper intra fines Imperij natum esset bellum, Rex Ferdinandus, adiuuantibus alijs, in id operam dedit & elaborauit, vt discederetur ab armis, in eoque consentientes tandem habuit Imperij Principes, belli Duces, ac demum permissu Cæsaris pacem constituit: qua cautum est inter alia, non solum vt nihil contra fiat, sed vt ijs etiam, qui periclitantur, auxilia subministrentur. Eam vero tu non modo recusasti, verum etiam ad præcipui nominis Principes aliquot ausus es aperte scribere, ad Germaniæ summum dedecus ac detrimentum illam pertinere, ac proditionem potius appellandam esse.* &c.

Hinc vt pax Germaniæ turbatã, denuo firmius 85
stabiliretur, Augustæ in Comitijs (vt videre est in recessibus Comitiorum germanicè editis) Anno 1555. non solum transactio Passauiensis confirmata; sed insuper etiam hæc ampla & absoluta pacis formula constituta & sancita fuit, his verbis: *Quod si talis concordia his vijs generalis Concilij, nationalis Synodi, colloquij, aut Imperialis conuentus non consequeretur, nihilominus prædicta pacificatio, vsque ad perfectam & absolutam de religione & fide concordiam, suas vires habeat atque conseruet: sicque adeo iuxta dicta, & vniuersim, constans, firma, absoluta, & perpetua pax decreta & constituta esto.*

Addita tamen ibidem hæc restrictio fuit: 86
Omnes aliæ religiones, quæ cum alterutra prædicta (Catholicâ & Confessionis Augustanæ) *non conspirant, in hac pacificatione non contineantur, sed omnino excludantur.* De qua re ex ipsis etiam Lutheranis Martinus Kemnitius in epistola data 24. Ianuarij Anno 1582. ad Illustrissimum Ioannem Georgium Electorem Brandeburgicum ita scribit: *A pace publica Sacramentarij, quamdiu in sua impia damnataque opinione permanent, omni tempore excluduntur*: & Lucas Osiander in suæ historiæ Ann. 1555. fol. 622. ad marginem hæc annotat: *Caluinistæ hic excluduntur à pace religionis.*

Sed anne demum hac saltem ratione, tam- 87
que profusa Catholicorum condonatione pax obtenta? Minime. Nam & à nonnullis noua insuper Monasteria, Præposituræ, aliaque bona Ecclesiastica Catholicis per vim adempta; eaque, non obstante etiam sententiâ in Camera Spirensi aduersus iniustos detentores & occupatores latâ, pertinaci vi etiamnum retinentur. Sed & Caluinistæ in pacis constitutæ formulam; quamtumuis ab ea non solum ex verbis citatis, sed etiam communi Lutheranorum æque ac Catholicorum iudicio exclusi, intrudere se per vim conituntur; aperte simul ante hac professi, in his cedere, aut vllam transactionem admittere se non posse. &c.

Ecce quo his pacificationibus, condonationi- 88
bus, transactionibus deuentum sit, vt & vetus scilicet illa, solidâ vnius fidei consensione nixa,

pax adempta sit Germaniæ: nec alia etiam vlla, quamtumuis sæpius reformatæ ac renouatæ pacis formula frui Catholicis, alijsue pacificis Imperij statibus liceat; quin semper vltra concessos limites pars aduersa, quę turbulento Caluini Spiritu agitatur, progressa nouis molitionibus, nouisq; iniurijs in Catholicos, alioſq; pacificos Imperij status grassari pergat; nunquam pedem fixura, manusue cohibitura, donec sensim ijsdem pacificis Imperij statibus, si modo per vires liceat, oppressis, & Prouincijs bonisque Catholicorum accisis vel occupatis, vires eorundem penitus obterat & eneruet, ad certissimum Imperij, ac totius Catholicæ Religionis in Germania, imo etiam in adiacentibus alijs Prouincijs excidium: vt vel hinc hæresis indolem vere ab Apostolo 2. Timoth. 2. vers. 17. descriptam fuisse agno scas cum ait, eam instar fædi ac pestilentis cancri & carcinomatis perpetuo serpere, atque sensim cæteras etiam sanas corporis partes depascere.

89 Qui vero præsentis tragœdiæ Bohemicæ originem accuratius voluerit disquirere, plane deprehendet, ex literis Maiestatis, vti vocant à Cæsare Rudolpho concessis fuisse profectam; quas cum aduersarij vltra terminos concessos & expressos extenderent; nec tamen in ea re assentientes haberent regios Præfectos, ipsumque Cæsarem, mox in eos correptis armis vi vindicandam eam sibi licentiam sumpserunt, quam in literis concessam falso præludicauerant, vt videre est tum ex relatione Francoforti edita Anno 1618. pag. 19. tum ex ipsa Bohemorum apologia. Maiestatis literæ si concessæ fuissent nunquam, nulla etiam de interpretatione ac sensu extitisset quæstio; nulla de violata fide querela; nulla seditio. Sed quia, vt dici solet, digitum semel tenebant, totam facile manum ad se pertrahi posse existimauerunt. Ita vel hoc etiam exemplo discimus, nunquam aduersarios, qui semel Caluini Spiritum hauserint, intra concessos terminos sistere, sed semper vlterius, si vires suppetant in vetitum niti, & ad illicita contendere; imo ipsis etiam Catholicorum condonationibus ad nouas iniurias inferendas abuti. Ex quibus deniq; manifestum est, quam eiusmodi pactiones & conuenta, & Ecclesiæ Catholicæ, & ipsi etiã politiæ, paciq; & quieti temporali per se ac sua natura sint exitiosa; quæ proinde absque summa necessitate ineunda aut probanda nunquam sunt.

90 Quod denique septimo probatur, ipsorum etiam aduersariorum praxi & confessione. Neque enim Imperij Principes Acatholici in suis Prouincijs fidem à sua, quam profitentur, alienam solent permittere, multoque minus ad eam permittendam pacto se obligare. Et valde sane ridiculum est, quod Ministri Coburgenses in confutatione scriptoris cuiusdam Austriaci, paucis ante añis §. 510. fol. 957. scripserunt: *A Principibus Lutheranis Catholicos non fuisse tyrannice electos & expulsos; sed permissam ijs fuisse libertatẽ credendi, & acceptandi Lutheranam religionem: id si non facerent, decretum, in alia loca se conferre vt possent;* quasi vero non etiam deberent. Ita nimirum in suis libertatem vocant, quam in nostris plane diuersa nomenclatura tyrannidem.

Sed & diserte Lutherani Centuriatores Centuria 7. pag. 14. eiusmodi pacta & conuenta in suæ religionis præiudicium inita detestantur: *Considerent*, inquiunt, *omnes sana tantum mente præditi (non iam de pijs Deumque timentibus loquemur) qualia sit iustitia vel æquitas, quam conformis ipsi rationi, quod latronibus ac lupis, hoc est, hostibus animarum (quid enim nocentius est animabus falsâ doctrinâ) securitas & libertas permittitur, vt voce, stylo, libris longe lateque per orbem Christianum dispersis, lucem verbi diuini obscurent, gloriæ Dei detrahant, Spiritum Sanctum turbent, animas hominum in æternum exitium & regnum diaboli pertrahant? è contra autem veris, sinceris, fidelibus animarum curatoribus non relinquere liberum* (vti nimirum fit apud Sectarios) *quidquam opponendi & tuendi lucem veritatis patefactæ, vindicandi gloriam Dei, monendi oiculas, vt aconita & cicutas istorum præstigiatorum vitent, fugiant & execrentur. Cogitent, inquimus, omnes qui hominum vocabulo digni censeri volunt, an non atroci & crudeli hoste emergente, qui Regionem aut Rempublicam inuadit, intendit ædes, aufert bona, ciues vbicunq; potest capit, truncat manibus ac pedibus, atq; ita abijcit; an non inquimus ibi Magistratus hostem nominatim publicè voce ac scriptis indicant, qualisnam ille sit, quod ei nomen sit, corporisq; habitus quasi depingunt, vbi soleat vagari, aut latrocinia sæua exercere demonstrant & monent, vt vnusquisq; sibi caueat, armis sese instruat nec aliquid damni accipiat? Hæ cum omnes gentes etiam faciant, & iudicent eum Magistratum, qui id negligit aut commuet ad mactationes subditorum, odio & omnibus diris atq; excecrationibus dignum esse, cur igitur in regno Christi, vbi Ministri verbi sunt animarum curatores, id ne fiat prohibetur? O quam scueram & tristem vocem aliquando in nouissimo die omnes illi politici audient, quicunque tandem sunt, qui diabolo hac ratione ad plurimorum animas trucidandas libertatem permiserunt, potestatemque contulerunt, CHRISTO vero ipsi & Spiritui Sancto fræna in os iniecerunt, ne quid contra hisceret.* Ita Lutherani pro sua religione, nos verius pro nostra iudicamus. 91

Caluinistæ vero multo hic etiam durius, ne dicam crudelius verbo & factis docent, vt in Amuleto castrensi cap. 3. & 6. fusius ostendi. Certe is ipse noui cuiusdam syncretismi suasor, & fucati Irenici fictor Dauid Paræus in caput 1. Epist. ad Roman. his verbis scribit: *Magistratus Christianus non debet confusionem in religione permittere, sed solam veram religionem tueri atque defendere.* Ex quibus omnibus satis patet, quæ assertio superius proposita, per se loquendo, & quoad fieri potest libertatẽ credendi nec permittendam, nec promittendam esse. Nũc quæ supersunt prosequamur. 93

Assertio II. Sed & vt à Principe Catholico in sua ditione, siue ex parte obiecti seu religionis amplexandæ, siue ex parte temporis, absoluta vndique & incircumscripta, adeoque perpetua credendi libertas, pacto aut iuramento concedenda firmetur, moraliter & practice vix vnquam licite fieri potest. Quoad hoc 94

sentio

sentio cum auctoribus tertiæ sententiæ; nec alijs, vt opinor, Doctoribus, qui hac de re scripserunt, magnopere repugnantibus.

Ratio primæ partis est; quia eiusmodi pacta, quod omnes fatentur, iniri non possunt, nisi vel maioris mali vitandi, vel maioris boni consequendi gratia: atqui moraliter vix vnquam fiet, vt prudenter iudicetur inter Christianos, siue ad maius malum vitandum, siue ad maius bonum consequendum, esse necessariam aut vtilem cuiusuis etiam impiæ ac superstitiosæ religionis permissionem; quando nihil in Republica Christiana pestilentius cogitari potest, quam libertas credendi quidlibet, ipsumque adeo Iudaismum, Turcismum, Ethnismum seu Atheismum prolibitu profitendi; cum nec in veteri Romanorum adhuc gentilium Imperio vnquam, & vix inter barbaros talis credendi libertas concessa reperiatur,

95 Ratio secundæ partis sumitur ex fundamento primæ sententiæ. Quia omnis eiusmodi ex parte temporis absoluta & indefinita pactio seu conuentio, per se loquendo, & quantum est ex natura rei, omnem Principi etiam in perpetuum adimit facultatem permissam hæresin ex sua Prouincia exterminandi; etiamsi mutatis rerum circumstantijs id quandoque oportunum esset futurum; semper enim vi sui pacti inhibebitur, ne id vnquam ausit facere, si modo violatæ fidei reus haberi non velit, vt dicetur dubio sequenti. Vt vero eam potestatem auferri sibi Princeps patiatur, committere nunquam debet, vt primam sententiam recte argumentantem vidimus.

96 Quare etiam Ambrosius epist. 33. potius moriturum se professus est, quam vt basilicæ ius ab Ecclesia alienatum hæreticis traderet. *Conuenior*, inquit, *à Comitibus & tribunis, vt basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure suo vti; eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi, si à me peteret quod meum est, id est fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum, me non refragaturum; quamquam omnia, quæ mea sunt, essent pauperum. Verum ea quæ diuina, Imperatoriæ potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, inuadite: si corpus, occurram? Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi: non ego me vallabo circumfusione populorũ; nec altaria tenebo, vitam obsecrans; sed pro altaribus gratis immolabor.* Et in sermone ad plebem intra basilicam: *Aduertitis, quid iubeatur, cum mandatur, Trade basilicam. Hoc est, dic aliquod verbum in Deum, & morere. Nec solum dic aduersus Deum, sed etiam fac aduersus Deum.* Ita magnus Ambrosius.

Dixi autem in assertione *Vix*; quia aliquando oppositum fieri posse, vti non affirmo, ita neque negare velim; minus examinare aut improbare ea, quæ à summis principibus iam olim, vtique non sine magna causa facta sunt. Suum olim quisque onus portabit, & de eo rationem Deo reddet.

97 Assertio III. Sed neque semper, quotities licet hæresin tolerare siue permittere, licitum est etiam Principi eam permissionem pacto aut iuramento firmare. Hæc assertio est contra secundam sententiam superius relatam; sed quæ meo iudicio apud omnes certa & indubitata esse debet. Ratio est; quia nuda permissio mali alicuius per se non aufert Principi potestatem ac facultatem, id malum, suo arbitratu, cum id oportunum videbitur prohibendi ac tollendi: quod tamen facit pactum seu promissum de eo tolerando, vt dictum. Plus ergo requiritur, vt malum aliquod in Republica tolerandum pacto aut iuramento firmetur, quam vt simpliciter ac nude solum toleretur. Quod cum in permissione cuiuslibet mali verum habeat, tum multo verius censendum est in re præsenti; vbi de permissione summi alicuius mali, videlicet hæresis, agitur.

Neque obstat oppositæ sententiæ fundamentum; ad quod dupliciter respondetur. Cum enim dicitur; quod licitum est facere, etiam licitum est faciendum promittere, verum est per se loquendo; non autem si per accidens ex promisso malum aliquod seu incommodum oriatur, quod ex solo facto, seu permissione non oritur; vti in præsenti fieri demonstrauimus. 98

Deinde responderi potest: Quod licet permittere, etiam licitum esse permittendum promittere, vniuersim & absolute verum esse, si promissio illa in sensu accõmodo accipiatur, vt nempe licitum sit promittere permittendum, quod & quamdiu licitũ est permittere; ita nimirũ vt si mutatis circumstantijs malum illud, seclusâ etiam promissione, recte tolerari amplius non possit, tum nec promissio quidem ad id tolerandum obliget. Verum nec pacta absoluta hoc sensu intelliguntur; nec si pactum ita explicetur, aduersa pars vnquam hoc sensu promissionem acceptabit; nisi forte determinate certum aliquod tempus seruandæ pactionis definiatur, iuxta sensum assertionis sequentis.

Assertio IV. Recte tamen eiusmodi pacta & conuenta, de toleranda hæresi, ad certum aliquod & definitum tempus ineuntur; cum id prudenti ac moraliter certo iudicio necessarium iudicatur, ad maius aliquod malum euitandum, vel melius bonum obtinendum. Ita omnes huius temporis scriptores; speciatim Molanus libro 1. de fide hæreticis seruanda cap. 21. & 23. & libro 3. cap. 17. Becanus disp. de fide hæreticis seruanda, & alij. Ratio sumitur ex dictis. Quia quibus circumstantijs licitum est aliquid permittere, licitum est etiam permittendum promittere ac pacisci, vt dictum. Cum ergo certis circumstantijs concurrentibus, prudenter iudicatur, pro aliquo certo tempore, ad vitandum maius malum, vel obtinendum melius bonum, necessarium esse hæresin tolerare, poterit etiam pro eodem tempore pactum & promissio intercedere, de eodem malo tolerando; quandoquidem tunc ex pacto & promissione nullum Reipublicæ aut Ecclesiæ incõmodum obuenit, quam quod cum ipsa necessaria tolerationi mali cõiunctum est; aut si quod præterea incõmodum sequitur, id ipsum vel præuisum non est, vel certe prudenter iudicatur alteri cuidam maiori malo vel bono postponendum. Atque ad hunc etiam modum 99

video, tum in Imperio initio defectionis; tum etiam nuper in Belgio, pacta cum Sectarijs de libertate religionis inita, à summis & potentissimis principibus fuisse conformata.

100 Dixi tamen, *prudenti & moraliter certo iudicio* iudicatur; quia suspicio & leuis timor mali, præsertim qualis ex parua confidentia erga Deum in hominibus politicis sæpe oriri solet, hac in re procul habendus est, simulque aduertendum, sæpe Principem Catholicum ad eiusmodi pacta ineunda compelli, non tam ob hostium potentiam, quam ob parum fidam suorum Prouincialium operam & assistentiam; quo quidem casu, etsi Princeps excusari possit à culpa rei Catholicæ male procuratæ; illi tamen, quorum vecordia Princeps in eam necessitatem coniectus est, à graui peccato excusari nequaquam possunt.

101 Assertio V. Quod si tempus & locus patiatur, nullumque adeo in mora periculum sit, consultum, imo etiam necessarium erit, super eiusmodi pactis & conuentis, an & quatenus licite fieri possint, Romanum Pontificem consulere. Id consultùm esse tradit Molanus libro 3. cap. 12. de fide hæreticis seruanda, vbi ait: *Itaque vt vtrinque auferatur diffidentia, nihil tutius est, quam vt in rebus tanti momenti, & quæ periculose tractantur, ipsius etiam Maximi Pontificis auctoritas interueniat: vt quod semel bene tractatum est; postea absque scrupulo & remorsu retineatur, quamdiu aduersarius aperte pacta non transgreditur.*

Sed cur etiam hoc necessarium videatur, duplex est ratio. Prima; quia cum in eiusmodi pactis & conuentis tractetur non de villis aut agris; nec de vllis rebus temporalibus; sed de religione rebusque spiritualibus; ac simul per ea saltem ex consequenti derogetur communibus iuribus & legibus Ecclesiæ, ad quæ alioquin tuenda Principes ipsi, velut Ecclesiæ protectores obligantur, necessarium videtur, per se loquendo, vt ea inconsulto Summo Pontifice, ad quem eiusmodi causæ pertinent, non ineantur; cuius est statuere & iudicare, quid præsenti

102 Ecclesiæ statui expediens sit. Altera causa est, vt pacta eiusmodi & conuenta firmius subsistant; ne forte si postea Pontificis auctoritate ex causa nonnunquam (iuxta dicenda dubio sequenti) irritentur, noua scandala perturbationesque in Ecclesia subsequantur.

Idem docet Robertus Swertius dissert. de fid. hæret. seruanda sect. 9. vbi ait: *Principi seculari nulla ratione permissum est, hæreticis licentiam tribuere hæreses suas docendi: atq; adeo cõtractus ille iniustus & in Ecclesiæ præiudicium; nisi authoritate eius, qui sacris præst, roboretur; sicuti in inducijs nostris* (Belgicis) *factum scimus. Ratio autem à priori hæc est. Nunquam permissum est, vt inferior scilicet secularis Princeps, in superioris, id est, Pontificis tribunal inuolet. Sicuti si Romanus Pontifex sine causa disponat de bonis Principis secularis, ea alienando, aut donando, donatio illa siue dispositio nullius omnino valoris sit; pari ratione si quid Princeps secularis attentet, in præiudicium Ecclesiasticæ potestatis, aut contra eam aliquid statuat, & paciscatur, pactum illud nullum futurum. Quare qui solida fœdera irrefragabilia, & nunquam violanda desiderat, auctoritatẽ tum secularis, tum Ecclesiastici Principis imploret.* Hactenus ille. Sed quod addit tale pactum etiam inualidum esse, dubio sequenti expendetur, vbi de valore & obligatione talium conuentionum ac promissionum agendum.

DVBIVM IV.

An & quousq; eiusmodi pacta & conuenta de tolerandæ religionis libertate obligent, ac necessario seruanda sint.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 11.

Diximus dubio præcedẽti, posse nonnunquã à Principibus Christianis pacta quædã & conuenta de falsa aliqua religione toleranda iniri, sed 103
an & qua ratione obligent, hoc dubio discutiendum restat. In qua re illud inter omnes constat, promissi fidem, & pacta non esse seruanda, si pars altera, cui fides data, prior fidem fallat, iuxta expressam regulam Iuris 78. in 6. vt docui etiam in Amuleto Castrensi c. 2. & fusius persequitur Ioannes Molanus de fid. seru. lib. 1. cap. 14.

Cæterum difficultas potissimũ est in his casibus. Nimirum I. Si pacta eiusmodi minus prudenter ac consulto, nec sine peccato inita sunt. 2. Si mutatis rerum circumstantijs, incipiant esse pernitiosa Reipublicæ, vel Ecclesiæ. 3. Si per vim, vel fraudẽ extorta sint, præsertim à subditis rebellibus. 4. Si summo Pontifice inconsulto inita, eidem postea improbentur, vel ab eo etiam irritentur, De quare duæ possunt esse extremæ sententiæ. Prima; in his casibus pacta eiusmodi non obligare, eo quod vel sint iniuste extorta; aut illicita. Secunda; ea vsq; adeo esse valida, vt quamdiu pars altera fidem non frangit, absolute & necessario seruanda sint, non obstante vlla etiam Pontificis dispensatione. Nostra vero sententia in sequentibus assertionibus consistit.

Assertio I. Eiusmodi pacta & conuenta 104
inter Principes, non habentes in sua administratione superiorem, legitime inita, per se loquendo, ac vbi vis aut fraus nulla interuenit, necessario etiam in conscientia seruanda sunt. Ita Molanus libro 1. capit. 25. 26. 27. & 28. Becanus in disput. de fide hæreticis seruanda capit. 7. & in aphorismis Iesuitarum, & in quæstionibus miscellaneis quæst. 4. & sequent. Hermas Letmatius de fide hæreticis seruanda, Robertus Swertius dissert. de fide hæreticis seruanda sect. 8. & alij Catholici scriptores omnes. Probatur ex scriptura, quæ grauiter improbat, & vindicatas fuisse docet fœderum violationes. Vt patet ex fœdere filiorum Iacob cum Sichem, Genes. 34. & 49. ex fœdere Mesa Regis Moab cum Israel 4. Reg. 3. ex violato fœdere Sedechiæ Regis Iuda cum Nabuchodonosor Rege Babylonis 2. Paralipp. 26. & Ezech. 17. Denique ex ipso fœdere Israelitarum cum Gabaonitis, licet ab initio per fraudem elicito, sed postea voluntarie comprobato & confirmato, Iosue 9. & 2. Reg. 21. Ratio est; quia iuris diuini & naturalis est, pacta & cõuenta, præsertim publica, & publica auctoritate inita,

per

per se loquendo, seruanda esse. Accedit, quod omne humanæ societatis vinculum rumpi necesse est, vbi pactis & conuentis nulla est fides, aut nulla esse existimatur.

105 Neq; hanc assertionem aperte negant Sectarij, sed potius calumniantur Catholicos Doctores, quasi ipsi nullam hæreticis fidem seruandam esse doceant. Sed est manifesta calumnia, vt citati demonstrant. Obijciunt primo Conradum Brunum de hæret. l. 3. c. 15. & Simancham Catholicarum Institutionum c. 46. quasi docuerint, aut nunquâ esse licita pacta eiusmodi cum hæreticis, aut non esse valida, adeoq; fidē hæreticis seruandam non esse. Sed hi vniuersim ita non sentiunt; sed limitate & in certis casibus loquuntur. Brunus ea pacta esse illicita docet, per se loquendo, & extra casum necessitatis, vt nos etiam docuimus. Vterque etiam docet, inualida esse pacta cum hæreticis, in rebus illicitis, vt pluribus demonstrat Heissius noster in refutatione aphorismorum Iesuit. cap. 2. aphoris. 1. à n. 47. Siquidem Simancha ipse loc. cit. ait: *Si fides hæreticis data esset à Principe, vel publica potestate, exacte seruanda esset: si modo quod addixisset, non sit de illo genere rerum, quas lex aut inspirata, aut naturalis vetat præstare.*

106 Secundo obijciunt Concilium Constantiense, in quo hæreticis, Hussio & Hieronymo Pragensi & re ipsa fidem seruatam non fuisse, & vniuersim hæreticis seruandam non esse doceri, aiunt. Respondetur, vtrumque falsum esse. Nam Hussio quidem à Concilio salui conductus fides data nulla est, à Sigismundo Imperatore data est; sed in communi forma, adeoque contra violentiam iniustam, saluâ semper iustitiâ, & iuris executione; addito simul interdicto, quo eidem sub pœna capitis prohibuit fugam: quam conditionem cum Hussius non seruasset, & à fuga retractus, nollet hæresin abiurare, à Concilio velut hæreticus damnatus, degradatus, & sæculari brachio puniendus traditus est, absque vlla violatæ fidei culpa, iuxta communes iuris Cæsarei leges, L. *Quicunq;*. Cod. de hæreticis.

Hieronymus item Pragensis accepit quidem saluum conductum, non ab Imperatore Sigismundo, sed à Concilio Constantiensi; verum hac ipsa clausula expresse addita, *Saluâ semper iustitia*, vt habetur in eodem Concilio session. 6. Qui proinde cum præsens, disputando, de hæresi conuictus esset, eamque abiurasset, vt videre est in eodem Concilio session. 19. postea denuo in hæresin relapsus, cū fuga se subduxisset, reductus, & absq; vlla iniuria exustus est, ibidem sess. 21.

107 Ad doctrinam vero eiusdem Concilij quod attinet, nusquam in eo statuitur, fidem hæreticis seruandam non esse. Sed in hunc modum solum decernitur session. 19 *Præsens S. Synodus, ex quouis saluo conductu per Imperatorem, Reges, & alios sæculi Principes hæreticis, vel de hæresi diffamatis concesso, nullum fidei Catholicæ, vel iurisdictioni Ecclesiasticæ præiudicium generari, vel impedimentum præstari posse seu debere declarat, quo minus dicto saluo conductu non obstante, liceat iudici competenti & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire quantum iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint; etiamsi de saluo conductu confisi ad locum venerint iudicij, alias non venturi: nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* Quod quidem decretum & per se rationi maxime consentaneum est; quando superior legibus aut pactis inferioris non ligatur, vt omnes Iureconsulti docent, ex Capit. *Cum Inferior*, Extra de maioritate & obedientia; & fidem hæreticis seruandam non esse, nulla ratione indicat.

108 Tertio obijciunt duo, vt vocant, Concilia Lateranensia; primum est Concilium Romanum IV. sub Gregorio VII. vbi dicitur: *Nos Sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunitatis fidelitate, aut Sacramento constricti sunt, Apostolica authoritate à Sacramento absoluimus; & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Idem refertur Canone, *Nos Sanctorum* 5. quæstione 6.

Alterum est Concilium Lateranense sub Innocentio III. vbi ita loquitur Pontifex: *Si vero Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, suam terram purgare negligeret ab hæretica fœditate, excommunicationis vinculo innodetur; & si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse Vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant.*

109 Respondetur, neutrum decretum ad institutum quidquam facere; non solum quia in neutro decreto sermo proprie est de hæreticis; sed potius de Catholicis, vt ea decreta legentibus patebit; verum etiam quia in neutro decreto decernitur, fidem excommunicatis nullo modo seruandam, sed solum est sermo de speciali fide & iuramento, quo subditi suis dominis adstringi solent, à quo iuramento, demptâ scilicet Excommunicato, per Summum Pontificem, tanquam supremum Ecclesiæ caput, iurisdictione, subditi absoluuntur; iuxta ea, quæ de pœnis hæreticorum superius dicta sunt: quin autē specialis aliqua conuentionis, seu pacti præsertim publici fides, ex iusta causa initi, hæreticis vel excommunicatis seruanda sit, nullo modo negatur.

110 Quarto obijciuntur quædam decreta Pontificum, præcipue Gregorij IX. in epistola ad Archiepiscopum Mediolanensem, vbi ait: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, & totius obsequij, quicunque lapsis manifesto in hæresin aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebantur obstricti.* Simile est decretum Sixti V. aduersus Regem Nauarræ, & Principem Condæum, propter hæresin olim excommunicatos.

Respondeo, neque ista decreta ad institutum pertinere; posterius enim nec de pactis publicis agit, quæ cum hæreticis inita sint; & particulare

111 est, quod alijs nihil præiudicat. Prius vero decretum loquitur de pactis, quæ cum aliquo, ante lapsum eius in hæresin fuerunt inita, non autem de pactis publicis, quæ cum ipsis hæreticis & infidelibus publica præsertim authoritate legitime ineuntur.

Quare concludo cum Molano libro 3. de fide hæreticis seruanda cap. 10. cum ait: *Fateor quidem, esse aliquo numero Iurisconsultos, qui doceant, fidem priuatam hæretico, quia est hostis publicus, seruandã non esse.* (quod ipsum tamen hodie in Imperio circa toleratos hæreticos locum non habet:) *sed nullum*, inquit, *scio Theologum, neq; etiam clari nominis Iurisconsultum, quin conformiter doceant, fidem publicam hæretico seruandam esse; de quo solo præsens controuersia instituitur.* Ita Molanus.

Qui tamen libro 1. cap. 29. recte docet, etiam fidem priuatam, quæ in Reipublicæ damnum nõ vergat, per se loquendo, hæreticis seruandam esse, vt colligitur etiam ex Couarruuia, Aiala, contra Zasium apud eundem l. 1. c. 17. Certe toleratis hæreticis in imperio etiam priuatam fidem seruandam esse, indubitatum est.

112 Assertio II. Eiusmodi pacta & conuenta seruanda sunt Principi, etiamsi initio minus prudenter & circumspecte fuerint inita; quamdiu legitima Superioris auctoritate non irritantur. Ita videtur habere cõmunis sententia apud citatos: estque id commune omnibus pactis & iuramentis, vt sola per se inconsideratio siue imprudentia alterius contrahentis ea irrita non reddat: esto ob eam inconsiderationẽ peccauerit promittens & contrahens: dumodo res ipsa, quæ promittitur, non sit per se mala. Ita enim promissio mutua matrimonij, etiam absque parentum scitu & consensu facta, obligat; etiamsi ea promissio non omni culpa vacauerit. Ita etiam qui iuramento promisit, se ad carcerem tyranni rediturum, per se loquendo, non peccat, si iuramento satisfaciat; licet alioqui temere Tyranno ad necem se offerre non liceat. Ita etiam promissio iurata donationis, quamuis alioquin prodigæ, per se loquendo, implenda est.

113 Ratio est; quia licet quæ eiusmodi sunt, secluso pacto & iuramento, non liceant, tamen accedente iuramento, ob eam causam licita fiunt, quod cum maius malum existimetur esse, circa res eiusmodi pacta & iuramenta non seruare, (ne scilicet humanæ societatis vinculum, quod fide pactorum & iuramentorum potissimum continetur, dissoluatur) iam hoc ipso necessitate fidei seruandæ cohonestantur; ita vt circumstantia illa praua ipsam quidem eiusmodi promissionem, non autem materiam promissam afficiat & dehonestet: quod tamen de alijs rebus intrinsece malis dici nullo modo potest. Et confirmatur assertio; quia alioqui via aperiretur, qua omnium prope pactorum & conuentorum valor negari, aut sane in dubium vocari posset.

114 Assertio III. Sed etsi pacta eiusmodi & conuenta initio, boni publici causa, legitime inita, postea successu temporis, mutatis rerum circumstantijs, communitati seu Reip. grauia & incommoda incipiant esse, existimandum non est ea vim nullam deinceps habere. Ita recte Molanus lib de fide hæreticis seruanda capit. 14. cap. 12. vbi ait: *Velle rescindere fidem, quando illud, quod rectè promissum est, aliquid mali vel consequitur, vel consequi videtur, quid hoc est aliud, quam omnem vim publicæ fidei eneruare? Cum enim fœdera fere fiant inter regna, Resp. Principes, & potestates, quam facile fœdere inito aliquid mali consequitur? Vnde si fides rescindi posset, non video, quomodo non dico omnis, sed vnius controuersiæ ciuilis finis possit esse iuramentum, vel fides publica.*

Ratio est; quia hæc est mens contrahentium, 115
vt inito pacto, tam eõmoda, quam incommoda, vtrinq; exæquentur, & pari vtraq; pars incõmodorum subsequentiũ periculo exposita, ea vi pacti ex æquo tolerare teneatur. Et confirmatur. Tum quia alioqui itidem aperiretur ianua, ad pacta & conuenta pro arbitrio rumpenda. Tum quia vi ipsius pacti reipsa transfertur aliquod ius in partem alteram, quam possesso iure spoliare, ob incommoda postmodum obuenientia, non licet: sicut non licet retractare emptiones, alioq; contractus, etiamsi post initum contractum inde incõmodum oriatur; & idcirco sera pœnitentia alterum contrahentium incessat.

Quare quod nonnulli ex Catholicis scriptoribus indicant, eiusmodi pacta cum hæreticis inita vlterius non obligare, quam quousque, rerum circumstantijs non mutatis, ipsa hæresis, etiam secluso pacto, licite tolerari potuisset, siue ob maius malum vitandum, siue ob maius bonum consequendum, probare non possum; quia nemo hac ratione vlla pacta seu fœdera ineunda putabit cum alia parte contrahente, quæ non nisi tamdiu ad seruanda pacta se obligatam sentiat, quamdiu nullum ex pacto incommodum sentiat. Et quamuis secluso pacto, princeps, mutatis ita rerum circumstantijs, hæresin licite non toleraret, tamen supposito pacto, licite ac necessario tolerat; quando ab ea euellenda excludit moralis impotentia, ne fidem fregisse videatur, vt in simili dictum assert, præcedente. 116

Assertio IV. Sed neque pacta eiusmodi 117
eo ipso continuo irrita censenda sunt, quod à Principe cũ subditis rebellibus necessitate quadã, seu spe maioris boni ineuntur. Ita docet contra nonnullos Molanus lib. 1, de fide hæreticis seruanda cap. 3. & lib. 4. cap. 4. vbi ait: *Quæritur an conuentiones, quas subditi per rebellionem extorquent, seruandæ sint, an non sint. Quidam asserunt seruandas non esse. Quæ sententia si vera sit, irrita erunt, & illusoria omnia pacta, quæ hactenus Alexander Farnesius, & auunculus eius Philippus Catholicus Rex* (huiusque filius Philippus III.) *cum rebellibus subditis transegerunt; quod pientissimæ eorum aures horrent audire. Sciunt enim, non decere Principem labium mendax, & nullam rem vehementius Rempub. continere, quam fidem. Sciunt, non modo publica cum hostibus, sed etiam priuata cum quibuscunq; pacta sancte conseruanda esse, ac fidem rerum promissarum maxime apud Principem consistere oportere. Didicerunt in schola Christi illud Apostoli Ephes. 4. Induite nouum hominem, qui secundum*

Deum

Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisq; cum proximo suo. Itaque fatessat pernitiosum & seditiosum illud dogma; quod castæ aures audire nolunt. Quamquam enim magnum discrimen constituatur inter rebelles & hostes; eo quod rebelles nullum habeant ius hostile; ex vsu tamen loquendi hostes vocantur omnes, contra quos arma feruntur. Et sicut vsu loquendi hostes dicuntur, ita eâdem phrasi dicuntur iure belli pacem, inducias, pacta, redemptionem, & similia postulare. Atque vt demus, his nihil belli iure deberi, debentur tamen eis quæcunque per conuentiones promittuntur. Hactenus Molanus.

118 Ratio sumitur ex dictis. Tum quia licet rebelles subditi nulla eiusmodi fœderis, aut pacti societate digni sint, cum quibus Princeps paciscatur; & vero etiam absque pacto, quibusuis medijs ad Principis voluntatem, debitumque obsequium compelli possint; Princeps tamen, hoc ipso, quod re ita postulante, cum eis paciscitur in animum inducit, cedit quoad hoc iuri suo, ipsosque subditos eâ conditione constituit & habet, qua cum illis, velut hac in re sui iuris, paciscitur possit. Rationi accedunt exempla potentissimorum Principum, non solum extra Imperium, sed etiam in ipso Imperio, vt ex dictis colligitur.

119 Assertio V. Quod si vero eiusmodi pacta ab altera parte per fraudem, falsamque informationem sint elicita, merito censentur robore ac valore carere. Ita sentit Martinus Becanus disp. de fide hæreticis seruanda cap. 10. & in responsione ad aphorismos Iesuitarum; & videtur communis aliorum sententia. Probatur ex lege *Nullus*, Cod de Summa Trinitate & fide Catholica, vbi de hæreticis statuitur. *Sciant omnes etiam, si quid speciali quolibet rescripto* (eadem videtur ratio pacti) *per fraudem elicito, ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere.* Ratio est; tum quia fraus ex parte alterius contrahentium, quæ pacto causam dedit, ipsum pactum prorsus inuoluntarium reddit, animumque obligandi, ex eius parte, qui fraudem patitur, plane excludit; in quo fraus differt à metu, vt dicetur. Tum quia commune est hoc omnibus pactis, vt si ab altera parte contrahente per fraudem elicita sint, robore careant.

Quare etiam verius videtur, pactum & iuramentum Israelitarum, quod cum Gabaonitis olim interceserat, saltem ab initio, & per se loquendo, nisi vel erronea conscientia, vel etiam publici scandali causa obstitisset, in conscientia, vim nullam habuisse; vt recte contra Nicolaum Lyranum docet Abulensis Iosue 9. quæst. 19. & seqq. esto postea libera ratificatione ipsius Iosue & Israelitarum fuerit consolidatum, vt colligitur, ex 2. Reg. 21.

120 Assertio VI. At vero si citra fraudem, quamuis per apertam vim extorta sint, quandiu à superiore legitime non irritantur, obligant ac necessario seruanda sunt. Ita Molanus lib. 4. de fide seruanda cap. 4. & 5. art. 6. Ratio est. Tum quia vis seu metus illatus per se non tollit voluntarium, ad pacti valorem necessarium: est enim quod ex metu fit simpliciter voluntarium, & non nisi secundum quid inuoluntarium. Tum quia eadem ratione pacta & iuramenta cum hoste inita, quamuis per iniustam vim & bellum extorta, seruanda sunt. Tum quia Princeps ita paciscens, remittit & condonat quasi defectum cognitum alterius partis contrahentis, si quem alioquin ex illa via ad contrahendum haberet.

Id quod multo verius est, si etiam iuramento pactum fuerit confirmatum; quando etiam prædoni seruandum est promissum iuramento confirmatum, nisi à Superiore relaxetur; esto alioquin priuata pacta, ab altero contrahente per vim extorta, in conscientia, vim nullam habeant. Idem docui in Amuleto castrensi cap. 2. & consentit Molanus lib 4. de fide seruanda cap. 7. & 8. vbi addit, captiuum prædonis non teneri de lytro suo iurare, secundum intentionem potentis; sed posse æquiuocatione deludere, aliudque intendere, quam intendat ille, cui iuratur. Secus se res habet in pactis & conuentis publicis, vbi locus non est æquiuocationibus, vt suo loco pluribus doceo.

Assertio VII. Quamuis autem summus 121
Pontifex eiusmodi pacta, suo arbitratu non possit dissoluere, si tamen inconsulto, vel non consentiente eodem Pontifice inita sint, intelligenda sunt saluo iure Pontificis & Ecclesiæ, ac Ecclesiasticæ iurisdictionis; quibus ea pacta per se præiudicare non possunt. Priorem partem tradit Molanus libro 3. cap. 14. vbi ait: *Romani Pontificis auctoritatem nullam esse ad destructionem, sed ad ædificationem. Quia autem absque magna destructione non posset dispensare, vt fides publica à Concilio, aut Principe violetur; ideo dispensationis eius auctoritas & potestas eo se non extendit. Neque vllum hactenus extitit, aut vnquam extabit huius rei exemplum. Nam si Romanus Pontifex semel in fidei publicæ transgressione dispensaret, quod hoc non foret legitima dispensatio, sed potius dissipatio probatur: quia deinceps nemo posset securus esse habito à Rege, aut alterius tituli Principe saluo conductu, aut solemni iuramento: eo quod semper periculum foret, ne regia potestas id via dispensationis extorqueat, quod semel concessum esse nouit.* Ita Molanus; qui proinde significat, Pontificē nunquam posse eiusmodi pacta & iuramenta dissoluere; siue in ijs dispensare.

Sed reuera Molanus loquitur in ijs solum casibus, quando Princeps circa propriam suæ iurisdictionis materiam, aut ex consensu Pontificis paciscitur, vt ex antecedentibus & subsequentibus, ipsoque discursu eiusdem colligitur.

Ratio igitur generalis est; quia Pontifex non habet potestatem in destructionem, sed ædificationem; at vero si suo arbitratu, ac pro libito in eiusmodi pactis & conuentis dispensaret, grauissima in Republica Christiana orirentur scandala & perturbationes; quia nemo amplius vlla eiusmodi pacta cum Catholicis Principibus ineunda putaret: Ergo. &c. Acce-

dit quod eiusmodi pacta sæpe Ecclesiæ possunt esse vtilia, ex ipsis præsentibus rerum circumstantijs, vt constat ex dub. præced. Ergo non potest ea Pontifex suo arbitratu ac pro libitu dissoluere.

123 Posteriorem partem assertionis, post Simancham, recte tradit Sebastianus Heiss in refutatione Aphorismorum cap. 2. aphoris. 1. num. 47. vbi ait: *Cum hoc crimen* (hæresis) *directe ad sacra tribunalia spectet, eis præiudicare nequeunt, seu priuatorum, seu Principum facta, in quibus semper hæc latet conditio, salus aliorum, & in primis vniuersalis Ecclesiæ iuribus.* Et infra numero 48. ait: *Iurisdictionem sacram non in omnibus, sed in casibus, Augustanæ confessionis religionem, fidem, ministeria, ritus, statuta, & ceremonias Ecclesiasticas attinentibus, suspensam saltem ad tempus esse voluit Ferdinandus Rex pijssimus, quantum ipse suspendere potuit; qua in re supremam sibi potestatem minime arrogauit*; ac proinde Pontifici integram reliquit.

Ratio sumitur ex dictis superius, circa assertionem primam, ex Concilio Constantiensi, quia superior legibus aut pactis inferioris non ligatur; quæ proinde iuri superioris præiudicare nihil possunt.

124 Supponit autem hæc assertio, eiusmodi pacta, ex hoc præcise capite, non esse irrita, quod absque consensu Pontificis inita sint, vt etiam supponunt citati; etsi contrarium significet Swertius in fine dub. præced. citatus. Ratio est. Quia tametsi Princeps improuide paciscendo peccet, non tamen peccare videtur contra iustitiam aduersus Pontificem, vel Ecclesiam; sed solum contra obedientiam, & religionem, ac charitatem; quarum virtutum defectu, pacta non irritantur. Neque materia propinqua eius contractus est spiritualis, sed temporalis, & Principis potestati subiecta; nempe Iurisdictio Principis, quæ in ordine ad certa peccata punienda, talibus pactis quasi inhibetur.

125 Assertio VIII. Imo verius est, si quando eiusmodi promissa & conuenta per vim iniustam extorta, & nulla Summi Pontificis auctoritate interueniente inita, quamuis etiam simul iuramento firmata, posse Summi Pontificis auctoritate & sententia, vbi id, spectatis & expensis diligenter omnibus circumstantij, Ecclesiæ oportunum videbitur, in irritum reuocari. Ita iam antea docui in Amuleto Castrensi cap. 2. eademque est generalis, & à Doctoribus communiter recepta doctrina Sancti Thomæ 2. 2. quæstione 89. articulo 7. ad 3. & constat ex vtroque iure Capit. *Ad audientiam*, de ijs quæ vi. Capit. *Debitores*, de Iureiurando, item Lege, *Metum* 9. Lege, *Si mulier*, 25. Lege, *Qui in carcerem*, 22. ff. Quod metus causa, & lege 1. Cod. de rescindenda venditione.

126 Ratio assertionis; est tū quia iuxta regulam vtriusque iuris, *Vis & fraus nemini patrocinari debet.* Tum quia qui vim intulit, tenetur ex iustitiæ obligatione vim amoliri, eumque quem læsit in suam pristinam libertatem restituere; adeoque remittere promissum, & iuramentum vi extortum: quod nisi faciat, quid nî aut læsus ipse (si cubi iuramentum non obstet) aut certe superior vtriusque, læsum suæ libertati vindicabit? Est autem Pontifex superior, & spirituale caput omnium Christianorum, cuius auctoritati ac potestati neque hæresis, neque vlla aliorum pacta derogare quicquam possunt. Accedit, quod eiusmodi pacta non solum ratione personarum contrahentium, sed etiam ratione ipsius materiæ, quæ est permissio hæresis, proprie Summo Pontifici & Ecclesiasticæ potestati subijciuntur. In vsu vero huius potestatis, magna opus esse circumspectione, vel ex eo patet, quod mihi quidem non constet, hactenus vnquam eam à Pontifice fuisse exercitam.

Neque vero hæc doctrina vel apud ipsos aduersarios exosa, aut scandalosa videri potest, quando ipsi multo liberius eandem, aduersus Catholicos, in sua causa, & verbo, & exemplo docent, vt ostendi loc. citat. Et prodest violentiæ iniustæ, malignam, sibique ipsi noxiam conditionem habere perspectam; vt ab ea tanto ipsi reddantur alieniores. Qui vero docent, eiusmodi pacta, quamuis per vim iniustam extorta, nec Summi quidem Pontificis auctoritate posse vnquam eneruari, animant potius hostes fidei, vt eo nocentiores esse pergant. 127

Et confirmatur eadem doctrina. Omnes enim Catholici fatentur, propter enormia flagitia, licite nonnunquam inhiberi posse vsum iurisdictionis, vt dictum superius dub. 5. & tradunt Becanus quæst. miscell. 6. n. 6. & Heiss cap. 2. aphoris. 4. n. 82. quid nî igitur tolli etiam possit obligatio pacti per vim extorti, & Ecclesiæ pernitiosi. 128

Ex quibus omnibus constat, non immerito Molanum cit. lib. 1. de fide hæreticis seruanda cap. 25. aduersus huius temporis Sectarios scripsisse: [Hi, qui sine pace & sine fœdere sunt, audent de sua fidelitate, homines aperte perfidissimi, gloriari, & omnem perfidiæ inuidiam in Catholicos retorquere. Non tantum in priuatos Doctores; sed in vniuersitates, in Concilia Oecumenica, in ipsam Romanam Ecclesiam. Ab his enim omnibus proficisci dicunt illud dogma, hæreticis fidem seruandam non esse. Sic illi ex suo prauo ingenio de alijs iudicant. Qui mendaces sunt, omnes mendaces esse arbitrantur. Homines lubrici & incontinentes, neminé arbitrantur continenter viuere. Similiter isti, qui in pace & fœdere viuere nesciunt, ex suo prauo ingenio omnes de perfidia suspectos habent. Et quia magno odio multaque impietate Ecclesiam Catholicam impugnant, ideo malitiosè mêtiri non erubescunt, nostram doctrinam esse, hæreticis nullam esse fidem seruandam.] 129

Certe fidem Catholicorum in seruandis promissis, magnifice commendat duplex exemplum, duorum augustissimorum, & potentissimorum Imperatorū, aduersus ipsum Hæresiarcham Lutherum; qui ni mirū literis Maximiliani Imperatoris comunitus, Augustę corā Cardinale Caietano illæsus cōparuit, & recessit; nō minus quā postea Wormatiæ Caroli Cæsaris verbo tutus fuit. 130

Contra

Contra vero quanta perfidiæ exempla de Sectarijs extent, præsertim Caluinistis, vel ipsis etiam de se mutuo quiritantibus, videri potest apud citatos; vt & apud Robertum Swertium dissert. sect. 12. & Maximilianum Sandæum, de emolumentis Dorthrechtanæ Synodi consid. 4. memb. 2. præter ea quæ hoc ipso tempore, proxime elapsis annis, & oculis nostris ipsi spectauimus, & non absque graui molestia & incommodo experti sumus: de quibus fusius egi in Amuleto Castrensi cap. 5. & 6.

DVBIVM V.

An, & qua ratione cum Infidelibus tum in quotidiano cõuictu, tum cooperãdo ad aliquod opus infidelitatis; tum etiam disputando possit communicari.

S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 7. & 9.

131 EGimus hactenus de tolerandis infidelibus; nunc qua ratione cum illis communicari, tum in quotidiano conuictu, etiam participando in aliquo opere infidelitatis; tum etiam sermonis ac disputationis officio possit, breuiter declarandum est. Et quod ad primum attinet, S. Thomas hic cit. quæst. 10. a. 9. absolute quærit, vtrum cum infidelibus possit cõmunicari, nempe communicatione politica, in conuictu, cohabitatione, mensa. Et respondet tribus conclusionibus, quæ nonnulla declaratione indigent.

Conclusio I. Communicare cum hæreticis & apostatis, qui à fide defecerunt, ecclesiastico iure, in pœnam ipsorum, prohibitum est. Probatur; quia vtrique per Ecclesiam excõmunicati sunt, cum quibus illicitum est communicare.

132 Cæterum hæc conclusio procedit quidem antiquo iure: at vero post bullam Martini V. editam in Concilio Constantiensi, quæ incipit *Ad euitanda*, communicare cum excommunicatis, adeoque etiam hæreticis, siue apostatis, communicatione politica, per se non est illicitum, nisi in duobus casibus, si quis videlicet nominatim sit excommunicatus & denuntiatus; aut notorius percussor Clerici; vt nunc post Antoninum, Caietanum, Victoria, Sotum, ex communi docent Henriquez lib. 13. cap. 5. num. 1. Suarez 3. part. tom. 5. disput. 9. sect. 2. & Toletus lib. 1. Summæ cap. 9. licet eam bullam aliter legant Nauarrus Manuali cap. 27 num. 35. & Couarruuias in capit. *Alma Mater* 1. part. §. 2. num. 2. ita nimirum, vt extendatur interdictum communicandi, tam ad quosuis notorios, quam ad nominatim excommunicatos & denuntiatos: vbi tamen ipsemet Nauarrus monet, casum notorij non esse vsu receptum, nisi quoad percussionem Clerici. Et quamuis alibi esset illicita communicatio cum quibusuis notorijs hæreticis, tamen in Germania, & similibus locis, illicita non esset ob multitudinem hæreticorum, & communicationis necessitatem, vt cum Nauarro ibidem, & lib. 1. Consilio 1. q. 24. notauit Gregorius de Valentia hic q. 10. punct. 5.

Conclusio II. Communicare cum infidelibus 133
qui nullo modo fidem Christianam receperunt, quales sunt Pagani, & Iudæi, nec ipsum ius diuinum aut naturale, nec aliqua lex Ecclesiastica, in pœnam quidem eiusmodi infidelium prohibet; imo nec vlla ratione in pœnam eorumdem, secluso speciali delicto, prohibere potest. Ita habet etiam communis Doctorum sententia. 134
Prima pars patet ex Apostolo 1. Cor. 10. v. 27. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes, propter conscientiam*; num scilicet idolis sacrificatum sit, an non sit. Posterior pars probatur ex eo; quia Ecclesia non potest animaduertere in eos, qui plane sunt extra Ecclesiam, nec pœna spirituali, nec etiam temporali, ob solam infidelitatem, ex dictis dub. 4. & 5. iuxta illud 1. Cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?*

Concilio III. In certis tamẽ quibusdã casib⁹, 135
merito ab Ecclesia prohibetur cõmunicatio cum infidelibus; tum in pœnã, ob peculiaria quædam delicta infidelium; tum ob fidei contumeliam vitandam; tum maxime ob cautelam; qua ratione inprimis prohibendi sunt simplices & infirmi in fide à communione quorumuis infidelium; præcipue ne magnam cum eis familiaritatem habeant, aut absque necessitate cum illis communicent. Probatur, quia Ecclesia habet ius tum defendendi honorem fidei, suorumque fidelium salutem; tum in casu delicti, etiam puniendi infideles, non quidem pœna spirituali Excommunicationis, sed temporali: siue alioqui tales infideles temporaliter subiecti sint Ecclesiæ, siue non sint, vt patet ex dictis citat. dub. 4. & 5.

Vbi notandum ex Capit. *Nullus*, & Capit. *Omnes*, causa 28. quæst. 1. communiter à Doctoribus colligi decem casus, quibus Christiani cum Iudæis, partim ob fidei contumeliam vitandam, partim etiam ob cautelam, communicare prohibentur, siue illi alioqui tẽporaliter Ecclesiæ subiecti sint, siue non sint; quos etiam recensẽt Azor tom. 1. lib. 8. cap. 22. nimirum 1. Habitare simul cum Iudæis. 2. Ad eorum conuiuia accedere, vel eos ad nostra inuitare; & sic vna cum eis cibum capere. 3. Simul cum eis in balneo lauare. 4. Eos infirmitatis causa curandæ aduocare. 5. Ab eis medicinas recipere, nisi forte pretio emptas. 6. In eorum domibus nutricem agere. 7. Eis famulatum præstare. 8. Seruitutis vinculo ab eis mancipari. 9. Eosdem publicis officijs inter Christianos præficere. 10. Vesci eorum azymis. Quæ omnia putat Azor mortalia esse, nisi forte materiæ leuitas, aut ignorantia, adde vel consuetudo excuset: imo Arragonius hic articulo 9. dicit, cessantibus in particulari casu causis prohibitionis, maxima ex parte excusari à peccato talem communicationem. In plerisque etiam casibus, adijcitur excommunicatio latæ aut ferendæ sententiæ, vt videre est apud Syluestrum V. *Iudæi* §. 2. & 3. 136

Caietanum in Summa V. *Iudæorum communicatio*, & Arragonium loc. citat.: Addit Azor loc. citat. prohibitum etiam esse Christianis, accedere ad Iudæorum nuptias, dies festos, synagogas, & cum eis ludere, vel choreas ducere: in quibus tamen receptæ consuetudinis, & sensus communis fidelium habenda videtur ratio.

138 Notandum secundo, in Concilio Toletano IV. V. & X. Matisconensi I. Aurelianensi III. item Agathensi, & Veneto, causa 8. quæstion. 1. statui quidem leges de eiusmodi periculosa conuersatione vitanda cum infidelibus, ac in specie, ne filius, aut seruus ad fidem conuersus maneat sub cura & dominio infidelium. Item ne cum infidelibus, præsertim hæreticis & Iudæis, matrimonia contrahantur; qua de causa etiam prohibetur lectio seu retentio librorum hæreticorum sub pœna excommunicationis in bulla Cœnæ; cæterum communem & vniuersalem aliquam legem Ecclesiasticam, qua simplicioribus speciatim prohibeatur omnis cõmunicatio cum infidelibus ijs, qui à fide defecerunt, non inueniri. Quocirca standum est hac in re iure naturali ac diuino vniuersim decernente, vnicuique peccatorum occasiones & pericula propinqua esse vitanda, iuxta illud Matthæi 18. vers. 8. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum. &c. & si oculus tuus scandalizat te, erue eum. &c.*

139 Notandum tertio, ob reuerentiam Religionis, & diuini cultus, à publicis Ecclesiæ precibus & officijs communi iure, & antiquo Ecclesiæ vsu excludi infideles; tum quod sancta sancte tractanda; tum quod eiusmodi preces ad communicationem mutuam inter fideles destinentur: attamen hac in re pro locorum & temporum diuersitate, receptæ & toleratæ consuetudinis habendam esse rationem. Quomodo autem à Sacrorum, & Sacramentorum communione, speciatim arceantur excommunicati, suo loco de Sacramentis dicendum erit.

140 Quæritur secundo, an, & quo modo infidelibus quibusuis in ipso opere infidelitatis communicare sit illicitum. Respondetur sequentibus assertionibus. I. Per se ac intrinsece malum est, directe cooperari ad peccatum infidelitatis, aut aliquid facere ea intentione, vt peccatum infidelitatis perpetretur. Patet. Quia facere, aut velle, seu intendere malum nunquam licet.

141 Assertio II. Dare, aut vendere infidelibus instrumenta infidelitatis, aut alias res per se destinatas ad superstitionem, quæ scilicet iuxta mores hominum, nullum alium vsum habent, quam vt sint instrumenta infidelitatis, per se loquendo cum mali speciem habeat, illicitum est. Colligitur ex S. Thoma infra quæst. 169. art. 2. ad 4. & est communis ac recepta doctrina. Ratio est, quia eiusmodi rem infidelibus præbens, aut præstans, per se loquendo, vbi alia causa non apparet, censetur id facere ad prauum vsum infidelitatis, quem scilicet res illa ex se, & iuxta mores hominum, ac præsentes rerum circumstantias habet. Talia autem sunt idola, vestes idolatricæ, Synagogæ Iudaicæ; quas proinde per se loquendo ædificare non licet, vt recte Maior in 4. distinct. 15. quæst. 15. Caietanus, & Arragonius q. 10. art. 4 Bannes art. 11. & Azor tom. 1. lib. 8. cap. 23. q. 14.

Assertio III. Res illas, quæ iuxta mores hominum consuetos, primarium bonum & licitum vsum habent, quales sunt, animalia, fructus, flores, &c. infidelibus dare, aut vendere, per se loquendo, non est illicitum. Patet: quia ex se nec malæ sunt, nec ad malum finem ordinatæ; neque tenetur per se loquendo venditor in ijs rebus vendendis sollicitus esse, ne emptor ijs abutatur. 142

Assertio IV. Per accidens tamen fieri potest, vt & res primi generis infidelibus vendere, dare, seu quouis modo præstare liceat; & has non liceat. Ita Syluester V. *Infidelitas* quæst. 4. & Gregorius de Valentia hic quæstione 10. punct. 5. Probatur & declaratur. Si enim Christianus sciat, Iudæum v. g. aut alium infidelem ad suas superstitiones, quamtumuis inter Christianos toleratas, impie abusurum esse agno, alioue animali, quod æque commodè possit alicui alteri ad honestos vsus vendere, adeoque sine vllo suo incommodo infideli negare, eaque ratione impedire peccatum infidelis, is sane peccabit, si infideli vendat; quia saltem ex charitate, quantum in se est, impedire tenetur lapsum alterius, & offensam Dei. 143

E contrario si Christianus magna egestate prematur, quam aliunde subleuare facile non possit, is vendens infideli idolum, aut Iudæo in Synagoga ædificanda operam locans, à peccato immunis erit, non minus quam ab vsurario in necessitate mutuum petens, aut captiuus Christianus, in classe Turcarum remigans; si modo & mala intentio absit, & quacunque demum ratione constet, eum hoc non facere ea intentione, vt eiusmodi superstitioni faueat, aut eam quouis modo profiteatur. Ratio est. Talis enim intrinsece non cooperatur ad malum; & nec directe, vt suppono, nec indirecte intendit malum; cum etsi possit quidem alterius peccatum vitare, non tamen teneatur, tanto suo incommodo: ac præterea quoque speciem mali, quam habet talis actio, titulo perspectæ necessitatis, alteriusue rationabilis causæ, satis expurgat: Ergo non est, vnde talis actio reprehendatur, saltem secluso scandalo, aut fidei contumelia, extrinsecus aduenientes. Scio, nonnullos recentiores de hac re aliter sentire; sed nullum hactenus pro opposita sententia firmum intellexi fundamentum. 144 145

Assertio V. Cum ad vtriusque generis res, infidelibus abusuris subministrandas, requiratur aliqua rationabilis causa; maior tamen & grauior causa requiritur, vt res prioris generis, illis licite exhibeantur. Videtur ex mente omnium; & vt colligitur ex dictis. Quia res primi generis illis præstare, per se habet speciem mali, aliquo proinde grauiori titulo expurgandam; secundum non item. Vnde non ob 146

quam-

quamuis causam, qua licet agnum Iudæis vendere, non curando eorum superstitionem, licet etiam eis synagogam ædificare, aut idolum Pagano vendere. Imo addo, maiorem etiam hic requiri necessitatem, quam in mutuo ab vsurario petendo requiratur; cum nec hic talis mali species reperiatur.

147 Atque hac ratione conciliari posse videntur pugnantes in speciem Doctorum quorundam sententiæ; quorum quidam simpliciter aiunt, res prioris generis vendi infidelibus non posse, posterioris posse, vt Sanctus Thomas, Maior, Caietanus, Bannes, & Arragonius locis cit. qui loquuti videntur, iuxta sensum primæ & secundæ assertionis: alij ob causam rationabilem vtraque posse; sine tali causa neutros, vt Sylvester & Valentia locis cit. qui loquuti sunt ad sensum 3. & 4. assertionis. Plura inferius de scandalo, & Azor tom. 1. lib. 8. à cap. 20.

148 Quæritur tertio, an & qua ratione cum infidelibus publice aut priuatim disputare liceat. Respondetur ex mente Sancti Thomæ citat. quæstione 10. articulo 7. ad modum sequentem.

149 Assertio I. Disputare de fide, animo res fidei in dubium reuocandi, aut oppugnandi, vt hæretici faciunt, est peccatum mortale. Ita cum S. Thoma loc. cit. sentiunt omnes. Patet. Quia dubitare de fide nunquam licet. Quare legibus etiam Imperatorijs hæretici à disputationibus de fide arcentur, vt videre est in rescripto Martiani, lege *Nemo.* Cod. de Summa Trinitate & fide Catholica. Et mortaliter peccat, quisquis animo dubitabundo & nutante accedit ad disputandum de fide, paratus videlicet deserere fidem, si hoc ratio occurrens suadere videatur. Ei tamen, cui necdum fides est sufficienter proposita, omnino licet etiam hoc modo & medio ad explorandam veritatem vti, vt recte notarunt Caietanus cit. a. 7. & Valentia punct. 4.

150 Assertio II. Publice vel priuatim disputare de fide, siue ad conuincendos errores, siue etiam ad exercitium doctrinæ & ingenij, per se non est illicitum, sed laudabile. Consentiunt itidem omnes. Ratio est; quia oppugnare hæresin, & propugnare fidem; vel etiam seipsum exercere ad hoc vtiliter præstandum, vtique per se laudabile est: quod etiam probant exempla Christi, & Sanctorum, vt videbimus.

151 Assertio III. Nunquam tamen cum hæreticis disputandum est, nisi aliqua inde vtilitas cõsequutura speretur; vt nimirum vel ipsi, cum quibus disputatur, vel alij, qui disputationem audiunt, conuertantur ad fidem, vel certe in fide confirmentur: ita vt proinde minimum veniliter peccet, qui absq; omni spe piæ vtilitatis cum hæreticis de fide contendit. Est itidem cõmunis Doctorum. Ratio est. Nam præterquam quod facile huiusmodi disputationũ genere, & offendi possunt audientes, & noceri solet ipsis hæreticis, qui sæpe hac ratione pertinaciores, minusq; excusabiles à peccato redduntur, notum est illud Matthæi 12. v. 36. *Quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij.* Qua de causa etiam Tertullianus cum hæreticis de scripturis, seu ex scripturis, de singulis articulis figillatim disputare communiter illicitum, vel importunum censet, lib. de præscript. c. 15. 16. & 19. admonens, eos potius corripiendos, seu vt idem loquitur contra Marcionem cap. 1. *sine doctrinarum retractu*, ex communibus præscriptionibus seu argumentis fidei, superius quæstione 3. dub. 4. recensitis conuincendos esse.

Quod etiam Scriptura indicat 2. Timoth 2. v. 152
14. *Noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Et v. 16. *Profana autem & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum, vt cancer serpit.* Et v. 23. *Stultas autem, & sine disciplina quæstiones deuita: sciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* Et ad Tit. 3. v. 9. *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles, & vanæ. Et mox* ibidem v. 10. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem* (non disputationem) *deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Vbi Tertullianus cit. c. 16. præscript. *Adeo*, inquit, *interdixit disputationem; correptionem designans causam hæretici conueniendi; & hoc vnam: scilicet quia non est Christianus.*

Et in eundem locum, etiam Ambrosius pru- 153
denter monet, hæreticos non temere & frequenter corripiendos esse, ne exercitatiores fiant in malo. *Cogere enim illos videtur*, inquit, *qui sæpe corripit vt sollicitiores fiant ad perditionem multorum; ideo dimittendi, vt negligentiores effecti, soli forte pereant.*

Eodem sensu Constantinus in epistola quadam apud Eusebium de vita Constantini lib. 2. & apud Nicephorum lib. 8. cap. 13. itemque auctor operis imperfecti homil 24. & Concilium Toletanum IV. c. 14. alijque Sancti, disputationem cum hæreticis communiter dissuadent; nimirum propter ipsos præcise hæreticos, & in eorum gratiam instituendam, vtpote quibus vix sperari potest profutura, ob eorumdem pertinaciam. Idem etiam monet Chrysostomus in eundem locum ad Titum 3. addens tamen eos, de quibus spes sit profectus, continuo erudiendos, iuxta illud Apostoli, cit. 2. Timoth. 2. *Cum modestia corripientem. &c. ne quando Deus det illis pœnitentiam.*

Assertio IV. Nonnunquam tamen etiam 154
necessarium est contra hæreticos, & cum hæreticis publice priuatimue de fide disputare; idque non solum ex cõmunibus principijs seu argumẽtis, sed etiam figillatim de singulis fidei articulis; si nimirum fideles ad perfidiam sollicitentur, nec eorum scandalum depelli facile possit, nisi susceptâ eiusmodi disputatione; & demum quandocunque aut honor Dei, aut proximorum vtilitas, re prudenter expensa, eiusmodi disputationem exigere videtur. Probatur ex scriptura. Huc enim spectat illud ad Tit. 1. v. 8. *Oportet Episcopum*

sine

sine crimine esse &c. amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem: vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores, maxime qui de circumcisione sunt, quos oportet redargui. Et 1. Petri 3. vers. 15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea, quæ in vobis est spe: sed cum modestia & timore, &c.*

155 Idem exemplo docent Christus Ioannis 5.6.7. 8. 10. Stephanus Actor. 6. & 7. Paulus Actor. 9. & omnia prope antiquiora Concilia, item Athanasius disputans cum Arrianis, Augustinus cum Manichæis, Donatistis, Arrianis, Pelagianis, &c. qui etiam epist. 48. vt refertur causa 23. quæst. 6. eleganter pronuntiat; *cum hæreticis verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum.* Sed & ipse etiam Tertullianus loc. citat. contra Marcionem ait: *interdum ne compendium præscriptionis aduocatum diffidentiæ deputetur, admittendam etiam esse congressionem*; videlicet etiam cum *retractu doctrinarum*; quod alias improbat, vt vidimus. Neque vero spes fructus sublata est, vbi res prudenter cum Dei auxilio agitur, vt dictum supra quæst. 5. dub. 3. & maxime patet exemplo Augustini.

156 Assertio V. Ex parte tamen circumstantiarum, puta tam ipsius disputantis, quam audientium; sicut etiam ex parte modi, magna cautela & discretione opus est, vt talis disputatio licite & fructuose suscipiatur & peragatur. Ita S. Thomas loc. citat. ex communi. Probatur & declaratur assertio. Nam quod ad personam disputantis attinet, capit. *Quicunque.* §. *Inhibemus quoq;*, de hæreticis in 6. Laicus sub excommunicatione ferendæ, non latæ sententiæ, de fide prohibetur disputare; nempe formaliter, non materialiter, iuxta Caietanum hic a. 7. Quam tamen legem Gregorius de Valentia cit. punct. 4. non immerito existimat per contrariam consuetudinem, præsertim in Germania, alijsque similibus locis, esse abrogatam. Certe si vir doctus in casu necessitatis, aut magnæ vtilitatis hoc faciat, ab omnibus iudicatur à transgressione legis immunis, post Caietanum ibidem.

157 Ex eodem capite communiter etiam peccat, si quis indoctus cum hæreticis disputet: exponit enim causam fidei periculo; vnde etiam facile ex hac parte mortaliter peccare poterit, si disputatio grauis sit. Ex peculiari tamen instinctu Dei, legimus quandoque, viros Sanctos potius, quam doctos, non tam humanæ Sapientiæ verbis, quam virtute spiritus, magno fructu cum hæreticis dimicasse. De qua re Athanasius & Hieronymus in vita Antonij, item Sozomenus lib. 1. hist. cap. 17 Socrates lib. 1. cap. 5. Ruffinus l. 1. c. 3. & Nicephorus lib. 8. cap. 15.

158 Ex parte vero Auditorum peccatur, si, coram simplicibus & indoctis disputetur, saltem formaliter ac serio: imo etiam in materiali disputatione opus est ex hac parte prudentia, vt recte monet Caietanus a. 7. Cum enim simplicium fides eo sit firmior, quo ipsi minus audierunt aliquid diuersum ab eo, quod credunt; ac præterea facilius sæpe argumenta veritati contraria, quàm eorum solutiones percipiant, vt notauit sanctus Thomas ibidem; non caret periculo talis disputatio: nisi quis forte, vt inquit Caietanus, adeo excellens Doctor sit, vt possit omnia commodissime soluere & explicare, etiam simplicibus. Sed & hoc valde rarum, & nihilominus simplicibus orthodoxis fere vtilius est, nihil vnquam in contrarium audiuisse. Idem monet Arragonius hic a. 7. vbi proprio experimento doctus, notabilem refert historiam; vt & aliam Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 19. Excipiuntur tamen simplices illi, qui ab hæreticis ad defectionem sollicitantur, coram his enim quandoque etiam necessarium est, de fide disputare, vt superius dictum.

Ex parte modi disputandi peccatur, si modestiæ limites excedantur; & non tam argumentis, 159
quam verbis & conuitijs agatur, vt docet ibidem Sanctus Thomas, iuxta citatum illud Apostoli 2. Timoth. 2. *Noli verbis contendere.* Ea tamen moderatio, vt notauit idem S. Thomas quæst. 38. artic. 1. non excludit *debitum acrimoniæ modum.*

Sed & inprimis opus est, vt in publicis disputationibus pertinaces hæretici ad syllogisticam 160
& dialecticam formam adstringantur; ne alioqui præter rem propositam, more suo, euagandi & declamandi ansam habeant. De quare multa occasione vltimæ disputationis Ratisponensis Anni 1601. in lucem edita; eoque demum adacti sunt Sectarij, vt Georgius ille Müllerus, Augusta quondam, ob concitatam populi seditionem, expulsus Prædicans, postea vero Professor Wittenbergensis, in publica disputatione de methodo demonstrationis Theologicæ typis impressa, sub finem his ipsis verbis scripserit; *neq; necessarium; neq; consultum esse, cum Iesuitis Syllogistica tantum forma disputare.*

Præterea cum incredibilis sit hæreticorum 161
in disputando tergiuersatio, asyllogistia, impudentia, opus est insigni patientia, simul & constantia ei, qui cum ipsis disputare velit; nam alioqui, vt loquitur Tertullianus de præscript. facile *simul & cerebri, & stomachi euersio ineatur.*

Huc spectat denique, vt non tam cupiditate victoriæ, quam amore veritatis disputetur; nec in proprio ingenio, sed in auxilio diuino, & ipsius causæ bonitate fiducia ponatur; in memoriam reuocando illud, quia *nemo corrigere potest, quem Deus despexerit.*

Ex quibus etiam facile monita quædam de- 162
duci possunt, obseruanda ab ijs, qui in priuatis congressibus, conuersioni eorum, qui ab hæreticis seducti sunt, vtiliter operam nauare velint, de quibus prolixe agit Posseuinus libro 7. Biblioth. cap. 3. Breuiter sunt hæc I. Magna charitate, comitate, lenitate, & humanitate erga illos vtendum, depositis cogitationibus & signis, quæ illos contemptu dignos suadeant. Ita Petrus Faber, qui vnus fuit ex decem primis nostræ Societatis Patribus, in Epistola ad Iacobum Lainez, quæ extat apud Posseuinum

loc. cit.

loc. cit. idemque est monitum Apostoli 2. Tim. 2. v. 23. *Seruum Domini mansuetum esse debere ad omnes, docibilem, patientem, &c.*

163 II. Admonendi & excitandi sunt errantes, ad serias & constantes preces ad DEVM fundendas pro obtinenda cordis illuminatione; cum fides sit peculiare donum Dei; totumque hoc salutis negotium non sit neque *currentis, neque volentis*; propria scilicet industria; *sed miserentis DEI*, Rom. 9. vers. 16. qui proinde ab ipsomet etiam instructore diligenter inuocandus est; quando *neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat DEVS.* 1. Cor. 3. v. 8.

164 III. Purgandus prius tam affectus errantiũ, per vitæ emendationem, & veram & internam pœnitentiam, à vitijs & peccatis, quæ cognitioni veritatis plurimum obsunt; quam intellectus ab erroribus. Colligitur hoc monitum ex illo Christi Ioannis 7. vers. 17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex DEO sit, an ego à me ipso loquar.* Et Ioannis 5. vers. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis; & gloriam quæ à solo DEO est, non quæritis?* Nec ob aliam causam iuuenis ille Christum vocantem sequi neglexit, nisi quia habens multas possessiones, eis immoderato affectu adhærebat. Matthæi 19. v. 22. Neque debitam fidei professionem neglexerunt alij, nisi quia *dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam DEI*, Ioannis 12. vers. 43. Idem monet Petrus Faber ibidem. Nec dubito, dimidiam prope hominum partem, qui partes Sectariorum sequuntur, non tam iudicio, quam affectu duci; eo quod certis quibusdã vitijs adhærent, quæ sibi in Catholica Religione euitanda, & per confessionem expianda norunt, &c.

IV. Ostendendum, eos nullum habere solidum fidei suæ fundamentum; sed id quod maxime iactant (scripturæ prætextum) commune esse omnibus antiquis & nouis Sectarijs confugium, Lutheranis, Zuinglianis, Caluinianis, &c. ex dictis supra q. 5. dub. 3.

V. In promptu habenda, tum communissima illa, tum etiam specialia aduersus hæreticos fidei Catholicæ motiua, superius q. 2. dub. 4. & q. 3. dub. 4. explicata, quæ ad captum vniuscuiusque prudenter accommodanda erunt. Quanam autem ratione in disputatione cum hæreticis melior sit conditio Catholicorum, velut possidentium, ex Tertulliano lib. de præscript. cap. 37. cum Bellarmino lib. 4. de Ecclesia cap. 8. alibi declaratum est, in Exam. Hunn Relat. de Colloq. Ratisp. cap. 2. Atque hæc de fide satis. 165

FINIS DISPVTATIONIS PRIMÆ.

INDEX DISPVTATIONIS II.

DE SPE ET CHARITATE.

Quæstio I. De virtute Spei.

Dubium I. *De natura & actibus Spei.*
II. *De subiecto spei tam proximo quam remoto.*
III. *De dono timoris; speciatim quid, quotuplex, & in quo subiecto sit timor, & quæ eiusdem ad cæteras virtutes comparatio.*
IV. *De vitijs spei oppositis, speciatim de desperatione & præsumptione, itemq; de affirmatiuis præceptis ad spem & timorem pertinentibus.*

Quæstio II. De Charitate secundum se; eiusque subiecto tam proximo quam remoto; itemque de causa efficiente, augmento, diminutione & corruptione eiusdem.

Dubium I. *An & qualis virtus sit charitas, an sit vera amicitia inter Deum & hominem; an sit vna virtus eademq; perfectissima omnium ac forma virtutum.*
II. *An præter charitatem virtutem Theologicam dentur alij habitus amoris amicitiæ erga Deum vel proximum.*
III. *De subiecto charitatis tam proximo quam remoto; speciatim an eiusdem speciei & intensionis sit in via & in patria.*
IV. *De productione & augmento charitatis, an à solo Deo producatur, quomodo item & quantum charitas augeri seu intendi possit.*
V. *Vtrum quolibet actu charitatis, charitas in hac vita augeatur & quomodo.*
VI. *An & quomodo charitas possit diminui, & amitti seu corrumpi.*

Quæstio III. De obiecto, & ordine, Charitatis.

Dubium I. *Quot, & quænam sint obiecta materialia Charitatis; speciatim quomodo diligendi sint inimici, seu ad quidnam obliget præceptum de diligendis inimicis.*
II. *An, & qualis in charitate sit ordo; speciatim qua ratione DEVS diligendus sit super omnia.*
III. *In quo consistat amor Dei super omnia; quidue ad eum requiratur.*
IV. *An, & qua ratione quoad bona spiritualia nos ipsos potius, quam proximum amare debeamus: contra vero plus proximum quoad bona seu temporalia, seu spiritualia, quam nos ipsos, quoad bona temporalia.*
V. *An & quis in ipsis proximis diligendis ordo seruandus sit.*

Quæstio IV. De actibus & effectibus internis & externis Charitatis, adeoque etiam de Misericordia, Beneficentia, deque dono Sapientiæ Charitati respondente, & præceptis charitatis.

Dubium I. *De varijs actibus & effectibus charitatis; speciatim internis; vt amore, gaudio, & pace.*
II. *De Misericordia & Beneficentia, ad externos Charitatis actus spectantibus.*
III. *De dono Sapientiæ Charitati respondente.*
IV. *De præceptis Charitatis; speciatim quod & quotuplex de dilectione præceptum extet; & num in hac vita impleri possit; ac quandonam obliget.*

Quæstio V. De Eleemosyna tam corporali quam spirituali adeoque de correptione fraterna.

Dubium I. *Quid in genere & quotuplex, cuiusque vtilitatis sit Eleemosyna.*
II. *De præcepto eleemosynæ corporalis; an & quando obliget. Itemq; de quibus rebus, & à quibus fieri possit eleemosyna.*
III. *An expediat, sine discrimine quosuis pauperes ad eleemosynarum acceptionem, petitionemue vbiuis locorum admittere.*
IV. *An & quando seu quibuscum circunstantijs fraterna correptio sit in præcepto.*
V. *An & quis in fraterna correptione ordo sit seruandus.*

Quæstio VI. De vitijs charitati oppositis vt odio, schismate, bello, scandalo, &c.

Dubium I. *Quæ & quam varia sint vitia charitati opposita; & speciatim an & quale peccatum sit odium, acedia, inuidia, discordia & contentio.*
II. *Quid & quantum peccatum sit schisma, & quæ sint pœnæ schismaticorum, & quid si Pontifex fieret schismaticus aut hæreticus, deniq; quid faciendum tempore schismatis.*
III. *De bello, ac primo quænam conditiones vniuersim ad iustum bellum requirantur.*
IV. *Quomodo dubia belli causa examinanda sit & diiudicanda.*
V. *Quænam circa belli prosecutionem obseruanda sint; speciatim an & quomodo in bello liceat occidere, in seruitutem redigere vel spoliare etiam innocentes; itemque spolia & bona ab hostibus iusto bello capta vel etiam pretio aut dono accepta ad quos spectent.*
VI. *De circumstantijs belli personam & tempus concernentibus, an Clericis atq; etiam diebus festis liceat bellare.*
VII. *De rixa, duello, & seditione.*
VIII. *De scandalo quid, quotuplex & quale peccatum sit scandalum, & an semper sit peccatum consilio, præcepto, ope, vel ad malum cooperari vel à bono impedire.*
IX. *An & qua ratione bona seu spiritualia seu corporalia dimittenda sint propter scandalum.*



DISPVTATIO II.

De Spe, & Charitate.

S. Thomas 2. 2. quæst. 17. & seqq. vsq; ad quæst. 46.
Magister, & Scholastici in 3. dist. 26. vsque ad 37. & nonnihil in 1. sent. dist. 17. & in 2. disp. 27.

ABsoluta tractatione prima Theologica virtutis, sequitur, vt de duabus posterioribus, Spe scilicet & Charitate agamus; quas commode vna disputatione explicabimus; quando Spei tractatio breuissima est, quam suppositis ijs, quæ de fide, ac de virtutibus in genere docuimus, facile vna quæstione absoluemus.

Complectetur autem hæc disputatio vniuersim sex quæstiones. I. De virtute Spei. II. De Charitate secundum se, eiusque subiecto, tam proximo, quam remoto; itemq; de causa eius efficiente, augmento, diminutione, & corruptione eiusdem. III. De obiecto & ordine Charitatis. IV. De actibus & effectibus, tum internis, tum externis Charitatis; adeoq; etiam de Misericordia, Beneficentia, deque dono Sapientiæ Charitati respondente, & præceptis Charitatis. V. De eleemosyna, tam corporali, quam spirituali; adeoque de correctione fraterna. VI. De vitiis Charitati oppositis; vt odio, schismate, bello, duello, scandalo, &c. Quibus comprehenduntur omnia, quæ de Charitate in sex partes diuisa tradit Sanctus Thomas; nimirum I. De ipsa Charitate secundum se. II. De obiectis ipsius. III. De actibus. IV. De vitiis oppositis. V. De præceptis ad charitatem pertinentibus. VI. De dono Sapientiæ Charitati respondente.

QVÆSTIO I.

De Virtute Spei.

S. Thomas 2. 2. q. 17. vsque ad 22.

ABsoluetur hæc quæstio quatuor dubitationibus I. De natura & actibus spei. II. De subiecto spei, tam proximo, quam remoto. III. De dono timoris; speciatim quid, quotuplex, & in quo subiecto sit timor; & quæ eiusdem ad cæteras virtutes comparatio. IV. De vitijs spei oppositis, speciatim de desperatione & præsumptione; itemque de affirmatiuis præceptis, ad spem & timorem pertinentibus.

DVBIVM I.

De natura & actibus Spei.

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 17. aa. 8.

1 INtelligitur in proposito nomine spei, non passio appetitus sensitiui, de qua Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 40. Sed actus, seu habitus quidam bonus voluntatis, siue appetitus rationalis, aliquo modo circa Deum, vt est bonum nostrum supernaturale versans: à quo actu nonnunquam etiam ipsum obiectum speratum spes dicitur, vt in simili de fide dictum. Ita enim psalmo 13. v. 6. *Quoniam Dominus spes eius est.* Et psalm. 21. v. 10. *Spes mea* (Deus) *ab vberibus matris.* Et psalm. 39. vers. 5. *Cuius est nomen Domini spes eius.* Et psalm. 70. vers. 5. *Domine spes mea à iuuentute mea, &c.* Et psalm. 90. vers. 9. *Quoniam tu es Domine spes mea, &c.*

2 Potest autem is habitus ex mente S. Thomæ citat quæst. 17. ita definiri: Virtus Theologica qua voluntas nostra efficaciter tendit ac fertur in DEVM, vt est suprema beatitudo nostra, legitimis medijs, Deo opitulante, possibilis obtineri; quibus verbis tota spei natura comprehenditur & explicatur.

Dicitur enim primo generis loco, *Virtus*; nempe simpliciter, iuxta Sanctum Thomam citat. quæst. 17. artic. 1. & communem fere omnium sententiam; quia *bonum* (etiam simpliciter, in ordine tamen ad certum obiectum) *facit habentem, & opus eius bonum reddit*; quæ est definitio virtutis, apud Aristotelem 2. Ethicor. cap. 6. quidquid Durandus in 3. distinct. 26. quæst. 1. falso dixerit, spem, vti & fidem proprie & stricte loquendo, non esse virtutem. De qua re actum etiam tom. 2. disputat. 3. quæst. 2. dub. 1. & quæst. 3 dub. 1. & disputatione sequenti q. 6. dub. 2.

3 Addit Durandus ibidem; hanc virtutem non esse necessariam simpliciter ad sperandum, eo quod posita cognitione felicitatis, & istius promissione, voluntas nostra satis virium habeat ad sperandum. Sed hoc fundamentum est plusquam falsum, imo vt Arragonius hic art. 1. ait, *erroneum, & Pelagianum*; cum Concilia passim asserant, ad sperandum requiri speciale auxilium Dei, vt videre est in Concilio Arausicano II. Canone 6. & in Tridentino sess. 6. cap. 5. & Can. 3. Nec mirum; cum spes sit actus supernaturalis, non minus quam de fide dictum disp. præcedent. quæst. 6. dub. 1. & 2. Est ergo eadem quoad hoc spei ratio, quæ fidei, & aliorum habituum supernaturalium; qui dantur non solum ad facile operandum, sed ad operandum simpliciter, iuxta dicta tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 9. licet actus illi, qui ad eiusmodi habitum disponunt, ab ipso habitu effectiue non prodeant, vt ibidem quæst. 5. dub. 5. diximus.

Dicitur secundo, *Virtus Theologica*; quia immediate versatur circa DEVM, non solum vt obiectum, quo spes nititur; sed etiam vt obiectum quod speramus, & nobis sperando concupiscimus, vt cum Sancto Thoma citat. quæst. 17. art. 2. & 5. ex communi recte docet Caietanus eodem artic. 5. contra Durandum in 3. disput. 26. quæst. 2. & Paludanum ibidem asserentes, spem immediate solum versari circa beatitudinem nostram formalem; contra ea, quæ in simili de delectatione beatitudinis docuimus tom. 2. disp. 1. quæst. 3. dub. 2. & contra ipsam rationem. Deus enim est finis Qui, & beatitudo nostra obiectiua, quam per spem imprimis appetimus & desideramus, quamuis interim eo ipso, quod spes versatur circa Deum, quatenus à nobis videri potest, simul etiam versatur circa beatitudinem nostram formalem, seu visionem ipsam, vt finem Quo; qui vna cum fine Qui vnum integrum finem constituit, vt in simili de delectatione dictum loc. citat. & contra nonnullos, ex communi fusius probat Vasquez 1. 2. dis. 15. cap. 13. 4

Etiamsi vero Deus sit non solum primarium ac principale obiectum spei, sed etiam obiectum attributionis: nihil tamen obstat, quo minus alia etiam bona naturæ & gratiæ, quatenus ad Deum finem vltimum referuntur & conducunt, tanquam obiecta secundaria à nobis sperari possint, vt ex communi docet S. Thomas citat. quæst. 17. 5

art. 4

artic. 4. & in simili de fide dictum quæstione 1. dub. 2.

6 Dicitur tertio, *Efficaciter tendens.* &c. quia spes secundum actum saltem principalem eo nomine in primis significatum, non est simplex amor seu complacentia, aut simplex desiderium de DEO, sed efficax voluntas, & quasi intentio consequendi DEVM, vt est bonum nostrum; quamuis interim ab eodem habitu prodire possit etiam amor seu desiderium simplex & inefficax, circa idem obiectum, vt inferius patebit.

7 Dicitur quarto, *In Deum, vt est suprema Beatitudo nostra*, iuxta S. Thomam cit. quæst. 17. articulo 2. & communem. Hoc enim proprie differt spes à charitate; quod per hanc in Deum ferimur, diligendo eum propter se, siue prout secundum se, a cin se, est summum bonum, etiam abstrahendo ab omni ratione comoditatis ex eo nobis obuenturæ; per illam vero, vt est nobis bonus nostrumque summum bonum, ac finis vltimus, cuius adeptione simpliciter beati sumus; adeoque prout est beatitudo nostra obiectiua, non tantum naturalis, sed etiam supernaturalis; quod significatur per voculam *Suprema*; iuxta ea quæ docuimus tom. 2. disputatio. 1. quæst. 2. dub. 1.

8 Dicitur quinto *Possibilis obtineri*, ex eodem S. Thoma quæst. 17. art. 1. Quia spes tum ex communi sua ratione, est boni futuri possibilis, saltem iudicio sperantis; tum etiam in præsenti, quatenus est habitus virtutis, nempe secundũ actum suũ principalẽ, & nomine [formaliter] significatum, hoc ipso, quod in eiusmodi obiectum efficaciter fertur, vt dictum.

9 Dicitur sexto, *Opitulante DEO, per certa media.* Quia vt notat S. Thomas hic quæstio. 17. art. 1. & 4. & 1. 2. quæst. 40. art. 7. & quæst. 42. artic. 1. Spes in genere duo respicit, scilicet bonum quod obtinere intendit, tanquam causam finalem, & auxilium per quod illud bonum obtinetur; tanquam causam eius boni efficientem: quę quidem si de prima & principali loquamur, est solus Deus, qui ad hoc certa nobis media præfixit; quamuis secundaria & ministerialis, seu etiam instrumentalis causa, possint etiam esse tum Sancti, tum alij homines; imo etiam ipsa opera ac merita nostra, vt etiam suo loco tom. 2. disputat. 6. quæst. 4. & 6. docuimus, & tradit S. Thomas hic cit. q. 17. art. 4. & fusius contra huius temporis Sectarios prosequũtur Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 1. & Bellarminus lib. 5. de iustif. c. 7. Eam vero habitudinẽ spei ad auxiliatorem, in quo speramus, inprimis etiam denotat vocula *Confidentiæ* seu *fiduciæ*, quæ iuxta S. Thomam infra q. 129. a. 6. nihil aliud est, quam de aliquo *spes firma atque perfecta.*

10 Addit Vasquez, ad naturam spei declarandam, hæc duo. Primum disp. 40. num. 6. & 7. de ratione spei in genere esse, vt desideretur consecutio rei, seu res [illegible] *per alium* obtinenda; cum in hoc ipso, vt idem ait, consistat ratio ardui, circa quod spes versatur. Vnde cit. disp. 40. n. 7. ait, de re quæ à nobis futura est, quatenus à nobis futura est, non esse spem, sed desiderium. Alterum est cit. disp. 15. num. 22. vbi docet, formale obiectum spei, quo constituitur in ratione virtutis Theologicæ, esse Deum, non tanquam id quod speratur, sed id à quo speretur, sicut obiectum formale fidei est, Deus cui creditur, non quod creditur.

Sed neutrum probatur. Non primum; quia communi sensu ac modo loquendi, quædam speramus, etiamsi à nobis ipsis ea existimemus obtinenda; vt cum Mathematicus sperat se inuenturum quadraturam circuli, aut Chymicus modum auri conficiendi. Contra vero quædam leuia & facilia non speramus, etsi non nisi per alios adipiscenda sciamus. Quis enim in annonæ abundantia, ac foro vndique panibus referto, dicit, sperare se panem pretio acquisiturum? aut quis dominus sperat, se vel cibum à suo coquo, vel calceos à famulo acquisiturũ? Et ratio est. Quia quædam, etiamsi à nobis ipsis obtinenda sint, sua tamen natura, aut certe respectu operantis, ardua sunt & difficilia: alia etiamsi obtinenda sint ab alijs, sæpe possunt esse obtentu facillima. Cum ergo spes cõmuni sua ratione versetur circa bonum arduum, fieri potest, vt ex ijs nonnulla sub spem cadant, ex his quædam non cadant. 11

Alterum etiam non probatur. Primo, quia videtur esse contra cõmunem sententiam, quam indicat etiam S. Thomas q. 17. a. 5. vbi ait; *spem* (qua virtus Theologica est) *attingere supremam regulam humanorum actuum, & sicut primam causam efficientem, inquantum eius auxilio nititur; & sicut vltimam causam finalem, inquantum eius fruitione beatitudinem expectat. Et sic patet*, inquit, *quod spei, inquantum est virtus, principale obiectum est Deus. Cum ergo in hoc consistat ratio virtutis Theologicæ, quod Deum habeat pro obiecto, manifestum est, quod spes est virtus Theologica.* Ita S. Thomas qui similia habet q. 17. art. 4. quibus locis, inquit Suarez hic d. 1. sec. 3. n. 3. S. Thomas palam excludit Dei auxilium à ratione formali spei. 12

Secundo; quia ipsa ratio conuincere videtur, de ratione virtutis Theologicæ esse, vt attingat Deum tanquã obiectũ Quod, non solum Quo vel Cui: alioqui etiã Religio esset virtus Theologica. Qua de causa etiã supra disp. 1. q. 1. dub. 2. ex communi diximus, fidẽ velut virtutem Theologicam respicere etiam Deum vt Deum, tanquam obiectum formale Quod. Quamquam est aliqua differentia inter virtutes appetitiuas, & intellectiuas; quod hæ non tam specificantur ab obiecto formali Quod, quã ab obiecto formali Quo; illæ autẽ potius ab obiecto formali Quod, quam Quo. Accedit, quod non omnis actus, qui procedit ab habitu spei, respicit Deum velut eum à quo aliquid speratur, quandoquidẽ datur à spei habitu actus plane inefficax, quo nihil prorsus efficaciter obtinendum appetitur, vt inferius dicetur. 13

Atque ex his colligitur primo, quodnam sit spei obiectum, tum materiale, seu primarium, seu secundarium; tum etiam formale. Hoc enim si vniuersim de habitu spei loquamur, nihil aliud est, quam Deus, vt est beatitudo nostra, adeoque 14

ſummum bonum noſtrum, amabile amore concupiſcentiæ, vt aperte colligitur ex S. Thoma in quæſtionibus diſputatis de ſpe & hic q. 17. art. 8. vbi ait: *Amor quidam (erga Deum) eſt perfectus; quidam imperfectus. Perfectus quidam amor eſt, quo aliquis ſecundum ſe amatur, vtpote cui aliquis vult bonum; ſicut homo amat amicum. Imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundum ipſum; ſed vt illud bonum ſibi ipſi proueniat; ſicut homo amat rem, quam concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad charitatē, quæ inhæret Deo ſecundum ſeipſum: ſed ſpes pertinet ad ſecundum amorem; quia ille, qui ſperat, aliquid ſibi obtinere intendit.* Ita S. Thomas. Idem ſentiunt Scotus & Gabriel in 3. diſt. 26. q. 1. & Gregorius de Valentia hic q. 1. punct. 1. & Suarez hic diſp. 1. ſect. 3.

15 Quod vero idem S. Thomas hic q. 17. a. 2. & 6. & q. 4. de virtutibus indicare videtur, Deum velut id, quod ſperatur, eſſe obiectum materiale ſpei, vt vero eſt fons & principium, à quo eiuſmodi ſupernaturale bonum ſperatur, eſſe formale, id non ſimpliciter, (vt Vaſquez loc. cit. & Bannes a. 1. exiſtimarunt) ſed proportione quadam intelligendum eſt; nempe quod Deus ſub priore ratione conſideratus, per poſteriorem vlterius contrahatur, & magis determinetur, reſpectu quidē actus illius, qui ſpei vocabulo directe ſignificatur, vt magis inferius explicabimus.

16 Colligitur ſecundo contra Durandum loc. cit. Deum etiam immediate & ſecundum ſe, non tantum ratione effectus, puta viſionis ſeu fruitionis Dei, honeſto quodam amore concupiſcentiæ à nobis amari poſſe, vt aperte ſupponit S. Thomas hic q. 17. a. 6. & 8. ex communi; & ex eo facile probatur: quia amare aliquem amore concupiſcentiæ, eſt amare aliquem vt nobis bonum: ſed Deus rectiſſime amatur vt nobis bonus; cum non modo ſecundum ſe, abſtrahendo ab omni creatura, ſit ſummum bonum, qua ratione amatur amore amicitiæ ſeu charitatis, vt dictum; ſed ſimul etiam ſit ſummum bonum noſtrum: Ergo &c. Idem ſignificat ſcriptura pſalm. 41. v. 1. & 2. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* Et pſalm. 62. v. 2. *Sitiuit in te anima mea, &c.* Quibus locis vtique de amore ſeu deſiderio concupiſcentiæ ſermo eſt. Accedit quod effectus huius amoris eſt optimus; vtpote cuius vi ſummum hoc bonū noſtrū ardenter quærimus, poſtpoſito omni alio bono ſenſibili, ſeu beatitudine creatâ, iuxta illud pſal. 72. v. 25. *Quid enim mihi eſt in cœlo? & à te quid volui ſuper terram?*

17 Neque verum eſt, quod obijcit Durandus, omne amatum amore cōcupiſcentiæ referri ad eū, cui illud concupiſcitur, tanquam medium ad finem; quo proinde vti dicimur, non frui; cum tamen Deo frui ſolum, non vti liceat. Poteſt enim id aliquando (vti etiam in propoſito accidit) referri tanquam finis Cuius, ad ſuum propriū ſubiectum, ſeu etiam vt ad finem Cui. Quod & exemplo, & ratione recte oſtendit Caietanus hic q. 17. a. 2. & 5. Exemplū eſt in Filio Dei, quē Deus Pater nobis dedit & donauit, adeoq; amando voluit; cū tamen interim ipſe ſecundū ſe minime per modū medij ad nos tanquā ad finē referatur, ſed potius è conuerſo ſit ipſemet finis noſter.

Ratio eſt. Quia tot modis bonum aliquod alicui concupiſcere poſſumus, quot modis accidit id eſſe bonum alterius: ſed poteſt aliquid eſſe bonum alterius, non tantum per modum medij, ſed etiā per modum finis Cuius: Ergo &c. Quo fit etiam, vt cum Deum hoc modo amamus, non vtamur fruendis, ſed potius fruamur, vel certe vt fruendum appetamus; cum Vti proprie ſit, aliquid tanquam medium vtile, ad finē cuius gratia referre, vt pluribus perſequitur Vaſquez 1, 2. diſp. 48. num. 5. 18

Colligitur tertio, ſpem eſſe virtutem diſtinctā, tum à fide, quam Sectarij hodie cum fiducia male confundunt, vt dictum diſput. præced. quæſt. 6. dub. 1. tum à charitate; qua Deus non vt nobis bonus, ſed vt ſecundum ſe ſummum eſt bonum amatur, non amore concupiſcentiæ, ſed amore amicitiæ, vt dictum, & expreſſe docet S. Thomas q. 17. a. 6. & 8. quidquid dubitet Caietanus quæſtio. 18. art. 1. num in voluntate generatim loquēdo ſpecie differant diligere & ſperare. &c. 19

Neque verum eſt, quod nonnulli dicunt, & tribuitur Bonauenturæ 3. diſt. 26. a. 2. q. 3. aliiſque pluribus apud Suarez hic diſp. 1. ſec. 3. Deum ſub abſoluta ratione increati & ſupernaturalis boni amatum & deſideratum, obiectum charitatis eſſe; ſpei vero, ſub ratione boni ardui & excedentis humanas vires, in quo & confidamus, & quod expectemus ſperantes: quaſi vero aut charitas etiam materialiter in bonum arduum ſeu difficile non tendat, aut ſpes in id formaliter tendat; ita ſcilicet, vt ratio formalis ſub qua Deus ſperatur, ſit ratio ardui: cum ea tamen vt ſic nec ſpei, nec alterius proſecutionis actum vllo modo terminet obiectiue; retardare ſcilicet à proſecutione appetitum potius apta, quam ad eam allicere; ſed ſolum ſit conditio quædam obiecti, qua fit, vt voluntas efficacem proſecutionem eius boni difficulter eliciat, atque ita etiam deinde actus ipſe peculiarem quidem denominationem, ſed non aliam ſpeciem ſortiatur; ſaltem loquendo de actu voluntatis, in qua ratio ardui, vti potentias non diſtinguit, ita nec habitus, vt dictum tom. 2. diſputatione 2. quæſtione 4. dub. 1. & ſeqq. & magis ex Sancto Thoma inferius declarabitur: etſi Vaſquez citat. diſputatione 15. n. 22. rationem ardui in eo conſtituens, quod ab alio bonum concupitum expectetur, conſequenter ſentiat, eam eſſe formalem rationem obiecti ſpei, quod etiam ſub dubio tradit 1. part. diſputatione 84. numero 3.

Magis improbabilis eſt ſentētia Ockami quodlib. 3. q. 1. aſſerentis, ſpem non eſſe quid tertium diſtinctum à charitate & fide, ſed aggregatum ex illis, quod probabile etiam eſſe, indicat Scotus in 3. d. 26. q. vn. Sed merito etiam improbatur à Suarez hic diſp. 1. ſec. 3. n. 22.

Colligitur quarto, dari quidem, præter ſupernaturalem & infuſum habitum ſpei quem definiuimus, etiam alium habitum ſpei acquiſitæ ſeu 21

natura-

naturalis circa Deum, vt est bonum nostrum supernaturale naturali & acquisita cognitione propositum, iuxa dicta disp. 1. q. 1. dub. 3. n. 75. quidquid sine ratione neget Bannes hic q. 17. a. 5. attamen proprie ac simpliciter virtutem non esse, cum non sit habitus in suo genere perfectus & obiecto commensuratus; multo minus esse virtutem Theologicam: sicut nec habitus fidei acquisitæ de veritatibus supernaturalibus vera & perfecta virtus est, vt recte notauit Caietanus hic q. 17. a. 5. etsi Scotus in 3. dist. 26. q. 1. putet, dici posse virtutem Theologicam, si quidem ad eam non requiratur, vt à Deo infundatur.

Quod si loquamur de spe naturali in Deum, vt est auctor rerum naturalium, bonumque naturale, tum ea quidem virtus dici poterit, eo modo, quo etiam habitus amoris naturalis Dei (iuxta dicenda q. 2. dub. 2.) virtus dici potest; attamen virtus Theologica dicenda non erit, iuxa communem phrasin Doctorum; qui eo nomine non solum virtutem circa Deum immediate versantem, sed simul etiam à Deo infusam, ordinisque supernaturalis intelligere solent; quamquam tota quæstio tandem sit de nomine.

22 Colligitur quinto, actum quidem spei, hoc vocabulo directe ac primario significatum, generatim loquendo, esse quoddam absolutum & efficax desiderium rei arduæ consequendæ; quod vel habeat rationem intentionis, si versetur circa ipsum finem Quis, seu Cuius, vt consequendum per media; sicut habet ratione primarij sui obiecti, qui est Deus seu beatitudo nostra, vt dictum; vel etiam electionis, si ex voluntate finis, & consultatione proueniens, versetur circa aliquod medium, vt docet etiam Vasquez 1. 2. disp. 40. num. 7. attamen habitum spei, præter hunc actum, nihilominus habere adhuc plures alios actus etiam internos, & ab ipso habitu spei immediate elicitos; omnes scilicet eos, qui circa idem obiectum formale, hoc est, Deum tanquam supernaturalem beatitudinem nostram versantur, vt recte docet Suarez 3. part. quæstione 7. articulo 4. & pluribus prosequitur hic disput. 1. sec. 3. & 4.

23 In his ordine primus est ipse amor concupiscentiæ in Deum, quo videlicet in eum velut nobis bonum ferimur, simplici prosecutione; quem male, & contra S. Thomam cit. q. 17. a. 8. Arragonius ibidem vocat actum charitatis. Ex hoc amore, in hac vita, vbi obiectum illud amatum est absens, sequitur desiderium eiusdem boni, abstrahendo, an illud absolute loquendo acquiri possit, vel acquirendum sit, an non: deinde si amor sit perfectus, succedit spes & efficax desiderium eiusdem boni, velut obiecti ardui & possibilis obtineri, iuxta Sanctum Thomam hic cit. art. 8.

24 Postquam vero idem obiectum aliquando erit præsens & possessum, vt sit in patria, tunc si alias nil obstet, sub eodem motiuo sequetur gaudium siue delectatio; quæ tamen etiam in hac vita subinde locum habet, quatenus per ipsam etiam spem, & imperfectam quandam fruitionem Dei, aliquo modo beati esse possumus: licet interim ab actu spei, tanquam difficiliori, & maxime arduo ac necessario viatori, totus habitus spei suam denominationem sortiatur.

Quæ doctrina etiam colligitur ex Sancto Thoma hic quæstione 17. art. 8. cum ait, *spem pertinere ad amorem concupiscentiæ, & ex eo deriuari*; vtique velut actum posteriorem à priori. Et infra quæst. 28. articulo 1. ad 3. docet, sicut ex charitate procedit gaudium amicitiæ de bono diuino; ita etiam ex spe procedere proportionatum gaudium, ad amorem concupiscentiæ spectans: illud vero gaudium, iuxta S. Thomam, procedit ex charitate, velut quidam ipsius actus: ergo similiter à spe &c. Eodemque sensu multi veteres Scholastici dixisse videntur, in Beatis non esse spem secundum imperfectionem, esse tamen in eis, quidquid est perfectionis in spe, vt dicetur dub. sequenti. 25

Præter hos vero actus, qui in prosecutione consistunt, sunt etiam alij, qui consistunt in fuga; quales sunt odium, abominatio, timor, & dolor, de malo contrario obiecto spei, vt est separatio à Deo velut Summo nostro bono, item gehenna, ac quoduis aliud malum, etiam culpæ, quatenus à Deo Summo bono nostro consequendo impedit. Quo proinde etiam spectat attritio, quæ concipitur ex timore gehennæ, seu æternæ pœnæ, vt docet etiam Suarez 3. part. tom. 4. d. 5. sect. 2. n. 10. & 15. conformiter S. Thomæ cit. q. 28. a. 1. Fundamentum huius doctrinæ sumitur ex illo principio Theologico, quod in moribus, eiusdem rationis ac virtutis est, bonum aliquod prosequi, & malum oppositum fugere; vt frequenter docet S. Thomas speciatim 3. par. q 85. ad 1. & hic q. 19. a. 6. & q. 28. a. 1. ad 2. 26

Ratio vero generalis est. Tum quia actus isti sunt boni ac virtuosi, imo etiam supernaturales, quo ad substantiam; cum sint de obiecto supernaturali, qua tale est: ergo spectant ad aliquem virtutis habitum, iuxta principium, quo vtitur S. Thomas hic q. 17. a. 1. sed ad nullum alium spectare possunt, quam ad habitum spei: Ergo &c. Tum quia bonū aliquod esse præsens vel absens, futurum vel nō futurum, à se vel ab alio; arduum vel nō arduum, sunt tantum conditiones materiales obiecti respectu appetitus intellectiui; nec adeo in eo per se distinguunt virtutum habitus: alioqui plures aliæ Theologicæ virtutes essent ponendæ, sicut patet in gaudio charitatis, & amore. 27

Ex quibus colligitur, immerito à Vasquez 1. part. d. 43. n. 3. & 10. hanc sententiam de multitudine & varietate actuū virtutis spei, velut nouam improbari; addendo, amorem illum & delectationem de Deo, velut beatitudine nostra supernaturali, non esse actus supernaturales quoad substantiam; imo nec esse supra naturæ vires, aut vllius omnino virtutis actus: quod & S. Thomæ locis cit. & rationi aperte repugnat, ex dictis. Plura hac de re tom. 2. disputat. 1. quæstione 5. dub. 1. & 2. 28

Colligitur sexto, spem per se quidem & absolute loquendo, esse de bono proprio ipsius sperantis; suppositā tamen vnione eiusdem per amorem cū altero, posse etiam nos alteri sperare 29

beatitudinem, aliaque bona speranda; idque per eandem virtutem; sicut eâdem charitate diligimus nos, & proximos: cum eo ipso, quod proximus per amorem quasi vnus est cum sperante, bonum illius quasi proprium censeatur. Idem docet S. Thomas q. 17. a. 3. & q. 18 a. 2. ad 2. & patet ex Apostolo 2. Cor. 1. v. 7. *Vt spes nostra firma sit pro vobis.* Et Philipp 1. v. 6. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, &c.*

30 Et quamuis Bannes cit. a. 3. putet amorem illũ erga proximum, quem spes præsupponit, supernaturalem esse debere, nihilominus tamen si loquamur de illo, vt de actu reipsa distincto à spe, sufficere videtur naturalis: sicut etiã vt mihi sperem bonum supernaturale, non prærequiritur aliquis supernaturalis amor (saltem explicitus, aut coniunctio supernaturalis ad me ipsum) tanquã actus quidã distinctus à spe, sed sufficit naturalis.

31 Quod si tamen amor quidam supernaturalis prærequireretur, is tamen per se loquendo, nequaquam existimandus esset amor charitatis, sed amor concupiscentiæ ad spem pertinens, quo & mihi ipsi, & mihi coniunctis bona supernaturalia velim, vt paulo inferius magis declarabitur. Ratio est; tũ quia eiusmodi amor per se circa obiectum formale charitatis non versatur; tum quia alias peccator alteri supernaturaliter sperare nihil posset. Secus erit, si quis velit aut speret bonum sibi, aut alteri, quatenus aliquo modo cum Deo quid vnum est, adeoque sub ratione formali obiecti charitatis; tunc enim talis actus ad amorẽ charitatis pertinebit. Sicut enim actus amoris, sub certa ratione obiecti, alius ad habitum charitatis, alius ad habitum spei pertinet, ita etiã actus spei, sub alia & alia ratione formali obiecti, alius ad spem, alius ad charitatem spectare potest.

32 Colligitur septimo, spem ita se habere ad cæteras virtutes Theologicas, vt naturæ quidem, & generationis ordine, posterior sit fide, sine qua etiam esse non põtest, iuxta dicta disp. 1. q. 6. dub. 2. prior autem sit charitate: sicut etiam amor concupiscentiæ erga Deum, vtpote imperfectior, prior est amore amicitiæ ad charitatẽ pertinente. Spes enim inducit ad charitatem hoc ipso, quod sperans à Deo remunerationem, accenditur ad amandum Deum propter se ac suam bonitatẽ. Etsi ordine dignitatis ac perfectionis charitas prior sit spe, vt docet S. Thomas q. 17. a. 8. post Ambrosium l. 6. in Lucam, circa illud, *Si habueritis fidem.* Et Augustinum lib. 14. de ciuit. cap. 9.

33 Vtrum autem spei virtus absolute perfectior sit fide, etiam vt ex vtroq; habitu intellectus ac voluntatis coagmentatur, dubium est; & vtrumque probabiliter defendi potest. Affirmatiuam enim sententiã indicat S. Thomas q. 4. de virtut. a. 3. & in 3. dist. 23. q. 2. a. 5. & 2. 2. q. 10. a. 3. Negatiuã indicat idẽ hic q. 20. a. 3. & colligitur ex 1. 2. q. 66. a. 3. Mihi magis probatur sententia affirmatiua; qa spes in ratione virtutis est pfectior habitu intellectuali fidei, vt etiã tradit Suarez disp. 1. sec. 6.

34 Obijcies. Hoc ipso, quod Deũ mihi amo amore cõcupiscentiæ, amo meipsum amore amicitiæ, vt excõmuni recte docet Vasquez 1. 2. disp. 11. n. 26. & lib. de adorat. disp. 1. c. 6. idq; ex generali principio, apud eundem 1. 2. disp. 1. c. 3. eundem amorẽ, quo volo alicui bonum, diuerso respectu, esse amorem concupiscentiæ, videlicet respectu rei quam volo alicui, & amorẽ amicitiæ, respectu personæ, cui volo; quod etiã docet Caietanus 1. 2. q. 28. a. 4. ex cõmuni. Iam ergo aut amor ille amicitiæ est amor naturalis; & hoc nõ; cũ per eũ mihi efficaciter velim bonum supernaturale: aut supernaturalis; & tunc erit actus charitatis. Neq; enim videtur esse alius amor amicitię supernaturalis, quam charitatis: ac proinde amor charitatis non est posterior spe &c.

Respondeo cũ Vasquez cit. disp. 11. amorẽ illũ amicitiæ erga meipsũ, non esse actũ vel affectũ diuersũ ab amore spei seu cõcupiscentiæ; sed eũdẽ prorsus cũ illo, qui diuerso respectu est concupiscẽtiæ, & amicitiæ, vt dictũ est; nullo tamẽ modo ad charitatem pertinens, vt aperte etiam docet S. Thomas q. 19. a. 6. Tum quia ita seipsũ amans, nõ habet pro obiecto formali, seu ratione amãdi Deũ vt est obiectũ charitatis. Tum quia alioquin sequeretur, in homine peccatore nõ esse actũ supnaturalẽ spei; sicut in eo non est actus charitatis.

DVBIVM II.

De subiecto spei, tam proximo, quam remoto.

S. Thomas 2. 2. q. 18. a 2. 4.

SVbiectum spei, sicut & alterius cuiusq; virtutis, duplex est; potẽtia videlicet aliqua animæ, 35
cui imẽdiate inest, quod vocatur subiectum proximum; & ipsum suppositũ, seu persona, quod est subiectum remotũ. Et quod ad proximũ subiectũ attinet, satis ex dictis cõstat, spem esse habitũ voluntatis, adeoq; proximũ & imẽdiatũ spei subiectũ esse volũtatẽ, vt docet S. Thomas cit. q. 18. a. 1.

Verum cũ nihilominus spes, ex parte intellectus, supponat aliquod iudiciũ, siue de possibilitate, siue etiam de futuritione ipsius beatitudinis consequendæ, difficultas est qualenã determinate iudiciũ illud esse oporteat. Breuiter dico sequentia. I. Non sufficit nudum illud iudiciũ cõditionatum, quo credã, me posse saluari, aut saluũ fore, si in culpa ipse nõ fuero. Hoc enim etiã esse potest in eo, qui ob factam reuelationem, de sua damnatione certus est; quem tamen sperare non posse, omnes fatentur. 36

II. Nec tamen etiam requiritur iudiciũ, quo 37
quis absolute iudicet, se saluum fore. Tale enim iudicium, iuxta legem Dei ordinariã, non potest esse homini certũ in hac vita, ex Concilio Tridẽtino sess. 6. c. 13. Incerto autẽ aliquo & fallaci iudicio niti certã spẽ, qualis est diuina, nõ cõuenit. Accedit, quod nec ad alias res efficaciter desiderandas, requiritur iudiciũ absolutũ, fore vt illas adipiscamur; etsi Valentia q. 1. pun. 3. oppositũ significet, quod apertius tradit Almain l. 2. Moral. c. 3. refutatus à Suarez hic disp. 1. sec. 7. n. 2.

III. Iudicium ergo, quod spes supponit, quoq; 38
ipsa nititur, in hoc consistit; Deũ, quantũ inse est velle ac posse me saluare, simulq; omnibus spectatis absolute possibile esse, me saluũ fore; ita scilicet, vt simul excludatur iudiciũ, quo absolute iudicẽ, me saluũ nõ fore. Ita docẽt Vega in Cõciliũ

Triden-

Tridentinum libro 9. cap. 38. Ruardus artic. 8. Arragonius hic q. 18. art. 4. & significat S. Thomas ibidem ad 2. vbi dicit, *spem principaliter inniti potentiæ & misericordiæ Dei, de quibus certus est, quicunq; habet fidem.* Idem colligitur ex Concilio Tridentino loc. cit.

Ratio est. Quia ad quamlibet efficacem intentionem finis alicuius consequendi, secundum rectam rationem, sufficit & requiritur, vt omnibus consideratis iudicem illud mihi absolute obtentu esse possibile, simul cum negatione firmi alicuius iudicij, quo iudicem absolute, illud non esse me consequuturū; esto interim nec determinate iudicem, me illud consequuturum, sed potius quoad hoc inter spem & metum dubius hæream.

39 Id ipsum vero iudicium cum sit de fide certum, facit, vt etiā spes illi innitens participatione quadam dicatur certa, vt docet S. Thomas q. 18. a. 4. Quæ pinde etiam dicitur *non confundere*; tum quia quātū est ex se, ad bonū spectatū certissime ducit; tū qa nec in intellectu maiorē certitudinē adipiscendi rem speratā supponit, nec in voluntate maiorē adfert fiduciā, quā res ipsa patitur vel postulat; quorū vtrūq; in humana spe fæpissime deficit.

Ex quibus colligitur, posse etiam nonnunquam à Deo sperari spe infusa, etiam maiora gratiæ auxilia, quā ex cōmunibus promissionibus homini debeantur, vt contra nonnullos recte notauit Suarez hic disput. 1. sec. 7. n 5, quia non est necesse, credere, seu existimare, hęc absolute esse obtinenda; sed possibilia ex Dei misericordia.

40 Quod vero ad remotum spei subiectū pertinet, certa sunt hęc quinq; sequentia, pnuntiata. I. Habitū spei esse posse in omnibus viatoribus hui⁹ vitæ; sicut & re ipsa esse in omnibus existentibus in purgatorio, non secus ac habitū fidei, vt docet S. Thomas q. 18. a. 4. Idem dicendū est de actu spei, nisi forte in hac vita alicui speciatim sua damnatio sit reuelata, de quo dub. 4. Ratio est; quia ab istis omnib⁹ efficaciter desideratur, aut desiderari potest suprema beatitudo, vt possibilis obtineri.

41 II. Re ipsa etiā esse in omnib⁹ iustis viatorib⁹, in vtroq; statu. Charitas enim supponit spē ex dictis: quin etiā in peccatoribus post peccatum mortale remanet, nisi peccatum illud ipsi etiam spei contrarium sit, vt dicetur eodem dub. 4.

III. Fuisse etiam olim in existentibus in limbo Patrum: nam & hi efficaciter expectabant beatitudinem futuram.

IV. Non esse in damnatis; nec ijs, qui sunt in inferno, nec qui in limbo puerorū, iuxta S. Thomam q. 18. a. 3. ex cōmuni; quia in neutris est fides, quam supponit spes; nec ipsis possibilis est beatitudo supernaturalis, quibus nulla est redemptio, sed certa & perpetua damnatio.

42 V. Non esse etiam in beatis, quoad præcipuum ipsius actū, qui est desiderium efficax beatitudinis propriæ essentialis, vt ex certa & cōmuni docet S. Thomas q. 18. a. 2. Ratio est; quia nemo sperat, vel desiderat, quod habet, iuxta illud Apostoli Rom. 8. v. 24. *Spe enim salui facti sumus. Spes autē, quæ videtur, nō est spes: nā quod videt quis, quid sperat?* Quo sensu etiā intelligi potest loc⁹ Apostoli 1. Cor. 13. v. 8. vbi sola charitas nunquam excidere significatur.

At vero dubium est inter Doctores, an non sit in beatis habitus spei, saltem propter alios quosdam actus secundarios spei, qui beatorum statui repugnare non videntur, quales sunt. 1. Spes alicuius beatitudinis accidentalis, ac præcipue beatitudinis corporis iuxta caput 12. & 16. Apocal. 2. Spes beatitudinis essentialis, respectu aliorum, pro quibus etiam ipsi beati soliciti sunt. 3. Amor & gaudium de propria beatitudine, etiam essentiali; quos omnes actus ad spei habitum pertinere dictum est dub. præced. Accedit quod iuxta S. Thomam in 4. d. 24. q. 2. a. 3. quæstiunc. 3. & in supplem. q. 16. a. 2. virtus pœnitentiæ quoad secūdarios actus, puta auersionem à peccato, gratiarum actionem ob remissum peccatum &c. potest esse in beatis: cur ergo non etiam spes? non quidem subnixa fide, quæ propter intrinsecam perfectionē in beatis esse non potest, sed alia quadam supernaturali cognitione. Eadem est difficultas de Christo; cui tamen ante Resurrectionē pleriq; etiam ex Thomistis verum actum (nō tamen habitum) spei tribuunt, respectu beatitudinis corporis, de quo alibi. 43

In hac præsenti difficultate variæ sunt Doctorū sententiæ. Primo enim S. Thomas hic q. 18. a. 2. & in 1. 2. q. 67. a. 3. 4. & 5. absolute negat, in beatis esse spem; idq; non solū respectu act⁹ eiusdē principalis, terminati ad essentialē beatitudinem animæ, eamq; sperantis propriā, sed etiam, vt apparet ex cit. a. 2. responsione ad 3. quoad cæteros actus secundarios. Ex cuius proinde sententia hoc loco videtur dicendum, nec habitum quidem spei in beatis permanere. Quod etiam docent Caietanus, Arragonius, & alij Thomistæ hic q. 18. a. 2. 44

Secundo Vasquez 3. part. d. 44. c. 22. agens tam de Christo, quam de reliquis beatis, asserit quidē, in vtriſq;, ante eorū resurrectionē, esse vel fuisse verū actū spei circa beatitudinē corporis proprij, habitū vero in vtriſq; negat; ne vel post resurrectionem denuo ab ijs fuerit amittendus, aut frustra in ijs perpetuo perseueret. Alios vero actus virtutis spei in neutris agnoscit: tum quia putat, simplicem amorē, seu desideriū, aut etiā delectationem de beatitudine supernaturali, nō esse actus spei, vt dub. præc. dictū; tum quia etiā ibidē asserit, p virtutē spei nō sperari alijs bona supernaturalia, nisi id fiat ex complacentia nostri. Si enim id fiat ex cōplacentia erga ipsos proximos, & vt ipsis bene sit, eam spē pertinere ad charitatē erga proximū. 45

Qua tamen ratione non solum habitus charitatis erga proximū, erit distinctus ab habitu charitatis erga Deum, de quo suo loco inferius quæstio. seq. dub. 3. sed etiam præsenti difficultati nō satisfit: adhuc enim manet quæstio, cur nō beati, saltem ex complacentia honesta erga seipsos, sperent alijs beatitudinē, & propter eundem actum habitū spei retineant. 46

Tertio Suarez 3. part. tom. 3. quæst. 7. artic. 4. & hic disp. 1. sec. 8. n. 5. asserit, habitum spei, etsi quoad propriū & primarium suum actum, à quo denominationem habet, adeoque vt cōnotat imperfectionē illā spei, quę est carentia beatitudinis nec in beatis sit, nec in Christo fuerit, vt superius dictū, nihilominus tamen quoad substantiā suā,

& vt principium est aliquorum actuum, qui nullam imperfectionem includunt, de quibus in ratione dubitandi diximus, & in Christo fuisse, & in beatis permanere.

47 Cui sententiæ fauet etiam S. Thomas 1.2.q.4. & in suppl.q.95.art. 2. vbi inter dotes animæ beatæ, seu inter ea, quæ requiruntur ad beatitudinem, numerat etiam delectationem spei respondentē, & 3.par.q 7.a.9.ad 1. vbi dicit, licet in Christo nō fuerit spes quoad defectum, fuisse tamen quidqd est perfectius in spe. Et Alensis 3.par.q.12.memb. 3.ad 1. vbi ait, in Christo quidem non fuisse spem in ratione spei, fuisse tamen in illo quod est perfectionis in spe; scilicet adhæsionem cum bono, sed non cū illa imperfectione, quæ est expectatio boni, quod nondum habetur. Consentiunt his Durandus in 3.dist. 31.q.3. & 4. & Gerson lib. de vita spirit. qui docent, spem tam quoad habitum, quā quoad actū manere in beatis. Potest q; fortassis, vt ex subiuncta ratione colligitur, eodē modo intelligi S. Thomas hic q 18.a.2. dum absolute negat, in beatis remanere spei habitum, nempe in ratione propria spei, idque in ordine ad suum principale obiectum, à quo denominationem habet. Quæ quidem sententia hoc modo explicata, tam propter auctoritatem Doctorum, qui eam sequuntur, quam propter rationes initio allatas, est non solum valde probabilis; sed mihi etiam videtur verior, quam etiam suppositi 1.2.disp. 1.q 3.dub. 1. vbi de dotibus animæ beatæ actum est.

48 Nihilominus tamen inhærendo communiori sententiæ, & explicationi S. Thomæ, omissis parū solidis responsionibus, quibus ad propositam superius difficultatem recentiores quidam Thomistæ respondere conantur, probabiliter etiam dici potest, Sanctos in cœlis, ob summam illius status perfectionem, ac præcipuè ob immensum illud amoris erga Deum pelagus, quo vndique circumfluūt, quoque omnes ipsorum actiones quasi irrigantur, nunquam nec sibi, nec alijs vllum bonum velle aut desiderare, nisi in ordine ad Deum, amore charitatis supra omnia amatum, adeoque sub motiuo proprio charitatis omnium præstantissimo, ac per ipsum habitum charitatis.

49 Neque vero admodum conueniens esse, vt aliter fiat in patria; etsi metaphysice nec actus, nec habitus spei cum illo statu vllam habeat repugnantiam: quandoquidem neque fidei habitus in illis manet, licet actus eiusdem metaphysice loquendo cum eo statu non pugnet, vt dictum disput. 1. q.6.dub. 4. Atque id ipsum etiam indicat S. Thomas hic quæst. 18.art. 2.ad 3. vbi ait, beatos sperare quidem alijs beatitudinem *sed non virtute spei, sed magis ex amore charitatis*. Idem fere docet S. Thomas de Christo 3. part. quæst. 7. art. 4. ad 3. & consentit quoad hunc actum Vasquez disp. 43. num. 6. eadem vero est ratio aliorum actuum, quos diximus.

DVBIVM III.

De dono timoris; speciatim quid, quotuplex; & in quo subiecto sit timor; & quæ eiusdem ad cæteras virtutes sit comparatio.

S. Thomas 2. 2. q. 19. aa. 12.

LIcet S. Thomas citatæ quæstioni 19. titulum præfigat de timore, vt est donum Spiritus sancti virtuti spei respondens, vt alibi dictum, in ipsa tamen tractatione, omnem naturam ac rationem timoris, vt moralis quædam actio est, rationem boni vel mali annexam habens, explicat; de qua proinde hæc duo generatim explicabimus: Primum, quid & quotuplex sit timor: alterum, quæ sit ratio timoris, vt est donum Spiritus sancti, in quonam item subiecto sit, & quænam eius ad cæteras virtutes sit comparatio. 50

Quod ad primum attinet, breuiter statuo pronuntiata sequentia. I. Timor in genere est fuga mali possibilis futuri, contrarij bono amato: vt proinde omnis timor ex quodam amore nascatur, vt docet ex cōmuni S. Thomas q. 19.a.3.post Augustinum lib. 83. quæstionum q.33. Illud enim timet homo amittere, quod amat: sicut etiā vniuersim cæteri actus appetitus, qui in fuga consistunt, ex amore boni alicuius ortum ducunt; illud enim homo fugit, cuius oppositum amat, seu quod aduersatur rei amatæ, vt dictum etiam tom. 2. disp. 2. q. 4. dub. 2. & 3. 51

Et quia, vt dub. 1. ex S. Thoma dictum, eiusdē rationis est, rem aliquam velle, & oppositum eius refugere, hinc fit vt omnis timor re ipsa ad eundem habitum pertineat, ad quem spectat amor, ex quo nascitur; adeoque vt tot sint timores essentiali specie inter se diuersi, quot sunt species amoris, seu boni, seu mali; ita vt v.g. eiusdem paterni amoris ac pietatis sit, velle filio bonum, & refugere seu depellere ab eo contrarium malum; eiusdem sacrilegij in Sacerdote amare concubinam, & timere ipsam per se eius amissionem; eiusdem superbiæ amare vanam gloriam, & eius iacturam timere, vt recte etiam docet Suarez 3.part.tom.1.disp.22.sect.1.

II. Cum in proposito, generatim loquendo, triplex sit amor, essentiali specie inter se diuersus, duo nimirū boni, & vnus malus, qui tamen rursus varias species malitiæ sub se continet, scilicet amor Dei propter seipsum, ad charitatem pertinens; amor Dei bonorumq; ipsius, qua nobis bona sunt, ad spem spectans, qui per se bonus est, nisi aliunde vitietur, vt dictum dub. 1. amor mundi vitiosus, quo videlicet temporalia huius vitæ bona, propter se, seu propter nos ipsos, sine ordine ad Deum diligimus; ideo etiam triplex est timor essentiali specie inter se diuersus, vt ex cōmuni tradit S. Thomas q. 19.a.2.3.4.5. & 8. videlicet timor filialis, ex amore Dei propter se amati, seruilis, ex 53

amore,

amore Dei, qua nobis bonus est; & mundanus, ex amore mundi profectus: qui etiã *amor proprius* dicitur, seu quia ipsum amantem pro vltimo fine habet; seu quia à cõmuni inclinatione totius naturæ, aduersus Deum, velut vltimum finem degenerat. Quibus à Theologis quidem, post Magistrum in 3. dist. 34. addi solet quartus, videlicet timor initialis, sed qui à cæteris essentialiter non differt vt dicemus inferius.

54 III. Timor filialis est, quo timemus proprie & formaliter malum ipsius Dei, id est, malum culpę, & offensam eiusdem, propter ipsammet Dei bonitatem, cui aduersatur: quidquid Durandus in 3. dist. 34. q. 5. obiectum filialis timoris faciat pœnam damni, seruilis pœnam sensus, contra Augustinum epist. 120. & tract. 43. in Ioannem & in 1. Epist. Ioannis & cõmunem Doctorum sententiam cum Magistro in 3. dist. 34. & S. Thoma hic q. 19. a. 2. 5. 6. & 10. Est autem timor iste, iuxta fundamentum initio positum, actus charitatis; cuius vt est diligere Deum super omnia, propter se, ita etiam refugere offensam & malum eius, propter ipsum.

55 IV. Timor autem seruilis in genere iuxta consuetam Theologorum phrasin, & S. Thomam q. 19. a. 1. est, quo formaliter timemus malum pœnæ nobis incommodum, seu Deum vt vindicem peccati, eiusdemque mali pœnæ causam. Seruorum enim est timere pœnam, & hoc timore ad operandum induci. Hic timor duplex est, bonus & malus, vt docet S. Thomas q. 19. a. 6. Bonus est, quo timemus infernum, & alias peccatorum pœnas, tamquam vera quidem mala, quibus proinde merito & vtiliter à peccatis absterreamur; sed non tanquam summa mala, ita nimirum vt peccare vellemus, si pœnæ non essent; aut etiam peccare potius, quam pœnas eiusmodi perpeti.

56 Quem quidem seruilem timorem esse bonum, & à Spiritu Sancto, contra Lutherum, aliosq; sectarios definitum est in Concilio Tridentino sess. 6. c. 6. & Canone 8. & colligitur ex eius obiecto, quod est bonum, & rectæ rationi consentaneum. Nec verum est; hunc timorem auersari ordinem diuinæ iustitiæ, vt dixit Lutherus. Auersatur enim quidem malum pœnæ à Deo infligendæ, sed vel simplici tantum fuga & auersione, vt in Christo accidit, refugiente mortem; aut efficaci quidem; sed malum ex ordine diuinæ iustitiæ vel nõdum decretum, vel certe non vltimata sententia decretum, cuius nempe vim euadere iuxta ordinem diuinę iustitię non possimus aut debeamus; cum potius hoc ipsum velit Deus, vt peccata vitando, seu per pœnitentiam expiando, pœnas æternas peccati effugiamus.

57 Idem probatur ex eiusdem timoris effectibus, qui sunt optimi. Est enim timor ille *initium* Sapientiæ, psalmo 110. v. 10. Eccli 1. v. 16. & Prouerb. 1. v. 7. item *initium dilectionis Dei* Eccli 25. v. 16. Accedit quod idem timor in scriptura sæpissime nobis commendatur, ac ab ipso Deo omnis boni auctore hominibus incutitur, Exodi 20. v. 20. *Vt enim probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Eccli 25. v. 13. *Non est super timentem Dominum; timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei.* Matthæi 10. v. 28. *Potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in Gehennam.* Apoc. 14. v. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Idem passim docent SS. Patres, vt videre est apud Bellarminum lib. 1. de iustif. cap. 13. & Gregorium de Valentia hic q. 2. punct. 3.

V. Timor seruilis malus, est, quo timentur 58
eiusmodi peccatorum pœnæ tanquam summum malum, adeoque plus æstimatiue, quam ipsa peccata, ita videlicet, vt homo vellet peccare, si pœnæ non essent, aut peccare potius, quam puniri: quem timorem ex suo obiecto formali, quo etiam à bono timore essentialiter differt, malum esse, patet; quando expressum peccati affectum includit: qui proinde etiam oritur non ex ordinato amore concupiscentiæ erga Deum, ad spem pertinente, sed ex vitioso amore sui.

Neque vero contrarium docuit S. Thomas q. 19. a. 4. cũ ait: *Timorem seruilem quoad substantiam bonum, quoad seruilitatem*, velut ab ipso separabilem, *malum esse*. Nam is per *substantiam* non intelligit aliud, quam cõmunem eius rationem, ab obiecto materiali desumptam, qua cum seruili bono conuenit; per *seruilitatem* vero, specialem illam timoris rationem, qua pœna formidatur tanquam summum malum, vt patet ibidem, & a. 6. Quamquam hic ipse loquendi modus, quod seruilitas timoris in hac solum prauitate timoris consistat, nõ est ita cõmuniter receptus; cum *seruilitas* late etiam ipsam substantiam ac rationem timoris seruilis in genere designare possit, quo generatim timemus Deũ, velut peccati vindicẽ, & mali pœnæ causam, vt superius dictum.

VI. Timor mundanus est, quo quis mundum, 59
& ea quæ à mundo prouenire possunt mala, propter se vltimate, & sine debito ordine ad Deũ, timet, adeoq; ita temporale aliquod huius vitæ incõmodũ à mundo infligendũ auersatur, vt ob id effugiendũ, etiã Deũ offendat, aut offendere paratus sit: quiproinde timor semper est malus, vt docet S. Thomas q. 19. a. 3. idq; vel peccatũ mortale, si qs ob eiusmodi timorẽ mortaliter peccare paratus sit; aut veniale, si solũ venialiter; licet moraliter nõ sit peccatũ ab eo distinctum, quod ex eiusmodi timore cõmittitur, vt ex cõmuni docent Bannes cit. a. 3. & Valentia q. 2. punct. 2.

Quo fit, vt hic timor ad spem non pertineat: 60
quamuis interim nihil obstat, quo minus etiam timor quidam honestus ac diuinus ipsa etiã temporalia huius vitæ mala, tanquam impedimenta beatitudinis moderate refugiat. Differt enim nihilominus diuinus timor à mundano; tum quod isto timemus hominem, vt & in se malum, & causam mali; cum diuino timore timeatur Deus ipse, & quidem solum vt est causa mali pœnæ, iuxta S. Thomã q. 19. a. 1. Tum quod timor diuinus per se ad culpam nunquam inclinat, sed à culpa auertit, vt quæ aut sola, aut potissima est causa mali pœnæ à Deo infligendi: mundanus vero per se nec vnquam à culpa auertit; cum mundus etiam recte facta, & quidem solum, aut potissimum persequi soleat; & in stricta illa

acceptione sumptus, semper ad malum inclinat; qui proinde timor generatim interdicitur Matthæi 10. v. 26. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere.*

61 VII. Timor initialis est, quo timetur quidem offensa Dei propter ipsum Deum, sed non pure; cum simul etiam adiunctum habeat timorem seruilem, quo videlicet Deus timetur propter pœnas peccatis decretas. Quo fit vt timor initialis (in recto ac secundum se) à filiali timore non differat essentialiter; sed tanquam quid imperfectum, seu quasi impurum (hoc est imperfectiori permixtũ) à perfecto & puro, vt docet S. Thomas q. 19. a. 7. & 8.

62 Quod ad secundum, nempe rationem timoris, vt est donum Spiritus sancti, subiectum item timoris, ac eiusdem cum cæteris virtutibus comparationem attinet, statuimus sequentia pronuntiata. I. Per timorem Domini, vt inter dona Spiritus Sancti numeratur Isaiæ 11. v. 3. intelligitur peculiaris habitus à virtutibus distinctus, quo facile reddimur mobiles peculiari instinctu Spiritus Sancti ad timendum Deum, iuxta dicta tom. 2. disp. 3. q. 6. dub. 1. idque imprimis filiali timore, vt docet S. Thomas q. 19. a. 9. Cum quo tamen non pugnat, quo minus etiam actus timoris seruilis nonnunquam ex peculiari motione Spiritus Sancti, etiam in homine iusto, procedat, adeoque ad donum timoris generatim spectatũ pertineat, vt notauit Gregorius de Valentia q. 2. punct. 4. Neque vero donum illud timoris filialis, ex mente S. Thomæ, perfectius est charitate; quia vt docet idem S. Thomas q. 9. a. 1. ad 3. & q. 19. a. 9. ad 4. & 5. dona quidem ex suo genere perfectiora sunt virtutibus moralibus, & intellectualibus, non autem Theologicis: licet alij non improbabiliter contrarium sentiant, vt dictum disp. 1. q. 6. dub. 5.

63 II. Timor tam filialis, quam seruilis, dici potest *initium Sapientiæ*, ex scriptura locis cit. non quidem essentialiter & formaliter, id enim est cognitio & assensus articulorum fidei; sed effectiue; idque vel quia per modum disponentis, & mediante pœnitentia expellentis peccatum, dispositio est ad sapientiam, veramque iustitiam; quod proprium est timoris seruilis, iuxta illud Eccli 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari*: vel quia ipsemet timor est primus sapientiæ iam inhærentis effectus, quod conuenit timori filiali, iuxta S. Thomam q. 19. a. 7.

64 III. Crescente charitate, quoad actus exercitium minuitur timor; non filialis, sed seruilis: tũ quia quanto quisque Deum feruentius diligit, tanto minus attendit ad proprium bonum, cui aduersatur pœna; tum quia firmius Deo inhærẽs magis confidit de acquisitione præmij; & per consequens minus timet pœnam, iuxta S. Thomam q. 19. a. 10. Hinc fit, vt perfecte & ardenter Deum diligentes, omni quidem actuali timore seruili vacent; etsi habitum eiusdem timoris retineant: quem tamen vtiliter etiam nonnunquam in actum reducere possunt & debent: cum feruor ille charitatis non semper actu duret. Et iuxta hæc intelligendum est illud 1. Ioannis 4. v. 18. *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.*

65 IV. Timor quidem filialis manet etiam in beatis, non solum quoad habitum, sed etiam quoad actum: quicquid contra communem sententiam S. Thomæ q. 19. a. 11. neget Durandus in 3. dist. 34. q. 3. ad 1. idque patet ex psalm. 18. v. 10. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*, interprete Augustino ibidem, & Iob 26. v. 11. *Columnæ cæli* (hoc est Angeli) *contremiscunt, & pauent ad nutum eius*, interprete Gregorio 17. Moral. ca. 15. Qui quidem timor optime explicatur, per simplicem fugam offensæ diuinę, velut possibilis humanæ naturæ, vt docet S. Thomas q. 19. a. 11. post Augustinum lib. 14. de ciuit. cap. 9. vbi dicit, *Sanctos nolle peccare, tranquillitate charitatis*; quamuis etiam per reuerentiam quandam venerandæ Maiestatis diuinæ explicatur à S. Thoma 3. part. q. 7. a. 6.

66 Cæterum timoris seruilis boni eadem, quantũ ad subiectum, ratio est, quæ spei, de qua egimus dub. præced. cum credibile sit, omnem timorem beatorum in Deum, vt est per se summum bonum actu referri, adeoq à charitate procedere, vt etiã de actu spei ex probabili sententia dictum ibidem. Sicque verificatur quod S. Thomas hic q. 19, cit. a. 11. docet, timorem seruilem in beatis non esse, sicut nec in Christo fuit. Quamuis in vtrisque esse, tum habitum timoris seruilis, tum etiam actum, eo modo, quo timor filialis in eis est, non minus probabiliter sentiat Suarez 3. part. tom. 1 disputat. 22.

67 Qua ratione autem prima beatitudo, videlicet paupertas Spiritus, ex timore proueniat, optime declarat S. Thomas q. 19. a. 12. *Cum enim*, inquit, *ad timorem filialem pertineat Deo reuerentiam exhibere, & ei subditum esse, id quod eiusmodi subiectione consequitur, pertinet ad donũ timoris. Ex hoc autem quod aliquis Deo se subijcit, desinit quærere in seipso vel in aliquo alio magnificari, nisi in Deo: hoc enim repugnaret perfectæ subiectioni ad Deum. Vnde in psalm. 19. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Et ideo ex hoc, quod aliquis perfecte timet Deum, consequens est, quod non quærat magnificari in seipso per superbiam; neque etiam quærat magnificari in exterioribus bonis, scilicet honoribus & diuitijs; quorum vtrumque pertinet ad paupertatem spiritus; secundum quod paupertas spiritus intelligi potest vel exinanitio inflati & superbi spiritus, vt Augustinus exponit lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 4. vel etiam abiectio temporalium rerum, quæ fit spiritu, id est, propria voluntate, per instinctum Spiritus Sancti vt exponunt Ambrosius in Lucæ cap. 6. & Hieronymus in Matth. cap. 5.* Ita Sanctus Thomas.

DVBIVM IV.

De vitiis Spei oppositis; speciatim de desperatione, & præsumptione; itemq; de affirmatiuis præceptis ad spem & timorem pertinentibus.

S. Thomas 2. 2. q. 20. 21. & 22.

68 IN his citatis tribus quæstionibus agit Sanctus Thomas, de præceptis ad spem pertinentibus; quæ duplicia sunt, quædam negatiua, alia affirmatiua. Illis prohibentur vitia spei contraria, qualia sunt desperatio, & præsumptio; illud per defectum, hoc per excessum spei oppositum; de quibus singulis breuiter agendum.

Et quod ad desperationem attinet, affirmamus sequentia. I. Desperatio est vitium in voluntate situm, quo quis beatitudinem vltimam, tanquam bonum quoddam nimis difficile, vel etiam ad obtinendum prorsus impossibile refugit, & quasi despicit, adeoque ab eius procuratione seu intentione desistit, vt recte docet Gregorius de Valentia q. 3. punct. 1. Vbi tamen de desperatione proprie sermo est, prout ab infidelitate seiuncta reperiri potest: alias enim despici suprema beatitudo potest, etiam ex infidelitate, si quis eam non credat aut vilem existimet.

II. Est autem desperatio ex suo genere peccatum mortale; & quidem in Spiritum Sanctum, 69 ex dictis supra disput. præced. quæstio. 8. dub. 7. post infidelitatem, & odium Dei, grauissimum; imo vtroque nobis quodammodo periculosius, iuxta S. Thomam q. 20. a. 3. Quin etiam probabile est, esse per se quoque graui infidelitate, ex dictis ibidem quæst. 8. dub. 2. sicut probabile est, virtutem spei simpliciter esse perfectiorem fide; licet contrarium à S. Thoma hic quæst. 20. a. 3. assertum, sit itidem probabile; eo quod infidelitas sit contra Deum secundum se; desperatio cõtra eundem, vt participatur à nobis. Oritur autem hoc peccatum facile, tum ex luxuria, quæ immersa voluptatibus carnalibus, contemnit & negligit cœlestes; tum ex acedia, quæ difficultate pugnæ & laboris territa, respuit cœlorum brauium, vt docet S. Thomas q. 20. a. 4. ex Gregorio lib. 31. Moral. cap. 31.

III. Desperatio, late loquendo, duobus modis accidit; 70 primo solum virtualiter: cum quis videlicet ita peccatis immersus est tanquam si nulla alia beatitudo expectanda foret, licet formaliter & in actu quasi signato, nunquam eliciat illum actum voluntatis refugientis beatitudinem: quo modo de peruersissimo quoque dicimus, esse hominem desperatum, seu desperabundũ. Sed hæc desperatio quamuis supponere possit & soleat multa peccata omissionis contra spem, quæ moraliter tamen eadem reputentur cum peccatis, ex ea omissione consequutis; non est tamen formalis desperatio, licet virtualis dici possit, quia in effectu quasi æquiualet formali.

Secundo accidit desperatio in actu quasi signato, & formaliter; idque vel cum iudicio erroneo contra fidem, v. g. Deum peccatori etiam legitime pœnitenti veniam denegare, vel Deum prædestinare seu necessitare homines ad peccandum, siue etiam ad ipsam inferni damnationem, ante præuisionem peccati &c. & tunc desperatio supponit peccatum infidelitatis; vel sine tali iudicio contra fidem; vt cum quis beatitudinem aspernatur, vel vt nimis difficilem, vel etiam vt impossibilem sibi, siue ob suam peculiarem, eamq; peruersam mentis dispositionem; siquidem non est aperte de fide, neminem induratum à Deo sufficiente gratia vnquam destitui, vt suo loco dictum; siue quia temere sibi persuadet, se reprobum esse, iuxta S. Thomam q. 20. a. 2. 71

Differunt autem illa duo desperationis genera, tum ex se ac sua natura, vt dictum; tum etiam aliquo modo secundum effectum; nempe quod per formalem desperationem, siue cum infidelitate siue absque ea accidat, amittitur habitus spei, tanquam per actum directe & formaliter cõtrarium spei, vt ex communi & certa supponit S. Thomas eadem q. 20. a. 2. non item per desperationem illam virtualem, cum non includat actum formaliter contrarium spei. 72

Ex quo sequitur, etiam per desiderium desiderio spei dub. 1. explicato contrarium, vt si quis ex prauo affectu erga seipsum, desideret perpetuo carere visione seu fruitione Dei, vt in perditissimo homine accidere potest, amitti habitum spei; etsi contrarium supponat Vasquez 3. par. disput. 43. num. 8. Secus videtur dicendum, si quis cõspectum ac fruitionem Dei ex odio eiusdem respuat; hic enim affectus charitati potius, quam spei opponitur.

III. Etsi iuxta legem ordinariam, Deus nemini suam damnationem vt absolute futuram reuelet (qua de causa etiam, si quæ fiat alicui, in hoc genere, reuelatio, ordinarie censenda erit aut illusoria, & à diabolo profecta, aut comminatoria; adeoque conditionata, non absoluta, iuxta omnes) tamen absolute loquendo, nihil obstat, quo minus id fiat, vt habet cõmunis Doctorum sententia; etsi neget Bonauentura in expositione textus Magistri 1. distinct. 48. apud Vasquez 1. 2. disp. 72. num. 15. Eo vero casu posito, talis quidem sperare æternam beatitudinem nec poterit, nec debebit; cum spes sit desiderium efficax rei absolute possibilis haberi, ex dictis dub. 1. cuiusmodi desideriũ in eo homine locum habere non potest; vt ex cõmuni recte docet Arragonius hic q. 22. a 1. contra Victoriam. Attamen is ipse interim etiã, pprie loquendo nec licite potest, nec debet desperare; hoc est, beatitudinẽ cõquendã absolute possibilẽ obtineri refugere, aut eam quouis modo ob difficultatẽ, aut impossibilitatẽ cõtemnere; hoc enim intrinsece malũ est, vt docet etiã Arragonius ibidem. Quamuis, vt recte idem addit, & suo loco docuimus tom. 2. disp. 2. q. 6. du. 6. possit ille suã cũ diuina voluntate humiliter conformando (ei enim absolute velle resistere nõ licet, vt ex parte notauit etiam Vasquez loc. 73

cit.

cit. & si frustra distinguens inter ea bona, quæ diuinitus decernuntur ante præscientiam liberæ cooperationis, & alia) in peccati sui ac finalis impœnitentiæ iustam vindictam, nolle saluari; quæ est materialis quædam desperatio: non tamen interim pro loco & tempore omittendo actus simplicis amoris ac desiderij erga beatitudinem; hos enim nihilo minus quam antea, subinde elicere poterit atq; etiam debebit: sicut tenetur ad alia præcepta seruanda, aliosq; debitos virtutum actus exercendos, vt ex cõmuni recte etiam docet Vasquez loc. cit.

75 IV. Quod vero asserit Augustinus libro 21. de Ciuit. cap. 24. & absolute approbat Arragonius loc. cit. quod si Ecclesia certo cognosceret, quinam ex viuentibus ad æternam mortem sint prædestinati, non magis oraret pro illis, quam pro diabolo; intelligendum est de oratione, qua pro illis efficaciter petatur vltima beatitudo, seu gratia congrua vsque ad finem perseuerans; non autem qua petantur aliæ secundariæ gratiæ, v.g. abstinendi à singulis peccatis mortalibus, exercendi hos aut illos virtutum actus, &c. hæc enim vt præscitus nihilominus facere teneretur, ita etiam & ipse sibi, vt eidem alij, pro re nata, procurare tenerentur. Ad eundem modum accipiendum est, quod loc. cit. num. 17. absolutè tradit Vasquez, eiusmodi reprobis posse quidem nos beneficium correctionis fraternæ impendere; attamen non teneri, quia nulla sit spes emendationis. Imo vero, quia nihilominus desingulis peccatis loquendo, spes esse posset emendationis, sicut & minoris suplicij in inferno luendi, vtique teneremur illum, non minus corripere, quam se ipse emendare.

76 Iam vero quod ad præsumptionem, spei per excessum oppositam attinet, breuiter itidem, noto sequentia. I. Præsumptio ex superbia oriri consueta, iuxta S. Thomam quæstione 21. articulo 4. in proposito, est vitium, quo quis diuinæ bonitati & virtuti nimium confisus, sperat se à Deo bonum quodpiam consequuturum, aut saltem eo modo consequuturum, quod, vel quo modo secundum legem Dei ordinariam obtineri non potest, ex S. Thoma quæstione 21. a. 1. Estque peccatum mortale ex suo genere, & in Spiritum Sanctum, ex dictis disp. 1. q. 8. dub. 7. leui9 tamen desperatione, eo quod illa iustitiam, hæc misericordiam, magis quodamodo Deo propriam & connaturalem perfectionem, lædat, vt docet S. Thomas q. 21. a. 2. ex communi.

77 II. Præsumptio varijs modis contingere potest; & in genere quidem duobus; salua nimirum fide, & cum expressa infidelitate, iuxta S. Thomam quæstione 21. articulo 1. & 2. vt in simili de desperatione dictum. In specie autem contingit quatuor, vel quinque modis, vt ex parte etiam tradit S. Thomas a. 1. cit. 1. Si quis speret à Deo consequi gratiam, vel beatitudinem, proprijs naturæ viribus, vt faciebant olim Pelagiani. Et quamuis S. Thomas eodem articulo 1. significet, talem præsumptionem, qua quis de suis viribus nimium confidat, opponi magnitudini; id tamen intelligendum videtur, nisi bona ita temere sperata supernaturalia sint, quæ proinde à solo Deo principaliter sperare iubemur; præsertim quando talis præsumptio ipsi etiam fidei repugnat. 2. Si quis indebito modo speret à Deo supernaturalia, vt remissionem peccatorum sine pœnitentia, gloriam sine proprijs meritis; quæ est præsumptio Lutheranorum, deterior iuxta S. Thomam cit. articul. 1. ad 1. præsumptione Pelagianorum; cum per illam ipsi virtuti diuinæ derogetur, per hanc solum extollatur virtus propria. Quod enim aliquis innitatur diuinæ *virtuti ad consequendum id, quod Deo non conuenit, hoc est diminuere diuinã virtutem*, inquit S. Thomas loc. cit. 3. Si quis à Deo speret peculiare auxilium ad peccandum; quæ est præsumptio Caluinistarum. 4. Si quis à Deo superbe speret tanta bona, quanta secundum ordinariam Dei prouidentiam, nulli possint contingere; v.g. gloriam B. Virginis, iuxta dicta tom. 2. disput. 6. quæst. 4. dub. 4. de gratia. 5. Si quis nullum peccandi finem faciens, adeoque impœnitens, adhuc tamen se non minus certo saluũ fore, veniamque non minus facile impetraturum speret, quam si nihil peccasset; licet interim propositum pœnitentiæ expresse non excludat: quæ virtualis quædam præsumptio est; & per se absque infidelitate consistit; cum præcedentes sine ea nunquam, aut certe non ita facile & frequenter reperiantur, vt docet etiam Gregorius de Valentia hic q. 3. punct. 3.

III. Illi vero qui ex fragilitate, sub spe veniæ 79
(nõ vt formali motiuo peccandi, sed vt minuente timorẽ, alioqui ex consideratione diuinæ iustitiæ oriri solitũ) peccant, cum proposito formali, aut virtuali ipsius pœnitentiæ; vel etiam ideo liberius peccant, quod iam simile peccatũ cõmiserint, eãdem opera confitendum, non peccant in Spiritũ Sanctum: imo illi eo ipso, quod habent voluntatẽ minus in peccato obfirmatam, cæteris paribus minus peccant, iuxta S. Thomã q. 21. a. 2. ad 3. hi vero tametsi conuincãtur habere animũ male dispositum, quasi videlicet peccata vitare non soleant, nisi ob humanum pudorem; tamen non ideo circumstantia illa, per se peccatum mortaliter videtur aggrauare; cum id re ipsa non sit aliud, quam nouæ erubescentiæ metu solutum, facilius peccare.

IV. Formali præsumptione p̃cepto negatiuo Spei 80
oppositã amittitur habitus spei; non autem præsumptione materiali vel virtuali, vt in simili superius de desperatione dictum, ex communi.

Quod vero ad tertium, scilicet præcepta affirmatiua, ad spem & timorem spectantia attinet, statuimus sequentia. I. Affirmatiuum præceptum spei obligat, 1. quando quis aliqua grauiore tentatione desperationis infestatur; quod præcipue accidere solet in articulo mortis, vt recte Valentia hic q. 4. punct. 1. etsi fortasse omissio Spei non sit peccatum distinctum à peccato desperationis inde consequuto. 2. probabiliter etiã, quando quis primum in vita de spei ratione & necessitate cogitat; non autem præcise in primo instanti vsus rationis, vt contra Bannem, & alios docet ibidem Valentia, & dictum tom. 2. disp. 4. q. 5. dub. 4.

de

de peccatis. 3. Per accidens sæpe obligat, quotiescunq; ad vincendã aliquã tentationẽ, aut præceptum aliquod seruandum, necessarius est actus spei. Quamquam tunc eum actum prætermittere, non est peccatum distinctum à peccato consequente, ad quod vitandum actus spei requirebatur vt ex cõmuni, generatim dictum tomo 2. disp. 4. q. 2. dub. 1. n. 17.

81 II. Eodem modo præceptum affirmatiuum timoris obligat, quando vel graui tentatione præsumptionis animus pulsatur; aut alioqui ad vincendam tentationem, vel præceptum seruandum necessarius videtur timoris actus. Alias autem præceptum timoris tam seruilis, quam filialis, per se non obligare, probabilius censet Valentia loc. cit. contra Bannem hic quæst. 22. artic. 2. Cur autem, & qua ratione Sanctus Thomas ibidem a. 1. & 2. asserat, in ipsa prima legislatione à Deo præceptum formale (sub expressis scilicet verbis præceptiuis) de spe aut seruili timore nec datum, nec dandum fuisse, colligi potest ex dictis in simili de fide quæstio. 7. dub. 3. & alijs, quæ docuimus tom. 2. d. 5. quæstione 3. dub. 2. num. 21.

III. Per peccata præceptis solum affirmatiuis 82
spei opposita, spes non amittitur, vt etiam de fide dictum. Etsi per accidens, quotiescunq; peccato infidelitatis fides amittitur, ex consequenti etiam amittatur habitus spei; sicut & charitatis, aliarumque omnium virtutum infusarum: cum isti habitus omnes supponant habitum fidei, vt cum Sancto Thoma quæst. 4. a. 7. & q. 17. a. 7. & 8. dictum dub. 1. & supra de fide q. 6. dub. 2. Atque hæc de spe.

QVÆSTIO II.

De Charitate secundum se; eiusque subiecto, tam proximo, quam remoto; itemque de causa efficiente, augmento, diminutione, & corruptione eiusdem.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 23. 24.

Absoluetur hæc quæstio sex dubitationibus. I. An, & qualis, cuiusq; obiecti virtus sit Charitas; an sit vera amicitia inter Deum & hominem; an sit vna virtus; eademq; perfectissima omnium, an forma virtutum. II. An præter Charitatem virtutem Theologicam, dentur alij habitus amoris amicitiæ erga Deum, vel proximum. III. De subiecto Charitatis, tam proximo, quam remoto; speciatim an eiusdem speciei & intensionis sit in via & in patria. IV. De productione & augmento charitatis; an à solo Deo producatur; quomodo item & quantum charitas augeri, siue intendi possit. V. Vtrum quolibet actu charitatis charitas in hac vita augeatur; & quomodo. VI. An, & quomodo charitas possit diminui, & amitti, siue corrumpi.

DVBIVM I.

An, & qualis virtus secundum essentiam sit charitas; an item sit vera amicitia inter Deum & hominem; an sit vna virtus; eademq; perfectissima omnium, ac forma virtutum.

S. Thomas 2. 2. q. 23. aa. 8.

1 ACcipitur charitas in præsenti pro ea virtute, seu vi, qua Deum amore beneuolentiæ diligimus; ad cuius essentiam ac proprietates declarandas, iuxta ordinem quæsitorum in hac dubitatione propositorum, sequenles assertiones ex mente S. Thomæ statuimus.

2 ASSERTIO I. Charitas est aliquid creatum, in anima hominis iusti inhærens, & quidem permanenter, velut habitus. Ita docet S. Thomas q. 23. a. 2. ex cõmuni omnium Doctorum, contra Magistrum in 1. dist. 17. qui putauit, charitatem non esse habitum aliquem creatum, sed ipsum Spiritũ Sanctum imediate in nobis efficientem actũ charitatis; cuius sententiam etiam Scotus, & alij nonnulli ibidem probabilem existimarunt.

Sed posita assertio est iam adeo certa, vt quoad priorem partem plane sit de fide, & aperte definita in Concilio Tridẽtino sess. 6. c. 7. vbi dicitur; *Charitatem diffundi in cordibus eorum, qui iustificantur, atq; ipsis inhærere, & in ipsa iustificatione hæc omnia simul infusa accipere hominem &c. fidem, spem, & charitatem.* Et Canone 11. habetur: *Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atq; illis inhæreat, &c. anathema sit.* Idem sumitur ex scriptura ad Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, &c.*

3 Quantum ad secundam partem, nempe quod sit habitus, etsi non sit aperte de fide, nec adeo clare definita ab Ecclesia, vt contra Vegam lib. 7. in Tridentinum cap. 42. notârunt Vasquez 1. 2. disp. 203. num. 19. & Arragonius hic artic. 2. & fere etiam Valentia quæst. 1. p. 1. §. 3. est tamen non solum sententia probabilior, ex cap. *Maiores*, de baptismo, & Concilio Viennensi, Clementina vnica de Summ. Trinitat. & Fide Catholic. sed etiam quoad rem (esse videlicet etiam aliquam qualitatem permanentem, abstrahendo à nomine habitus) adeo certa, vt contrarium merito censeri possit temerarium, si non etiam erroneum, vt recte Valentia loc. citat. non solum quia est contra communem Doctorum in 1. distinct. 17. & 2. dist. 26. Sanctum Thomam, & recentiores hic cit. artic. 2. sed etiam quia satis aperte aduersatur Concilio Tridentino loc. cit. vbi generatim definitur, in iustificatione peccatoris charitatem infundi; quod ideo etiam de paruulis, ex mente eiusdem Concilij asserendum est; qui tamen non nisi habitualis perfectionis sunt capaces. De qua re pluribus actum tom. 2. disp. 6. q. 1. dub. 2.

4 Ratio generalis vtriusque partis sumitur ex S. Thoma cit. a. 2. Quia omnis actus perfecte productus ab aliqua potentia, supponit in illa sufficientem vim operatiuâ, inhærentem ac permanẽtem; sed actus charitatis vtique perfecte ex suo genere quin etiam faciliter & delectabiliter producitur ab humana voluntate: ergo supponit in illâ vim sufficientem ac permanentem, qualis non potest esse alia, quam habitus.

5 Assertio II. Charitas est virtus, & quidem perfecta, tam quoad essentiã, quam quoad statũ virtutis. Est extra controuersiam apud S. Thomã q. 23. a. 3. Probatur tum ex bonitate obiecti, & actus toties in scriptura commendati, vt suo loco patebit; tum quia attingit debito modo Deum, supremam actionum humanarum regulam, tum quia instar virtutum moralium immediate perficit voluntatem, eamque mouet & inclinat ad bene operandum, idque immediate circa vltimum finem Cui: qua de causâ etiam habentem eiusque actum simpliciter bonum, & ad vitam æternam consequendam idoneum facit; quod ad virtutem secundum statum Christianæ virtutis perfectam requiritur.

Et quia totum hoc, quod diximus, conuenit charitati cuiuis etiam minimæ, & secundum quamuis intẽsionem, iuxta S. Thomã 3. p. q 62. a. 6. ad 3. vbi ait, *minimam gratiam cuicunq; cupiditati resistere posse, & mereri vitam æternam*: idcirco etiam quæuis minima charitas perfecta virtus est, tam secundum essentiam, quam secundum statum, vt recte etiam notauit Arragonius hic a. 3.

6 Nec obstat, quod charitas est accidens animæ, qua proinde videtur imperfectior. Accidentia enim non ex principijs subiecti, sed ex participatione superioris naturæ profecta, sunt digniora subiecto, inquit Sanctus Thomas a. 2. ad 3. idque vel secundum quid, vt explicat Caietanus, vel etiam simpliciter, vt censet Valentia. De quo non est magnopere contendendum.

Assertio III. Charitas, de qua agimus, est virtus supernaturalis & Theologica. Est extra controuersiam. Et primum patet ex Scriptura. Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est &c. per Spiritum sanctum.* 1. Ioann. 4. v. 7. *Charitas ex Deo est.* In quem sensum etiam Dionysius 4. de diuin. nom. dicit, *Omnium diuinorum diuinissimum esse amorem.* Eodem pertinet Concilium Tridentinum citatum assertione I. Ratio sumitur ex vtroque tam materiali, quam formali obiecto supernaturali, de quo infra. Secundum patet ex dictis, quia immediate ac principaliter versatur circa Deum, tam vt obiectum Cui, vt magis infra declarabitur. 7

Assertio IV. Est virtus specialis, & ab omnibus cæteris virtutibus distincta. Ita docent cũ S. Thoma a. 4. omnes. Probatur tum ex 1. Cor. 13. v. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* vbi charitas coũumeratur specialibus virtutibus; tum ex obiecto proprio, quod est ipse Deꝰ, vt est secundum se sumum bonum supernaturale adeoque amabile propter se amore beneuolentiæ seu amicitiæ, vt recte cum Scoto in 3. dist. 27. q. 1. habet communis. 8

Neque contrarium hic cit. a. 4. sensit S. Thomas, asserens obiectum ipsius esse *bonum diuinum, in quantum est beatitudinis obiectum.* Illud enim *in quantum* specificatiue solum, & non reduplicatiue accipiendum est, vt sensus sit, Deum esse obiectum charitatis, non præcise secundum vnum vel alterum speciale attributum, seu perfectionem suam; v. g. vt iustus, aut misericors est, sed secundum omnem suam rationem bonitatis & perfectionis, adeoque vt est supernaturale bonum vndequaque sumum & perfectum: quo modo etiam est obiectum beatitudinis, saluâ interim differentia rationis formalis, secundum quam idem Deus aliter atque aliter est obiectum spei, seu beatitudinis & charitatis, quam vt per se claram ex q. 17. a. 8. & hac q. 23. a. 1. & 5. supposuit S. Thomas, vt pluribus Caietanus, Bannes, Arragonius & Valentia hic; & nos etiã supra q. 1. satis declarauimus. 9

Ex hoc ipso vero, quod charitas versatur circa Deum, vt est secundum se sumum bonum (non vt est bonum nostrum) eumque vt sic amat, sequitur, quod charitas versatur circa Deum, non amore cõcupiscẽtiæ, sed amicitiæ & beneuolẽtiæ, volẽdo illi omne bonũ, ac imprimis suũ ipsius increatũ bonũ, propter seipsum; quodq; adeo charitas versetur circa Deum velut vltimum finem Cui; cum interim spes versetur circa eundẽ, vt est noster vltimus finis Cuius, seu Qui, vt dictum etiam q. 1. præcedente dub. 1. 10

Assertio V. Charitas est vera amicitia ergà Deum. Ita docet cũ S. Thoma a. 1. coũunis, & sumitur nomen amicitiæ pro ipso amore reciproco inter amicos, non pro relatione inde subsequente. Probatur & declaratur ex Aristotele 8. & 9. Ethicorum, quia omnis amor beneuolentiæ mutuus, seu reciprocus, in quadã bonorũ coũunicatione fundatus, est amicitiæ; sed charitas hominis erga Deum est talis amor: Ergo, &c. Minor quoad primã partem ex dictis patet: quoad se- 11

cundum

cundam probatur; quia nunquam amamus Deū, nisi prius ab eo amati, cum ipse amor noster erga Deum sit præcipuus effectus amoris Dei erga nos. Tertia pars probatur. Tum quia & Deus præter alia varia bona naturalia ac supernaturalia, suammet etiam beatitudinem homini cōmunicat, proposito quidem in hac vita, reipsa autem in altera: & homo vicissim, qui Deum amat, sua ipsi officia & obsequia ac honorem debitum defert.

12 Eadē assertio patet ex multis scripturæ locis psal. 138. v. 17. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Cant. 2. v. 13. *Surge amica mea.* Cant. 5. v. 16. *Ipse est amicus meus.* Sap. 7. v. 14. *Participes facti sunt amicitiæ Dei.* Ioann. 15. v. 14. *Vos amici mei estis si feceritis ea, quæ præcipio vobis.* Et ibidem v. 15. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos &c.* Quæ loca cū proprie accipi possint, omnino debent; adstipulantibus præsertim SS. Patribus, idemq; passim asserentibus.

13 Ratio à posteriori est; quia oña effecta ac proprietates amicitiæ locū habent inter Deum & hominē, vt sunt iuxta Aristotelē 8. & 9. Ethicorū I. vnio quasi quædam & similitudo in ipsa natura. Nam non solum Deus ineffabiliter homo factus, sed & homo per gratiā ad participationem diuinę naturæ euectus est, iuxta illud 1. Cor. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino, vnus Spiritus est.* Ad Galat. 2. v. 20. *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus, &c.* 2. Pet. 1. v. 4. *Vt efficiamini diuinæ consortes naturæ.* 1. Ioann. 3. v. 1. *Vt filij Dei nominemur, & simus.*

II. Vnio voluntatum. Nam & Deus *voluntatem timentium se faciet, & exaudiet eos.* Psal. 144. v. 19. Et homo iustus Dei voluntatem non solum quotidie fieri cupit, sed etiam curat.

14 III. Conuersatio secura, & mutua quædam in omnibus cōmunicatio; iuxta illud Prouerb. 8. v. 31. *Delitiæ meæ esse cū filijs hominū.* Cant. 2. v. 16. *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Ad Hebræos 1. v. 1. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* 1. Ioann. 4. v. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Ad Philipp. 3. v. 20. *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* De qua re nonnihil etiam Aristoteles lib. 10. Ethicorum. & lib. 1. ac 12. Metaph.

15 IV. Mutua beneficentia; de qua 1. ad Cor. 3. v. 22. *Omnia enim vestra sunt &c. sive præsentia, sive futura.* Ad Roman. 8. v. 32. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Nos autem vicissim etsi Deo conferre reipsa nihil possumus, honorem tamen & subiectionem debitam ei præstamus: quin etiam in proximis quodammodo benefacimus, quando amamus, iuxta 2. Timoth. 2. v. 21. *Erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Et Matth. 25. v. 40. *Quod vni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.*

Quocirca etiam Aristoteles 8. Ethic. 12. asserit, inter Deum & hominem esse quandā saltē imperfectā amicitiā, fundatam in beneficentia beneficierga beneficiatum; similemque amicitiæ parentū in filios. Addo, tanto hac maiorem, quanto Deus de suis filijs certior, quantoque ampliꝰ de suo habet in homine, quam parentes in filijs. Item quanto in parentibus amandi ratio, ob diuersum principium actiuum & passiuum distractior, & ob ipsam huiusmodi animi angustiā & mutabilitatē tenuior, & inconstantior. Qua de causa etiam amicitia diuina complecti potest multos, cū humana ad multos non ita facile extendatur.

Nec obstat primo, quod Aristoteles 8. Ethic. c. 7. negare videtur, inter Deum & hominē, vt & inter regem & mancipiū, esse amicitiā, ob summam eorum inæqualitatem. Procedit enim hoc quidē de homine, si is præcise, vt Aristoteles fecit, secundum se ac suam naturam, sine gratiæ ornatu spectetur. At supposita gratia & dignatione Dei, quam Aristoteles non cognouit, nil obstat, quo minus inter Deum & hominem sit amicitia quædam, non quidem absolutæ æqualitatis, sed cuiusdā excellentiæ proportionalis: qualis etiā iuxta Aristotelem ibidem cernitur inter maritū & vxorem, principem & subditos, parentem & filios. 16

Secundo nō obstat, quod Deus omnia propter seipsum operetur. Prouerb. 16. v. 4. Hominis causa nihil; cui proinde non videtur posse affectus esse amore amicitiæ seu beneuolentiæ. Nam de ratione veræ amicitiæ non est, vt quis propter amicum operetur quidpiam, tanquam propter suum finem; sed vt ei secluſa propria vtilitate, velit bonum, idque si honesta amicitia est, propter vltimum finem, qui est Deus. 17

Assertio VI. Hæc amicitia hominis erga Deum ex suo genere est omnium perfectissima. Traditidem S. Thomas q. 23. a. 1. ad 3. & cōmunis. Probatur; quia cum iuxta Aristotelem 8. Ethic. 3. triplex sit amicitia, videlicet ob honestatem, ob vtilitatem, ob voluptatem: illa sine dubio perfectissima erit, quæ ita honestissima est, vt simul etiam sit vtilissima & iucundissima; qualem hanc diuinam esse, ex dictis colligi potest. Accedit, quod hæc omnium est firmissima, vtpote natura sua æterna. 18

Assertio VII. Charitas, prout est virtus Theologica, qua diligimus Deum & proximum, est vna virtus speciē infima. Tradit S. Thomas q. 23. a. 5. & communis. Probatur ex scriptura, quæ & simpliciter eam virtutibus speciei infimæ annumerat, vt supra dictum; & speciatim quoque insinuat, eadem charitate Deum & proximum diligi. 1. Ioann. 4. v. 12. *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Ib. v. 21. *Et hoc mandatum habemus, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem.* Ib. v. 20. *Qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum quem non videt, quomodo diliget?* Ratio est. Quia amicitia, seu mutuus amicitiæ amor non multiplicatur speciē, nisi vel pro diuersitate finis ac ratione amandi, quo modo constituuntur tres amicitiæ species, videlicet Vtilis, Delectabilis, & Honestæ, ex Aristotele citat. 8. Ethic. 3. Vel pro diuersitate cōmunicationum, quibus amicitia aliquo modo nititur; qua ratione alia dicitur amicitia consanguineorū, alia ciuiū, alia peregrinorum, seu comilitonum; de quo Aristoteles 8. Ethic. c. 11. & 12. Atqui charitas vnum duntaxat finē, adeoque & vnū obiectū formale, seu vnam rationē amandi habet, tam respectu Dei quam proximi, videlicet ipsam bonitatem diuinam; sicut & vnam solum communicationem æternæ beatitudinis, ac bonorum eo pertinentium. Ergo, &c. 19 20

21 Minor probatur. Quia propterea scripturæ & SS. Patres passim affirmant, Deum esse diligendum propter se, proximũ autem propter Deum, vbi licet vocula *propter* denotare possit variam amoris habitudinem ad Deum, videlicet 1. vt ad præcipientem; 2. ad finem remotum & extrinsecum; 3. ad remunerantem; proprie tamen, & ex mente SS. Patrum, significat rationem formalem diligendi, vt videre est apud Augustinum 3. de Trinit. c. 8. & tract. 85. in Ioan. & serm. 51. de tempore, S. Gregorium l. 10. Moral. c. 6. 7. & 10. Bernardum opusc. de diligendo Deo.

22 Quod facile ita declaratur. Nam siue proximus diligatur propter inhærentem sibi bonitatem supernaturalem, vt est participatio quædam bonitatis increatæ; siue quatenus capax est eiusmodi bonitatis; siue etiam propter suam bonitatem naturalem, quatenus ea supernaturali regulæ diuinæ bonitatis conformatur, adeoque eam quoquo modo induit (quo modo etiam materia moralium virtutum, licet in se mere naturalis, per conformitatem tamen ad supernaturalem regulam induit rationem obiecti supernaturalis, vt alibi dictum,) siue vt præcise & res quædam DEI propter se supernaturaliter dilecti; quo modo cætera omnia diliguntur, quæcunq; extra Deum & proximum charitate diligimus, vt dicetur q. sequente, semper motiuum vltimum & formale dilectionis est diuina & increata bonitas. Et confirmatur. Quia ob eandem etiam causam, eâdem specie virtute colimus imagines & prototypa, appetimus finem intrinsecum virtutis & media eiusdem. &. Quæ vero hic obijci possunt, in secunda dubitationis parte explicabimus.

23 ASSERTIO VIII. Charitas est excellentissima virtutum. Tradunt cum S. Thoma quæst. 23. art. 6 omnes. Probatur ex scriptura 1. Cor. 12. vers. 31. *Excellentiorem viam vobis demonstro*, nempe charitatis, de qua mox in subsequentibus. Item c. 13. v. 13. ibid. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: *Maior autem horum est charitas.* Ratio est. Quia charitas in hac vita perfectissime attingit Deum; morales autem virtutes per se immediate Deum nullo modo attingunt, saltem excepta religione, quæ illum attingit solum vt obiectum Cui, non vt obiectum Quod: Fides & spes attingunt quidem, sed non præcise secũdum se, sed cum quadam habitudine ad nos, siue per modum reuelantis, siue per modum beatificantis seu auxiliantis. Charitas vero illũ attingit secundum se, in eoque vt sic sistit, hoc ipso, quod versatur circa Deum formaliter, vt est noster finis Cui supernaturalis vltimus; qui vt sic ad nullum finem vlteriorem referri potest; cum tamen ad eum alia omnia & quidem etiam ipse finis Cuius, saltem formaliter, aliquo modo referantur, ex dictis supra assertione 4.

24 Interim tamen cum habitus voluntatis ex suo genere sint imperfectiores intellectualibus, efficitur, supremam in his virtutem, quæ est lumen gloriæ, saltem in ratione entis perfectiorem esse simpliciter charitate; Neque huic doctrinæ repugnat S. Thomas cit. a. 6. ad 1. loquitur enim de virtutibus intellectualibus huius vitæ, quæ exercentur per species creatas. Martyrium vero præfertur quidem omnibus actibus externis charitatis, sed non actui interno, saltem in ratione virtutis, ac per se & absolute loquendo; cum ex interna charitate suam vim accipiat, iuxta illud 1. Corinth. 13. v. 3. *Si tradidero corpus meum. &c. charitatem autem non habuero, nihil sum.*

Atque ob hanc ipsam etiam causam, charitas per se ac ex sua natura tanquam omnium virtutum regina potest & solet imperare omnibus alijs virtutibus, eas videlicet applicando & mouendo ad operandum, earumq; actus referendo ad suum finem, iuxta S. Thomam cit. quæst. 23. a. 4. ad 2. & art. 8. & colligitur ex illo 1. Timoth. 1. vers. 5. *Finis autem præcepti est charitas.* & 1. Corinh. 13. vers. 4. *Charitas patiens est, benigna est &c.* cum è conuerso aliæ virtutes charitati proprie non imperent, vt iuxta S. Thomam q. 26. art. 7. & q. 81. a. 1. ad 1. & a. 5. ad 1. docet Caietanus q. 32. a. 1. vniuersim negans, virtutem inferiorem imperare superiori, etsi alij subinde aliter loquantur, nec in re negari possit, ex motione alterius virtutis v. g. spei, seu misericordiæ, per accidens subinde elici posse actum charitatis, eumq; vt sic velut vtilem ad eiusdẽ virtutis opus & obiectum aliquo modo referri; semper tamen cum virtuali saltem, aut habituali regressu ad proprium & formale obiectum ac motiuum charitatis.

25 Dices; Cur ergo sancti p̃scribunt, vt omnia nostra (quod per virtutẽ religionis fit) ad Dei gloriam & honorem referamus? Respondetur, id potissimum dici respectu moraliũ virtutũ, seu actionum ab ipsis procedentiũ, quamuis suo modo etiã in charitate locũ habeat, eo quod hac extrinsecam relatiõe ipsis etiã actib⁹ charitatis noua bonitas accidentalis accedat, cũ tamen interim ex sua natura non religio charitati, sed charitas religioni velut inferiori virtuti imperet. Cuius rei etiã hæc causa est; quia Religio etsi ipsi quoq; Deo velit bonum, non tamen omne, sed certũ, idq; creatũ, puta honorem, nec ob ipsam sumam Dei bonitatem in se spectatam, gratuito quasi amicitiæ titulo; sed ob quandã rationẽ respectiuã excellentiæ, ex debito seruitutis; quocirca etiam per Religionẽ refertur homo ad Deum, quasi seru⁹ ad dominũ; per charitatẽ, vt amicus ad amicũ, seu vt filius ad Patrẽ, qui est multo præstantior affectus, iuxta illud Ioann. 15. v. 15. *Iam non dicam vos seruos &c. vos autem dixi amicos*, Addi potest, illud ad Dei gloriam & honorem, generatim accipi, idemq; significare, quod ad beneplacitam Dei, ex quo in Deum honor & gloria redundat, vt hac ratione intentio illa charitatem non excludat, sed includat.

ASSERTIO IX. Licet absque charitate possint esse virtutes perfectæ quoad substantiam; non tamen quoad statum Christianæ virtutis. Ita cum S. Thoma q. 23. a. 7. communis: & primum patet ex dictis tomo 2. disp. 3. q. 2. & seqq. Secundum probatur ex illo 1. Cor. 13. v. 3. *Si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ratio est, quia sine charitate nulla virtus homini prodesse potest ad beatitudinem. De qua re supra disput. 1. 26

quæst. 8.

quæst. 8. dub. 4. & quæst. 6. dub. 2. & tom. 6. disp. 6. q. 4. dub. 3. & q. 5. dub. 2.

ASSERTIO X. Charitas est forma virtutum
27 cæterarum. Ita S. Thomas q. 23. a. 8. ex communi; & patet tum ex præcedenti assertione; tum ex dictis supra disp. 1. quæst. 6. dub. 2. vbi de hac re pluribus actum.

DVBIVM II.

An præter Charitatem, virtutem Theologicam, dentur alii habitus amoris amicitiæ erga Deum vel proximum.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 23.

PRæter amorem supernaturalem amicitiæ seu
28 beneuolentiæ erga Deũ, de quo hactenus egimus, dari etiã aliũ amorẽ concupiscentiæ honestum & supernaturalem erga eundem, diximus q. 1. dub. 1. An vero alius adhuc amor amicitiæ erga eundem, vel etiam erga proximum detur, controuersum est.

Et primo quidem dubitatur, vtrũ præter amorem supernaturalem amicitiæ erga Deum, ad charitatem pertinentem, detur etiam alius naturalis amor amicitiæ erga eundem Deum, seu velut authorem ac finem naturæ, seu etiam velut authorem ac finem & bonum supernaturale. Negatiuam sententiam fusè tuetur Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 195. cap. 2. 3. & 4. præsertim n. 7. vbi ait, sibi difficile visum esse, duo illa genera dilectionis Dei, distinguere; alterum Dei vt finis naturalis, alterum Dei vt finis supernaturalis, eo modo, quo aliqui distinguunt; & putare, facilius esse, amorem Dei naturalem & supernaturalem eo solũ modo distinguere, vt naturalis sit amor concupiscentię, quo Deũ nobis desideram⁹ vt bonũ nostrum, sicut quando desideramus ipsũ videre; amor autem supernaturalis sit omnis amor amicitię erga Deum, quo ipsum propter ipsum diligimus. Vbi simul addit, naturalem amorẽ se vocare, non quia fiat ex solis viribus liberi arbitrij, sine vllo auxilio gratiæ mouẽtis; sed quia suapte natura non sit ordinis superioris, postulans principium & habitum sua natura infusum: contra vero supernaturalem amorẽ vocare, quia sua natura sit ordinis superioris, sicut cæteræ res supernaturales.

Et quia auctor hic non ignorabat, eã sententiã
29 nouam esse, subiungit ibidem, eius sententiæ iudicium, quod S. Thomæ & Scholasticis alijs contraria esse videatur, alijs integrum relinquere: quamuis, inquit, ex schola etiam S. Thomæ non desint, qui dicant, amorẽ amicitiæ erga Deum esse solũ amorem charitatis supernaturalẽ, & nullũ alium: ita enim sensisse Dominicum Bannem 2. 2. q. 23. a. 1. imo nec S. Thomam, quamuis concedat duplicem amorem Dei super omnia, alterum vt finis naturalis, alterum vt finis supernaturalis, vsquam in sũma docuisse, vtrumque esse amorem amicitiæ. Eidem sententiæ vt fauentes adducit ibidem & n. 24. Alensem 2. part. q. 30. mem. 1. a. 2. §. 2. ad 1. quasi omnẽ amorem amicitiæ dicat esse ex charitate, & solũ amorẽ naturalem dicat esse concupiscentiæ erga Deũ; item Albertũ 2. part. tract. 4. q. 14. memb. 4. a. 2. idem sentientem; item Antisiodorensem lib. 2. tract. 1. c. 4. & 6. vbi solum distinguit duplicem amorem amicitiæ erga Deum penes hoc, quod alter procedat ab habitu, alter autem non; itẽ Scotum in 3. dist. 27. q. 1. §. *Contra primã viã*, vbi inanẽ existimat distinctionem illã finis naturalis, & supernaturalis in ipso Deo: nec is vspiã in amore amicitiæ erga Deum eiusmodi distinctionem admittit. Huc etiã spectat Michael Baius propos. 34. ex damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. vbi eandẽ distinctionem aperte reijcit. Denique etiã Alphonsus Viruesius Philippica 5. & Bellarminus tom. 3. l. 6. de gratia c. 7. nihil distinguunt inter eiusmodi amores; imo de amore Dei, vt author est naturæ, intelligi vult Bellarminus testimonia scripturæ, quæ de charitate loquuntur. Omitto recentiores illos, qui cũ admittãt quidem erga Deum amorẽ amicitiæ naturalẽ & supernaturalẽ, negant tamen, eos distingui ex parte obiecti, siue Dei vt auctoris ac boni naturalis, & supernaturalis, de quibus in fine hui⁹ dubitationis agemus.

Fundamẽta huius sententiæ sunt. I. In scriptu- 30
ra & Patribus nusquã inuenitur distinctus duplex amor amicitiæ erga Deum, vnus naturalis erga Deum tanquam finem naturalem, alter supernaturalis tanquam erga finem supernaturalem, vt speciatim videre est apud Augustinum in illud Psalmi 53. *Voluntarie sacrificabo tibi*, & lib. 1. de disciplina Christ. c. 1. & serm. 13. & 15. de verb. Apostoli, & epist. 113. & apud Bernardum toto lib. de diligendo Deo.

II. Si duo amores amicitiæ erga Deum distinguerentur, alter erga Deum finem naturalẽ, alter circa Deum finem supernaturalem, sequeretur, aut amorem amicitiæ erga Deum finem naturalẽ haberi posse sine gratia habituali, cum solo auxilio gratuito, in natura lapsa, sicut in natura integra; quod negauit S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 3. & alij communiter; & ita vera esset sententia Marsilij in 2. q. 108. a. 2. & in 1. q. 20. art. 3. & Andreæ Vegæ quæst. 10. de Iustificat. ad vltimum argument. qui docent, posse Deum hoc modo diligi cum solo auxilio gratiæ mouentis, sine habituali gratia: aut sequeretur, solo illo amore tanquam vltima dispositione, hominem iustificari à statu peccati: aut denique statum peccati aliqua ex parte minuere: quæ videntur absurda.

III. Amor quicunque amicitiæ erga Deum pu- 31
gnat cum macula peccati; ac proinde suapte natura emundat & iustificat à peccato, estque vltima dispositio ad gratiã habitualẽ: nihil autẽ horũ esse potest amor naturalis, sed solũ supnaturalis, Ergo omnis amor amicitię est supernaturalis.

IV. Accedit ratio à priori, ex ipso obiecto dilectionis amicitiæ desumpta. Nam quoties in obiecto formali alicuius affectũs amoris, non potest distingui duplex ratio, in quam affectus ipse feratur, frustra distinguitur duplex affectus specie

diuersus: in Deo autem dilecto amore amicitiæ, non potest assignari duplex ratio, sub qua à nobis diligatur; ergo non debet distingui duplex amor amicitiæ erga ipsum. Minor probatur, quia ab obiecto formali sumitur distinctio specifica actuum: nec sufficit ad eam distinctionem sola diuersitas principij, siue id principium consideretur, ex parte voluntatis, eleuatæ per auxilium seu habitum supernaturalem: siue consideretur ex parte intellectus, ita vt sit cognitio ad intellectum pertinens. Non primum. Si enim ponatur, dilectionem erga Deum, hoc aut illo modo consideratum esse naturalem, (nulla ex parte obiecti speciali ratione obiectiua, qua à supernaturali dilectione differat existente) nulla causa erit, cur ipsa per se voluntas non sit sufficiens principium talis dilectionis; ac proinde voluntati non poterit addi habitus, aut qualitas supernaturalis, quæ ipsam eleuet ad eliciendum talem effectũ, vtpote naturalem quoad substantiam, nec indigum supernaturalis auxilij.

32 Neque dici potest secundũ, nam sola cognitio supernaturalis non potest sufficere, vt actus voluntatis, citra diuersitatem aliquam formalis obiecti, ex naturali fiat supernaturalis: quandoquidem cognitio solũ est conditio afferens, & repræsentans obiectũ, siue interim efficienter concurrat ad eliciendũ effectum, siue non. Quo fit, vt affectus circa eandẽ rationem boni sit eiusdem naturæ, siue ratio illa boni repræsentetur per cognitionem supernaturalem fidei, siue per cognitionem naturalem. Quare si affectus amoris circa Deum, sub tali ratione boni consideratum ex lumine naturali, est naturalis, & hac ratione ipse Deus est finis noster naturalis, efficitur plane, amorem circa eundem sub eadem ratione boni consideratum per actum fidei esse etiam naturalem, & ipsum Deum hac etiam ratione esse finem naturalem amoris nostri.

Et confirmatur; quia ob eandẽ causam, amor charitatis, quo in via Deum amamus, & in patria, est eiusdẽ omnino rationis, licet cognitio Dei in via & in patria maxime differant; quia nimirum eadem est ratio boni vtraque cognitione repræsentata; cognitio autem est tantum conditio afferens obiectum: ex sola igitur cognitione non potest sumi differentia naturalis & supernaturalis, quoad substantiam, inter affectus amoris.

33 Minor eiusdem argumenti, scilicet in dilecto amore amicitiæ non posse assignari duplicem rationem obiectiuam, sub qua à nobis diligatur, duplici amore, naturali scilicet & supernaturali, probatur: Nã vno solum ex diuersis modis, hæc diuersa ratio in Deo diligendo excogitari potest. Primo, ita vt amor naturalis versetur circa Deum vnum, quam naturaliter cognoscere possumus; amor verò supernaturalis circa Deum trinum & vnum, quem sola fide & notitia supernaturali cognoscimus. Sed hæc ratio aperte falsa est: tum quia sequeretur, ante reuelatum mysterium Trinitatis, neminem potuisse affectu amoris supernaturalis in Deum ferri; quod est absurdum. Tum quia vnitas, aut trinitas, non est formalis ratio in quam fertur amor amicitiæ, sed bonitas ipsius Dei, quæ conuenit Deo vt vni & secundum se, quamque naturali notitia assequi possumus.

Secundo excogitari posset diuersa ratio ex parte 34
Dei dilecti, ad distinguendos hos amores; ita vt amor naturalis versetur circa Deũ apprehensum vt finem naturalem nostrum, supernaturalis vero circa ipsum vt finem supernaturalem; vel quod eodem recidit, vt vnus versetur circa Deũ, vt authorem naturæ, alius vt authorem gratiæ; quem modum philosophandi secuti videntur Alensis 2. part. memb. 3. Richardus in 2. dist. 3. a. 7. q. 1. ad 1. & S. Thomas 2. 2. q. 109. a. 3. ad 1. & Antisiodorensis lib. 2. tract. 1. Sed hæc ratio non immerito improbata fuit à Scoto in 3. dist. 27. q. vn. eo quod licet hæ duæ rationes possent esse obiecta diuersorum affectuũ concupiscentiæ, quatenus Deus consideratur vt diuersum bonum nostrum, nempe vt conseruans naturam, & donans gratiam & beatitudinem; tamen non videntur sufficere, ad constituendum diuersum amorem amicitiæ erga Deum; vtpote quo Deus non amatur vt nobis bonus, sed vt in se bonus: eodem autem modo consideratur bonus, siue apprehendatur vt author naturæ, siue vt author gratiæ. Neque enim alia ratio bonitatis est in Deo, vt vno aut alio modo considerato: siquidem est vnicum attributum bonitatis, & eiusdem rationis.

V. Denique distincta illa ratio amandi Deum, 35
admodum subtilis & in scholis tantum nota esse videtur. cum tamen prius etiam quam ad scholas accederemus, & has diuersas considerationes audiremus, ex consideratione beneficiorum Dei naturalium, & omnipotentiæ ipsius, iunctæ cum bonitate, siue proprio motu, siue concionatorum hortatu, concipere possemus dilectionem Dei supernaturalem: sicut etiamnum rudes facere idipsum possunt. Iisdem vero argumentis multo magis probatur, non dari vllum amorem amicitiæ naturalem erga Deum vt est finis & bonum supernaturale.

Verum opposita sententia, dari duplicem amorem amicitiæ erga Deum, naturalem vnum, alterum supernaturalem, vti communis est Theologorum, ita longe verior est, ac merito retinenda; præsertim quia hoc per modum quasi cuiusdam principij in multis materijs Theologicis supponitur, vt cum de viribus naturæ, de iustificatione, de contritione, seu dolore de peccatis, alijsque similibus agitur: vti nos etiam tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 4. n. 105. id tanquam certum supposuimus. Ad quam sententiam magis confirmandam & declarandam, sequentes assertiones statuimus.

Assertio I. Iure optimo ac necessario assig- 37
nãdus ac distinguẽdus est, secundũ diuersã considerationẽ Dei, tũ velut auctoris & finis, adeoq; boni supernaturalis, tum etiã velut auctoris & finis, adeoq; boni quasi naturalis, duplex amor amicitiæ erga Deum; supernaturalis vnus, alter naturalis: si modo simul ex parte obiecti, illic quidẽ spectetur conformatio cum regula supernaturali; hîc vero cum regula naturali. Hæc assertio

est com-

est communis veterum ac recentiorum Scholasticorum, vt mox dicemus. Quæ proinde probatur primo auctoritate Doctorum. Nam vt ipsemet Vasquez agnoscit cit. disp. 115. cap. 3. num. 22. ita plane senserunt Alensis 2. part. quæstio 131. memb. 3. & q. 91. memb. 1. ad 7. Altisiodorensis lib. 2. sum. tract. 1. cap. 4. (imerito pro contraria sententia citati) item Richardus in 2. d. 3. a. 7. & dist. 28. a. 1. q. 1. Bonauentura in 2. dist. 3. a. 3. q. 1. ad 3. Ariminensis in 2. dist. 39. q. 1. a. 2. Abulensis in c. 19. Matthæi q. 177. Sotus l. 1. de natura & gratia c. 22. Caietanus, Conradus, Medina, alijque Thomistæ recentiores 1. 2. q. 109. a. 3. Canus relect. de pœnitentia part. 5. Valentia tom. 2. q. 1. pun. 4.

38 Idem in primis docuit ipsemet S. Thomas pluribus in locis, quorum duo potissimum ex eius Summa ad rem magis confirmandam, & ne detur elusioni locus, placet referre. Primus locus habetur 1. par. q. 60. a. 5. vbi ait: *Quia bonum vniuersale est ipse Deus, & sub hoc bono continetur etiam angelus, & homo, & omnis creatura naturaliter, secundum id, quod est, Dei est; sequitur, quod naturali dilectione, etiam Angelus & homo plus & principalius diliget Deum, quam seipsum.* Et ibidem ad 4. *Deus secundum quod est vniuersale bonum, a quo dependet omne bonum naturale, diligitur naturali dilectione ab vnoquoq; : in quantum vero est bonum beatificans vniuersaliter omnes, supernaturali beatitudine, sic diligitur dilectione charitatis.*

Vbi quidem sermonem esse de naturali amore amicitiæ erga Deum, patet tum ex ipsa vocula *Dilectionis*, quæ proprie non significat amorem concupiscentiæ sed amicitiæ; tū ex initio corporis eiusdē articuli, vbi expresse mouetur quæstio etiam de amore amicitiæ erga Deum: imo de hoc solū proprie quæstio esse potest, quando amando Deum amore concupiscentiæ velut bonū nostrū, non plus amanus Deum, quam nos ipsos; cum in quouis amore concupiscentię magis quodammodo seu principalius ametur finis, seu subiectum cui bonum volumus, quam finis Cuius, seu bonum, quod eidem subiecto volumus.

39 Secundus locus S. Thomæ est in 1. 2. q. 190. a. 3. ad 1. vbi ait: *Charitas diligit Deum super omnia eminentius, quã natura: natura enim diligit Deũ super omnia, prout est principium & finis naturalis boni; charitas autem secundum quod est obiectum beatitudinis, & secundum quod homo habet quandam societatem spiritualem cum Deo.* Ex quibus manifeste patet, iuxta S. Thomã, dari dilectionē seu amorē amicitiæ naturalem erga Deum, prout est principium & finis naturalis boni; quod imerito negauit Vasquez.

E contrario vero ex mente S. Thomæ, dari etiã amorē concupiscentiæ supernaturalē erga Deum, secus ac idē Vasquez superius dixerat, aperte patet ex eodē S. Thoma 1. par. q. 62. a. 2. qui ait: *Si aliquid fit supra naturã, voluntas in id ferri non potest, nisi ab aliquo alio supernaturali principio aduta. Ostensum est autem supra, cum de Dei cognitione ageretur* (q. 12. a. 4. & 5.) *quod videre Deum per essentiam, in quo vltima beatitudo rationalis creaturæ consistit, est supra naturam cuiuslibet intellectus creati. Vnde nulla creatura rationalis potest habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem, nisi mota a supernaturali agente.* Vbi cum sit sermo de visione Dei beatifica, clarū est, sermonē esse de motu voluntatis erga eundē Deum clare visum, spectante ad amorē concupiscentiæ, non amicitiæ. Patet igitur, oppositā Vasquij sententiā S. Thomæ nullo modo consonam esse; sicut etiā hanc eius sententiæ partem, omnē amorem concupiscentiæ erga Deum esse naturalem, iam supra q. 1. dub. 1. & tom 2 disp. 1. q. 5. à n. 26. & disp. 6. q. 3. n. 105. refutauimus.

Secundo probatur eadem assertio, authoritate Ecclesiæ, ac Sumorum Pontificū. Nam in speciali bulla Pij V. & Gregorij XIII. damnata est hæc propositio 34. Michaelis Baij: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur vt author naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator est, vana est, & commentitia, & ad illudendū sacris literis, & plurimis veterū testimonijs, excogitata.* Et quamuis Vasquez cit. d. 195. c. 4. n. 24. respondeat, ibi nihil agi de materia propositionis, quod spectat ad duplicem amorem, sed quod attinet ad nimis ausleri & seueri iudicij libertatē, qua perstringebat auctor ille Doctores, qui dicta distinctione vtebantur; existimo tamen in re graui, & comuni Doctorum sententiæ repugnante, nō satis tutū esse hoc perfugiū: præsertim quando etiā Vasquez ex sua sententia asserere cogitur, eiusmodi distinctionē esse inanē, & comentitiam, nec scripturæ ac Sanctis Patribus consonā, hoc ipso, quod scripturæ & Patribus incognitā fuisse contendit. Neq; ideo dicēdum est, in ea propositione etiā damnari eos, qui asserunt, non posse Deum amari amore amicitiæ sine gratia; quasi hi etiam tollant amorem naturalem, qui non sit gratuitus, & omnem dicant esse gratuitum. Nam vt ex opposito distinctionis membro patet, quod est amor *naturalis*, eo loco *gratuitus* amor non significat quemlibet amorem ex gratiæ auxilio profectum, sed intrinsece ac sua natura gratuitum & *supernaturalem.* 40

Tertio probatur assertio ratione; quia cum Deus cognosci ab homine possit, tum vt author naturę est, nondū simul cognito eodē, vt est auctor & finis supernaturalis; tum vt est author & finis supernaturalis; ac simul etiā sub hac consideratione boni rationē habeat; vtiq; aliud obiectum formale, etiam respectu voluntatis, duplex illa consideratio Dei constituere potest, ita vt aliud voluntatis seu amoris obiectum sit Deus, vt est author seu bonum quoddam quasi naturæ, aliud vt est author & bonum supernaturale. Et quia actus specificantur ab obiecto, necesse est, vt priori rationi obiectiuæ, quæ naturalis est, respondeat actus voluntatis seu amoris naturalis: posteriori autem rationi obiectiuæ supernaturali, respondeat actus & amor supernaturalis. Et confirmatur. Nam ratio naturalis, absque vlla reuelatione fidei, ostendit nobis esse Deum vnum & summe bonum; adeoque summe dignum, qui diligatur amore amicitiæ: Ergo aut omnis amor amicitiæ naturalis esse debet, sequens rationem seu cognitionem naturalem; aut quia id absurdum est, saltem distinguendus est erga Deum duplex amor amicitiæ, alter naturalis, alter supernaturalis. 41

42 Neque vero vllo modo probatur, quod Vasquez cit. disp. 195. c. 4. ad hoc argumentum respondens ait, ratione quidem naturali cognosci à nobis bonitatem Dei; at vero per hanc rationē non ostendi nobis bonitatem Dei amandam esse amore amicitiæ; sed hoc iudicium solumodo ad fidem diuinam, & supernaturalē pertinere, & in solis fidelibus reperiri; cum apud gentiles Philosophos nullū prorsus vestigiū inueniatur; quinimo Aristoteles amicitiam inter Deum & hominem negarit. Hæc, inquam, non probantur. Nam præterquam quod Aristoteles non omnino negauit amicitiam inter Deum & homines, vt dub. præcedenti assert. 5. retulimus; aliud est amor amicitiæ, seu beneuolentiæ, qui plus non requirit, quam vt alicui velimus bonum propter se, siue vt ipsi bene sit; aliud est ipsa amicitia simpliciter dicta; quæ præter reciprocum amorem beneuolentiæ, plus requirit, vt eodem dubio dictum est; & nemini, vt opinor, Philosophorum Deum agnoscentium vnquam in mentem venit, Deum nō esse amandum amore amicitiæ seu beneuolentiæ; cum oppositum ex ipsa ratione sumi boni naturaliter cognita euidenter deducatur.

Quarto probatur assertio, ex simili doctrina
43 ipsius Vasquez, præcipui authoris contrariæ sententiæ, qui in 1. 2. disp. 86. c. 6. n. 25. naturalem habitum ac virtutem religionis à supernaturali habitu religionis distinguit; vt nimirum Deo tanquam authori naturæ & vitæ corporalis deferamus cultum, per religionem acquisitam: Deo autem authori gratiæ & vitæ spiritualis eundē cultum deferamus, per virtutem religionis infusam, vti retulimus etiam tom. 2. disp. 3. q. 4. dub 2. n. 20. Quæ proinde diuersa consideratio Dei, si duplicem virtutem religionis constituit, naturalem vnam, supernaturalem alteram, cur non possit etiam, debito modo applicata, diuersam eiusmodi dilectionem Dei constituere? Quod vero in eadem assertione addidimus limitationem, de duplici regula, naturali, vel supernaturali, sequenti assertione declarabitur.

44 Assertio II. Probabilissimum est, etiam dari naturalem amorem amicitiæ erga Deum, velut authorem ac finem supernaturalem; non quidem reduplicatiue, sed specificatiue loquendo; seu quod idem est, non ita, vt supernaturalitas ex parte obiecti, sit ratio formalis obiectiua, sub qua Deus amorē terminet, sed vt sit pars materialis obiecti, reipsa terminans actum amoris amicitiæ erga Deum: Sicut è contrario dari potest actus dilectionis supernaturalis erga Deum velut authorem naturæ, si in eo obiecto attendatur conformitas cum regula supernaturali, adeoque honestas supernaturalis. Ita necessario sentiunt authores illi, qui admittentes naturalem amorem amicitiæ erga Deum, asserunt, eum non necessario specificari ab obiecto, sed potius à principio effectiuo, quos referemus hoc dubio, quæsito vlt. n. 66. His accedunt etiam alij, qui in simili docent, posse fide naturali aut humana credi obiectum reuelatum & supernaturale etiam vt reuelatum, adeoq; vna cū ipsa reuelatione; ita vt reuelatum non dicat rationem formalem obiecti, sed partē materialis obiecti, vti diximus etiam supra disp. 1. q. 1. dub. 3. & 4. & tom. 1. disp. 1. q. 3. dub. 2.

Vnde etiam primo probatur assertio à simili: negari enim non potest, fide humana & naturali credi posse obiecta supernaturalia, puta mysterium Trinitatis, Incarnationis, itemque cætera obiecta omnia fidei, etiam vt reuelata sunt, hoc est, vna cum ipsa reuelatione, non ita, vt vocula *vt* sit nota reduplicationis, dicens rationem formalem obiecti Quo, siue propter quod, sed vt sit nota specificationis, & pars obiecti materialis crediti: Cur ergo non possit etiam Deus vt bonum supernaturale similiter diligi amore & dilectione naturali?

Secundo, amore concupiscentiæ naturali amari potest Deus, vt est bonum ac finis noster supernaturalis, vti concedit Vasquez, cur ergo non etiam ita amari possit amore naturali amicitiæ, si sub eadem ratione bonitatis supernaturalis consideretur Deus, non vt nobis bonus est, sed vt in se summum bonum supernaturale est?

Tertio accedit ratio à priori; quia sicut obiecta materialia aliarum virtutum duplicem rationem honestatis induunt, diuersumq; virtutū genus constituunt, naturale vnum, supernaturale alterum, quatenus duplici diuersæ regulæ, naturali scilicet ac supernaturali conformantur, adeoque etiam diuersa cognitione naturali ac supernaturali voluntati apponuntur, vti diximus tom. 2. disp. 3. q. 4. dub. 2. à n. 18. ita etiam Deus, vt bonum seu naturale, seu supernaturale, amabile amore amicitiæ, diuersā rationē formalis obiecti & honestatis induit, quatenus diuersæ regulę naturali vel supernaturali conformatur; ita quidem vt quatenus conforme est regulæ & cognitioni supernaturali, constituat actum & amorem supernaturalē, quaten? vero conforme est regulæ seu rationi naturali; constituat actū naturalem. 45

Et ob hanc etiam causam in præcedente assertione, ad supernaturalem dilectionem Dei, etiam regulam cognitionemque adeo supernaturalem requisiuimus: præterquam quod voluntas ad supernaturalē actum eliciendū sola cognitione naturali moueri nullo modo potest, sed supnaturali tantū, eiusdēq; adeo generis & ordinis: Sicut etiam cuiuis appetitui elicito sua quędā certa cognitio respondet; nimirū sensitiuo appetitui cognitio sensitiua; rationali appetitui cognitio intellectualis. Quo sensu proinde etiā intelligendi sunt illi, qui absolute docent, Deum vt bonū supernaturale constituere dilectionem supernaturalem; vt bonum vero est naturale, cōstituere dilectionem naturalē. Subintelligunt enim simul vtrinq; proportionatā regulā & cognitionē; voculamq; *vt* non solū pro nota specificationis, sed etiam formaliter & reduplicatiue accipiunt. Et sicut in virtutibus moralibus, obiectū materiale efficitur supernaturale, ex ipsa regula, cui act? cōformatur; ita etiā Deus boni supernaturalis rationē induit, ex regula & cognitione supernaturali cui conformatur. Neq; frustra S. Thomas cit. 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. asserens charitatis obiectū esse Deū, *secundū quod est obiectū beatitudinis*, addidit, & 46

secun-

secundū quod homo (per cognitionē scilicet supernaturalem) *habet quandā societatē spiritualem cū Deo.*

47 Ex quibus ad argumenta contrarię sentētiæ nō difficulter respondetur. Ad primū dico primo, si id argumentum quidquā probaret, etiā probaturum, non dari duplicē fidem de obiectis à Deo reuelatis, naturalem vnam, supernaturalem alterā; quando hæc in scripturis, & apud SS. Patres expresse & in actu quasi signato, non magis distingui videntur: consequens vero plane absurdum esse, omnes norunt. Respondeo secundo, etsi quidem in actu signato, hęc in scripturis, & apud SS. Patres non ita aperte distinguantur; tamen hoc ipso virtualiter & in actu exercito satis distingui, tum quod Deus in scriptura, & apud SS. Patres, sub diuersis eiusmodi rationibus ac motiuis amandus proponitur, non solum nimirū vt finis & author est naturæ, sed etiam vt finis & author est boni ac ordinis supernaturalis: tum quia Patres, etiā loquendo de dilectione Dei, quę proprie actū amoris amicitiæ significat, eam, prout ad salutem necessaria est, quibusdā additis modificationibus determinant, vti dictū tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 4.

48 Ad secundū respondetur, concedendo, amorem amicitiæ naturalem haberi & existere posse, sine gratia habituali; cum dilectio hominem iustificans non sit naturalis, sed supernaturalis, vt diximus tom. 2. disp. 6. q. 4. dub. 3. & partim q. 3. dub. 4. vbi etiā explicauimus, an & qualis dilectio Dei haberi possit ex viribus naturę, sine auxilio gratiæ, quæ nō est opus hoc loco repetere.

Ad tertium respondetur negando assumptum. Non enim quicunque amor amicitiæ erga Deum pugnat cum macula peccati, nec adeo sua natura iustificat à peccato, nec est vltima dispositio ad gratiam habitualem; sed solum amor Dei supernaturalis ad charitatem pertinens, vt loco citat. diximus. Ratio est; quia peccatum non solum auertit à Deo velut fine naturali, sed etiam supernaturali; ad cuius proinde deletionē requiritur supernaturalis amor erga eundem Deum, velut bonum ac obiectum aliquo modo supernaturale.

49 Ad quartum respondetur, negando minorem. Iam enim superius explicatū est, Deum vt amabilē amore amicitiæ, quatenus diuersę regulæ naturali vel supernaturali cōformatur, habere etiā diuersam rationem obiecti & honestatis, specificantis diuersos habitus, vnum naturalem, alterū supernaturalē. Neq; ideo quęlibet diuersitas cognitionis, cui actus voluntatis conformatur, diuersos specie actus voluntatis constituit; sed ea solum, quæ per modum regulę diuersam rationē honestatis actui confert; quod quidē in supernaturali cognitione Dei, quatenus vna est obscura ad fidem pertinens, altera clara ad visionē beatificam pertinēs, circa actū dilectionis Dei nō accidit; quia eiusdē rationis est, amare Deū visū, & obscure cognitū, si modo vtraq; cognitio sit supnaturalis. Cętera, quę in eodē argumēto attingūtur prætermittimus, quia ad propositū nihil faciunt.

Illud solū adnotandū est, cū dicitur, Deū vt finē & authorē bonorū supernaturaliū, constituere amorem supernaturalē, nō ita intelligendum, quasi Deus ea ratione consideretur vt nobis bonus, seu vt nostrū bonū est, sed quia his vocibus ratione distinguimus, velut à posteriori, duplicē bonitatē, ob quā ipse Deꝰ etiā per se amabilis est. Sicut ex eo, quod est auctor naturæ, cognoscimꝰ & apprehendimus in Deo quandā bonitatem, ad ordinē quasi naturæ spectantē, ob quā ipse itidē secundū se, proportiōato ac naturali amore amabilis est. Et quamuis attributū bonitatis adęquate spectatū sit vnū; tamen nihil obstat, quo minus admodum explicatū, diuersa in Deo bonitas ratione nostra distinguatur: sicut etiam beati, non quidem per ipsam visionē beatificam, sed per cognitionem abstractiuam, duplicem eiusmodi rationem amandi distinguere, & sub vtraque ratione Deum amare possunt.

Ad quintū respondetur, distinctā illā rationem 50
amandi, non ita obscurā ac subtilē esse, quin etiā vulgo nota esse soleat; quis enim non aliquando audiuit, aut legit, Deum vtraq; ratione bonū esse, simul nimirū vt est author naturæ, & vt author est gratiæ? Neq; vero suo muneri satisfacerēt cōcionatores, alijq; rerū spiritualiū magistri, si Deū solū sub motiuo naturali amandū proponerent. Esto interim in actu signato distinctio illa duplicis amoris, naturalis & supernaturalis, nō ita vulgo nota esse soleat, neq; etiā ita necessario sub ijs ipsis terminis vulgo exponenda sit: sufficit reipsa vtrāq; rationē amādi suo loco & tēpore explicare.

Secundo dubitatur, vtrū detur etiam habitus 51
acquisitus illius amoris amicitiæ naturalis erga Deum, quē hactenus explicauimus. Negant Caietanus 1. 2. q. 62. a. 3. & q. 109. a. 3. & Valētia hic pun. 1. §. 4. ad amorē eiusmodi naturalē opus esse habitu; quod ita etiā olim docuit Altisiodorensis superius relatus initio huius dubitationis n. 29.

Sed excōmuni rectius affirmant alij, quos infra 52
citabimus, speciatim Arragonius hic q. 25. a. 1. ad vltim. quia eiusmodi actus non solum est honestus, sed etiā plane excellēs, arduꝰ, & difficilis; præsertim ob tot passiones & ꝓpensiones vitiosas, huic amori aduersantes; quo fit, vt nec sine peculiari gratiæ auxilio Deus ita super omnia amari possit, vt dictum 1. 2. disp. 6. q. 3. dub. 4.

Est autem hæc virtus inter morales seu acquisitas præstātissima; etsi respectu quidē ipsius Dei non habeat perfectam rationē amicitiæ; eo quod sistendo intra limites naturæ, nulla vera & perfecta coniunctio cū Deo velut amico esse potest. Ob quam etiam causam Aristoteles l. 8. Ethic. c. 7. solum ad naturæ limites attendendo, negauit, inter Deum & homines esse amicitiam, etsi rursus alibi, videlicet c. 12. admisit esse, videlicet imperfectā. An vero hic habitus etiam complectatur aliquo modo ꝓximū, dicetur dubio sequēti.

Dubitatur tertio, vtrum etiā amicitia humana 53
ac naturalis inter homines, in quadam naturali honestate fundata, sit specialis virtus. De hac re Aristoteles 1. Ethic. 8. dubie ait, amicitiā aut virtutem esse, aut sequi virtutem. Eodem modo S. Thomas, licet olim in 3. d. 27. q. 2. a. 2. negarit, esse virtutem ab alijs distinctā, tamen hic a. 3. dubie loquitur, significans vtrumq; esse probabile, & virtutē scilicet distinctā ab alijs esse (quod etiam indicat 8. Ethic. lect. 1.) & non esse.

Alij vero, vt Bannes cit. art. 3. Valentia loco cit. & apud eosdem Capreolus & Caietanus, simpliciter negant, esse specialem virtutem seu habitum; cum ad actus huius amicitiæ, etsi laudatissimos, sufficere videantur aliæ virtutes; ac præsertim, quia vera amicitia honestatem virtutis supponit, non adfert.

54 Sed probabilior videtur sententia Paludani in 3. dist. 27. Henrici quodlib. 10. quæst. 12. Buridani & Guidonis, quos citat & sequitur Arragonius hic a. 3. esse habitum virtutis distinctum ab alijs. Fundamentum præcipuum sumitur ex obiecto, & actu proprio ac distincto, eoq; non parum difficili; nempe vt homines, qua & naturæ similes, & virtute naturali præditi, aut certe virtutis capaces sunt, moderate diligantur, vitiosis vtrinq; extremis vitatis. Neque vero honestatem aliarum virtutum ita supponunt, vt propriam addere non possint.

55 Vnde ex analogia infusæ charitatis hunc habitum amplius declarando, sequentia pronuntiata addimus. I. Etiam singularem illam dilectionem, quæ inter duos peculiares amicos cernitur, si modo in honestate fundata sit, ex hoc habitu existere: neque crediderim, ex diuersitate cõmunicationum, talem amicitiam in virtute, vt diximus, fundatam, nisi materialiter aliquo modo variari: Secus si ipsa diligendi ratio varietur. Hęc enim sola diligendi habitus videtur essentialiter distinguere.

II. Quamuis per se alioqui non sit difficile, seipsum amare; probabilius tamen esse, etiam honestum & moderatum sui amorem naturalem, qui per accidens ob malam naturę propensionem non parum sæpe difficilis est, ab eiusmodi virtutis habitu proficisci; ob similem rationem.

56 III. Eodem habitu, quo diligimus Deum velut autorem naturæ, etiam diligi posse à nobis proximum, tum vt rem quandam Dei, tum etiam vt amicum, si proximus consideretur velut Dei aliquo modo amicus, seu ipsius bonitatem aliquo modo participans: attamen si proximus præcise propter honestatem naturalem in eo inhærentem absolute spectatam diligatur, amorem naturalem Dei & proximi esse à diuersis habitib⁹. Prima pars est cõmunis. Ratio est. Quia vtrobiq; est eadẽ causa diligendi atq; eodẽ simplici amore diligimus alterũ, & volumus eidem, vt res ipsi⁹ rectè ac prospere habeant. Secundam partẽ tradit Arragonius q. 25. a. 2. ad vltimũ. Ratio est, quia causa seu ratio amandi est diuersa bonitas, scilicet alia naturalis Dei, alia proximi: non secus ac cum sancti ob propriam excellentiam coluntur.

57 Sed hinc dubitatur quarto, An non etiam detur virtus amicitiæ supernaturalis erga proximum, à charitate, prout est virtus Theologica, distincta, qua videlicet proximus non propter consortium, seu participationẽ diuinæ naturæ ac bonitatis vt sic, sed absolute, ppter suã bonitatem seu honestatẽ supernaturalẽ diligatur, quęq; proinde nõ sit virtus Theologica, vtpote circa Deum diligendũ non versans, nec pro ratione diligendi habens increatã Dei bonitatẽ; sed moralis infusa. Affirmat Lessius l. 2. de Iust. c. 36. dub. 2. & alij quidam recentiores, apud Arragonium q. 25. a. 1. eandemq; sententiam probabilem censet Suarez tom. 1. disputat. 52. sect. 3. & videtur supponere Vasquez 3. parte disp. 44. n. 6. & l. 1. de adoratione n. 157. vbi tamen significat, eam non esse virtutem aliquam specialem, sed generalem.

Probatur hæc sententia primo, quia virtus, qua coluntur sancti, propter suam propriam excellentiam, 58 est distincta specie à religione, qua colitur Deus propter increatam excellentiã, vt habet cõmunis sententia Doctorũ, contra Marsilium, qui duliam à religione non distinguit.

Secundo. Quia ex dictis alia est virt⁹ acquisita, qua diligitur Deus vt auctor & finis naturalis, ppter bonitatem increatam, ab eâ, qua diligitur proximus propter suam bonitatem seu honestatem naturalem.

Tertio; quia velle proximo supremã beatitudinem ex eius complacentia, & vt ipsi bene sit, nõ est actus charitatis Theologicæ; ne pariter dicendum sit, etiam amorẽ illum, quo nobis volumus beatitudinẽ ex nostri complacentia, & vt nobis bene sit, esse actum charitatis Theologicæ, contra dicta q. 1. dub. 1. Et nihilominus tamen actus ille est amor amicitiæ cuiusdam supernaturalis erga proximũ; ad spem proinde seu amorẽ concupiscentiæ non pertinens, vt apparet: Ergo est actus virtutis supnaturalis distinctæ à spe & charitate.

Hæc sententia est quidem probabilis; sed contraria est verior & communior, quam vbiq; sup- 59 ponit S. Thomas, nimirum hic quæst. 23. a. 5. & quæst. 25. a. 1. & q. 81. a. 4. ad 3. & q. 102. a. 2. ad 3. & quæst. 103. art. 3. ad 2. Eandem sequuntur Valentia quæst. 1. pun. 1. & 2. Caietanus, Bannes, alijque Thomistæ hic q. 23. art. 5. & ex instituto Arragonius loc. cit. Ratio esse debet. Quia omnis bonitas honesta supernaturalis ex sua propria, speciali, & intrinseca ratione coniungit hominem cum Deo, & ad esse quoddam diuinũ euehit, iuxta illud 2. Petri 1. v. 4. *Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Quo fit, vt qui vere propter hanc proximum amat, idcirco nimirum amet, quia is Deo coniunctus est, adeoque sic pro vltimata ratione amandi habeat Deum, seu ipsam bonitatem diuinam, propter quam per charitatem diligimus Deum & proximum. Bonitas autem naturalis seu moralis hominis, quia ex sua ratione non ita cõiungit hominem cum Deo, potest etiam abstracte & secundum se spectata, esse ratio amandi proximum.

Et sic patet responsio ad secũdum. Ad primum 60 S. Thomas vbique negat consequentiam; aliam tamen & aliam assignans rationem disparitatis inter amorem & honorem, vt facit etiam Suarez loc. cit. Breuiter dico, iuxta ea, quæ in disputatione de adoratione thesi 42. & sequentibus fusius explicaui, & dicetur disp. 5. generatim loquendo, dupliciter honorari posse sanctos. Primo absolute & propter se, seu propriam suã excellentiã. Secundo relatiue, propter excellentiã increatam Dei, velut ei⁹ amicos, seruos, domesticos, &c. Ex his honor posterior (similis amori, quo amatur per charitatem proximus) non exigit virtutem à

religione

religione distinctam, vt citata thesi 42. contra Vasquez diximus; sed prior, ad duliæ virtutem pertinens, qui tamen multum differt ab amore erga proximum, de quo agimus, vtpote quo nunquam proximus amatur, nisi propter Deum, etsi is propter bonitatem supernaturalem ipsi inhærentem ametur, ob rationem supra assignatam. Alia ratio est honoris absoluti erga Sanctos, qui vt sic non respicit excellentiam increatam Dei, velut rationem honorandi, sed excellentiam creatam absolute, vt contra increatam condistinguitur; quandoquidē omnis honor absolutus erga aliquem respicit excellentiam vt aliquo modo propriam eius, qui honoratur, & ab alijs condistinctā, spectando non solum perfectionem, in qua fundatur excellentia, sed etiā proprium modum habendi eam perfectionē, cum ex vtroque simul talis excellentia adæquate spectata consurgat. Plura thesi 45.

61 Ad tertium Respondetur cum distinctione. Dupliciter enim proximo velle possumus supremam beatitudinem, ex eius complacentia, seu vt ipsi bene sit: primo spectando proximum, vt vnum quiddam nobiscum & secundum naturam, seu amorem naturalem &c. & hic amor ad spem pertinet, vt etiam de adoratione thesi 44 & supra q. 1. dub. 1. cum S. Thoma contra Vasquez docuimus. Eiusdem enim rationis est, nobis bonū velle, & alijs, prout vnum quiddam nobiscum sunt: qui amor licet sit amor concupiscentiæ erga Deum, est tamen amor amicitiæ erga nos & nobis coniunctos, vt ibidem diximus.

62 Secundo spectari potest proximus, vt vnum quiddam cum Deo est, seu tanquam res quædam ipsius, seu vt amicus, seruus &c. & tunc amor ille pertinebit ad charitatem Theologicā; quandoquidem ratio diligendi seu volendi bonum illud proximo, est Deus seu bonitas illius. Quod pariter etiam fieri posset, si nobis, non absolute spectatis, vt cōmuniter fieri solet, sed vt vnum quiddam cum Deo sumus, beatitudinem vellem⁹; quamquā in vtroq; casu, tunc bonum eiusmodi nobis aut proximis potius ex complacentia Dei, quam ex complacentia nostri vel proximorum, velle diceremur; nec tam vt nobis vel proximis bene esset, saltem vltimate ac principaliter, quam vt Deo ipsi bene esset, in cuius bonum vltimate ea voluntas tenderet.

63 Ex quibus omnibus patet, nullam esse causam sufficientem, præter amorem concupiscentiæ ad spem pertinentem, & amorem amicitiæ ad charitatem spectantē, vllum alium amorem supernaturalem erga Deum vel proximū, ad specialem virtutem amicitiæ supernaturalis pertinentē, admittendi: quod eo libentius tuemur, quod nec apud Theologos hactenus, neq; in Catechismis Catholicis, præter spem & charitatem, vlla virtus alia supernaturalis assignatur, qua proximum diligamus.

64 Dubitatur quinto, an habitus & actus amicitiæ siue dilectionis naturalis erga Deum, semper ac necessario ab habitu & actu charitatis, siue amicitiæ supernaturalis differat ex parte obiecti saltem formalis: an potius vnū & idem obiectum tam materiale, quam formale esse possit vtriusque habitus & actus, tam naturalis, quam supernaturalis; qui proinde actus non ab obiecto, sed aliunde, nimirum ex suo principio speciem & distinctionē accipiant. Ratio dubitandi est, tum quia sicut fides naturalis & acquisita esse potest de obiecto supernaturali, deque ipsa etiam reuelatione diuina supernaturali: ita pariter etiam esse potest amor & dilectio naturalis Dei, tanquam boni & principij supernaturalis; id quod de amore concupiscentię nos etiam supra quęst. 1. dub. 1. n. 21. asseruimus. Tum quia in Deo, qui vndiq; naturā excedit, bonitas naturalis & supernaturalis non differunt.

65 Atque ita etiam hodie sentiunt recentiores quidam scriptores, qui vniuersim negant, omnem actum in substantia supernaturali habere obiectum formale specie distinctum ab omni actu secundum substantiam suam naturali: rati excellentiam, qua actus supernaturalis superat naturalem, non prouenire semper ab obiecto formali quod sæpe in vtroque idem est, inquiunt; sed sæpissimè præcisè à principio effectiuo, siue ab auxilio supernaturali actuali vel habituali: atque ita etiam speciatim docent, amorem Dei naturalem & supernaturalem posse habere idem obiectum formale. Huius sententiæ videntur esse omnes illi, qui dum de habitu Theologiæ & fidei differunt, præter obiectum formale quod & quo, ad distinctionem & specificationem actuū requirunt peculiarem rationem formalem sub qua, desumptam ex habitudine ad principium effectiuum, (quos retulimus & refutauimus partim tomo 1. disp. 1. q. 3. dub. 3. partim hoc tomo disp. 1. quæst. 1. dub. 3.) idemq; aperte supponit Molina in Concord. disp. 7. 13. & 14. vbi fuse docet, nos posse viribus naturæ elicere actus fidei, spei, & dilectionis Dei, etsi insufficientes ad salutē, circa eadem obiecta, circa quæ eiusmodi actus, prout requiritur ad salutē, per auxilium gratiæ elicimus: & disput. 32. docet, actus supernaturales, quod tales sint, habere non à diuersitate obiecti, sed à singulari Dei auxilio actuali, quo producuntur. Accedit Hurcadus lib. de anim. disp. 5. §. 32. vbi docet, actus intellectus & voluntatis variare speciē, non solum ratione diuersi obiecti formalis, sed etiam ratione diuersi principij effectiui, aut ratione diuersi modi, quo idem principium effectiuum tendit in idem obiectum.

66 Rationes & argumenta huius sententiæ sunt. I. Nam ita videtur sentire ipse Sanctus Thomas qui 2. 2. quæst. 171. artic. 2. ad 3. & alibi sæpius docet, dilectionem Dei naturalem & supernaturalem esse easdem secundum substantiam; nempe quia habent idē obiectū formale: quamuis alioqui substantialiter & intrinsece inter se differant. Eandem fere esse communem sententiam omnium antiquiorum Theologorum docet Molina disp. 13. & 14.

II. Quamuis duo actus habeant idē obiectum formale, si tamen vnus procedat à principio in ratione principij seu virtutis effectiuæ essen-

tialiter

tialiter perfectiore, puta à potentia coniuncta habitui, alijue auxilio secundum substantiam suam supernaturali, ipse erit essentialiter perfectior: Ergo sufficiens ratio essentialiter distinguendi eiusmodi actus est diuersitas principij effectiui.

67 III. Dilectio, qua Deus propter se diligitur, siue sit naturalis, siue supernaturalis, habet idem obiectum formale, scilicet bonitatem Dei, qua in se bonus est, quæ est eadem, siue quis diligat Deum amore naturali, siue supernaturali: quæ argumentatio includit vtramq; rationem dubitandi superius propositam.

IV. Rationes siue considerationes illę diuersæ Dei, prout est auctor rerum siue donorũ supernaturalium, vel naturalium, possunt quidem excitare in nobis diuersos amores cõcupiscentię, quibus Deum diligimus tanquam nobis bonum; tamen sunt omnino impertinentes ad diuersitatem amorum amicitiæ, quibus Deus amatur propter se, & qua in se bonus est; qua ratione omnino abstrahit ab eo, quod sit author rerum naturalium, aut supernaturalium; nam qua talis, potius est bonus nobis, quam in se.

V. Sancti sæpe in feruentissimos actus amoris erumpebant ex consideratione creaturarum, non considerantes Deum vt authorem rerum supernaturalium: quem amorẽ tamen solum fuisse naturalem, incredibile est.

68 VI Ponamus, Deum alicui solum dare auxilia necessaria, ad amorem in substantia naturalem eliciendum; cui tamen simul proponatur Deus vt author ac bonum supernaturale est: talis certe adhuc poterit amare Deum amore naturali, cum tamen obiectum sit supernaturale.

VII. Idẽ clarissime patet in virtutib⁹ moralib⁹. Si enim viribus naturæ seu potius naturali actu possum velle caste viuere, qa hoc homini honestũ est; quare similiter non potero id velle, quia homini Christiano honestum est? qua ratione erit etiam obiectum castitatis infusæ.

69 VIII. Potentia effectiua essentialiter perfectior, habet etiam effectum essentialiter perfectiorem, præsertim quando influit in effectum quantum potest; Ergo etiam stante identitate obiecti formalis, dari possunt actus essentialiter distincti. Quod speciatim confirmatur exemplo Angelorum, è quibus si superior eandem cum aliquo inferiore Angelo animam rationalem videat, habet tamen intellectionem essentialiter
70 perfectiorem, quam inferior.

IX. Amor simplicis complacentiæ, & desiderium inefficax, itemque spes circa idem obiectum creatum, puta scientiam aliquam aut dignitatem sunt actus diuersæ speciei, ob solam rationẽ tendendi, qua potentia in singulis actibus diuersimode in obiectum tendit: Ergo essentialis diuersitas actuum non semper supponit differentiam essentialem ex parte obiecti etiam formalis.

X. Actus supernaturales generant in nobis habitus naturales similes ijs, quos per actus mere naturales, circa idem obiectum elicitos acquireremus, vt docent etiam Molina 1. part. quæstio. 1. art 3. & Bergomensis in Concordant. dub. 697. Ergo habent idem obiectum formale.

Nihilominus contraria sententia, actus etiam voluntatis specificari ab obiecto, non autem præcise ab ipso principio effectiuo, vti commmunis Doctorum, ita omnino vera ac retinenda est; ad quam explicandam & confirmandam, sequentẽ assertionem statuimus.

Assertio vnica. Amor Dei naturalis & supernaturalis siue amor concupiscentiæ sit, siue amicitiæ, possunt quidem habere, & reipsa habent, 71
vnum & idem obiectum materiale, sed non idem obiectum formale adæquate spectatum. Ita non solum docet Curiel 1. 2. q. 109. a. 3. sed etiam S. Thomas, Alensis, Richardus, & alij citati superius hoc dubio quæsito. assert. 1. Eademq; est cõmunis Theologorum ac philosophorũ sententia, quorum hoc est quasi statum & ratum axioma, actus specificari ab obiecto, non quidem materiali, sed formali; siue id sit formale quod, siue formale quo, seu ratio formalis sub qua, iuxta variam distinctionem formalis obiecti, expositam à nobis tom. 1. disp. 3. q. 3. dub. 2. & 3. Quam sententiã aperte etiam supponit Vasquez relatus supran. 31.

Probatur hæc sententia & assertio primo ex Aristotele libro 2. de anima capit. 4. text. 33, 72
vbi ait: *Nam operationes actionesue, potentijs viribusque priores sunt ratione. Quod si ita sit, atque prius etiam obiecta, quam ista contemplari oporteat; primum profecto de illis, propter eandem causam, vt de alimento, de sensibili, de intelligibili determinare oportet.* Quibus verbis expresse docet Aristoteles, ipsas potentias ac vires, (adeoque ipsa actionum principia) secundum rationem nostram posteriores esse operationibus & actionibus ab ijsdem procedentibus: eademq; ratione operationes & actus posteriores esse obiectis, ad quæ terminantur. Et quia nihil speciem suam essentialem sumit ab eo, quod ratione posterius est, sed ab eo quod ratione prius est, necessario etiam sentit Aristoteles, neq; obiecta ab actibus, neq; actus à potentijs, seu principijs actiuis specificari; sed potius contra, potentias ab actibus, & actus ab obiecto.

Secundo probatur assertio ratione I. Nam actus secundum suam specificam rationẽ dicunt essen- 73
tialem & intrinsecũ ordinem ad obiecta, præsertim formalia; ita vt vnus & idem actus specie non possit versari circa idem obiectũ materiale & formale; neq; contra vllus detur actus essentialiter distinctus, quin habeat obiectum saltem formaliter distinctum, vt inductione patet, etiam in hisce casibus, de quibus est controuersia, vt inferius dicetur.

II. Effectus non sumunt suã specificã rationem à causis, à quibus effectiue producuntur; cum ijdem specie effectus produci possint à causis diuersissimis, vt calor à sole & igne &c. & contra eadẽ causa producere possit effectus etiã specie diuersos, sicut sol ranã & murẽ producit. Ergo neq; actus vitales specificantur ab habitu seu principio effectiuo; præsertim quando ijdem actus sua natura nõ supponunt habitum, & procedere possunt à potentijs vitalibus, cum habitu, & sine habitu.

III. Actus,

III. Actus, etiam in genere causæ efficientis, aut saltem dispositiuæ, priores sunt habitibus: Ergo non specificantur ab habitibus, ac proinde nec à cæteris principijs effectiuis superadditis potentiæ.

IV. Si in obiecto actus nulla inueniatur ratio, ob quam exigat principium supernaturale potius, quam naturale, nulla causa erit, cur à principio supernaturali procedat. Imo nulla ratio assignari poterit, qua colligatur, dari habitus & principia supernaturalia actuum, si in ijs, ex parte obiecti, nulla supernaturalitas reperiatur, quæ necessario principium supernaturale exigat.

74 V. Si in actu naturali & supernaturali nulla est differentia ex parte obiecti, sed solum ex parte principij, non erit in potestate hominis, suo arbitratu, circa idem obiectum materiale, elicere actum vel naturalem tantum, vel supernaturalem; cum circa idem obiectum formale vt aiunt, ex æquo versari possit, tam principium naturale solum, quam supernaturale; nec homo quicquam facere possit, quo actus determinetur, circa idem obiectum, ad influxum supernaturalis potius, quam mere naturalis principij recipiendum. Neque dici potest, hominem iustum habentem charitatis habitum, non posse actum solumodo naturalis dilectionis suo arbitratu elicere; quando habitu vtimur, cum volumus, & ex diuersa apprehensione siue propositione obiecti, ad hoc vel illud genus actus etiam circa idem obiectum materiale nos ipsos determinare solemus.

VI. Si actus naturalis & supernaturalis idem potest habere obiectum, tam materiale, quam formale, nulla ratio erit, qua homo etiam probabiliter cognoscat, se elicere actum potius supernaturalem, quam naturalem; ac proinde nec homo iustus probabiliter scire poterit, se elicere actum supernaturalem fidei, spei, charitatis; quandoquidem nec ipsam supernaturalitatem actus siue habitus producentis in se perspicit, & tam motiones diuinæ ad eundem actum concurrentes, quam actus ipsi, stante eadem formalitate obiecti, ex æquo naturales ac supernaturales esse possunt.

75 VII. Nullum principium particulare ad essentialem & specificam rationem actus naturalis requisitum potest esse supernaturale: obiectum formale actus est quoddam principium particulare ad essentialem & specificam rationem actus naturalis requisitum: Ergo impossibile est, vt obiectum formale naturalis actus sit supernaturale: ac proinde actus naturalis non potest habere idem obiectum formale cum actu supernaturali, cuius obiectum formale necessario est supernaturale.

VIII. Denique contraria sententia admittere cogitur, hominem naturali actu credere posse omnes articulos fidei, etiam formaliter vt reuelatos à Deo, in Deumque sperare, ac diligere Deum actu naturali, etiam vt finis & bonum supernaturale est, non solum ita, vt vocula *vt* sit nota specificationis, sed etiam reduplicationis; dicatque non solum materiale obiectum, aut partem eiusdem, sed etiam obiectum formale Quo: consequens autem videtur absurdum, vt dictum supra dis. 1. q. 1. dub. 1. & tom. 1. disp. 1. q. 3. dub. 2. Huc spectant etiam cætera quibus supra disp. 1. q. 1. dub. 3. & tom. 1. disp. 1. q. 3. dub. 3. probauimus, nullam dari rationem formalem sub qua specificantem actus, desumptam ab ipso habitu, seu principio effectiuo.

Atque ex dictis colligitur, omnes actus tam potentiæ cuiuslibet appetitiuæ, quam cognoscitiuæ, vltimate constitui & distingui penes ipsa obiecta præsertim formalia; ac proinde etiam actus omnes naturales & supernaturales, eam ipsam quoq; differentiam naturalitatis ac supernaturalitatis primo & originaliter desumere ab ipsis obiectis formalibus, seu ratione formali obiectiua Qua, siue sub qua: quæ quidem in actibus voluntatis sæpe ab ipsa cognitione, velut regula cui actus conformatur, desumitur, vt de virtutibus infusis superius dictum. Interim non nego, actus naturales & supernaturales etiam differre ex parte principij, quando actus supernaturalis necessario requirit principium supernaturale; cum tamen actus naturalis sua natura principio solum naturali contentus sit. 76

Ad primum argumentum oppositæ sententiæ respondetur, immerito S. Thomam, vereresque scholasticos pro ea sententia citari. Hi enim quamuis dicant, eundem actum quoad substantiam esse posse naturalem & supernaturalem; nõ tamen hoc intellexerunt de eadem numero entitate, aut specifica ratione actus, ex obiecto formali desumpta, sed de ratione generica actus, ex eodem obiecto materiali desumpta, quæ quasi substantialis quædam & fundamentalis ratio actus est; præsertim quia non pauci ex scholasticis actus intrinsece supernaturales virtutum non agnouerunt, vt suo loco dictum; & ipsemet Sanctus Thomas relatus supra quæsito 1. præsertim ex 1. 2. quæstione 109. articulo 3. ad 1. adeo aperte docet, naturali dilectione diligi Deum super omnia *prout est principium & finis boni supernaturalis*; charitate autem & dilectione supernaturali, *secundum quod est obiectum beatitudinis*, seu visionis beatificæ: quam differentiam à Sancto Thoma ex parte obiecti assignatam esse, ex ipsis verbis euidens est: vt mirum sit, ea verba, *secundum quod est obiectum beatitudinis*, ita à nonnullis explicari, charitate diligi Deum amore ad consecutionem beatitudinis proportionato; quæ explicatio cum ipsis verbis nequaquam cohæret. 77

Ad secundum respondetur ex dictis, si quis actus naturalis procedat à potentia solum naturali, alius vero simul ab adiuncto habitu seu auxilio intrinsece supernaturali, eos quidem actus fore essentialiter diuersos: attamen simul etiam habituros diuersam rationem formalem obiectiuam, per quam primo & formaliter constituuntur & distinguuntur. 78

Ad tertium & quartum respondetur, negando assumptum, vt fusius dictum quæsito 1. respons. ad 4.

Ad quintum respondetur, ex sola consideratione naturali creaturarum immediate nõ posse 79

elici actum supernaturalem dilectionis Dei; nec sanctos vnquam ita fuisse operatos; qui tamen à cognitione naturali incipiendo, sæpe & facile transire potuerunt ad cognitionem fidei, aliamue supernaturalem; cui si velut regulæ dilectio Dei etiam vt auctoris naturæ inniteretur, etiam ipsa hæc dilectio Dei vt auctoris naturæ supernaturalis esse potuit, vt superius dictum.

80 Ad sextum respondetur, posse quidem, absque auxilio intrinsece supernaturali, amari Deum, vt authorem bonorum supernaturalium, si vocula *vt* specificatiue accipiatur, & dicat solum conditionem materialem obiecti, non autem si accipiatur reduplicatiue, dicens rationem formalem obiectiuam, vt dictum superius quæsito 1. assert. 2.

Ad septimum respondetur, illud, *quia homini Christiano honestum est*, similiter dicere posse, vel conditionem materialis obiecti, si idipsum cognitione solum naturali proponatur; vel rationem formalem obiectiuam, si supernaturali assensu concipiatur: priori ratione potest terminare actum naturalem; posteriore non item; quia immediata regula actus supernaturalis debet esse actui proportionata, adeoque supernaturalis, non naturalis.

81 Ad octauum respondetur, absolute negando assumptum; quia lumen solis v. g. quamuis sit virtus essentialiter perfectior, quam calor ignis, ac simul quãtum potest in effectum influat, producit tamen eiusdem speciei calorem cum calore ab igne producto. Ad confirmationem dico, naturalem angeli superioris intellectionem circa idem obiectum, essentialiter perfectiorem esse, non præcise aut vltimate ob diuersitatem specificam principij, hoc est, potentiæ intellectiuæ; sed principaliter ac potissimum ob diuersitatem obiecti formalis Quo, omnibus obiectis cognitis communem, eamque desumptam ex diuerso modo intelligendi, seu diuersitate specierum, magis vel minus vniuersalium, quibus diuersimode idem obiectum vtrique repræsentatur, vt suo loco de angelis dictum.

82 Ad nonũ respondetur, amorem simplicis complacentiæ, itemque desiderium inefficax, & spem circa idem obiectum creatum, prout actibus voluntatis conueniunt, non esse actus diuersæ speciei essentialis, sed solum accidentaliter differre; sicut nec appetitus concupiscibilis & irascibilis in voluntate differunt, vt dictum tomo 2. disp. 2. q. 4. dub. 1. Prout vero dicunt passiones appetitus sensitiui, differunt quidem specie, non morali ex obiecto desumpta, sed naturali, desumpta ex diuersa corporis alteratione. Alioqui enim rationem præsentis aut futuri, circa idem obiectum, constat solum esse differentiam accidentalem, vt diximus ibidem dub. 2.

Ad decimum negatur assumptum; per actus enim solum generantur habitus ipsis similes, adeoque eiusdem generis; neq; vero per actus supernaturales generari in nobis habitus naturales, ex instituto docuimus tom. 2. disp. 6. q. 4. dub. 1. n. 18.

DVBIVM III.

De subiecto Charitatis, tam proximo, quam remoto; speciatim, an eiusdem speciei & intensionis sit in via, & in patria.

S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 1. & 7. ad 3.

QVod ad subiectum proximum charitatis attinet, nulla est difficultas, aut controuersia. Constat enim ex dictis dubio præcedenti, charitatis subiectum proximum esse voluntatem, vt docet S. Thomas quæst. 24. a. 1. nemine repugnante. Ratio est; quia cum pro obiecto formali habeat bonum, idque non sensibile, sed intelligibile, actusque eius immediate elicitus sit amor eiusdem boni, vt dictum, necesse est, vt tam actus, quam habitus charitatis immediate sit in voluntate; quandoquidem in eadem potentia inest habitus, in qua est actus immediate per habitum elicitus. 83

Et quamuis ad feruentem amorem voluntatis, seu etiam delectationem de Deo ac bono diuino, per redundantiam quandam, in appetitu quoque sensitiuo subinde possint existere motus aliquo modo similes; non tamen ideo in appetitu sensitiuo vllus peculiaris habitus charitatis, aut charitati respondens, est ponendus; vt etiam docet Arragonius q. 24. art. 1. tum quia ipse quidem appetitus in obiectum charitatis secundum se nulla ratione tendere potest: tum quia propter eiusmodi actus, solum ex redundantia & sympathia quadam in potentia inferiori existentes, non est necessarius vllus peculiaris habitus; sed sufficit habitus, seu vis operatiua potentiæ superioris, ex qua talis redundantia sequitur. 84

Quod vero ad subiectum remotum charitatis attinet, certa & extra controuersiam sunt hæc sequentia. I. Subiectum remotum charitatis esse posse omnes viatores huius vitæ, quamuis sint peccatores, & præsciti seu reprobi; nam & hi capaces sunt iustitiæ & gratiæ sanctificantis, vt suo loco dictum; non autem dæmones, aut damnatos, qui omnis iustitiæ & gratiæ supernaturalis incapaces sunt, vt etiam de spe dictum quæst. præced. dub. 2. 85

II. Subiectum remotum charitatis, tam secundum actum, quam secundum habitum, actu ac reipsa esse omnes iustos viatores, tam huius, quam alterius vitæ, etiamsi in purgatorio existant; quandoquidem ipsa iustitia seu gratia sanctificans, vel in charitate consistit, vel ex lege Dei cum ea infallibiliter est connexa, vt suo loco de gratia dictum tom. 2. disp. 6. q. 4. dub. 2.

III. Sed & in Christo, ac Beatis omnibus, tam hominibus, quam Angelis, actu & reipsa esse, tam actum, quam habitum aliquem charitatis; vt constat tum ex adducta ratione; tum ex illo Apostoli 1. Corinth. 13. v. 8. *Charitas* 86

nunquam

nunquam excidit: quod proinde sine errore in fide negari non potest.

87 Hæc vero cum certa sint, & extra controuersiam, dubium tamen & controuersum est primo, an habitus & actus charitatis eiusdem speciei sint in via, & in patria. Et vero non desunt ex Scholasticis, qui negant, actum charitatis in via & in patria eiusdem speciei esse. Ita docent Scotus in 3. distinctione 31. q. vn. Lychetus ibidem, Capreolus in 1. distinctione 1. quæstione 3. Caietanus 1. part. q. 82. artic. 2. (licet aliter sentiat hic quæst. 24. a. 7.) Ferrariensis 3. cont. gent. c. 62. Pesantius 2. 2. q. 24. artic. 12. disp. 1. qui putant, Deum clare & obscure cognitū variare rationem formalem obiecti diligibilis: quod etiam significat Dionysius Carth. in 1. d. 17. q. 8. Contraria vero sententia est communis Theologorum, vt inferius dicetur.

88 Secundo controuersum est, an charitas viæ & patriæ, siue in eodem, siue in diuersis subiectis, sit, aut esse possit eiusdem, seu æqualis intensionis; adeoque eadem numero in vtroque statu existens. De qua re sunt tres Doctorum sententiæ. Prima sententia absolute affirmat, tum æqualem, tum etiam maiorem intensionem charitatis, tam quoad actum, quam quoad habitum, esse posse in aliquo viatore, quam in aliquo Beato; neque reipsa charitatem cuiusque iusti, seu in actu, seu in habitu, quoad intensionem esse maiorem, quam fuerat eadem eiusdem etiamnum in terris existentis. Ita sentire videtur Bonauentura tom. 2. myst. Theol. capit. 2. part. 2. vbi dicit, *amorem illum, quo sponsus in vita ista diligitur eundem esse numero cum illo, quo in æternitate beatificatorum omnium mentibus vnietur.* Idem aperte docent Vega libro 15. in Tridentinum capit. 15. grauiori tamen censura, quam par est, notans contrariam sententiam. Idem de habitu charitatis docet Azor tom. 1. libro 9. cap. 3. quæstione 8. post Gandauensem quodlib. 5. quæstio. 22. & Almainum, quem citat Arragonius hic quæstione 24. artic. 7. Idem, vt nunc video, tradit Suarez disp. 3. de charitate sect. 3. & 4. & alij quidam recentiores. Ratio est; tum quia status viæ, adeoq; augmenti charitatis, finitur cum hac vita. Tum quia non apparet, à quo, & qua ratione destruatur, habitus charitatis huius vitæ in ingressu beatę vitæ. Fauet etiam Apostolus loc. cit. vbi simpliciter pronuntiat, charitatem nunquam excidere.

89

90 Secunda sententia est Caietani hic quæst. 24. articulo 7. vbi distinguit in charitatis actu, alijsque formis & actibus animalibus, duplicem intensionem, *alteram ex parte obiecti, scilicet secundum maiorem approximationem ad obiectum; alteram ex parte subiecti secundum maiorem attentionem seu expeditionem subiecti*, in hoc consistentem, quantum ad charitatem attinet, *quod anima expedita à visione ænigmatica, & posita in faciali visione DEI, in ipsum totaliter actualiter fertur; quod impossibile est conuenire viatori. Quo fit*, inquit, *vt quantumcunque aliquis proficiendo in hac vita appropinquet ad Deum, magis ac magis in charitate crescendo, nunquam peruenire possit ad hoc, vt totaliter actualiter amet Deum, sicut videns illum facie ad faciem. Et ita licet charitas viæ in B. Virgine fuerit quandoque maior, secundum illam quantitatem* (ex parte obiecti) *quam charitas Angelorum vel Archangelorum, &c. nunquam tamen fuit in via eius charitas æqualis simpliciter, charitati minimi in patria, quia charitas patriæ est quanta duabus diuersarum rationum quantitatibus, ad quarum alteram charitas viæ non potest pertingere.* Ita Caietanus; quem sequitur Arragonius hic cit. q. 24. a. 7. Nec in re dissentit Bannes; nisi quod hic, ad verborum proprietatem & significationem magis accomodate, asserit, charitatem patriæ necessario intensiorem esse ex parte obiecti, non subiecti, vt loquitur Caietanus: nimirum quia ab ipso obiecto, multo quam antea clarius cognito, prouenit maior intensio charitatis in patria. 91

Ratio huius sententiæ est; tum quia ex vna parte non leuis suadet ratio, vt dicamus, eandem esse intensionem charitatis viæ & patriæ, vt dictū, ex altera vero parte ipsa maior & clarior cognitio diuinitatis in patria, maiorem etiam amorem arguit, vt dicemus: quorum vtrumque hæc sententia recte sibi videtur defendere. Tum quia etiam in visione, alijsque qualitatibus, & actibus animalibus, duplex eiusmodi intensio necessario constituenda videtur. Aliam enim intensionem visio habere videtur ex eo, quod obiectum clara luce collustratum conspicitur; aliam, quod oculus idem obiectum sub crepusculum magno conatu & nisu, quamuis non nisi subobscure illuminatum, conspicit.

Tertia sententia simpliciter & absolute asserit, charitatem in patria simpliciter & absolute esse intensiorem. Ita cum alijs docet Azor tom. 1. libro 9. cap. 3. quæst. 8. vbi ait; *suo iudicio, communem esse Theologorum opinionem, vt constat*, inquit, *ex S. Thoma, Bonauentura, Richardo, Ockamo, Argentina, & Gabriele 3. dist. 27. & 28. & Henrico quodlib. 4. q. 25. actum charitatis in via nunquam posse ad tantum magnitudinis gradum peruenire, vt æquet magnitudinem amoris Beatorum*; licet, vt ipse ibidem addit, habitus charitatis idem sit in via, & in patria; de qua re infra. Certe quidem hanc esse S. Thomæ, imo tandem etiam ipsius Caietani, sententiam, infra perspicue ostendemus, explicando nostram sententiam, quæ his assertionibus continetur. 92

Assertio I. Habitus charitatis in via, & in patria, est eiusdem speciei. Hæc est cōmunis, & certa Theologorū sententia; quā cum S. Thoma hic q. 24. a. 8. & 9, & in 1. 2. q. 97. a 6. tradunt cōmentatores omnes. Probatur aperte ex illo Apostoli 1. Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquā excidit; siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Vbi Apostolus necessario loquitur de charitate, quam habemus in hac vita, secundum suam specificam rationem & essentiam spectata, vt ex antithesi patet; quando constat, scientiam, seu Prophetiam secundum rationem genericam in cœlis non esse desituram. Ratio sumitur ex assertione sequenti. 93

Assertio II. Sed & actꝰ charitatis in via, & in patria, eiusdem sunt speciei; ac proinde vniuersim

charitas secundum suam rationem specificam, eadem permanebit in patria. Ita cum S. Thoma loc. cit. habet comunior cæterorum Scholasticorum sententia, contra Scotum, Caietanum, & alios superius citatos; quam hodie defendunt plæriq; recentiores, ac præter citatos, etiam Medina 3. part. q. 19. a. 3. Bannes 2. 2. q. 24 a. 8. Valentia tom. 2. disp. 5. q. 7. pun. 4. Suarez hic disp. 3. sect. 3. Vasquez 1. 2. disp. 2. c. 2. & d. 195. n. 19. & 3. par d. 64. c. 3. & Luisius Turrianus hic disp. 77. dub. 6

95 Probatur assertio ex eodem dicto Apostoli, vbi is loquitur de charitate huius vitæ, idq; maxime etiam considerata quoad actũ secundum, vt sancti quoq; intellexerunt, & constat itidem ex adiecta antithesi linguarum, & prophetiæ; quæ vel solum, vel maxime ad actũ secundum pertinent, vt suo loco dictum. Ratio est; tum quia vt dictum, habitus charitatis in via & in patria est eiusdem speciei: & valde improbabile videtur, quod nõnulli asserunt, habitũ quidẽ charitatis vtrobiq; esse eiusdẽ speciei; non tamen actus: cũ tamen ex diuersitate specifica actuũ desumatur distinctio specifica habituũ, ita vt quando habitus aliquis nequit elicere actus eiusdem speciei, cum ijs, qui eliciuntur ab alio habitu, necessario etiam ipsi habitus specie distincti videantur. Tum quia in charitate viæ nihil imperfectionis est, quæ patriam dedeceat. Tum quia vtrobiq; manet idem obiectum formale, præcedenti dubio explicatũ, nempe Deus velut summum in se bonum, amabile amore beneuolentiæ seu amicitiæ: etiamsi applicatio obiecti, nempe clara vel obscura visio, atq; etiam nonnullę materiales conditiones obiecti vel actus, puta absentia, vel præsentia; libertas vel necessitas, &c. ad amoris essentiam per se impertinentes, diuersæ sint.

Ex quo etiam soluitur fundamentũ contrariæ sententiæ; quia Deus clare vel obscure cognitus, nõ variat rationẽ formalem vel essentialẽ obiecti diligibilis, vt putarunt Scotus & Caietanus; sed solum applicationem eiusdem obiecti; quandoquidẽ ex veriori philosophia, actus intellectus, ad actus voluntatis cosequentes solũ concurrunt per modũ proponentis seu applicantis obiectum; qui proinde non mutant rationẽ essentialẽ actuũ voluntatis; nisi simul ratio regulæ & motiui seu obiecti formalis mutetur, vt dictum dub. præced.

96 Assertio III. Non datur duplex intensio in actu charitatis, vna ex parte obiecti, altera ex parte subiecti, ac proinde fieri nõ potest, vt actus charitatis in patria secundum vnã intensionẽ sit maior charitate in via, secundum alteram vero sit æqualis, aut minor. Ita contra secundã sententiã superius relatam, circa controuersiã secundã, adeoq; contra Caietanũ, Bannẽ, Arragoniũ, sentiunt cæteri auctores speciatim Suarez, Azor, Luisius, Vasquez, & ipsemet S: Thomas loc. cit. qui nusquam duplicis eiusmodi intensionis meminit. Eandem sententiã, mutata priori tandem docuit Caietanus hic quæst. 24. a. 7. vt inferius dicetur.

Ratio est. Tum quia perfectio intensiua actus, etsi pendeat aliquo modo, tum ex obiecto, tum ex subiecto, sicut & ipse actus; re tamen non differt ab ipsa indiuidua entitate actus; quæ cum sit vna per se, non potest ex duabus diuersis intensionibus, seu entitatibus diuersis intensiuis coalescere. Tum quia impossibile est, vt ex parte obiecti crescat intensio, nisi etiã ex parte subiecti accedat maior conatus seu pfectior influxus potentię, esto minuatur labor & difficultas influendi; vt etiam stante eadẽ applicatione obiecti, minui potest, ob maiorẽ perfectionẽ potentiæ: Ergo obiectũ & potentia non constituunt duas diuersas intensiones, sed vnã, cum quadã subordinatione; ita vt aliquãdo radix & prima causa intensionis sit melior applicatio obiecti, aliquando maior conatus seu attentio potentiæ, stante æquali, aut minore applicatione obiecti; vti accidit in visione, per quam, stante eodẽ, aut minori lumine, ex parte obiecti, pro diuersitate maioris attentionis & conatus ex parte potentiæ, magis vel minus perspicue idem obiectum videtur.

Ex quo patet responsio ad fundamentũ cõtrariæ 97
sententię; quamuis enim in visiõe ex diuersis causis obiecto scilicet melius proposito, aut subiecto magis dispositio vel satagente, oriri possit maior intensio; non tamen duplex, sed vna est eiusdem actus intensio.

Dices fieri posse, vt eadẽ visione clarius quidem videatur obiectũ, vtpote maiori lumine illustratum; cum tamen minus distincte videatur, quãsi minori lumine esset illustratũ; ergo duplex saltẽ est in visione perfectio intensiua; vna secundum claritatẽ visionis; altera secundũ distinctionem. Respondeo negando consequentiã. Illud enim, clarius videri obiectũ, maiori lumine illustratum, duplicẽ habere potest sensum; primo, vt *clarius* denominet & afficiat visionẽ, ita vt ipsa visio sit clarior; secundo vt denominet solum obiectũ, quod scilicet videtur magis illuminatũ. Priori sensunõ 98
est necesse, vt quoties obiectũ est magis illuminatum, id ipsũ etiã videatur clarius; aut si clarius videtur, fieri non potest, quin simul etiam videatur distinctius: posteriori autẽ sensu, semper quidem obiectum magis illuminatum videtur etiam clarius: sed quæ claritas, hoc ipso, quod obiectũ solũ afficit, non arguit maiorẽ perfectionẽ intensiuam visionis; sicut patet in noctuis & vespertilionib⁹, qui clara luce nihil, aut non nisi imperfecte & remisse vident; vt proinde neutro sensu admittenda sit in visione duplex perfectio intensiua, vna secundum charitatem, altera secundum distinctionem; siue obiectũ dicatur videri clari⁹ priori modo, siue posteriori modo. Ea enim est perfectior & intensior visio, quæ clarius & distinctius idem obiectum conspicit; vndecunq; demum ea perfectio oriatur. Et quamuis etiam in visione, seu actibus cognoscitiuis, aut hæc, aut alia quæpiam pluralitas intensionis reperiretur, nulla tamen causa esset, cur eadem etiam actibus voluntatis, seu appetitus tribueretur, in quibus nulla talis occurrit ratio multiplicandi intensiones, vt recte etiam notauit Suarez loc. cit.

Assertio IV. Intensio charitatis tam secun- 99
dum habitum, quam actum, est eiusdem rationis intrinsecæ ac essentialis in via, & in patria. Ita recentiores citati pro assertione præcedenti,

alijque

alijque omnes, qui charitatem vitæ & patriæ, tam in via, quam in patria, dicunt eiusdem esse speciei, non solum quoad habitum, sed etiam quod ad actum; etsi nonnulli de actibus aliter sentiant, vt dictum. Idem in posteriori respon-
sione expresse docet Caietanus hic q. 24. art. 7. vbi inter vtramque intensionem solum accidentale discrimen collocat: *Ex essentialiter diuersæ rationis cognitione hic & in patria, consequitur*, inquit, *charitas diuersæ rationis accidentaliter, quæ constituit diuersæ rationis statũ in charitate, & consequenter perfectionem & quantitatem, nempe accidentaliter diuersam.* Et infra: *Remanet quantitas prior in succedente, sublato eo, quod erat imperfectionis: sicut in viro remanet perfectio pueritiæ, iuxta doctrinam Apostoli, Euacuatis his, quæ erant paruuli. Sic autem remanere, non est proprie loquendo, duas quantitates, aut perfectiones diuersarum rationum remanere; sed vnam tantum simpliciter consummate, retinentem alteram secundum id, quod*
100 *perfectionis habebat.* Vbi hoc ipso, quod asserit, ex intensione viæ, & ea, quæ in patria de nouo accedit, vnam coalescere perfectionẽ intensiuam, necessario sentit, vtramq; intensionem eiusdem esse rationis specificæ & essentialis.

Ratio sumitur ex dictis assertione 1. & 2. quia duę formæ eiusdem rationis specificæ, qualem diximus esse charitatem in via, & in patria, habent etiam intensionem eiusdem rationis specificæ; cum intensio graduum alicuius formæ fiat intra latitudinem specificam eiusdem; nec differentia secundum magis vel minus faciat differentiã essentialem specificam. Neque huic assertioni repugnat S. Thomas hic q. 24. a. 7. ad 3. loquitur enim solum de diuersa ratione accidentali perfectionis intensiuæ, desumpta ex cognitione essentialiter diuersa, vt inferius dicetur. Neque est vlla ratio, quæ contrarium suadeat.

101 Assertio V. Sed & probabile est, maiorem subinde esse posse perfectionem intensiuam intrinsecam charitatis, tam secundum actum, quã habitum, in aliquo viatore, quam in aliquo Beato; imo & charitatem cuiusque iusti, quoad intensionem, maiorem non esse, quam fuerat eadẽ eiusdem in terris: etsi quidem alia ratione vtique charitas etiam minima in patria tanquam perfectior superet omnem charitatem in via. Primam & secundam partem, quam olim etiam in scholis velut probabiliorem docui, tradunt auctores pro secunda sentẽtia superius citati, speciatim Vega, Gandauensis, Almain, Suarez &c.

Ratio primæ partis est; qa nemo facile dixerit, charitatem B. Virginis, aut etiam alterius eximie sancti, in hac vita, quo ad intensionem intrinsecam, minorem, aut etiam non maiorem fuisse, quam est charitas alicuius infantis in patria, qui cum sola gratia baptismali decessit, siue de habitu loquamur, siue de actu; etsi Vasquez 1. 2. disput. 11. numero 21. hac de re dubie loqui videatur.

Idem sequitur ex secunda parte assertionis; cuius hæc ratio est. Tum quia cum vita hominis terminatur via: Ergo & progressus in via consistens in augmento charitatis. Tum quia alioqui sequeretur, aut in cœlis, ratione nouæ intensionis, acquiri ius ad nouum gradum gloriæ; aut gloriam non respondere gratiæ & charitati; quorum vtrumque videtur absurdum.

Neq; vero hic distinguendum est, inter actum 102
& habitum, vt videntur velle Arragonius & Azor locis cit. cum non sit probabile, actus supernaturales in patria excedere intensionem habituum, à quibus eliciuntur; tum ne alioqui dicamus, in pari gradu sanctitatis constitutos, inæqualiter Deum posse diligere: tum ne fatendum sit, actus diligendi in beatis non habere principium in actu primo completum; sed defectum eiusdem à Deo solum suppleri, per actualem concursum; quod imperfectionem quandam in modo operandi ipsius causæ secundæ arguit, qualis à vita beata plane remouenda videtur.

Nec oppositum conuincere videtur, quod 103
cognitio Dei, quam sequitur amor, in patria multo perfectior est; quia ex sola per se maiori cognitione, non sequitur amor supernaturalis intensior, nisi etiam principium amoris, qui est habitus, seu auxilium supernaturale, augeatur; quod in proposito non accidere, rationibus antea adductis vtcumque probatum est.

Tertia pars assertionis est communis Doctorum; & colligitur ex scriptura, quæ statum gloriæ comparat tum luci meridianę. Prouerb. 4. vers. 18. *Iustorum autem semita quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectum diem*: tum statui & ætati virili cum pueritia comparato 1. Corinth. 13. vers. 10. *Cum autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli*; vt etiam interpretatur Sanctus Thomas ibidem lect. 3. Accedit singulare illud Matthæi 11. vers 11. *Qui autem minor est in Regno cœlorum, maior est illo*; quod in hunc etiam sensum commodissime accipitur; quamuis non male etiam ad Christum ætatẽ, seu hominum æstimatione tunc minorem referatur.

Ratio eiusdem partis assertionis est. Quia 104
charitas & amor in patria constans, continuus, perpetuus, indistractus, ipsi habitui quoad intensionem perfecte commensuratus, immutabilis, necessarius, & ab omni peccati labe purus est; & perfectissimam cum Deo, velut amico, communicationem, & in communicatione summum gaudium coniunctum habet; quod in ipsum quoque appetitum sensitiuum copiose redundabit, quando simul *cor & caro nostra* perfecte *exultabunt in Deum viuum*, Psalm. 83. v. 3. cum tamen contraria omnia charitati viæ conueniant. Accedit quod cum amor charitatis sit peculiaris quædam participatio diuinæ naturæ, & vnio hominis cum ipso Deo, hinc fit, vt in patria, vbi Deus perfecte possidetur, sit quasi domi suæ, & in loco ac statu sibi connaturali; in via autem, vbi peregrinamur à Domino, sit in statu quasi præternaturali, vt loquitur etiam Caietanus loc. cit.

Atque ad hunc modum etiam intelligi forte possunt, tum alij, tum imprimis etiam S. Thomas 1. par. q. 117. a. 2. ad 3. & hic q. 24. a. 7. ad 3. dum ait

ait, *non esse eandem rationem quantitatis charitatis viæ, quæ sequitur cognitionem fidei, & charitatis patriæ, quæ sequitur visionem apertam*; ac proinde *non posse illam ad huius quantitatem* (perfectionis scilicet, vndecunque spectatæ) *peruenire.*

105 Assertio VI. Probabilius tamen videtur, charitatem cuiusq; iusti, quoad actum secundum multo intensiorem esse in patria, quam fuerat eiusdem charitas in terris: esto nihilominus charitas B. Virginis, aut alterius cuiuspiam maximi Sancti, intensior fuerit in via, quam sit charitas alicuius infimi Sancti in cœlis. Primam partem ex cõmuni tradit Azor, cum alijs auctoribus citatis pro tertia sententia; eademque; meo iudicio est aperta sententia S. Thomæ 1.2.q.67.a.6.ad 3. vbi ait: *Charitas viæ per augmentum non potest peruenire ad æqualitatem charitatis patriæ, propter differentiam, quæ est ex parte causæ: visio enim est quædam causa amoris, vt dicitur 9. Ethic. cap. 5. Deus autem quanto*

106 *perfectius cognoscitur, tanto perfectius amatur.* Vbi S. Thomas inprimis etiam loquitur de perfectione intensiua, secundum quam potissimum augetur charitas in via, & de qua etiam procedit subiuncta ratio eiusdem S. Thomæ.

Idem docet S. Thomas hic q. 24. a. 7 ad 3. vbi cum obiectum fuisset; cum charitas patriæ sit quiddam finitum, si charitas viæ in infinitum augeri potest, *sequitur, quod charitas viæ possit adæquare charitatem patriæ; quod est inconueniens*: Ergo. &c, non negat ipse minorem, vti oportebat, secundũ oppositam sententiam; sed eâ tacite concessâ, negat sequelam maioris. Et ad principium illud, quod omne finitum, per continuum augmentũ, possit pertingere ad quantitatem alterius finiti quamtumcunq; maioris, nisi forte id quod accedit per augmentũ, semper sit minus & minus, iuxta Aristotelẽ 3. physic. text. 59. Respõdet ipse, *rationem illam procedere in his, quæ habent quantitatem eiusdem rationis; non autem in his, quæ habent diuersam rationem quantitatis: sicut linea quamtumcunq; crescat non attingit quantitatem superficiei. Non est autem eadem ratio* (nempe accidentalis, ex parte causæ) *quantitatis charitatis viæ, quæ sequitur cognitionem fidei, & charitatis patriæ, quæ sequitur visionem apertã.*

107 *Vnde ratio non sequitur.* Ita S. Thomas; quem inprimis loqui de augmento intensiuo, patet tum ex obiectione facta, tum ex titulo articuli, vbi quæritur *vtrum charitas augeatur in infinitum*; quod de augmẽto intensiuo intelligendum, omnes cõsentiunt; sicut etiã articulis præcedentibus, nimirum 4. 5. 6. de eodem augmento sermo est. Sentit ergo S. Thomas, charitatem viæ, saltem in eodem homine, non posse secundum intensionẽ æqualem esse charitati patriæ; idque ob diuersam cognitionem fidei, & apertæ visionis, quam sequitur amor, vt inferius dicetur.

108 Probatur eadem sententia, auctoritate Augustini, qui ita aperte docere videtur l. 1. de doctr. Christ. c. 38. vbi ait: *Itaque tria hæc sunt, quibus & scientia omnis, & prophetia militat, fides, spes, charitas. Sed fidei succedit species, quam videbimus; & spei succedit beatitudo ipsa, ad quam peruenturi sumus. Charitas autem etiam istis decedentibus, augebitur potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? Etsi sperando diligimus, quo nondum peruenimus, quanto magis cum peruenerimus. &c. Æternum enim ardentius diligitur adeptum, quam desideratum.* Et infra c. 39. *Ideo manent, inquit, fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas: quia & cum quisq; ad æterna peruenerit, duobus istis decedentibus, charitas auctior & certior permanebit.* Certe charitatem in patria augeri, auctioremque permanere, magisque illic Deum diligi, aperte maiorem intensionem charitatis significant.

Et lib. de spiritu & lit. c. 36. ait idem Augustinus: *Quis vero existimare audeat, cum eo ventum fuerit, quod ait, vt cognoscam, sicut & cognitus sum, tantam* (non maiorem) *Dei dilectionem fore contemplatoribus eius, quanta fidelibus nunc est; aut illo modo hanc illi tanquam de proximo comparandam? Porro si quanto maior notitia, tanto erit maior dilectio; profecto nunc quantum deest dilectioni, tantũ tunc perficiendæ iustitiæ deesse credendum est &c. At si credendum est, quod ad tantam dilectionem Sancti peruenire potuerunt, &c. procul dubio & ipsa dilectio non solum supra, quam hic habemus, sed longe supra quam petimus, & supra quam intelligimus, erit.* Et infra: *Quamobrem debet homo, quamuis longe minus amet Deum, quam eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum &c.* Vbi sæpius tanquam certum supponit Augustinus, charitatem viæ in eodem homine multo minorem esse charitate patriæ.

Ratio eiusdem doctrinæ est duplex; vna à priori, 109
altera à posteriori. Rationẽ à priori ex æquo eandẽ assignant S. Thomas, & Augustinus; quia cum cognitio boni sit causa amoris, consequens est, p se loquẽdo, & cæteris paribus, ac ex natura tanto quodlibet perfectius amari, quanto perfectius cognoscitur: cum ergo Deus in patria multo perfectius cognoscatur, quam in via; hic enim tantum obscurè & per fidẽ, illic autem facie ad faciẽ, per ipsam visionẽ beatificam cognoscitur; plane fatendum est, charitatis actũ in patria, saltẽ in eodem homine, multo intensiorem fore, quam fuerit in via. Quæ ratio cũ vniuersim procedat, de qualibet cognitione, etiam illa, quæ ad amandũ non necessitat; tum multo maiorem vim habet, de cognitione patriæ, quæ ad amandum etiã necessitat, amore vtique ipsi cognitioni seu visioni beatificæ proportionato; qui non potest non esse intensior amore huius vitæ, vt dictum.

Neque satisfacit huic rationi responsio antea 110
allata; quod ex sola per se maiori cognitione non sequatur amor supernaturalis intensior, nisi etiam principium amoris, qui est habitus, seu auxilium supernaturale, augeatur; quod in proposito non accidat. &c. Cum enim adducta ratio efficaciter probet, quantum est ex natura rei, necessario sequi ex visione maiorem & intensiorem amorem quam in hac vita præcesserit, simul etiam firmiter probat, auxilium illud diuinum ad magis amandum necessarium, secundum debitũ naturæ ordinem, non posse deesse; siue illud in habitu consistat, siue in ipso actuali influxu Dei; non secus ac in hac vita proportionatum cognitioni amorem, etiam quoad intensionem, elicere satagenti, auxilium seu concursus Dei ad eam

rem.

rem necessarius nunquam denegatur: & vniuersim secundum generalem Dei legem, & prouidentiam, causis secundis ad agendum determinatis, aut sufficienter instructis, nunquã ex parte Dei requisitus concursus deest.

111 Ratio à posteriori est. Quia negari nulla ratione posse videtur, quin gaudium charitatis respectu eiusdem hominis, in patria multo sit intensius futurum, quam fuerit in via, iuxta illud Psalmi 35. v. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*; & Matthæi 25. v. 21. *Intra in gaudium* (velut maius, quam ab homine capiatur) *Domini tui. &c.* Ergo etiam negari non potest, amorem in patria intensiorem fore, quam in via. Consequentia probatur. Tum quia gaudium de bono amici, respondet amori eiusdem. Tum quia cum vterque sit eiusdem virtutis actus, supponit etiam idem principium; ac proinde si in patria nõ deest principium requisitum ad eliciendum maius gaudium charitatis, non deerit etiam sufficiens principium ad eliciendum maiorem amorem charitatis. Denique per se incredibile videtur, homines plærunque nonnisi tepide Deum in hac vita amantes, etiam post beatitudinem adeptam, non amaturos esse ardentius & intensius.

Ad primam rationem præcedenti assertione, pro secunda parte eiusdem allatam, respondeo, in hac quidẽ vita terminari progressum in augmento charitatis, quod nempe viatori competit, & in liberis actionibus eiusdem consistit; at vero non excludi terminum charitatis; qui in altera primum vita, ex vi eiusdem status aduenit; ita quidem, vt tunc homo in charitate non amplius progrediatur, sed ad ipsum tamen vltimum charitatis terminum perueniat.

112 Ad secundam rationem, quasi consequens sit, aut in cœlis ratione nouæ intensionis charitatis, acquiri ius ad nouum gradum gloriæ; aut gloriam non respondere gratiæ & charitati; Respondeo, neutrum consequens esse. Nam ipsa maior intensio amoris, quia, vt dictum, ex natura rei sequitur ex ipsa gloria, seu visione beatifica, eiusque perfectione, non tribuit nouum ius ad gloriam, sed ipsa potius est pars quædam ipsius gloriæ adæquate spectatæ; quæ gloria vel ob hanc ipsam causam (proportione quadam, non æqualitate arithmetica) respondet quantitati gratiæ & charitatis, etiam habitualis, quod simul cum ipso actu charitatis, ex consequenti confertur proportionatum augmentum habitus eiusdem gratiæ & charitatis, vt mox dicetur; adeo vt hæc quatuor, habitus gratiæ sanctificantis, habitus charitatis, actus charitatis, gaudium charitatis, sibi inuicem in cœlis secundum intensionẽ perfectissime respondeant. Cum vero tom. 2. disp. 6. q. 6. dub. 10. num. 255. negaui, nouos gradus gratiæ in altera primum vita accessuros, locutus fui de accessione gratiæ supra meritum huius vitæ; quale non est augmentum hoc, de quo loquimur; quod non secus ac ipsa gloria sub meritum huius vitæ cadit.

113 Secunda pars eiusdem assertionis est communis Doctorum, vt vidimus. Et quamuis secundum primam sententiam superius relatam, multo facilius intelligatur, tamen etiam secundum hanc nostram sententiam ita commode explicatur. Licet enim, vt dictum, cæteris paribus, maior cognitio maiorem causet amorem, fieri tamen potest aliunde, ob summam inæqualitatem cæterorum, quæ ad amandum amorisque principium concurrunt, vt sunt præexistens habitus gratiæ & charitatis, auxilium gratiæ præuenientis, multitudo, præstantia, ac diuturnitas actuum, quibus charitatis habitus augeri potest, vt aliquando etiam stante æquali aut minori cognitione, maior sit intensio charitatis; quando præsertim charitatis iutensio, tam in via, quam in patria, eiusdem est essentiæ & rationis specificæ.

114 Nec vt opinor contrarium sentit S. Thomas pro præcedenti parte citatus: cuius doctrina tum moraliter, & vt plurimum, tum etiam vniuersaliter respectu eiusdem hominis, accipienda est. Nec nimium premenda vel vrgenda est similitudo lineæ aut superficiei; tum ne inde pariter deducatur, aut duplicem in patria esse intensionem charitatis, aut certe essentialiter diuersam: tum ne dicendum sit, neque secundum absolutam quidem Dei potentiam charitatem viæ vnquam intensiue æqualẽ esse posse charitati patriæ; quod nemo, vt opinor, dixerit.

115 Assertio VII. Idem dicendum est de habitu charitatis & gratiæ sanctificantis: qui proinde manet quidẽ idem specie & numero, secundũ totam suam entitatem, quã habebat in via; ita tamẽ vt ei accedat maior intẽsio, æqualis ipsi intẽsioni amoris in patria eliciẽdi. Hęc quoad habitũ charitatis, est sententia Caietani hic q. 24. a. 7. respons. 2. ad 3. vbi loquens de charitate patriæ, præcipue secundũ habitum, ait; *in patria remanere quantitatẽ priorẽ in succedente, sublato eo, quod erat imperfectionis: sicut in viro remanet perfectio pueritiæ, iuxta doctrinã Apostoli, Euacuatis his, quæ erant paruuli. Sic autẽ remanere, non est, proprie loquendo, duas quantitates aut perfectiones diuersarũ rationũ remanere, sed vnã tantũ simpliciter consummate, retinentẽ alterã secundũ id, quod perfectionis habebat. Et propterea non oportebat quærere causas, aut modum corruptionis primæ perfectionis, & quantitatis, sed imperfectionis admistæ,* (nimirum positæ tum in carentia maioris intensionis, tum in imperfecto modo operãdi, quem habebat in via, superius assert. 5. explicato) *de qua non oportet solicitari; quia scriptum est: Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Ita Caietanus; qui etiam charitatem patriæ & viæ comparat cum luce meridiana, & luce matutina, seu aurora; quas constat inter se non differre, nisi secundum intensionem. Eadem est sententia S. Thomæ locis citat. qui nihil distinguit inter habitum & actum charitatis; quicquid distinguere videantur Arragonius & Azor, vt dictum assert. 5.

116 Ratio eiusdem assertionis sumitur ex dictis ibidem; quia rationi & naturis rerum admodum consentaneum est, vt actus supernaturales in patria non excedant intensionem habituum à quibus eliciuntur; ob eam maxime causam, ne fatendum sit, beatos in actu primo non esse sufficienter instructos ad amandum Deum eo amore, qui illis in patria debitus est.

Accedit, quod cum actu intensiori charitatis etiam in via augeatur ipse habitus, ob eam proportionem, quam actus intensior ad eiusmodi augmentum habet, non est existimandũ, Deum voluisse, vt in patria, perpetua sit & maneat improportio seu inæqualitas inter actum & habitum charitatis; etsi maior illa intensio charitatis in patria non se habeat ad actum, velut præmium ad meritum; sed potius velut connaturale principium eiusdem, vt dictum.

117 Et quia charitatis habitus aut idẽ est cum gratia sanctificante, aut certe pari ac constanti proportione & æqualitate sibi inuicem correspondẽt, fatendum est, etiam habitum gratiæ sanctificantis, quamuis in patria idẽ numero maneat, accessione tamen nouæ intensionis auctiorem fieri, ita vt ipsi charitati vndique sit æqualis.

118 Assertio VIII. Actus tamen charitatis ordinarie non manet idem numero in via, & in patria. Ita habet communis Doctorum sententia, quos citauimus; etsi contrarium significet Bonaventura loc. cit. sed qui tamen commode explicari & intelligi potest, de amore eodem numero ex parte habitus & obiecti, vt recte notauit Luisius loc. cit. Ratio est; quia ordinarie, ante instans mortis, simul cum vsu rationis intercipi ac interrumpi solet facultas recte operandi. Accedit, quod cum vtriusque tam voluntatis, quam intellectus vsus & operatio in hac vita ordinarie pendere soleat à concursu phantasmatum, fieri vix potest, vt idem numero seu intellectus, seu voluntatis actus, à viatore elicitus, post hanc vitam permaneat.

119 An autem aliquando in extraordinario casu, puta in B. Virgine, aut alio eximie Sancto, per singulare Dei priuilegium, idem numero actus charitatis in via & in patria permanserit, aut permaneat, non est magnopere disputandum. Affirmat quidem Suarez loc. cit. nec dissentire videtur Luisius ibidem: estque sententia valde probabilis: quia idem numero actus voluntatis, etiam noua cognitione accedente, videtur posse idem numero permanere.

Sed mihi contrarium non minus videtur probabile. Aut enim idem numero manens, secundum intensionem cresceret; aut non: neutrum dici posse videtur. Non primum; quia actus voluntatis idem numero manens, non videtur ex noua ac substãtialiter adeo diuersa propositione obiecti secundum intensionẽ posse crescere. Neque secundum; quia cum post instans mortis, anima immediate sit beata, ac proinde eliciat actũ charitatis longe intensiorem, quam in via præcesserit, non est consentaneum rationi affirmare, eã simul habere & retinere actum charitatis eiusdem speciei remissiorem; præsertim quando hic non nisi obscura fidei cognitione nititur, quæ mox in eodem instanti mortis desinit.

Quæres, qua proportione charitas patriæ in eodem homine intensior futura sit charitate viæ. Respondeo, certam quidem vtique, & vniformem à Deo proportionem cum Beatis omnibus seruari; eamque sine dubio in magno excessus & excellentiæ gradu positam, quoad scilicet, seruata debita proportione, excessus & excellentia claræ visionis, supra obscurã fidei cognitionem, velut exæquetur: at vero quænam in particulari eius excessus sit proportio, ipsiusque proportionis quantitas, à nobis definiri non potest, sed soli Deo perspectum est. Vt ob hanc etiã causam verum sit illud Isaiæ 64. v. 4. & 1. Cor. 2. vers. 9. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit DEVS ijs, qui diligunt illum.*

Atque ex dictis etiã colligi potest, an actus charitatis in quouis beato sit substantialiter perfectior, quouis actu cuiusuis viatoris. Cum enim visum sit probabile, non posse eundem numero actum charitatis esse & permanere in via & in patria, consequenter eadem probabilitate dicendũ erit, omnem actum charitatis in patria necessario esse numero, adeoque secundum rationem individuam substantialiter distinctum, atque intra eandem speciem perfectiorẽ, quouis actu cuiusuis viatoris; præsertim quia amor beati non solum secundum intensionem, sed etiã secundum æstimationem, ex clara visione infiniti boni prouenientem, aliquo modo perfectior videtur; ita vt ex ipsa etiam vi talis amoris (seclusis alijs auxilijs gratiæ) nequeat in eodem subiecto vllum etiam vel minimum peccatum veniale admittere: quod nulli per se amori huius vitæ quamuis intensissimo competit. 120

Dices, ex hoc ipso colligi etiã, hanc differentiam inter vtrumque actum esse specificam, duabus de causis. Primo, quia perfectio appretiatiua amoris sequitur perfectionem appretiatiuam ipsius cognitionis: cum ergo hæc in beatis sit altioris ordinis, & speciei perfectioris, appretiatione, cuiusuis cognitionis, quã hic de Deo habere possumus; sequitur etiam appretiationem amoris esse in ijs altioris & perfectioris speciei.

Secundo, quia quando duo ita sese inter se habent, vt quamuis vnum in suo ordine perficiatur, nunquam possit pertingere ad perfectionem alterius, recte colligitur, vnum esse altioris ordinis siue perfectioris speciei: atqui dicti amores ita se habent; quantumuis enim amor viæ perficiatur, nunquam perueniet ad perfectionem amoris patriæ: ergo hic est altioris ordinis specifici.

Respondeo ad primum, negando consequentiã; quia minor appretiatio amoris sequitur quidem ex maiori appretiatione cognitionis; sed non ita, vt ob diuersitatem specificam ipsius cognitionis, etiã amor secundum speciem necessario mutetur, vt superius dictum. Et potest intra eandem speciem, amor etiam huius vitæ secundum appretiationem aliquo modo esse perfectior, vt dicemus q. 3. dub. 2.

Ad secundum Respondetur; negando maiorẽ: quia posita probabili philosophia, quod intra eãdem speciem dentur indiuidua secundũ rationem indiuiduã substantialiter perfectiora, pariter fatendum est, vnũ indiuiduum, quantumuis in suo ordine perficiatur, nunquã tamen peruenire posse ad perfectionem alterius.

Dixi tamen, solum esse probabile, actũ charitatis

tatis in patria secundum rationem indiuiduam substantialiter perfectiorem esse quauis dilectione viatoris. Nihilominus enim etiam oppositum probabile est: quando etiam in hac vita dilectio secundum appretiationem æqualis esse potest dilectioni patriæ: ita scilicet vt non solum Deum præferat omnibus, quæ cum illo pugnant, sed etiam omnibus omnino creaturis; adeo vt cum tali dilectione, nec minimum etiam veniale peccatum consistere possit. Quod autem dilectio in patria sit omnino immutabilis, & omnimodâ impeccabilitatem adiunctam habeat, id nõ ex vi ipsius per se dilectionis accidit, sed ex vi visionis beatificæ, qua cessante etiam charitas desinere, ac peccatum subsequi posset, vt pluribus dictum tom. 2. disp. 1. q. 3. dub. 3.

DVBIVM IV.

De productione & augmento Charitatis: an à solo Deo producatur; quomodo item, & quantum charitas augeri, siue intendi possit,

S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9.

121 EGimus iam hac de re nonnihil tom. 2. disp. 6. q. 4. dub. 1. & 4. & q. 6. dub. 8. vt iam eo breuius eam expedire liceat. Et quod ad causam efficientem attinet statuimus sequentia pronuntiata. I. Charitas tanquam virtus supernaturalis ac per se infusa, à solo Deo, velut principali causa efficiente physice producitur. Ita docet S. Thomas cit. q. 24. a. 2. iuxta Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et 1. Ioann. 4. v. 7. *Charitas ex Deo est.* Idẽ patet ex Concilio Mileuitano can. 4. & Arausicano canone 25. & Tridentino sess. 6. cap. 6. & 7. & canone 3. Ratio est: quia id cõmune est omni habitui supernaturali, vt à solo Deo tanquã causa efficiente principali producatur, vt dictum cit. q. 4. dub. 1.

II. Quocirca etiam nec effectiue physice vllo modo per actus nostros (saltẽ extra sacramentũ) producitur, vel etiã augetur; vt post S. Thomã 1. dist. 17. q. 2. a. 3. habet cõmunis, sed solũ dispositiue, aut meritorie, vt etiã ibidẽ de gratia dictum, & magis infra patebit. Idem tradit Arragonius hic q. 24. a. 2. simul tamen asserens, contrarium *non esse omnino imputabile*; quod nõ probo ex dictis loc. cit.

122 III. Neque vero charitas à Deo infunditur homini, iuxta capacitatem, seu proportionem naturalis perfectionis; neque adeo mensura eius conditioni seu perfectioni naturæ respõdet, nec ab ea vllo modo dependet, sed primario quidẽ & simpliciter ex volũtate Spiritus sancti distribuẽtis sua dona, put vult. 1. Cor. 12. v. 11. Secundario autẽ & cõsequenter, adeoq; cũ quadã subordinatione ad primã causam, (in adultis) ex varietate dispositionis supernaturalis præuiæ, vt ex cõmuni & certa docet S. Thomas hic q. 24. a. 3. Et patet ex illo ad Ephes. 4. v. 7. *Vnicuiq; nostrũ data est gratia, secundum mensurã donationis Christi.* Vnde etiã Matth. 11. dicitur v. 25. *Confiteor tibi Pater &c. quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et 1. Cor. 1. v. 26. *Videte vocationẽ vestrã, quia non multi sapientes, &c. secundũ carnem, &c. sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus &c.* Et Rom. 9. v. 16. *Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei.* Ratio est. Quia vniuersim forma cõmensuratur dispositioni vltimæ; cuius tamen ipsius primaria causa est Deus per gratiã præuenientẽ, quã suo arbitrio dispensat, vt dictũ tom. 2. d. 6. q. 4. d. 4. Et putat Caietan9 hic B. Virginẽ, licet omnibus sanctiorẽ, non solũ tamen Angelis, sed etiã quibusdã hominib9, quoad naturalẽ animæ perfectionẽ, fuisse inferiorem.

Nec refert, quod in Angelis gratiæ & charitatis 123
mensura respondeat etiã naturali eorũ perfectioni. Nã vt recte docet S. Thomas cit a. 3. ad 3. quia Angeli (secus quã homines) ex natura sua agunt secundum omnes vires potentiæ, hinc factũ est, vt cũ Angeli natura pfectiores, maiore gratia à Deo præuenti, intensiorẽ conatũ ad gratiæ augmentũ adhiberẽt, gratiã, etiã præ alijs, iuxta excessum naturalis perfectionis, maiorẽ cõsequerentur, sicut etiã ob eandẽ causam ex Apostaticis Angelis tãto quiq; peiores euaserũt, quãto natura superiores erant, vt suo loco de Angelis dictũ tom. 1. q. 6. du. 1. Plura hac de re de grat. cit. q. 4. dub 4.

Quod vero ad secundam partem huius dubitationis attinet, An scilicet, quomodo, & quantum charitas augeri siue intendi possit, sequentes assertiones statuimus, iuxta similem doctrinam de augmento gratiæ traditam cit. d. 6. quæstione 6. dub. 8.

ASSERTIO I. Charitatem in hac vita posse 124
augeri & crescere, est de fide. Constat ex Concilio Tridentino sessione 6. capit. 10. & patet ad Philipp. 1. v. 9. *Vt charitas vestra magis ac magis abundet.* Ad Ephesios 4. v. 15. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia.* Et Ecclesia solemni oratione fidei, spei, & charitatis augmentũ postulat. Ratio: tum quia hæc est natura omnium habituũ, ex Aristotele in prædicamento Qualitatis: tum quia charitas est quasi via, in qua dum à Domino peregrinamur, quotidie progredi debemus, iuxta 1. Cor. 12. v. 13. *Excellentiorem viam* (Charitatis) *vobis demonstro.*

ASSERTIO II. Charitas non augetur ex parte 125
obiecti; sed ex parte subiecti, quoad intensionem. Ita docet S. Thomas cit. quæst. 24. art. 5. & communis. Probatur prima pars. Quia quælibet minima charitas, quantum est ex se extendit se ad omnia obiecta per charitatem diligibilia (in quibus nimirum solum reperitur diuersitas materialis, manente eadem ratione formali obiectiua;) secus quam scientia ad sua obiecta scibilia. Secunda pars colligitur tum ex præcedenti, cum non detur alius modus augmenti; tum quia hoc ipsum est cõmune omnibus habitibus, vt dictum.

Addit vero S. Thomas hic, & 1. 2. q. 52. a. 1. & 2. & in 3. parte q. 7. a. 9. & 12. hanc intensionẽ nõ fieri per accessionem nouæ entitatis; vt præter alios, ex parte etiam sentit Valentia q. 2. pun. 3. Sed

ego ex Philosophia suppono, omnem intensionē fieri per additionē gradus ad gradum, à qua sententia etiam S. Thomam reipsa non fuisse alienum ostendere conatur Caietanus loc. cit. præsertim cum hic asserat, charitatem augeri etiam secundum essentiam; nempe indiuidualem, non specificam.

127 Assertio III. Charitas nullum habet terminum intrinsecum suæ intensionis; sed in hac vita semper etiam in infinitum syncategorematicè augeri potest. Ita docet S. Thomas hic cit. q. 24. a. 7. & communis. Probatur; quia quo minus aliqua forma possit semper augeri, id oritur, vel ex natura ipsius formæ, requirentis certam intensionē, vt cernitur in pallore; vel ex conditione agentis remissi aut imperfecti; vel ex incapacitate subiecti inhabilis ad recipiendā maiorem semper intensionem, vt accidit in aëre respectu caloris. Sed charitas non habet determinatū augmentum ex primo capite, cum ex sua natura sit participatio diuinæ bonitatis infinitæ (intellige non solum communi quadam ratione, vt omnes formæ aliæ, sed etiam in eodem ordine, eademque formali conuenientia, vt & reliquæ perfectiones simpliciter simplices) ad cuius æqualitatem, quomodocunque aucta peruenire nunquā poterit. Nec ex secundo capite. Quoniam charitatis effector est solus Deus infinite potens Nec ex tertio; quia capacitas subiecti charitatis, si de remota loquamur & obedientiali, quodammodo infinita est, & immutabilis, vtpote fundata in potentia infinita Dei agentis; propinqua vero & moralis non solum non expletur vlla noua intensione charitatis; sed etiam magis hoc ipso augetur & dilatatur, quod intensio præcedens, quasi via quædam est & dispositio ad subsequentem. Et confirmatur; quia nec visio beatifica, nec actus charitatis, poterit vnquam suo obiecto (Deo) penitus adæquari.

128 Atque ex his facile refelluntur sententiæ quædam, huic, vt diximus, communi, & veræ sententiæ Sancti Thomæ contrariæ: quarum prima est Scoti & Durandi 3. distinct. 13. Richardi & Ægidij 1. distinct. 17. Gandauensis quodlib. 5. quæst. 22. qui dicunt, charitatem habere certum terminum intensionis, quem in nullo subiecto possit excedere; moti fere communibus argumentis contra infinitum syncategorematicū, quæ alibi soluuntur tom. 1. disp. 2. q. 4. dub. 2. & q. 8. dub. 4. Eiusdem sententiæ vt recte notauit Bannes, est etiam Caietanus hic & 3. parte q. 7. a. 9. & q. 10. a. 4. dum male intellecta sententia S. Thomæ, Christo tribuit summam gratiam, & lumen gloriæ possibile.

129 Secunda sententia est Capreoli 3. dist. 13. q. 1. qui dicit, etsi charitas habeat certum terminum intrinsecum suæ intensionis; posse tamen nihilominus absoluta Dei potentia in infinitum augeri: quæ duo non bene simul consistunt.

Tertia sententia tribuitur Bonauenturæ, Carthusiano, & quibusdam alijs in 3. dist. 13. asserentibus, charitatem quidem ex se non habere certum terminum intensionis, & consequenter in diuersis subiectis posse in infinitum crescere; sed non in eodem, ob infinitā eius capacitatem; quæ omnia ex dictis refelluntur.

Assertio IV. Homo semper quidem in charitate crescere potest; idque etiam quantum præcise est ex natura charitatis, in infinitum, vt dictum est; absolute tamen loquendo, ac reipsa, ad quemuis perfectionis gradum peruenire non potest. Est communis. Et prima pars patet ex illo Ecclesiastici 18. vers. 22. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Et Apocal. 22. v. 11. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* præter alia citata in assertione I. Ratio est. Quia homo viator semper debet posse pergere in sua via (quæ charitas est,) donec perueniat ad terminum. 130

Secunda pars declaratur, quia nullus homo potest excedere à Deo præfixum sibi terminum, tum communem, videlicet illum, qui est sanctitas Christi, & vt contra Vegam lib. 10. in Tridentinum cap. 2. communiter alij sentiunt, etiam sanctitas Beatæ Virginis, & forte etiam Ioannis Baptistæ, & nonnullorum aliorum, quorum sanctitatem, specialissimis priuilegijs nixam, nemo, iuxta ordinariam Dei legem, consequi potest; tum proprium, qui est determinatus ille gradus charitatis (eadem est ratio gratiæ & gloriæ) ad quem Deus hominem ab æterno prædestinauit, Deo videlicet semper quidem prouidente cuilibet iusto necessaria auxilia ad proficiendum, attamen non talia omnibus, quæ ad quemcunque altissimum perfectionis gradum reipsa consequendum sint necessaria; nec omnino alia, quàm quibus iustum scientiâ conditionata præsciuerat ad destinatam antea charitatis mensuram peruenturum. Plura quæst. 4. de grat. dub. 4. vbi de inæqualitate gratiæ egimus. 131

Assertio V. Charitas in hac vita potest esse perfecta, non quasi vnquam adæquetur obiecto diligibili, qui Deus est; nec ea perfectione, quæ excludat vlteriorem progressum, sed quæ præsenti statui diligentis sit commensurata. Ita Sanctus Thomas, quæst. 24. a. 8. & communis. Declaratur. Quia sola charitas infinita Dei, qua seipsum amat, adæquatur obiecto diligibili itidem infinito; perfectio autem charitatis, quæ in hominem cadere potest, alia est propria alterius vitæ, qua Deus immutabiliter & assidue reipsa ac in actu secundo amatur: Alia vero huic vitæ competens, qua nempe fit, vt homo totum tempus, quod à necessitatibus præsentis vitæ reliquum est, Deo rebusque diuinis, cum assiduo progrediendi studio (quod viatorum proprium est) impendat: Vel certe ita habitualiter ad Deum cōuersus maneat, vt nil contrarium charitati admittat, quorum posterius solam dicit perfectionē essentialem charitatis; ideoque cōmune est omnibus charitatem habentibus; prius vero non itē, sed perfectorum proprium est. 132

Assertio VI. Recte in hac vita distinguuntur tres gradus charitatis, seu habentium charitatem; nempe incipientium, proficientium, & perfectorum. Ita docet S. Thomas q. 24. a. 9. ex Augustino tract. in 1. Epistolam Ioannis. Declaratur. Quia charitas incipiens, seu primum ade- 133

pta, in-

pta, in eo potissimum laborat, vt superatis vitijs & prauis concupiscentijs, peccatis resistat, atque seipsam saluam tueatur. Proficiens autem eo maxime tendit, vt homo in virtute proficiat, & in charitate roboretur. Perfecta autem seu perfectorum charitas studet principaliter Deo inhærere, eoque frui. Ac similis quædam distinctio cernitur etiam tum in ætate hominis, tum in quouis motu, vbi primum est recessus à termino à quo; secundum accessus ad terminum ad quem; tertium quies in termino. Neque dubium, singulos gradus, cum indiuisibili non consistant, suam habere latitudinem, maioris cuiusdam, vel minoris perfectionis.

DVBIVM V.

Vtrum quolibet actu charitatis charitas in hac vita augeatur, & quomodo.

S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 8.

134 HAnc quæstionem iam in simili explicate tractauimus de gratia quæst. 6. dub. 8. quam proinde hoc loco paucis absoluemus. Nec vero est quæstio de actibus charitatis intensioribus habitu præexistente; sed de actibus minus, aut certe non magis intensis, quam sit habitus charitatis præexistens, de qua re sunt tres vniuersim sententiæ.

Prima sententia dicit, Omni quidem actu charitatis æque aut magis intenso, quam sit habitus præexistens, augeri charitatem: at si remissior sit, mereri quidem gloriam, non tamen vllum augmentum charitatis. Ita Durandus 1. dist. 17. quæst. 8. & fuit etiam quoad posteriorem partem olim sententia S. Thomæ 2. distinct. 27. quæst. 1. art. 5; item Alensis apud Arragonium hic art. 6. Idem videtur sentire Richardus 1. distinct. 17. art. 2. quæst. 3. nisi quod addit, probabile esse, cum voluntas tot actus multiplicauerit tales, vt omnes simul æquiualeant vni actui intenso, tunc Deum in nobis augere charitatem.

135 Secunda sententia dicit, Omnem quidem actum charitatis, etiam remissum de condigno promereri augmentum charitatis; illud tamen non semper statim reipsa conferri, nisi cum actus ille meritorius fuerit intensior, quam habitus præexistens. Ita S. Thomas hic quæst. 24. a. 6. & in 1. 2. quæst. vlt. a. 8. ad 3. Scotus in 4. dist. 22. q. 1. Victoria relectione de augmento charitatis n. 19. etsi valde dubius. Conradus 1. 2. q. 114. a. 8. Caietanus, & Bannes hic a. 6. Valentia q. 2. pun. 3. Azor tom. 1. lib. 9. c. 3. q. 7.

Differunt tamen hi auctores inter se multis modis. Quidam enim dicunt, hoc augmentum actibus remissis respondens, in hac quidem vita conferri tantum, cum exercetur actus intensior habitu præexistente. Ita Sanctus Thomas hic, Scotus, Caietanus, Bannes locis citatis. Alij dicunt, sufficere aut intensiorem, aut vnum seu plures, in ratione meriti pares, aut superiores intensiore. Ita Victoria n. 14. & 29. & fere Valentia post Richardum, de quo suprà.

Præterea in casu, quo aliquis in hac vita nunquam eliciat actum talem charitatis, qualis necessarius est ad actuale charitatis augmentum acquirendum, nonnulli quidem dicunt, id à DEO conferri primum in altera vita, vt Scotus; Alij affirmant, nunquam dari, vt Conradus, Bannes; idque colligitur ex Sancto Thoma hic. Quam tamen sententiam rursum nonnulli recentiores mitigare volentes, addunt, alij quidem; ipsum antiquum præmium iam alijs actibus debitum, superueniente eiusmodi actu remisso, conferri nouo titulo: Alij vero aiunt, nullum quidem his actibus remissis respondere nouum præmium essentialis gloriæ; attamen augmentum gloriæ accidentalis respondere. 136

Rursum nonnulli discrimen faciunt in proposito inter augmentum charitatis, & gratiæ. Hanc enim aiunt statim quolibet actu meritorio augeri, non illam, vt Victoria num. 12. cui Arragonius hic male addit Sotum lib. 1. de gratia cap. 7. Alij inter gratiam & charitatem nihil in proposito distinguunt, vt cæteri. 137

Denique multi recentiores Thomistæ apud Arragonium hic, & Zumel disp. 2. dicunt quidem, actu quolibet etiam remisso statim augeri gratiã & charitatem in Esse gratiæ & amicitiæ, sed non in esse qualitatis; adeoque secundum nullum esse intrinsecum, sed solum secundum extrinsecam quandam acceptationem Dei in ordine ad maiorem gloriam. Fundamentum autem generale huius sententiæ est, quod existimant, habitum charitatis augeri debere secundum modum atq; proportionem habituum acquisitorum, qui solum per actus intensiores augentur & intenduntur, vt ipsi supponunt.

Nihilominus tertia sententia simpliciter & absolute asserit, quolibet actu charitatis quantumuis remisso, statim augeri charitatem, vt infra dicemus.

ASSERTIO I. Omnis actus charitatis, quantumuis remissus meretur augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ, in homine iusto. Est communis, & adeo certa, vt Arragonius hic iudicet, contrarium esse plus quam temerarium, & à fide alienum. Zumel quoque loco citato disp. 2. dicit, id absque magna temeritate defendi non posse. Probatur contra Durandum, tum ex vniuersalibus scripturæ locis, in quibus, operibus bonis, præcipue ex charitate factis, quãuis minimis, sua apud Deum merces promittitur, & quidem ipsa vita æterna, vt si quis potum aquæ frigidæ det in nomine Christi, vel discipuli, Matthæi 10. v. 24. Talia sunt etiam illa 2. Cor. 4. *Quod in præsenti est momentaneum, &c æternum gloriæ pondus operatur in nobis. &c.* Et 1. ad Cor. 15. v. 58. *Abundantes in omni opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Tum ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 32. vbi generatim dicitur: *Si quis dixerit hominẽ iustificatũ bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & IESV Christi meritum, cuius viuũ membrũ est, fiunt,*

non

non vere mereri argumentum gratiæ (eadem est ratio charitatis) *vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Similia habentur cap. 14. quæ certe generatim pronuntiata, sine causa restringuntur ad actus solos charitatis intensiores. Ratio est. Quia valor operis ad merendum non tam pendet ex quantitate operis, quam dignitate & affectu operantis.

139 Assertio II. Hoc augmentum charitatis, respondens actibus intensioribus habitu præexistente, statim confertur. Est communis, & extra controuersiam; quia commune est id omnibus actibus intensioribus, vt statim augeant habitus, à quibus eliciuntur, seu effectiue physice, si sint acquisiti; seu meritorie & dispositiue, si sint supernaturales, vt sit in proposito.

140 Assertio III. Idem augmentum, etiam actibus remissis respondens, reipsa & infallibiliter quandoque confertur ijs, qui in gratia vsque ad finem perseuerant, siue postea exerceant actum aliquem intensiorem, aut plures remissos ipsi æquiualentes in ratione meriti, siue non. Est contra quosdam relatos pro secunda sententia, vt dictum, sed communis & certa Scoti, & aliorum, adeo vt Zumel loc. cit. disputat. 2. contrariam sententiam vocet *falsissimam, & valde periculosam*; idque ex censura etiam ipsius Academiæ Salmanticensis. Similia habet Arragonius hic. Probatur. Quia præmium ex iustitia promeritum non potest denegari ijs, qui nullum impedimentum eius consequendi habent, citra iniustitiam seu infidelitatem, iuxta illud ad Hebræos 6. v. 10. *Non enim iniustus est DEVS, vt obliuiscatur operis vestri.* Nec satisfieret in humanis iustitiæ, si cui nouum præmium commerito, solum daretur antiquum, nouo titulo. Idem colligitur ex Concilio Tridentino loc. cit.

141 Assertio IV. Distinguere in proposito inter gratiam & charitatem, in esse qualitatis, & in esse gratiæ & amicitiæ, vanum est. Ita præter alios infra citandos etiam Arragonius & Zumel locis citatis, contra recentiores illos supra citatos. Probatur. Quia iuxta legem ordinariam DEI hæc non distinguuntur; sed eatenus ac in tantum gratia & charitas habent rationem gratiæ & amicitiæ apud DEVM, quatenus & in quantum sunt tales qualitates homini inhærentes; cum homo de facto quidem sit gratus Deo, & amicus ipsius, per gratiam & charitatem inhærentem, vt constat ex Concilio Tridentino sessione 6. canone 11. Ergo magis grati & amici non reddimur, nisi per maiorem seu intensiorem gratiam & charitatem inhærentem: sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Accedit, quod gloria essentialis quadam proportione respondet ipsi entitati seu intensioni gratiæ & charitatis.

142 Assertio V. Nihil etiam in proposito distinguendum inter gratiam & charitatem. Ita etiam Arragonius & Zumel locis citatis, & alij communiter. Quia gratia & charitas aut sunt eadem reipsa qualitas, vt habet probabilis sententia Scoti, vel certe iuxta legem Dei ordinariam sibi inuicem commensurantur, vt in 1. 2. dictum, disputat. 6. quæstio. 4. dub. 2. idque secundum ipsam vtriusque rei naturam; quia gratum esse DEO, & eius amicum esse, se mutuo consequuntur, ita vt quantum quisque est gratus Deo, tantum sit eius amicus per charitatem, & contra.

Assertio VI. Multo verius est, augmentum charitatis & gratiæ cuiuis etiam remisso actui debitum, statim à Deo conferri. Ita Gabriel in 1. distinctio. 17. quæstio. 4. & in 2. d. 27. & in 4. d. 14. quæstio. 3. dub. 3. Maior in 1. distinctio. 22. quæstione 1. Almainus tract. 2. moral. capit. 11. Vega lib. 15. in Tridentinum cap. 19. Cordubensis libro 1. quæstione 9. dub. 2. & 3. Suarez opusc. de reuiuiscentia meritorum disput. 1. sectione 3. n. 29. Arragonius hic articulo 6. Zumel 1. 2. quæst. 114. art. 8. disp. 3. licet in prima parte contrarium senserit esse verius; & nunc teste Cordubensi & Victoria (qui & ipse eam sententiam probabilem censet) communis recentiorum. Probatur. Tum quia nullum aliud comodè tempus potest assignari, siue in hac vita, in qua sæpe nullus succedit actus intensior, vt dictum; nec in altera; in qua, veluti iam terminato viatoris statu, non est locus oportunus augendæ charitati, loquendo de augmento, quod viatoris statui competat: tum quia id consentaneum est diuinæ bonitati, vt præmium de condigno promeritum quamprimum homini conferatur, vbi nullum est impedimentum ex parte subiecti, vel status. 141

Assertio VII. Per actus tamen eiusmodi remissos etsi charitas non augetur effectiue, augetur tamen meritorie; & forte etiam dispositiue Ita communis; & speciatim Zumel loc. cit. qui sic etiam conatur interpretari S. Thomam. Ratio est. Quia ex communi multorum sententia, nullus habitus effectiue vel dispositiue augetur, nisi per actus intensiores; quamquã nec ab his effectiue augetur habitus, qui per actus ipsos effectiue non producitur, vt supra dictũ. Quia tamen probabile est, habitus naturales effectiue aut dispositiue augeri per actus etiam remissos, vt docuimus tom. 2. disp. 3. q. 1. dub. 1. idcirco probabiliter etiam dici potest, charitatẽ per actus remissos augeri nõ quidem effectiue; hoc enim habitibus supernaturalibus non conuenit, vt dictum etiam de gratia q. 4 dub. 1. & q. 6. dub. 8. sed dispositiue. 144

Assertio VIII. Actus quilibet charitatis secundum totam latitudinem suæ intensionis auget charitatem. Ita tradunt Zumel disputat. 4. Arragonius loc. cit. Suarez sect. 3. à n. 44. & videtur communis eorum, quos citauimus pro 6. assertione, ex qua etiam hæc aperte sequitur. Nam si quilibet actus quamuis remissus, v. g. solũ intẽsus vt vnũ, auget charitatẽ: Ergo nullus erit gradus in aliquo actu quãuis minimus, qui non item aliquo modo augeat charitatẽ, seu ad ipsius augmentum conferat. Idem de gratia dictũ cit. dub. 8. 145

146 Assertio IX. An vero actus charitatis eliciti, saltem qui in suo genere dignissimi sunt, secundum totam latitudinem suæ intensionis, ad æqualitatem augeant habitum charitatis, ita vt actus intensus v.g. vt quatuor, augeat habitum vt quatuor. &c. non constat; imperatos quidem certum est, per se loquendo, non ita augere; quamuis vtrique augeant charitatem secundum totam latitudinem meriti ad æqualitatem. Prima pars asseritur à Suarez numero 45. & declaratur. Nam pars affirmatiua suaderi potest, eo quod actus eiusmodi eliciti, videntur quoad præstantiam & dignitatem æquales esse habitui charitatis. Sed in contrarium, quod tuentur Zumel & Aragonius, est. Tum quod actus illi non videntur esse æqualis perfectionis & dignitatis, saltē cum gratia sanctificante; quæ tamen semper vna cum charitate pariter intenditur. Tum quod quantitas meriti non solum pendet ex intensione actus, sed
147 etiam ex varijs alijs circumstantijs, v.g. dignitate operantis, duratione & difficultate operis. Quo fit, vt idem actus eodē modo intensus secundum diuersas eiusmodi circumstantias, habeat diuersum valorem meriti. Neque tamen admodum probabile est, actum aliquem charitatis, quamuis ex circumstantijs eius bonitas & valor crescat, promereri maius augmentum gratiæ & charitatis, quam sit tota præexistens eiusdem intensionis magnitudo. Quod si ita est, euidenter sequitur, actum aliquem secundum circumstantias inferiorem, adeoq; minus meritorium in proportione, non posse augere charitatē, iuxta totam suæ latitudinis intensionem ad æqualitatem; præterquam quod saltem illo augmento euidenter probatur, impossibile esse, vt quouis actu charitatis, etiā elicito, ac in suo genere dignissimo, prēcise ad æqualitatem intensionis augeatur charitas; ita vt augmentum charitatis nec sit maius, nec minus intensiue, quam intensio ipsius actus. Esto probabiliter dici possit, nunquā esse minus, saltē si actus
148 ille, vt dictum est, sit in suo genere dignissimus, vt etiam sentit Suarez loc. cit.

Secunda pars assertionis est cōmunis apud citatos; & facile probatur. Quia ipsa dignitas actuum imperatorū à charitate per se non habet proportionem æqualitatis cum ipsa charitate, vtpote quæ illis multo excellentior est.

Tertiam partem tradunt etiam Zumel, Arragonius, & Suarez loc. cit. Ratio patet. Quia siue valor meriti respondeat ad æqualitatem actus intensioni, siue non, semper tamen in qualibet actus intensione, spectari debet valor & proportio meriti ad præmiū; cui proinde adæquari debet præmiū, ipsumq; adeo etiā charitatis augmentū: ita vt si actus v. g. ratione suæ intensionis, aliarumq; circumstantiarū, sit meritorius augmenti charitatis vt quatuor, augeat charitatem ad quatuor; si meritorius vt octo, augeat charitatē vt octo, & sic de cæteris. Neq; vero quoad hoc par ratio est hui? augmenti, quod fit per modū meriti, cū eo, quod ab actu velut dispositiōe seu causa efficiente physica causatur: hic enim ex probabili multorum sententia solū excessus actiuitatis, seu intensiōis; illic ipse per se valor meriti absolute attenditur; vt proinde nullum sit illud secundæ sententiæ fundamentum supra relatum. Plura cit. tom. 2. d. 6. q. 6. dub. 8. & disp. 3. qu. 1. dub. 3. vbi declarauimus, quomodo augeantur habitus naturales.

DVBIVM VI.

An, & quomodo charitas possit diminui, vel amitti, siue corrumpi.

S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 10. 11. 12.

149 QVod ad primū, nempe diminutionē charitatis attinet, sequentes assertiones statuimus.

Assertio I. Iuxta legem Dei ordinariam, charitas ab homine semel acquisita nullo modo potest diminui. Ita docet cum S. Thoma cit. q. 24. art. 10. communis Doctorum sententia ibidem, & in 1. dist. 17. contra obsoletam quandam sententiam Altisiodorensis 3. parte tract. 5. cap. 5. & cuiusdam Parisiensis Doctoris apud Bannem, qui dixerunt, per peccata venialia minui charitatem quoad intensionem; quod etiam probabile censuit Victoria relectione de augmento charitatis part. 2. Sed eam sententiam merito vt falsam, & plane improbabilem, ac fere temerariam reijciunt Bannes, Valentia, & alij, vt dictum etiam tom. 2. disp. 4. q. 5. dub. 2. & q. 10. dub. 2.

150 Probatur assertio. Quia vel minui posset charitas ex parte obiecti, seu quoad extensionem in ordine ad sua obiecta; & hoc non: Cum quælibet etiam minima charitas extendat se ad omnia obiecta charitatis, ob vnitatem rationis formalis obiectiuæ, vt supra dictum dubio 1. vel ex parte subiecti, seu quoad intensionem: Sed nec hoc dici potest. Quia nulla huius diminutionis causa potest assignari: Non Deus per se, vt qui non subtrahit homini gratiam, aliaque eiusmodi bona supernaturalia gratiæ habitualis ad sanctificationem hominis spectantia, nisi per modū pœnæ supponentis peccatum: Non ipsa etiam nuda per se omissio actus, secluſa ratione peccati; quia per omissionem solum corrumpuntur (per accidens) habitus acquisiti, qui vt in fieri pendent ab actibus; ita etiam in conseruari: Nec denique peccatum; aut enim mortale est, & tunc charitatem ipsā penitus destruit, vt dicetur dubitationis parte secunda. Aut veniale; & hoc charitatē nō potest diminuere: Nec meritorie, quia *qui delinquit in minori, non debet puniri in maiori*, vt inquit S. Thomas:
151 Nec effectiue, cum non aduersetur charitati; nec ex parte obiecti ipsius, seu ratione specificæ essentiæ, auertendo scilicet hominem à Deo; alioqui quolibet veniali destrueretur tota charitas: Nec ratione intensionis, cum quodlibet peccatū veniale possit esse cum quauis intensione charitatis, vt notum est, & omnes fatentur. Accedit, quod si vnum peccatum veniale auferat vnum v.g. gradum charitatis, duo auferent duos, tria tres, & sic deinceps; adeoq; sæpius multiplicata, tandem auferent totam charitatem; quod est erroneum.

Neq; vero dici potest primo; hanc diminutionem fieri secundum partes proportionales, quæ
152 sunt diuisibiles in infinitum: Sic enim inter

peccata venialia priora & posteriora, quæ sæpe maiora esse solent, & ipsam diminutionem, nulla seruaretur proportio.

Neque secundo dici potest, quod dixit Victoria, particulam vltimam charitatis tolli non posse, quantumuis multiplicatis venialibus; cum præcedentes gradus per æqualia, aut forte minora peccata sublata sint.

Neque tertio dici potest, ipsum veniale vltimum auferens totam charitatem, hoc ipso fieri mortale; hoc enim, vt recte dixit Bannes, plusquam falsum, & plane temerarium est; non solum quia venialia sola per se multiplicatione non fiunt mortalia, vt loc. cit. diximus; sed etiam quia, cum illud præcise instans inuincibiliter ignoretur, aut homo tunc excusabitur à peccato, aut se assidue exponet periculo peccādi mortaliter, ac proinde etiam peccans venialiter peccabit mortaliter.

153 Accedit, quod peccatū non ideo mortale est, quia gratiam & charitatem destruit, sed ideo destruit, quia mortale est: Ergo si aliunde mortale non sit, non destruet. &c.

Denique si per peccatum veniale diminuitur charitas, fieri poterit, vt in eodem instanti (quod tamen impossibile est) charitas simul intendatur & remittatur; cum nihil obstet, hominem exercere actum charitatis, & simul, saltem peccato omissionis, venialiter peccare, vt recte cum Victoria docet Valentia loc. cit. etsi neget Bannes.

154 Assertio II. Per absolutam tamen Dei potentiam, nihil obstat, diminui charitatem quoad intensionem; etsi non quoad extensionem intrinsecam in ordine ad obiecta. Primum recte asseritur à Durando in 1. dist. 17. q. 10. & est extra controuersiam. Nulla enim est hic implicatio contradictionis. Secundum probatur. Quia est de essentia charitatis ex se, & in actu primo extēdi ad omnia obiecta diligibilia per charitatem, habentia scilicet vnam & eandem rationem formalem diligendi; licet interim Deus, seu destruendo obiectum aliquod, speciesq; eius representatiuas; seu subtrahendo suum concursum, facere vtique posset, vt charitas in actū secūdū, respectu vnius obiecti, prodire posset, & non respectu alterius.

155 Assertio III. Quin etiam ex parte ipsius actus secundi, ac extrinsece, recte dici potest, charitatem reipsa diminui per peccata venialia. Est mens S. Thomæ hic q. 24. a. 10. cum ait: *Potest tamen indirecte dici diminutio charitatis, dispositio ad corruptionem ipsius; quæ fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis.* Idem volunt Doctores alij, cū aiunt, non quidem quoad substantiam, sed quoad feruorem diminui charitatem, per venialia.

Declaratur assertio. Primo enim hoc ipso, quod peccatur venialiter, non solum regulariter loquendo, intermittitur, adeoq; diminuitur exercitium actus charitatis, qui interim exerceri potuisset, idq; tanto magis, quo magis venialia multiplicantur: Sed etiā simul fit aliquid, quod nec actu, nec habitu ad finē charitatis referri potest, vt suo loco dictum tom. 2. disp. 1. q. 1. du. 4. n. 41. quodq; perfectioni ipsius actus charitatis saltem accidentali aliquo modo repugnat. Quamuis enim nihilominus, quantū est ex parte peccati venialis, Deus pro eo tempore diligi possit super omnia, quæ aduersantur ipsi charitati (quæ quidē est ipsa essentialis ratio charitatis diligētis Deum super omnia, vt recte declarat Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 194. n. 19. & 20.) non tamen super omnia simpliciter, ac positiue, quæ Deus non sunt; cum in actu quidem secundo nō præferatur Deus peccato veniali, seu obiecto ipsius, sed potiꝰ peccatum veniale, eiusq; obiectum præferatur particulari alicui legi diuinæ prohibēti peccatum veniale. Quo fit etiam, vt ipsum charitatis exercitium, velut ex se nobilissimi tritici seges, hoc peccati venialis lolio extrinsece quasi impuretur, sicq; adeo splendor ipse virtutis hac spuria commixtione dehonestetur. Quo spectat illud Augustini l. 10. Confess. c. 29. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*: licet hoc S. Thomas responsione ad secūdum, solum ad peccatum mortale referat. 156

Secundo, peccata venialia indignum reddunt hominem specialioribus auxilijs gratiæ actualis, quibꝰ alioqui & à peccato mortali diuinitus fuisset defensus, & ad feruentiorem charitatis vsum impulsus; quamuis interim Deus hæc ipsa specialiora gratiæ auxilia pro sua gratuita bonitate nō statim, nec semper, ac infallibiliter homini ob venialia peccata reipsa deneget. 157

Tertio. Habitus vitiosos, adeoque inclinationes inordinatas ad creaturas augent, quæ non solum feruentem ac facilem charitatis vsum impediunt, sed non raro etiam ad peccatum mortale impellunt. Atque ob vtramq; illam causam fit etiam, vt peccata venialia indirecte disponant ad peccatum mortale, vt tradit S. Thomas hic a. 10. Quæ omnia fusius explicata sunt tomo 2. disp. 4. q. 5. dub. 2. & 3.

Quod vero ad amissionem seu corruptionem charitatis spectat, sequentibus assertionibus respondemus.

Assertio I. Quælibet charitas viæ amitti potest; patriæ non potest. Ita S. Thomas q. 24. a. 11. & est communis omnium, ac de fide, quoad vtramque partem. Et posterior patet ex æternitate beatitudinis, ad quam pertinet aut saltem necessario sequitur charitas. Plura tom. 2. disp. 1. q. 2. dub. 3. & q. 3. dub. 7. 158

Prior pars assertionis est contra Iouinianum apud Hieronymum in eundem, item contra Pelagium apud Augustinum de hæresibus cap. 88. & contra Begardos & Beguinas, Wicleffum & Caluinum lib. 3. Institut. cap. 4. quos refellunt Vega in Tridentinum toto fere lib. 12. Bellarminus lib. 3. de Iustificatione à c. 14. Valentia hic q. 2. punct. 3.

Probatur eadem pars assertionis ex scriptura. Ezechielis 18. v. 24. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas facerat, non recordabuntur.* Ioann. 15. v. 6. *Si quis in me nō manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eū, & in ignē mittent, & ardet.* Rom. 11. v. 22. *Si permanserit in bo-*

nitate

nitate; alioquin & tu excidêris. 1. Corinth. 10. v. 12. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.* Apoc. 2. v. 4. *Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Exempla sunt, Lucifer, Adam, Saul, Dauid, Salomon, Petrus, Iudas; quem aliquando iustum fuisse probat Hieronymus 3. cont. Pelagium ex Ioann. 17. v. 12. *Quos dedisti mihi custodiui; & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis.* Ijsdem etiam exemplis nonnullis patet, charitatem semel habitam etiam irreparabiliter amitti posse. Idem definitum est in Concilio Viennensi, Clementina *Ad nostrum*, de hæreticis, & in Tridentino sess. 6. c. 12. & 13. & canone 23. Ratio est. Quia iusti in hac vita, hoc ipso, quod Deum clare non vident, nec quoad exercitium, nec quoad specificationem necessitantur ad Deum diligendum.

160 Quæ autem contraria videntur scripturę loca, aut significant tantum, iustum non posse peccare mortaliter, quatenus & quamdiu iustus est. Quale est illud 1. Ioann. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est:* aut charitatem quidem ipsam ex se nunquam excidere 1. Corinth. 13. v. 8. *charitas nunquam excidit:* quin etiam vincere aduersa omnia, Cant. 8. v. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem; nec flumina obruent illam.*

161 Assertio II. Charitas & Gratia reipsa amittitur ac destruitur quolibet peccato mortali. Ita S. Thomas q. 24. a. 12. ex communi; & est de fide ex Concilio Tridentino sessione 6. c. 15. contra Lutherum, qui subinde docuit, sola infidelitate hominem excidere ex gratia Dei, vt pluribus dictum tomo 2. disp. 4. q. 5. dub. 1.

Probatur assertio ex scriptura. Ezechielis 18. 20. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* &c. 33. v. 8. *Ipse impius in iniquitate sua morietur.* Roman. 6. v. 23. *Stipendia enim peccati mors.* 1. Cor. 6. v. 9. *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores; neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.* Iacobi 2. v. 10. *Quicunque autem totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Plura disp. 1. q. 6. dub. 2. vbi probauimus, fidem separari posse à charitate.

Ratio est. Quia habitus infusi perdu ntur quolibet actu contrario, vtpote morale quasi quoddam obstaculum ponente influxui diuino, conseruanti eiusmodi habitus. Charitati autem habenti Deum pro vltimo fine, aduersatur quodlibet peccatum mortale, constituens finem vltimum in aliqua creatura. Ergo. &c.

162 Assertio III. Charitas & gratia proprie effectiue physice per peccatum non expellitur. Est contra Caietanum, Bannem, & Arragonium hic q. 24. a. 12. Sotum lib. 2. de natura & gratia c. 18. Zumel 1. 2. q. 113. a. 2. disp. 4. Vasquium 1. 2. disp. 9. n. Azorium l. 4. c. 24. q. 4. Valentiam hic punct. 3. quibus fauet nonnihil S. Thomas cit. q. 24. a. 10. Differunt tamen inter se non solum, quod Valentia id restringit ad peccatum commissionis; sed etiam quia Caietanus ipsum etiam peccatum ratione malitiæ positiuæ realis (quam tom. 2. disp. 2. q. 5. dub. 2. refutauimus) ait effectiue expellere gratiam & charitatem; Vasquez autem eum reprehendens n. 5. ait, peccatum ratione suæ malitiæ, qualiscunque demum illa sit, solum formaliter expellere gratiam; peccantem tamen nihilominus per peccatum effectiue physice corrumpere gratiam & charitatem. Fundamentum est. Quia peccatum mortale ex sua natura habet repugnantiam cum gratia & charitate, non minus, vel etiam magis, quam frigus cum calore; esto, alio quodam genere oppositionis, v. g. relatiuo, vt vult Vasquez; qui addit, mortale peccatum ita ex sua natura repugnare gratiæ & charitati, vt nec per absolutam Dei potentiam simul stare possint, cuius contrarium tom. 2. d. 6. q. 5. dub. 3. docuimus.

Nostram vero sententiam tradunt Richardus 163
in 3. dist. 31. a. 1. q. 1. Scotus, & Gabriel d. 23. Conradus 1. 2. q. 71. a. 4. & vt fatetur Bannes, complures alij. Probatur. Quia si per peccatum effectiue physice corrumperetur gratia & charitas, id fieret, aut quatenus peccatum ens reale positiuum est, aut solũ vt est priuatio, seu quoddam ens morale: Non priori modo; quia tota ipsius entitas realis positiua, nullam habet ex sua natura repugnantiam cum charitate, vel gratia; cum vt sic minime sit malum aliquod morale, vt contra Caietanum, Zumel, & non nullos alios probatum est loco supra cit. Neque secundo modo; quia hoc ipso, quod vt sic nullam habet entitatem realem, seu esse physicum positiuum, non potest aut ipsum physice effectiue expellere gratiam & charitatem, aut esse medium, quo ab ipso peccante effectiue physice charitas expellatur. Sicut v. g. nec per 164
tenebras physice effectiue lumen expelli recte dicitur; licet vtcunque valuas soli obijciens, saltem velut causa per accidens dici possit effectiue physice lumen corrumpere; eo quod ipsa valuarum obiectio, positiuum, physicum, & reale impedimentum est, realiterque obstat solis illuminationi. Cuius simile in proposito nihil potest assignari, vt ex facto discursu patet; qui æque etiam procedit de peccato habituali ac de actuali. Et confirmatur. Quia nulla hic cernitur proportio inter actum peccati, & gratiam destruendam; cum quiuis etiam remissus peccati mortalis actus quamuis intensissimam gratiam corrumpat. Fundamenta vero cætera oppositæ sententiæ iam satis alibi suis locis refutauimus.

Assertio IV. Gratia tamen nihilominus 165
expellitur per peccatum mortale, non solum meritorie, sed etiam speciali quadam ratione effectiue moraliter. Sic intelligo S. Thomam cit. quæst. 24. artic. 10. cum absolute ait; *peccatum mortale & effectiue & meritorie corrumpere charitatem.* Probatur. Quia peccatum ratione suæ inordinationis non solum per modum pœnæ meretur priuationem gratiæ; sed etiam hoc ipso, quod per illud creatura præfertur Deo, ex sua ratione, non quidem physice, sed moraliter repugnat charitati diligenti Deum super omnia, hominemque Deo subijcienti, & ad Deum refe-

renti omnia, vt declarauit etiam ipsemet S. Thomas a. 10. & 12. Accedit, quod peccati malitia non solum priuatiua est, seu in priuatione sita, sed etiam positiua moralis, repugnans Deo ac diuinæ amicitiæ, vt dictum tom. 2. disp. 4. quæst. 1. dub. 2. Et confirmatur. Quia propterea non omnia peccata mortalia destruunt fidem & spem, quod cum illis non omnia habent propriam & specialem eiusmodi repugnantiam, licet alioqui ex se plane mereantur omnium donorum supernaturalium priuationem.

ASSERTIO V. Sicut ergo solus Deus est vera & realis causa (saltem principalis efficiens) gratiæ & charitatis, eamque assiduo influxu conseruans; ita solus ille gratiam & charitatem per modum principij physici destruit, non positiua actione, sed priuatiue per negationem seu subtractionem sui concursus. Sequitur ex dictis. Quæ etiam pariter fidei & spei, respectu peccatorum, quibus illæ destruuntur, accommodanda sunt.

QVÆSTIO III.

De obiectis & ordine Charitatis.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 25. 26.

ABsoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. Quot, & quænam sint obiecta materialia Charitatis; speciatim quomodo diligendi sint inimici; seu ad quidnam obliget præceptum de diligendis inimicis. II. An & qualis in charitate sit ordo: speciatim, qua ratione Deus diligendus sit super omnia. III. In quo consistat amor Dei super omnia; quidue ad eum requiratur. IV. An, & qua ratione quoad bona spiritualia, nos ipsos potius, quam proximum amare debeamus: contra verò plus proximum quoad bona, seu temporalia, seu spiritualia, quam nos ipsos quoad bona temporalia. V. An & quis in ipsis proximis diligendis ordo seruandus sit.

DVBIVM I.

Quot, & quænam sint obiecta materialia charitatis; speciatim quomodo diligendi sint inimici; seu ad quidnam obliget præceptum de diligendis inimicis.

S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 12.

QVod ad primam partem dubitationis attinet, vbi de obiecto charitatis generatim quæritur, non est hic quæstio de obiecto formali charitatis, quod iam supra quæstione 1. dub. 1. & 2. explicatum est, sed de materiali. Pro quo supponendum, cum amare sit bonum alicui velle, dupliciter aliquid ex charitate diligi posse, vt docet Sanctus Thomas hic citat. quæst. 25. artic. 1. 2. 3. Primo per modum amici, cui volumus bonum. Secundo, tanquam bonum quod amico volumus. Ad hoc, vt aliquid priori modo ametur, opus est, vt sit natura quædam intelligens, & capax bonitatis diuinæ, ac supernaturalis beatitudinis; in cuius communicatione fundatur amor charitatis. Ad secundum opus est, vt res illa sit ordinabilis aliquo modo ad bonum diuinum, seu æternam beatitudinem amici; ita vt secundum rectam rationem simpliciter censeri possit bonum ipsius, in ordine ad beatitudinem æternam. Quo posito, sequentes assertiones statuimus.

ASSERTIO I. Velut amicum quisque diligere imprimis debet Deum, deinde seipsum, tertio proximum. Ita Sanctus Thomas articul. 1. & 4. & patet Matthæi 22. vers. 37. *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Et vers. 28. *Hoc est maximum & primum mandatum.* Et vers. 39. *Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Vbi dilectio seu amor beneuolentiæ ad omnia tria supradicta obiecta extenditur. Ratio sumitur ex dictis; quia in his omnibus tribus obiectis inueniuntur conditiones requisitæ ad amorē amicitiæ superius relatæ: quauis interim charitas, vt ad ipsum amantē terminatur, nō propriè habeat denominationē amiçitiæ, vtpote quę non est nisi ad alterū iuxta S. Thomam q. 25. a. 4. ex Gregorio hom. 17. in Euāgelia: quomodo autem hi actus dilectionis ad eandem virtutem spectent, dictum est q. 2. dub. 1. & 2.

ASSERTIO II. Proximi nomine intelliguntur, tum homines quilibet, etiam peccatores, & qui

nobis

nobis inimici sunt; tum etiam Angeli, modo æternæ beatitudinis capaces. Ita quoad primum S. Thomas quæstione 25. articulo 1. 6. & 8. & patet ex Matthæi 5. vers. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Item Ioann. 4. ex parabola Samaritani. Hic tamen amor non excludit odium sanctum erga peccatores, qua tales sunt, vt suo loco dicetur. Secundum habetur apud S. Thomam articulo 12. & expresse etiam apud Augustinum lib. 1. de doctrina Christiana cap. 30. Ratio patet ex dictis; quæ conuincit etiam, præceptum de diligendo inimico naturale esse; non obstante illo Matthæi 5. v. 44. *Dictum est antiquis odio habebis inimicum. &c.* siue illud referatur ad falsam interpretationem Pharisæorum; siue ad persequendas, & delendas armis & bello gentes Chananæorum; quibus cum ex mandato Dei iustum Israelitis bellum intercessit. De qua re optime disserit Molanus ibidem.

4 Assertio III. Tanquam res, quas amico volumus, diligitur à nobis primo ipsa charitas, ex S. Thoma q. 25. a. 2. Secundo, corpus nostrum & amici, quatenus & pars nostra est, & capax suo modo boni supernaturalis, & instrumentũ Deo placendi per bona opera, ex eodem a. 5. iuxta illud ad Ephesios 5. v. 29. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam.* Et ad Romanos 12. v. 1. *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctã, Deo placentẽ, rationabile obsequium vestrum.* Tertio, creaturæ irrationales quælibet seu animatæ, seu inanimatæ, quatenus ad obsequiũ Dei & salutẽ proximi promouendã conducunt, ex eodẽ S. Thoma a. 3. Quarto deniq; ipsi etiam dæmones & damnati, secundum suam naturam spectati, in quantum scilicet volumus illos in suis naturalibus conseruari ad gloriam Dei; ex S. Thoma a. 11. Ratio patet ex fundamento posito; quia hæc omnia suo modo ad bonum ac felicitatem amici referri & conducere possunt.

5 Confirmantur hæc omnia ex Augustino l. 1. de doctrina Christiana c. 23. & 26. quatuor obiecta charitatis cõstituente, vt declarat S. Thomas a. 12. Primum, quod est supra nos, Deum. Secundum quod est vnũ nobiscum, nosipsos. Tertium, quod est iuxta nos, Proximũ. Quartum, quod est infra nos, corpus propriũ. Quo referri possunt cætera, quæ tantum vt res quædam amici diliguntur.

Cum his vero non pugnant, vt inepte volunt huius temporis sectarij, moderatæ corporis castigationes, spiritualis boni causa susceptę, iuxta Apostolum 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Imo vero hæc ipsa carnis castigatio subinde ad verum corporis amorem spectat, sicut ad amorem filij debita disciplina.

Quod ad secundã partem dubitationis attinet, quomodo diligendi sint inimici; intelliguntur hoc nomine, qui aduersus nos inimici sunt. Nam eos, ad quos proprie inimici nos simus, habere nullos charitas patitur.

6 Assertio I. Præceptum de diligendis inimicis iuxta S. Thomam q. 25. a. 7. & 8 obligat ad sequentia. Primo, vt eos nunquã odio habeam[9], seu positiua odij signa illis exhibeam[9], iuxta infra dicende q. 5. de odio. Secũdo, vt cũ generali affectu amoris Deum & proximos amamus, inimicos nõ excludamus. Tertio, vt nec ab externis signis & effectis dilectionis, quæ generatim & in communi exhibentur omnibus, excludatur inimic[9]; vt cum aliquis pro omnibus infidelibus orat, vel pro toto populo; aut cum aliquis beneficiũ etiã gratuitum impendit toti communitati, cuius ipse inimic[9] pars est. Quarto, vt homo habeat animũ paratum, etiam in particulari & speciatim inimico exhibendi tum affectum internũ, tum externa signa, & effecta amoris, vbi & quando id necessitas postulabit. Quinto, vt in casu necessitatis nostræ, vel alienæ, 7
seu spiritualis, seu corporalis, adeoq; etiam, cum id opus est, ad vitandum peccatum scandali, iuxta communes leges charitatis, de quibus infra 4. du. 4. & q. 4. du. 2. reipsa talis affectus & effectus amoris inimicis exhibeatur, iuxta Prou. 25. v. 21. & Roman. 12. v. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* Charitatis vtiq;, iuxta Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Bedam, & S. Thomam ibidem: Non, suplicij æterni, vt exponunt Chrysostomus & Theophylactus. 8

Assertio II. Quin etiam inimicõ veniam petente (quo casu ipse iam inimicus esse desinit) ea plane amoris signa ei exhibenda sunt, quæ sufficienter ostendant, depositum odiũ, & instauratam amicitiã, saltẽ eam, quam ad quemuis proximum habere debemus. Ita Syluester V. *Charitas.* Nauarrus Manuali c. 14. n. 9. & 25. Valentia hic q. 3. pu. 2. Probatur ex illo Matthæi 18. v. 35. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnus quisque fratri suo de cordibus vestris.* Luc. 17. v. 3. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Ratio est. Quia hoc necessariũ est, non solum ad vitandum scandalũ; sed etiam ne alioqui morale signum odij proximo exhibeatur.

Interim tamen peculiaris amicitiæ fœdus ac familiaritatẽ, vt non tenemur inire cum vllo; ita quoq; possumus, si aliud nihil obstet, denegare inimico; & sæpe etiam potest esse necessarium, si familiaritas illa sit nobis noxia, vel periculosa, vt post Caietanũ hic q. 25. a. 8. recte Nauarrus Man. n. 25. qui n. 9. recte etiam asserit, plerumq; in his casibus sufficere amorem naturalem, nec requiri supernaturalem.

Assertio III. Extra casum vero necessitatis, 9
specialem affectũ & effectũ amoris inimicis exhibere, pertinet quidẽ ad perfectionẽ charitatis, quę in bono vincit malum, nõ tamen ad necessitatem salutis. Ita S. Thomas q. 25. art. 8. & 9. Ratio est. Quia nec amicis, nisi in necessitate, ad hoc obligati sumus.

Assertio IV. Neq; vero etiam tenemur inimico, quamtumuis reconcillato, condonare ciuilem illam iniuriarum actionem, coram legitimo Magistratu, viaquẽ legitima prosequendam, qua petatur compensatio illati damni, aut iniuriæ satisfactio nobis, aut nostris necessaria, vel vtilis. Ita citati omnes. Ratio est. Quia in pari causa, 10

nemo tenetur suum comodum comodo proximi, etiam amici, postponere, vt patebit du. 4. Præterquam quod aliquando nec possumus quidem remittere talem satisfactionē, vt de restitutione dicetur. Cauendum tamen, ne compensatio aspere exigatur ab eo, qui post debitā diligentiā adhibitam, soluendo non est; ne incurratur pœna serui illius nequam, Matthæi 18. v. 34. *Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui. &c.*

11 Assertio V. Actionem vero criminalē contra inimicum, qui nos læsit, instituere, qua nempe sine vlla nostra, nostrorūue vtilitate satisfactio pœnalis, seruato iuris ordine, exigatur, etsi id quidem, si publici boni causa, ex zelo iustitiæ, non ex priuatæ vindictæ cupiditate fiat, atq; interim non solū odiū, sed etiam scandalum, odijq; periculum absint, per se malum non sit; attamen quia inter homines parū in virtute progressos, id vix vnquā sincero ac puro affectu iustitiæ, sine aliqua comixtione odij, seu priuatæ vindictæ cupiditate accidit; idcirco vbi de crimine in futurū pernitioso nō agitur, eiusmodi actiones comuniter sunt dissuadendæ. Ita cum Syluestro V. *Charitas* q. 6. Valentia lo. cit. ex comuni Ratio primę partis est; qa talem satisfactionē vti iuste irrogat Iudex, ita per se licite procurare potest alius; idque etiamsi reus offerat alioquin sufficientem satisfactionē extra iudiciū, vt docet ibidē Valentia, etsi aliud indicet Syluester Secundam partē tradunt ijdē, post Chrysostomum hom. 12. super epistolā ad Romanos, qui proinde tales actiones vniuersim reprehendit,
12 conuenienter Apostolo 1. Cor. 6. v. 7. Ratio ex dictis patet.

Atq; ex his colligitur, an & qua ratione inimicos salutare vel resalutare, alloqui, vel colloqui cum ijsdē teneamur. Cum enim hæc sint specialia ac particularia amoris signa, per se quidem, extra casum necessitatis, inimico exhibere nō tenemur. Attamen ratione scandali, aut ne prouocetur vel renouetur, sed potius vt superetur odiū in alterutro ex dissidentibus, sæpe id esse potest necessariū; præsertim si de resalutatione loquamur, quā idcirco denegare inimico, regulariter est peccatum, vt omnes comuniter notant; & quidem etiā mortale, si secundū patriæ consuetudinē, & qualitatem personarū, non resalutare habeatur pro notabili contemptu salutantis, aut alioqui grauis scandali causa esset, vt recte Bannes.

13 In particulari vero res tota ex circūstantijs prudentis viri, præsertim Confessarij iudicio, diligenter est expendenda, vt notarunt Caietanus, Valentia & Bannes hic a. 8. Certe superior licite quandoq; inferiori, in iustam pœnam transgressionis præteritæ, sermonis commercium negare poterit; modo absit scandalum & necessitas priuati; exemplo Dauidis in Absolonem 2. Regum 14. Idem fieri posset, si inimicus aut irrisorie per cōtemptum, aut nocendi affectu, adeoque insidiose ad perniciem quempiam salutaret. v. g. si procus Virginem. &c. quin etiam in casu necessitatis negare eiusmodi amoris officium proximo, ob leuitatem materiæ, attenta ratione personarum & circumstantiarum, vt inter pueros, &c. sæpe tantum veniale est.

DVBIVM II.

An, & qualis in charitate sit ordo: ac speciatim qua ratione Deus diligendus sit super omnia.

S. Thomas 2. 2. q. 26. a 1. 2. & 3.

Quæstio est de ordine charitatis, prout ad varia sua obiecta materialia terminatur, de quibus actum quæstione præcedente; & sensus primi quæsiti est, An & quomodo ex ijs alia magis, quam alia per charitatem diligenda sint. 14

Assertio I. Est ordo aliquis in dilectione charitatis. Ita S. Thomas q. 26. artic. 1. & communis post Augustinum libro 1. de doct. Christ. c. 27. & 28. Probatur verbis sponsæ ex Cantic. 2. v. 4. *Ordinauit in me charitatem.* Ratio S. Thomæ est. Quia vbicunq; vnum est principium & causa cęterorum, in illis cernitur aliquis ordo prioris & posterioris, inferioris aut potioris &c. sed in obiectis materialib⁹ charitatis est aliquod principiū & causa bonitatis aliorum, adeoq; etiam ratio amandi alia: Ergo &c. Accedit, quandocunq; ratio formalis obiecti ita se habet ad obiecta materialia alicuius habitus, vt quibusdam magis seu potius conueniat, quam alijs, tum habitus ille, qui permodū actus primi sic inclinat in sua obiecta materialia, prout ea rationem obiecti formalis participant, ordine quodam prius vel perfectius tendit in quædam obiecta, quam in alia. Sed ita se habet ratio formalis obiecti charitatis, nempe bonitas diuina, quæ directe quidem & essentialiter est in solo Deo, in alijs autem tantum participatione quadam, seu extrinseca relatione & habitudine. Ergo &c.

Quo fit, vt etsi habitus charitatis in se simplex 15
sit, virtute tamen quasi heterogeneus sit, pluresque ac diuersas inclinationes, magis vel minus perfectas (intra eandem speciem) eminenter contineat.

Alia ratio est fidei circa obiecta materialia, quæ etsi dignitatis ordinem inter se habeant, tamen secundū participationē obiecti formalis, quę est reuelatio diuina, non differunt. Quocirca vt sic etiam omnia æqualiter creduntur, vt significat S. Thomas cit. a. 1. ad 2. & suo loco dictum disp. 1. q. 1. dub 7.

Diuersa item est ratio spei, *respiciendo ad eum,* 16
cui spes innititur, cum æque omnia, quæ speramus, diuina ope acquirenda sperentur. Secus est, si in materialibus spei obiectis attendamus rationem bonitatis & beatitudinis, quæ speratur; tunc enim nil obstat, respectu eiusmodi obiectorum, ordinem quoq; aliquem constitui in spe, vt etiam ex S. Thoma a. 1. ad 1. colligi potest; quanquā hunc ordinē Theologi speciatim explicare non solent, vel quod in praxi non ita multum momenti habeat; actibus spei, cum plerumq; solum interni sint, non ita se mutuo excludentibus, vt fit in actibus externis charitatis, præsertim erga proximos, quorum hic inprimis etiam habe-

tur

tur ratio; vel quod ex ordine charitatis intelligi
potest, seruata proportione.

17 Assertio II. Tribus modis res aliqua magis amari potest, quam alia, per charitatem; videlicet intensiue, obiectiue, æstimatiue. Est cõmunis apud Doctores hic & in 3. dist. 27. & 29. Declaratur. Nam tria possunt in charitate considerari, quæ aliquam latitudinem habent, ac proinde quendam inter se ordinem & comparationem admittunt. Primo ipsa per se intensio amoris. Secundo, magnitudo bonorum, quæ alicui volum⁹. Tertio, ipsa persona, cui bonũ volumus, prout iuxta ęstimationẽ quandam alteri in amore amorisque effectu potest præferri.

Ex primo capite, adeoq; *intensiue* dicitur magis amari, quod intensiore actu diligitur; licet id interim fortasse alteri minus intense amato simpliciter postponatur: quo modo parentes magis amare solent minores natu filios; quam grandiores, quos tamen ęstimatiue plus diligunt. Vnde sicut per actum scientiæ, quamuis remissum, firmius adhæretur obiecto, quam per actum opinionis, licet intensissimum; & per actum fidei certius, quam per vllum actum scientiæ; ita fieri potest, vt actu amoris, quamuis remissiori, firmius quis adhæreat magno bono, quam per alium actum intensiorem bono minori; cum intensio actus non oriatur ex sola maioris bonitate obiecti, sed etiam ex maiori cognitione ipsius, maiorique facilitate, suauitate atque conatu amandi. Idem in simili cernitur in appetitione finis & mediorum: semper enim finis vt sic appretiatiue magis amatur, quam media, quæ tamen aliquando possunt amari intensius.

18 Ex secundo capite, dicitur aliquid magis amari, quam alterũ *obiectiue*; id nempe, cui maiora bona amore quodã approbationis & complacentiæ diliguntur ex charitate, siue interim alicui rei alteri optemus maiora bona, siue non: qua quidem ratione per charitatem magis diligi non potest, nisi quod reipsa melius est; etsi Bañes & nonnulli alij latius accipiant hunc terminũ, vt videlicet idem sit, quod amore beneuolentiæ maiora bona alicui velle, seu complacendo de præsentib⁹, seu optãdo & procurando absentia, extra casum tamen necessitatis; quo loquendi modo res itidem non habet difficultatem. Nam bona, quæ & quando nulli debita sunt, optare licet, cui quis malit; modo tamen ille, cui optantur, eorum vere sit capax; alioqui rationabiliter & absolute optari illi non poterunt, multo minus procurari.

19 Ex tertio capite, dicitur vnum magis amari *æstimatiue*, quam alterũ, quando scilicet illud in amore alteri præfertur, pluriſq; fit & æstimatur; ac proinde etiã fortius, firmius, ac imobilius ei per amorẽ adhæretur; ita vt si opus esset, cætera potius, quam illud relinqueretur. Quod quidem fieri potest, non solũ cum aliqua cum cæteris reipsa comparatio instituitur, sed etiam citra vllam comparationem expressam, cum simpliciter res aliqua, velut maius & excellentius bonum, iuxta amantis æstimationem amatur, vt dicemus.

20 Addunt nonnulli, in quibus videtur etiam esse Sotus in 4. distinctione 17. quæstione 2. artic. 4. huic triplici modo magis amandi, alium, quem vocant, *secundum maiorem teneritudinem & mollitiem affectus*. Sed hanc distinctionem refellit Vasquez 1. 2. disputatione 194. numero. 15. significans, hunc modum non differe à maiori intensione. Sed licet hunc amandi modum in proposito distinguendum non censeam, vt dicetur, non tamen puto eundem esse cum amore intensiore. Videtur enim potius significare aliam quandam amoris conditionem, secundum quam amor aliquis *sensualis*, aut in appetitum sensitiuum redundans dicitur; qui amor respectu obiecti corporei sæpe periculosus esse potest, etiamsi inhonestus non sit. Quocirca etiam huius amoris, vbi de ratione amandi spirituali agitur, non habetur ratio, nisi prout alio quodam sensu ipsam quoque spiritualis amoris dulcedinem & delectationem, amori coniunctam, significare potest; quæ tamen ipsa parum ad propositum facit, cum ea vix sit in nostra potestate.

Quod vero speciatim ad ordinem diligendi Deum, in secundo huius dubitationis quæsito propositum attinet, sequentes assertiones constituimus.

Assertio I. Deus est diligendus super omnia, hoc est, plus quã res omnes aliæ, est de fide. Constat Matth. 10. v. 37. *Qui amat Patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus &c.* Matthæi 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum.* Luc. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit* (minus diligit) *patrem suum, & matrem &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Idem docet Augustinus loc. cit. l. 1. de doct. Christ. 21

Ratio S. Thomæ q. 26. art. 2. est primo. Quia in qualibet amicitia præcipue diligitur ille, qui est causa & principiũ eius boni in cuius communicatiõe fundatur amicitia, vt in politica amicitia Princeps. Atqui Deus est causa & principium beatitudinis cœlestis, in cuius communicatione fundatur amicitia charitatis. Ergo &c. Secundo, Charitas cum sit ordinatus amor, natura sua magis inclinat ad amandum Deum, quam seipsum, vel res alias: Ergo iuxta inclinationem charitatis magis amandus est Deus, quam nos ipsi, aut res aliæ. Antecedens probatur. Quia omnis pars natura sua magis diligit bonum totius, quam particulare & proprium: Sed Deus est commune bonum omnium rerum, tum naturalium, tũ supernaturalium; atq; omnes in illo continentur, & ad illum referuntur. Ergo &c. Idem patet in politicis membris, hoc est, ciuibus, qui si virtutibus politicis præditi sint, pro bono communi vitam & fortunas exponunt. Addo, quod Deus est ratio diligẽdi cætera, item summum & infinitum bonum, adeoq; maxime diligibile. 22

Assertio II. Deus non est ex præcepto diligendus super omnia intensiue; etsi maxime conueniat, vt amor Dei etiam intensiue maior, aut certe minor non sit, quam amor creaturæ. Ita Gabriel in 3. distinct. 27. quæst. 1. a. 1. Maior q. 2. a. 4. Sotus in 4. d. 17. q. 2. a. 4. Nauarrus est c. 11. 23

num. 6. Ioannes Medina Codice de pœnitentia, q5. Vasquez 1. 2. disp. 194. n. 13. Arragonius hic a. 2. Valentia q. 4. punct. 1. Azor lib. 9. c. 4. q. 3. qui duo addunt, hanc esse communem Doctorum in 3. dist. 27. & 29. eandemque supponit S. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. a. 5. etsi contrarium dixerint Scotus in 3. dist. 27. q. 1. Durandus dist. 29. quæst. 1. & apud Azorium loc. cit. Petrus Sotus, & Adrianus, rati Deum ex præcepto magis etiam intensiue diligendum esse, quam res alias. Quin etiam Bannes hic ait, *contrarium vix fieri posse absq; peccato veniali.*

24 Sed probatur prior illa pars assertionis primo, quia habitualis charitas tam erga Deum, quam proximum est eiusdem intensionis, cum nullus in charitate sit gradus, quin ad Deum simul & proximum diligendum inclinet: Ergo etiã actualis dilectio erga vtrumque sine vitio æque intensa esse potest; cum vtique habitus recte elicere possit actum sibi secundum intensionem æqualem, circa quodcunque obiectum materiale. Secundo; Adhuc sufficienter intelligitur, quomodo firmius & perfectius, quam vlla creatura etiam intensius amata, ametur Deus, secluso illo intensionis excessu, vt dicetur.

Tertio, vix potest negari, charitatem in patria, secundum omnem intensionem suam ferri ad amandum, tum Deum, tum proximum, propter Deum; etsi ad illũ necessario, ad hunc in particulari libere &c. Cur ergo idem nõ possit fieri in via? Quarto, Deus vno & eodem simplicissimo actu se pariter, & omnes res creatas diligit, adeoque non intensius vnum obiectum, quam aliud, vt plurib⁹ declarat Vasquez 1. parte, disp. 80. n. 121.

25 Quinto; Intensio gradualis actuum nobis est ignotissima, ita vt moraliter scire non possimus, quanta sit in hoc, aut illo actu intensio, seu comparate, seu absolute loquamur. Ergo non est credibile, Deum voluisse homines ad certam intensionem in operando adstringere; vt sane quidem etiam minime adstrinxit in actibus fidei, aut aliarum virtutum. Sexto, respectu aliorum obiectorum materialium charitatis, puta patris & fratris, fratris & condiscipuli &c. non est ista intensionis differentia necessaria; Ergo nec respectu Dei & proximi.

Accedit, quod hoc præceptum nullum habet in scriptura & SS. Patribus fundamentum: censendum est ergo, nullam certam intensionẽ charitatis in præcepto esse; præsertim cũ nec ipse quidem Spiritus sanctus videatur semper in suis excitationibus hunc ordinem seruare, vt ad diligendũ Deum intensiores inspirationes imittat; ad proximi amorem excitandum minus intensas.

26 Secunda pars assertionis est communis, apud citatos; quia conueniens est, vt quanto bonum aliquod melius est, tanto etiam intensiori affectu ametur, aut certe non minus intenso, quam res alia inferior. Vnde si contrarium fiat, adeoque intensius ametur creatura, quam Deus, actus quidem erit negatiue minus perfectus, sed non priuatiue inordinatus; imo si vtriusque amor, iuxta latitudinem totam intensionis, quæ est in habitu, sit æquè intensus, nullam omnino imperfectionem adiunctam habebit, vt ex dictis patet.

Obijcitur primo, quod SS. Patres subinde damnare videntur intensiorem amorem creaturæ, quam Dei; quin etiam S. Thomas q. 26. a. 6. ad 1. & a. 7. & sequentibus, dicit, *esse magis secundum intensionem actus diligenda ea, quæ ex charitate magis diligi debent.* Respondeo cum citatis, S. Thomam, cum alioqui tres illos modos diligẽdi magis Deum non distinguat, nomen intensionis latius accepisse; videlicet pro excessu æstimationis, vt ex circumstantijs colligi potest. Eodem modo loquuntur SS. Patres; præterquam quod subinde speciatim agunt de amore creaturarum sensuali (etiamsi per se inhonestus non sit) & ad charitatem Theologicam non spectante; qui si valde intensus sit facile potest hominem conijcere in periculum penitus deferendi Deum; ratione cuius proinde nimius ille excessus vtique cauendus est. 27

Obijcit secundo Bannes; Proximus per charitatem semper diligitur propter Deum: Ergo charitas ex sua natura inclinat ad Deum intensius amandum, quam proximum: Ergo nec fieri quidem potest, vt per ipsum saltem charitatis habitum proximus diligatur intensius, quam Deus. Quod etiam significat Arragonius hic articulo 2. Sed negatur vtraque consequentia. Inde enim solum probatur, DEVM per charitatem magis æstimatiue diligi; sicut etiam opus non est, vt quis intensius assentiatur principijs, quam conclusioni; quicquid dicat Bannes. 28

ASSERTIO III. Deus amandus est super omnia, tum obiectiue, tum appretiatiue, seu æstimatiue. Est extra controuersiam. Et primum patet ex dictis quæsito præcedenti. Nulli enim alteri velle possumus, vt sit bonum infinitum per essentiam. 29

Secundum expresse tradunt Gabriel in 3. dist. 37. q. 1. art. 2. Maior in 4. dist. 24. q. 2. Ioannes Medina Codice de pœnitentia q. 5. Sotus in 4. d. 17. q 2 a. 4. Nauarrus Manuali c. 1. n. 20. Valentia, Bannes, Aragonius, & omnes recentiores hic q. 26 a. 2. & 3. Vasquez 1. 2. cit. disp. 194. num. 14. idemq; volunt S. Thomas hic q. 26, & alij veteres Doctores, cum absolute docent, Deum esse diligendum super omnia, etsi vocabulo *appretiatiue* seu *æstimatiue* non vtantur.

Probatur. Tum quia hoc maxime requirit infinitum bonum, vt in amore rebus omnibus cæteris præferatur, adeoque secundum affectum nostrum maiori in pretio habeatur, quam res aliæ omnes: tum quia alias simpliciter Deus non diligeretur super omnia, etiamsi intensiue vel obiectiue plus diligatur. &c. Tum quia huius contrarium aperte reprehendit Scriptura Ieremiæ 2. vers. 12. & 13. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Idem volunt cætera Scripturæ loca, pro prima assertione citata. Et confirmatur: quia in hoc ipso potissi- 30

mum

mum consistit malitia peccati mortalis, quod creatura Deo in amore præfertur, vt pluribus dictum tom. 2. disp. 1. quæst. 1. dub. 5. & disp. 4. q. 1. dub. 2.

DVBIVM III.

In quo consistat amor Dei super omnia; quidue ad eum requiratur: & an sit secundum naturalem hominis inclinationem.

S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 2. & 3.

QVam necessarium est diligere Deum, saltem æstimatiue, super omnia, vt dubio præcedente dictum; tam difficile est intelligere, in quonam consistat hic amor Dei super omnia; quam rem proinde sequentibus assertionibus declaramus.

31 ASSERTIO I. Hæc dilectio super omnia non dicit, nec requirit actualem comparationem Dei cum rebus cæteris, vt nempe quis expresse statuat, potius quodlibet malum pati, seu quauis alia re carere, amoremque ipsius deserere, quam aliquid contra Deum, aut eius amorem admittere; sed consistit in ipsa ratione amoris amicitiæ erga Deum, velut bonum vndequaque summum & infinitum, videlicet non solum in ordine rerum naturalium, sed etiam supernaturalium. Ita recte Vasquez 1. 2. disputat. 194. num. 14. & 19. & est ex mente communi Doctorum.

Ratio est. Tum quia tametsi quidem comparatiuus ille affectus sit sufficiens signum amoris Dei super omnia, non tamen est necessarius, nec adeo semper præsens, quoties DEVS amatur super omnia, vt etiam in simili de contritione docetur, in materia de pœnitentia. Tum quia hoc ipso, quod DEVS amatur velut summum ac infinitum bonum, etiam iuxta æstimationem amantis, pluris fit ipso affectu DEVS, quam res aliæ omnes. Tum quia sola per se cognitio Dei, velut summi ac infiniti boni, secluſa omni creaturarum cognitione, potest vtique causare amorem ipsi obiecto proportionatum ac debitum, qualis est amor eius super omnia. Denique idem docet praxis & experientia: & vero moraliter impossibile est, quoties Deus pro debito amandus est, comparationem cum cæteris rebus omnibus instituere.

32 ASSERTIO II. Nihilominus dilectio DEI super omnia, seu formaliter, seu virtualiter, duo includit: vnum negatiuum, vt scilicet appretiatiue non solum nihil supra Deum, sed etiam nihil æquè diligamus ac Deum; alterum positiuum, vt ipso affectu Deum habeamus tanquam finem vltimum Cui, ad quem cætera omnia formaliter aut virtualiter aliquo modo referamus. Ita recte Arragonius quæst. 26. artic. 2. ex communi. Primum patet; quia per charitatem Deus, diligi debet tanquam summum & infinitum bonum, cui proinde secundum æstimationem nec præferri quidquam debet, nec æquiparari. Secundum consequitur ex præcedenti. Hoc enim ipso, quod diligitur DEVS velut summum per se bonum, habetur ac diligitur etiam ipse tanquam finis vltimus Cui, vt dictum etiam quæst. 2. dubio 1. & tom. 2. disp. 1. quæst. 1. dub. 3.

ASSERTIO III. Huic dilectioni quoad vtramque partem simpliciter & absolute loquendo, solum repugnat peccatum mortale; non autem veniale. Est communis apud citatos, & declaratur. Quia solum peccatum mortale constituit vltimum finem in creatura; peccatum autem veniale, vult ac diligit quidem aliquid aliud præter Deum, attamen non velut vltimum finem, aut summum bonum, vt dictum etiam tomo 2. disp. 1. quæst. 1. dub. 5. Atque in hoc ipso etiam consistit essentialis ratio dilectionis Dei super omnia, vt nihil diligatur contrarium charitati seu gratiæ sanctificanti, in quo fundatur amicitia erga Deum. 33

ASSERTIO IV. Ipsum tamen etiam peccatum veniale obstat perfectioni cuidam accidentali amoris Dei super omnia, seu ad Deum velut vltimum finem Cui referêtis omnia. Est communis ex dictis q. 2. dubio 6. Declaratur. Quia dupliciter intelligi potest, ad Deum velut vltimum finem positiue aliquo modo referri cętera omnia. Primo, vt stante amore charitatis erga Deum, vocula *Omnia* comprehendat ea solum, quæ referibilia sunt, etiamsi aliquid interim ametur, quod ad Deum referibile non sit, nec adeo ad Deũ vllo modo referatur. Et hoc est de essentia amoris Dei super omnia, nec per peccatum veniale vllo modo impeditur, vt patet. Secundo potest vocula *omnia* comprehendere vniuersim omnia extra Deum; & hoc sane modo peccans venialiter, hoc ipso, quod aliquid appetit seu admittit, quod ad Deum nullo modo referibile est (nempe ipsum peccatum veniale, vt tomo 2. disp. 1. q. 1. dub. 4. dictum) caret hac perfectione amoris Dei super omnia, quæ tamen solum extrinseca quodamodo est & accidentalis, vt pluribus dictum q. 2. dub. 6. Quocirca etiam Caietanus 1. 2. q. 109. a. 3. vocat hunc amorem venialiter peccãtis solum *super omnia secũdum quid*; illum autem alterum *super omnia simpliciter*; quem tamen loquendi modum non censeo imitandum. 34 35

Et secundum hæc quoque intelligi debet Vasquez 1. 2. cit. disp. 194. n. 19. cum ait, illud, *super omnia* non debere referri ad quæcunque bona, quæ diligimus, sed ad contraria; cũ quo nimirũ amore verus amor Dei amicitiæ constare nequit, &c.

ASSERTIO V. Solus charitatis Theologicæ amor erga Deum, est simpliciter & absolute super omnia. Ita supponit Vasquez n. 113, nec in re dissentiunt alij. Probatur. Quia, vt dictum q. 1. du. 1. & q. 2. dubio 2. duplex est amor Dei, amicitiæ scilicet, & concupiscentiæ: ille rursum vel naturalis est, vel supernaturalis, ad charitatem Theologicam spectans. Ex his amor concupiscentiæ erga Deum propterea non est simpliciter super omnia, non solum quia ex se non excludit peccatũ 36

mortale,

mortale, præferens creaturam Deo; sed etiam quia præcisè per ipsum Deus absolute non plus diligitur, quam ipse diligens, cum per hunc quidem amorem homo diligat seipsum, vt finem Cui, Deum vt finem Qui seu Cuius, qui ad finem Cui aliquo modo refertur.

Amor quoque naturalis erga Deum, quantumuis sit amor beneuolentiæ seu amicitiæ erga eundem (quem idcirco etiam Sotus infra, Caietanus, Medina, Zumel, & alij Thomistæ recentiores 1. 2. q. 109. a. 3. cum S. Thoma ibidem ad 1. vocant *super omnia*, nempe in suo ordine ac genere) nec ipse tamen simpliciter est super omnia. 37 Tum quia nec iste simpliciter tollit peccatum mortale repugnans amori Dei super omnia; quicquid dicat Vasquez disput. 195. cap. 2. & 3. omnem amorem amicitiæ erga Deum, esse amorem charitatis, incompossibilem cum peccato, contra S. Thomam, & omnes fere Theologos, vt dictum citat. quæst. 2. dub. 2. & tomo 2. disp. 6. quæstione 3. dub. 3. & videre est apud eundem. Tum quia per illum amorem Dei naturalem præfertur quidem Deus rebus omnibus alijs eiusdem ordinis, videlicet naturalibus, non tamen supernaturalibus; cum ad hoc genus rerum amor ille nec formaliter, nec virtualitet extendatur, vtpote consistens solum intra metas ordinis naturalis.

38 Assertio VI. Omnis verus amor charitatis erga Deum est super omnia; & quidem etiam efficax; etsi non eodem modo. Prima pars est communis Doctorum, quos citauimus, eamque tradit etiam Vasquez 1. 2. disp. 194. & colligitur ex dictis. Omnis enim amor amicitiæ erga Deum, vt summum & infinitum vndequaque bonum, est amor Dei super omnia, vt dictum: atqui omnis amor charitatis erga Deū, est amor amicitiæ erga eundem, velut summum vndequaq; & infinitum bonum. Ergo. &c.

39 Secunda pars asseritur ab eodem disp. 194. n. 36. contra Sotum, vt apparet lib. 1. de natura & gratia cap. 22. & quosdam recentiores Thomistas 1. 2. quæstio. 109. articulo 3. vbi Zumel disp. 3. conclusione 4. qui dicunt, ipsum etiam amorem super omnia erga Deum, vt bonum ac finem supernaturalem, alium esse efficacem, In ordine scilicet ad propulsanda peccata contraria diuinæ amicitiæ: alium inefficacem; hunc explicant per actum conditionatum, *vellem DEO placere in omnibus & per omnia*; quem actum etiam asserunt elici posse sine auxilio gratiæ; illum per absolutum actum *volo*.

40 Sed probatur assertio. Tum quia inefficax amor erga Deum non potest esse super omnia; quandoquidem stare potest cum affectu peccati mortalis, vt fatentur illi auctores. Tum quia omnis amor charitatis, debet esse absolutus quidam affectus, quo quis velit DEO velut amico bonum, ex studio & complacentia ipsius, & propter ipsum; quoque proinde etiam absolute quis velit Deo in omnibus, ne quid impedire possit amicitiam eius, placere. Quo fit, vt sicut recte notat Vasquez, ex vi illius, occurrente quauis occasione, efficiatur quicquid ad hoc necessarium est, & quæuis transgressio præcepti insignis eo impediatur, aut talis amor cessare debeat. Omnis igitur amor ex se efficax est ad seruandum in futurum quoduis præceptum, nisi sponte cedat contrarijs. Tum quia conditionatus ille actus per se reuera non est vllus præsens ac verus amor charitatis erga Deum, sed vt summum (iuxta dicta tom. 2. disputatione 2. quæstione 3. dub. 1.) complacentia quædam simplex de absente: qualem proinde auctores illi etiam viribus naturę haberi posse concedunt; quod tamen de amore charitatis nullo modo admitti potest, vt dictum suo loco de gratia quæst. 3. dub. 3. Tum quia alias fatendum esset, non quemuis amorem charitatis repugnare peccato mortali, idque delere, quod tamen videtur nouum in Theologia. Vnde etiam Zumel tandem concluſ. 7. asserit, affectum illum inefficacem specie distingui ab affectu supernaturalis charitatis. Accedit illud S. Gregorij homil. 30. in Euang. *Nunquam est Dei amor otiosus: operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est.*

Interim non nego, amorem Dei in genere, & 41
late loquendo, alium dici posse efficacem, alium inefficacem, cum hanc distinctionem etiam in 1. 2. loco citato de gratia secutus sim. Sed nego, amorem, qui sit verus actus charitatis, posse esse inefficacem intrinsece; etsi ab euentu omnis ille inefficax quodammodo dici possit, qui quantumuis in seipso, atque in actu primo efficax, reipsa per peccatum mortale vincitur; quod est per accidens, & ad propositum impertinens; cum id cuilibet charitati viæ, quamuis perfectissimæ, conuenire possit, vt supra dictum.

Dices; Potest homo habere simplicé affectum 42
complacentiæ de Deo, velut summo bono & supernaturali; ita scilicet, vt affectu beneuolentiæ, complaceat alicui, Deum esse summum bonum etiam supernaturale, ac finem nostrum, quo omnia referri debeant: hic autem affectus non videtur esse efficax; & tamen est affectus charitatis. Respondeo, si hic sit verus affectus complacentiæ, esse quendam affectum absolutum, quo quis simpliciter velit Deum esse summum bonum supernaturale, ac supremum finem omnis creaturæ; qui affectus cum nequeat stare cum peccato mortali, non potest esse inefficax.

Vbi simul notanda est differentia inter affe- 43
ctum simplicis complacentię de alio bono finito, & de bono diuino. Cum enim creatura sua natura non sit bonum infinitum, & finis Cui, respectu operantis, non est necesse, vt amor eiusdem formaliter aut virtualiter includat relationem ipsius operantis, omniumque actuum eiusdem ad ipsam creaturam, velut vltimum finem Cui, neque vt excludat omnem affectum erga aliam creaturā, quantumuis fruitioni prioris creaturæ repugnantē; sæpe enim videmus hominē simplici affectu ferri in voluptates carnis; cum tamen simul habeat oppositū affectū honoris, excludentē affectum seu intentionem efficacē erga voluptates carnis. At vero hoc ipso quod bonum diuinū sumum & infinitum, suaq; natura finis est omnis creaturæ, necessario amor eiusdē virtualiter

includit

includit relationem hominis ad eundem Deum, veluti finem Cui; ac simul eadem ratione excludit omnem affectum contrarium amori eiusdem boni, adeoque affectum peccati mortalis; non autē venialis vtpote cum Deo fine vltimo eiusque amore non pugnantis.

44 Nihilominus tertia pars assertionis ita facile declaratur. Quia tametsi, vt dictum, omnis verus amor charitatis erga Deum ex se efficax sit; est tamen simul quædam in ipso differentia, quod alius reipsa concipitur, & habet se per modum intentionis, cuius vi hic & nunc reipsa efficaciter media opportuna applicantur ad amicitiam Dei conseruandam. Alius vero concipi potest abstracte & absolute, per modum simplicis amoris, sine respectu ad media hic & nunc ex vi illius amoris eligēda, vt patet, quorum iste respectu prioris minus efficax est; ille magis, vt in simili etiam de actibus spei dictum. q. 1. dub. 1.

45 Assertio VII. Homo naturaliter magis inclinatur ad amandum Deum naturæ finem, quam seipsum; ac proinde amor Dei super omnia est secundum inclinationem naturalem hominis. Ita S. Thomas hic q. 26. a. 3. & 1. parte q. 60 a. 5. Caietanus, Bannes, Arragonius, alijque Thomistę ibidem, Scotus in 3. dist. 27. Richardus & Durandus dist. 29. Gandauensis quodl. 4. q. 11. Sotus l. 1. de natura & gratia c. 6. & 22. Valentia hic punct. 2. Vasquez 1. 2. disp. 194. etsi contrarium dixerint Alensis 3. parte q. 30. memb. 1. Albertus, Gabriel, Bonauentura in 3. dist. 25. Altisiodorensis lib. 3 summæ tract. 5. c. 3. q. 1.

46 Probatur assertio primo, Charitas supernaturalis & gratia non euertit, sed perficit naturam: sed illa magis inclinat ad amandum Deum supernaturaliter, ex dictis: Ergo & hæc ad magis amandum naturaliter. Secundo; voluntas cum sit appetitus rationalis, naturaliter inclinatur ad id, quod ratio naturalis dictat, & præcipit: sed hæc præcipit, Deum esse diligendum super omnia. Ergo, &c. Tertio. Omnis res naturaliter fertur præcipua quadam inclinatione in suum finem: Deus est finis naturæ hominis: Ergo, &c. Quarto; Inclinatio naturalis hominis non est per se mala & inordinata, adeoque nec ad per se malum inclinat, cum sit à Deo auctore naturæ; sed inclinatio ad magis amandum se, quam Deum, per se & intrinsece mala est: Ergo, &c. Quinto; Omne peccatum est contra naturam hominis, in quantum rationalis est, ex 1. 2. Ergo etiam inordinata illa inclinatio ad seipsum: Ergo contraria est secundum naturam.

47 Nec obstat primo. Quod appetitus saltem sensitiuus dicitur propendere ad malum naturaliter. Nam primo etiam iste per se ac formaliter solum inclinat ad obiecta sensibilia, quatenus secundum se bona quædam naturæ sunt, non autem vt per accidens ob circumstantias extrinsecas sunt mala, & cum ratione pugnantia. Secundo; Alia ratio est appetitus sensitiui, alia rationalis: hic enim per se fertur in bonum rationis, quod nunquam potest esse inhonestum; ille in bonum sensus.

Nec secundo obstat, quod *amicabilia ad alterum, sunt ex amicabilibus ad se*, ex Aristotele 9. Ethic. 9. hoc enim, vt recte notauit Sanctus Thomas quæst. 26. art. 3. ad 1. intelligitur de bonis alienis particularibus, non autem de fonte omnis boni, qui est Deus; hic enim est potius ratio amandi alia. 48

Nec tertio obstat, quod naturaliter homo magis propendet ad amandas res sibi coniunctiores. Verum enim est hoc, cæteris paribus; non autem si cætera sint valde imparia, vt in proposito.

Nec quarto difficultas eiusmodi amoris obstat, ac præsertim, quod per vires naturæ Deum super omnia diligere nullo modo possumus, vt in materia de gratia dictum; hæc enim difficultas & impotentia non oritur ex contraria per se naturæ inclinatione; sed solum ex inclinatione appetitus sensitiui, contraria per accidens & materialiter, vt & ex malis passionibus & habitibus. Quo sensu etiam Valentia loco citato asserit, si solum ad naturam hominis respiciamus, & ad nil aliud, vnde oriatur difficultas, posse Deum vt auctorem naturæ super omnia diligi per vires naturæ, de quo suo loco de gratia ex instituto actum quæst. 3. dub. 3. 49

DVBIVM IV.

An, & qua ratione, quoad bona spiritualia, nosipsos potius, quam proximum amare debeamus: contra vero plus proximū quoad bona spiritualia, vel etiā temporalia, quam nos quoad bona temporalia.

S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 4. & 5.

QVod ad ordinem charitatis inter nos & proximos attinet, tres quæstiones distinguendæ & ordine resoluendæ sunt. Primo quæritur, an & qua ratione quoad bona spiritualia nos ipsos potius, quam proximum amare debeamus; loquendo nimirum semper de maiori amore appretiatiue. De qua re sequentes assertiones statuimus 50

Assertio I. Cæteris paribus, semper charitas inclinat ad magis amandum seipsum quoad bona spiritualia, quam proximum. Ita S. Thomas hic quæst. 26. art. 4. & communis. Probatur ex Matthæi 22. vers. 39. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* vbi velut exemplar fraternæ dilectionis constituitur amor erga se. Ergo hic potior, & magis à charitate intentus est. Idem colligitur ex Aristotele 9. Ethicorum 9. asserente, *amicabile ad alterum esse ex amicabilibus ad se.* Ratio est. Quia charitas hoc ipso, quod per se maxime inclinat habentem ad amandum Deum, & vnionem cum ipso, per se etiam inclinat habentem ad ea bona sibimet potius, quam alteri procuranda, per quæ 51

fit talis vnio: hæc autem sunt bona spiritualia. Ergo. &c.

52 Vnde colligitur etiam, quicquid Capreolus infra dixerit, charitatem magis etiam, cæteris paribus, inclinare hominem ad diligendum quoad spiritualia bona seipsum, quam communitatem, vt indicat etiam Caietanus hic articulo 4. præsertim cum communitas non habeat se in genere rerum spiritualium, per modum causæ principalis, vt alioqui accidit in vita politica, vt post eundem recte notat Valentia quæstione 4. punct. 3. post quartam assertionem. Idem de B. Virgine asserit Bannes articulo 4. etsi de Christo gratiæ & charitatis fonte secus opinetur, ob contrariam rationem: habet enim se Christus quasi per modum totius, ex dictis dub. 1.

53 Assertio II. Quoad bona spiritualia, necessaria in ordine ad vltimum finem, adeoque etiam quantum ad immunitatem à peccato, magis tenetur quisq; seipsum, quam proximum, aut etiam communitatem diligere; vt proinde nullo casu liceat, cum aliquo peccato etiam veniali minimo salutem proximi procurare; etsi totius mundi salus hinc pendere videretur, Ita cum S. Thoma hic q. 26. a. 4. & Augustino in psalm. 5. docent omnes. Patet ex illo Matthæi 16. v. 26. *Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ratio est. Tum quia contradictionem implicat, peccatum vllo casu licitum esse. Tum quia Deus super omnia diligendus, vetat tali medio honorem suum procurari. Tum quia charitas nunquam inclinat ad aliquid, quod vel directe vel indirecte tendat ad sui destructionem.

54 Assertio III. Nullo etiam casu, aut fine licitum est, absoluta voluntate velle carere gratia & charitate, etiam ad tempus solum; aut in perpetuum æterna beatitudine, etiam posito, quod ea carentia sine omni peccato stare posset. Ita Valentia quæst. 4. punct. 3. Caietanus, Bannes, & Arragonius hic q. 26. a. 4. contra Capreolum in 3. dist. 27. q. 1. a. 3. qui vniuersim existimans, secluso peccato, teneri quemque bonum spirituale commune anteferre bono spirituali proprio; existimat etiam, quemque posse ac debere, si peccatum abesset, velle carere beatitudine, si quidem id necessarium foret ad bonum spirituale commune.

Sed contrarium colligitur ex ratione primæ assertionis. Accedit quod quamuis carentia illa peccato vacare, adeoq; formaliter mala non esse ponatur, est tamen secundum se obiectiue mala, vt homicidium inuoluntarium; quod proinde velle non licet, ex materia de peccatis quæst. 8. dub. 7.

55 Illud Moysis Exodi 32. vers. 31. & 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti:* vel hyperbolice & secundum quandam exaggerationem dictum accipiendum est; aut sermo est de libro principum Israël, vt videre est apud Vasquez 1. part. q. 24. Illud vero Apostoli ad Roman. 9. v. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis*, ad præteritum solum tempus, quo Apostolus persequebatur Christum & Ecclesiam, refertur, vt cum Hieronymo & Caietano notarunt Sa ibidē, Vasquez loc. cit. & significatur in ipsis Biblijs Romanis loco citato in margine.

Assertio IV. Licitum tamen est, habere 56 conditionatam voluntatem illis carendi, si hoc Deo placeret. Ita Valentia loc. citat. Quia talis conditio adiecta purgat malitiam talis actus, vt tomo 2. de peccatis dictum q. 8. dub. 7. estque simul hic affectus, signum animi Deo plane subiecti, nec in vllis bonis creatis, qua præcise hominis bona sunt, vltimate conquiescentis.

Assertio V. Bona illa spiritualia, quæ sub 57 præceptum non cadunt, nec ad salutem animæ necessaria sunt, possunt, & nonnunquam etiam debent, propter salutem spiritualem, aut etiam temporalem proximi negligi. Ita ex communi Valentia loc. cit. Arragonius hic a. 4. Talia sunt ingressus religionis, oratio vel meditatio, hic & nunc non debita &c. Et in specie Arragonius: *Probabile*, inquit, *est, quod pro salute spirituali communi alicuius Reipublicæ, potest quis & debet ad certum tempus velle pati aliquam iacturam* (citra culpam tamen) *in bonis spiritualibus. Itaque si aliquis concionator*, inquit, *ex eo, quod vacat concionibus, & curat aliorum salutem, experitur se esse minus feruidum in oratione, quam cum vacabat vitæ omnino contemplatiuæ, ille poterit & debebit (si intelligit suam doctrinam esse necessariam) pati huiusmodi iacturam deuotionis, propter communem aliorum salutem.*

Prima pars assertionis de *posse* patet. Quia 58 quod hic & nunc nulla lege præcipitur, potest ob bonum finem prætermitti; & vero etiam ipsa præcepta humana subinde, ob præsentem necessitatem propriam, vel alienam, desinere obligare, in materia de legibus dictum est, quæst. 6. dub. 5.

Secunda pars, quod *debeant* &c. Probatur ex illo ad Philippenses 1. vers. 23. & 24. *Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum CHRISTO, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium, propter vos.* Ratio est. Quia aliquando necessitas proximi, omnibus spectatis, adeo præponderat proprio eiusmodi commodo, vt recta ratio hoc illi plane postponendum iudicet; præsertim cum alias etiam sæpe actus ex obiecto minus fructuosi & boni, præ alijs præstantioribus sub præceptum cadant; nec tam spirituale bonum proprium tali casu negligatur, quam in aliud commutetur. Id vero in particulari quando accidat, partim ex particularibus circumstantijs, facta comparatione spiritualis damni nostri, & necessitatis proximi, prudenti iudicio discernendum est, partim alibi in varijs locis dicendum.

Secundo quæritur, An & quomodo teneamur bona spiritualia proximorum anteferre proprijs bonis temporalibus. De hac re esto

Assertio I. Absolute loquendo, magis te- 59 nemur amare proximum quoad animam, quam nosipsos quoad corpus, & bona temporalia. Ita Sanctus Thomas quæstione 26. articulo 5. & communis, post S. Augustinum lib. 1. de doctr. Christ. cap. 27. vbi hoc ordine obiecta à nobis

diligenda

diligenda commemorat, Deum, animam nostrã, animam proximi, & corpus nostrũ, ac proximi. Probatur. Quia illud magis ex charitate diligendũ est, quod habet perfectiorem rationẽ diligibilis ex charitate: Sed consociatio in plena & intellectuali participatione beatitudinis, quæ est ratio diligendi proximum, est maior ratio diligendi ex charitate, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ est ratio diligendi proprium corpus. Ergo &c.

60 Assertio II. In extrema necessitate spirituali proximi, si spes certa sit eum iuuandi, nec aliundè maius incommodũ ex subuentione timeatur, quisque, si aliter iuuari proximus non possit, tenetur etiam vitam pro eo exponere. Ita S. Thomas loc. cit. ad 3. & q. 44. a. vlt. ad 2. Bannes, Arragonius ibidẽ, Valentia q. 4 punct. 3. Et communis Doctorum in 3. dist. 27. & 29. Probatur ex illo 1. Ioann. 3. v. 16. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Item Ioann. 15. v. 12. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Et Augustinus de mendacio cap. 6. *Temporalem*, inquit, *vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* Ratio colligitur ex dictis; quia absolutè magis tenemur amare salutem spiritualem proximi, quam corpus nostrum & vitam, vt assert. præced. dictum.

61 Vocatur autem extrema necessitas spiritualis, quando proximus est in certo æternæ damnationis periculo constitutus, à quo seipsum moraliter non possit eripere. In quali periculo v. g. versantur multi infideles, præsertim apud Indos, habentes inuincibilem ignorantiam fidei Christianæ, vt rectè dixit Nauarrus cap. 24. Manualis n. 10. Eadem necessitas sæpe continget, si quando occultè hæresis in aliquo populo rudi spargatur. In eodem periculo versatur infans moribundus nondum baptizatus, qui proinde etiam cum vitæ periculo baptizandus est, iuxta Bannem hic a. 5. & Valentiam cit. punct. 3. contra Sotum lib. de tegendo secreto memb. 2. q. 2. cuius sententiam probabilem censet Sa V. Charitas.

62 Dixi tamen in conclusione, *si spes certa sit* &c. Nam si spes incerta sit, vix vnquam ex charitate obligabitur quispiam, ad tantum onus, vt supponunt omnes; etsi ratione officij etiam cum probabili tantum spe subueniendi, in extrema necessitate, obligari videantur Episcopi, parochi, & Prælati, respectu subditorum, vt ijdem significant.

Dixi secundò, *Nec aliundè* &c. Nam si vel mea opera alijs sit magis vtilis & necessaria, aut alioqui maius damnum alijs, aut Reipublicæ, ex subuentione oriturũ sit, maiusue aliud bonũ impediendum, tum potiùs minus illud malum permittetur, vt euitetur maius.

63 Assertio III. In graui solùm, eaque priuata necessitate spirituali proximi, in qua videlicet is non absque magna quadam difficultate saluti suæ consulere potest, etsi quisque, cum potest, ex charitate teneatur ei subuenire, etiam cum nonnullo dispendio bonorum temporalium; non tamen cum probabili vitæ periculo. Ita citati. Prima pars colligitur ex 1. assertione. Secunda patet ex eo, quia contrarium nusquam probatur, nec est sine fundamento suaue per se onus charitatis tantopere aggrauandum.

Dixi tamen primò, *in priuata.* Quia in communi est alia ratio, eo quod grauis necessitas spiritualis communitatis, nunquam ferè est sine extrema priuatorum. Dixi secundò, *Ex charitate.* Quia aliundè potest esse obligatio, vt infrà dicetur. Vnde colligitur, inuasorem iniquum, etsi perpetuò damnandum, si ad defensionem propriæ vitæ opus sit, licitè occidi, vt rectè citati. Quia iste non est in extrema necessitate spirituali, sed potius in extrema malitia.

64 Assertio IV. Episcopi, parochi, & prælati, ex officio curam animarum habentes, tenentur ratione officij, pro sibi commissis, & spirituali eorum salute, etiam in graui solum necessitate, vitam suam exponere, si spes certa sit subueniendi. Ita communis apud citatos. Ratio est. Quia isti ex iustitia & officio, adeoque longè arctius tenentur subuenire sibi commissis. Non ausim tamen asserere, eos ad hoc teneri, si non sit spes certa iuuandi, licet id asseruerim suprà in casu extremæ necessitatis, in quo conueniens est, vt magis obligentur, quàm in graui tantum.

65 Assertio V. Pastores proinde animarum tempore pestis nec fugere licitè possunt, nec officium deserere; sed obligantur ad sacramenta, aliaque necessaria subsidia spiritualia suis ouibus administranda. Ita citati. Et colligitur ex præcedenti assertione. Accedit illud Ioann. 10. v. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis: mercenarius autem fugit.* Confirmatur. Quia ob hoc maximè dato stipendio conducuntur à subditis, vt in necessitate spirituali subsidium ab eis habeant. Quocirca nec magis eis fugere licet, quàm militibus ad bellum conductis, hoste imminente. Quod si tamen idoneus aliquis ad obeundum munus pastorale se offerret, ei posset alter licitè munus id committere, aut resignare, nec id merito possent ægreferre subditi, vt ex communi rectè notauit Valentia cit. q. 4. pun. 3.

66 Assertio VI. In quacunque necessitate spirituali, quiuis tenetur saluti proximi prouidere, dum facilè & sine magno dispendio suo, vel rei temporalis potest. Ita citati. Et probatur ex Ecclesiastici 17. v. 12. *Et mandauit illis, vnicuique de proximo suo.* Matthæi 18. v. 5. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum &c.* Ad Ephesios 4. v. 32. *Estote inuicem benigni, misericordes &c.* Et præcedit ratio ibidem v. 25. *Quoniam sumus inuicem membra &c.* Ratio est. Quia etiam in temporali necessitate ad hoc tenemur, seruata proportione. Exodi 23. v. 5. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.*

Quòd si tamen necessitas proximi sit leuis, communiter non erit plus quàm veniale, hoc charitatis officium prætermittere; nisi cum quis ex officio curam animarum habet, qui etiam in casu magnæ solùm vtilitatis, ex graui obligatione, postulantibus subditis adesse tenetur, vtpote ad hoc ipsum etiam stipendio conductus, vt de sacramentis docetur.

67 ASSERTIO VII. Nemo tamen, per se loquendo, tenetur inquirere in eiusmodi necessitates; nisi quis sit Episcopus, Parochus, aut Prælatus, hi enim in necessitates suorum subditorum etiam inquirere tenentur: alijs sufficit, si vltrò occurrentibus modo explicato subueniant. Ita etiam citati. Quo fit, vt multis modis illi strictius obligentur ad subueniendum, quàm cæteri. Plura inferius de correctione fraterna, & scandalo.

68 Tertiò quæritur, an & quomodo possimus aut debeamus, etiam quoad bona temporalia, proximum nobis anteferre.

69 ASSERTIO I. Bonum commune, in his bonis, per se loquendo, præferendum est proprio. Ita S. Thomas q. 32. a. 6. & significat hic q. 26. a. 3. 4. Caietanus, Valentia, communis ibidem. Pars enim naturaliter magis diligit bonum totius, quàm proprium, in ijs scilicet rebus, quæ à bono totius propriè dependent.

70 ASSERTIO II. In extrema proinde necessitate etiam merè temporali, subindè à priuatis etiam vita exponenda est, pro salute Reipublicæ. Significat S. Thomas loc. cit. & est communis apud Valentiam q. 4. p. 3. & extra controuersiam, si loquamur in casu, quo quis ex speciali officio seu pacto Rempublicam defendere tenetur, vt miles in bello, dux in exercitu &c. Ad hoc enim illi conducti sunt, vt cum vitæ periculo Rempub. defendant.

71 ASSERTIO III. An verò, secluſa obligatione speciali eiusmodi officij seu pacti, adeoque ex nuda obligatione charitatis, in necessitate merè temporali, quamuis extrema Reipublicæ, teneatur quis vitam exponere, non constat. Richardus quidem in 4. dist. 45. a. 2. q. 5. & Syluester V. *Ecclesia* n. 2. significant, id esse tantum consilij, quo modo ferè etiam loquitur S. Thomas q. 32. a. 6. Durandus autem in 4. dist. 17. q. 6. simpliciter negat, pro communi bono temporali & politico mortem oppetendam esse; etsi fateatur, teneri quemque pro conseruatione boni communis (eius solum Reipublicæ, cuius ipse pars est) in quo etiam bonum proprium includatur, subinde se objicere mortis periculo, ex quo tamen verisimiliter speret se euasurum. E contrario Aristoteles 9. Ethic. cap. 8. & Cicero de Amicitia, naturalis rationis ductu, simpliciter videntur sentire, cuilibet ciui pro incolumitate Reipublicæ etiam mortem oppetendam, cum id necessitas postulat. E quibus nulla sententia ita certa est, vt alijs suam probabilitatē adimat.

72 ASSERTIO IV. Etsi quidem quoad vitam, famam, libertatem, aliaque eiusmodi bona necessaria, si sola hæc inter se conferantur, magis sit charitatis inclinationi consentaneum, cæteris paribus, seipsum potiùs, quàm proximum diligere; attamen per se loquendo, vbi vita solum cum vita comparatur, honestum ac laudabile est, intuitu amicitiæ, pro amico seu quolibet proximo etiam mortem oppetere. Prima pars est communis apud Valentiam. Quia amor honestus sui, est regula amoris proximorum, vt dictum.

73 Secundam partem tradit S. Thomas in 3. dist. 29. q. 1. a. 5. ad 3. & lib. 1. de regimine Principum, idemque significat hic q. 26. a. 4. ad 2. Consentiunt Bannes & Arragonius ibidem, Valentia q. 4. punct. 3. Victoria relectione de homicidio. Et est doctrina ac sensus SS. Patrum, atque etiam Philosophorum apud eosdem, præcipuè Aristotelis loc. cit. quicquid nonnulli in contrarium dixerint, in quibus Durandus loc. cit. n. 12. asserit, licitum esse, probabili solum, non autem certo vitæ periculo, pro amico & bono communi temporali se exponere. Paludanus quoque in 4. dist. 15. q. 1. docet, nullo modo esse licitum negligere propriam vitam, pro conseruanda vita proximi; quem *communiter*, inquit Arragonius, *sequitur ferè maior pars Neotericorū*. Sed probatur assertio ex Ioannis 15. v. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

74 Ratio est. Quia qui honestatis amore ductus, tam eximio officio colit amicitiam, adhuc simpliciter loquendo, seipsum plus diligit, quàm proximum, vt prudenter etiam Aristoteles ibidem, & S. Thomas citatus in 3. notârunt. Accedit, quòd nemo teneatur tanta cum difficultate, quanta est in proximi interitu negligendo, vitam seruare, vti nec per exquisitissima quædam & pretiosissima, aut acerbissimi doloris remedia v. g. in membri abscissione perferenda. Eadem ratione asserit Sa V. *Homicidium* n. 17. & 18. post alios, neminem teneri occidere vnum, vt vel seipsum, vel etiam alterum, quamuis innocentem defendat; etsi possit, saluo moderamine inculpatæ tutelæ, de quo suo loco de homicidio. Accedunt exempla Sanctorū, vt Paulini, qui pro altero seruituti se addixit, & Sanctuli presbyteri, qui pro diacono ceruicem gladio subiecit, apud S. Gregorium 3. Dialog. cap 1. & 37 Admirabilius minusque imitandum est exemplum S. Emerani Episcopi, qui in dignitate Ecclesiastica constitutus, non solum vitam, sed etiam famam pro salute corporali nocentis hominis, quantum in se erat perdidit. Plura infra de Eleemosyna.

DVBIVM V.

An, & quis in ipsis proximis diligendis ordo seruandus sit; & an ordo charitatis maneat in patria.

S. Thomas q. 26. a. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. 13.

75 ASSERTIO I. Est in ipsis quoque proximis diligendis ordo quidam seruandus, non solùm quoad externum beneficentiæ & charitatis effectum, sed etiam quoad internum amoris affectum. Ita ex communi, & certa S. Thomas hîc q. 26. a. 6. post Aristotelem 9. Ethic. 2. quicquid nonnulli apud Magistrum, & S. Thomam ibidem, de interno amoris affectu in contrarium dixerint, quibus nonnihil fauet Augustinus lib. 1. de doct. Christ. cap. 28. vbi dicit, *omnes homines æquè diligendos esse*. Sed vbi accepit voculam *æquè* non pro æqualiter, sed pro *pariter*, hoc est, omnes sine exceptione: cum tamen in ipso effectu non omnibus sæpe subueniri possit, vt ibidem declaratur.

Proba-

Probatur assertio ex 1. ad Timotheum 5. v. 8. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* & ad Galatas 6. v. 10. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* vbi licet quidem præcipuè de externis effectibus amoris sermo sit, ex consequenti idem colligitur de affectu interno, ex quo externa amoris signa proficiscuntur. Ratio est. Quia ratio diligendi, quæ est coniunctio vel cum Deo, vel cum amante, in diuersis diuersa est.

76 Assertio II. Magis quidem obiectiuè, amore complacentiæ, amandi sunt meliores & sanctiores, adeoque Deo coniunctiores, attamen interim coniunctioribus nobis, quantum in nobis est, desiderare atque etiam procurare possumus maiora bona spiritualia. Ita cum S. Thoma q. 26. a. 7. Caietanus, Bannes, Arragonius ibidem, & Valentia q. 4. punct. 5. ex communi, contra Durandū in 3. dist. 29. q. 1. quià posteriori parte dissentire videtur. Ratio est. Quia istis ex vnà parte non deest capacitas eiusmodi bonorum: ex alterà parte hoc ipso, quòd coniunctiores sunt, rectè alijs possunt præferri.

77 Assertio III. Per se loquendo, & cæteris paribus, non solùm in necessitate corporali & temporali quâcunque; sed etiam in spirituali, saltem extremâ, sanctioribus & quibuscunque alijs, etiam spirituali coniunctione nobis propinquis, simpliciter anteferendi, adeoque magis quàm alij appreciatiuè diligendi videntur carnali coniunctione nobis proximè coniuncti, vt parentes, filij, fratres carnales, maritus, vxor. Colligitur ex S. Thoma q. 26. a. 7. & 8.

Et prima pars, quoad necessitatem temporalem, est communis, & certa adeò, vt hic ordo in graui materiâ etiam sub mortali obliget. Ratio est. Quia vt ex Aristotele 9. Ethic. 2. rectè docet S. Thomas q. 26. a. 8. in quolibet bonorum ordine, per se loquendo, magis diligendi sunt coniunctiores nobis secundum eundem ordinem, adeoque in ijs, quæ ad naturam spectant, magis consanguinei: in ijs, quæ pertinent ad ciuilem conuersationē, conciues: in rebus bellicis, commilitones, adeoq; dux exercitus magis, quam parentes.

78 Secundam partem tradit Bannes q. 26. a. 8. rectè tamen addens, hunc ordinem peruertere per se, non esse graue peccatum; non solùm quia excessus coniunctionis in hoc genere non est admodum notabilis; naturalis enim coniunctio prior quidem est, antiquior, firmior, magis intrinseca, & sic etiam absolutè loquendo maior, quæ est nostræ sententiæ ratio; spiritualis tamen coniunctio est dignior & perseuerantior: sed etiam quia contrarium non improbabiliter absolutè asserunt Caietanus ibidem, & Valentia loc. cit.

Dixi tamen primò, *cæteris paribus*, adeoque seruatâ debitâ proportione coniunctionis in vtroque ordine; nam alioqui probabilius est, filium spirituale v. g. præferendum fratri carnali. Dixi secundò, *in extremâ necessitate*, quia extra necessitatem extremam, rectius præferuntur filij spirituales carnalibus, vt colligitur ex S. Thoma a. 8. ad 2. quia illis ex proprio officio ad hoc obstringimur.

Assertio IV. Quoad bona spiritualia, cæteris omnibus, præter consanguineos proximos iam dictos, præferendi sunt spiritualiter nobis coniuncti, vt spirituales patres, filij, fratres. Ita cum S. Thoma cit. a. 8. ad 2. omnes. Ratio patet ex dictis; quia in hoc bonorum genere isti sunt nobis magis coniuncti. 79

Assertio V. Secundum bona debita seu necessaria magis diligendus est benefactor, quàm ille cui benefecisti, licet hunc alioqui diligere facilius sit. Ita S. Thomas q. 26. a. 12. præsertim ad 2. ex communi. Probatur. Quia ad benefaciendum benefactori, præter communem legem charitatis, obligat peculiare debitum gratitudinis, ad benefaciendum alijs non item. 80

Assertio VI. Omnibus benefactoribus per se loquendo, præferendi sunt parentes, & filij. Primum de parentibus ex communi docent S. Thomas q. 26. a. 9. & infrà q. 31. a. 3. ad 3. Magister in 3. dist. 29. & apud eundem Origenes & Hieronymus, & insinuat Aristoteles 8. Ethic. vlt. & lib. 9. cap. 2. idque contra quendam Gerardum fusius defendit Buridanus 9. Ethic. q. 3. Ratio sumitur ex summo & tam diuturno beneficio & affectu parentum in filios. 81

Secundum de filijs intelligitur tum ex naturali propensione parentis in filium; tum quia hic maximè coniunctus est parenti. Interim si quis benefactorem, cuius periculo vitam ipse seruauit, filio præferret, absolutè damnandus non esset; cum res non adeò sit certa.

Qua de causa etiam Arragonius q. 26. a. 8. post Victoriam, Canum, & Sotum ait: *Quod si fiat comparatio inter amicum redemptorem, & filium, ambobus in extrema necessitate existentibus, pro libito posset vnusquisq; huic vel illi subuenire*, quin etiam per accidens fieri potest, vt tam parentibus, quàm filijs, iure præferri possit, etsi non debeat, insignis eiusmodi benefactor, si nimirum parens è contrario admodum fuerit erga filium impius & crudelis, aut hic erga illum contumax, vt ex communi docent Valentia & Bannes: idque multò verius est in fratribus, quos tamen ipsos fortasse nemo quantumuis magno benefactori extraneo posthabere teneatur, etsi contrarium sentiant Bannes & Arragonius loc. cit. Secus est de alijs consanguineis minus coniunctis; his enim fieri potest, vt etiam sub mortali peccato tenearis alium insignem benefactorem præferre, vt docent ijdem Bannes & Arragonius, post S. Thomam q. 26. a. 10. & Ambrosium apud Magistrum in 3. d. 29. asserentem *bonos domesticos esse malis filijs præferendos.* 82

Assertio VII. Comparando ipsos consanguineos inter se, in extremâ necessitate, patri ante omnes, hinc matri, deinde filijs, postea marito vel vxori, postremò fratribus subueniendum videtur. Ita Bannes, Valentia & Arragonius loc. cit. & colligitur ex S. Thoma q. 26. a. 9. 10. & 11. & q. 31. a. 3. ad 4. Magistro in 3. dist. 29. Bonauentura q. 4. Gabriele q. 1. quicquid isti duo alioqui dicant, naturam magis ferri in filium, quàm in patrem. Ratio est. Quia saltem moraliter rem æstimando, excellentior & potior ad illos, quàm ad istos videtur esse coniunctio esto alioquin physicè 83

magis quodammodo diligenti coniunctus sit filius, quam pater, vt docet S. Thomas cit. a. 9. ex Aristotele 9. Eth. c. 12. 1. quia Parentes diligunt filios, *vt aliquid sui existentes*. 2. quia Parentes *magis sciunt*, aliquos esse suos filios, quam è conuerso. 3. quia filius est magis propinquus parenti, vtpote *pars existens*, quam pater filio ad quem habet habitudinem principij. 4. quia parentes *diutius amauerunt*: his enim omnibus cedit, quod filius habet suum esse à parentibus: in quibus ipsis cum Pater habeat rationem principij actiui & nobilioris, iure præfertur matri, iuxta S. Thomam art. 10.

Et præcipuè notandum, quod ait S. Thomas a. 9. ad 3. *In necessitatis articulo obligatus est filius ex beneficijs susceptis, vt parentibus maximè prouideat.* Quocirca etiam hanc conclusionem ex eius mente extendendam esse putarim ad quamuis notabilē corporis necessitatem, seruatâ proportione, & cæteris paribus, licet Arragonius a. 11. putet, extra casum extremæ necessitatis, magis subueniendum coniugi; quin etiam Sa v. *Charitas* n. 3. simpliciter vxorem matri præferat.

84 Assertio VIII. Extra talem necessitatem, quoad bona tum temporalia, tum spiritualia, quæ spectant *ad perficiendum, aut promouendum bonum illud, quod habet homo vltra suum esse*, filij Parentibus, & coniunx quoad mutuam cohabitationem, & domestica obsequia, tam filijs, quàm parentibus præferendi sunt. Ita docent citati. Et colligitur ex Aristotele 9. Eth. 2. & S. Thoma loc cit præcipuè a. 9. vbi ait; *Parentibus magis debetur honor, filijs autem magis cura prouisionis.*

Ratio primæ partis est; quia filij non *debent thesaurizare parentibus, sed parentes filijs.* 2. Corinth. 12. v. 14. Secunda pars patet ex Genes. 2. v. 24. *Quamobrem relinquet homo Patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Imò & filijs, extra necessitatem extremam, simpliciter præferendam esse coniugem, nonnulli putant, & indicat Caietanus a. 11

85 Assertio IX. Ea, quæ hactenus dicta sunt, intelligenda sunt per se, & cæteris paribus, adeoque respectu eiusdem necessitatis & gradus, licet in diuerso coniunctionis genere, vt rectè etiam indicauit S. Thomas a. 10. & apertius q. 31. a. 3. Alioqui enim dubium non est, potius extraneo in extrema necessitate, quàm consanguineo in leuiore, & in spirituali extrema cuiuis proximo potius, quàm parentibus etiam in extrema corporali subueniendum esse. Similiter quoque, si dispar sit coniunctionis gradus, semper inter humana solum coniunctione nobis coniunctos insignis aliquis amicus, aut Pater spiritualis præferri poterit, & nonnunquam etiam debebit consanguineis, non nisi remotiore gradu nobis propinquis, vt superius diximus, & notauit etiam Valentia loc. cit.

Assertio X. Quinetiam his non obstantibus, 86
si quis præscripto quoad consanguineos ordine neglecto, filios parentibus, aut matrem patri, aut coniugem tam parentibus, quàm filijs bona fide præponeret, is non esset peccati mortalis condemnandus. Supponunt hoc communiter omnes, speciatim Arragonius a. 11. Ratio est non solum, quod in re non admodum manifestâ, facilè excusari potest ignorantia, & bona fides; quin etiam per accidens interuenire aliquid, ob quod secus agendū, quàm dictū est: Sed etiam quia non videtur tantus excessus coniunctionis, seu amabilitatis in istis, vt sufficiat ad obligationē adeò grauem inducendā. Vnde etiam S. Thomas hac de re disserens ait; *hos diuersa ratione se mutuò excedere, & à se vicissim excedi*, ita quidem, vt parentes sint obiectum melius & præstantius, adeoque ex parte obiecti magis amandi, quàm filius & coniunx, sed minus tamen ratione coniunctionis ad ipsum diligentem, seu ex parte diligentis.

Quod ad secundam partem dubitationis attinet, 87
vtrum videlicet ordo charitatis maneat in patria. Respondeo cum S. Thoma q. 26. a. 13. manere quidem eatenus, quatenus & illic Deus super omnia diligendus, & obiectiuè, amore videlicet complacentiæ, plus diligendi illi, qui sanctiores & beatiores, & intensius, id est, firmius, & magis appretiatiuè ipsemet diligens, quàm cæteri beati: attamen factâ comparatione ipsorum beatorum inter se, non omnino eodem modo rem se habere, sicut se habet in viâ, hîc enim sanctioribus simpliciter præferuntur in amore, quoad æstimationem, coniunctiores nobis, quia videlicet isti indigi & capaces esse possunt maioris boni, quàm habeant reipsa nunc sanctiores: at in cœlis, vbi omnis eiusmodi indigentia & capacitas cessat, sanctiores absolutè & simpliciter præferri coniunctioribus, ita vt rationabiliter non possimus nobis coniunctioribus maiora bona velle vel optare, quia non sunt eorum capaces, sed quisque beatus sua sorte & conditione contentus est, vt diximus tom. 2. disp. 1. q. 4. dub. 1.

QVÆSTIO IV.

De actibus & effectibus internis & externis Charitatis; adeoque etiam de Misericordia & Beneficentia, deque dono Sapientiæ Charitati respondente, ac præceptis charitatis.

S. Thomas 2.2. q. 27. 28. 29. 30. 31. 44. 45. & 46.

ABsoluetur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. De varijs actibus & effectibus charitatis speciatim internis, vt amore, gaudio, & pace. II. De Misericordia & Beneficentia ad externos charitatis actus spectantibus. III. De dono Sapientiæ Charitati respondente. IV. De præceptis Charitatis, speciatim quod & quotuplex de dilectione præceptum extet, & num in hac vita impleri possit, & quandonam obliget.

DVBIVM

DVBIVM I.

De variis actibus & effectibus charitatis; speciatim internis; vt amore, gaudio, & pace.

S. Thomas 2. 2. q. 27. 28. 29.

1 HAbent omnes actus & effectus charitatis magnam inter se connexionem; nec prolixam explicationem deposcunt; quos proinde facile hoc & sequenti dubio declarabimus, doctrinã S. Thomæ hac de re velut in summam contrahendo; & vbi opus erit, additis notationibus illustrando. Quæritur primo, quinam & quotuplices sint actus charitatis. Respondetur ex doctrina S. Thomæ locis cit. sequẽtibus assertionibus. I. Actus charitatis generatim sunt duplices; interni scilicet & externi. Habetur ex S. Thoma q. 27 & 31. Ratio sumitur ex similitudine aliarum virtutum; quarum actus quidem præcipui & immediate eliciti, sunt interni: alij verò, quia in materiam seu effectum externum transeunt, nec in ea recipiuntur potentia, in qua est ipse virtutis habitus, vocantur externi, itemque secundario eliciti, seu per se primo imperati, vt dictum disput. 1. q. 7. dub. 1.

2 Assertio II. Actus interni charitatis rursum varij & multiplices sunt, quidam enim in prosecutione boni diuini per se amabilis consistunt: alij in fuga oppositi mali. Ex internis primarius, & quasi fons ac origo cæterorum, est amor amicitiæ, in voluntate situs, quo diligimus Deum propter se, & nos ipsos, ac proximum propter Deum, vt dictum q. 2. dub. 1. & q. 3. dub. 1. Secundus est desiderium boni absentis, in gratiam ipsius Dei propter se amati: Tertius est gaudium de bono amici. Actus in fuga consistentes sunt, odium, timor, & dolor de peccato, prout formaliter malum quoddã Dei est.

3 Colligitur ex S. Thoma q. 27. vbi dilectionem *principalem actum charitatis* vocat. Et q. 28. a. 4. & q. 29. a. 4. optime docet, eiusdem virtutis esse, ferri in suum obiectum, tum absolutè actu amoris, tum actu desiderij, quatenus nondum possidetur; tum actu delectationis siue gaudij, quatenus seu perfecte seu imperfecte possidetur. Et rursum q. 28. a. 1. ad 2. docet, ad eandem virtutem pertinere aliquod bonum prosequi, & malum ei oppositum refugere, vt docuimus etiam supra de spe q. 1. dub. 1. & 3.

Sub desiderio autem comprehenditur etiam spes ipsius boni diuini per se amabilis; quia in appetitu rationali spes & desiderium non differunt, vt suo loco dictum. Alia verò est spes ad amorem concupiscentiæ pertinens, vt dictum q. 1. dub. 1. Ad supradictos actus charitatis maximè verò ad amorẽ pertinet etiam pax, vt inferius ex S. Thoma dicetur.

4 Assertio III. Actus externus charitatis communi nomine beneficentia dicitur: quæ tamen rursum varios actus amoris continet; tum qui directe corpori proximorũ, tum qui animæ prosunt: sub quibus proinde comprehenduntur etiam opera misericordiæ, tam corporalia, quam spiritualia. Colligitur ex S. Thoma q. 31. initio, vbi ait: *Deinde considerandum est de exterioribus actibus, vel effectibus charitatis. Et primo de beneficentia; secundo de eleemosyna, quæ est quædam pars beneficentiæ; tertio de correctione fraterna, quæ est quædam eleemosyna.*

Vbi tamen notandum, eleemosynam dici partem beneficentiæ, non quod formaliter, quatenus actus eleemosynæ seu misericordiæ est, sit actus charitatis, sub beneficentia comprehensus; siquidem misericordia, cuius actus formaliter est eleemosyna, virtus est à charitate distincta, vt docet S. Thomas quæst. 30. a. 3. ad 3. & inferius pluribus dicetur: sed quia certe eleemosyna vtraque, tam corporalis, quam spiritualis, materialiter est, aut saltem esse potest actus charitatis, adeoque pars quædam subiectiua beneficentiæ.

Quæritur secundò, quid sentiendum sit de principali illo actu charitatis, qui est amor; quis & qualis sit &c. Respondetur ex doctrina S. Thomæ seqq. assertionibus. 5 Assertio I. Amor beneuolentiæ ad charitatem pertinens generatim non est nuda beneuolentia, qua alteri bonum volumus, sed est beneuolentia coniuncta cum quadam vnione affectus erga rem amatam. Ita ex Aristotele 9. Ethic. cap. 4. & 5. docet S. Thomas quæst. 27. a. 2. afferens exemplum de duobus pugilibus, quorum alteri sæpe victoriam cupimus, licet eum interim non dicamur amare. Ratio est; quia velle bonum alteri, accidit varijs de causis; non solum ex affectu seu inclinatione ad personam amatam, quod proprium est amoris beneuolentiæ, sed etiam propter bonum nostrum, aut amici, vel ob spectatam eiusdem miseriam, &c.

6 Assertio II. Charitatis magis proprium est amare, aut velle amare, quam amari, aut velle amari. Ita S. Thomas quæst. 27. a. 1. ex Aristotele 8. Ethic. cap. 8. vbi ait; *Amicitiam magis consistere in amare, quam in amari.* Ratio est; quia magis conuenit vnicuique, quod conuenit ei per se & substantialiter, quam quod conuenit ei per aliud: sed charitati per se conuenit amare, cum sit hic actus eius proprius, ad quem secundum essentiam suam habet inclinationem: amari autem solum conuenit ei per aliud, prout ab eo, velut obiecto, *alius ad actum charitatis mouetur.* Accedit duplex eius rei signum: 1. quia amici *magis laudantur* ex hoc, *quod amant* quam ex hoc, *quod amentur*: quin imo *si non amant & amentur, vituperantur*, 2. Quia matres, quæ maxime amant, plus quærunt amare, quam amari, vt docet etiam Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 8. Nec obstat, quod *propter amari aliqui amant*, iuxta Augustinum lib. de catechizandis rudibus cap. 4. hoc enim fit *non quod amari sit finis eius, quod est amare, sed quia est via quædam & motiuum ad hoc inducens, vt homo amet*; ita scilicet vt vocula *propter*, non dicat causalitatem finis, sed causalitatem motiui inducentis ad amandum (ad causam materialem spectantis) vt docet S. Thomas eodem a. 1. ad 3.

7 Assertio III. Deus per charitatem amatur propter se, tanquam summum & infinitum bonum per se amabile; ita vt in nullo genere causæ ametur propter aliud tanquam ob causam amandi; nec in genere causæ formalis, quia ratio formalis est ipsa infinita Dei bonitas; nec finalis,

quia Deus ipse per charitatem diligitur tanquam supremus finis cui, omnis creaturæ, ad quem referimus omnia vt dictum q. 2. dub. 1. neque in genere causæ efficientis, quia Deo bonitas conuenit, non ab alio, sed ab ipso omnibus alijs: nec in genere causæ materialis; quia ratio amandi non est bonitas in alios effusa, sed in ipso Deo formaliter existens. Ita S. Thomas q 27. a. 3. & constat ex dictis q. 2. dub. 1.

8 ASSERTIO IV. Potest tamen amari Deus etiam amore charitatis propter beneficia in nos collata, velut ob motiuum ac dispositionem quandam, ex parte subiecti amantis (quæ ad causam materialem reuocatur) prouocantem ad amorem. Ita S. Thomas ibidem. Ratio est; quia ratio formalis & vltimata amandi, quæ est in ipso Deo, non excludit motiua subordinata, & dispositionem ex parte nostra, quæ ad amandum prouocet; qualia solent maxime esse accepta beneficia. Nihilominus enim ratio formalis & vltimata Deum amandi amore charitatis, semper est ipsa Dei bonitas per se amabilis, abstrahendo ab omnibus bonis, quæ nobis à Deo proueniunt.

9 Interim verò posse etiam Deum, non quidem amore charitatis, sed amore concupiscentiæ ad spem pertinente, amari, aliaque bona opera fieri, etiam propter præmium vitæ æternæ obtinendum, colligitur ex dictis q. 1. dub. 1. & est de fide ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. & canon. 31. contra sectarios huius temporis. Et patet ex scriptura Psalm. 118. v. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Eccli 18. v. 22. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Matthæi 4. v. 17. *Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere, pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cœlorum.* Et Lucæ 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

10 Ratio est; quia vita æterna est finis fidei, & operum nostrorum Rom. 6 v. 22. & 1. Petri 1. v. 9. Ergo licitè propter illum operamur.

Quin etiam propter temporale commodum honestum, non solum tanquam ob motiuum extrinsecum, sed etiam ob finem proximum, non vltimum, licitum esse operari, simili ratione probari potest; quia omne obiectum licitum potest per licita media procurari, ergo & intendi: modo interim caueatur, ne vltimate sistatur in vlla mercede seu bono nostro; ita vt quis operari bonum præceptum nollet, si merces non esset: hoc enim peruersum esse, significat etiam Concilium Tridentinum loc. cit. Malum autem per se non est, bonum maius ordinare in bonum minus, tanquam in proximum finem cui, non vltimum, vt patet ex Incarnatione Christi in hominum salutem ordinata. De qua re actum est etiam supra q. 1. dub. 1. & 3. & à videri potest Bellarminus lib. 5 de iustificat. cap. 8.

11 ASSERTIO V. Etsi non nisi mediate Deum in via cognoscamus, ipsum tamen charitatis dilectione immediate diligimus. Ita S. Thomas quæst. 27. a. 4. Colligitur ex illo 1. Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit*, scilicet in patria, in qua immediate Deum diligi, nemo negauerit. Ratio est; quia actus appetitiuæ virtutis fertur in rem ipsam, *secundum conditionem eiusdem*: actus autem cognoscitiuæ virtutis est, *secundum modum cognoscentis*: quo fit, vt Deum quidem in hac vita non cognoscamus, nisi mediate & per alia, nempe sicut causam *per effectus, vel per modum eminentiæ, vel negationis*, iuxta Dionysium lib. de diuin. nomin. cap. 4. part. 1. nihilominus tamen charitas primo ac immediate feratur in ipsum Deum, deinde vero ex ipso deriuetur ad alia.

12 ASSERTIO VI. Etsi quidem à nobis possit amari Deus totaliter, tum ex parte ipsius Dei, quatenus omnia quæ in Deo sunt, vel ad Deum pertinent, per charitatem amamus; tum ex parte diligentis; quatenus tantum amamus Deum, quantum in hac vita possumus, adeoque ex toto corde; non potest tamen amari à nobis totaliter ex parte modi amandi, vt videlicet tantum amemus Deum, quantum absolute amabilis est, cum hac ratione solus ipse seipsum totaliter, hoc est, infinito modo amet. Ita docet S. Thomas q. 27. a. 5. Et ratio singularum partium satis per se constat.

13 ASSERTIO VII. Modus diligendi Deum, est sine modo diligere. Ita ex S Bernardo lib. de diligendo Deum in principio, docet S. Thomas q. 27. a. 6. Ratio sumitur ex dictis; quia modus noster amandi Deum, nunquam potest eius amabilitatem adæquare.

Accedit etiam hæc generalis ratio: quia iuxta Aristotelem lib. 1. Polit. cap. 6. *appetitus finis, in omnibus actibus, est absque fine & termino: eorum autem quæ sunt ad finem, est aliquis terminus.* Non enim medicus ponit aliquem terminum sanitati, sed *facit eã perfectã quantumcunq; potest.* Medicinæ verò ponit terminum; *quia non dat tantum medicinæ, quantum potest, sed secundum proportionem ad sanitatem, quam si medicina excederet, vel abea deficeret, esset immoderata. Finis autem omnium actionum humanarum & affectionũ, est dilectio Dei per quam maxime attingimus vltimum finem: & ideo in dilectione Dei non potest accipi modus, sicut in re mensurata, vt sit in ea accipere plus & minus; sed sicut inuenitur modus in mensura, in qua non potest esse excessus, sed quanto plus attingitur, tanto melius est: & ita quanto plus Deus diligitur tanto est dilectio melior*: Neque eadem est ratio exteriorum actuum charitatis. Nam interior actus charitatis *habet rationem finis; quia vltimum bonũ hominis consistit in hoc, quod anima Deo inhæreat: exteriores autem actus sunt sicut ad finem; & ideo sunt commensurandi, & secundum charitatem, & secundum rationem.* Ita S. Thomas loc. cit.

14 ASSERTIO VIII. Ex parte obiecti, & simpliciter loquendo, ex suo genere perfectior, magisque meritoria est dilectio amici, quam sit dilectio inimici: ex parte verò rationis, ob quã vterq; diligitur, itemq; ex parte subiecti, in diligendo inimico speciale difficultatẽ habentis, perfectior sæpe est, aut saltem esse potest dilectio inimici, quam dilectio amici. Ita S. Thomas q. 27. a. 7. eiusq; sectatores cõmuniter; licet Albertus, Bonauentura, Durandus, Gabriel, Argentina in 3. dist. 30. existiment, dilectionem inimici simpliciter esse perfectiorem dilectione amici. Ratio est; quia dignitas & præstantia actus potissimum, adeoque simpliciter sumitur ex obiecto præstantiori: amicus vero & melior est, & magis coniunctus diligenti, ac amore dignior, quam

ini-

inimicus: Ergo & amor amici melior est, quam inimici. Sicut etiam peius est odisse amicum, quam inimicum. Et *plus facit ad rationem meriti & virtutis, bonum quam difficile.* Iuxta S. Thomam a. 8. ad 3. Nihilominus quia dilectionis amici potest esse *alia ratio*, quam Deus; sed dilectionis inimici *solus Deus est ratio*, hinc fit, vt ex parte rationis amandi, sæpe 15 sit perfectior dilectio inimici, quam amici.

Assertio IX. Etsi quidem si vtraque dilectio Dei & proximi seorsim spectetur, perfectior, & magis meritoria sit dilectio Dei, quam dilectio proximi, vt ex dictis constat: si tamen dilectio Dei accipiatur, vt qua solus ipse diligitur; dilectio autem proximi velut qua proximus diligitur propter Deum, sic dilectio proximi perfectior est, ac magis 16 meritoria, quam dilectio solius Dei. Ita S. Thomas q. 27. a. 8. Ratio posterioris partis est; quia dilectio proximi hac ratione *includit dilectionem Dei, sed dilectio Dei non includit dilectionem proximi.* Quo fit, vt hac ratione dilectio Dei perfecta, quæ extendit se etiam ad proximum, comparetur *ad dilectionem Dei insufficientem & imperfectam*; quia *hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrẽ suum.* Quod non existimo intelligendum de amore charitatis erga Deum: hæc enim nunquam excludit dilectionem proximi: sed de naturali quadam & imperfecta dilectione Dei, quæ sine charitate esse potest. Alioqui diligere Deum super omnia propter se, videtur perfectior actus, quam diligere proximum, propter Deum: quia in priori actu obiectum quod & quo est Deus; in posteriori obiectũ quod directe amatur solum est proximus.

Illud denique etiam obiter notandum ex S. Thoma responsione ad 2. cum ait: *Quod Deus diligatur propter seipsum non diminuit meritum, sed hoc constituit totam meriti rationem.* De qua re tomo 2. disp. 6. q. 6. dub. 4. vbi etiam probauimus ex mente sancti Thomę requiri ad meritum saltem virtualem relationem actus ad Deum per charitatem. 17

Quæritur tertio, quid sint gaudium, & pax, quos inter internos actus & effectus charitatis numerari diximus. Assertio I. Gaudium charitatis in hoc cõsistit, vt quis lætetur de bono diuino per se amabili, siue considerato, vt est in ipso Deo, siue vt in proximis, aut in nobis ipsis relucet; nec est virtus à charitate distincta, sed quidam ipsius charitatis actus seu effectus. Ita S. Thomas q. 28. art. 1. & 4. Ratio constat ex dictis. Quibus accedit scriptura ad Galatas 5. v. 22. vbi post charitatem, inter fructus Spiritus sancti, numerantur *gaudium, pax* &c. Aliud vero est gaudium ad spem pertinens, quo gaudemus de bono diuino, *prout à nobis participatur*, vt dictum q. 1. dub. 1. & notauit S. Thomas hic 18 cit. a. 1. ad 3.

Assertio II. Etsi gaudium, quod ex diuina charitate nascitur, nullam per se tristitiam admistã habeat, iuxta illud Sapientiæ 8. v. 16. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium:* per accidens tamen contingit spirituali gaudio tristitiam admisceri, quod proinde non in hac vita, sed in altera primum ita complebitur, vt in eo omne nostrum desiderium conquiescat. Ita S. Thomas a. 2. q. 28. a. 2. & 3. Probatur vtraque pars posterior ex scriptura Ioannis 16. v. 21. & 22. *Mulier cum parit tristitiam habet, &c. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis.* Idem patet in Christo saluatore, qui inter gaudium etiam de ipsa visione beatifica tristis fuit *vsque ad mortem*, Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. & pluribus dictũ tom. 2. disp. 2. q. 4. dub. 3. Item Ioannis 15. v. 11. *Hæc loquutus sum, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.*

Ratio est, quia in hac vita velut in via, Deus nõdum perfecte possidetur, nec desunt multa mala bonis permista, quæ hominem affligant. Sed quando iam ad beatitudinem perfectam peruentum fuerit nihil amplius desiderandum restabit: quia ibi erit plena Dei fruitio *in qua homo obtinebit, quidquid etiam circa alia bona desiderauerit*, secundum illud, Psalm. 102. v. 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Et ideo quiescet desiderium, non solum quo desideramus Deum, sed etiam *erit omnium desideriorum, quies.* Vnde gaudium beatorum est *perfecte plenum.* Est etiam *super plenum*; quia plus obtinebunt, quã desiderare sufficiunt. *Non enim in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* 1. Cor. 2. v. 9. Et hoc est etiam, quod dicitur Lucæ 6. v. 38. *Date & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentẽ dabunt in sinum vestrum.* 19

Quia tamen nulla creatura est capax gaudij de Deo *eidem condigni* (seu æqualis, quod vocatur gaudium plenum ex parte ipsius obiecti, cuius Deus solus capax est) hinc fit vt istud gaudium omnino plenum *non capiatur in homine*, sed potius *homo intrat in ipsum*, secundum illud Matthæi 25. v. 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Ita S. Thomas cit. a. 3.

Assertio III. Pax, quæ in præsenti non solum concordiam, hoc est, vnionem plurium appetituum in diuersis appetentibus, ad idem bonum seu beneplacitum diuinum, sed etiam vnionem diuersorum appetituum, potissimum sensitiui & intellectiui in eodem homine significat, non est Virtus à charitate distincta, sed ipsius charitatis effectus & actus. Ita S. Thomas q. 29. a. 1. 2. 3. & 4. Probatur & declaratur. Cum enim vt dictum, duplex vnio sit de ratione pacis, nimirum vna, qua diuersi appetitus vnius & eiusdem hominis inter se vniuntur, ita vt appetitus sensitiuus, vti eorum natura postulat, appetitui rationali subiaceat, nec eidem dominetur, esto nonnunquam bellum moueat iuxta istud Rom. 6. v. 13. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Et Rom 7. v. 25. *Ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati*: alia, qua appetitus operantis cum appetitu alterius vnitur, puta non tantum proximi recte appetentis, sed etiam ipsius Dei, vtramque eam vnionem efficit charitas, primam quidem, & partem posteriorem secundæ, quatenus Deus diligitur ex toto corde; vt dum scilicet *omnia referimus in ipsum, omnes appetitus nostri ferantur in vnum.* vnde Apostolus Rom. 5. v. 1. *Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum.* Alteram vero secundum priorem partem: quatenus per charitatem diligimus proximum, sicut nos ipsos; quo fit vt homo velit *implere voluntatem proximi*, sicut & *suam ipsius.* 20

Qua de causa etiam *inter amicabilia*, seu quæ ad amicitiam pertinent, ponitur *identitas electionis*, apud Aristotelem 9. Ethic. cap. 4. & Ciceronem 21

lib.

lib. de amicitia vbi ait: *Amicorum esse, idem velle, & nolle.* Idem patet ex illo psal. 118. v. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam.*

Nec obstat, quod sancti nonnunquam inter se dissenserunt, tum in ijs quæ agenda essent, vt inter Paulum & Barnabam accidit Act. 15. tum maxime in quibusdam opinionibus, vt inter Hieronymum & Augustinum videre est epist. 8. 9. & 11. inter opera Augustini. Ad amicitiam enim iuxta Aristotelem 9. Ethic. cap. 6. non pertinet *concordia in opinionibus*; sed concordia in bonis conferentibus ad vitam, & præcipue *in magnis*: quia dissentire in aliquibus paruis, *quasi videtur non esse dissensus.* Et propter hoc *nihil prohibet, aliquos charitatem habentes in opinionibus dissentire.* Nec hoc repugnat paci; quia opiniones pertinent ad intellectum, qui præcedit appetitum, qui per pacem vnitur.

22 *Similiter etiam existente concordia in principalibus bonis, dissensio in aliquibus paruis non est contra charitatẽ. Procedit enim talis dissensio ex diuersitate opinionum: dum vnus æstimat hoc de quo est dissensio, pertinere ad illud bonum in quo conueniunt; & alius æstimat, non pertinere. Et secundum hoc talis dissensio de minimis, & de opinionibus repugnat quidem paci perfectæ, in qua plene veritas cognoscetur & omnis appetitus complebitur: non tamen repugnat paci imperfectæ, qualis habetur in via.* Ita S. Thomas q. 29. a. 3. ad 2. Ex quo intelligitur qua ratione tum in Theologia, tum in cæteris scientijs, esse possit inter diuersos, tum eiusdem, tum diuersorum ordinum Magistros quædam opinionũ dissensio, salua pace & charitate.

23 Nec obstat secundò, quod pax est effectus iustitiæ, iuxta illud Isaiæ 32. v. 17. *Erit opus iustitiæ pax*; nec quod pax relationem potius dicat, quam actũ. Præterquam enim quod cit. loco iustitia accipi potest pro ipsa charitate iustificante; recte respondet S. Thomas ibidem ad 3. pacem esse *opus iustitiæ indirecte, inquantum remouet prohibens*; cum tamen directe sit opus charitatis.

Et quamuis pax significet etiam *relationem vnionis* appetitionum, consequentẽ actum charitatis; qua ratione Caietanus hic a. 4. putat, pacem à S. Thoma dictam esse actum charitatis *solum causaliter* quasi tantum sit sensus, illam consequi ex causa, quæ sit actus quidam charitatis: significat tamen etiam ipsum fundamentum proximum talis relationis, quod est vnum idemque velle & nolle; qui est actus charitatis, quasi per se imperatus, aut secundo elicitus; vtpote ex ipso amore charitatis & affectuum vnione proxime ac per se consequens, vt dictum.

24 Et consentiunt cum hac doctrina, quæ scriptura & SS. Patres de pace tradunt. Vt nimirum primo cum S. Dionysius cap. 11. de diuin. nomin. ait, pacem esse *omnium vnituam, & consensus operatiuam.* Et S. Augustinus lib. 19. de ciuit. cap. 13. dicit pacem esse *tranquillitatem ordinis.* Et lib. 18. de ciuit. cap. 13. *Pacem hominum esse ordinatam concordiam.*

Secundo cum S. Thomas a. 2. ad 3. docet, in hominibus peccatoribus non esse veram, sed solum apparentem pacem; vtpote qui non in vero sed apparenti solum bono consentiunt, iuxta illud Sapientiæ 14. v. 22. *Non sufficerat errasse eos circa Dei scientiam: sed & in magno viuentes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.* Et Isaiæ 57. v. 21. *Non est pax impijs dicit Dominus Deus.* Et Ieremię 8. v. 11. *Dicentes, pax pax, & non erat pax.*

Tertio cum scriptura pacem tanquam nobis valde necessariam commendat, vt patet Marci 9. v. 50. *Pacem habete inter vos.* Luc. 2. v. 14. *In terra pax hominibus.* Lucæ 24. v. 36. & Ioannis 20 v. 21. & 26. *Pax vobis.* Denique Ioannis 14. v. 27. *Pacem reliquo vobis; pacem meam da vobis, &c.*

Denique cum S. Thomas cit. q. 29. a. 2. docet omnia pacem appetere; inquantũ scilicet *omne appetens appetit tranquille, & sine impedimento peruenire, & quiescere in eo, quod appetit; in quo consistit ratio pacis.* Quod adeo verum est, vt etiam bellando nonnisi pax quæratur, ne quid scilicet sit, quod bellantis voluntati repugnet, vt docet etiam Augustinus lib. 19. de ciuit. cap. 12.

DVBIVM II.

De virtute Misericordiæ charitati affini; & Beneficentia velut externo actu charitatis.

S. Thomas 2. 2. q. 30. 31.

25 POst explicatam essentiam, obiectũ, ordinem, & actus internos charitatis, tractat S. Thomas de Misericordiâ velut de virtute charitati multum affini; deque beneficentia velut externo actu charitatis: de quibus etiam nobis breuiter agendum; sed coniunctim, quia & ipsa inter se coniuncta, & admodum similia sunt.

Quæritur primo, quid, & qualis virtus sit misericordia; cuius actus & opera etiam inter externos effectus charitatis recensèri diximus dub. præcedenti.

Assertio I. Misericordia est virtus specialis, & à charitate distincta; cuius obiectum seu motiuum proprium ac formale est, miseria alterius velut nostra voluntate, ac si fieri possit ope subleuanda, ob ipsam præcisè ipsius naturæ communionẽ. Ita S. Thomas q. 30. a. 1. & 3. Ratio est. Dicitur enim misericordia ex eo, *quod aliquis habet miserum* (seu potius miserans) *cor super miseria alterius*: quo fit, vt misericordia circa miseriã alterius versetur; vtiq; non eam appetendo, sed potius quantum in miserante est, efficaciter depellendo; idque non formaliter, quia alter amicus est, cui ob affectus vnionem benè cupiamus; sed quia miser est, à quo ob communionem eiusdem naturæ, mala abesse cupiamus.

Qua in re cum propria quædam honestas cernatur, fatendum est, misericordiam esse virtutem specialem; secus quam de gaudio & pace dictum; quæ *cum nihil adyciant super rationem boni, quod est obiectum charitatis, non requirunt alias virtutes, quam charitatem. Sed misericordia respicit quandam specialem rationem, scilicet miseriam eius, cuius miseretur*; vt ait S. Thomas cit. a. 3. ad 3. De cuius actu etiam Augustinus lib. 9. de ciuit. Dei cap. 5. ait: *Iste motus animi, scilicet misericordia, seruit rationi, quando ita præbetur misericordia, vt conseruetur iustitia;*

sine

siue cum indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur pœnitenti.

ASSERTIO II. Quamuis misericordia sit virtus moralis, *circa passiones existens*, iuxta S. Thomam 26
q. 30. a. 3. ad 4. nempe quia in nobis saltem ex cõsequenti (non per se) tristitiæ passionẽ moderatur; cuius moderatio per se ad patientiã pertinet, vt suo loco dicetur. Actus tamen eius elicitus & principalis, est *motus appetitus intellectiui, secundum quod alicui displicet malum alterius*, iuxta S. Thomam ibidem in corpore. Ratio est: quia appetitus sensitiuus per se non fertur ad depellendum malũ alienum, seu dolendum de eodem, vbi nulla carnalis coniunctio intercedit, inter patientem & dolentẽ: licet ex sympathia naturali, ob naturæ similitudinẽ facile etiam in appetitu dolor excitetur. Idem docuimus tom. 1. disp. 2, q. 10 dub. 2. n. 17.

ASSERTIO III. Sicut misericordia non est 27
proprie ad seipsum, sed dolor; *puta cum patimur aliquid crudele in nobis*: ita etiam cum personæ nobis admodum coniunctæ, puta filij, aut parentes malum patiuntur, non tam misereri dicimur, quam dolere; non secus ac *in malis & vulneribus proprijs*. Ita S. Thomas q. 30. a. 1. ad 2. Quo sensu Aristoteles 2. Rhetor. cap. 8. dixit. *Dirum* (*quod appetitui velut crudele vehementer repugnat*) *esse expulsiuum miserationis*: licet improprie & per quandam similitudinem, quatenus homo consideratur secũdum diuersas partes, tum iustitia ex Aristotele 5. Ethic cap. vlt. tum etiam misericordia ad se ipsum nonnunquam esse dicatur, iuxta illud Eccli. 30. v. 29. *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine.* Ex quibus etiam colligitur, Misericordiã proprie esse ad alterum; etsi contrarium significat S. Thomas hic q. 30. a. 3. ad 4, sed qui sibi in hac materia non satis constat, vt pluribus dictum tom. 2, disp. 3. q. 4. dub. 3.

ASSERTIO IV. Defectus alterius (generatim loquendo) mouet ad miserendum, vel in quantũ aliquis defectum alicuius reputat suum, propter vnionem amoris; vel propter *possibilitatem* similia 28
patiendi. Ita S. Thomas q. 30. a. 2. Declaratur: quia cum dolor non sit nisi de proprio malo; ideo etiam misericordia est tristitia seu dolor de miseria aliena, inquantum ea apprehenditur velut propria; hoc autem non fit, nisi duobus modis explicatis. Equibus respectu primi Aristoteles. 9. Ethic. cap. 3. inter alia *amicabilia* ponit, *condolere amico*. Et Apostolus Rom. 12. v. 15. *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus*: qua ratione miseratio non est actus à charitate distinctus, vtpote idem formale motiuum cum charitate habens.

Respectu autem posterioris modi, idem Aristoteles 2. Ethic. cap. 3. dicit, homines misericordia moueri erga illos, qui sunt eis coniuncti & similes: quia per hoc concipiunt iudicium, se etiam posse similia pati. Quo fit etiam vt *senes & sapientes*, qui considerant, se quoque posse in mala incidere: itemque *debiles & formidolosi*, sint magis misericordes.

E contrario autem illi, qui se felices æstimant, tamquã supra communem sortem euectos, vt nihil mali se posse pati existiment, parum solent misericordia tangi. Sicut etiam superbi, iracundi, & qui sunt in contumeliandi dispositione, hoc ipso, quod elato sunt animo, & ad vindicandum composito, non sunt idonei ad miserandum, iuxta Aristotelem 2. Rhetor. cap. 8. Cui consonat scriptura Prouerb. 27. v. 4. *Ira non habet misericordiam nec erumpens furor.* Et S. Gregorius homil. 34. in Euangelia cum ait: *Falsa iustitia* (scilicet superborum) *non habet compassionem, sed dedignationem.* Absolute tamen loquendo, existimo misericordię proprium actũ esse posse etiam sine illa formidine & apprehensione similia patiendi. Considerata solum naturæ similitudine in eo qui patitur, vt dictũ assert 1.

ASSERTIO V. Misericordia quamuis secundum se maxima virtus sit; respectu tamen habentis solum in Deo maxima est; in cæteris autem charitas maior est, quam misericordia. Ita S. Thomas q. 29
30. a. 4. Probatur prima pars, quia ad misericordiam pertinet, vt alijs benefaciat, & quod plus est, *vt defectus aliorum subleuet*: & hoc maxime *superioris* est, & quasi altioris & præcellentioris cuiusdam naturæ.

Secunda pars probatur; quia misereri velut *proprium Deo* tribuitur; in quo *eius omnipotentia maxime manifestetur*, vt in Collecta Dominicæ X. post Pentecosten dicitur, nimirum quia Deus & ex seipso maximè ad miserendum pronus est; nec vlla miseria vincitur; & suam perfectionem ac magnitudinẽ in miserando potissimum demonstrat. Vnde in scriptura super cæteras eius virtutes & opera commendatur misericordia. Vt psalm. 144. v. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Ratio est, quia misericordia, hoc ipso, quod quandam excellentiã & superioritatem in miserante significat, non est maxima, nisi ille qui habet, sit maximus, qui nullũ supra se habeat, sed omnes sub se, qualis est solus Deus.

Vbi etiam supponitur, in Deo proprie esse misericordiam, vti etiam cum S. Thoma docuimus tom. 1. disp. 2. q. 10 dub. 2. n. 17. Idque nullã difficultatem habet, si loquamur de misericordia generatim, prout etiam charitatis motiuum complectitur, quo respexisse videtur S. Thomas hic a. 2. ad 1. cum ait: *Deus non miseretur nisi propter amorem, inquantum amat nos tanquam aliquid sui.* Verum S Thomas ibi solum excludit alterum motiuum miserandi, nempe capacitatem defectus in miserente, non autem propriam rationem formalem obiectiuam misericordiæ, quæ est subleuatio miseriæ alienæ, ob naturæ quandam similitudinem. 30

Tertia pars probatur. *Ei enim, qui supra se aliquẽ habet, maius est, & melius, coniungi superiori, quam supplere defectum inferioris. Et ideo quantum ad hominem, qui habet Deum superiorem, charitas, per quam Deo vnitur, est potior, quam misericordia, per quam defectus proximorum supplet*, iuxta illud Coloss. 3. vers. 13. vbi cum Apostolus dixisset: *Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem &c.* subiungit: *super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

Ex quibus colligitur, charitatem simpliciter & absolutè præstantiorem esse misericordia: hanc vero nonnisi secundum quid præstantiorem dici charitate; si nimirum præcisè & abstracte, actus vtriusque 31

que virtutis inter se comparentur, (abstrahendo ab obiecto & subiecto) nimirum amare, & aliorũ miserias subleuare. In Deo vero maximam dici intelligo, non comparatiuè aut quia vel in ipso Deo præstantior sit charitate, qua Deus seipsum diligit; sed absolute, & in suo genere: ita vt etiam secundũ abstractam rationem in homine non sit maxima, in Deo vero sit maxima, & vndiquaque perfecta, etsi Caietanus & Bannes hic q. 30. a. 4. & Gregorius de Valentia q. 7. pun. 3. aliter atque aliter mentem S. Thomæ interpretentur.

32 Assertio VI. Inter omnes tamen virtutes, quæ propriè ad proximum pertinent, potissima est misericordia; sicut etiam est potioris actus. Ita S. Thomas cit. a. 4. Ratio est, Nam supplere defectum alterius inquantum est huiusmodi, *est superioris & melioris*. In eundem etiam sensum Augustinus lib. 9 de ciuit. cap. 5. ex Cicerone contra Stoicos disserens ait: *Longe melius & humanius, & piorum sensibus accommodatius Cicero in Cæsaris laude locutus est, vbi ait: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est.* Sicut etiam summa Religionis Christianæ in misericordia & pietate consistit; nempe quantum ad exteriora opera, iuxta Glossam Ambrosij super illud 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est.*

Interior tamen affectio charitatis, qua coniungimur Deo, eique per affectum vnimur, ac similes reddimur, *præponderat & dilectioni, & misericordiæ in proximos*, per quam assimilamur Deo secundum similitudinem operationis. Quamuis autem misericordia per se virtute Religionis inferior sit, sit tamen sæpe, vt magis necessarius sit misericordiæ actꝰ quam Religionis, iuxta illud Oseæ 6. & Matthæi 12. *Misericordiam volo, & non sacrificium.*

33 Quæritur secundo, an & qualis virtus, seu virtutis actus, sit beneficentia. Assertio I. Beneficentia non est virtus specialis, & à Charitate distincta; sed est specialis actus & effectus externus charitatis. Ita S. Thomas q. 31. a. 1. & 4. ex Aristotele 9. Ethic. cap. 4. vbi inter alios amicitiæ actus refert, *operari bonum ad amicos*. Ratio est; quia beneficentia, qua alteri benefacimus, immediate oritur ex beneuolentia seu actu dilectionis, qua volumus bonum amico. Cum quo non pugnat, quo minus bonum exhibeatur alteri, sub aliqua peculiari ratione, etiam per alias virtutes, puta misericordiam, iustitiam, &c. Sicut enim charitas respicit in beneficio collato *communem rationem boni* (seu vt bene sit amico) ita iustitia respicit ibi rationem debiti: misericordia vero respicit rationem *releuantis miseriam* vel defectum, iuxta S. Thomam q. 31. a. 1. in corpore, & ad 3.

34 Assertio II Cum omnibus quidem benefaciendum est, tum magis his, qui sunt nobis magis coniuncti; seruato in omnibus debito charitatis ordine. Ita S. Thomas q. 31. a. 2. & 3. Patet ex illo ad Galat. cap. 6. v. 10. *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Ratio est, quia sicut interior affectus charitatis, seruato debito ordine, complectitur omnes, vt superius dictum; ita etiam beneficentia, velut effectus interni amoris ad omnes extenditur, eodem ordine seruato, vt dictũ hac q. 3. dub. 1. & 2.

Assertio III. Beneficentiæ actus materialiter ijdem sunt, cum actibus externis misericordiæ & Eleemosynæ, tum corporalis, tum spiritualis: qui proinde eodem modo diuiduntur. Supponit S. Thomas q 32. & 33. vbi de eleemosyna, & correctione fraterna, velut actibus externis charitatis agit; & patet ex quæsito 1. assertione 1. vbi simul ostendimus, qua ratione actus beneficentiæ & misericordiæ inter se formaliter differant. 35

DVBIVM III.

De dono sapientiæ Charitati respondente.

S. Thomas 2. 2. q. 45. & 46.

QVamuis de dono sapientiæ charitati respondente longe inferius primum agat S. Thomas, etiam post vitia Charitati opposita, vt tamen occasione virtutis misericordiæ, omnes habitus Charitati adiuncti & affines hoc loco pertractentur, visum est consultius, tractationem de dono sapientiæ misericordiæ subiungere. Quæritur igitur primo, quid & quale sit donũm sapientię charitati respondens; & qua ratione eidem opponatur stultitia. 36

Assertio I. Sapientia est donum Spiritus sancti, quo homo à Spiritu sancto motus secundum regulas diuinas, velut ex quadam naturæ consensione, de Deo rebusque omnibus recte iudicat. Ita S. Thomas q. 45. a. 1. & 4. Probatur ex illo Isaiæ 11. v. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus.* Vbi sapientia inter dona Spiritus sancti numeratur.

Ratio est; quia sicut generatim ad sapientem pertinet, considerare causam altissimã, per quam certissime de alijs iudicatur, & secundum quam omnia ordinari necesse est; siue ea causa, ac sapientia, ad quam pertinet, sit talis *simpliciter*, siue solum in *aliquo certo genere*: ita ad sapientem simpliciter, modoq; perfectissimo pertinet, vt cognoscat *causam altissimam simpliciter*; quæ est Deus, ita vt *per regulas diuinas* omnia possit iudicare & ordinare; idq; non ex nuda speculatione & consideratione rerum; talis enim sapientia valde imperfecta est, & hominibus etiam stultis, hoc est, peccatoribus communis; sed etiam ex *quadam connatur alitate* siue interna coniunctione mentis cum Deo, ac rebus diuinis, vt inferius magis declarabitur. 37

Huiusmodi autem iudicium homo non consequitur, nisi per Spiritum sanctũ, iuxta illud 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Quia nimirum, vt ibidem dicitur, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Patet ergo sapientiam de qua agimus, esse donum Spiritus sancti.

Assertio II. Sapientia, quæ donum est Spiritus sancti, non modo speculatiua, sed etiã practica est. Ita S. Thomas q. 45. a. 3. Probatur, ex illo ad Colossenses 4. v. 5. *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes*: quod ad actionem pertinet. Idem probatur ex Augustino lib. 12. de 38

Trinitate

Trinitate cap. 14. vbi ait: *Superior pars rationis sapientiæ deputatur; inferior autem scientiæ.* Superior autem ratio vt idem cit. lib. cap. 7. ait, *intendit rationibus supernis* (scilicet diuinis) *& conspiciendis, & consulendis: conspiciendis quidem secundum quod diuina in seipsis contemplatur, consulendis autem, secundum quod per diuina iudicat de humanis actibus, per diuinas regulas dirigens actus humanos*, vt bene explicat sanctus Thomas. Ratio est; quia quanto aliqua virtus 39
est altior, tanto ad plura se extendit, vt habetur lib. de causis proposit. 10. Quare hoc ipso, quod sapientia, quæ est donum, est excellentior quam sapientia, quæ est virtus intellectualis, vtpote *magis de propinquo* (seu speciali quadam ratione) *Deum attingens, per quandam spiritus vnionem*, (quæ scilicet fit per charitatem) *animæ adipsum*; habet quod non solum dirigat in contemplatione, sed etiam in actione; ita tamen vt ad sapientiam *prius* pertineat *contemplatio diuinorum, quæ est visio principij; & posterius, dirigere actus humanos* secundum rationes diuinas. Et quamuis diuina in se quidem sint necessaria & æterna, *sunt tamen regulæ contingentium*, quæ humanis actibus subsunt.

Nec obstat quod Sapientiæ 8. v. 16. dicitur: 40
Non habet amaritudinem conuersatio illis, (sapientiæ) *nec tædium conuictus illius; sed lætitiam & gaudium*; Cum tamen Gregorius lib. 6 Moral. cap. 28. dicat. *In contemplatione principium quod Deus est quæritur: in operatione autem sub graui necessitatis fasce laboratur.* Quia si qua est in actibus humanis amaritudo, ea non prouenit ex directione Sapientiæ, sed potius *amaritudo propter sapientiã vertitur in dulcedinem, & labor in requiem*, vt ait S. Thomas ibidem.

Quæritur secundo, quodnam sit subiectum, tum propinquum tum remotum sapientiæ.

41 Assertio I. Sapientia proprie & formaliter est in intellectu; etsi in voluntate charitatem velut causam supponat. Prior pars patet; quia iudicium ad intellectum pertinet.

Posterior assertionis pars declaratur. Rectitudo enim iudicij, qualis ad sapientiam pertinet, potest *contingere dupliciter.* Vno modo *secundum perfectum vsum rationis* (siue accuratam ipsius rei consideratione;) *alio modo, propter connaturalitatem quandam ad ea, de quibus est iudicandum.* Sicut de his, quæ ad castitatẽ pertinent, per rationis inquisitionem recte iudicat ille, qui *didicit scientiam moralem*, sed *per quandam connaturalitatem ad ipsam*, recte iudicat de eis ille, qui *habet habitum castitatis.* Eodem igitur modo circa res diuinas, ex rationis inquisitione rectum iudicium habere, pertinet ad sapientiã, quæ est virtus intellectualis: sed rectum iudicium habere de eis, secundum quandam connaturalitatem ad ipsas, pertinet ad sapientiam, secundum 42
quod donum est Spiritus Sancti. Quo sensu Dionysius cap. 2. de diuin. nomin part. 1. de Hierotheo dixit; eum *fuisse perfectum in diuinis, non solum discentem, sed & patientem diuina.* Huiusmodi autem *compassio* (mentisque consensio) *siue connaturalitas ad res diuinas fit per charitatem, quæ Deo nos vnit*, eiusdemque naturæ participes nos quodammodo facit, secundum illud 1. ad Cor. 6. v. 17. *Qui adhæret Domino* (per charitatem) *vnus Spiritus est.* Sic ergo sapientia, quæ est donum, *causam quidem habet in voluntate, scilicet charitatem, sed essentiam habet in intellectu, cuius actus est recte iudicare.* Ita S. Thomas ibidem.

Nec obstat primo illud Iob 28. v. 28. *Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* 43
Vbi Augustinus lib. 14. de Trinitate cap. 1. & lib. 12. cap. 14. legit: *Et pietas* (græce θεοσέβεια) *ipsa est sapientia.* Nam vt recte ait S. Thomas cit. q. 45. a. 1. ad 3. hoc ea solum ratione dicitur; quia tam pietas, quam timor, *manifestat sapientiã*; ita vt per figuram metonymiæ signum pro signato ponatur. Per hoc enim *ostenditur* homo rectum iudicium de diuinis habere, *quod Deum timet & colit.* Ad quem modum etiam, ponendo causam pro effectu, dicit Augustinus lib. de gratia noui Testamenti cap. 18. *sapientiã esse charitatem Dei.*

Nec obstat secundo, quod Eccli 6. dicitur vers. 44
13. *Sapientia doctrinæ secundum nomen est eius.* Dicitur enim sapientia quasi *sapida scientia*; quod videtur ad affectum pertinere; *ad quem pertinet experiri spirituales delectationes siue dulcedines.* Ad hoc enim primo respondet S. Thomas a. 2. ad 2. eam non videri veram expositionem eius loci scripturæ; quia *talis expositio*, inquit, *non conuenit nisi secundum nomen quod habet sapientia in latina lingua. In græco autem non competit, & forte nec in alijs linguis.* Vnde potius videtur *nomen* sapientiæ accipi pro *eius fama*, qua à cunctis commendatur, vt sensus sit, Sapientiã non esse sua fama minorem. Respondeo secundò etiam si ea etymologia admittatur, ex ea solum colligi, sapientiã in obliquo etiam connotare suauem affectum charitatis erga Deum, quod iam antea concessimus.

Assertio II. Donum Sapientiæ non est in peccatoribus; sed in omnibus gratiam & charitatẽ 45
habentibus. Ita S. Thomas quæst. 45. a. 4. & 5. ex communi. Prima pars patet Sapientiæ 1. vers. 4 *In maleuolam animã non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Ratio sumitur ex dictis; quia sapientia causat rectitudinem iudicij circa res diuinas, vel per regulas diuinas, de alijs *ex quadam connaturalitate*, siue vnione ad diuina, quæ est per charitatem; adeo vt sapientia præsupponat charitatẽ; charitas autem non potest esse cum peccato mortali vt suo loco dictum.

Secunda pars probatur ex Sapientiæ 7. v. 27. & v. 28. *Sapientia per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat.* Ratio est, tum quia sapientia, vt dictum, proxime causatur à charitate: tum quia omnibus iustis necessarium est, habere rectum iudicium, tam in cõtemplatione diuinorum, quam etiam in ordinatione rerum humanarum, secundum diuinas regulas, & ex vnione ad diuina, quantum ad propriæ personæ directionem sufficit. Quod si natura non deficit in necessarijs, multo minus gratia. Vnde dicitur 1. Ioannis 2. v. 27. *Vnctio eius docet vos de omnibus.* 46

Alia est sapientia, quam non omnes iusti, sed solum quidam à Deo percipiunt, tum quantum ad *contemplationem diuinorum*, vt altiora quædam mysteria & cognoscere, & alijs manifestare possint; 47

tum

tum quantũ ad *directionẽ humanorum* secundum regulas diuinas, vt secundum eas *non solum seipsos*, sed etiam *alios* regere possint, qui sapientiæ gradus & modus ad gratias gratis datas pertinet, secundum illud 1. Cor. 12. v. 8. *Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ.* De qua re actum disp. 1. q. 7. dub. 6.

Quæritur tertio, quonam modo donum sapientiæ tum ad charitatem, cæteroſque habitus, tum ad septimam beatitudinem comparetur.

48 ASSERTIO I. Donum sapientiæ est quidẽ tum à sapientia acquisita, tum à fide, tum à dono intellectus, & scientiæ, tum etiam à charitate distinctũ; sed quod tamẽ charitati merito respondere dicitur. Ita S. Thomas cit. q. 45. a. 1. ad 2. & a. 2. ad 3. & a. 4. ad 3. vbi ita rem hanc declarat. Nam sapientia, quæ ponitur virtus intellectualis acquisita, *acquiritur studio humano*; hæc autẽ quæ est donũ Spiritus sancti, est *desursum descendens* vt dicitur Iacobi 3. v. 15

Similiter etiam differt à fide, nam fides *assentit veritati diuinæ* secundum seipsam: sed *iudicium quod est secundum veritatẽ diuinam*, (seu æstimatio recta, quæ de singulis rebus ex diuinis regulis concipitur) pertinet ad donum sapientiæ. Et ideo donum sapientię *præsupponit fidem*: quia *vnusquisque bene iudicat, quæ cognoscit*, vt dicitur 1. Ethic. cap. 3.

49 Differt itidẽ à dono intellectus & scientiæ, iuxta S. Thomam a. 2. ad 3. Nã intellect⁹ habet *duos actus* scilicet *percipere*, (veritatẽ) *& iudicare* seu æstimare quanti vnaquæq; res facienda sit: ad quorũ primũ ordinatur *donum intellectus*; ad secundũ autem, *secundũ rationes diuinas, donũ sapientiæ*, sed *secundũ rationes humanas donum scientiæ*. Vbi per iudiciũ intelligenda videtur quædam æstimatio mentis vt dictũ, qua quisq; ex rationibus diuinis iudicet, quanti facienda sint singula, seu de agibili, seu de rebus alijs sermo sit: quod quidem etiã iudicium, quatenus ex peculiari motione Spiritus sancti procedit, dono Sapientiæ tribuitur iuxta eaquę vniuersim de donis Spiritus sancti dixim⁹ tom. 2. disp. 3. q. 6. dub. 1.

50 A charitate autem differt, tum alijs modis, vt ex dictis patet: tum quia præsupponit charitatẽ velut causſam, qua proximè nititur iudicium ad sapientiã perinens, vt dictum; quæ etiam causa est, cur donũ sapientiæ respondeat charitati.

51 ASSERTIO II. Sed & septima beatitudo qua in Euangelio pacifici beati pronuntiantur, sapientiæ dono quantum ad meritum, & quantũ ad præmiũ congrue respondet. Ita S. Thomas q. 45. art. 6. ex Augustino lib. 1. de Sermone Domini in monte c. 9. vbi ait: *Sapientia conuenit pacificis, in quibus nullus motus est rebellis, sed obtemperans rationi.*

Probatur & declaratur, Nam *ad meritũ* quidem eius beatitudinis *pertinet*, quod dicitur; *Beati pacifici.* Pacifici autẽ dicuntur, quasi *pacem facientes* (græce εἰρηνοποιοί) vel in seipsis, vel etiam in alijs; *quorum vtrumq; contingit per hoc, quod ea, in quibus pax constituitur, ad debitum ordinem rediguntur.* Nam *pax est tranquillitas ordinis*, iuxta Augustinum 19. de Ciuit. Dei cap. 13. *Ordinare autem pertinet ad sapientiam*, vt patet ex Aristotele in principio metaph. Et ideo esse pacificum, *conuenienter attribuitur sapientiæ.*

Ad *præmium* autem eiusdẽ beatitudinis pertinet, quod dicitur, *Filij Dei vocabuntur. Dicuntur* autem aliqui *Filij Dei, inquantum participant similitudinem filij vnigeniti & naturalis*, secundum illud Rom. 8. v. 29. *Quos præscivit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*: qui quidẽ naturalis Dei filius est *sapientia genita.* Et ideo *participãdo donũ sapiẽtiæ, ad Dei filiationẽ homo pingit.*

Nec obstat, quod Iacobi 3. v 17 non solum pax, sed etiã plures alij virtutum actus sapientiæ tribuũ- 52
tur. *Quæ autem desursum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem.* Nam vt sapienter docet S. Thomas cit. q. 45. a. 6. ad 3. ad donũ sapientiæ pertinet, non solũ contemplari diuina, sed etiam *regulare humanos actus.* In qua quidem directione primo occurrit *remotio à malis*, quæ aduersantur sapientiæ; vnde *timor* dicitur esse *initiũ sapientiæ*, inquantũ facit *recedere à malis.* Vltimũ autem est *sicut finis*, quo omnia ad debitum ordinẽ rediguntur, *quod pertinet ad rationẽ pacis.* Et ideo conuẽienter Iacobus dicit, *sapientiã quæ desursum est*, quæ est donũ Spirit⁹ sancti, primò esse *pudicã*, quasi *vitantẽ corruptelas peccati*; deinde autem *pacificam*; quod est *finalis effectus sapientiæ*, propter quod ponitur beatitudo.

Iam vero omnia, quę sequuntur *manifestant ea* per quæ sapientia ad pacem perducit, & *ordine congruo.* 53
Nam homini per pudicitiã à corruptelis recedenti, primo occurrit, vt *quantũ ex se potest, modũ in omnibus teneat*; & quantũ ad hoc dicitur, *modesta*, Secundo, vt in his, in quibus ipse sibi non sufficit, *aliorũ monitis acquiescat*, & quantum ad hoc subdit, *suadibilis.* Et hæc duo pertinent ad hoc, vt homo consequatur pacẽ *in seipso* Sed vlteriusad hoc, vt homo sit pacificus *etiam alijs*, primo requiritur, vt bonis eorũ *non repugnet*, & hoc est, quod dicit, *bonis consentiens.* Secundo, vt defectib⁹ proximi & compatiatur affectu, & subueniat effectu; & hoc est quod dicitur, *iudicãs sine simulatione*; ne scilicet *correctionem pretendens, odium intendat explere.* Ita S. Thomas loc cit. Quæritur quarto, quænam vitia seu peccata opponantur sapientiæ. De hac re esto.

ASSERTIO I. Sapientiæ diuinæ opponitur, tum 54
triplex sapientia mundana & falsa, nimirum terrena, animalis, diabolica; tum stultitia, in falso iudicio de rebus diuinis positæ Ita S. Thomas q. 45. a. 1. ad 1. & q. 46. a. 1. Prima pars sumitur ex illo Iacobi 3. v. 15. *Non est enim ista sapientia desursum descendens sed terrena, animalis, diabolica.* Ratio est, sicut enim circa ea, quæ sunt vere bona, inuenitur aliqua *altissima causa*, quæ est summum bonum & vltim⁹ finis, cui⁹ cognitione dicitur homo *vere sapiens*: ita etiã in malis est inuenire aliquid, ad quod alia referãtur, velut vltimũ finẽ, cuius cognitione homo dicitur esse *sapiens ad mala agendũ*, secundũ illud Ierem. 4. *Sapientes sunt, vt faciant mala: bene autem facere nescierunt.*

Id autem fit tripliciter. Quicũq; enim auertitur à fine debito, necesse est, vt aliquẽ finem indebitũ sibi præstituat; quia *omne agens agit propter finem.* Vnde si præstituat sibi finẽ *in bonis terrenis exterioribus*, vocatur *sapientia terrena*: si autẽ in *bonis corporalibus*, vocatur *sapientia animalis*: si autẽ in *aliqua excellentia*, vocatur *sapientia diabolica*, propter imitationem *superbiæ diaboli*, de quo dicitur Iob. 41. v. 25. *Ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ.*

Poste-

55 Posterior pars assertionis traditur à S. Gregorio lib. 2. Morali cap. 36. vbi ait: *Donum sapientiæ datur contra stultitiam.* Declaratur. Nomen enim stultitiæ à *stupore* videtur desumptum, quando Isidorus lib. 10. Etym. cap. 18. dicit: *Stultus est, qui propter stuporem non mouetur.* Et differt stultitia à *fatuitate*, sicut ibidem dicitur: Quia stultitia importat *hebetudinẽ cordis*, & *obtusionem sensuum*, (scilicet internorum mentis,) fatuitas autem importat totaliter *spiritualis sensus priuationem*: & ideo conuenienter stultitia sapientiæ opponitur. Sapiens enim, vt ibidem notat Isidorus, dicitur à *sapore*; quia sicut stultus est aptus *ad discretionem saporis ciborũ*: sic sapiens *ad dignoscentiam rerum atq; causarum*: adeo vt stultitia opponatur sapientiæ *sicut contrarium*; fatuitas autem *sicut pura negatio*. Nam *fatuus caret sensu iudicandi*: *stultus autem habet sensum, sed hebetatum, sapiens autem subtilem & perspicacem.*

Præcipuè autem videtur aliquis esse stultus, quando patitur defectum in sapientia iudicij, *quæ attenditur secundum causam altissimam.* Nam si deficiat in iudicio circa *aliquid modicum*, non ideo vocatur aliquis stultus.

56 Alia verò est stultitia laudabilis, de qua Apostolus 1. ad Cor. 3. v. 18. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Huic enim opponitur *sapientia huius mundi*, quæ ibidem *stultitia apud Deum* dicitur; quia constituit & habet pro causa altissima & fine vltimo aliquod terrenum bonum vt dictum. Sicut ergo hæc est falsa quædam & *mala sapientia*, ita etiam est aliqua *stultitia bona* eidẽ sapientiæ opposita, per quam quis *terrena contemnit.*

57 Assertio II. Stultitia illa carnalis, diuinæ sapientiæ opposita, qua quis ita se rebus terrenis immergit, vt ad res diuinas percipiendas ineptus reddatur, iuxta illud 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*, est peccatum, & quidem ex luxuria nasci solitum. Ita S. Thomas q. 46. a. 2. & 3. Ratio est; quia homo diuina lege tenetur scire & intelligere diuina, pro suæ quisque personæ conditione. Et quamuis stultitiã secundum se & directe nemo velit, *vult tamen ea, ad quæ consequitur esse stultum*, scilicet *abstrahere* sensum suum à *spiritualibus*, & *immergere terrenis*; quo fit, vt stultitia saltem indirecte sit voluntaria.

58 Et quia dum mens hominis immergitur ad terrena per luxuriam, cuius delectationibus *anima absorbetur*, simul etiam fit ineptus ad spiritualia diiudicanda, ideo stultitia, quæ est peccatum, maxime nascitur ex luxuria.

Hoc vero peccatum stultitiæ committunt omnes peccantes mortaliter iuxta illud Eccles. 1. v. 13. *Stultorum infinitus est numerus*, etiamsi per se ac vniuersim non sit peccatum speciale ac distinctum ab eo, in cuius materia peccatur, iuxta ea quæ de ignorantia docuimus tom. 2. disp. 4. q. 9. dub. 1. vbi de hac re plura.

DVBIVM IV.

De præceptis charitatis, speciatim quod, & quotuplex, tam de ipsa dilectione, quam de ordine diligendi præceptum extet; & num in hac vita impleri possit; ac quandonam obliget.

S. Thomas 2. 2. q. 44. aa. 8.

59 Sicut aliarum virtutum, ita etiam charitatis præcepta duplicis sunt generis, quędam affirmatiua, quibus actus charitatis præcipiuntur; alia negatiua, quibus vitia charitati opposita prohibentur. De negatiuis autem non est in præsenti sermo; hæc enim inferius, vbi speciatim de singulis vitijs charitati oppositis agitur, tractanda sunt: sed est sermo solum de præceptis affirmatiuis, ac ijs potissimum, quæ circa ipsum actum amandi versantur.

Quæ etiam causa est, cur quamuis S. Thomas de præceptis Charitatis primum agat sub finem huius materiæ de Charitate, nos tamen hoc loco post internos charitatis actus explicatos, de hac re agendũ duxerimus. De obligatione verò externi actus beneficentiæ patebit ex ijs, quæ de eleemosyna & correctione fraterna quæstione sequenti tractabuntur, cum eadem actus eleemosynæ, & beneficentiæ, quoad obligationem sit ratio, seu proportio.

Porro omnia quæ de præceptis charitatis S. Thomas cit q. 44 tractat, ad sequentia quæsita reuocantur 1. quodnam & quotuplex sit præceptum charitatis de ipsa dilectione. 2. vtrum etiam ordo charitatis cadat sub præcepto. 3. vtrum præceptum de diligendo Deo in hac vita possit impleri, de quibus omnibus breuiter sequentes assertiones statuimus.

Assertio I. Conueniens fuit, vt aliquod de charitatis dilectione erga Deum daretur præceptũ. Ita S. Thomas cit. q. 44. a. 1. Patet ex scriptura, ex qua cõstat, re ipsa tale præceptum à Deo fuisse traditũ Deuteron. 10. v. 12. & Matthæi 22. v. 37. Ratio est. Quia in quolibet genere, id quod est per se, potius est, magisq; necessariũ eo, quod est propter aliud, ac proinde in vnoquoq; negotio magis debitum est id, quod est finis cæterorum, quam media, que non nisi propter aliud debita sunt: at vero actus dilectionis erga Deum, qua homo per charitatem vnitur Deo, habet se per modum finis, respectu aliorum actuum virtutis; eo enim velut ad finem ordinantur omnia, quæ pertinent ad spiritualem vitam. 60

Vnde & Apostolus dicit 1. ad Timoth. 1. v. 5. *Finis præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Omnes enim virtutes, de quarũ actibus dantur præcepta, ordinantur vel *ad purificandũ cor* à turbinibus passionũ, sicut virtutes, quæ sunt circa passiones: vel saltem *ad habendam bonam conscientiam*, sicut virtutes, quæ sunt circa operationes: vel *ad habendam rectam fidem*, sicut illæ, quæ pertinent ad diuinum cultum. *Et hæc tria requiruntur ad diligendum Deum. Nam cor impurum à Dei dilectione abstrahitur, propter passionem inclinantem ad terrena. Conscientia verò mala facit horrere diuinam iustitiam, propter timorem pœnæ. Fides autem ficta trahit affectum* 61

in id, quod de Deo fingitur, separans à Dei veritate.

Certe omnia reliqua præcepta ad charitatem, vel obtinendam, vel conseruandam, sicut & ad ipsum obiectum charitatis, qui est Deus vltimus finis cui, referuntur. Cum ergo de cæteris virtutum actibus præcepta extent, multo magis de ipsa charitatis dilectione erga Deum præceptum dari necesse fuit; vt quod vel ob hanc ipsam etiam causam vocatur *maximum præceptum* cit. Matthæi 22. Et quamuis modus dilectionis non cadat sub illa præcepta, quæ dantur de alijs actibus virtutum; siquidem sub præceptum honorandi patrem vel matrem non cadit, *vt hoc ex charitate fiat; cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus*, vt ait S. Thomas eodem a. 1. ad 1. & pluribus dictum tom. 2 disp. 5. q. 3. dub. 3.

62 Assertio II. Non tamen necessarium, aut conueniens fuit, præcepta charitatis numerari inter præcepta decalogi. Ita S. Thomas ibidem a. 1. ad 3. Ratio est: Quia omnia præcepta decalogi *ordinantur ad dilectionem Dei & proximi*; & ideo præcepta charitatis *supponuntur* à præceptis decalogi, & quasi virtute in omnibus *includuntur*; non autem inter ea connumerantur: præsertim quia in decalogo ea solum præcepta ponuntur, quæ velut conclusiones practicæ ex alijs principijs vniuersalioribus, non sine quadam difficultate deducuntur; cum tamē præceptum illud de diligendo Deo habeat se per modum principij omnibus noti, vt etiam diximus tom. 2. disp. 5. q. 3. dub. 2. num. 21.

63 Assertio III. Non solum de dilectione Dei dandum fuit præceptū, sed propter minus eruditos, adiungi oportuit expressum præceptū de dilectione proximi; ac proinde duplex est præceptum charitatis in scripturis expressum; vnum de diligendo Deo; alterum de diligendo proximo. Ita S. Thomas q 44 a. 2. Patet ex scriptura cit. Matthæi 22. & 1. Ioannis 4. v. 21. *Hoc mandatum habemus à Deo vt qui diligit Deū diligat & fratrem suum.* Ratio est Quia tametsi dilectio Dei, respectu dilectionis proximi habeat se per modum finis, ex quo veluti principio etiā ipsa dilectio proximi tanquā necessaria deducitur; quia tamen non omnes, qui cognoscunt principia, *sufficiunt considerare*, quicquid in principijs virtute continetur, necessarium fuit, *propter minus capaces*, non solum dari præceptum de dilectione Dei, sed etiam de dilectione proximi; sicut in scientijs non solum traduntur principia, sed etiam conclusiones ex principijs deductæ.

64 Assertio IV. Præter duo illa præcepta charitatis, de diligendo Deo, & proximo, non datur aliud præceptum de ipso actu diligendi. Ita S. Thomas q. 44 a. 3. Patet ex scriptura Matthæi 22. vbi duo solum hæc præcepta traduntur, & additur v. 40. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Ratio est. Cum enim dilectio & amor sit boni; bonum autem sit vel finis, vel id quod est ad finem; conuenienter de charitate *duo præcepta sufficiunt*; vnū quidem, quo inducimur ad Deum diligendum, *sicut finem*; aliud quo inducimur ad diligendum proximū, propter Deum, *sicut propter finem*.

Nec obstat, quod præter Deum & proximū, etiam nos ipsos & corpus nostrum ex charitate diligere tenemur, vt dictum dub. 1. Nam de dilectione sui, & proprij corporis nulla peculiaria præcepta danda erant; ad hoc enim sua quisq; natura fertur adeo vt *quantumlibet homo à charitate excidat, remaneat tamen illi dilectio sui, & dilectio corporis sui. Modus autem diligendi præcipiendus est homini, vt scilicet ordinatè se diligat, & corpus proprium: quod quidem fit per hoc, quod homo diligit Deum, & proximum*, vt docet S. Thomas ibidem.

Fatendum tamen est, etiam de alijs actibus charitatis, propter tardiores, expressa præcepta fuisse tradita. De gaudio quidem Philipp. q 4, v. 4 *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* De pace Heb. 12. v. 14. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* De beneficentia ad Galat. 6. v. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* De singulis item beneficentiæ partibus *inueniuntur præcepta tradita in sacra scriptura, vt patet diligenter considerāti*, inquit S. Thomas ibidem ad 2. 65

Sicut & præcepta negatiua contra vitia charitati opposita, peculiaria in scripturis præcepta extant. Nam contra odium dicitur Leuitici 19. v. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Contra acediā Eccli 6. v. 26. *Ne acedieris in vinculis eius.* Contra inuidiam Gal. 5. v. 26. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Contra discordiā verò 1. Cor. 1. v. 10. *Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Contra scandalum ad Rom. 14 v. 13. *Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Ita S. Thomas ibidem ad 3. & magis declarabitur infra, de vitijs charitati oppositis.

Assertio V. In præcepto de diligendo Deo recte præcipitur, vt Deus diligatur ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine. Ita S. Thomas q. 44. a. 4. & 5. Patet ex scriptura Deuteron. 6 v. 5. *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quibus similia habentur apud Euangelistas Matthæi 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum ac primum mandatum.* Marci 12. v. 29. *Primum omnium mandatum est: Audi Israel Dominus Deus tuus Deus vnus est: & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.* Lucæ 10. v. 23. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* 66

Ratio est; quia ad actum virtutis requiritur non solum vt *cadat super debitam materiam*, sed etiam vt *vestiatur debitis circumstantijs*; quibus sit proportionatus tali materiæ: quæ quidem circumstantiæ circa actum dilectionis Dei, recensitis illis particulis exprimuntur. Nam primò quia Deus est diligendus sicut finis vltimus, ad quem omnia sunt referenda, dicitur, *Diliges ex toto corde.* Vbi nomine *cordis* significatur voluntas. Nam sicut cor corporale est principium omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas, & *maxime quantum ad intentionem finis vltimi*, qui est obiectum charitatis, est *principium omnium spiritualium motuum.* In qua proinde particula omnes scripturæ textus superius relati consentiunt. 67

Deinde verò quia ex motione voluntatis, etiá cęterę animi vires ad eandem Dei dilectionē, eundēq; finem ac dilectionis obiectū, qui est Deus, referendæ sunt, subiunguntur aliæ particulæ, ad easdē vires 68

seu potentias spectantes; in quibus tamen scripturæ textus nonnihil variant. Nam sicut retulimus, Deuteronomij loc. cit. *ponuntur tria*, scilicet, *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine* Apud Matthęũ ex his ponuntur duo solum, scilicet *ex toto corde, & in tota anima*: & omittitur, *ex tota fortitudine*: sed additur. *In tota mente*. Apud Marcum ponuntur quatuor, scilicet *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute*, quæ est idem cum fortitudine. Et hæc etiam quatuor tanguntur apud Lucam. Nam loco fortitudinis seu virtutis ponitur: *Ex omnibus viribus tuis*. Quare præter particulã iam antea explicatam, *ex toto corde*, omnibus textibus cõmunem, triũ etiam reliquorũ ex potentijs voluntati subordinatis ratio est assignanda. Nam quod alicubi vnum horum omittitur, ideo factũ est, *quia vnum intelligitur in alijs*.

69 Tria igitur sunt principia actuũ in genere, seu potentiæ, quæ mouentur à voluntate, scilicet intellectus, qui significatur per *mentem*; vis appetitiua inferior, quæ significatur per *animã*; & vis executiua exterior, quæ significatur per *fortitudinem*, seu *virtutẽ*, siue *vires*. Præcipitur ergo nobis, vt tota nostra intentio feratur in Deũ, quod est, *ex toto corde*, & vt intellectus noster subdatur Deo, quod est, *ex tota mente*; & vt appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est, *ex tota anima*: & vt exterior actus noster obediat Deo. quod est, *ex tota fortitudine*, vel *virtute*, vel *viribus* Deum diligere. Ita S. Thomas cit. a. 5.

70 Vbi tamen etiam aliorum explicationes subiungens, ait: *Chrysostomus*, seu auctor operis imperfecti in Matthæũ homil. 42. *accipit è contrario cor & animam*, hanc scilicet pro amore voluntatis; illam pro amore appetitus sensitiui; etsi promiscuè simul animã etiã pro intellectu Deo per fidem adhærente interpretetur. *Augustinus* verò lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. refert *cor ad cogitationes; & animã ad vitã, mentem ad intellectum*. *Quidam* autẽ dicunt, *ex toto corde*, id est, *intellectu; anima*, id est, *voluntate; mente*, id est, *memoria*. Vel secundũ *Gregoriũ Nyssenũ*, per *cor* significat (scriptura) *animam vegetabilẽ*: per animã, *sensitiuã*; per mentẽ, *intellectiuam*: quia hoc, quod nutrimur, sentimus, & intelligimus, debemus ad Deũ referre. Vt proinde omnes in eo consentiant, ijs verbis significari, diligendum esse à nobis Deum, tum internis actibus, tũ externo opere, quantũ possumus.

Et quamuis sub præceptũ, quod datur de actu alicuius virtutis, non cadat modus quem habet ille actus ex alia superiori virtute, *cadit tamen sub præceptũ modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ virtutis*; qualis circa actum charitatis significatur supradictis particulis, vt notauit S. Thomas ibidem a. 4. ad 1. & dictum cit. tom. 2. disp. 5. q. 3. dub. 3.

71 Nec obstat primo, quod ex dicta explicatione sequi videtur, etiã *peccatum veniale, esse contra præceptũ diligendi Deum*; quia peccatũ illud non pertinet, nec refertur ad Dei dilectionẽ; quod tamen requiritur ijs verbis, *ex toto corde Deum diligere*. Nam vt respondet S. Thomas a. 4. ad 2. Ex toto corde Deum diligere, omniaq; ad Deum referre, dupliciter accidit. Vno quidem modo, *in actu*, id est vt *totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur*: & ista est *perfectio patriæ*. Alio modo, vt *habitualiter* totum cor hominis in Deum feratur, ita vt *nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat*: & hæc est perfectio viæ; cui *non contrariatur peccatum veniale*; quia non tollit habitum charitatis; cum non tendat in oppositum obiectũ; sed *solum impedit charitatis vsum*. In quem sensum etiam supra q. 3. dub. 2. explicauimus illud, Deum diligendum esse super omnia.

Nec obstat secundo, quod hac ratione nullus relinqui videatur locus operibus perfectionis, quæ sunt in consilio. Nam perfectio charitatis, ad quam ordinantur consilia, est *media* inter duas perfectiones, paulo ante declaratas, quæ itidem sub præceptũ non cadit; vt scilicet homo quantum possibile est, se abstrahat à rebus temporalibus, *etiam licitis*, quę occupando animũ, *impediunt actualem motum cordis in Deum*, vt rectè notauit S. Thomas eodem a. 4 ad 3. 72

Assertio VI. Sed & præceptum de dilectione proximi recte exprimitur Matthæi 22. v. 39 *Secundũ autẽ præceptum simile est huic: diliges proximũ tuũ sicut teipsum*. Ita S. Thomas q. 44 a. 7. Probatur & declaratur. Nam ijs verbis & *diligendi ratio*, & *dilectionis modus* traditur. Illa quidem, dum *proximus* nominatur. Propter hoc enim ex charitate diligere debemus alios, *quia sunt nobis proximi & secundũ naturalẽ Dei imaginẽ, & secundũ capacitatem gloriæ*. Nec refert, vtrũ dicatur *proximus*, vel *frater*, vt habetur 1. Ioannis 2. v. 10. & 11. & cap. 4. v. 20. & 21. vel *amicus*, vt habetur Leuitici 19. v. 18. quia per omnia hæc *eadem affinitas* (seu coniunctio) *designatur*. 73

Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur, *sicut teipsum*. Quod non est intelligendũ, quantũ ad hoc, vt aliquis proximũ *sibi æqualiter* diligat, sed *similiter sibi* (hoc est, simili modo, quo se ipsum diligit) & hoc tripliciter. Primo quidẽ *ex parte finis*, vt scilicet aliquis diligat proximũ *propter Deum*; sicut seipsum debet propter Deum diligere: vt sic sit *dilectio proximi sancta*. Secundo ex parte dilectionis (seu etiam obiecti, quod proximo diligendo volumus) vt scilicet aliquis *non condescendat proximo in aliquo malo, sed solũ in bonis*: sicut & suæ voluntati satisfacere debet homo solũ in bonis: vt sic sit *dilectio proximi iusta*. Tertio ex parte rationis dilectionis, vt scilicet aliquis non diligat proximũ „ppter *propriã vtilitatẽ*, vel *delectationẽ*; sed ea ratione, *quod velit proximo bonũ, sicut vult bonum sibi ipsi*: vt sic dilectio proximi *sit vera*. Nam cum quis diligit proximũ propter suam vtilitatem, vel delectationem, non verè diligit proximum, *sed se ipsum*. Ita S. Thomas cit. a. 7. 74

Assertio VII. Sed & ordo charitatis cadit sub præceptũ. Ita S. Thomas q. 44. a. 8. Patet ex scriptura 1. Ioannis 3. v. 16. vbi iubemur *pro fratribus animã ponere*; adeoq; significatur, proximũ plus diligendũ esse, quam corpus propriũ. Similiter etiã cum mandatur ad Gal. 6. v. 10. Vt *maxime* operemur bonũ *ad domesticos fidei*; & dum 1. ad Timoth. 5. v. 8. vituperatur, qui non habet curã suorũ, & *maxime domesticorũ*; significatur, inter proximos, *meliores, & magis propinquos magis esse diligendos*. Ratio est; quia modus, qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit sub id ipsum præceptũ, quod de actu virtutis datur: ordo autẽ charitatis pertinet ad ipsam rationem eiusdem virtutis; cum *accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile*. De quare satis actum dub. 2. 75

Assertio VIII. Præceptum dilectionis Dei in hac vitã impleri potest, quantum pro ratione viæ satis est. Hæc est mens S. Thomæ q. 44. a. 6. Probatur

in id, quod de Deo fingitur, separans à Dei veritate.

Certe omnia reliqua præcepta ad charitatem, vel obtinendam, vel conseruandam, sicut & ad ipsum obiectum charitatis, qui est Deus vltimus finis cui, referuntur. Cum ergo de cæteris virtutum actibus præcepta extent, multo magis de ipsa charitatis dilectione erga Deum præceptum dari necesse fuit; vt quod vel ob hanc ipsam etiam causam vocatur *maximum præceptum* cit. Matthæi 22. Et quamuis modus dilectionis non cadat sub illa præcepta, quæ dantur de alijs actibus virtutum; siquidem sub præceptum honorandi patrem vel matrem non cadit, *vt hoc ex charitate fiat; cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus*, vt ait S. Thomas eodem a. 1. ad 1. & pluribus dictum tom. 2 disp. 5. q. 3. dub. 3.

62 Assertio II. Non tamen necessarium, aut conueniens fuit, præcepta charitatis numerari inter præcepta decalogi. Ita S. Thomas ibidem a. 1. ad 3. Ratio est: Quia omnia præcepta decalogi *ordinantur ad dilectionem Dei & proximi*; & ideo præcepta charitatis *supponuntur* à præceptis decalogi, & quasi virtute in omnibus *includuntur*; non autem inter ea connumerantur: præsertim quia in decalogo ea solum præcepta ponuntur, quæ velut conclusiones practicæ ex alijs principijs vniuersalioribus, non sine quadam difficultate deducuntur; cum tamē præceptum illud de diligendo Deo habeat se per modum principij omnibus noti, vt etiam diximus tom. 2. disp. 5. q. 3. dub. 2. num. 21.

63 Assertio III. Non solum de dilectione Dei dandum fuit præceptū, sed propter minus eruditos, adiungi oportuit expressum præceptū de dilectione proximi; ac proinde duplex est præceptum charitatis in scripturis expressum; vnum de diligendo Deo; alterum de diligendo proximo. Ita S. Thomas q 44 a. 2. Patet ex scriptura cit. Matthæi 22. & 1. Ioannis 4. v. 21. *Hoc mandatum habemus à Deo vt qui diligit Deū diligat & fratrem suum.* Ratio est Quia tametsi dilectio Dei, respectu dilectionis proximi habeat se per modum finis, ex quo veluti principio etiā ipsa dilectio proximi tanquā necessaria deducitur; quia tamen non omnes, qui cognoscunt principia, *sufficiunt considerare*, quicquid in principijs virtute continetur, necessarium fuit, *propter minus capaces*, non solum dari præceptum de dilectione Dei, sed etiam de dilectione proximi; sicut in scientijs non solum traduntur principia, sed etiam conclusiones ex principijs deductæ.

64 Assertio IV. Præter duo illa præcepta charitatis, de diligendo Deo, & proximo, non datur aliud præceptum de ipso actu diligendi. Ita S. Thomas q. 44 a. 3. Patet ex scriptura Matthæi 22. vbi duo solum hæc præcepta traduntur, & additur v. 40. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Ratio est. Cum enim dilectio & amor sit boni; bonum autem sit vel finis, vel id quod est ad finem; conuenienter de charitate *duo præcepta sufficiunt*; vnū quidem, quo inducimur ad Deum diligendum, *sicut finem*; aliud quo inducimur ad diligendum proximū, propter Deum, *sicut propter finem.*

Nec obstat, quod præter Deum & proximū, etiam nos ipsos & corpus nostrum ex charitate diligere tenemur, vt dictum dub. 1. Nam de dilectione sui, & proprij corporis nulla peculiaria præcepta danda erant; ad hoc enim sua quisq; natura fertur adeo vt *quantumlibet homo à charitate excidat, remaneat tamen illi dilectio sui, & dilectio corporis sui. Modus autem diligendi præcipiendus est homini, vt scilicet ordinatè se diligat, & corpus proprium: quod quidem fit per hoc, quod homo diligit Deum, & proximum*, vt docet S. Thomas ibidem.

Fatendum tamen est, etiam de alijs actibus charitatis, propter tardiores, expressa præcepta fuisse tradita. De gaudio quidem Philipp. q 4, v. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.* De pace Heb. 12. v. 14. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* De beneficentia ad Galat. 6. v. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* De singulis item beneficentiæ partibus *inueniuntur præcepta tradita in sacra scriptura, vt patet diligenter consideranti*, inquit S. Thomas ibidem ad 2. 65

Sicut & præcepta negatiua contra vitia charitati opposita, peculiaria in scripturis præcepta extant. Nam contra odium dicitur Leuitici 19. v. 17. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* Contra acediā Eccli 6. v. 26. *Ne acedieris in vinculis eius.* Contra inuidiam Gal. 5. v. 26. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Contra discordiā verò 1. Cor. 1. v. 10. *Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Contra scandalum ad Rom. 14 v. 13. *Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Ita S. Thomas ibidem ad 3. & magis declarabitur infra, de vitijs charitati oppositis.

Assertio V. In præcepto de diligendo Deo recte præcipitur, vt Deus diligatur ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine. Ita S. Thomas q. 44. a. 4. & 5. Patet ex scriptura Deuteron. 6 v. 5. *Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quibus similia habentur apud Euangelistas Matthæi 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum ac primum mandatum.* Marci 12. v. 29. *Primum omnium mandatum est: Audi Israel Dominus Deus tuus Deus vnus est: & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.* Lucæ 10. v. 23. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* 66

Ratio est; quia ad actum virtutis requiritur non solum vt *cadat super debitam materiam*, sed etiam vt *vestiatur debitis circumstantijs*; quibus fit proportionatus tali materiæ: quæ quidem circumstantiæ circa actum dilectionis Dei, recensitis illis particulis exprimuntur. Nam primò quia Deus est diligendus sicut finis vltimus, ad quem omnia sunt referenda, dicitur, *Diliges ex toto corde.* Vbi nomine *cordis* significatur voluntas. Nam sicut cor corporale est principium omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas, & *maxime quantum ad intentionem finis vltimi*, qui est obiectum charitatis, est *principium omnium spiritualium motuum.* In qua proinde particula omnes scripturæ textus superius relati consentiunt. 67

Deinde verò quia ex motione voluntatis, etiā cęterę animi vires ad eandem Dei dilectionē, eundēq; finem ac dilectionis obiectū, qui est Deus, referendæ sunt, subiunguntur aliæ particulæ, ad easdē vires 68

seu potentias spectantes; in quibus tamen scripturæ textus nonnihil variant. Nam sicut retulimus, Deuteronomij loc. cit. *ponuntur tria*, scilicet, *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine* Apud Matthęũ ex his ponuntur duo solum, scilicet *ex toto corde, & in tota anima*: & omittitur, *ex tota fortitudine*: sed additur. *In tota mente.* Apud Marcum ponuntur quatuor, scilicet *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute*, quæ est idem cum fortitudine. Et hæc etiam quatuor tanguntur apud Lucam. Nam loco fortitudinis seu virtutis ponitur: *Ex omnibus viribus tuis.* Quare præter particulã iam antea explicatam, *ex toto corde*, omnibus textibus cõmunem, triũ etiam reliquorũ ex potentijs voluntati subordinatis ratio est assignanda. Nam quod alicubi vnum horum omittitur, ideo factũ est, *quia vnum intelligitur in alijs.*

69 Tria igitur sunt principia actuũ in genere, seu potentiæ, quæ mouentur à voluntate, scilicet intellectus, qui significatur per *mentem*; vis appetitiua inferior, quæ significatur per *animã*; & vis executiua exterior, quæ significatur per *fortitudinem*, seu *virtutẽ*, siue *vires.* Præcipitur ergo nobis, vt tota nostra intentio feratur in Deũ, quod est, *ex toto corde*, & vt intellectus noster subdatur Deo, quod est, *ex tota mente*; & vt appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est, *ex tota anima*: & vt exterior actus noster obediat Deo. quod est, *ex tota fortitudine*, vel *virtute*, vel *viribus* Deum diligere. Ita S. Thomas cit. a. 5.

70 Vbi tamen etiam aliorum explicationes subiungens, ait: *Chrysostomus*, seu auctor operis imperfecti in Matthæũ homil. 42. *accipit è contrario cor & animam*, hanc scilicet pro amore voluntatis; illam pro amore appetitus sensitiui; etsi promiscuè simul animã etiã pro intellectu Deo per fidem adhærente interpretetur. *Augustinus* verò lib. 1. de doctrina Christiana cap. 22. refert *cor ad cogitationes; & animã ad vitã, mentem ad intellectum. Quidam* autẽ dicunt, *ex toto corde*, id est, *intellectu*; *anima*, id est, *voluntate*; *mente*, id est, *memoria.* Vel secundũ *Gregoriũ Nyssenũ*, per *cor* significat (scriptura) *animam vegetabilẽ*: per animã, *sensitiuã*; per mentẽ, *intellectiuam*: quia hoc, quod nutrimur, sentimus, & intelligimus, debemus ad Deũ referre. Vt proinde omnes in eo consentiant, ijs verbis significari, diligendum esse à nobis Deum, tum internis actibus, tũ externo opere, quantũ possumus.

Et quamuis sub præceptũ, quod datur de actu alicuius virtutis, non cadat modus quem habet ille actus ex alia superiori virtute, *cadit tamen sub præceptũ modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ virtutis*; qualis circa actum charitatis significatur supradictis particulis, vt notauit S. Thomas ibidem a. 4. ad 1. & dictum cit. tom. 2. disp. 5. q. 3. dub. 3.

71 Nec obstat primo, quod ex dicta explicatione sequi videtur, etiã *peccatum veniale, esse contra præceptũ diligendi Deum*; quia peccatũ illud non pertinet, nec refertur ad Dei dilectionẽ; quod tamen requiritur ijs verbis, *ex toto corde Deum diligere.* Nam vt respondet S. Thomas a. 4. ad 2. Ex toto corde Deum diligere, omniaq; ad Deum referre, dupliciter accidit. Vno quidem modo, *in actu*, id est vt *totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur*: & ista est *perfectio patriæ.* Alio modo, vt *habitualiter* totum cor hominis in Deum feratur, ita vt *nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat*: & hæc est perfectio viæ; cui *non contrariatur peccatum veniale*; quia non tollit habitum charitatis; cum non tendat in oppositum obiectũ; sed *solum impedit charitatis vsum.* In quem sensum etiam supra q. 3. dub. 2. explicauimus illud, Deum diligendum esse super omnia.

Nec obstat secundo, quod hac ratione nullus re- 72
linqui videatur locus operibus perfectionis, quæ sunt in consilio. Nam perfectio charitatis, ad quam ordinantur consilia, est *media* inter duas perfectiones, paulo ante declaratas, quæ itidem sub præceptũ non cadit; vt scilicet homo quantum possibile est, se abstrahat à rebus temporalibus, *etiam licitis*, quę occupando animũ, *impediunt actualem motum cordis in Deum*, vt rectè notauit S. Thomas eodem a. 4 ad 3.

Assertio VI. Sed & præceptum de dilectione 73
proximi recte exprimitur Matthæi 22. v. 39 *Secundũ autẽ præceptum simile est huic: diliges proximũ tuũ sicut te ipsum.* Ita S. Thomas q. 44 a. 7. Probatur & declaratur. Nam ijs verbis & *diligendi ratio*, & *dilectionis modus* traditur. Illa quidem, dum *proximus* nominatur. Propter hoc enim ex charitate diligere debemus alios, *quia sunt nobis proximi & secundũ naturalẽ Dei imaginẽ, & secundũ capacitatem gloriæ.* Nec refert, vtrũ dicatur *proximus*, vel *frater*, vt habetur 1. Ioannis 2. v. 10. & 11. & cap. 4. v. 20. & 21. vel *amicus*, vt habetur Leuitici 19. v. 18. quia per omnia hæc *eadem affinitas* (seu coniunctio) *designatur.*

Modus autem dilectionis tangitur, cum dicitur, *sicut* 74
te ipsum. Quod non est intelligendũ, quantũ ad hoc, vt aliquis proximũ *sibi æqualiter* diligat, sed *similiter sibi* (hoc est, simili modo, quo se ipsum diligit) & hoc tripliciter. Primo quidẽ *ex parte finis*, vt scilicet aliquis diligat proximũ *propter Deum*; sicut seipsum debet propter Deum diligere: vt sic sit *dilectio proximi sancta.* Secundo ex parte dilectionis (seu etiam obiecti, quod proximo diligendo volumus) vt scilicet aliquis *non condescendat proximo in aliquo malo, sed solũ in bonis*: sicut & suæ voluntati satisfacere debet homo solũ in bonis: vt sic sit *dilectio proximi iusta.* Tertio ex parte rationis dilectionis, vt scilicet aliquis non diligat proximũ ,ppter *propriã vtilitatẽ*, vel *delectationẽ*; sed ea ratione, *quod velit proximo bonũ, sicut vult bonum sibi ipsi*: vt sic dilectio proximi *sit vera.* Nam cum quis diligit proximũ propter suam vtilitatem, vel delectationem, non verè diligit proximum, *sed se ipsum.* Ita S. Thomas cit. a. 7.

Assertio VII. Sed & ordo charitatis cadit sub 75
præceptũ. Ita S. Thomas q. 44. a. 8. Patet ex scriptura 1. Ioannis 3. v. 16. vbi iubemur *pro fratribus animã ponere*; adeoq; significatur, proximũ plus diligendũ esse, quam corpus propriũ. Similiter etiã cum mandatur ad Gal. 6. v. 10. Vt *maxime* operemur bonũ *ad domesticos fidei*; & dum 1. ad Timoth. 5. v. 8. vituperatur, qui non habet curã suorũ, & *maxime domesticorũ*; significatur, inter proximos, *meliores, & magis propinquos magis esse diligendos.* Ratio est; quia modus, qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit sub id ipsum præceptũ, quod de actu virtutis datur: ordo autẽ charitatis pertinet ad ipsam rationem eiusdem virtutis; cum *accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile.* De quare satis actum dub. 2.

Assertio VIII Præceptum dilectionis Dei in hac vita impleri potest, quantum pro ratione viæ satis est Hæc est mens S. Thomæ q. 44. a. 6. Probatur

& declaratur. Præceptum enim aliquod dupliciter potest impleri. Vno modo perfecte; alio modo imperfecte. Perfecte quidem impletur præceptum, quando peruenitur *ad finem*, quem intendit præcipiens. Impletur autem, sed *imperfecte*, quando etsi non pertingat ad finem præcipientis, *non tamen recedit ur ab ordine ad finem*. Sicut si Dux exercitus præcipiat militibus, vt pugnent, ille perfecte implet præceptum, *qui pugnando hostem vincit*, quod Dux intendit; ille autem implet, sed imperfecte, cuius pugna ad victoriam non pertingit; non tamen contra disciplinam militarē agit. Intendit autem Deus per hoc præceptum, vt homo Deo totaliter vniatur; quod fiet in patria, quando Deus erit *omnia in omnibus*, vt dicitur 1. ad Cor. 15. Et ideo plene & *perfecte in patria* implebitur hoc præceptum: *in via autem impletur, sed imperfecte*. Et tamen in via tanto vnus alio perfectius implet, *quanto magis accedit*, per quandam similitudinem, ad patriæ perfectionem. Ita S. Thomas cit. a. 6.

Summa est; impleri posse, quantum ad id, quod directe in hac vita sub præceptum cadit, etsi non impleatur, quoad finem præcepti in altera primum vita consequendum; qui directe & immediatè sub præceptū non cadit, vt pluribus dictum tom. 2. disp. 6. q. 3. dub. 6. & nonnihil disp 4. q. 8. dub. 3. Hactenus doctrina S. Thomæ de præceptis charitatis.

77 Illud verò adhuc dubium restat, an & quandonā præceptum de interna dilectione Dei, vel proximi obliget. Ad hoc respōdeo sequētibus assertionibus.

Assertio I. Tenemur aliquando super omnia amare Deum, non solùm vt auctorē naturæ, amore naturali, sed etiam quatenus per fidem, aut supernaturalē cognitionē nobis, vt auctor supernaturalium bonorum proponitur, amore supernaturali. Colligitur tū ex illo, 1. Ioannis 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte*. tum ex Matthæi 22. v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Quæ etsi apud S. Thomam hic q. 44. a. 5. ex varijs varie explicentur vt vidimus, re ipsa tamen aliud non significant, quam vt Deus diligatur ex omnibus viribus, & super omnia, tanquam finis noster vltimus, cui nihil anteponamus. Præterquam quòd vero simile est, particulas illas diuersas nihil diuersum significare, sed maioris tantum explicationis & emphasis causa positas, vt videre est apud Maldonatum ibidem, & Gregorium de Valentia hic q. 19. punct. 1. Ratio sumitur ex dictis superius assert. 1.

78 Assertio II. Præceptum hoc dilectionis obligat, tum in articulo mortis, adeoque tempore subeundi Martyrij; tum etiam quando primùm post rationis vsum quis animaduertit rationes, quibus ad amandum Deum super omnia, suaque omnia ad Deū referenda merito moueri potest, aut sane paulo post. Ita habet cōmunis sententia Doctorum, apud citatos, & fusius dictū tom. 2. disp. 5. q 5. dub. 4. sub fin. Ratio est, quia vtroque hoc tempore inprimis opus est, vt affectus cum Deo vniatur: præsertim quando eodē tempore simul obligat præceptū perfectę contritionis, quæ aut est ipse actus charitatis, aut certe actum charitatis amoremque Dei super omnia supponit, vt dicetur suo loco.

79 Assertio III. Quin etiam præceptum dilectionis Dei super omnia insuper in vita per se, aliquoties obligat; quamuis incertum sit, quibusnam præcise temporibus oblig t.

Primum tradit cōmunis Doctorū sententia, idq; satis colligitur ex citatis scripturis; & vlterius probatur ex eo, quod nemo censeri potest amici officiū explere, qui non aliquoties ac iterato amoris affectū erga amicum renouet. Et postulant hoc insuper etiā innumera beneficia Dei. Deniq; præcipuū mediū, quo ad supremam beatitudinē contenditur, est ipsa dilectio Dei super omnia: ergo ipsa ratio hominis viatoris postulat, vt hoc medium sæpius in vita reiteretur. Hinc sanè qui per multos annos nullū eiusmodi actum dilectionis Dei elicuisset, à peccato non foret immunis; etsi certo temporis interuallo obligatio hæc præcise definiri non possit, vt mox declarabitur.

Secundam partē rectè tradunt Bannes hic q. 44. a. 1. dub. 1. Azor tom. 1. lib. 9. c. 4. & Sa v. *charitas*; eaq; patet vel ex ipsa sententiarum diuersitate, quæ hac de re inter Doctores reperitur. Etenim primo Nauarrus Manuali c. 11 n. 7. dicit, obligare, cum primū homo ad rationis vsum peruenit: quæ est etiam sententia S. Thomæ 1. 2. q. 89. a 6. & aliorū. Sed quam, vti sonat, de ipso præcise instanti primo vsus rationis acceptā ibidē tom 2 disp. 4. q. 5. dub. 4. cum Soto, Banne, Valentia, & plerisque alijs refutauimus. 80

Secundo Sotus lib. 1. de nat. & grat. cap. 22. & lib. 2. de iustitia q. 3. a. 10. quem sequitur Valentia hic q. 19. punct. 1. asserit, præceptum illud obligare, dum baptismus suscipitur, vel singulare beneficium à Deo confertur. Sed hoc velut sine sufficienti ratione dictum, non recipiunt Nauarrus, & Azor locis cit. Sufficit enim ad baptismum attritio; & pro beneficio, gratiarum actio.

Tertio Sotus, Nauarrus, Valentia locis cit. idipsū asserunt, quando honor Dei aduersus blasphemātes defendendus est. Sed is actus ad Religionē spectans, cur actum illū amoris exigat, non apparet: cum ipse etiam Sotus tradat, per se loquendo, sufficere actionem illam externā, qua diuinus honor vindicetur, etiamsi ab interna charitate non proficiscatur. 81

Quarto Sotus in 3. dist. 27. Angelus, & Tabiena V. *feriæ* existimant obligare omnibus diebus festis. Sed hoc quia nulla firma ratione nititur, ex cōmuni reijciunt citati. Vnde colliges, vti peccato non vacat ille, qui nunquam, aut per multos annos nullum actum amoris Dei elicit, vt ante dictum, ita per se loquendo, non facile damnandum, qui in vita subinde se ad amandum Deum exercet.

Assertio IV. Per accidens vero hoc præceptum obligat, quando actus ille dilectionis Dei super omnia ad aliud quoddam opus, vel alterius virtutis actum exercendū necessarius est. Ita habet cōmunis Doctorū sententia. Ratio est; tum quia qui præcipit actum, etiam præcipit ea, quæ ad illum hic & nunc requisita sunt. Tum quia sancta sanctè peragenda: ergo si quo casu opus aliquod exercere placeat, quod hic & nunc sine dilectione Dei super omnia rectè & sanctè obire non liceat, necessarium erit actum illum dilectionis non prætermittere. 82

Qua quidem ratione Caietanus 1 2. q. 89. a. 6. itē Nauarrus, Valentia, Sa locis cit. & alij communiter asserunt, præceptū obligare, dum contritionis actus eliciendus est; velut qui ex amore Dei super omnia 83

profi-

proficiſci debeat, de qua re ſuo loco tom. 4 Ita etiam Sotus loc. cit. putat obligare quando valde arduum opus ſuſcipiendum eſt; aut alioquin ob tentationis vim, animæ ſalus periclitatur. Sed cum etiam orationis, aut alterius virtutis actu robur impetrari poſſit, tentatioque vinci, non eſt cur determinate ac vniuerſim actus dilectionis Dei requiratur, vt recte notauit Azor loc cit. Qua ratione etiam is actus vix vnquã ad alia opera externa virtutum determinate neceſſarius erit. Alia ratio eſt ſuſceptionis Sacramẽtorum, ad quam rite obeundam, nonnunquã in homine peccatore neceſſaria eſſe poteſt perfecta contritio, & conſequenter etiam dilectio Dei ſaltẽ virtualis ſuper omnia, vt dictum. Neque vero omiſſio huius actus hoc caſu eſt peccatum ſpeciale & diſtinctum ab eo peccato, ad quod vitandum requirebatur : Secus eſt in ijs caſibus, in quibus hoc præceptum per ſe obligare diximus.

84 Assertio V. Sed & aliquando neceſſarius eſt actus dilectionis ſupernaturalis proximi. Ita habet communis Doctorum ſententia apud citatos; quicquid in contrarium dixerit Caietanus loc. cit. Colligitur ex cit. Matthæi 19. *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Ratio eſt; quia proximo efficaciter velle debemus bona ſupernaturalia, hęcq; eidẽ pro loco & tempore ex affectu charitatis procurare. Tum quia proximus eſt verè amicus per charitatẽ, vt ſuperius dictum: ergo tenemur ſubinde amorem amicitiæ erga eundem per charitatem elicere, vt in ſimili de dilectione Dei dictum.

85 Assertio VI. Hic tamen actus per ſe non ita neceſſarius eſt, vt in eo ſiſtatur; ſed ſolum vel ob exercendum actum aliquem externum charitatis erga proximum, vel ob vitandum ipſius odiũ. Significat Valentia hic q 19. punct. 2. Ratio eſt; quia hic actus internus per ſe neq; notus eſt proximo, neq; vtilis: cum tamen amor internus Dei & notus ſit ipſi, & per ſe quidam ipſius cultus, merito proinde requiſitus, etiam ſine vllo reſpectu ad actũ externum.

86 Dices primò; hinc conſequens eſſe, aliquem Eremitam, qui ſolus abſq; omni conſortio humano habitet, nunquã teneri tota vita ſua elicere actum dilectionis proximi; vtpote cui nullum ipſe externum charitatis officiũ præſtare poteſt. Reſpõdeo negando ſequelã; tenetur enim talis nihilominus orare p ſalute proximorũ; quæ oratio dicitur externus actus charitatis, quia eſt actus diuerſæ virtutis atq; etiam potentiæ, quamuis ex motiuo charitatis profectus.

Dices ſecundo, externũ actum charitatis non eſſe proximo exhibendũ ex præcepto, niſi in caſu neceſſitatis; fieri autẽ poteſt, vt alicui tota vita ſua nullus talis caſus neceſſitatis occurrat. Reſpondeo, in tali caſu ſufficere cõmunem notitiam neceſſitatis proximorũ in genere, ſaltẽ vt orare pro eodem teneamur.

87 Dices tertiò, hac ratione probari actũ dilectionis eliciendum eſſe erga omnes homines; maximè quia omnes ſunt amici; id verò non videtur vſu receptũ. Reſpondeo, concedendo ſequelam : id enim ipſe Chriſtus faciendum indicauit, quando in oratione dominica nos generatim p omnibus orare docuit. Neq; enim pro nobis ipſis tantum ſinguli, ſed generatim pro omnibus hominibus oramus; *Pater noſter &c. Adueniat regnum tuũ. Dimitte nobis debita noſtra.*

88 Dices quartò, officia externa charitatis, ipſamque etiam orationẽ ſufficienter exhiberi & peragi poſſe abſq; interno affectu & dilectione proximi. Reſpõdeo conſtanter admodum & efficaciter non poſſe, ſi nunquã intercedat actus internus charitatis. Quo fit, vt etſi opus non ſit, quoties externũ officiũ charitatis proximo exhibemus, actum internũ dilectionis, præſertim ſupernaturalis, erga eundem elicere, opus ſit tamen aliquando, & quidem iterato eundẽ ſubinde exercere. In qua tamen re fatendum eſt, vel ob eam ipſam cauſam, non leuiter ſubinde peccari; vt vere dici poſſit; *Quoniam refrigeſcet charitas multorum*, Matth. 24 v. 12.

QVÆSTIO V.

De Eleemoſyna tam corporali, quam ſpirituali; adeoque de correptione fraternã.

S. Thomas 2. 2. q. 32. & 33.

ABſoluetur hæc quæſtio quinque dubitationibus. I. Quid in genere & quotuplex, cuiuſq; vtilitatis ſit Eleemoſyna. II. De præcepto Eleemoſynæ corporalis; an & quando obliget: itemque de quibus rebus, à quibus, & quanta fieri poſſit eleemoſyna. III. An expediat, ſine diſcrimine quoſuis pauperes ad eleemoſynarum acceptionem, petitionemue, vbiuis locorum admittere. IV. An & quando, ſeu quibuscum circumſtantijs fraterna correptio ſit in præcepto. V. An & quis in Correptione fraternã ordo ſit ſeruandus.

DVBIVM I.

Quid in genere, & quotuplex, cuiusq; vtilitatis ſit Eleemoſyna.

S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 1. 2. 3. & 4.

1 QVantum ad primũ attinet, Eleemoſyna per ſe & immediatè eſt actus miſericordiæ, v. quæſt. præced. dub. vlt. dictũ, & patet ex ipſa notione nominis, gręcè à miſerendo deriuati. Quo tamen non obſtante, mediatè & imperatiuè poteſt eſſe actus tũ charitatis, ex dictis ibidem; tum religionis, Heb 13. v. 16. *Talibus hoſtijs promeretur Deus*: tum etiam pœnitentiæ ſiue Iuſtitiæ, ex Dan 4. v. 24. *Peccata tua Eleemoſynis redime.* Definitur, opus, quo ſubuenitur indigenti, ex compaſſione, propter Deum, iuxta S. Thomam q. 32 a. 1. Sed vbi de ipſa per ſe eleemoſyna ſermo eſt, vltima particula rectius omittitur.

mam tuam repetunt à te: quæ autē parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. Lucæ 16. Epulo in Lazarum immisericors damnatur. 1. ad Timoth. vltimo v. 17. & 18. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo &c. facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurū vt apprehendant verā vitā.* Huc etiam ex parte spectant illæ in diuites cōminationes. Luc. 6. v. 24. *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationē vestram.* Luc. 18. v. 25. *Facilius est enim camelū per foramē acus transire, quā diuitem intrare in regnum Dei.* Iacob. 5. v. 1. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris quæ aduenient vobis.* Nimirū quia cum diuitijs facile coniuncta esse solet immoderata cupiditas, quæ hominē à religionis & misericordiæ studio auertit. Ratio est. Quia charitas exigit, vt quādo cōmode & facile possumus, necessitati proximi subueniamus: tum quia graues & leues necessitates proximi vix satis inter se discerni possunt: tum quia valde necessariū est Reipub. in qua sæpe maior pars pauperum est, vt cōmunes eiusmodi necessitates subleuentur.

15 Ex dictis colligitur, etsi in singulis particularib⁹ casibus, ob paruitatē materiæ, nō sit plus quā veniale, cōmunem & leuē necessitatē patienti, eleemosynā negare, modo vbi facultas suppetit, nulla grauis scienter negligatur, & aliquando etiā nullum, si quis prudenter differat, vt cum omnib⁹ non possit, alij cui malit, aut etiā egentiori tribuat, vt habetur ex S. Thoma cit. q. 66. a. 7. nihilomin⁹ tamē ex illorum auctorū quos secuti sum⁹, sententia, mortale peccatū esse, si quis superflua habens statuat, in cōmunib⁹ necessitatib⁹ pauperum nullā vnquā eleemosynā facere; aut si, quod moraliter tantundē est, saltē cum implicito eiusmodi proposito, reipsa nullā vnquā in tali casu de superfluis eleemosynā faciat; quia materia & debitum hoc, etsi respectu singulorum leue sit, graue tamen est respectu communitatis, vt recte notauit Valentia loc. cit.

16 Notanda tamē interim duo. Primum, necessaria ad statum dici illa ex S. Thomā hic q. 32. a. 6. & Caietano ibidē, sine quib⁹ non potest vita conuenienter agi, secundum conditionē & statum præsentem, aut probabiliter per licita media acquirendum, tam propriæ personæ, quā aliorum, quorū cura nobis incumbit; spectata quidē hac in re, nō solum præsenti necessitate, sed etiā probabiliter, prudentis viri iudicio, futurā; ita vt hac in re non habeatur quidē ratio omnium, quæ absolute possunt contingere in futurum; hoc enim esset de crastino superflue cogitare, contra præceptum Christi Matthæi 6. sed eorum tantum, quæ probabiliter, & vt in plurib⁹ occurrunt, vt recte notauit S. Thomas a. 5. ad 3. Quo fit, vt eiusmodi necessarium non consistat in indiuisibili, sed habeat magnā latitudinē; ita vt sæpe multis additis, non possit iudicari superfluum; & multis etiā sublatis, adhuc cēseri possit necessariū vtcunq; remanere, vt etiam notauit S. Thomas cit. a. 6.

17 Notandum secundo, non tamen ideo superflua habentib⁹ prohibitum esse, opes suas ad alios etiam honestos vsus cōuertere, v.g. ad ædificationē seu ornatum templorum, ad conuiuia moderata amicorum, ad liberalē ac moderatā donationē, & non solum quia hæc ipsa possunt ad decentiā status spectare, sed etiam quia templum potest aliquādo magis esse necessarium bono cōmuni, quā multorum etiam pauperum in leuibus eiusmodi necessitatibus subleuatio. Accedit, quod qui donat, aut indigenti donat, & sic saltem quoad substantiā eleemosynam facit; aut non indigenti, & tunc onus dandi eleemosynam cum pecunijs in alterum transfert, sine damno pauperum. Ex quibus facile soluuntur contrariæ sententiæ fundamenta.

Quæritur secundo an præceptum Eleemosynæ oñes ex æquo obliget; quibusue casib⁹ obligare desinat: & an sufficiat aliquādo indigenti mutuū dare.

ASSERTIO I. In prædictis casibus, ad dandam eleemosynā multo strictius, quā alij seculares, obligantur personæ Ecclesiasticæ, habētes redditus Ecclesiasticos; & in his maximē Episcopi, & animarū pastores. Ita docent ex certa & communi omnium sententia Bannes, Valentia, loc. cit. Et colligitur ex 1. ad Timoth. 3. v. 2. *Oportet Episcopū esse &c. hospitatem &c. non cupidū.* Idē habetur ex S. Gregorio hom. 14 in Eccl. & Concilio Tridentino sessione 23. de Reformat. c. 1. vbi dicitur, *præcepto diuino mandatū esse oñibus, quibus animarū cura cōmissa est &c. etiā pauperū aliarūq; miserabiliū personarū curā paternā gerere.* 18

Vnde etiam sumitur ratio ab officio peritæ: præterquā quod iuxta canones, reditus Ecclesiastici peculiari ratione sunt pauperib⁹ obligati; adeo vt vel beneficiarij non sint dñi bonorum superfluorum, sed dispensatores tantū, de quo inferius d. 4. vel certē si dominiū habent, ideo habent, vt inde etiā pauperes subleuent; idq; tum ex intentione Fundatorū; tum ex legum Ecclesiasticarum decreto, vt proinde saltem ex strictissimo præcepto misericordiæ pauperibus subuenire teneantur, iuxta eosdem.

Vnde Bannes: *Ego sanè*, inquit, *nullum Episcopum Hispaniæ absoluerem, nisi saltem quartam partem redditū in eleemosynas expenderet.* Et addit, in grauioribus necessitatibus famis, aut pestis, etiā ad amplius teneri, ita vt aliquando teneantur ex propria supellectile, & vasis argenteis eleemosynam facere. Quæ de re multi canones existunt apud Gratianū causa 10. q. 1. & causa 12. & causa 16. q. 1. & causa 22. q. 4. Similis est ratio quarundam Religionum, & Monasteriorum seu religiosarū domuum, quę ex speciali ratione fundationis seu instituti ad eleemosynas & hospitalitatem obstringuntur.

ASSERTIO II. Omnes tamen obligationes superius relatæ cessant; Primo quādo pro tempore, quocunq; demū casu, facultas subueniendi deest; nemo enim tenetur ad impossibile. Secundo quando proximi necessitas plane ignoratur. Nam etiā tunc subleuari nō potest; nec vero in eā vllus tenetur inquirere, nisi prælatus, paterfamilias, & alij quib⁹ ex officio subditorum cura incumbit; esset enim alioqui id onus plane intolerabile; nec est hęc rerū particularium cognitio p se vsquam præcepta. Tertio, cum quis probabiliter scit; eā necessitatē p alium opportune subleuatum iri; quia tunc proxim⁹ mea ope nō indiget. Quarto, quādo aliquis non potest subleuare personæ priuatæ miseriam, nisi vel quoad se, vel quoad sibi coniunctos, partē aut maiorē necessitatē incurrat, iuxta dicta de ordine charitatis q. 3. dub. 4. conuenienter S. Thomæ hic q. 32. a. 6. & 9. Caietano, Banni ibidem Valentiæ q. 9. punct. 4. 19

ASSER-

20 Assertio III. Si proximus indigens habet alibi bona; aut saltē eius conditionis sit, vt probabiliter existimetur acquisiturus; aut vsu tantum rei vsu nō cōsumptibilis indigeat; aut quoties res magni pretij, v. g. 20. aureorum, ad præsentē necessitatē subleuandā est expendenda, non est necessarium indigenti absolutè donare, sed satis est mutuo dare, vt is datum restituat sub cōditione, cum aliquando possit. Ita Nauarrus c. 24. Manual. n 5. Couaruuias in reg. *peccatum* part. 2. §. 1. n. 3. & 4. post Adrianum in 4. de restitut. qui absolute docent, satis esse, si quis tempore præcepti eleemosynę, aut donando, aut mutuando proximo subueniat.

Sed hoc velut alienum à cōmuni sensu piorum vniuersim nō placet, vt supponūt non solum antiqui Doctores in 4. dist. 15. & 16. sed etiā aperte notarunt Sotus in 4. de Iustitia q. 7. a. 1. Bannes, & Valentia loc. cit. qui in tribus solum prioribus casibus notant sufficere mutuum; sed ego probabiliter etiā extendi hoc existimo ad vltimum, cum Lessio lib. 2. de Iustitia c. 16. dub. 1. n. 11. Licet enim vbi nullum interceſſit pactum, in extrema necessitate quisque possit sibi necessarium ad vitam vndecunq; sumere (saluo ordine charitatis, consulto etiam prius Dño, si commodè fieri potest, ex S. Thoma a. 7. ad 3.) idq; etiā sine obligatione restituendi, quicquid dixerit Nauarrus; tamē in re magni pretij, non iniuste videtur imponi illa per se non grauis obligatio accipienti, vt restituat, si aliquando possit; tum vt hac ratione suauius sit eleemosynæ onus, tum vt indigentes ipsi ad maiorem industriam excitentur.

Quæritur secundo, de quibus rebus; à quibus & quanta fieri possit Eleemosyna. Respondetur sequētibus assertionibus. Assertio I. De rebus alienis,
21 seu iuxta præsentes circumstantias, omnib⁹ spectatis, restitutioni obnoxijs, absque consensu expresso vel interpretatiuo Dñi seu creditoris, non est licitum facere eleemosynas; nisi in extrema necessitate. Ita S. Thomas q. 32. a. 7. Colligitur ex Eccl. 34. & Prouerb. 3. v. 9. *Honora Dominum de tua substantia.* Ratio est. Quia debitum iustitiæ præponderat debito misericordiæ. Vnde colliges, eleemosynas, quib⁹ se quis impotentē reddit ad restitutionē debiti, nec iuste dari, nec iuste accipi; ac proinde restitutioni obnoxias esse, de quo alibi.

Excipitur tamen extrema necessitas; quia in hac omnia fiunt cōmunia; in qua proinde quilibet potest ac debet etiam de alieno (consulto tamen prius, si cōmodè fieri potest, Dño, vt superius dictū) subuenire, si ꝓpria non habeat; nec propterea tenetur ad vllā restitutionē, vt iuxta S. Thomam ibidē rectè notauit Valentia q. 9. pun. 5 & 6. ex cōmuni, licet quis iam ante necessitatē eiusmodi extremā, rem alienā alteriue debitā furto aut vsura abstulerit, vt ex dictis colligitur, etsi nonnulli dubitent. Addit Sa V. Eleemosyna n. 8. *Posse etiā grauiter indigentē rapere alienā non magni momenti rem, dicunt quidā; nec improbabiliter.* Sed certe hoc est contra cōmunē. S. Thomæ, & aliorum cit. a. 7. qui id solum permittunt in extrema necessitate; in qua sola oñia fiūt cōmunia.

22 Assertio II. De rebus quidem illicite partis licitum est facere eleemosynam; modo earum dominium à possidente fuerit acquisitum; aut certe non eędē numero, sed specie tantū restitutioni obnoxię sint. Ita cōmunis, & colligitur ex S. Thoma ibidem a. 7. Itaq; de meretricio fieri potest eleemosyna, & secluso scandalo, etiā oblatio ad altare, iuxta S. Thomā q. 86. a. 3. ad 1. etsi id olim lege positiua fuerit prohibitū Deut. 23. Ex vsuraria etiam pecunia, seu lucro, cui⁹ ꝑ cōmixtionē (de qua suo loco) acquisitū fuerit dominiū, quodue nō numero, sed specie solū idē est restituendū, potest fieri eleemosyna, salua obligatione restituēdi ęquiualēs: per simoniā deniq; acquisitū nō solū potest, sed etiā debet erogari in eleemosynā, ex peculiari dispositione iuris positiui, vt notauit etiā S. Thom. cit. a 7. & suo loco dicetur.

Assertio III. Ille qui est in potestate alteri⁹ cōstitut⁹, extra casum extremæ necessitatis, (in quo, vt dictū, omnia fiunt cōmunia) nō potest facere eleemosynā, absq; superioris explicito, aut probabiliter præsumpto, seu interpretatiuo consensu, nisi habeat aliquid, ratione cuius potestati superioris non subsit. Ita S. Thomas q. 32. a. 8. & communis. Ratio patet; quia de re aliena, aut altari obstricta, nemo potest disponere sine consensu alterius: nisi vt in extrema necessitate accidit, iam non sit propria solum alterius, sed communis. 23

Vnde colligitur, maritatas dare posse eleemosynā in his casibus, vt conformiter S. Thomæ hic tradūt Syluester & Sa verbo *Eleemosyna*, Nauarrus c. 17. n. 353. Primo de bonis paraphernalib⁹ (nempe alijs, præter dotē, & cōmunia) & de reb⁹ sibi à viro ad victū assignatis; vt & de ijs, quas sua nō debita industria acquisiuerunt. Secundo vbi est consuetudo, vt 24
tales dent eleemosynas, iuxta Syluestrum & Sa loc. cit. etsi Nauarrus ex Antonino talem consuetudinē non agnoscat, Tertio, viro absente, quantum ille præsens dare solebat, aut debebat. Quarto, si familiā gubernet, viro consentiente. Quinto, tali necessitate occurrente, cui vir teneatur nec tamen velit subuenire: tunc enim quoad hoc in viri quasi locū succedit, eiusq; defectū supplet. Sexto, pro tuenda salute viri, exemplo Abigail 1. Reg. 25. Septimo, si maritus sit decoctor; tum enim potest clam sibi suæque familiæ subtrahere necessaria, ad vsus seu temporales, seu spirituales.

Similiter etiā filijfamilias, & Religiosi poterunt 25
iuxta eosdē de reb⁹ sibi permissis facere eleemosynā. Primo, si ex voluntate Patris, aut Prælati in peregrinatione, aut exteris scholis versentur; censetur enim tunc superior consentire, vt more aliorū honestorū peregrinorū & Scholarium eleemosynas faciāt. Secundò, si quā ex superiorū consensu administratione habent, ob eandē causam. Tertio, ex assignatis sibi rebus pro victu, seu ad alios vsus arbitrarios, vt de religiosis speciatim etiam docet Nauarrus in cap. *Nondicatis* n. 40. In quo tamen Religionis cuiusque leges & mores seruandi. Videri potest Basilius in regulis breuioribus q. 82. & 100.

Quarto, potest etiam filius facere eleemosynā 26
peculiariter sua auctoritate, ex peculio Castrensi, quod videlicet ratione militiæ acquisiuit, vel quasi Castrensi, vt sunt acquisita per publicum officium liberale, v. g. Aduocati, Medici, vel per Regis donationem; non autem ex profectitijs, quæ ratione personæ, vel bonorum Patris sunt acquisita, vt quorum dominium est parentis; nec ex aduentitijs, quæ aut sua opera, aut per aliorum

dona-

donationē, sine respectu Patris, filij acquisiuit; quia istorū saltē vsus fructꝰ ad Patrem pertinet. De quibꝰ fuse Syluester verbo *Eleemosyna*, & verbo *peculium*.

Deniq; ad eundē modum, etiā famuli & ancillæ eleemosynā facere possunt, aut de rebus paruis, sub quadā ratihabitione, quæ ex circūstantijs colligēda erit; vel de esculentis siue retrimētis, quæ alioqui inutiliter perirent; vel ex ijs rebus, quas de suo sibi victu subtrahūt; vel de proprio peculio, siquod habēt.

28 Assertio IV. Quod si bona quædam sint communia; possideanturq; in cōmuni particulariter, ita videlicet, vt singula eius cōmunitatis membra determinatū ius aliquod habeant ad aliquā eiusmodi bonorū partē, vt fit in collegijs Canonicorū, tunc ad faciendā exhis eleemosynā, extra casum extremę necessitatis, requiritur consensus singulorum ex ea cōmunitate: at si possideantur in cōmuni collegialiter; quæ videlicet ab ipsa cōmunitate, vel rectore communitatis libere dispensantur, ita vt singuli nō habeant determinatum aliquod ius ad quandā eiusmodi bonorum portionē, qualia sunt bona monasteriorū, tunc requiritur consensus aut maioris partis, aut eorum, qui curā cōmunitatis gerunt, iuxta variam gubernationis rationem, & speciales leges singulorum ordinum. Ita ex cōmuni Ioannes Medina de eleemosynā q. 4. Valentia pun. 5. ex cap. *Cum omnes*, extra de constitutionibus, & cap. *Cum in cunctis*, De ijs, quæ fiunt à maiori parte capituli.

29 Assertio V. Potest constitutus dispensator eleemosynarum, si vere egeat, etiam sibi ipsi facere eleemosynam. Ita S. Thomas a. 9. ad 3. Ratio patet; quia ipse non est deterioris conditionis, quam alij pauperes: & mens Dñi est, vt in quosuis verè egentes & pauperes fiat distributio, modo non totū nec plus sibi, quam alteri paris conditionis largiatur.

30 Assertio VI. Abundanter eleemosynā facere, vt indigentiā suppleas recipientis, & sit secundum propriæ facultatis proportionē facta, laudabile est: non autē ita vt ipse recipiens superfluū habeat. Ita S. Thomas q. 32 a. 10. Probatur tum ex illo Tob. 4. v. 9 *Si multū tibi fuerit, abundanter tribue*: tum ex illo 2. Cor. 8. v. 13. *Non vt aliis remissio, vobis autem sit tribulatio sed ex æqualitate.*

Quem locum expendens S. Thomas ibidē ad 3. ait. *Auctoritas inducta quantū ad hoc, quod dicit: Non vt alijs sit remissio vel refrigerium, loquitur de abundantia eleemosynæ quæ superexcedit necessitatem recipientis; cui non est danda eleemosyna, vt inde luxurietur, sed vt inde sustentetur. Circa quod tamē est discretio adhibenda, propter diuersas conditiones hominum, quorū quidā delicatius nutriti, indigent magis delicatis cibis aut vestibus. Vnde Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 20. dicit: Consideranda est in largiendo ætas atq; debilitas. Nonnunquā etiam verecūdia, quæ ingenuas prodit natales; aut siquis ex diuitijs in egestatē cecidit, sine vitio suo. Quantum vero ad id, quod subditur; Vobis autem tribulatio, loquitur de abundantia ex parte dantis, Sed sicut glossa ibidem dicit, non hoc ideo dicit, quia melius esset, scilicet abundanter dare; sed de infirmis timet, quos sic dare monet, vt egestatē non patiantur.* Ita S. Thomas, indicans scilicet ob altiorē ac spiritualē fidem, etiā necessaria erogare laudabile esse, vt dictū cit. q. 3. dub. 4. Ratio sumitur tum ex ordine charitatis ibidem explicato tum ex fine eleemosynæ, qui est subleuatio indigentiæ alienæ.

Quis autem ordo ac modus in eleemosynis dandis sit seruandus, de qua re agit S. Thomas a. 9. & 10. 31 constat ex dictis de ordine charitatis q. 3. dub. 4. Recte vero monet Caietanus a. 10. consultius ac melius esse eleemosynas erogare dum viuis, quàm erogandas legare post mortem: non solum quia illæ certiores, & ex se magis voluntariæ sunt; sed etiam quia plus prosunt eroganti; qui hac ratione sæpe etiam à peccatis mortalibus, ipsoq: infernalis pœnæ reatu liberari potest: quod post hanc vitam fieri non potest.

DVBIVM III.

An expediat, sine discrimine quosuis pauperes ad eleemosynarū largitionem petitionemue vbiuis locorum admittere.

S. Thomas 2. 2 q. 32. a. 8 & 9.

AD hanc rem explicandam, Quæritur primo an conueniat priuatis, multū examinare eos, qui 32 eleemosynā postulant, de moribꝰ & vitæ conditione, ne forsan indigni admittātur. Respondetur negatiuè, satis enim est, non constare de indignitate petentis seu recipientis eleemosynā. Ita passim docent SS. Patres, speciatim August. l. 5. hæres. qui ait: *Discite Christiani, sine discretione exhibere hospitalitatē, ne forte cū domū clauseritis, ipse sit Christus, quē excludatis.*

Et seuerius Chrysostomus hom. 31. ad Antioch. siue potius homil. 11. in epist. ad Heb. c. 6. vti etiā ex parte refertur cap. quiescamus d. 42. ait: *Quiescamus ab hac absurda & diabolica curiositate. Si in clerum electū se dicit; si sacerdotē se nominat; scrutare. Non enim sine periculo in talibus indiscussa communicatio est: circa maiora periculum vertitur; non enim das, sed accipis. Si vero pro nutrimento postulat, ne hic examines &c. Si Abraham scrutator esset, refugientes ad se angelos nunquam hospitio suscepisset.* Et infrà: *At simulat, inquis, tremorē & infirmitatē: non times, ne fulmen ab hoc verbo editus accensum in te feratur? nec Christi times tribunal illud horrendū? nam etsi simulat, ex necessitate & egestate simulat, propter tuā sæuitiā & inhumanitatem. Quis enim tam miser & ærumnosus est, vt nulla premente necessitate, pro solo pane, velit ita deturpari ac plangere, talemq; personā sustinere? Igitur illius simulatio, inhumanitatis tuæ præco fertur.* Similia ex Chrysostomo hom. 11. in epist. ad Heb. cap. 6. referuntur cap. *Quiescamus* dist. 42.

Idem Chrysostomus in illud Apostoli Colossē. 3. 33 *Induite vos viscera misericordiæ* ita scribit: *Vide quomodo vult nos esse misericordes: non dixit misereminimi simpliciter, sed induite vos; vt quemadmodū vestimentū semper nobiscum est, sic & eleemosyna. Nec simpliciter dixit misericordiam, sed viscera misericordiæ, vt naturalem imitemur amorem. At nos contrarium facimus, & si vnum quis petens obulum accedat, contumelijs & conuitijs insectamur & impostorem vocamus. Non horres ò homo, nec erubescis, impostorem propter panem vocans? Si vero talis impostura facit, ob hoc ipsum, dignus est, cui misericordia tribuatur, quod ita fame premitur, vt talem habeat personam. Quin & hæc nostræ crudelitatis est redargutio; nam cum facile dare non sustinemus, innumeras coguntur artes excogitare, vt inhumanitatem nostram fallere possint, & emollire sæuitiam.*

Ibidem

34 Idem Chrysostomus Hom. 21. in Epist. ad Rom. *Ne tu*, inquit, *Pauperes curiosè inquiras; propter Christũ ipsos suscipis. Quod si perpetuo curiosè scrutatus fueris pauperes, fiet, vt sæpe probatum coram Deo virum prætermittas, mercedemque quam ex eo habiturus eras, perdas. Ne scruteris igitur curiosè pauperum vitam atque negotia. Nam extremæ illud insolentiæ est, pro vno pane, totam miseri hominis vitam curiosè inquirere.*

35 Et Gregorius Nazianzen⁹ orat. in obitum patris. *Multo*, inquit *præstat, ob eos qui opem merentur, immerẽtib. quoq; porrigere, quã dum metuimus, ne in indignos beneficium conferamus, dignis etiam misericordiæ officia denegare. Atque eo pertinere videtur, quod scriptura inquit, panẽ in aquam quoq; mittendam esse; vt pote nec defluxurũ, nec periturũ apud iustũ harũ rerũ ponderatorẽ (Deũ;) sed eo perventurũ, vbi omnia nostra collocabũtur, & tempestiuè occurrent, vtcunque aliter existimemus.*

36 Item Isidorus lib. 3 sent. siue de sumo bono c. 64. *Quicunque egens poscit, etiamsi indigentem simulat, ex toto corde illi commiserari oportet. Et licet ille falsam præ se indigentis speciem ferat, is tamẽ, qui simpliciter impertit, fructum misericordiæ non amittit.*

Ex quibus patet, SS. Patres eiusmodi egenorũ scrutinia velut absurda & periculosa, & à Christiana simplicitate plane aliena, magnopere detestari, vt bene obseruauit etiã Theodorus Peltan⁹ l. 1. de eleemos. c. 9. additis fere etiam sequentibus rationibus, I. Quia eleemosinæ fructus non nititur meritis ac virtute eius, qui eleemosynã accipit, sed deuotione & charitate largientis. II. In eiusmodi examine incaute sæpe multa quæruntur, quæ iure quæri non possunt, ne in legitimo quidem iudicio, ne dũ extra omne forum. Omitto probra & contumelias, quæ non sine grandi iniuria sæpe adijciuntur. III.

37 Etiã qui miserias & infirmitates simulant, vt eleemosynas emungant, communiter tamen vere miseri esse solent, vt pote quos non nisi grandis necessitas, ad tam abiectã mendicationis sortẽ solet compellere, vt supra ex Chrysostomo diximus. IV. Facile sub hac examinis specie, excluduntur etiam digni, & vere pauperes. V, Alienum est hoc à cælestis Patris exemplo, qui *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Matth. 5. v. 45. Denique aliud est, esse misericordem, aliud scelerum vindicem: misericordiam Deus exigit ab omnibus, vindictam non item.

38 Quæ tamen nil obstant, quo minus per viros probos, à magistratu ad hoc designatos, comunia, & quasi publica quædã ab ignotis pauperibus exquirantur. Puta vnde veniant, quo vadant, cuius sint regionis vel Religionis, aliaque eiusmodi, quæ ab ignotis hominibus exquiri solent. Istud enim, inquit Peltanus loc. cit. adeo non est peccatum hoc tempore, quo tam multi impostores circumcursitant, vt omnino videatur necessariũ, ne dum de alijs bene mereri studemus, ciuitatem in aliquod periculum conijciamus.

39 Sed & quos apertè constat, in suam, aut aliorum pernicie eleemosynæ præsidijs abuti, ijs hæc omnino deneganda sunt, iuxta illud Eccli. 12. v. 4. *Da misericordi, & ne susciperis peccatorẽ, &c. Da bono, & non receperis peccatorẽ. Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne potentior te sit: nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis, quæcunq; feceris illi: quoniam & altissimus odio habet peccatores, & impijs reddet vindictam.* Vnde Ambrosius lib. 1. off c. 30. *Pulchrum est bene velle, & eo largiri consilio, vt prosis, nõ vt noceas. Nam si luxurioso ad luxuriæ effusionem, adultero ad mercedẽ adulterij largiendũ putas, non est beneficentia ista, vbi nulla est beneuolentia; officere est enim illud, non prodesse alteri.* Non sunt igitur illi eleemosynis fouendi, qui in luxuriam, vel superbiã, vel aliud quodcunq; vitium, istiusmodi fomentis abuti dignoscuntur, vt bene etiam docuit Peltanus loc cit.

Et Augustinus Epist 48. ad Vincentiũ, vt refertur 40
etiã c. *Non omnis*, causa 5. q. 5. *Vtilius*, inquit, *esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiã negligit; quã esurienti panis frangitur, vt iniustitia seductus acquiescat.*

Quæritur secundo, an iusta vel expediens sit lex, 41
qua quibusdã in locis cauetur, ne quis pauperũ publice vel ostiatim mendicet. De hac re ita disserit Peltanus loc. cit. Extra omnem, inquit, controuersiã esse, eiusmodi leges edi & conscribi posse; modo tamẽ pauperibus opidanis domi manentibus ita prospiciatur, vt nihil necessariorum illis desit.

Cum vero quæritur, expediat ne eiusmodi leges 42
edere; mihi sane, inquit, illarum ciuitatũ consilium magis probatur, quæ pauperibus ciuibus liberam mendicandi potestatem faciunt; quod ipse ibidem pluribus rationibus probat; quarum summa est. I Quia citra publicũ ærarium pauperibus domi manentib⁹ prospici cõmode non potest: sufficiens autem eiusmodi ærarium non facile inuenitur. II. Plura incõmoda, ac præsertim vestitus inopiam experiuntur pauperes qui publico sumptu domi aluntur. III. Incidunt in magna sæpe commoda, qui publice mendicantes domos obeunt, quib⁹ carent, illi qui domi detinentur. IV. Plura impetrant, qui suas miserias coram representant, quam qui absentes iuuantur. V. Multa ibi pereunt, vbi nulli sunt pauperes, qui cibum publice quærunt. VI. Plærunq; diuites mensarum aut vestium reliquias dare malunt, quã pecunias. VII. Pauperes ostiatim circũcursitantes multis occasionem præbent salutaris misericordiæ, 43
saltem interno affectu exercendæ. VIII. Etiam famuli ancillæ, ac liberi ad misericordiam pronocantur, cum alias soli fere patresfamilias in commune pauperum ærarium conferant. IX. Spectaculum est multo iucundissimum, Deoque & hominibus longe gratissimum, cernere numerosos pauperũ greges magnatum ianuis assistere ciboq; & potu recreatos inde decedere. X. Deniq; leges, quæ eleemosynarũ studium infirmant aut extenuant, Reipub. non sunt vtiles ac salutares.

Propter has itaq;, inquit Peltanus, loc. cit. aliasq; 44
eiusmodi rationes, earum ciuitatũ institutũ magis probandũ æstimo, quæ verè pauperib⁹ publice mẽdicandi facultatem faciunt; etsi interim aliarũ, quæ eam potestatem egenis ciuibus suis non faciunt, iudicium condemnare non audeã, modo tamẽ pauperibus domesticis rectius prouideatur, quã communiter prouideri consueuit. Ita Peltanus.

Quod iudiciũ itidem mihi comprobatur. Solũ 45
addo, ipso etiam diuinæ legis veteris exemplo constare, mẽdicationis publicę vsum, per se loquẽdo, si modo pauperib⁹ aliunde satis prospiciatur, nõ male phiberi; quãdo Deus ipse Deut. 15. v. 4. eum improbasse videtur, cum ait: *Et omnino indigens, & mendicus*

non

non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem. Vbi quidem Deus directe mendicationem non prohibet; sed vult tamen adeo liberalē esse pauperū subuentionem; ijsq; à ditioribus aut ipso magistratu ita prouideri, vt publica mendicatione non egeant.

46 Quæritur tertio, an iure & conuenienter quarūdam Rerumpublicarū legibus à ciuitatū, pagorum, oppidorū ingressu, publicaq; mendicatione prohibeantur pauperes externi. De hac re sunt duæ inter Doctores sententiæ. Prima pauperū etiā externorū causam strenue agit, & defendit, quasi peregrini & aduenę mendici nullo iure ab ingressu ciuitatū, oppidorū, pagorū, publicaq; mendicatione prohibeantur. In hanc sententiā prolixe & studiosē disserit Peltanus noster lib. 1. de Eleemosyna cap. 9. vbi inter cætera ait: Natæ sunt alicubi leges & constitutiones, veris pauperibus parū cōmodæ, Christianæq; charitati, & rationis quoq; legi parū consentaneę.

47 Comperiuntur enim Respublicæ, quæ nullū omnino exterum mendicū admittunt; & si de illius miseria aperte constet. Aliæ, quæ tales quidē ad aliquot dies admittunt; verū id cum tanta cautione, tantaq; de tota miserorū vita, statu, & conditione, indagine & inquisitione, vt dubitare queas, satius ne sit Eleemosynariū aliquod subsidiū ab eiusmodi loco exspectare, an tam exactū, non absq; pœnæ periculo, si cubi lapsus, aut à vero aberrasse deprehensus fueris, examē subire. Aliæ tandē, quæ alias, prout singulæ in suo sensu abundant, in peregrinorū egenorum receptione leges & cautiones adhibent, Quæ omnia etsi bono zelo fiant, aut fieri certe queant, aliquam tamen iniquitatis speciem præseferunt.

48 Id quod sequentibus argumentis comprobat. I. Loca publica, vt sunt viæ regiæ, ciuitates, oppida, pagi, Iure gentium omnibus ex æquo patere debent, nullusq; eo iuris beneficio citra culpam priuari potest. Cum ergo exteri mendici, vt tales, noxa vacent, non possunt communi illo iuris beneficio spoliari.

II. Nunc ab hac, iterum ab illa, rursum ab alia ciuitate arceri, aliud nihil esse videtur, quam quoddā partiale exilium, seu peculiaris quædā proscriptio, quæ sine culpa nulli irroganda est.

III Quamuis id non sit veri nominis exilium, attamen ita ad natale solū amandari, vt nusquam alibi admittaris, est quiddam vero exilio cognatum, & manifesta cōmunis iuris violatio, magnaq; insontiū vexatio; dum illi in perpetua quadā peregrinatione versari, & sæpe in itinere omni ope destituti emori coguntur.

49 IV. Plurimi reperiuntur, qui in patrio solo nec habent vnde viuant, nec habere possunt. Eiusmodi ergo statutis intra patriæ limites eosdem coërcere, nihil aliud est, quam innoxios contra omne ius & fas dira fame enecare.

V. Sicut ciuicus magistratus ciuitatis incolis, qui se aliter nequeunt alere, nullo iure interdicere potest, ne domo exeant, diuitumq; ædes eleemosynarum causa adeant, nisi necessaria vitæ alimenta ministrent; ita etiam prouinciarum rectores, locorū sterilium incolis, ne extra victum quærant, iuste inhibere nequaquam possunt.

50 VI. In scriptura admodum cōmendatur omnib⁹ & inculcatur hospitalitas Exodi 23. v. 9. *Peregrino molestus non eris; scitis enim peregrinorum animas, quia & ipsi peregrini fuistis in terra Aegypti.* Et Leu. 23. v. 22. *Non secabitis segetem terræ vestræ vsq; ad solum, neq; remanentes spicas colligetis, sed peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester.* Et Deut. cap. 10 v. 17. *Dominus personam non accipit, nec munera, facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinū, & dat ei victum atq; vestitum; & vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ, in terra Aegypti.* Et infra: *Peregrino qui intra portas tuas est, da vt comedat.* Absque iure igitur peregrini pauperes hospitio eleemosynaq; prohibentur.

VII. Seuere itidem Ambrosius eiusmodi legibus 51
obsistere videtur lib. 3. offic. c. 7. vbi ait. *Sed & illi, q peregrinos vrbe prohibent, nequaquā probandi: expellere eo tempore, quo deberent iuuare: separare à commercijs cōmunis parentis, fusos omnibus partus negare: inita cōsortia viuendi auerruncare: cum quibus fuerint communia iura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri. Feræ non expellunt feras, & homines expellunt homines? Feræ ac bestiæ communē putant omnibus victū, quē terra subministrat, illæ etiam consortē sui generis adhibent, homo impugnat, qui nihil à se alienū debet credere quidquid humani est. Quantū ille rectius, qui cum iam perfecta processisset ætate, & famem toleraret ciuitas; atq; vt in talibus solet, peterent vulgo, vt peregrini vrbe prohiberentur, præfecturæ vrbanæ curam cæteris maiorem sustinens, conuocauit honoratos, & locupletiores viros poposcit, vt in medium consulerent, dicens, tam inhumanū esse, peregrinos eijci, quam hominem ex homine exui, qui cibum morienti negaret. Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines extrudimus?* Hæc ille contra eos, qui grassante fame, peregrinos vrbe receptos ex vrbe eijcere studebant. At eiusdem inhumanitatis est, inquit Peltanus, receptos eijcere, & recipi cupientes non admittere.

Verum quamuis hæc specioſe & vero similiter 52
disserantur, contraria tamē sententia & grauissimis virorum sapientum prę iudicijs, & passim quotidiana praxi stabilitur, qua in Rebuspub. quibusq; optime constitutis peregrini & aduenæ mendici, à ciuitatum ac oppidorum accessu ac publica mendicatione prohibentur. Mea vero sententia in sequē tibus pronunciatis consistit.

Assertio I. Vagi & validi mendici, quibus 53
sola ignauia mendicationē suadet, merito vbiuis à mendicatione arcentur. Est extra controuersiā; de quibus etiam Peltanus loc. cit. ita disserit: sed neque illi quoq; Eleemosynario præsidio digni sunt, qui etsi neminem concutiant, aut publice lædant, nulliusq; thorum violent, nihilominus laborem, quo alere se poterant, & iure quoque se alere debebant, auersantes, ignauiæq; & otij commoda de industria sectantes mentiendo & mendicando orbem obambulant, variasq; artes & impostura, quo id, quod sibi præfixum habent, consequantur excogitant. Et enim quo copiosiorem eleemosynam extorqueat, adeoq; mollius cutem curet, hic se à latronibus spoliatum confingit; ille naufragio vel incendio omnibus fortunæ bonis se exutum asserit; alius iniusto exilio se multatum comminiscitur, alius rursum hoc vel illo occulto morbo se grauari causatur; alius tādem aliud nugatur, prout vnusquisque mentiendi fucumque faciendi euasit doctior.

Hos

55 Hos quod felicitatem in mendicitate ponant, ipsaque mendicitate certa quadã ratione diuites existant, quidã non omnino ineptè πλωχοπλουσιους vocant, iuriũ antistites, cum vagabundos, tum validos quoq; mendicos appellant. Verum vtcunq; appelles, digniores plerumque sunt, in quos magistratus publice animaduertat, quam in quos magnas eleemosynas conferat, vt qui non solum sint ignaui, & ab omni honesto studio prorsus alieni, sed reipublicæ quoque sæpenumero exitiosi.

56 Nam cum istiusmodi homines sint otiosi & curiosi, & ventris causa quiduis pati & agere parati, prout vitiorum omnium mater & nutrix est otium, sua turpitudine non contenti, alijs quoque morum suorum scabiem affricant. Et vt cæteris suis sordibus nihil obessent, veris tamẽ pauperibus magnum prę iudicium afferunt. Nam & Eleemosynarũ præsidia illis intercipiunt frequenter, & vulgo eosdẽ exosos reddunt, multisque conuitijs & probris exponunt.

57 Deniq; præter diuinas humanasque leges, quæ id hominum genus passim detestantur, multæ graues extant causæ, cur eiusmodi vagos validosq; mendicos è ciuitatibus proscribi, & si minæ & admonitiones sat non sunt, mulctis quoq; & pœnis à turpi illa vita coërceri conueniat. Ita Peltanus. Atque huc præter communes leges spectat etiam ex Iure municipali Bauarico lib. 5. tit. 5. articulus 1. qui est de validis & peregrinis mendicis, leprosis, stationarijs, & vagabundis, alijsque eiusmodi suspectis hominibus, in prouincia non tolerandis.

58 Assertio II. Sed nec alij peregrini mendici, sine discrimine & præuio examine, in vrbibus, alijsq; cõmunitatibus admittendi. Est itidem certum. Ratio patet, quia alioqui digni cum indignis admitterentur promiscue, & facile Prouinciæ ac Respublicæ periculis exponerentur, vt superius quæsito 1. dictum. Eandemque etiam ob causam ratio exigit, vt sine publico testimonio, siue consensu, tales ad ciuitates non admittantur: nec improbandũ publicũ ministrorum officium, ad hoc examẽ destinatũ; modo illi officio suo probe & fideliter fungantur.

59 Assertio III. Sed nec in extrema, vel quasi extrema necessitate, necessarium subsidium negandũ peregrinis quibusuis, ab ijs, qui eam necessitatẽ perspectam habent, nec aliunde releuandã existimant. Est itidem extra controuersiam; quia extreme, vel quasi extreme egenti, siue is probus sit & Christianus, siue improbus & paganus, Eleemosyna non deneganda est, iuxta historiam Samaritani, & illud Christi Matth 5. *Benefacite his qui oderunt vos:* quicquid Wicleffus apud Waldensem tom. 3. lib. 2. doctrin. cap. 81. dixerit, non esse peccatoribus dandam eleemosynam.

Et in casu, quo forsan tales, nisi adiuuentur, non solum secundum corpus, sed etiam secundum animam perituri videantur, cæteris etiam melioribus, de salute spirituali non ita periclitantibus, præferendi sunt, vt ex dictis de ordine charitatis patet, & recte etiam notauit Peltanus loc. cit. Et ob eandem causam, magistratus est prouidere, per ministros ad hanc rem designatos, qui scilicet pauperum examini præsunt, vt debita huiusmodi Eleemosynæ subsidia adeo egentibus, quãuis peregrinis, non desint: quia nulla magistratus authoritate fieri potest, vt obligatio illa naturalis ac diuini Iuris desinat: quin potius eiusdem est procurare, ne humanis legibus, executio naturalis ac diuinæ legis interuertatur.

Assertio IV. Vbi tamen prædicta cautio adhibetur, vniuersim improbandæ non videntur leges illæ, quæ peregrinos & vagos eiusmodi mendicos à publica mendicatione prohibent. Hæc assertio probatur, cum authoritate & exemplo sapientum virorum, ac Rerumpublicarum, in quibus passim eiusmodi leges statutæ reperiuntur; speciatim tum in Iure Cæsareo, tum etiam Prouinciali Bauarico loc. cit. Vbi dicitur; *Cum speciatim etiam in quibusdã Comitijs Imperialibus statutum fuerit, vt quisque magistratus prouideat, quo vnaquæq; ciuitas, communitas, siue territoriũ suos mendicos sustentet, nec peregrinis permittat, in quouis loco mendicare; quod quidem in nostris ditionibus admodum necessarium est, siquidem talium peregrinorum & validorum mendicorum discursus, & quotidianus incursus, subditis nostris, ac speciatim pauperi rusticanæ plebi, magnũ grauamen, ac insuper vere egentibus ac morbidis, quibus necessario ex eleemosyna victitandum, graue præiudicium & incommodum pariunt. Ideo habita cum Prouincialibus nostris consultatione, ordinamus & mandamus serio, vt imposterum omnibus peregrinis & externis mendicis, leprosis, Iacobicolis, & similibus, qui passim ex vna prouincia in aliam vagantur, sicuti etiam sub pietatis prætextu peregrinantibus, si qui ignoti, nec alibi perspectum domicilium, vel fide dignum testimonium habent, vel non directa via ad destinatũ peregrinationis terminum pergunt, in principatibus nostris interdicta sit mendicandi facultas, nec ij mendicare vllo modo permittantur, sed vbiq; ex ditionibus nostris abire iubeantur, & ne eas posthac ingrediantur, in ipsis statim finibus ab ingressu prohibeantur, sicut iam antea in speciali ac publico nostro mandato decreuimus & mandauimus.* Vbi plura in eundem sensum adduntur. 60

Eiusmodi vero leges (in re publicam politiam concernente) virorũ adeo sapientum proborumq; iudicio comprobatas, vniuersim improbare & cõdemnare, admodum durum est, præsertim quando ijs ipsis multa experientia edoctis viris nihil aliud propositum fuit, quam priuato pauperum, non secus ac publico bono recte consultum ire. Quare etiam Peltanus, cit. lib. 1. de Eleemos. cap. 9. etsi multis antea in contrariũ disseruisset, ne tamen velut contra torrentem niti videretur, tandem hanc moderationem subiunxit: Neq; tamen, inquit, ea de causa hæc dico, aut disputo hoc loco, quasi leges vel constitutiones, quæ contra exteros mendicos alicubi extant, condemnem: absit hoc, verum vt moneam, eiusmodi sanctiones ea seueritate vrgendas non esse, vt peregrinorum mendicornm curam, tanquam nihil ad nos pertinentem, penitus abiecisse videamur. Et Gregorius de Valentia q. 9. pun. 7. de hac ipsa re disserens, eiusmodi leges non absolutè improbat, sed iudicio vult opus esse, vt statuatur, quatenus liceat vel non liceat ciuitatibus excludere peregrinos pauperes, Sunt enim in ea re, inquit, diligenter ponderandæ circumstantiæ pauperũ & boni communis Rerumpublicarũ, & inprimis etiam in eo genere cauendum est scandalum. Quæ omnia pendent ex circumstantijs casuum particularium. Ita Valentia. 61

Rationes eiusdem assertionis fere ex dictis colli- 62

guntur; quarum hæ sunt potissimæ. I. Nã ex quo in Christiano orbe, præsertim in Imperio ac circũiacentibus prouincijs, tot passim impostura & hæreses, ac in ijs aliquæ, quæ consulto latibula & secretos recessus amant, quales sunt Pickarditarũ, Anabaptistarũ, Schwenckfeldianorum, admodũ inualuere, qui sub specie pietatis aut necessitatis, simplices quosq;, presertim ruricolas, facillime seducunt, fędisq; hæresibus velut peste inficiunt: posq; quã etiam tot & continua passim bella vndequaq; grassantur, quæ & proditores quamplures requirunt, quos ad omnia, præsertim munitiora loca vndiq; emittant, & innumeros latrones prædonesq; pariunt, quibus nihil facilius, quã sub specie mendicitatis pestilens suum propositum effectum dare, vix vllum examen siue cautio sufficiens esse potest, ad euismodi impostores & Rerumpubl. pestes auertendas, nisi peregrini & ignoti eiusmodi mendici penitus ab ingressu vrbium & prouinciarũ arceantur: non secus ac grassante peste, non solum peste infecti, sed etiã de contagione suspecti, & qui vel transeundo saltẽ loca infecta attigerunt, ab ingressu ciuitatum ac prouinciarum seuere prohibentur.

63 II. Ea vagorum mendicorũ tolerantia cõmuniter in graue præiudicium indigenarum pauperum ac mendicorum cedit, quibus vniuscuiusque patria, cæteris paribus, ad benefaciendum magis obstricta est, quam externis ac alienigenis; iuxta dicta de ord. Charit. & illud Ambrosij lib. 1. offic. cap. 30. *Est illa probanda liberalitas, vt proximos sanguinis tui non despicias, si egere cognoscas: melius est enim, vt ipse subuenias tuis, quibus pudor est, ab alijs sumptum deposcere.* Et illud Apostoli 1. Tim. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit &c.* vt pluribus persequitur S. Thomas q. 32. a. 9. Sane cum vnaquęq; cõmunitas suis ꝑprijs pauperibus abundet, quibus nõnunquã satisfieri ægre potest, cumq; externi plerunque, præsertim aduersus simplices ruricolas, & in petendo multo importuniores ac procaciores sint, & ad quaslibet fraudes confingendas aptiores; quam indigenæ pauperes, facile fit, vt in eleemosynis illi priores ferant, non sine graui pauperum indigenarum præiudicio.

64 III. Grandeid plerumq; esset ciuium ac prouincialium grauamẽ, à tot pauperibus alienigenis, singulis quasi horis & momentis perpetuo molestari, seu satisfacere ijs velint, seu, quod ob tenuitatẽ rei familiaris plerumq; faciendum foret, postulatam eleemosynam ac subuentionẽ denegare, à qua vagabundi illi non facile inanes dimitti sese patiuntur, nisi contumelias & calumnias quasi pro stipendio negatæ stipis reponant, & nonnunquã etiam damna furtis ac incendijs inferant.

65 IV. Præceptum Eleemosynæ ac misericordiæ hoc non requirit, vt pauperes peregrini aliunde vndiq; in patriã pelliciantur, & ipsa quasi promptitudine succurrendi aduocentur; sed vt præsentibus, ac quouis casu superuenientibus, si verè indigeant, subueniatur: Ergo per se loquendo, contra misericordiam non peccatur, etsi publici magistratus curã, pro bono Reipubl. ab vrbium & prouinciarum aditu arceantur,

66 V. Cum nulla prouincia, siue patria proprijs, ijsq; multis pauperibus careat, ipsa ratio postulat, vt vnaquæq; prouincia seu patria suos ipsa pauperes alat; quando nihil fere cuiquam à sua patria ac natiuitatis principio magis debetur, quam alimonia, ita vt inde suam vitam conseruet, vnde accepit. Quod si vbiuis locorum obseruetur, vti par est, nulla erit causa, cur pauperibus ad mendicandũ alienæ prouinciæ ac territoria pateant. Quod si alicubi non fiat, id ijs ipsis eorundẽ locorũ magistratibus potius & dominis, quã alienis territorijs imputandũ erit.

Qua de causa etiam in Constitutionibus Bauaricis lib. 5. tit. 5. a. 3. in hunc modum cauetur: *Indigenis quoq; & incolis, quos constat citra mendicationẽ, ex labore manuum sustentationem habere posse, posthac ne mẽdicationis facultas concedatur: sed vnus quisq; magistratus in ciuitatibus, oppidis, & pagis prouideat, vt vere pauperes & egentes, qui ob ætatem, ægritudinem, aliamue miseriam, sine eleemosyna viuere non possunt, ijs solum locis, vbi nati sunt, vel antehac diu habitarunt, siue in ciuitatibus, siue in oppidis, aut pagis Eleemosynarum præstatione sustententur, neque sinantur alijs locis mendicationis causa discurrere.* Vbi simul etiam plures cautelæ adiunguntur. 67

Et ibidem articulus 5. sic habet: *Singulorũ item locorum magistratus, nempe Officiales nostri in suis territorijs, Prouinciales in suis dominijs, & Hoffmarchys, itemque consules & senatores in ciuitatibus & oppidis, curam adhibeant, vt mendicorum filij, qui per ætatem, & valetudinem ad suum panem lucrandum idonei sunt, vel ad seruitia adhibeantur, vel ad discenda artificia admoueantur, vt tempestiue à mendicantibus parentibus abducti, labori ac seruitijs assuescant, neq; mendicationi perpetuo inhæreant.*

Optimus est etiam eiusdem loci articulus 7. vbi statuitur: *Cum etiam frequentis adeo mendicationis causa non minima sit, quod plebeij homines, tam in ciuitatibus & oppidis, quam in pagis, liberos suos mendicitati aut otio assuescere sinunt; eosque nec ad discenda artificia, nec ad aliud quidpiam, vnde se honeste alere quandoque possint, admouent, eaque interim socordia parentum, non solum in liberorum, sed etiam in Reipublicæ aliorumque multiplex damnum & grauamen cedit: ideo serio mandamus, vt parentes liberos suos, vbi ad laborandum siue discendum idoneam ætatem attigerint, nullo modo in otio educent, sed tempestiue ad discendum aut laborandum, & si ijs ipsi ad propria opificia non indigeant, ad seruiendum adigant; & si forsitan ipsi occasionem non habeant, applicandi liberos ad discendũ, laborandũ, aut seruiendũ, id ipsum magistratus significent, eiusq; opẽ ac promotionem implorent. Qui vero parentes hoc mandatũ nostrũ neglexerint, suosq; liberos ad laborandũ & discendũ idoneos per vacordiã & negligentiam in mendicitate vel otio instituerint, ijsper magistratũ loci, à ciuitate, oppido, territorio, pago, vbi habitabant, in aliorum exemplum, sine remedio ejciantur.* Quæ quidẽ si in singulis ditionibus ac prouincijs obseruarentur, iã pauperibus cuiusq; loci satis de alimonia ꝑspectũ foret; præsertim quando vbi subditi & plebeij admodũ sunt tenues & egentes, domini fere eo solent esse opulentiores ac ditiores, quorũ hoc ipso etiã est ꝑuidere, ne plures vnoquoq; loco incolę admittantur, quã qui ibidẽ cõmode ali possint. 68 69

Ex quibus etiam facile ad rationes in contrarium oppositas responderi potest. Ad primũ respõderur, loca & vias publicas, iure gentium omnibus patere 70

debere,

debere, nisi ex certa personarum conditione morale damnum & periculum Reipub. immineat; vt tempore infectionis seu pestis accidit, &c.

71 Ad secundum & tertium respondetur, exiliũ non esse, ad suam patriam mendicantes ablegare. Quod si per accidens nonnunquam tales mors præoccupet, id publico bono iure posthabetur, nec alienis prouincijs, siue Dominis, sed sibi illi, suæque patriæ imputare debent.

Ad quartũ respondetur ex dictis, non deesse modum, quo vnaquæque patria suis pauperibus prouideat. Quod si extraordinaria necessitas interuenerit, vicinorum erit, pro Christianæ charitatis debito, eidem pro viribus succurrere.

Ad quintum respondetur, disparitatem esse; nam indigenas pauperes vnaquæque patria de suo alere tenetur, non ita externos.

Ad sextum. Hospitalitas laude digna, ac in præcepto est vbi sine præiudicio ac damno Reipublicę & domesticorum exhiberi potest.

Ad septimum dico, Ambrosium agere non de peregrinis & externis, sed de indigenis seu incolis, qui tempore famis ex patria eijci non debent. Alioqui nulla Respubl. tenetur, quibuslibet aduenis & peregrinis ius ciuitatis aut domicilij concedere, vt patet. Cætera incommoda auertentur, si id, quod assertione tertia notauimus, obseruetur.

DVBIVM IV.

An, & quando, seu quibus cum circumstantijs fraterna correptio sit in præcepto.

S. Thomas 2.2.q.33.a.1.2.3.4. 5. & 6.

72 SVpponendum ex S. Thoma cit. q. 33. correctionem aliam esse iuridicam, quæ scilicet per se & directè spectat bonum publicũ; aliam esse fraternã, quæ per se ac directè spectat emendationẽ & bonũ ipsius peccãtis, ad eoq; ordinatur in remediũ peccati, quatenus quoddã ipsius peccantis malum est, quęque vt ait S. Thomas cit. q. 33. a. 6. *non habet coactionẽ, sed simplicẽ admonitionẽ.* Illa spectat ad Iudicẽ, & ad tractatum de Iustitia: hæc velut opus misericordiæ spiritualis (ex quo etiam aliorum consimilium operum obligatio facilè patescit; præter ea, quę de ijs in proprijs locis dicuntur) cuiquam etiam priuato conuenit, & ad hunc locum pertinet Estq; vel actus elicitus misericordiæ, vel charitatis, secundum diuersa motiua; vt de eleemosyna dictum dub. 1. & 2. Hoc supposito, quod ad præceptum correctionis fraternæ attinet, est

73 ASSERTIO I. Est aliquod præceptum de correctione fraterna, sub peccato mortali obligans. Est mens S. Thomæ q. 33. a. 2. & communis. Probatur ex Leuit. 19. v. 17 *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè* (cum opus est) *argue eum; ne habeas super illo peccatum.* Ecclesiastici 17. v. 12. *Et mandauit illis* (Deus protoparentibus) *vnicuiq; de proximo suo.* Et cap. 19. v. 14. *Corripe amicum: sæpe enim fit commissio.* 1. Timoth. 5. v. 20. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant &c.* Matth. 18. v. 15. *Si autem peccauerit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.* Luc. 17. v. 3. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum.* Vbi vocula *in te*, vel idem est, quod, *coram te*, seu sciente te; hoc ipso enim sua natura peccatum offendit, quod cognoscitur: vel ex paritate rationis, ad quodlibet peccati genus accommodari debet.

Idem ex instituto tradit Augustinus libro de corrept. & grat. Et lib. 1. de ciuit. cap. 9. hanc ipsam etiam inter alias causam esse docet, cur cum malis sæpe flagellentur & boni; qui cum boni sint, sæpe tamen ex humano timore malos non corripiunt, vti debent. Ratio est; quia tenemur, qua possumus ratione, non minus miseriam proximi spiritualem, in peccati nocumento potissimum sitam, quã temporalem auertere & subleuare: commodissima autem ratio est correctio fraterna, per quam intelligitur omnis admonitio, obtestatio, informatio & instructio, ad corrigendũ proximi peccatum ordinata. Quę ratio etiam probat, hoc præceptum esse naturale; vt recte docet Valentia q. 10. p. 2. iuxta Aristotelem 6. Eth. cap. 3. 74

ASSERTIO II Hoc præceptum, cum affirmatiuũ sit, obligat non pro semper, sed pro certo tantum tempore, certisq; circumstantijs, quarũ aliæ requiruntur ex parte materiæ, seu peccati corrigendi; aliæ ex parte personæ corrigentis; aliæ ex parte personæ corrigendæ. Ita S. Thomas loc. cit. & communis. Primum patet; quia hoc præcepto præcipitur, non prohibetur actus positiuus. Ratio secundi est; quia id est commune omnibus præceptis affirmatiuis. Accedit quod alias inutilis, sæpe etiam noxia foret correctio, vt mox patebit, ex seqq. assertionibus. 75

ASSERTIO III. Vt præceptum hoc sub mortali obliget ex parte materiæ requiritur primo, vt id, vel secundum se sit peccatum mortale, vel certe alioqui in graue nocumentum spirituale proximi cedat; vt si peccatum aliquod veniale sit alicui propinqua occasio peccandi mortaliter; aut si in religione venialia quædam adeo sint in viridi obseruantia, vt à plerisque impune committantur. Est enim talis libertas & licentia magnum malum religiosi ordinis, & graue impedimentum perfectionis; quod proinde saltem Prælati ordinum tenentur sub mortali pro viribus emendare. Alioqui veniale per se (cæteris circumstantijs concurrentibus) sub veniali quidem corrigendum est, vt recte Syluester V. *Correctio*; Caietanus, Bannes, & Valentia hic q. 33. a. 2. iuxta illud Ioann. 13. v. 14. *Et vos debetis alter alterius lauare pedes*; attamen non sub mortali, ex communi, quia materia leuis est. 76

Circa peccata verò, in quibus ignorantia excusat proximum à culpa mortali, hæc capita sunt notanda. Primo; publicus Doctor siue concionator generatim tenetur necessariam doctrinam de peccatis vitandis pro ratione officij tradere, iuxta illud 1. Corinth. 9. v. 16. *Væ enim mihi est, si non euangelizauero.* Secundo; Si admonitio seu instructio particularis non credatur profutura, sed potiùs obfutura, omittenda est; nisi fortè ignorantia cedat in aliorũ damnum, seu periculum, cuius potior habenda sit ratio. Tertiò; in causis matrimonialibus, inuincibilis ignorantia facti particularis; vel etiam obscuri iuris; ob quod accidit matrimonium contractum esse nullum, regulariter dissimulanda est, ob secuturum scandalũ, iuxta cap. *Quia circa*, de consanguinitate. 77

Quartò; quando admonitio, omnibus spectatis, vtilis existimatur futura, nulliq; damnosa, adhibenda est. Quintò; quando alicui vtilis est, alijs damnosa, seruandus ordo charitatis. Hæc & plura alia Valentia q. 10. pũ. 2. Arragonius hic a. 6. post Nauarrũ de pœnitentia dist. 7. & manual. c. 24. n. 12. Couarruiam in epitom. Canum relectione de pœnit. Medinam Cod. de Confess. Sotum in 4. dist. 18. q. 2. a. 2.

78 Secundò requiritur, vt peccatũ hoc nondũ sit emendatũ ac deletum; siue alias adhuc in fieri consistat, siue in facto esse: adeoq; etiã siue adhuc in futurũ pendeat, siue iam plenè transactũ sit, ex cõmuni apud Valentiã cit. pun. 2. Quia tamen ex peccato deleto sæpe remanet quoddã recidiuæ periculũ, Superioris erit videre, vbi ad hoc tollendũ opus sit paterna correptione & prouidentia, iuxta Glossam in Can. *si peccauerit* 2. q. 1. & cap. *Qui alios*, de hæreticis.

79 Tertiò requiritur vt peccatũ hoc tibi sit cognitũ. Alias enim non potes corrigere; iudicia autẽ temeraria, & suspiciones vanę, ne in hoc miserię spiritualis genere, bona existimatio proximo debita temerè lædatur, diligentissimè cauenda, vt suo loco de Iustitia dicetur.

Qua de causa etiam probabilius existimo, vniuersim, & per se loquendo non sufficere probabilẽ cõiecturã de peccato proximi; sed requiri cognitionẽ moraliter certã, ne nimis odiosos nos apud ꝓximũ reddamus, vt docet etiã Arragonius hic a. 2. etsi cõtrariũ cũ Adriano asserat Valentia loc. cit. Cuius opinio locũ habet, tum in casu peccati grauis & periculosi cõmunitati, vt rectè Arragonius; tũ etiã vbi facultas adesset ita circũspectè corripiendi ꝓximũ, vt ei, si reus esset, vtilis futura putaretur correptio; si secus, nec proditura q.dẽ suspicionẽ. In aliorũ verò peccata non debent inquirere priuati, sed soli superiores, vt ex cõmuni S. Thõ. a. 2. iuxta August. serm. 16. de verbis domini, vt dictũ etiã in simili dubio 2.

80 Assertio IV. Ex parte corrigentis requiritur primò potẽtia, vt possit corrigere; vt in simili de eleemosyna dictũ dub. 2. & 3. Poterit autẽ, adeoq; debebit etiã priuatus ex S. Th. a. 3. & scripturis ad ductis, idq; etiãsi sit peccator, ex communi S. Thomæ a. 5. post Augustinũ lib. de catechisandis rudibus c. 14. & l. 2. de sermone Domini in monte c. 30. modò interim debita ab eo moderatio adhibeatur, vt ijdem notant, ita vt humilitas ac benignitas correptionis, vanitatis & contẽptus suspicionẽ amoliatur, & peccator, cum opus est, prius etiã scandalũ tollat, ac ꝓ loco & tempore seipsum non negligat, iuxta illud Matt. 7. v. 5. *Hypocrita, ejice primum trabẽ de oculo tuo; & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Et ad Rom. 2. v. 1. *In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas.* Quanquã per se alias, & ob finẽ correptionis præcisè, pœnitẽtiã ipse prius agere non tenetur, vt iuxta S. Th. cit. a. 5. rectè post Sotũ docent Bannes, & Valẽtia; etsi contrariũ docuerit Richardus, fauentibus etiam quibusdã alijs Scholasticis in 4. dist. 19. id quod etiam de prædicatione publica rectè contra Caietanum & Syluestrum notauit Arragonius hic a. 5. cum Soto.

81 Secundo requiritur, vt nullũ inde sibi vel alijs timeat nocumentũ, cuius meritò potior habeatur ratio; ex dictis de ordine charitatis q. 3. dub. 4. Alias periculũ corporis, aut fortunarũ vniuersim à correptione non excusat, ex S. Thoma hic q. 33. a. 3. quicquid Mayron apud Valentiam, & Victoria dixisse ferantur. contra Augustinũ in prima conclusione citatũ. Certè quisq; priuatus, alijs circumstantijs concurrentibus, sub mortali tenetur corripere fratrem existentem in graui necessitate, dummodo id facere possit sine graui periculo vitæ, famæ, vel bonorum temporaliũ, vt rectè docet Arragonius a. 2. cit. q. 33.

Assertio V. Ex parte corrigendi, requiritur primò necessitas siue indigentia, nempe vt is nõ existimetur probabiliter aliunde, sua vel alterius ope, opportunè ac tempestiuè corrigendus, vt rectè Caietanus V. *Correctio*, & Valentia loc cit. ex cõmuni, & in simili dictũ est dub. 2. Existimata autẽ post diuturni primũ temporis moram, absq; meo interuentu, futura emendatio, per se non excusat; tum ꝓpter varia mortis pericula, quę interim possunt occurrere: tum quia sine graui damno, & certo noui peccati mortalis periculo, non potest quisquã diu carere gratia sanctificante, vtpote necessaria ad mortalia lõgo tempore vitanda, vt alibi dictũ de gratia tõ. 2. 82

Secundo requiritur aliqua spes vtilitatis ac fructꝰ, iuxta Prou. 9. v. 8. *Noli arguere derisorẽ, ne oderit te.* Et Matth 7. v. 6. *Nolite dare sanctũ canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.* Ad Titũ 3. v. 10. *Hæreticum hominem postꝰ vnam, aut alterã correptionem deuita.* Vnde si quis certò vel probabiliter putet, se nihil effecturũ apud proximũ, vel etiam obfuturũ, non debet corripere, vt cum Richardo in 4. dist. 19. a. 2. q. 2. Durando q. 3. docent Bannes, Valentia, & alij ex communi, & colligitur ex S. Thoma hic a. 6. contra Adrianũ, qui putauit corripiendũ proximũ, modò non timeatur futurus deterior, etiamsi probabiliter vel certo scias, te nihil profecturum. 83

Quod falsum probatur ex eo: tum quia finis intrinsecus correptionis fraternæ est vtilitas proximi: Alia ratio est correptionis iuridicæ, quę sæpe necessario adhibetur, propter bonũ cõmune; tametsi correpto nihil prosit, vel etiam obsit, iuxta S. Thomam cit. a. 6. & cõmunè, & videre etiam est causa 11. q. 3. Tum quia regulariter, si correptio non prodest correpto, obest eo ipso, quod correptus ob speratam correptionẽ, maiorẽ sibi pœnam adscisciat, vt fatetur Adrianus. Hinc notat Caietanus a. 6. sæpe ex hac parte peccare parentes, qui suos famulos aut liberos ita indiscrete corripiunt, vt deteriores & contumaciores, non meliores efficiantur. 84

Si quis tamen ad tempus quidẽ ob correptionem exacerbandus, sed postea sedata passione, seriò se emendaturus videatur, talis, si nulla melior occasio speretur, rectè corrigetur; etiã neglecto illo peccato, ꝓpter maius ipsius bonũ, vt rectè Valẽtia cũ S. Tho. in 4. dist. 19. q. 2. a. 2. quæstiũcula 1. ad 5. & Adriano in 4 q. de corrept. fraterna §. *Et quoad secundã partem* 85

Idq; multò magis verũ habet, si correptus tantũ corporali quadam ægritudine, vt mærore, morbo, mentisue turbatione percellẽdus esset, iuxta Apost. 2. Cor. 7. v 8. *Quoniã etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet &c. non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiã.* Quin etiã fieri subinde potest, vt quãuis correptio non prosit correpto, nihilominus tamen prosit cõmunitati, aut alijs proximis; in quo casu habenda erit ratio ordinis charitatis.

Quod

86 Quod si speculatiuè dubium sit, an sit, vel non sit profutura correptio, nihilominus adhibenda erit, modò certum sit non obfuturam, vt rectè cum Adriano docent Valentia, Bannes, & Arragonius. Secus, si dubium sit, an sit profutura, an obfutura, ex cõmuni apud eosdẽ, & Caietanũ in sũma loc. cit.

Quin etiam correptio hoc casu necessario omittenda videtur, etiamsi par sit vtrinq; dubiũ, vt rectè Bannes: eò quod maior sit obligatio præcepti negatiui, de non nocendo proximo, quàm affirmatiui de cõmodando; etsi Valentia putet, hoc casu, pro arbitratu posse vel omitti vel adhiberi. Sicut nec corporalis medicus iure adhibet medicinã, de qua æquè dubitat, an sit profutura, an grauiter obfutura, vt rectè Sylvester verbo *Medicus* n 4. Azor lib. 2. c. 17. q. 11. Vasquez 1. 2. disp. 64. n. 22. post Innocentiũ & alios.

87 Excipitur tamen casus extremæ necessitatis, & deploratæ alioqui salutis; tunc enim ob magnã imparitatẽ nocumenti, & fructus probabiliter sperati, præponderat præceptũ affirmatiuũ, vt rectè Adrianus, Valentia, Bannes loc. cit. Idq; etiã confirmatur à simili dicto exemplo medici corporalis, qui in tali necessitate, licitè dubiam medicinam adhibet, si alia spes vitæ nulla supersit, vt ijdem docent, etsi repugnare videatur Vasquez loc. cit. & disp. 65.

88 Tertiò requiritur ex parte correpti, talis opportunitas, vt probabiliter non expectetur cõmoditas eũ fructuosius corripiendi, vt cum S. Thoma q. 33. a. 2. habet cõmunis ex Augustino l. 1. de ciuit. Dei. c. 9. vbi ait, *Si propterea quisq; obiurgandis & corripiendis peccatoribus parcit, quia opportunũ tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam erudiendos impediant alios infirmos, & premant, atque auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.*

89 Ob eam verò præcisè causam; vt proximus interim in peccata grauia incidens, feruentius resurgat, & cautior fiat, ordinarie nõ debet differri correptio; ob grauissimũ per se peccati mortalis nocumentũ, & nobis non satis cognitum eiusmodi permissionis fructũ; esto in casu aliquo raro, vbi id omnibus spectatis simpliciter ac prudenter existimaretur vtilius proximo, ita fieri posset, vt notauit Arragonius a. 2. iuxta Psal. 15. v. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorũ: postea acceleraverunt.* Qua ratione pugnantes etiam hac in re quorundã sententiæ conciliari poterunt.

90 Vt autem corripiendus, sit par, vel inferior corripiente, non requiritur: potest enim ac debet, concurrentibus ijs circumstantijs, quas diximus, fraterna, non iuridica correptione corripi etiam Superior ac Prælatus, iuxta S. Thomã q. 33. a. 4. & Augustinũ in Reg. 3. cap. 43. & Epistola 19. & 109. seruata tamen debita moderatione, iuxta eosdẽ, vt scilicet cum humilitate ac mansuetudine corripiatur; non cum proteruia & duritia; neque palam & in faciem ei coram omnibus resistatur, sed reuerenter, ac in occulto admoneatur, iuxta illud 1. Timoth 5. v. 1. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.*

91 Nisi fortè aliquod à Prælatorum vitijs immineat fidei seu pietatis periculũ, quod alia ratione depelli non possit, iuxta S. Thomã loc. cit. tunc enim, quatenus opus erit, etiam palàm arguendus erit, iuxta Canon. *Paulus dicit*, causa 2. q. 7. exemplo videlicet S. Pauli, arguentis S. Petrum Apostolorũ principẽ ad Galat. 2. Quamuis, vt inquit S. Thomas cit. a 4. *aliquo modo parem*, nempe in vsu & executione, non etiam ratione officij & independentiæ. vt rectè interpretantur Caietanus & Valentia. De qua re in materia de legibus & de pontifice pluribus actũ. Videri etiam potest S. Gregorius lib. 5. moral. cap. 10. & in pastorali parte 3. cap. 1. admonitione 5.

92 Vnde colligitur etiam, prælatorũ vitia cõmuniter quidẽ in concione arguenda non esse; attamẽ etiam Papam, si quando scandalizet Ecclesiam, opportunè corripiendum esse, præsertim ab ijs, qui auctoritate pollẽt, vt sunt Principes Ecclesiastici & Politici, idq; si monitio secreta non proficeret, etiam palàm: *probabile namq; est*, inquit Caietan9 hic a. 4. *quod reuerebitur Principes palam arguentes, quamuis alioqui subditorum salutem contemnat; & si ipse non fiat bonus, saltẽ alios non scandalizabit.* Vnde concludit, istos sese ex aduerso murum pro domo Israel opponere debere. Plura de hac re Turrecremata de Ecclesia.

93 Assertio VI. Illis quidẽ circũstantijs concurrentibus, præceptũ correptionis sub peccato mortali obligat; attamen nihilominus per accidens sæpe ob inaduertentiã seu ignorantiã fieri potest, vt bona fide (secluſa crassa & affectata ignorantia) omittens correptionẽ excusetur à mortali. Ita S. Thomas cit. q. 33. a. 2. Caietanus ibid. & v. *Correctio fraterna.* Valentia & Bannes hic. Et prima pars patet: quia vel tunc, vel nusquam alias obligabit præceptũ correptionis sub mortali. Ratio secundæ partis est: quia cum præceptum hoc tot circumstantias requirat, vt dictum, facile hac in re interuenire potest naturalis quædam ignorantia, vel inaduertentia, quæ in omni materia excusat à mortali.

94 Assertio VII. Quod si ex timore omittatur correptio, seruanda est regula S. Thomæ cit. a. 2. Si quis enim, propter mundanũ timorẽ aut cupiditatẽ (omnino scilicet prædominantẽ fraternæ charitati) omittat correptionem, nulla penitus habita ratione præsentis necessitatis & opportunitatis, adeoq; obligationis, is ex suo genere mortaliter peccat. Secus si humanus quidã timor & cupiditas tardiorẽ quidẽ faciat hominẽ ad corrigendũ delicta fratris, sed non adeò, quin si sciret, se proximum esse à peccato retrahere, adeoque se hic & nunc, omnibus spectatis, teneri ad correptionem, non obstante timore vel cupiditate, vellet corrigere; quandoquidem talis adhuc retinet prædominantem affectum charitatis. *Vnde*, inquit S. Thomas, *hoc modo quandoq; viri Sancti negligunt corrigere delinquentes.*

Præterquam quod ipse timor tum plerũq; naturalis, ac vix in nostra potestate situs est, tum per se etiã hominẽ impedit, quo minus efficax quandoq; & potens sit ad exhortandum; adeo vt stante eiusmodi timore, subinde non magna spes esse possit, de fructu ex correptione prouenturo. Quanquam sanè in graui necessitate proximi, omnibus modis enitendum sit, ne fructui correptionis obsit. De qua re Augustinus plura lib. 1. de ciuit. cap 9.

95 Atq; ex his infertur, eum, qui firmiter alioqui statuens omnia mortalia vitare, ex timore tamen, tepiditate, vel alia quadam passione negligat præceptũ correptionis, bona fide (adeoq; citra ignorantiam crassam & affectatam) existimans, se hic & nunc eo præcepto sub mortali non teneri, excusari à peccato

mortali, vt rectè notarũt Caiet. Valent. & Bañes loc. cit. Atq; hæc fere ad ipsam substantiã p̃cepti correptionis fraternæ pertinent, nunc de ordine agendũ.

DVBIVM V.

An, & quis in correptione fraterna ordo sit seruandus.

S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 7. a. 8.

ASSERTIO I. Extat aliquis ordo correptionis à Christo præceptus; isq; per se & ex suo genere sub mortali obligans. Ita cõmunis apud S. Thõ. hic
96 q. 33. a. 7. & patet Matt. 18. v. 15. & sequentibus his verbis: *Si autẽ peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eũ inter te & ipsum solũ. Si te audierit, lucratus eris fratrẽ tuũ. Si autẽ te non audierit, adhibe tecũ adhuc vnũ vel duos, vt in ore duorũ vel triũ testiũ stet omne verbũ. Quod si non audierit eos: dic ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Vbi quinq; actus præscribuntur, cum hac subordinatione: I. Vt peccans secreto corripiatur; nempe etiã sæpius iterata monitione priuata, si ea ꝑ futura existi-
97 metur, vt notauit S. Th. q. 33. a. 8. II. Si hæc nõ ꝑsit corripiatur etiã adhibitis testibus, qui vbi opus erit, delinquentẽ obseruent. intellige tamẽ cum hac duplici moderatione. 1. vt si sint aliqui, qui peccatum antea norint. non aduocentur alij; secus si alij non adsint; ex com. apud S. Th. a. 8. ad 1. cont. Durand. 4. d. 19. q. 4 n. 4. & ex parte etiã cont. Adrian. quæst. de correct. frat. alioſq; nonnullos apud Val. q. 10. pũ. 5. §. 2. qui dixerũt aut nunquã, aut eo solũ casu, si peccatũ iteretur, aut continuetur, testes eiusmodi adhibendos. 2. Vt si pauciores sufficiant, plures non adhibeantur. Dices; non licet ob spirituale salutẽ ꝑximo bona fortunæ auferre: Ergo nec famã minuere, adhibitis testibus &c. Resp. negando conãm: quia hoc mediũ est per se ordinatũ ad emendationẽ delinquentis, sicut detectio vulneris corã medico: ad quod proinde, supposita obligatione corrigendi, ius suppetit. III. Præcipirur vt denuncietur prælato, præcipuè nimirũ tanquã patri, ex com. secundario autẽ etiã vt iudici, vt cum S. Th a. 8. ad 4. Rich. Dur. Adria. Gabr. docent Syluester V. Correptio. n. 4. & Val. cit. p. 5. §. 1. & colligitur ex cit. verbis scripturæ. IV. Vt paternè à Prælato corripiatur, & si consultũ videatur ad emendationẽ, etiam paternè, sed secretè puniatur. V. Vt si nec hoc quidẽ prosit, etiã publice (seruato, quoad opus erit, iuris ordine, vt dicetur) puniatur; nec posterior actus ante priorẽ exerceatur. Ratio patebit inferius. Ex quibus refellitur Bernardinus Arealensis tract. de corrept. frat. significans, eum correptionis ordinẽ, solũ esse in consilio, apud Val. pun. 5. §. 1. Ban. hic a. 7. qui ait, hanc sentẽtiam non minus intolerabilẽ esse, quam singularẽ.

ASSERTIO II. Hoc præceptũ Christi est naturale,
98 & locũ habet etiã in ijs peccatis, quæ contra nos directè non sunt commissa. Primũ ex com. rectè docent Bann. & Val. loc. cit. Ratio est. Quia correptio fraterna, ex ipso præscripto luminis naturalis, facienda est cũ minimo, quoad fieri potest, correpti dãno; quod fit iuxta præscriptũ ordinẽ. Præterquã quod Christus nullũ nouũ præceptũ ad naturæ præcepta adiecit, præter ea, quæ sunt de fide, aut sacramentis, quale quidẽ nõ est istud, de ordine correptionis fraternę. Secũdũ, est com. apud S. Th. q. 33. a. 7. Et patet ex dub. p̃ced. Ratio est; quia etiã cætera peccata impediunt ꝑximi salutẽ, ad quã hoc p̃ceptũ ordinatur.

ASSERTIO III. In quibusdã tamen casibus hic ordo obseruandus non est. Ita S. Th. hic a. 7. & 8. ex com. conditione præceptorũ affirmatiuorũ. Et prim⁹ casus est, si peccatũ ꝑximi sit scandalosũ & publicũ ac notoriũ, seu notorietate facti, per publicã infamiã, vel notitiã, in aliqua cõmunitate, vicinia, vel collegio; seu notorietate iuris, vt si palam in iudicio sit conuictũ; tunc enim regulariter aut publicè arguendũ, aut ad superiorẽ deferendũ, vt efficaciter bono cõmuni consulatur: Secus si (quod raró accidet) priuata monitione satis certo & efficaciter bono priuato simul & cõmuni consultũ esse possit, iuxta S. Th. cit. a. 7. vbi etiã hunc ipsum casum refert præter alios DD. 4. d. 19. Can. *super. c. noui*, de Iudicijs & c. 1 de pœn. & rem. & patet ex Apost. 1. Tim 5. v. 20. *Peccantes corã omnibus argue, vt & cæteri timorẽ habeant.* Secundus casus est, si peccatũ, quãuis occultũ, vergat in ꝓnitiẽ cõmunitatis, & periculũ sit in mo- 100
ra, tunc enim rursum superiori quãprimũ est deferend', saltẽ regulariter, vt dictũ, ex com. S. Th. a. 7. & DD. 4. d. 19. Quod si tali casu desint alij, tenentur etiã denuntiare Clerici, nec idcirco incurrunt irregularitatẽ, quãuis sequatur pœna capitis, modo id faciant cum ꝑtestatione cõsueta, vt rectè notarunt Caiet. Ban. cit. a. 7. & Val. q. 10. pun. 5. §. 1. Talia vero peccata iuxta S. Th. ib. censentur proditio, seditio, prædicatio seu disseminatio occulta hæresis, & in religione etiã illud, quod est publicè scandalosũ, aut infamiã Ordini allaturũ. Tertius casus est, si pec- 101
catũ, quãuis occultũ, natura sua ita contagiosũ, exitiale, ac pertinax sit, vt nisi per superiorẽ efficacissimis remedijs emendetur, caueri & emendari vix satis posse videatur, vt est formalis hæresis, quę vt *cancer serpit*, iuxta Apost. 2. Tim. 2. v. 17. Quæq; proinde in terris, ab hæresis peste liberis, cõmuni sanctę inquisitionis lege, merito iubetur quamprimum ad Inquisitores fidei deferri. De quo Castro lib. 2. de hæret. inquisit. c. 25. Ban. a. 8. dub. 2. ad 4. Val. q. 10. p. 5. §. 1. Consulenda tamen etiam praxis & consuetudo locorũ; seu specialia priuilegia, quibus nonnunquam indulgeri potest, vt quis nõ teneatur cognitũ à se hæreticum deferre, quamdiu nihil contra religionem Catholicã in eiusmodi terris admittit. Quartus casus est, quando peccatũ occultum, quod 102
non satis constat, an efficaciter priuata monitione emendari possit, vergit in detrimentũ notabile alterius, seu vnius, seu pluriũ, quorũ iuxta charitatis ordinẽ, omnibus spectatis, maior habenda sit ratio, quam famæ delinquentis, vt iuxta S. Th. a. 7. docent Paludanus in 4. d. 19. q. 4. & Valent. cit. pun. 5. §. 1. Quintus casus est, si ordo vel modus ille ex toto, vel ex parte inutilis sit, tunc enim eo membro seu gradu, qui inutilis prudenter iudicatur, omisso, ad subsequentẽ rectè transitur, iuxta S. Thomã a. 6. & 7. ex communi: sic tamen vt priuata monitio etiam sæpius iteretur, quamdiu spes probabiliter habetur per secretam monitionẽ corrigendi delinquentẽ, vt ex S. Thoma a. 8. dictũ: quod seruata proportione, etiam de testium inductione videtur dicendum.
Sextus, si peccans ipse, propter maiorem in spiritu 103
profectũ, & sui demissionẽ, iuri suo renuncians (vt iuxta constitutiones à sumis pontificibus approbatas, præsertim à Paulo III. & Iulio III. & Gregorio XIII. apud Ribadeneirã lib. 2. vit. Ign. c. 17. & lib. 3. c. 21. & 23. in societate nostra accidit, incautè

hic

hic obloquentibus Banne & Lorca d. 47. n. 8.) velit ac contentus sit, vt peccatũ suum qualecunque, extra confessionẽ cognitum, sine mora, non obseruato illo correptionis ordine, superiori denũcietur; quia tunc scienti & volenti nulla fit iniuria; & in Religione, quę erga externos etiã & seculares homines in varijs admodũ officijs & functionibus occupatur, ad securiorẽ subditorũ gubernationem valde expedit, superiorib⁹ eiusmodi defectus non esse incognitos. Sicut ob iustam causam etiam potest quisque alteri condonare obligationem restituendi famã; & confessario dare facultatem, peccata in confessione audita alteri narrandi, vel etiã ipse superiori suos defectus aperire: siue quis interim absolute sit dominus famæ, siue non. Præterquã quod vniuersim, etiam in cæteris Religionibus, quoad culpas leues, id licitum esse tradit S. Th. hic a. 7. ad 4. quoad graues autẽ aliunde cõmuniter id esse solet necessarium, iuxta casus superius relatos; vt bene etiã docet Suarez hic d 8. sec. 6. à n. 11. vbi refert in constitutionibus Dominicanorum haberi, imẽdiate esse denuntianda delicta superiori, & idem habere Bonauenturam in expos. regulę S. Francisci. 104

Certe in Regulis Prædicatorum dist. 1. c. 18. §. 6. dicitur *Siquis tale quid extra monasterium commiserit, frater qui eum eo est, studeat eius excessum Prælato quãtocius intimare.* Et vt refert Bernardinus de Areualo, in regulis fratrum minorum Barcinonenſibus dicitur: *Debeant fratres exeuntes in reditu suo, Guardiano notabiles excessus sociorũ suorũ intimare. Quodsi non fecerint, per superiorẽ, cui hoc constiterit, in ieunio panis & aquæ, vel alias puniantur. Et si vnus frater alterius fratris excessus sciuerit per duas vias, vtpote per confessionẽ, & alter, nihilominus sic Guardiano, vt dictum est, dicere debeat.* Imo ipse etiã S. Th. quodlibet. 11. a. 13. inter religiosos id vniuersim approbat, vt inferius dicetur. 105

Assertio IV. Interim certum est, vbi iuxta regulã nulla talis resignatio, & proprij iuris cessio facta est, ordinẽ correctionis fraternę esse in præcepto etiã inter religiosos. Ita exc̃muni recte docent Valentia & Bañes, idq; ipsum aperte supponit S. Thomas hic a. 7. & quodl. 11. q. 9. a. 13. vt & Basilius in quæstionibus fusius explicatis q. 46. Augustinus regula 3. & alij. Quicquid in contrariũ dixisse videãtur Humbert⁹ in reg. August. c. 97. Rich. in 4 d. 19. a. 3. q. 1. quibus fauet Suarez loc. cit. n. 12. vbi dicit, religiosos, ob statũ, & studiũ perfectionis, saltẽ tacite quoad hoc renuntiasse iuri suo: modoſemper habeatur ratio charitatis, cuius iuri, inqt, nemo cedit. 106

Ratio nostræ sententiæ est manifesta; quia Religiosi non min⁹, quã seculares, seruant ius ad famã; & leges charitatis cõmunes sunt omnib⁹; expediq; publice ac priuatim bonã cuiusq; famã temere non lædi, vt prudenter aduertit S. Thomas hic a. 7. 107

Quo fit, vt & quoad illorũ Religiosorum peccata de quib⁹ in sexto illo casu peculiariter egim⁹, in cæteris, in quibus iuri suo non cesserunt, seruari ordo correptionis debeat. Neque cessio illa iuris proprij extẽdi debet ad casus non expressos; v. g. vt talis denuntiatio promiscue, & absq; differentia fiat etiam Confessario, aut Patri spirituali in Ordine; hi enim superiorũ nomine minime intelliguntur: & ea quę odiosa sunt, ac in præiudicium tertij ver. unt, non sunt extendenda, sed potius restringenda. 108

Nec obstat c. *Qualiter & quando 1.* de accusationibus, in cuius fine dicitur; *Hunc tamen ordinẽ* (correctionis) *contra regulares personas non credimus vsque quaq; seruandũ: quæ cum causa requiret, facilius & liberius à suis possint administrationibus amoueri.* Hic enim sermo potius est de correctione iuridica quam fraterna: neq; vniuersim dicitur, ordinẽ illic non esse seruandum; sed non *vndiquaq;*, vt significetur, facilius illic occurrere causas, ob quas ordo ille relaxetur; & vero ad auferendam alicui administrationẽ etiam alias sæpe causas iustas suppetere posse.

Interim dubium nõ est, etiam in cæteris religionibus condi posse eiusmodi regulam, immediate superiori defectus denuntiandi; ita vt ea obligentur omnes quotquot ea regula cognita, in talem religionẽ admitti consentiunt: esto fortassis antiquiores, si regulam non acceptent, ea non obstringantur, vt Bannes & alij existimant.

Assertio V. Quare etiam secluſa speciali eiusmodi regula, & cessione iuris, regulariter ac per se loquendo, quandò secreta monitio satis profutura videtur ad proximi emendationẽ, nunquã ea prætermissa, peccatum imẽdiate denuntiandum erit superiori siue prælato etiam vt Patri; siue de religiosorum, siue de secularium emendatione & correctione agatur: esto Prælatus melius, seu maiori cum fructu spirituali subditũ emẽdaturus credatur. Hæc vti etiam sequentes assertiones spectant ad maiorẽ declarationem ordinis correctionis fraternæ à Christo præscripti: in quo cum tertius gradus, siue actus superius relatus loquatur de denuntiatione Prælato (secundario) etiam vt iudici facienda; dubium tamen supereſt, vtrum non possit imẽdiate fieri denũtiatio prælato, non quidem vllo modo vt iudici, sed solum vt Patri, qui profuturus solum peccanti, nullo autem modo obfuturus credatur.

Et vero non desunt, qui vniuersim affirmãt, præsertim vbi de regularium emendatione agitur. Ita plane videtur sensisse S. Thom. quodl. 11. a. 13. vbi ait: *Si videtur, quod correctio melius fiat per Prælatũ, & Prælatus nihilominus sit pius, discretus & spiritualis, non habens rancorem seu odium, aduersus subditum delinquentem, tunc licite potest hoc illi denuntiari, non sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad bonum proximi.* Et in resp. ad 3. *Si aliquis*, inquit, *refert Prælato culpã proximi* (etiam omissa secreta monitione) *intendens vel cautelam in futurum, vel aliquod huiusmodi, quod ad emendam proximi videret expedire, non peccat.* Idem docent Rich. in 4. d. 19 a. 4. q. 1. in corp. & ad 2. Bonau. in c. 17. Luc. Gabriel lect. 74. in can. Angelus V. *Denuntiatio* n. 10 Rosella V. *Inquisitio* init. & Bernardinus Arealenſis lib. de frat. corrept Fundamentum est: quia hoc non est contrarium ordini à Christo præscripto; vbi sermo est de Prælato etiã vt Iudice, sicut dictũ est sæpius, & fructus vberior spiritualis merito præponderat illi iacturæ famæ, &c.

Sed nihilominus propoſita assertio cõmunis & satis certa est. quã tradunt Adr. in 4. tr. de corr. frat. sub fin. Sylvester V. *Correctio frat.* q. 5. Sotus relect. de secr. mem. 2. q. 4. ad 3. Bañes hic a. 8. Nauar. man. c. 24. n. 14. Val. q. 10 pun. 5. §. 1 post Aug. reg. 3. c. 23. Humbertum ibidem c. 97. Hug. Victorinũ ib. c. 6. & ipsum S. Thomã hic q. 33. art. 8. ad 4. vbi solum denuntiationem Prælato vt Patri faciendã docet ante testium inductionẽ, non ante secretam monitionẽ. Probatur, tum quia id consonum est ordini à 109

Christo

Christo præscripto, in quo simpliciter & ante omnia secreta monitio præmittenda dicitur. Tum quia id ipsum exigit charitas, vt frater suo quam minimo damno corrigatur, neque ad vllam eius infamationem coram altero procedatur, si absque hoc satis corrigi possit: neque fas est, solum propter maius bonum spirituale alicuius, famam aut fortunas ejusdem lædere. Ex quibus patet responsio ad contrarium fundamentum.

Dixi tamen *regulariter*, & quando secreta monitio *satis profutura* videtur. Nam si vel dubium sit an ea quamuis iterato adhibita sit profutura, aut si in præsenti quidem resipiscentia speretur, non tamen certa & constans emendatio; sed potius prudenter timeatur relapsus, tum ipsa charitas suadet, ob coercendũ recidiuæ periculum, & efficaciorẽ cautelam in futurum adhibendam, peccatum proximi, saltem religiosi, prælato siue superiori, velut patri (si modo verè talis erga subditum futurus credatur) licite patefieri, siue prętermissa, siue etiam adhibita prius secreta monitione, vt cum Richardo, Angelo, Gabriele loc. cit. recte docent Adrianus, Sotus, Nauarrus, locis citatis. Ratio est; quia tunc secreta monitio non satis est, aut putatur efficax ad finem fraternæ correctionis. Vnde etiam inter alias Constitutiones à S. Bonauentura in Capitulo generali editas dicitur: *Dogmatizare, quod frater, qui fratrẽ correxit de aliquo excessu, secundum formam Euangelij in occulto, non tenetur reuelare superiori, qui potest & debet prodesse, & animarum pericula præcauere: ex sententia totius Capituli definitum est, doctrinam esse pestiferam.*

Assertio VI. Regulariter tamen, peccata Regularium, quando Prælatus Religionis vir vere prudens & religiosus noscitur, post secretam monitionem frustra adhibitam, aut pro inani merito habitam, fas est etiam omissa testiũ inductione, statim Prælato vt Patri denuntiare: quod de Prælatis & peccatis seculariũ, ita regulariter locũ non habet: Prior pars patet ex moderatione præcedentis assertionis, vbi etiam authores citauimus.

Posteriorem partem à potiori tradunt Bannes, Valentia Lorca loc. cit, qui vniuersim docent, antequã proximus denuntietur Prælato etiam vt Patri, semper præmittendam esse non tantum monitionẽ secretam, sed etiam inductionem testium, quando ille per hęc corrigendus existimatur. Ratio eiusdẽ partis, ac simul discriminis inter seculares & Religiosos est: Quia prælati regulares cõmuniter sunt & præsumuntur viri prudentes & spirituales, qui satis discernant, inter officium Patris & Iudicis; accepturi & adhibituri: talem denuntiationem solum ad bonum ipsius subditi: cum tamen contra Prælati seculares eorumue Ministri & officiales sæpe inter vtrumque officium non satis distinguant, sed continuò nonnunquã à denuntiatione fraterna ad inquisitionem seu punitionem iuridicam conuolent, non parua delinquentis iniuria, assueti foro externo magis, quam foro interno conscientiæ.

Qua de causa iuxta prudens etiam iudicium merito minus graue Regularibus censetur, coram solo prælato velut Patre, quam coram vno vel duobus alijs testibus infamari, à quibus sæpe plus timeri potest incommodi quam à Prælato. Qua in re tamen vniuersim habenda est ratio circumstantiarum, præsertim personæ Prælati, an sit vir prudens, discretus; suauis, an vero asperi: quia ob contrarias circumstantias, fieri potest, vt prælato seculari merito ante inductionẽ testium peccatum intimetur, Regulari non item. Sed nunc videamus, quid Prælato faciendum, postquam ad eum, siue iuxta ordinem Euangelicum à Christo præscriptum: siue ex causa, prætermisso eo ordine, peccatum subditi delatũ est: deniq; quomodo vlterius procedẽdũ, si per viã fraternæ correctionis delinquẽs nõ emendetur.

Assertio VII. Prælatus propter eam precise denuntiationem Euangelicam, sibi seruato consueto correptionis ordine factã, non post crimẽ denuntiatum pœnis à iure præscriptis punire, nec peccatum occultum, etsi per duos aut plures testes probari possit, publice euulgare, si id priuata correptione sufficienter emẽdari possit: etsi possit delinquẽtem, in eius bonũ, arbitraria pœna secreta, vt Pater, castigare, sublatis occasionibus peccandi, & alijs cautelis, citra delinquentis infamiã, prudenter adhibitis, ne in peccatum is relabatur, etiamsi alioqui emẽdationẽ polliceatur. Ita Bañes cit. a. 7. dub. 2. ad vltimũ, & dub. 4. Valentia cit. pun 5. ex communi. 110

Quod proinde inprimis etiam seruandum in ea religione, in qua Prælatus, ob cessionem iuris ex regula factam, prætermisso consueto ordine, peccatũ seu defectum probrosum subditi intellexit, ne is idcirco statim in Refectorio, vel Capitulo, aut alias publicetur aut manifestetur.

Ratio est; quia forum correctionis fraternę est secretũ & occultũ, in quo Prælatus se gerere primo ac præcipuè debet vt Patrem, ac simul famam subditi, quoad potest tueri, ex dictis: ita tamẽ, vt delinquens quoad citra infamiã seu publicationẽ eius fieri potest, efficaciter emendetur. Qua de causa etiam Prælatum posse, si id ratio delicti patiatur, excõmunicationem quoq; tanquam pœnam medicinalem ipso facto incurrendam, delinquenti minitari, si denuo peccat, recte notauit Valentia cit. pun. 5. §. 1, ex communi. De qua re bene etiam Suarez hic disp, 8. sec. 6. n. 13. *Sine vlla*, inquit, *probatione* (denuntiantis) *Prælatus non tenetur, nec debet fidem adhibere, atque adeo nec suo officio fungi, &c*, puniendo scilicet denuntiatum, si is delictum neget.

Assertio VIII. Si crimen Prælato, seruato Euangelicæ correptionis ordine, legitime denunciatum, paterna correptione secreta sufficienter emẽdari non possit, adeo vt vel ad publicũ scandalũ ex publico crimine consequens tollendũ, vel ad temporale etiam aliorum nocumentum auertendũ, ex pernitioso videlicet alijs crimine iminens, vel ad ipsam peccatoris emendationem, iam ex secreta correptione desperatam, efficaciter procurandã, vtile ac necessarium videatur, crimen publicari, publiceq; puniri; poterit, ac debebit Prælatus, non solũ vt Pater, sed etiam vt Iudex, vtendo notitia illa quã ex eiusmodi denuntiatione accepit, curare, vt eiusmodi crimen, saluo iuris ordine, publicetur, & quoad vtile ac necessarium est, ad supradictos fines, etiam publicis pœnis puniatur: modo ex publicatione occulti criminis non maius scandalum aut malum timeatur, quam sit bonum ex correptione tali prouenturum. Est mens S. Thomæa. 7. & 8. & alio- 111

rum

rum, quos citauimus, & colligitur, ex dictis in 1. & 3. assertione. Denunciatur enim crimen Prælato etiam vt iudici, saltem secundario, vt dictum.

Dixi tamen, *seruato iuris ordine*; quia in particulari videndum est, an adsint circumstantię requisitę, vt siue per viam inquisitionis, siue accusationis, cõtra reum iure possit procedi, iuxta ea, quæ in materia de Justitia dicentur. Neq; enim iure communi videtur Prælatus, præcise vt Pater, adeoq; sine iuris ordine, occultum crimen ita sibi denunciatum, quamuis confessum, publicè suo arbitratu posse punire, nisi delinquens talem pœnam sponte velit acceptare, iuxta cap. *Inquisitiones*, de accusationibus; vbi dicitur, *nullum esse pro crimine, super quo aliqua nõ laborat infamia, seu clamosa insinuatio nõ præcesserit, propter dicta huiusmodi* (paucorum denuntiantium) *publice puniendum.*

Etsi possit prælatus, cum opus videbitur, cogere conscios, ad crimen iuridicè etiam denunciandum, vel accusandum, seu contestandum, vt recte docet Bannes loc. cit. excommuni, quod quidem etiam locum habet, quando delictum Prælato sõlum vt Patri denuntiatum fuit, nec iam ex correptione fraterna seu Paterna fructus debitus speratur. Alias si priuata alicuius vel aliquorum familiarium monitio, testiumue inductio profutura videretur, non existimarem eam hoc casu prætermittendam.

Assertio IX. Quin etiam non obstante denũciatione fraternâ, & ordine correptionis, quotiescunque contra peccatum correptum, si non interuenisset correptio fraterna, licite potuisset, aut etiam debuisset iuridice procedi (seu via inquisitionis, seu accusationis) toties etiam poterit ita procedi, post correptionẽ fraternam; siue delinquens alioqui sit iam emendatus; & siue spes sit emendationis, siue non sit. Ita contra varios aliter sentientes recte docent Bannes & Valentia locis citatis. Ratio est. Quia via correptionis fraternæ nil præiudicat correptioni iuridicæ, & habet vtraque suum proprium ac specialem finem sibi propositum: illa vt emendetur delinquens, hæc, vt iustitiæ administratione consultum sit bono publico; de qua plura inferius, de iustitia. 112

QVÆSTIO VI.

De vitijs Charitati oppositis, vt Odio, Schismate, Bello, Scandalo &c.

S. Thomas 2. 2. q. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. & 43.

ABsoluetur hæc quæstio nouem dubitationibus. I. Quæ & quàm varia sint vitia Charitati opposita: ac speciatim, an & quale peccatum sit odium, acedia, inuidia, discordia & contentio. II Quid, & quantum peccatum sit schisma; & quæ sint pœnæ schismaticorum, & quid si Pontifex fieret schismaticus, aut hæreticus; denique quid faciendum tempore schismatis. III. De Bello, ac primò quænam conditiones vniuersim ad iustum bellum requirantur. IV. Quomodo dubia belli causa examinanda sit, & diiudicanda. V. Quænam circa belli prosecutionem obseruanda sint; speciatim an & quomodo in bello liceat occidere, in seruitutem redigere, vel spoliare etiam innocentes, itemque spolia & bona ab hostibus iusto bello capta, vel etiam pretio aut dono accepta ad quos spectent. VI. De Circumstantijs belli, personam & tempus concernentibus: an Clericis; atque etiam diebus festis liceat bellare. VII. De rixâ, duello, & seditione. VIII De scandalo, quid, quotuplex, & quale peccatum sit scandalum, & an semper sit peccatum, consilio, præcepto, ope, vel ad malum cooperari, vel à bono impedire. IX. An & quâ ratione bona seu spiritualia, seu temporalia dimittenda sint propter scandalum.

DVBIVM I.

Quæ, & quam varia sint vitia Charitati opposita; ac speciatim an, & quale peccatum sit odium, acedia, inuidia, discordia, & contentio.

S. Thomas 2. 2. q. 34. 35. 36. 37. & 38.

1 EGimus hactenus de charitate, eiusque obiecto, & actibus, præceptisque affirmatiuis, nunc de vitijs ei oppositis, adeoque præceptis negatiuis agendum est. Opponuntur autem charitati, secundum varios eius actus, varia vitia. Primo enim ratione primarij actus, qui est amor, òpponitur illi odium. Secundo ratione gaudij, opponũtur ei acedia & inuidia. Tertio ratione pacis, sex alia vitia, nimirũ discordia, contentio, schisma, bellum, rixa, & seditio. Quarto, ratione beneficentiæ, quẽ extetnũ charitatis actum diximus, opponitur ei scãdalum, de quibus ordine cum S. Thomâ agemus.

Et

Et quod ad odium spectat, id duplex est, vnum vocatur *abominationis*, quo nempe alterum tanquã indignũ nostra amicitia seu beneuolentiâ abominamur: id quod præcepto charitatis amori aduersatur. Alterum vocatur odium *inimicitiæ* seu maleuolentiæ, quo alicui volumus malum, qua malum, nimirum eo præcise, vt ipsi malè sit; oriturque facile ex odio abominationis, vt proinde communiter vtrumque soleat esse coniunctum.

2 Odium vero tam erga Deum, quam proximum (quæ inter se specie distinguuntur) est ex suo genere mortale; illudq; omnium grauissimum. Potest tamen vtrobique excusare à mortali, tum inaduertentia seu imperfectio actus, tum etiam, quoad proximi odium, paruitas materiæ, præsertim si loquamur de odio inimicitię: odisse verò peccatores præcise, qua tales sunt, malum non est, ex psalmo 138. v. 21 *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam.* & ib. v. 22. *Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.* Id enim aliud non est, quam peccata illorum auersari, adeoque nolle connexum hoc, hominem in peccato esse; quod ipsum est vere amare, ex S. Thoma q. 25. a. 6. & hic q. 34. a. 3.

3 Sicut etiam alteri malum velle, non eo præcise, vt illi male sit, sed sub ratione alicuius boni, non semper est illicitum, nempe quando malum illud volumus solum alteri, secundum ordinem diuinæ dispositionis, idque propter aliquod maius bonum quod merito pluris æstimamus quam malum proximi: Secus, si secundum leges charitatis minus æstimare debeamus boni illius carentiam, quam malum proximi.

Vnde velle temporalem interitum inimicis Ecclesiæ, alioqui non conuertendis, non est illicitum, nec mortem corporis (iuxta diuinam dispositionẽ) ei, cuius vitam tibi nosti exitialem; nec desperato alioqui peccatori morbum corporis, vt inde corrigatur; semper interim retento, affectu amicitiæ seu beneuolentiæ debito, vt malum illud non optemus nisi in quantum est necessarium ad eiusmodi bonũ, semperque potius optantes, vt sine omni proximi malo bonum illud obtineatur.

4 Eodem modo sub ratione boni iustitię velle possumus reis debitam pœnam, seruato debito ordine Iuris, ac cum debitis circumstantijs: Sicut etiam damnatis omnibus, imò etiam peccatoribus in terra existentibus, in genere, saltem sub conditione, si non conuertantur, æternam damnationem sub ratione boni iustitiæ diuinæ, iuxta illud Psal. 9. v. 18. *Conuertantur peccatores in infernum* &c. In particulari autem & absolute alicui viuenti id malum velle, nunquam licet, sicut nec mortem vlli, ob spem seu cupiditatem hæreditatis, vt recte Nauarrus cap. 15. n. 10. & cap. 23. n. 24. ex communi. Plura videri possunt apud S. Thomam hic q. 34. & Valentiam q. 11. punct. 2. præter ea, quæ diximus tom. 2. disp. 2. q. 6. dub. 6. & q. 4. dub. 3.

5 Acedia, de qua S. Thomas q. 35. accipitur dupliciter. Primo generatim pro tristitia de quocunque spirituali bono, siue opere cuiuscunque virtutis, adeoque pro quâdam animi remissione in quibuscunque virtutum actibus; quæ non est peccatum speciale, sed ei virtuti oppositum, cuius actionem exercendam animus horret ac refugit, nec distinctum ab eo peccato operis, quod ex ea consequitur ex communi S. Thomæ q. 35. a. 1. 2. & 4. ad 3. Secundo accipitur pro speciali vitio, gaudio charitatis opposito, quo quis tristatur de bono diuino à nobis exercendo, aut obtinendo, quatenus ob adiunctam difficultatem apprehenditur vt malum proprium, iuxta S. Thomam a. 2. & 3. ad 2. *Exemplum est*, inquit Caietanus a. 2. *Si quis in tantum elongatus sit ab amore cœlestis Patris, & Patriæ, vt cum audit & cogitat, statutum sibi esse, vt sit ciuis sanctorum & domesticus Dei, de hoc tristetur.*

Est autem peccatum mortale ex suo genere; nisi videlicet excuset vel paruitas materiæ, cum bonũ illud non est debitum sub mortali, aut imperfectio actus; seu ob indeliberationem; seu quia non peruenit ad tantam malitiam, vt quis absolute & simpliciter refugiat spiritualem cõmunionem cum Deo, sed secundum quid tantum, vt difficilis, aut actu voluntatis hypothetico; nollem, si non deberem (manente interim voluntate simpliciter parata, ad seruandas, absque periculo mortalis peccati, diuinæ amicitiæ leges, vt indicauit S. Thomas a. 3. & clarius Syluester V. Acedia n. 2. Qua ratione etiam à mortali excusari potest (secluso speciali lapsus seu tepiditatis periculo, scandalo, &c.) qui tristatur de statu perfectionis assumpto, paratus interim implere, quod vouit. 6

Inuidia, de qua S. Thomas q. 36. nihil aliud est, iuxta eundem a. 2. quam *tristitia de bonis alicuius, in quantum alter excedit tristantem in bonis*: seu quod idem est, tristitia de bono alicuius, quatenus in alio, nobis aliquo modo simili, existens, hoc ipso propriam excellentiam videtur minuere, cum tamen interim reuera non minuat. Est ex suo genere peccatum mortale; nisi vt in simili dictum inaduertentia seu imperfectio actus, aut paruitas materiæ excuset, iuxta S. Thomam ibidem a 3. vbi addit, *aliquos primos motus inuidiæ inueniri quandoq; etiam in viris perfectis, qui sunt peccata venialia.* 7

Oritur inuidia frequenter ex pusillanimitate, iuncta superbiæ; nec est nisi ad æquales, aut fere æquales, eosque aliquo modo excellentes & præsentes; iuxta Aristotelem 2. Rhet. cap. 10. Estque vitium capitale, iuxta Gregorium. 31. Moral. c. 31. & S. Thomã a. 4. Cuius filiæ sunt, odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, & in prosperis afflictio.

Quomodo autem nonnulli affectus, in quibus est zelus, siue æmulatio, item nemesis siue indignatio, tristitia item de alieno bono, quatenus reuera nobis noxium est, & habeant cum inuidia quandã affinitatem, & ab ea nihilominus distinguantur, explicat S. Thomas q. 36 a. 2. Summa est. Zelus siue æmulatio est tristitia de bono alterius, non ex eo, quod ipse habet bonũ, sed ex eo, quod nobis bonum illud deest. Qui zelus circa bona temporalia potest esse cum peccato, vel sine peccato: circa bona vero honesta laudabilis est, iuxta illud 1. Cor. 14. v. 1. *Æmulamini spiritualia.* 8

Nemesis siue indignatio est tristitia de bono alterius, inquantum indigno accidit. Quæ circa bonum honestum locum non habet; sed solum circa bona temporalia, quæ dignis & indignis accidere 9

possunt

possunt. Quæ tamen ipsa tristitia laudabilis non est, siquidem ea quæ fiunt attendantur, prout subsunt diuinæ prouidētiæ dispositioni; & prohibetur psal. 36. v. 1. *Noli æmulari in malignantibus: neq; zelaueris facientes iniquitatem.* Et psal. 72. v. 2. *Pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacē peccatorū videns.* Indignari vero de peccato proximi indignis beneficia conferentis, per se non est illicitum.

Deniq; tristari de bono alicuius, inquantum nobis vel alijs noxium est, per se non esse peccatum, tradit S. Gregorius 22. Moral. c. 11. vbi ait: *Euenire plerunq; solet, vt non amissa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursum eius gloria sine inuidiæ culpa contristet; cum & ruente eo, quo sdā bene erigi credimus; & proficiente illo, plerosq; iniuste opprimi formidamus.*

10 Discordia, de qua S. Thomas q. 37. aliquando generatim dissensionē voluntatū & actionum significat; quæ per se nec bona est, nec mala: Nam in malo dissentire bonum est; & concordia malorum pessima. Aliquando sumitur strictius pro dissensione circa bonum. Sed nec ista vniuersim mala est, vt si bonum illud debitum non sit, cuiusmodi est ingressus religionis, iuxta S. Thomam a. 1.

Tertio sumitur pro vitiosa dissensione voluntatis circa bonum debitum, quæ semper quidē mala est, iuxta Apostolū Gal. 5. dissensiōes inter opera carnis numerantem; Sed per se vitium speciale non est, vtpote ei virtuti opposita, cuius bonum respuit: nisi cum quis ita à proximo discordat, vt simul eius quietem mentis, adeòque pacem voluntarie lædat; seu in ipso bono ad charitatē spectante dissentiat: quo modo in oppositō consideratur iuxta S. Thomā loc. cit. tanquā vitiū paci charitatis oppositū in corde.

Eius grauitas considerari debet, tum ex ipsā per se læsione pacis, an grauis sit: tum ex materia subiectā, in qua dissentitur, an sub mortali debita &c. tum ex animi deliberatione, cum indeliberatio & paruitas materiæ etiam hac in re sæpe à mortali excusent, iuxta S. Thom. cit. a. 1.

11 Contentio, de qua S. Thomas q. 38. hic accipitur pro vitio speciali, opposito paci charitatis in ore, quod itidem Gal. 5. inter opera carnis numeratur, & iuxta S. Thomam a. 1. describi potest; Vitiosa pugna verborū cum proximo, pacē charitatis lædens.

Vitiosa autem est, vel quia veritatem impugnat; vel quia inordinato modo, aut etiā temerè, seu solo contradicendi studio, cum læsione pacis, aut charitatis, dictum alterius impugnat, ex quorum vtroq; simul, sicut & ex animi deliberatione prauitas ipsi9 æstimari debet, quanquā ratione modi per se raro sit peccatum mortale, nisi ob scandalū consequens, seu adiectas contumelias iuxta S. Thomam a. 1. Oritur tum quandoq; ex ignorantia; tum plerumq; ex inani gloria, vel etiā superba sui ipsius æstimatione, qua quis proprio sensui nimiū tribuit, & addictus est, vt ex S. Gregorio 31. Moral. c. 31. notauit S. Thomas cit. q. 38. a. 2.

Plura hac de re egimus supra disp. 1. q. 9. dub. 5. vbi de disputationibus cum hæreticis actum. Quomodo autē diuersitas opinionum in scientijs alijsq; disciplinis, itemque dissensiones alię in rebus agendis ad salutem non necessarijs, charitati non aduersentur, dictum est supra quæstione 4. dub. 1.

DVBIVM II.

Quid, & quantum peccatum sit schisma; & quæsint pœnæ schismaticorum; & quid si Pontifex fieret Schismaticus aut hæreticus; denique quid faciendū tempore schismatis.

S. Thomas 2. 2. q. 39. aā. 4.

Quantum ad primū, schisma est peccatum speciale, quo quis se ab Ecclesiæ vnitate separat; eāque, quantum in se est, scindit & diuidit; siue quis directe se à solo capite Ecclesiæ, qui est Roman9 Pōtifex, siue à reliquo corpore, siue ab vtroq; separet iuxta S. Thomam q. 39. a. 1. 12

Contingit schisma varijs modis. Primo, aut solo proposito, aut ipso etiam opere externo, quo proprie consummatur, vt homicidium.

Secundò, aut per formalē & expressā intentionē schismatis, aut per virtualē & indirectā intendēdo v. g. aliquam hæresin, vel superstitionem, vel dignitatis prærogatiuā: omnis enim hæreticus, formaliter etiam schismaticus est, iuxta S. Thomā a. 1. ad 2. Caietanum ibidem, Valentiam q. 5 pun. 1 licet non contra, vt dicetur.

Tertiò, vel in actu signatō, adeoque cum hæresi, diserte videlicet negando vnitatē Ecclesiæ, vel autoritatem supremam Pontificis in vniuersam Ecclesiam, *quem communis doctrina reputat hæreticum*, vt ait Caietanus v. *schisma*; male tamen addens, *tametsi in dubium fortè reuocetur, an sit hæreticus, propterea quia non videtur in sacris Concilijs damnata hæc hæresis*; quæ verba in recētioribus editionibus merito prætermissa sunt iuxta ea quæ docuimus supra disp. 1 q. 4. dub. 3. & 4. aut in actu solum exercito, adeoque sine hæresi, dum quis videlicet in ipsa praxi, summum Pontificem pro suo aut Ecclesiæ capite non vult agnoscere, vel vnionem seu communicationem debitam cum reliquo corpore recusat seruare. 13

Quo spectant etiam illi iuxta Caietanum, qui absque legitima autoritate congregant Synodos, vel legitime dissolutas prosequuntur, & quotquot ita se gerunt, tanquam si Ecclesiæ membra non essent. Tales sunt etiam qui absque legitimale ectione Pontificiam sedem ac munus inuadunt, præsertim legitimo Pontifice etiamnum existente. 14

Vnde moraliter solum iniel igendum est, quod air Hieronymus in cap. 3. epistolæ ad Titum: *Etsi schisma in principio aliqua ex parte posśit intelligi diuersum ab hæresi, tamen nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresin, vt recte ab Ecclesia recessisse videatur.*

Quarto proinde contingere potest separatio, vel quoad mores tantum, vt si quis ceremonias contra cōmunem totius Ecclesiæ consuetudinem & consensum velit introducere, aut etiam quoad fidem. 15

Quinto

Quinto, fieri potest non solũ per separationem ab vniuersali Ecclesia directe, sed etiã à particulari, quæ vniuersali adhæret, v. g. ab hac diœcesi, vel eius Episcopo. Cui consonat illud 1. Cor. 1. v. 10. *Et non sint in vobis schismata.* Quin etiã aliã particularẽ congregationẽ v. g Religionẽ scindens, peccatũ speciale contra charitatem comittit, quod saltem ad schisma reuocatur; etiamsi hoc propriè non accidat, nisi per separationem ab vniuersali Ecclesiâ, iuxta S. Thomam hic a. 1.

16 Deniq; contrahi potest, non solum à membris cæteris Ecclesiæ, sed etiam ab ipso capite, nempe sumo Pontifice, idque tam solitarium, quàm hæresi iunctum, saltẽ quantũest precisè ex naturâ schismatis, quicquid sit de externâ protectiõe Dei, vt rectè Turrecremata l. 4. de Ecclesia. part. 1. c. 11. Caietanus hic a. 1. Valentia q. 15. pun. 1. idq; tum per separationem sui ab officio capitis; quod fieret, si Papa retento suæ potestatis titulo, nollet subesse officio, aut legibus officij sui, volens se non vt caput spirituale Ecclesiæ, sed solum vt Dominum quendam temporalem gerere, vt inquit Caietanus: tum per separationem à corpore, quod fieret v. g. si in ritibus nollet se conformare vniuersali Ecclesiæ, sed vellet celebrare sine vestibus sacris, vt inquit Turrecremata; vel si excommunicare præsumeret vniuersam Ecclesiam, vt dicit Caietanus.

17 Quantum ad secundum. Est hoc quidem peccatum ex suo genere leuius infidelitate; attamen per accidens ratione scandali, damni. &c. sæpe solet esse grauius, iuxta S. Thomam. cit. q. 39. a. 2. Quocirca nec à mortali potest excusari, nisi ob ignorantiam & indeliberationem, iuxta Valentiam quæst. 15. punct. 2.

18 Quantum ad tertium. Tres pœnas schismatis hic refert S. Thomas. a. 3. & 4. Prima est priuatio omnis iurisdictionis spiritualis, quæ videlicet ex simplici hominis iniunctione confertur, ex Can *Nouatianus*, causa 7. q. 1. *Vnde*, inquit S. Thomas, *non possunt, nec absoluere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi, quòd si fecerint, nihil est factum.*

Sed hoc limitandum est, nisi quis bonâ fide confessus, à dubio, vel occulto, & in publico munere tolerato hæretico, vel schismatico absoluatur, iuxta Syluestrum V. *Confessio* 1. n. 19. & 20. Azorium lib. 8. cap. 13. q. 7. ex capite *Nonne* 8. q. 4.

Quòd si schismatici & hæretici, vt quidam probabiliter sentiunt, non nisi ratione excommunicationis iurisdictionem perdant, addi potest etiã alia limitatio, post decretũ Martini V. *ad euitanda*: nimirum si nominatim sint excommunicati, aut notorij percussores Clericorum; cæteri enim excommunicati, in actibus iurisdictionis, cedentibus in fauorem subdito um, potestatem iurisdictionis retinent, saltem vt eâ valide vtantur, etsi non licite, vt

19 alibi dicetur. Atque ita in præsenti etiam materiâ sentiunt quidã apud Azorium loc. cit. licet ipse putet, hæreticos vniuersim, si nominatim excomunicati non sint, vitandos quidem non esse, sed tamen nihilominus iurisdictionem perdere.

Cæterum potestatem ordinis schismatici retinent quidẽ ob characterẽ; sed licitè non exercent. Vnde fit, vt etiã validè consecrent & ordinent, etsi non licitè. Eademq; est ratio hæreticorũ, iuxta S. Thomam a. 3. & supplemento q. 38. a. 2. & dicta superius disp. 1. q. 8. dub. 6.

Secunda pœna ex Can. *Nulli*, distinctione 19 & 20
Bullâ cœnæ Domini, est excomunicatio quâ ipso facto incurrunt illi, qui schisma opere externo consummârunt, cum fautoribus &c. non autem purè mentales, aut qui id opere externo non consummarunt, vt etiam suprà loc cit. suo modo de hæresi dictum. Peculiariter etiam excomunicatur schismaticus, qui sine legitima electione Papam se venditat cum omnibus ei adhærentibus; exceptis tamẽ quos probabilis error, vel ignorãtia excusat, vt rectè post Panormitanum Valentia q. 15. pun. 3. An vero, & quomodo etiã excomunicati priuationẽ dominij, ac beneficij incurrant, dictum est supra de hæresi loc cit. Et plura de hac omni re suo loco tom. 4. de Censuris.

Tertia pœna est corporis, qua per potestatẽ tẽporalẽ licite coërcentur, si alioqui corrigi nolint. 21

Quæres primo. Quid si ipse Pontifex etiam fiat schismaticus, aut hæreticus. Respondeo primo, Pontificem occulte hæreticum aut schismaticum, suam iurisdictionẽ non perdere; nec adeo excomunicatum esse; quicquid Turrecremata lib. 4. p. 2. c. 20. & Castro lib. 2. de hæreticorum punitione dixerint, contra comunem Sotum in 4. dist. 22. q. 2. a. 2. Cani lib. 4. c. 1. Caietani, tract. de auctoritate Papæ & conciliorum, & alios inferius citandos Ratio est. Quia alias male consultum foret Ecclesiæ.

Respondeo secundò, Pontificem notoriè hæreticum, non quidem per Ecclesiæ depositionem, vt dixit Caietanus loc. cit. sed ipso iure diuino excidere suæ potestate; siue per facti euidentiam notum sit crimen, siue per aliquam declarationem & sententiam Ecclesiæ, vt post Waldensem, Driedonem, Canum, & alios plerosq; recentiores, contra quosdam aliter sentientes docent Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice c. 20. & Valentia de fide q. 1. pun. 7. §. 40. & hic q. 15. pun. 3. & dictum superius disp. 1. q. 4. dub. 4. Ratio patebit inferius. 22

Respondeo tertio, Idem probabile esse de Pontifice notoriè schismatico. Ita cum Turrecremata, docet Valentia hic q. 15. cit. pun. 3. & consonum est S. Cypriano lib. 1. Epistola 6. vbi ait: *Dicimus, omnes omnino hæreticos atque schismaticos nihil habere potestatis, aut iuris.* 23

Ratio est. Tum quia conueniens non est, eum, qui iam externis quoque actibus se palam in lupum & vastatorem Ecclesiæ transformauit, summi Pastoris officio præfectum à Deo relinqui. Tum quia sicut Deus ipse Pontificis personam, quando ab Ecclesiâ huic muneri idonea æstimatur, & per electionem quasi Deo offertur, reipsa acceptat, ac eidem potestatem Pontificiam tribuit; ita etiam pari modo censendum est, quando is eiusdem Ecclesiæ iudicio, in statu rectæ gubernationi è diametro opposito, sua culpa se statuit, rursum diuinitus ea potestate priuari: cum is alioqui, velut omni potestate humana superior, ab Ecclesia priuari sua potestate non possit; etiamsi interim alij hæretici & schismatici, quantumuis notorij, ex ipsius diuini iuris dispositione, ipso iure Ecclesiasticam iurisdictionẽ non amittant, vt recte & conuenienter S. Thomæ docet Caietanus loc. cit. cap. 22. & vt apparet Ban-

nes

nes hic, licet contrarium existimet Valentia post Turrecrematam, & Castro loc.cit.& Sylvestrum verbo *Schisma* n 3.

24 Respondeo quartò, Papam sic à Deo sua potestate exutum etiam puniri & iudicari posse ab Ecclesia; imò ipso facto incurrere excommunicationem in hæreticos & schismaticos latam. Ita citati. Ratio patet. Quia iam eiusdem conditionis est cũ cæteris.

25 Quæres secundò. Quid faciendũ tempore schismatis, quando plures sunt dubij Pontifices Respõdetur, primũ ipsam facti causam diligenter exquirẽdã ab hominibus doctis & pijs, qui partiales nõ sint, reiq; gestæ notitiã habeant. Deinde verò si res, omnibus spectatis, adhuc duiba maneat, tenendũ esse, quod certũ est, prætermissis dubijs; nempe adhærẽdũ Ecclesiç, eiusq; inuisibili capiti Christo, & dubios Pontifices habendos vt dubios, non magis vni adhærendo, quã alteri; cum id sine temeritate non fieret; donec res per Ecclesiæ pastores in Concilio generali, aut extra definiatur, vt factum in Concilio Constantiensi. Ita rectè docet Caietanus tract. de autorit. Papæ loc.cit. Plura idem ibidem & Turrecremata de Ecclesia lib.4 part 1.cap.9. & 10.

DVBIVM III.

De bello; ac primò quid sit & quænam conditiones vniuersim ad iustum bellũ requirantur; quaq; ratione charitati opponatur.

S.Thomas 2.2.q.40.a.1.

26 BEllum seu à beluis dictum, seu quasi non bellũ per antiphrasin, est pugna inter diuersas communitates siue populos.

De quo supponimus primò, bellũ aliud esse offensiuũ seu aggressiuũ, quod ad vindicandã vel cõpensandã iniuriã infertur; aliud defensiuũ, quod solius defensionis causa, cũ moderamine debito suscipitur.

Supponimus secundò, neutrum ex se illicitũ esse, etiam Christianis, vt contra Manichæos apud Aug. lib.22.contra Faustũ c.74 Erasmũ annot.ad cap.3. & 22.Luc.item Anabaptistas, patet ex Luc.3 v.14. *Neminem concutiatis, neq; calumniã faciatis: & contenti estote stipendijs vestris.* De qua re plura Bellar.lib.3.de membris Ecclesiæ cap.14.Valentia q.16.punct.1.

Supponimus tertiò, bellum considerari posse, vel quoad substantiam, eiusq; inchoationẽ, vel quoad modũ & circũstantias, adeoq; eius administrationẽ. De primo agetur prius, deinde de altero. His positis de proposito dubio sequẽtes assertiones statuimus.

27 ASSERTIO I. Ad bellum iustũ tres conditiones requiruntur, nimirũ legitima autoritas seu potestas, causa iusta, & recta intentio, vt scilicet amore iustitiæ, seu iustæ indemnitatis suscipiatur; non ex odio, vel priuatæ vindictæ cupiditate. Ita ex August. lib. 22.contra Faustum cap.75.S.Thomas q.40.a.1.& cõmunis. Ratio est; quia tres hæ conditiones necessariæ sunt in omni genere actionis, qua vis aut nocumentũ alijs infertur. Et ad vltimã conditionẽ specialim spectat illud August.l.22.con.Faustũ c.74. *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus & implacabilis animus, feritas de bellandi, libido dominandi & si qua sũt similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpãtur.*

28 ASSERTIO II. Deficiente vna ex prioribus duabus conditionibus, bellũ non solũ aduersatur charitati, sed etiã iustitiæ; adeoq; annexũ habet onus restitu ẽdi: Secus ex defectu solius tertiæ conditionis. Ita ex cõm.docent Caiet.& Bannes hic a.1.Val q.16 pũ.2. Mol.to.1.de Iustitia disp.123. Ratio sumitur ex simili de iudicio & officio Iudicis inferius disp.4. explicãdo. Et per se constat eũ qui absq; causa & facultate seu potestate legitima alterum lædit, violare iustitiam, & teneri ad restitutionem: secus si in læsione solo affectu odij peccetur.

ASSERTIO III. Ad bellũ merè defensiuũ, vnusquisq; populus, seu Princeps habet sufficientẽ autoritatẽ ac potestatẽ. Ita omnes. Ratio est. Quia cuilibet licet vim vi repellere, cũ moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde Bellarm.l.2.de Concilijs c.19.ad 2.ait, licere etiã resistere armis & vi ipsi Pontifici Ecclesiã destruere molienti. Subditi verò priuati principis vel cõmunitatis alicuius qui nullã propriã ditionẽ habent, non possunt sine consensu sui Domini bellũ etiã defensiuũ suscipere; tũ quia ad congregandũ militẽ requiritur specialis autoritas in conuocante: tum quia subditorũ defensio contra vim militarẽ alieni Domini, spectat ad ipsum principẽ; sine cuius præiudicio bellũ à subditis non suscipitur, vt bene etiã notauit S.Th.q.40.a.1.iuxta August.l.22.cont. Faustum c.75.vbi ait: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli autoritas atq; consilium penes principes sit.* 29

ASSERTIO IV. Ad bellũ offensiuũ per se requiritur auctoritas principis, seu Magistratus alicuius, qui in suo regimine superiorẽ non agnoscat. Ita cõmunis. Ratio est. Quia cæteri habent superiores, ad quos recurrendũ est. Talis autẽ sunt Imperator, Reges, aliqui Principes Italiæ, quædã Respublicæ liberę, vt Veneta, & in Brasilia subinde singulę quãdoq; familiæ, vel pagi, iuxta Mol.disp.100 non autẽ Germaniæ seu Imperij Principes, q Imperatori subsũt 30

ASSERTIO V. In tribus tamẽ casibus, etiã inferior Princeps bellũ offensiuũ licitè gerit. Primus est expressus, aut rationabiliter præsumptus consensus supremi Principis, ex Mol. disp.121. Secundus, si quis fortè diuturna & legitima præscriptione hoc iùs obtinuerit, vt de quibusdam referunt Victoria Relect. de iure belli, & Caiet.hic q.40.a.1.Mol.cit.disp.100. Tertius, si necessitas se defendendi vrgeat; neq; tamẽ aut ppriæ securitati, aut indemnitati satis consultũ sit, nisi è vestigio vindicta quoque exerceatur. Vt si eiusdẽ regni Principes inter se pugnent, & rex aut nolit, aut non possit illatas alteri ab altero iniurias vindicare; tunc enim iniustè inuasus non solum defendere, sed etiam in hostem animaduertere potest, vsq; ad plenã sui securitatẽ, & condignã satisfactionẽ; eo ferè modo & iure, quo priuatis quoq; licet, res iniustè ablatas in continenti etiam vi adhibita vindicare, vt rectè docent Victoria & Molina loc. cit. & ex parte Sylvester verbo *bellum* 2. num.3. 31

ASSERTIO VI. Causa iusti belli est sola iniuria, aut iure defensionis repellẽda, aut iure cõmutatiuę iustitię cõpensanda, aut iure vindicatiuæ iustitiæ vindicãda, idq; cũ aliundè debita satisfactio nõ pstatur. Ita cum S.Th.q.40 a.1.omnes ex Aug.l.22. contra Faustũ c.74.& q.10 in Iosue, vbi inter alia ait: *Iusta bella solent definiri, quæ vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectendà est, quæ vel vindicare neglexerit, quod* 32

à suis improbe factũ est, vel reddere, quod per iniuriã ablatũ est &c. Et cap. Apud 23.q.1. ex eodẽ Augustino dicitur: *Apud veros Dei cultores etiã illa bella peccata non sunt, quæ nõ cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, vt mali coerceantur & boni subleuentur.* Ratio est. Quia sola iniuria accepta potestatẽ facere potest, vim alioqui non subdito inferendi.

33 Duo tamẽ hic notanda. Primum, iniuriã eiusmodi ita grauẽ esse debere, vt non immeritò tanta belli incõmoda ei postponantur; qualia sunt tot cædes, rapinæ, depopulationes, vastitates animarũ pariter & corporũ, omniũq; bonorũ euersiones, quæ tã læsæ, q̃ lędenti parti ex æquo ferè solent cõtingere, vt prudenter notauit Victoria loc. cit Alioqui si quæ inuitis amicis & subditis, absq; sufficiente causa & iure accidant damna, obnoxia restitutioni erunt, vt pluribus docet Molina disp. 102. iuxta communem titulũ iniustæ damnificationis. de quo suo loco dis. 4.

34 Secundũ, pro bello quidẽ defensiuo materialẽ etiã iniuriã, siue rationabiliter præsumptã sufficere; pro bello autẽ offensiuo, ad compensandã iniuriã illato, tunc tantũ sufficere iniuriã materialẽ, quando hostis, recusata debita compensatione siue restitutione, rẽ nostrã tanquã suã detinet, aut ex ea factus est ditior, cum is alioqui nec ratione rei acceptę, nec ratione iniustæ acceptionis ad vllã compensationẽ teneatur. Pro bello autẽ vindicatiuo omnino requiritur formalis iniuria, cũ vera scilicet culpa coniũcta; cũ omnis vindicta & pœna, præsertim tam grauis & violenta, supponat culpam. Ita rectè & ex cõmuni docent Molina dis. 102. & Vasquez 1.2. dis. 100. n. 7.

De particularibus autẽ belli iusti causis, multa diximus suprà dis. 1. q. 9 dub. 1. & 2. post Victoriã relectione de Indis, & Iosephũ Acostã de procuranda Indorũ salute c. 13. qui docent; etiã iure bellũ Indis inferti, si Christianis negent ad suas prouincias liberũ accessũ, & vsum portuũ ac fluminũ, facultatẽq; illic negotiandi, sine cuiusquã iniuria: quod tamen non sine causa negat Molina dis. 105. modo alias fidei prædicationi non resistant: quando & Christiani principes non quibusuis exteris nationibus copiã liberi eiusmodi cõmeatus ac negotiationis faciunt; idq; ad vitandã Reipub. perturbationẽ & pericula.

35 Assertio VII. Per se & directa intentione nũquã est licitum quærere, aut dare occasiones iniusti belli; hoc enim esset intendere malũ, vt cũ Victoria de iure belli n. 60 docet Molina dis. 107. In casu tamen, si bellũ cederet in maius bonũ tũ Ecclesiæ, tũ hostiũ, vt qui nimirũ hac ratione ad fidẽ conuertẽdi, aut ad meliorẽ politiæ rationẽ traducendi videãtur, licitũ erit, vtendo iure nostro, per accidens bello etiã iniusto occasionẽ præbere; etiãsi intendatur simul temporale cõmodũ: quamuis enim nefas sit intendere culpã alterius, licet tamen subinde illã permittere, eique occasionem per accidens præbere, propter maius bonũ peccantis, & commune, vt ex Nauarro & Soto rectè docet idem Molina loc. cit. & patebit inferius de scandalo dub. 8.

36 Ex quibus etiã colligitur, an & qua ratione bellũ charitati aduersetur. Primò enim si quis suscepto bello formaliter intendat lædere charitatẽ, seu pacẽ charitatis, talis belli susceptio vtiq; formaliter charitati aduersabitur, ita vt sit speciale peccatum contra charitatem; siue interim reipsa etiam aduersetur Iustitiæ, sine non. Quia in omni materia formalis & directa intentio malitiæ alicui virtuti oppositæ, formale peccatum eidem virtuti oppositum constituit, vt etiam de inobedientia docuimus tom. 2. disp. 4. q. 2. dub. 3. n. 44.

Secundo si quis existente sufficiente autoritate & causa belli, solum peccet ex parte intentionis, interno affectu odij aut vindictę, tale bellũ etiam charitati propriè oppositum erit, vt superius asser. 2. dictum. Idem fieri potest, si quis, quamuis existente iusta causa, & potestate bellum gerendi, negligat ordinem charitatis, postponendo pacem publicam & bonum charitatis, propriæ eidemq; non admodum necessarię honoris aut bonorũ defensioni vindicationiue, nec admittat pacis consilia, quę alioqui prudens charitas admittenda dictat.

At verò quando bellum siue ex defectu potestatis, siue ex defectu causæ planè iniustum est, nec formaliter intenditur læsio paeis & charitatis, tunc tale bellum non erit speciale peccatum contra charitatem, sed contra iustitiam: sicut furtum, latrocinium, homicidium, &c. quia tunc oppositio cum charitate solum se habet vt materialis & communis quædam conditio omnium eiusmodi peccatorum, quæ aduersus proximũ actu externo cõmittuntur.

Et quamuis S. Thomas initio quæstionis 34. commemorans vitia charitati opposita, speciatim non referat bellum; sed solum duo vitia paci charitatis opposita recenseat, discordiam scilicet & schisma; qua de causa etiam bellum prout est peccatum charitati oppositum, spectare fortasse alicui videatur ad discordiam, sicut actus & peccatum externum; certum tamen est, moraliter loquendo esse peccatum specie distinctum à cæteris peccatis paci charitatis oppositis: quia modo admodum diuerso charitatis pacem violat, & discordia in sola voluntatũ dissensione vtcunque etiam factis & signis externis manifestata, ideoque pacem lædente, (secluſa alia speciali prauitate, qualis in contentione, rixa, bello cernitur) posita est. Qua de causa etiam S. Thomas initio quæstionis 37. inter peccata, quæ opponuntur paci charitatis, numerat 1. discordiam, quæ est in corde. 2. contentionem, quæ est in ore. 3. ea quæ pertinent ad opus, scilicet schisma, rixam, bellum, & seditionem; ita vt proinde bellum ex mente S. Thomæ sit peccatum, & quid ni etiam vitium speciale charitati oppositum, modo superius explicato: id quod etiam alij autores communiter supponere videntur.

DVBIVM IV.

Quomodo dubia belli causa examinanda, & diudicanda sit.

S. Thomas 2. 2. q. 40. a. 1.

AGetur primo de ipsis supremis Principibus, deinde etiàm de cæteris. Et spectat hoc dubiũ itidem ad ipsam belli susceptionem.

37 Assertio I. Dubiam belli causam tenetur in primis ipse Princeps bellum gesturus diligenter examinare, adhibitis etiam in consilium viris prudentibus, & iuris intelligentibus. Ita ex communi

Victoria de iure belli n. 20. & 21. Valentia q. 16. pũ. 2. Molina disp. 109. Ratio est; quia alioqui in re omniũ grauissima exponet se princeps manifesto peccandi, alioq; iniurijs grauissimis afficiẽdi periculo.

ASSERTIO II. Licet hac in re ordinariè ipsimet supremi Principes, pro se quisq; iudex sit; potest tamẽ Pontifex in extraordinario casu, propter spirituale bonũ Ecclesiæ, eã causam ad se trahere, & cũ autoritate decidere, si nimirũ alias Ecclesia graue detrimentũ videatur ex bello captura: eiq; iudicio tenẽtur Principes stare, nisi cum manifestè constat sententiã iniustã esse. Ita habet cõmunis apud citatos. Ratio est. Quia Papa habet etiã potestatẽ in temporalibus, saltẽ indirectè, ac in ordine ad bonum spirituale Ecclesiæ. Quia tamen ex eiusmodi vsu Pontificiæ potestatis non rarò maiora mala oriri facilè possunt, hinc notat Molina disp. 103. id neq; solere facere Pontificem, sed paternè solum ad pacem hortari; nec expedire, vt communiter faciat.

38 ASSERTIO III. Si quando mortuo rege, eiusdem regni partes, vel subditi ꝑ regno contendant, tunc ad illã ipsã regni cõmunitatẽ spectabit, causã decidere, & inter competitores, eũ, cuius ius est ꝑbabilius, regno præficere. Ita Mol. disp. 103. Ratio. Quia cõmunitas omnibus suis partibus superior, ac singularum Iudex est. Loquimur enim de perfecta communitate, quæ superiorem non habet.

39 ASSERTIO IV. At si defuncto Rege, inter principẽ quendã externũ à priore independentẽ, & ipsam regni cõmunitatẽ, de iure regni oriatur contentio, in ea causa tam Princeps, quã cõmunitas regni, pro se quisq; iudex erit. Ita Mol. ibid. miratus quosdã contrariũ sensisse; quasi princeps ille externus teneatur ipsius postulati regni, seu cõmunitatis, iudicio stare: quod etiã sentit Vasq. 1. 2. q. 65. n. 19. non omninò fortè improbabiliter in speculatione, sed parum ad praxin accommodatè. Ratio est; quia tali casu nec princeps cõmunitati, nec cõmunitas principi subiecta est: nec cõmunitas hac in re habet maiorẽ iudicandi autoritatẽ, quã defunctus Rex; cui si qua ab externo principe simílis controuersia fuisset mota, soli non competijsset iudicandi autoritas, vt assert. 2. dictũ: esto ex legibus quandoq; specialibus ipsius Regni vacantis tales controuersiæ decidendæ sint.

40 ASSERTIO V. Si causa examinata, iustitia belli maneat dubia, tũ bellũ quidẽ vindicatiuũ suscipi nullo modo potest. Ita rectè sentiunt Molina & Vasquez loc. cit. Ratio est. Quia contra neminẽ etiã priuata, ne dum publica & generalis belli vindicta rectè suscipitur, nisi prius moraliter de eius culpa constet; cùm alioqui ex regula iuris 11. in *6. cum partium iura sunt obscura, reo fauendum sit potius, quam Actori.*

41 ASSERTIO VI. In æquali dubio, de iure aut dominio alicuius rei, is qui in possessione legitima est, ea re siue ex toto, siue ex parte, violenter quidẽ exspoliari non potest, attamẽ rationes oppositę partis audire, examinare, ijsq; satisfacere tenetur; cogendus etiã armis, si renuat. Ita Victoria n. 28. Sotus de Iustitia l. 4. q. 5. a. 4. Couar. in regulã *Possessor* part. 2. §. 7. n. 4. Ban. hic q. 40. a. 1. dub. 5. Mol. disp. 103. Val. q. 16. p. 2. & Vasquez cit. n. 10. Ratio primæ partis est. Quia ex regula Iuris *65. in 6. in pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis.* Secunda pars probatur. Tum quia cum contra legitimũ possessorẽ prætenditur ius ab actore, tenetur Iudex illud examinare: Princeps autẽ in nostro casu iudicis locũ subit. Tum qa alioqui bona fide possidere desinit, si cũ dubitet, aut dubitare merito debeat, negligat inquirere veritatẽ, vt rectè notarunt Victoria & Molina loc. cit.

ASSERTIO VII. Quin etiã satis probabile videtur, 42
possessorẽ bonæ fidei, nec in dubio quidẽ inæquali, quando videlicet ius alterius partis, speculatiue & ex ꝑprijs principijs spectatũ, ꝑbabilius est, teneri rem, de qua litigatur, cedere, aut cũ parte aduersa partiri. Ita Victoria & Molina loc. cit. & consentit Vasq. disp. 66. c. 7. n 42. modo rationes ꝑ altera parte non sint ita efficaces, vt generare possint assensum (etiã *conuincendo*, vt Vasquez inferius loquitur) quod per se satis intelligitur. Ratio est. Quia quãdiu res absolutè loquendo, dubia est, secundũ omniũ iudiciorũ praxin, possessori bonæ fidei res tota assignatur, ob meliorẽ conditionẽ possidentis, teste Molina. Qui addit, possessorẽ, si magis propendeat in eã sententiam, quod res sit alterius, & alter quoque certò sibi persuadens, rem suam esse, velit eã bello extorquere, probabiliter teneri pacẽ cum altero componere, rem pro dubij ratione diuidendo, quod etiam in casu nostræ assertionis vniuersim, nec improbabiliter docent Bannes, & Sotus loc. cit.

ASSERTIO VIII. Si in tali dubio, de dominio rei, 43
neuter sit in possessione legitima, res ꝑ ratione dubij inter vtrũq; diuidenda est; aut si diuidi cõmodè non possit, facienda est ab altero, pro rata parte, cõpensatio: alioqui ad hoc etiã armis cogi poterit. Ita citati omnes, & sequitur Vasq. cit. disp 66. c. 7. n. 39. post Caietanũ 2. 2. q. 62. a. 5. Sotum lib. 4. de Iust. q. 7. a. 1. Ioannem Medinam Cod de restit. q. 17.

Probatur. Tum quia par est vtriusq; ius; aut si altertus magis dubiũ, non tamẽ apertè nullũ: tum quia in simili casu idipsum quiuis æquus iudex decerneret, vt cum Victoria notant citati: tum quia alioqui bellum ex vtraq; parte tam formaliter, quam materialiter iustum daretur, quod post S. Augustinum omnes merito pro absurdo habent.

ASSERTIO IX. Idem sentiendũ, si existente dubio 44
rei dominio, simul etiã de hoc ipso dubiũ sit, an & quisnã sit in possessione legitima, aut si vterq; ꝑbabiliter prętendat, se in possessione esse. Colligitur ex citatis & dictis. Est enim proportionaliter par ratio.

ASSERTIO X. Si alter ex sua parte dubitet, ad quem 45
res de iure spectet; alter vero, secluſa temeritate, sine omni dubio certò sibi persuadeat, rem ad se spectare; si neuter in possessionẽ venit, potest quidem hic absq; iniustitia rẽ totã bello sibi deposcere; sed alter, si absolutè putet, dubiã esse causam, nõ tenetur rem totã eidẽ cedere, sed potest pro ratione dubij condignã ab illo compensationẽ exigere. Quod si vero ipse insuper in possessione sit, & suã causam nõ magis, & forte etiã si paulo magis (ex assertione septima) quã alterius dubiã existimet, etiã ipse totũ ꝑ se retinere, & bello tueri poterit; quo pacto, dabitur quidẽ bellũ ex vtraq; parte iustũ formaliter (quod absurdũ non est, vt Mol. cit. disp. 103. post Victoriam loc. cit. & Couarruuiã in Reg. *Possessor* part. 2. n. 6. & Abulensem in c. 11. Iosue) sed non materialiter simul & formaliter. Colligitur ex dictis, & maxime, quia vterque princeps in hac causa sibi supremus Iudex est; charitatis tamẽ erit, rẽ pacificè transigere: quod

si contemptim negligatur, fieri poterit, vt bellum quidem Iustitiæ non aduersetur, sed charitati, iuxta dicta dub. 1. in fin.

46 Assertio XI. Si post factã sufficientẽ causæ discussionẽ, vtraq; pars certò sibi persuadeat, rem ad se pertinere, tunc quidẽ consultissimũ erit, vt rem pacifica transactione componant, siue rem inter se diuidendo, siue in arbitros compromittendo; quod etiã nisi faciant, contra suã, & proximi, atq; etiã Reipũblicæ charitatẽ cõmuniter non parũ peccabunt: attamen ex iustitia ad hoc teneri non videntur. Colligitur ex dictis; quia quisque sibi in hac causa est Iudex; certo ac bona fide persuasus, ius penes se esse, vt supponitur. Idem docet Molina cit. disp. 103. limitans tamen, nisi alter putaret alterũ bona fide agere, & se non minus quam alterũ decipi posse; talem enim putat simpliciter teneri, vel ad rem diuidendam, vel ad arbitros recipiendos.

Illud de obligatione saltẽ charitatis speciatim etiã docet Nauarrus ma. c. 25. n. 4. vbi ait; *Principes Christianos, qui habent inter se de aliquo regno seu statu controuersiã, quæ de iure extingui non potest, quia neuter agnoscit superiorem, neque armis finiri, sine magno damno Christianæ Reipublicæ potest, debere causam suã in arbitros remittere, alioqui grauiter peccaturos.* Quã ob causam etiã Sotus in epistolã ad Roman. 12. notat, rarò bella inter Christianos principes inculpata esse.

47 Assertio XII. Etiam cæteri milites in statu dãnationis sunt, qui vel scienter in bello iniusto militant, vel parati sunt cuilibet Principi militare siue causam iustã habeat, siue non. Ita ex cõmuni Caietanus V. *Bellũ*. Bannes hic q. 40. a. 1. dub. 6. Val. q. 16. pun. 2. Molina disp. 103. Ratio patet; quia malo directè consentire & cooperari non licet; neque periculo peccandi se temere exponere.

48 Assertio XIII. In dubia causa, milites quidem subditi principi, aut stipendiarij perpetui, non tenentur iustitiã belli examinare; nisi fortè admodum vrgentia & aperta indicia, vel rumores de iniustitia belli interueniant; sed licitè à suo duce ad militiã euocati obtemperant: cæteri vero, si verè & positiuè dubitent, habentes scilicet in vtramq; partẽ probabiles rationes dubitandi, tenentur prius in belli iustitiam inquirere, quàm suum militiæ nomen dent, licet & isti, secluso tali dubio, licitè possint in bello sequi principem, quem sciunt hominẽ Christianũ esse, & nemini iniuriosum; quamdiu nulla peculiaris ratio eum de iniustitia suspectum reddit.

Est doctrina cõmunis apud Caietanũ & Bannẽ hic q. 40. a. 1. Victoriã n. 25. Mol. dis. 114 & 118. Val. cit. pun. 2. Et de subditis (eadẽ ferè est ratio stipendiariorum, etsi neget Syluester) patet ex Can. *Quid culpatur* 23. q. 1. post August. l. 22. contra Faustum c. 75. & colligitur à simili in materia matrimoniali, ex cap. *Dominus*, de secundis nuptijs, & cap. *Inquisitioni*, de sententia excõmunicationis. Ratio generalis est. Quia in dubio, & vbi contrarium apertè non constat, subditi licitè acquiescunt sui superioris iudicio: cæteri cõmuni lege tenentur ad examinandam honestatem actionum, quas aggrediuntur.

49 Assertio XIV. Non videtur tamen facile peccati mortalis damnandus miles etiã non subditus, qui alioq nõ nisi bello iusto paratus militare, orto inter Principes Christianos bello, & facta prius, vt dictũ, de iustitia vtriusq; partis inquisitione, in æquali dubio speculatiuo de iusta bellandi causa, anceps hærens, sed vtramq; tamen partẽ bona fide, & iure vtcunq; probabili agere existimans, vtriuis parti seruire paratus est. Ita Petrus Nauarrus l. 2. de restit. c. 3. n. 277. & olim Romæ Suarez; etsi pleriq; alij (in quibus Bannes, Valentia loc. cit. & Molina dis. 114.) negent, in tali dubio militare non subditũ militem posse. Probatur. Tum quia aduocatus etiã in dubia causa, vtriuis parti patrocinari potest, ex communi apud Sylueſtrum verbo bellum 1. n. 3. & Vasquez t. 2. disp. 64. cap. 4. & famulus seruire domino exercenti contractus speculatiuè dubios. Tum quia vbi de aliquo agibili est inter Doctores vtraq; sententia probabilis, licet modo hanc, modo illam sequi; quin etiam iuxta aliorũ opinionẽ probabilem operari, siue quis ex proprijs principijs contrariæ opinionis assensum habeat, siue per intrinseca principia neutrius, vt suo loco dictum, tom. 2. disp. 2. q. 6. dub. 3. & 4. post Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 4. Contraria tamen sententia, vti communior & tutior est, ita & probabilior; cuius proinde oppositum tolerari solum subinde posse, non autem suaderi debere diximus. 50

DVBIVM V.

Quænam circa Belli prosecutionem obseruanda sint; speciatim an & quomodo in bello liceat occidere, in seruitutẽ redigere, vel spoliare etiam innocentes; item q; spolia & bona ab hostibus iusto bello capta, vel etiã pretio aut dono accepta ad quos spectent.

S. Thomas 2. 2. q. 40. a. 3.

QVæritur primò, quænam in genere circa belli prosecutionẽ obseruanda aut vitanda. De hac re breuiter statuimus sequentia. I. Post Iustitiã belli cognitã, ante conflictũ, pacificè ab Aduersario petendã condignam satisfactionẽ, & si offeratur, acceptandã, nec vlterius bello procedendũ. Ita omnes ex Deuteronom. 20. v. 10. & patet ex dubio primo; bellum enim habere debet necessitas, non voluntas. 51

Rectè vero notant Valentia q. 16 pun. 2. ex Mol. disp 103. post Sylueſtrũ V. *Bellum* 1. q. 10. ex probabiliori, etiam post cœptum conflictum oblatã condignã satisfactionẽ acceptandã, etsi contrarũ sentiant Maior in 4. d. 15. q. 20. Driedo lib. 2. de lib. Christ. cap. 6 Caietanus in Sum. V. Bellum, & Bannes, q. 40 a. 1. Addit tamen Molina: *Quia in bello vindicatiuo vix vnquam offertur condigna satisfactio, ita vt nocentes in manus Principis occidendi tradantur; ideo cœptum iam bellum deferendum communiter ex iustitia non esse, sed ex charitate; si modo offeratur satisfactio, quæ moraliter fieri potest, & est de bono vtriusque Reipublicæ, quod ex particularibus circumstantijs pendet.* Quo casu rursum habemus bellum solum charitati non iustitiæ repugnans. 52

II. Post satisfactionem negatam, posse quidẽ Principem, per se loquendo, quoscunq; etiam infideles

in-

in belli societatē vocare, exemplo Machabæorum, qui à Romanis auxilium petiuerunt 1. Machab. 9. cū etiā bestias adiutrices bello adhibere liceat: per accidens tamē, ratione scandali, aut subsequentis nocumenti, communiter esse illicitū Iudæos, vel Turcas in belli societatem contra Christianos adsciscere, vt rectè post Antoninum 3. p. tit. 4, c. 2. § 11. & Maiorem in 4. d. 15. q. 20. docent Valentia loc. cit. Molina disp. 112. Azor tom. 1. lib 8. cap. 25. q. 14.

53 III. Iustum bellū gerenti licitum etiā esse insidijs vti, vt ex Augustino q. 10. in Iosue, cum S. Thoma hic q. 40. a. 3. docent oēs: mendacijs autē hostē circumuenire, aut pacta siue promissa illi præstita rūpere non licet, iuxta S. Thomā, & communē ibidē; & patet ex cap. *Noli* 22. q. 1. & S. Ambrosio lib. 1 de officijs cap. 29 vbi ait; *Fides etiam hostibus seruanda est, vt si constitutus sit cum hoste aut locus, aut dies prælio, aduersus iustitiā putetur, aut loco præuenire, aut tēpore.*

Excipiuntur tamē tres casus. Primus, si promissio sit de re illicita; tunc enim licet iuramento firmata, non ligat, ex cap. *In malis* 22. q. 4. Addit Valentia pun. 3. si ob factā interim rerū mutationē, absq; grauissimo Reipublicæ damno seruari promissū quāuis iuratum non possit; ob eandem causam, & quia promittens hunc casum non intendit; sed de hac re disp. 1. q. 9 dub. 4. assert. 3. vbi verius docui, sola per se incomoda ex pactis alterutri parti obuenientia non dare ipsi causam sufficientē, vt à pactis recedat. Certè promissio iuramento firmata, quantumuis onerosa, præstanda est sub peccato mortali, vt recte etiā docet Molina ex cap. *Debitores*, de Iureiurando.

54 Secundus, si promissio ab altera parte iniustè sit extorta, nisi etiam iuramento firmata sit, tunc enim seruanda, ex cōmuni apud Syluestrum V. *Metus* §. 8. Bannē a. 3. & Valentiā pun. 3. Molinā disp. 111. Neq; verò potest iuramentū alicui præstitū relaxari, nisi vel ab eo, cui præstitū est, vel ab eius superiore; non autē à superiore illius, à quo semel validè præstitum, per se loquendo, vt docet Molina ibidē, & disp. 149. Certè propter scandalū & grauiora mala, quæ inde sequerentur, ordinariè non licet, nec expedit iuramentū Turcis præstitū (nisi fortè manifestè perniciosum bono communi) relaxare, tametsi forsan absolutè loquendo posset Pontifex, vt à dominio infidelium, ita etiam à iuramēto illis præstito Christianos absoluere, iuxta dicta de fide q. 9. dub. 2.

55 Tertius casus est, si hostis prior fidem frangat, vel ex toto, vel ex parte; sub hac enim conditione fides data intelligitur, si hostis prior nō fallat, vt ex communi docent Syluester V. Iuramentū 4. n. 13. & Valentia cit. p. 3. Et colligitur ex cap. *Peruenit*, de Iureiurando. Qua de causa & obsides, si nocentes sint, siue quia causam dederunt violandæ fidei; siue quia in bello iniustè & culpabiliter pugnarunt &c. licitè violata ab hostibus fide, occiduntur, modo alioqui culpa tantæ pœnæ nō sit impar, vt rectè Victoria de Iure belli n. 43. Molina disp. 120. Plura loc. cit. de fide.

56 IV. Licitum etiā esse iustū bellum gerenti, tantum hostibus damnum inferre, eos videlicet occidendo, capiendo, exspoliando, eorūq; bona destruēdo &c. quantum necessarium est ad iustū finem eiusdē belli obtinendū, puta vel ad iustā defensionē sui, suorūq; & Reipublicæ; vel ad iustā compensationē etiam computatis sumptibus & damnis bello factis, vel ad competentē vindictā iniuriarū, tam in bello, quam ante bellum illatarū; & deniq; ad pacem & securitatē firmā impetrandā, quę omnis belli finis est: dummodò quæ occupata solum sunt ad firmandā pacē, nulloq; alio titulo debita, præstita securitate restituantur. Ita ex cōmuni post Victoriā, Syluestrum, & alios docent Banneshic a. 1. dub. 10. Valentia pun: 3. Molina disp. 117. Ratio, Quia media per se ad finem honestum ordinata, licita sunt.

V. Non semper tamen esse licitū, omnes nocentes 57
occidere, vt si propter nimiam multitudinē eorum, absq; graui detrimento cōmuni, vel scandalo, id fieri non possit, exemplo Theodosij, propter cædem Thessalonicensium reprehensi à S. Ambrosio epist. 26. ad Theod. nisi fortè idipsum opus esset, ad stabiliendam pacem, contra perpetuos & desperatissimos hostes infideles, vt rectè Victoria à n. 41. Valentia loc. cit.

Spontè verò dediti, etsi cum nocētes sunt, adeoq; iniustè & culpabiliter pugnando mortē antea promeruerunt, per se loquendo, nō iniustè occidantur, nisi ante deditionē, vt fit, de securitate pacti sint; attamē duci curandū, vt habita semper cōmunis boni ratione, in misericordiā potius & clementiā, quam sæuitiā aut crudelitatem declinasse videatur: cum consueto more, & quasi quodā gentiū tacito iure, captiuis etiam nocentibus, post partam victoriam, & redditam securitatem, vita condonetur, nisi forsan transfugę, aut de peculiari crimine conuicti sint, iuxta Victoriam n. 49.

VI. Omnia alia damna, quæ ad aliquem finē ex 58
prædictis non necessaria inferuntur, iniustè inferri, & restitutioni obnoxia esse, ex communi & certa: cum absq; vllo iusto titulo inferantur. Excipiuntur tamen spolia, siue res mobiles, ab hostibus durante bello acceptæ; quę tametsi iustā compensationē excedant, iure gentiū fiunt capientiū, nisi alicubi lex particularis, aut recepta approbataque consuetudo aliud habeat, vt post S. Thomam q. 66. a. 8. ad 1. & l. 3. de regimine Principum c. 11 Victoriā n. 51. Couarruuiā in regulā *Peccatum* part. 2. §. 41 n. 1. & alios ex cōmuni docent Valen pun. 3. & Molina disp. 117.

VII Duces subordinatos grauissimū & execrabile 59
scelus cōmittere, si per auaritiā, vt sæpe fit, præscriptū numerū militū non compleant, aut dimissis exercitatis, sui lucri causa, pretio minori ignauos vel imperitos substituant: & tenentur non solum ad compensanda bona, quæ per eam fraudē impediūtur, sed etiā ad damna omnia, quæ cōsequuntur, resarcienda; qualia sunt, quod belli sumptus & conatus in irritū cadunt, quod victoria non reportatur, quod Principis & Reipublicæ honor lædatur, quod integri exercitus cadunt, quod ab hostib⁹ ciuitates, castra, munitiones obtinētur, quod innumeri innocentes, fides etiam sæpe ipsa & religio, adeoq; bona corporis & animæ pariter omnia intereunt. Est communis doctrina: quia tales iniustè causam damni dederunt.

VIII. Grauiter etiam contra iustitiam, adeoq; cū 60
onere restitutionis peccare duces, si cum per aliquā prouinciam exercitū ducunt, ab obuijs ciuitatibus pretiū, vel ad redimendā vexationē sponte oblatum accipiant, vel fraude eliciant, eo pacto & obligatione, vt exercitū apud eos diuersari nō patiantur, quia

Princeps nec vult, nec potest consentire, vt eiusmodi hospitij redẽptio venalis efficiatur, ne dũ aliqui exonerantur, alij iniustè grauentur, vt docet Mol. cit. d. 116. Idem dicendũ de illis, qui clam pecunias accipiunt à subditis Principis, ne in militiã adscribãtur: grauantur enim hac ratione immerito cæteri.

61 IX Etsi cum vspiã cõsuetudo fert, vt hospites gratis suppeditent militibus ligna & paleas, aut etiam aquã, salẽ, acetũ, oleũ, aut simile quippiã, id non facilè damnandum sit; quando videlicet milites amici sunt, iuxta Caietanũ & Molinã citatos: attamẽ nulla ducũ indulgentia fieri potest, vt promiscuè rustici, hospitantes apud se milites, etiã ad fines tuendos excubantes, gratis alere teneantur; nisi forsan p modũ pœnæ, aut iusti tributi id on⁹ eis à Principe legitimè sit impositũ, vt notant Mol. citatus. Valentia pũ. 3.

Bellum enim à principe gerendũ est ex publico ærario; vel ex redditibus ad publicos sumptus destinatis; vel ex tributo æqualiter, iuxta cuiusq; facultates exacto, non ex inæquali & immoderata subditorũ pensitatione & vexatione, vt ex cõm. docent Driedo l. 2. de libertate Christiana c. 6. Caietanus & Molina citati. In extrema tamẽ aut valde graui famis necessitate, aut si milites necessarij essent ad alicuius terræ defensionẽ, neq; aliunde suppeteret victus, possunt quidẽ milites, etiã inuitis rusticis & incolis accipere necessaria; sed princeps deinde tenebitur illa damna compensare, vel remissione tributi vel alia ratione, vt notat cum Driedone Molina.

62 X. Damna item a militibus, sine expressa vel præsumpta rationabiliter principis facultate etiã hostibus illata, culpam inducunt; & restitutioni obnoxia sunt; si quidẽ princeps in ipsorũ hostiũ bonũ eiusmodi damna inferri eis vetuerit, aliàs secus; iuxta Molinã disp. 101. & cõmunẽ doctrinã de Restitutione disp. 4. q. 6. dub. 2. & 3. Requiritur enim ad restitutionẽ, vt damnũ proximo contra iustitiã sit illatũ, non solũ contra obedientiã &c. Christiani verò ex Turcica captiuitate fugientes licitè suos dominos spoliant, ob præsumptam Christiani Principis voluntatem, iuxta Sa verbo *Bellum*.

63 XI. Duces & milites, etsi alias cum periculo quoq; vitæ; stationes & munitiones sibi cõmissas tu ri teneantur: attamen si nulla penitus spes sit vincendi, aut arcẽ tuendi, non tenentur certam mortẽ frustrà exspectare; cum ad hoc se non obligauerint, nec obligare potuerint, iuxta Molinam disp. 116. quia illicitũ est, vitam frustra ꝓdigere. Quod si miles contra fidem datam castra deserat, & alias pœnas ciuiles incurrit ff. ad l. Iuliam l. 3. & ff. de re militari, l. 3. ac præterea infamia notatur c. *Infames*. 6. q. 1. Secluso tamen periurio, an id sit mortale, diiudicandũ putat Molina ex damno, periculo, pœna statuta, & rigore, quo ipsa executioni mandatur. Quæritur secũdò, an & quomodo in bello liceat occidere, in seruitutem redigere, spoliare etiam innocentes?

64 Assertio I. Nullo casu licet per se & ex intentione occidere innocentes, quãuis Reipublicæ hostilis mẽbra; vt sunt etiã sponte dediti obsides, vel captiui. Ita omnes, & patet Exodi 23. v. 7. *Insontem & iustum non occides*. Ratio est. Quia vita non subest humano dominio, sicut libertas, & alia bona fortunæ.

Vnde Alexander III de Treuga & pace: *Innouamus*, inquit, *vt presbyteri, monachi, conuersi, peregrini, mercatores*, (videlicet peregrini, non ciues aut incolæ, vt notarunt Caietanus verbo *Bellum*, Mol. disp. 119. Val. q. 16. pun. 3.) *rustici euntes & redeuntes, & animalia, quibus arant, & semina portãt ad agrũ, securitate congrua lætentur*. Et in Can. *Paternarũ* 24 q. 3. addũtur legati siue oratores; qui omnes tã diu præsumũtur iñocentes, quamdiu cõtrariũ de illis nõ cõstat.

Quibus adde cum Sylueſtro verbo *Bellum* q. 10. & Molina disp. 121. eos, qui sequuntur partes iustum bellum gerentis, & alijs de Republica nolentibus parere, aduersantur; quibus si noti sint, parcendum, salua tamen compensatione & satisfactione, ad quam alias, secluso bello, tenentur. 65

Quod si, vt quandoq; fit, mulieres aliquæ hostem adiuuent; aut si propter apostasiam, cui tam mulieres, quam viri obnoxij sint, integer populus delendus iure videretur; tum quidem non magis mulieribus adultis, quam viris parcendum esset; vt in bello Granatensi contra apostatas Saracenos factum refert Molina disp. 119.

Infantes autem, etiam Turcarum & Saracenorũ, interficere non licet, vt ex cõmuni Valentia & Molina loc. cit. & Victoria n. 38. addens; *licet posset fortasse defendi, quod ob cauenda mala futura, quæ ab eis si adolescant, imminent, possint interfici; intolerabile tamen esse, vt aliquis occidatur pro peccato futuro*, cum præsertim malum illud alia ratione vitari possit, nempe si in seruitutem redigantur. 66

In actuali autem conflictu, & quamdiu res est in periculo, reliqui puberes omnes, qui inter hostes reperiuntur; & multò magis, qui contra pugnant, nocentes præsumuntur (nisi contrarium aliunde constet) adeoq; licitè occiduntur, vt docent Victoria n. 44. & 45. & Molina loc. cit.

Partã autem victoria occidi nemo debet, qui nocens non probatur; quin etiam ex illis, qui bona fide pugnarunt, rati iustam esse belli causam, postea ne vnus quidem occidendus, vt idem Victoria docet n. 6. 45. & 59. ex communi: quia nemo tam graui pœna punitur, nisi propter culpam.

Assertio II. Innocentes per accidens & præter intentionẽ licitè quandoq; occiduntur, si videlicet alioqui victoria obtineri, aut magni momenti arx, seu classis hostilis capi, vel dejici non possit, sine aliquo innocentium interitu. Ita omnes. Quia tali casu mors innocentum nec directè, nec indirectè est voluntaria: quod intelligendum est, si modo bonũ illud subsequens, facta prudenti æstimatione, tale sit, cui secundum leges charitatis, damnũ adiunctũ non immeritò postponatur; vt rectè Victoria. 67

Assertio III. Omnes Reipublicæ hostilis partes, quamuis innocentes, vt mulieres, paruuli &c. (sicut & obsides, post fidem publicam violatam) si modò Christiani non sint, iusto bello capti licitè in seruitutem rediguntur fiuntque capti ipso iure gentium mancipia capientium. Ita communis apud Victoriam n. 42. Couarruuias in Reg. peccatũ part. 2 §. 41. Valent. loc. cit. Mol. disp. 117. & 120. Christiani verò, nisi fidẽ Christi penitus negarint, iuxta receptam & diuturno vsu præscriptam consuetudinem, seruituti mancipari non possunt; quamuis capi possint, pro pecunia aliqua velut præmio capientium, redimendi, apud citatos. 68

Assertio IV. Ii vero, qui Reipublicæ nocentis 69

adiu-

ad iutores, vel mẽbra non sunt, nec capi, nec seruituti addici possunt, nisi per accidens; cũ id opus videtur ad hostium vires minuendas, vel cauendã mala per eos forsan impendentia: quo tamẽ casu prętitã securitate, dimittendi sunt, si innocentes sint, si nocentes, pro ratione culpæ puniri poterunt, vt recte Molina disp. 120.

70 Assertio V. Licet iñocentes, qui non sunt partes Reipublicæ hostilis, in compensationẽ damnorũ vel iniuriæ, suis bonis spoliari nõ possint; quicũque tamen innocentes licitè spoliantur bonis illis, quibus alias hostes cõtra nos vsuri prudẽter existimantur, siue ad oppugnationẽ, siue ad propugnationẽ, vt armis, nauibus, equis &c. etiamsi bona ista sint Ecclesiæ, vel in Ecclesijs sita; restituenda tamen seu compensanda, in quantum post redditã securitatẽ residua sunt. Quòd si opus sit, destrui poterunt, manente restitutionis onere solum penes nocentes seu hostes, Ita Victoria de iure belli n. 39. Sylvester v. *Bellum* 1. q. 10. n 3. & V. *Bellum*. 13. n. 5. & 6. Mol. disp. 121. Habens enim ius ad victoriam, licitè amolitur obstacula.

Quòd si hostes Ecclesijs vterẽtur, vt castellis, possent non solum cum opus est, destrui; sed etiã qui in illis sunt, licite extrahi: Sec9, si ad illas tanquã ad asylũ confugissent; tunc enim cõsuetã iñunitate gaudebunt, vt alij malefactores, apud Sylvest. loc. cit.

71 Assertio VI. Innocentes autẽ, qui partes Reipublicæ hostilis sunt, possunt insuper spoliari bonis suis, etiam in compensationem sumptuum belli, & satisfactionem acceptæ iniuriæ, modò debita summa non excedatur. Ita Caietanus v. *Bellum*, Victoria de iure belli. n. 41. Couar. cit. p. 2. §. q n. 4. Mol. & Valẽtia loc. cit. Sumistæ verbo *Represaliæ*, & Canonistæ in c. vnicum de iniurijs & damno dato, in sexto. Ratio est. Quia licet Rempublicã nocentem punire in suis membris, quãtum ad illa bona, quæ humão dominio subsunt.

72 Si tamen sufficiens ex bonis nocentũ compẽsatio facta sit, aut cõmode fieri possit, vt qdẽ post victoriã partã accidit, nõ sunt spoliãdi innocẽtes, vt rectè docent Sylvester loc. cit. & Victoria n. 40. & si durante bello, ab eis semel iustè accepta (vt potè iam semel, iusto titulo sub dominium capientis redacta) licite retineantur iuxta Victoriã, contra Sylvestrũ.

Damna verò interim innocentibus illata, à nocentibus postmodũ, quo ad fieri poterit, sine cõtrouersiã cõpensanda erunt; & speciatim quod attinet ad bona illa rusticorũ, q alioqui ad rempublicã hostilẽ pertinent, iñunitas eaten9 præstanda erit, quatenus Reipublicæ Christianæ expedit, vt significat Molina; certè Caietan9 dubitat, an id sit vsu receptũ.

73 Vnde colligitur primò, ex se non esse illicitas represalias, hoc est, ius quoddã prensandi siue capiendi quippiã de bonis subditorũ alterius Reipublicæ, eo quod aliquis, aut aliqui de illã iniuriã intulerint, pro quã nec ipsi velint satisfacere, neq; Magistrat9 illius reipubl. etiam monitus, ad satisfactionẽ cogere: hanc enim facultatẽ posse Principẽ læsæ partis læso concedere fatentur omnes: modo & mẽsura satisfactionis nõ excedatur, & iñocẽtibus parcatur, quando digna compensatio obtineri à nocentib9 potest.

Concedere autẽ represalias, siue impignorationes istas potest ille solus, q bellũ offensiuũ indicere potest; cũ & hoc ipsum genus quoddã sit belli. Et licet tã grauis iniuria nõ requiratur, grauis tamẽ certè requiritur, ppter nõ leuia incomoda, quæ etiã illis insunt, vt rectè Molina d. 121. In c. verò vnico, de iniurijs, in sexto excomunicatur, qui cõtra personas aut bona Eccles. cõcedunt vel extendunt represalias. De quã re plura Sylvester eodẽ verbo, Couar. in regulã *Peccatũ* p. 2. §. 9. n. 4. Molina & Valentia loc. cit.

Colligitur secundo, Comuniter & absq; magnã necessitate licitũ non esse, integrã ciuitatẽ militibus diripiendam tradere, tum ob dicta; tum ob ingentia scelera & flagitia, quę militũ temeritate, tã erga iñocentes, quã nocentes comuniter perpetrari solent: tametsi in aliquo rarissimo necessitatis casu id licitũ esse possit, saltẽ ante partã victoriã; si nempe id necessariũ videatur ad deterrendos hostes, accẽdendos militum animos adeòq; bellum expediendũ, & victoriã obtinendã: modo duces grauibus pœnis propositis, diligenter inuigilent, vt milites à templorũ exspoliatiõe & incẽdio, iñocentũ iniurijs, alijsq; flagitijs abstineant, vt rectè Sylvest. v *Bellũ* 1. q. 10. Vict. q. 52. Mol. d. 122. Quia tunc mala, quæ per accidens eueniunt, ob intentum maius bonum, ducinõ imputantur. Post partam autem victoriam, & confectum bellum nunquã, aut vix vnquã talis direptio ad vllum finem belli necessaria esse potest. 74

Quæritur quinto, spolia & bona ab hostibus iusto bello capta, vel etiam pretio seu dono accepta, ad quos spectent.

Assertio I. Spolia bonorum mobilium, quæ ad hostes pertinebant, comuni iure fiunt capientiũ, ex dictis suprà dub. 3. nisi forte alicubi consuetudine introductum sit vt toti exercitui distribuantur; aut eorum pars aliqua Principi cedat in subleuationem oneris, & subsidium soluendi stipendij: prout varijs locis & casibus variæ sunt leges & consuetudines, satis notæ militibus; quæ seruandę sunt. 75

Bona vero immobilia, quatenus iustam compensationem, aut satisfactionem non excedunt, ad suprem ũbelli Principem: ex l. si captiuus, ff. de captiuis. Ea vero immobilia, quæ ad hostes non pertinebant, sed ab ijs iniuste occupata tenebantur, prioribus dominis restituenda sunt; vt qui eorum dominio non sunt priuati; ex communi & certa apud Couaruuiam in regulã *Peccatum* part. 2. §. 11. & Valentiam hic. q. 16. pun. 3.

Assertio II. Quoad bona vero mobilia ab hostibus inique possessa, si bello iusto capiantur, seruanda cuiusq; regni recepta & approbata consuetudo. Ita Mol. d. 118. Sa V. *Bellum*. Ratio est. Quia in eiusmodi rebus, consuetudo habet vim legis; nec dubium, ob bonum cõmune, tum propter lites vitandas, tum ppter exstimulandos milites, posse humano iure introduci, vt res eiusmodi spectent ad capientes, vt ex simili patet in lege præscriptionis. 76

Vnde Molina non audet damnare Hispanos, qui eiusmodi res sibi reseruant; saltem postquam ab hostibus semel in locũ tutũ receptę; cum idipsum etiã quorundã locorũ iura statuant de ijs reb9, quæ vna nocte fuerunt in hostium potestate, vt idem Mol. testatur. Saquoq; & Val. p. 3. probabilẽ asserunt quorundã sententiam; qui simpliciter docent, ablata iusto bello ab ijs, qui illa bello iniusto acceperant, non esse priorib9 dominis restituenda, saltem

vt limitat Valentia, postquã interuallũ intercessit, & res iam fuit ab hostibus in tutũ locũ recepta; quia videntur res quasi neglectæ, vel amissæ: additq; Sa, ita receptum videri, vt capta à Turcis, prioribus Dominis non restituantur.

Idem (facta tamen quarundã rerum exceptione) decernit ius ciuile, l. *Hostes* & l. *siquid in bello*. ff de captiuis, & Instit. de rerũ diuis. § *Item ea quæ ab hostibus*. Sed quod ius cum supponat bellũ etiã ex parte hostis iustũ esse, per se ad Christianorũ bella non pertinet, vt fusius prosequuntur Couarruuias cit. §. 11. n. 7. & 8. & Molina disp. 118. Quòd si alicubi lex vel consuetudo aliud habeat, id obseruandũ. Hoc certũ, si restituantur prioribꝰ Dominis, teneri eos sumptum & industriam compensare titulo actionis negotiorum gestorum.

77 Assertio III. Eædem res, si quidẽ recuperatio ipsarum iam deplorata videatur, licitè etiã ab hostibus dono aut emptione recipiuntur; at verò receptæ prioribus Dominis, si agnoscantur, restituendæ; modo isti pretiũ rationabiliter expensum soluant; ad quod in conscientiã tenentur, prædicto titulo actionis negotiorum gestorum. Ita Molina & Couarruuias loc. cit. Et primum patet ex voluntate Domini rationabiliter præsumpta.

Secundũ probatur ex eo, quia Dominus nõ perdidit earum rerum dominiũ; nec ita bono cõmuni vtile est, vt hoc lege vel cõsuetudine introducatur; sicut alioqui esse posse diximus in casu præcedenti: quamuis nihil dubitẽ, id absolutè fieri posse. Imo Sa citatus docet, videri eandẽ rationẽ rerũ istarũ, seu bello & vi, seu pretio acquisitarũ; quod facile concederem, si eadem vtrobique vigeret consuetudo.

78 Tertium patet ex dictis in simili. Nec refert quòd ementi bona fide rem furto ablatam Dominus pretium rependere non debet; non solum quia hoc casu in gratiam Domini res empta non est; sed etiam quia fur tenetur emptori de euictione, non autem hostis, quem iniquum possessorem fuisse constat.

Habent vero hæc, quæ diximus, frequentem vsum, tum circa res alias, tum circa vasa sacra, quæ Catholicis olim ab hæreticis erepta, denuò seu vi & bello, seu pretio recuperata, in Catholicorũ manꝰ veniunt, vt recte notauit Molina ibidem. Vbi autẽ de Domino certo non constat, prudens arbitrabitur, iuxta cõmunem doctrinam de bonis incertis.

DVBIVM VI.

De circumstantijs Belli, personam, & tempus concernentibus; an Clericis; an etiam diebus festis liceat bellare.

S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. & 4.

79 Qværitur primo, an etiam Clericis bellum gerere liceat. Statuo sequentia. I. Clericis regulariter suis manibus pugnare non licere, iuxta S. Thomam hic q. 40. a. 2. & cõmunem ex cap. *Quicunque clericus*, c. *Clerici*, c. *Quicunq; ex clero*. & cap. *Qui auſu*. 23. q. 8. iuxta Apostolum 2. ad Timoth. 2. v. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit*. Etsi verius sit, hoc illis solum prohibitum iure humano, vt docent Bannes hic a. 2. & Molina disp. 108. non diuino & naturali, sicut post Gratianum & Turrecrematam putat Valentia q. 16. pun. 4. nulla id firma ratione comprobans.

II. Licitum tamen esse Clericis, non solum bellum suadere, & ad illud inducere, si bonum Christianæ Reipublicæ id exigat; sed etiam ex facultate Prælati, saltem præsumptâ iusto bello interesse, & ad strenue pugnandum, tam in bello, quam ante bellum hortari; modo expresse & directe occisio vel deformatio alicuius non suadeatur, vt ex cõmuni docent S. Thomas cit. a. 2. ad 2. & 3, Nauarrus c. 27. n. 217. Molina d. 108. Valentia q. 16. pun. 4. Suarez tom. 5. disp. 47. sect. 6. n. 8. post Gratianum cap. *Quicunq; ex clero* 23. q. 8. conformiter Scripturæ Iosue 6. Censetur autem præsumpta facultas suppetere, quando eiusmodi profectio bono communi, aut spirituali militum saluti vtilis creditur, neq; proprijs ecclesijs est pernicioſa. 80

III. Prælatos Ecclesiasticos temporalem iurisdictionem habentes, posse belli causam & executionem alicui à se constituto Duci committere, per se autem exequi regulariter non item; ex communi, iuxta cap. *Episcopus* Ne clerici vel Monachi, in sexto, & Can. *Igitur* 23. q. 8. Neq; vero irregularitatem idcirco incurrunt, licet nil protestentur. 81

IV. Quin etiam Clericos in quibusdam casibus licite pugnare, vt cum Caietano docent Valentia & Molina locis cit. Primo si constitutus in minoribus beneficium resignet, habitumq; & tonsuram dimittat, adeoq; statum mutet, ex Couarruuia in Clementinam, *Si furiosus* part. 2. §. 3. n. 2. Molina d. 108. Secundo ex Pontificis dispensatione, quę absque causa rationabili facta, est quidem illicita, sed valida, iuxta Molinam ibidem. Tertio si opus sit eos hoc facere, ad defendendum bonum commune, puta Rempublicam, patriam &c. tunc enim etiam tenentur, iuxta Caietanum hic a. 2. & Molinam citatos. Quinto ad consecutionem iustæ victoriæ, à qua bonum commune Ecclesiæ notabiliter dependet; si videlicet alioqui victoria talis sit desperata; vel grauiter certè periclitetur. 82

V. Clericos extra hos casus in bello pugnantes, si in sacris sint, peccare mortaliter, secundũ oñes, quia priuantur vsu ordinum, & recludi iubentur in monasterio, & si in bello moriantur, interdicitur, ne orationes vel oblationes pro eis fiant; tametsi non priuentur Ecclesiasticâ sepulturâ, vt patet ex capitulis citatis: probabile etiam est peccare mortaliter si in minoribus existentes beneficium habeant; venialiter autem tantum, si alioqui in minoribus sint. Religiosi vero Laici tametsi forte mortaliter non peccent ita pugnãdo, secluso scandalo (vt quidã asserunt) tamẽ sine dubio grauius peccant, quam Clerici in minoribus constituti, iuxta Molinã ibidem. 83

VI. Clericos, non solum quando licite pugnant, sed etiam alias, quando bello vtiliter adsunt, nisi aut paupertatis professione, aut ducis auctoritate prohibeantur, posse, vt alios milites, spolia ab hostibus capere, sibique retinere, vt ex præsumpta rationabiliter Principis facultate, & ipsa rei æquitate docet Molina; quicquid alij dubitent, & de præsentibus, non pugnantibus neget Bannes. 84

VII. Etsi Laicus in bello aggressiuo, etiam iusto, aliquem occidens vel mutilans, aut propinq; ad ali- 85

quem

quē in particulari occidendum seu mutilandū cooperans etiā absq; sua culpa irregularitatē contrahat; secus in bello defensiuo iusto, vbi moderamen inculpatæ tutelæ nō exceditur, vt cum Panormitano, Iñocentio, Ioañe Andreę & Nauarro docet Suarez loc. cit. n. 1. & 2. Clericus tamē nunquā irregularis fit, quando vel in bello, vel extra bellum licite aliquē occidit, vel mutilat, vt habet verior sententia, quā sequūtur Valentia citatus, Molina disp. 10. 9. & supponit S. Thomas hic, vbi ait: *Nulli, qui est deputatus ad aliquod officiū, licet id per quod suo officio incongruus redditur*; etsi multi repugnēt, speciatim Caietan⁹ hic.

86 VIII. Hoc esse discrimē inter bellū iustū & iniustū, quoad irregularitatē; quod in bello iusto, nec laicus, nec clericus, etsi alioqui pugnando mortaliter peccans, eam incurrat, quantumuis vnus aut plures occidantur, quamdiu ipsi proprijs manibus nō occidunt vel mutilant, aut ad aliquē in particulari occidendū propinquè cooperantur, vt post Panormitanū, Nauarrū, Couarruuiā, & alios docent Molina disp. 110. Suarez cit. n. 9. & 11. etsi quoad Clericum illicite pugnantem, contrariū velut certū asserat Valentia: at in bello iniusto, si vel vnus occidatur, aut mutiletur, omnes pugnātes, aut consilio vel auxilio ad bellandum efficaciter cooperantes, adeoq; etiā præsentes tantū ad subsidium ferendum, tā Clerici, quā Laici irregulares fiunt, vt ex cōmuni docent hic, Molina loc. cit. & alij, apud quos plura. plura tom. 4. de Irregularitate.

87 Quæritur secundo circa temp⁹, an etiā dieb⁹ festis bellare liceat. Respondetur, nō solū vrgente necessitate se aut Rempublicam defendendi; sed etiam oblata commodiore occasione pugnādi & vincēdi, licitum esse dieb⁹ festis pugnare, vt iuxta S. Thomā q. 40. a. 4. recte docent Caiet. Bann. Val. hic, Mol. d. 111. & colligitur ex c. *licet*, de ferijs & cap. *Si nulla* 23. q. 8. Quin & p se dieb⁹ festis pugnare, non est mortale; modo sacrū non negligatur, si adsit cōmoditas audiendi; quia pugnare nō est op⁹ seruile; vnde etiā absq; veniali peccato bellum geri posset die festo, quando milites per id potius à peccatis retrahendi, quā, in pietatis studio impediendi viderentur, vt inquit Molina. Capitulū vero illud 1. de treugâ & pace, quod Christianis bellū etiā alijs quibusdā temporibus interdicit, non esse vsu receptū, notant Glossa & Panormitanus ibidem.

DVBIVM VII.

De rixa, duello, & seditione.

S. Thomas 2. 2. q. 41. & 42.

88 Breuiter, statuim⁹ sequentia. I. Pugnam exteriorē, si inter priuatos fiat, absque condicto, ex subita ira, proprie vocari rixam; si ex condicto, duellum; si inter ipsas cōmunitates diuersas, bellū; si inter partes eiusdē Reipublicæ, aut inter Principem & Rempublicā, Seditionem; quamquā hoc nomine etiam ipsa pugnæ meditatio & machinatio, & seorsim facta coitio partium (vnde nomen accepit) pugnam spectans affici solet, iuxta S. Thomam q. 42. a. 1.

89 II. Rixam ex parte quidem aggressoris, esse contra charitatem, cōmuniter etiam contra Iustitiam (si alter inuitus & per iniuriam ad pugnā pertrahatur) & quidem ex suo genere mortale; nisi indeliberatio, aut paruitas materiæ excuset, vt accidit inter pueros: qui propterea etiam cōmuniter, licet inuasus sit clericus, nō incurrunt excōmunicationē, vt recte notauit Valentia hic q. 17. pun. 1.

Ex parte autem inuasi, si fiat per modum defensionis, cum moderamine inculpatæ tutelę, per se non est peccatū, cum liceat cuiq; vim vi repellere, vt habetur in l. *Vt vim*. ff. de Iustit. & iure, & c. *Si verò* 1. de sentent. excommun. Plura infra de homicidio.

III. Duellum itidē illicitum esse, nisi aut per modum iusti belli, vel iustæ defensionis, etiā priuatæ suscipiatur (vbi alius modus cōmodior se tuendi non suppetit) puta ad effugiendā iniustā mortem, mutilationē, vel grauissimā honoris aut bonorum iacturam, cui nimirū euitandæ recte quis se mortis periculo obijcit. Ita Nauarrus cap. 11. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 3. q. 1. n. 8. Sotus de Iusticia q. 1. a. 8. Valentia hic q. 17 p. 1. Sa V. *Duellū*, Ratio est: quia licitū est se suaq; defendere, etiā cum periculo Vitæ, & interitu iniusti inuasoris, vbi non est alius mod⁹ se defendendi; etsi nonnulli negent, pro honoris defensione posse duellum suscipi. 90

Hoc quidem in confesso est, ob solam ignominiam illā quā ex refutatione duelli incurri putant insipientes, neminem posse aut debere duellū suscipere: satis enim defenditur hon or, si quis dicat, se quidem ad sui defensionem necessariā paratum semp; attamen infame duellum (vt mox dicetur) adeo diuinis & humanis legibus aduersum suscipere nolle, vt ex cōmuni recte docent Bannes q. 41. a. 1. & Valentia loc. cit. qui particulares casus liciti duelli fusius prosequuntur.

Ex quibus etiam per se vniuersim damnare non audeo, quod more & iure bellico quibusdam locis receptum esse dicunt; vt si milites duo capitale facinus admiserint, iubeantur à Duce de seipsis pœnam hac ratione exposcere; vt nimirū certo modo & ritu duello congressi trifarijs armis confligant; cū periculo quidem vitæ vtriusq;, sed ita tamen vt vel vnus, vel subinde etiam vterq; viuus euadat. Sicut enim in simili casu sæpe iubetur à Duce, vt vnus alterius (prout sors tulerit) siue per suspendiū, siue per traiectionem sclopi, carnifex existat: ita pari modo etiam per duelli susceptionē idipsum fieri posse videtur. Et quia de vita agitur, non difficile est, vt secluso odio & rancore ab vtroque intendatur sola iustitia ac vitæ propriæ incolumitas.

IV. Pœna illiciti duelli, præter alias grauissimas 91
vt infamiam perpetuam, carentiam Ecclesiasticæ sepulturæ, si quis in duello moriatur &c. est etiā excōmunicatio ipso facto incurrenda, ex concilio Trident. sess. 25. c. 19. de reformatione, & quidē Papæ reseruata, si fiat cum publica solennitate, videlicet cum patrinis & chartulis prouocatorijs, ex propria Bulla Pij IV. Secus si duellum sit tantū priuatū iuxta Bullam Gregorij XIII. qui excōmunicationē concilij Tridentini etiam ad priuatū duellū extendit, vt cum Nauarro docet Suarez tom. 5. d. 23. sect. 3. n. 11.

V. Eandem excommunicationis pœnam (& 92
fere alias supradictas) eodemque modo incurrunt locum concedentes (etiamsi Imperator, Rex, aut Princeps sit) fautores, patroni, patrini, consulentes, auxiliantes, spectatores ex composito; ex citatis iuribus, & Bulla Clementis VIII. super eadem re: quin etiam isti, licet pugna non sequatur, si tamen per eos non steterit, quo minus sequeretur

excom-

excomunicationem incurrunt, ex Bulla Gregorij XIII. quæ tamen excomunicatio, seu priuatum, seu publicum sit duellũ nõ est reseruata: Qui vero ex subitâ ira, qua proxime patet via ad arma conuolant, & secum mutuò digladiantur, cum duellũ propriè non faciant, has pœnas non incurrunt, vt rectè Sa Verbo *Excomunicatio* ex comuni.

VI. Hastitudia, Torneamenta, & exercitationes
93 aliæ gladiatoriæ tunc quidẽ mortaliter illicitæ sunt, si cum morali periculo mortis, mutilationis, aut grauis vulneris coniunctæ sint; ita vt plerumque simile quid consequatur: alias vero nõ item; etsi rarò quempiam ita occidi contingat. Nam & excommunicationẽ, quam contra agitationem taurorum tulit Pius V. sustulisse Gregoriũ XIII. refert Sa verbo *Ludus*. Vt autem in particulari de eiusmodi rebus fiat iudicium, conferendum erit periculum cum vtilitate, quam Reipublicæ afferunt, vt rectè Molina disp. 111. Plura vterque Nauarrus locis cit. & Victoria relect. de homicidio n. 32.

94 VII. Seditio quoque ex parte eius, qui contra bonum commune illam mouet, aut sequitur, est peccatum speciale; idque seu charitati, seu iustitiæ oppositum, vt ex dictis colligitur, & asserit S. Thomas q. 42. etsi nihilominus Valentia q. 17. pun. 3. putet, vnicum esse specie peccatum charitati oppositum; ego absque formali iniustitiâ raro contingere existimo, vt plane docet S. Thomas a. 2. vbi ait *vnitatem cui opponitur seditio, esse vnitatem iuris & communis vtilitatis: manifestum ergo esse, quod seditio opponatur Iustitiæ, & communi bono.* Et addit: *peccatum seditionis primo quidẽ & principaliter pertinet ad eos, qui seditionem procurant, qui grauissime peccant. Secundo autem ad eos, qui eos sequuntur, perturbantes bonum commune. Illi vero qui bonum commune defendunt, eis resistentes, nõ sunt dicendi seditiosi: sicut nec illi, qui se defendunt, dicuntur rixosi.* Et ibidem resp. ad 3. ait *perturbationem regiminis tyrannici per se non habere rationem seditionis*; sed ipsum potius tyrannum seditiosũ esse. &c.

DVBIVM VIII.

De scandalo, quid, quotuplex, & quale peccatum sit scandalum; & an semper sit peccatum consilio, præcepto, ope, vel ad malum cooperari, vel à bono impedire.

S. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Quod ad priorẽ partẽ hui9 dubitationis attinet, dum quæritur, quid, quotuplex, & quale peccatum sit scandalum, Respondeo breuiter sequentibus pronuntiatis. I. Scandalum generatim hoc loco significat offendiculum peccati: estque aliud actiuum, aliud passiuum. Illud apud S. Thomam 4. 43. a. 1. ex S. Hieronymo & communi definitur, *dictũ vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ*; seu lapsus spiritualis; hoc verò est ipsa ruina seu lapsus peccati, ex alterius dicto vel facto consequens; quorum vtrunque etsi sæpe quidem solet esse coniunctum, potest tamen promiscuè vnum esse sine altero; vt cum aliquis inducit verbo vel facto alium ad peccandum, & alter non consentit; aut contra, quando tam præter intentionẽ operantis, quam conditionem operis, aliquis malè dispositus, ex opere, nec malo nec mali speciem habente, inducitur ad peccandũ; vt si quis inuideat bono operi alterius; quo casu eiusmodi actio dicitur causa peccati per accidens; peccatum vero subsequens, *scandalum acceptum* non *datum*; vtpote ei, qui per accidens causam dedit, nullo modo voluntarium iuxta S. Thomam hic a. 1. ad 4. vbi rectè etiam Caietanus.

II. Scandalum passiuum nullum quidem proprium & specale peccatum est: at vero actiuum est; & quidem ex suo genere peccatum mortale, oppositum specialiter correctioni fraternæ iuxta S. Thomam a. 4. seu potius beneficentiæ spirituali, adeoque charitati; non solum si id directe sit voluntarium, sed etiam si indirecte, vt post Adrianum in 4. de Confes q. 4. Antoninum 2. p. tit. 7. §. 4. c. 4. Maioremin 4. d. 38. q. vlt. Alensem 2. p. q. vlt. mem. 2. Gabrielem in 4. d. 38. q. 2. a. 2. docent Syluester V. *scandalum* q. 2. Nauarrus Manual. cap. 6 n. 19. Valentia hic q. 18 pun. 2. & apud Bannem Victoria, & moderni Thomistæ, licet post Durandum in 4. d. 38. q. 3. & Paludanum q. 6. contrarium dixerint Caietanus hic a. 3. & in summâ V. *scandalum*, Couarruuias in regulã *Peccatum* part. 1. n. 5. Azor tom. 1. lib. 1. cap. 14. q. 6. & lb. 4. cap. 7. & 20 q. 1. Vasquez 1, 2. disp. 102. cap. 4. qui aiunt, scandalum actiuum, etsi quidem semper sit in Confessione explicandum tanquam circumstantia peccati, tamen tunc solum esse speciale peccatum quando ruina spiritualis est directe & per se intenta; vel etiam vt nonnulli addunt, cum quis per actionem alias non malam proximum scandalizat: quod etiam satis apertè significat S. Thomas hic q. 43. a. 3. in corp. & ad 2. & in 4. d. 38. q. 2. a. 2. q*la* 2. 96

Sed quæ doctrina nec satis secum ipsa cohæret; & cum certâ & recepta, in simili materiâ de homicidio, detractione, furto repugnat; cum eiusdem rationis sit directâ, vel indirectâ intentione, vitæ aut famæ alterius læsioni causam dare, vt generatim docuimus tomo 2. d. 4. q. 3. dub. 3. Præterquam quod S. Thomam etiam ad nostram doctrinam explicare conantur Valentia & Syluester loc. cit. de quo non est laborandum.

III. Excusat tamen à peccato mortali non solum defectus plenæ aduertentiæ seu deliberationis, sed etiam paruitas materiæ, si ruina proximi præuisa ac procurata sit leuis, adeoque venialis; idq; etiamsi directe ac formaliter sit intenta, secluso peculiari contẽptu Dei, & proximi, vt generatim de peccatis diximus q. 5. d. 5. & docent Paladanus, Gabriel, Caietanus loc. cit. Angelus & Armilla V. *Scandalũ* apud Vasquez 1. 2. d. 102. n. 23. quicquid ipse repugnet. 97

IV. Peccatum scandali actiui semper etiam adiunctam habet malitiam eius peccati, ad quod proximꝰ
95 inducitur v. g. furti, homicidij, adulterij &c. Si quis directe, seu directa intentione aliquem ad eiusmodi peccatum inducat, vt habet certa & communis doctrina, apud Caietanum hic q. 43. a. 3. vult enim talis directe illud peccatum; Secus si quis indirecte tantum ad id inducat, vt aperte sentit S. Thomas hic q. 34. a. 3. ad 2. etsi quoad hoc aliter sentiat Vasquez loc. cit. idq; necessario, ne alioqui scandalum quod per actionem per se non malam datur, ex eius quidem sententia, peccatum sit nullius speciei. 98

Ratio est, Quia tali casu peccatum illud proximi vitari non debuit ex præscripto eius virtutis, in quâ proximus delinquit, seu cui peccatum illius opponitur; sed solius charitatis; vt in simili etiam videre

est

est in omittente correctionē fraternā, &c. Et quis dixerit indirecte inducentem ad furtū, teneri ad restitutionem? Atq; hinc colligitur, in priori casu nō satis esse dicere in confessione: Fui causa peccati mortalis. v.g. suadendo, rogando &c. sed insuper necesse esse explicare speciem illius peccati, etsi reipsa secutum non sit; vt recte etiam docuit Nauarrus, loc cit. nisi quis forte iam antea speciem illius peccati fuisset confessus, & solum omisisset dicere circumstantiam scandali.

99 V Nec actiuū, nec passiuum scandalum cadit in viros perfectos, iuxta S. Thom. hic a. 5. & 6. quia tametsi aliquādo illi peccata venialia committant, tamē ea nec ex aliorum dictis vel factis, sed ex propria naturæ infirmitate committunt; nec in exterioribus adeo improuide exorbitant, vt merito alij possint scandalizari. Vnde negat etiam S. Thomas a. 6. ad 2. S. Petrū sua simulatione, quantūuis venialiter illicita, scandalum actiuum præbuisse; quod potius ad loquendi modum videtur pertinere. De qua re plura tom. 2. disp. 5. q. 3. dub. 5.

Quod vero ad secundam partē dubitationis attinet, qua quæritur, an semper sit peccatum, consilio, præcepto, cooperatione, vel ad malum concurrere, vel à bono impedire, sequentibus assertionibus respondemus.

100 Assertio I. Intrinsece malum est, directa & absoluta intentione intendere, vel inducere nō solum formaliter, ad ipsam malitiā peccati, vel ad aliquid, quod absolute, & secundum se malum est; sed & ad aliquid, quod p tempore ab altero sine peccato fieri nullo modo potest, quantumuis res secundum se spectata alioqui honesta & licita sit, vt est v. g. celebratio missæ. Videtur cōmunis apud Suarez tom. 3. d. 18. sect. 1. & 2. quicquid quoad posteriorē partem aliqui contra dicant. Ratio est. Quia in vtroq; casu voluntas directe fertur in rem illicitam, nec sane rationabiliter petitur, quod alter tenetur negare. Neq; vero id fecit Iudith se exornans, vt placeret Holoferni; id enim per se malum non erat, cum posset referri ad honestum finem matrimonij.

101 Assertio II. Rem per se quidem non malam, nec alteri secundū præsentes circumstantias illicitā, attamē sine peccato non exercendā, non licet sine causa rationabili conuenientis alicuius necessitatis vel vtilitatis, ex ordine & præceptis charitatis dimetienda, absoluta intentione petere, suadere, præcipere ex causa licet. Sumitur ex Suarez loc. cit. Caietano, & alijs citatis, & ex dictis supra q 9. dub. 5. de fide. Ratio primi est; quia ex charitate tenemur, quoad cōmode possumus, vitare peccatū proximi, idq; etiamsi is iam sit paratus, aut licet alioqui ad rem illam ius habeam[9], quicquid aliqui indistincte dixerint: quanquam alterutra hac circumstantia occurrente, leuior etiam causa satis esse possit, ad negligendum alterius peccatum, vt etiam sæpe ipsa per se vtilitas rei, ad quam ius habes.

Ratio secundi est. Quia tunc nec directe, nec indirecte voluntarium est peccatum illud proximi, vt recte etiam docent Nauarrus c. 14. n. 41. Sylvester verbo *Infidelitas* q 4. Valentia q. 10. de fide pun. 5. Exemplum est in petitione mutui ab vsurario, aut absolutionis ab eo, cui sola mortalis culpa obstat, quominus licite te absoluat.

Assertio III. Quin etiam licet, propter maius peccatum vitandum (secluſa iniuria tertij) inducere ad minus, iubendo, rogando, suadendo, hypothetica tamen intentione; ita vt sensus sit: aut omnino malum caue; aut saltem, si id impetrare non possum, maius malum ne feceris, quam hoc sit. Ita Caietanus verbo *Tyrannus*, Nauarrus cap. 14. n. 40. Suarez tom. 5. disp. 45. sect. 2. à n. 2. post Adrianum, Sotum, &c. quamuis nonnulli negent, verbis tamen potius, quam re diuersi, vt animaduertere est apud Sa verbo *peccatum*. 102

Ratio est. Quia talis suasio proprie non fertur in malum, quod ostenditur tantum, sed in omissionē maioris mali; sic ergo volenti occidere, suaderi potest, vt leuius agat, & solum percutiat, iuxta Sa ibid. Sic etiam excusari potest factum Eliæ inuitantis Sacerdotes Baal ad sacrificandū 3. Reg. 18. Alia quoque exempla ex Hieronymo & Augustino refert Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 34. licet forte alium sensum habere possint.

Non licet tamen suadere, volenti occidere vnū, vt mutilet alterum; quia hoc sine iniuria alterius fieri non potest, vt omnes consentiunt.

Assertio IV. Per se quidē & propinq; cooperari malo, directe videlicet intendendo malum, aut faciendo aliquid, quod per se & intrinsece malū est, nunquā est licitum; attamen subinde licitum est per accidens & remote (exercendo v.g. actum ex se indifferentem) cooperari malo, ex causa rationabili conuenientis vtilitatis, aut necessitatis, secus non item. Primum patet, quia facientium & cōsentientium idem est peccatum. 103

Secundum sumitur ex citatis auctoribus, & Val. q. 21. de Iustitia pun. 4. Ratio est. Quia talis nec directe vult malum, vt patet, nec indirecte; cum talis, aliqua causa rationabili occurrente non teneatur ab eiusmodi cooperatione, quę p se mala nō est abstinere.

Atq; sic excusari possunt, qui metu mortis remigant in nauibus Turcarum contra Christianos, aut eis suppeditant arma, vel opem præstant, ad castra munienda, ædificanda propugnacula, arma fabricanda, asportanda spolia à Christianis ablata; modo nullum adeò graue damnū per eosita cooperantes inferatur Christianis, vt pro eo ipsi auertendo, etiam vitam exponere teneantur iuxta ordinē charitatis, secus si etiam absque illis idem damnum esset inferendum, iuxta Sa V. *peccatum*, & Molinam disp. 155. quicquid eiusmodi remigantes vniuersim damnent Nauarrus cap. 27. n. 63. & fere Toletus in V. excommunicatione Bullæ. 104

Simili ratione dijudicandū, an & quatenꝰ liceat admouere scalā, aut res latentes prodere furi; dare ensem, aut monstrare hostē patraturo homicidiū, ferre epistolā amatoriā amicæ, dño iubēte; ornare herā meretricē, comitari & extrinsece seruire Dño Vsurario, aut Idololatrę, sicut fecit Naaman Regi Syriæ permittente Elisæo 4. Reg. 5. v. 18. &c. vt recte docet Sa V. *Peccatum*. Item vendere arma, aleas, pigmenta, ijsdem rebus abusuris, ex Nauarro c. 14. n. 43. & Lopez 1. p. cap. 30. item domum locare vsurarijs aut meretricibꝰ, vinū subministrare ebriosis, carnes die prohibito comesturis iuxta Nauarrū c. 16. n. Valentiam de iustitia quæst. 20. pun. 5. & quæst. 21. pun. 4. duobus potissimum obseruatis. 105

Primum

Primum, an eiusmodi necessitati vel vtilitati non possit commode alia ratione satisfieri. Secundum, an non secundum leges charitatis præsens illa necessitas, vtilitas, vel commoditas postponi debeat malo, quod ex tali cooperatione per accidens sequitur: alterutra enim hac circumstantia præsente, nulla est causa peccato proximi cooperandi. Plura supra q. 9. dub. 5. de fide. Quibus adde tertio, an non speciali lege prohibitum sit, mercem alicui vendere, vt de veneno accidit.

106 Assertio V. Per se quidem & seclusō odio, vi, vel fraude, non est mortale, aliquē ab indebito bono (etiam consilio vel præcepto) impedire, attamē per accidens esse potest, non solum ex dictis causis; sed etiam si ob amissum eiusmodi bonum, quod sine causa impeditur, graui periculo salutis proximū exponi contingat, vt cōmuniter accidit ei, qui ad Religionem à Deo vocatus in sæculo manet. Atq; hoc sensu admitto, quod dicit Bannes a. 4. mortale esse, aliquem sine causa impedire à notabili bono, quod aliunde non facile compensari possit. Multò minus licet proximo in peccato mortali cōstituto dissuadere pœnitentiam, etiam eo tempore, quo alias pœnitere non tenetur; quia pœnitentia est bonum ei absolute debitum, nec in mea est potestate situm, vt alio quo velim tempore, proximū ad eam perducam; sicut ipse in sua potestate, cum auxilio gratiæ habet, conuerti, quando voluerit.

DVBIVM IX.

An, & qua ratione bona seu spiritualia, seu temporalia dimittenda sint, propter scandalum.

s. Thomas 2. 2. q. 43. art. 7. & 8.

107 DE hac re, S. Thomæ doctrina sequentibus Assertionibus continetur. Assertio I. Nihil est faciendum cum scandalo actiuo, vtpote quod nihil aliud est, quam dictum vel factum minus rectum, alteri ruinæ spiritualis occasionem præbens. Ita S. Thomas q. 43. a. 7.

Vnde colligitur, omnem rem, seu actionem non solum malam, sed etiam mali speciem habentem, omittendam esse propter scandalum subsequens, vt etiam asserit S. Thomas q. 43. a. 2. & cōmunis apud Syluestrum, Caietanum, & Sa V. *Scandalum*, iuxta illud ad Thessalonicenses 5. v. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos* & 1. Cor. 6. vers. 12. & cap. 6. v. 22. *omnia mihi licent* (secundum se) *sed non omnia expediunt*. Ratio est. Quia scandalum, tali casu plane oritur ex vi ipsius actionis, non aliter fere quam si mala esset; vtpote quam alius merito malam existimat. Quo fit, vt ex suo genere mortale sit, criminis alicuius speciem, etiam simulando, præseferre, si inde sequatur scandalum mortale; secus si non timeatur scandalum, vt docet etiam Nauarrus man. cap. 14. n. 29.

108 In casu tamen magnæ vtilitatis, vel necessitatis, quæ scilicet valde præponderaret secuturo scandalo, non existimarem id intrinsece esse illicitum, vt colligi potest ex dictis de vsurpatione signorum falsæ religionis disp. 1. q. 7. dub. 5. Ratio est. Tum quia & res illa per se mala non est, & in hoc casu, scandalum illud nec directe voluntarium est, vt suppono, nec indirecte; hoc ipso quod supperente causa rationabili, vitari non debuit. Tum quia id non est intrinsece malum: nec ob ingenerandam falsam opinionem; talis enim error sæpe permitti potest: nec ob subsequens scandalum, quando hoc solum peraccidens sequitur, nec intentum est. Est ergo scandalū permissum tantum, non datum. Adduci posset in exemplum simulatio Petri, quam S. Paulus reprehensibilem ideo fortasse dixit, quia mali speciem habebat; & tamen à peccato omni excusant magni auctores, vt dictum tomo 2. disp. 5 q. 3. dub. 5. Alia exmpla huius rei passim legimus in vitis Sanctorum, præsertim Simonis Sali.

Assertio II. Propter scandalum vitandum; 109
non sunt omittenda spiritualia, hic & nunc ad salutem necessaria; Ita cum S. Thoma cit. art. 7. docent omnes. Ratio est; quia secundum ea, nosipsos potius, quam proximum amare debemus, ex dictis de ordine charitatis q. 3. dub. 4.

Assertio III Bona spiritualia, quæ non sunt 110
necessaria ad salutem, non sunt omittenda propter scandalum Pharisæorum, qui ex malitia volunt impedire huiusmodi bona, temere concitando scandala. Ita S. Thomas cit. art. 7. ex communi. Patet Matthæi 15. v. 14. *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Ratio Quia isti proprie non suntin aliqua necessitate spirituali: quando sponte sua ex bono mali occasionem captant. Accedit, quod alias vix quicquam boni eximij præstare liceret: quando semper aliqui inde ruinæ occasionem accipiunt.

Intelligitur tamen id ordinarie. Nam aliquando bona quædam adeo leuia esse possunt, vt plane melius, & charitati conuenientius sit, ipsa occultare, vel differre, vel cum aliquo meliori commutare, quam malitioso homini quomodocunque peccandi ansam præbere.

Assertio IV. Bona spiritualia, quæ non 111
sunt necessaria ad salutem, sunt occultanda, vel differenda nonnunquam, vbi periculum non imminet, propter scandalum pusillorum, qui ex infirmitate vel ignorantia scandalizantur, donec ratio facti reddatur. Ita S. Thomas cit. a. 7. ex communi, Ratio est; quia sæpe maior ad Deum honor redit, ex hac omissione boni, quam prosecutione eiusdem: fierique potest iuxta ordinem charitatis, vt ob vitandum graue id malum proximi, recte posthabeatur bonum illud spirituale proprium.

Assertio V. Si reddita ratione, adhuc 112
scandalum duret, iam videtur esse scandalum ex malitia, ac propterea negligendum; iuxta S. Thomam ibidem: nisi forte, vt recte notarunt Caietanus & Bannes hic, pusilli non fuerint capaces redditæ rationis, vel propter pristinam consuetudinē, vel propter contrariam aliquam rationem magis apud eos apparentem, &c. tunc enim vitandum, vt antea; sicut etiam quando pusillorum scandalum non oritur ex ignorantia, sed ex fragilitate, iuxta eosdem.

Asser-

113 ASSERTIO VI. Iuxta S. Thomam a. 7. responsione 1. ad 2. Sunt quædam opera, quorum bonitas ex propria sua ratione excludit sequens scandalum, quæ proinde in aliquo casu scandali necessario omittenda. Talis est peccatorum punitio, quæ cum ex sua natura referatur ad bonum commune, & cohibenda peccata, bona esse nullo modo potest, quando ex ea plura & maiora peccata sequi constat, iuxta Augustinum contra Epistolam Parmeniani lib. 3. cap. 2. asserentem; *vbi schismatis periculum timetur, à punitione peccatorum cessandum esse:* talis est etiam correctio fraterna, quæ vbi quis putatur scandalizandus, non emendandus, locum non habet, vt suo loco dictum.

114 ASSERTIO VII. Veritas quidem doctrinę propter scandalum nunquam est deserenda; ita scilicet, vt falsum doceatur: attamen actus docendi secundum congruentiam temporis & personarum exercendus est, etiã ab eo, cui alioqui docendi munus incumbit; adeoque nonnunquam propter scandalum dimittendus. Ita S. Thomas cit. a. 7. & constat ex dictis q. 5. dub. 3. Non ita tamen vt communis & necessaria fidei aut morum doctrina, suo loco & tempore à Pastoribus aut concionatoribus prætermittatur.

115 ASSERTIO VIII. Consilia Euangelica, & opera misericordiæ non sunt simpliciter ac ex toto omittenda, propter scandalum. Ita S. Thomas ibidem ex communi: quia iuxta Hieronymum in Matthæi 15. & refertur in Glossa ordinaria; *propter scandalum dimittendum est omne, quod potest prætermitti, salua triplici veritate, vitæ, iustitiæ, & doctrinæ;* sub quibus comprehenditur non solum id, quod est de necessitate salutis; sed etiam, quo perfectius venitur ad salutem, iuxta 1. ad Corint. 12. v. 31. *Aemulamini autem charismata meliora.* subinde tamẽ ista recte differri, vel vnum in aliud commutari, apud omnes constat.

116 ASSERTIO IX. Bona temporalia, quorum nos Domini sumus, propter scandalum infirmorum, aut totaliter dimittenda, iuxta charitatis ordinem; aut scandalum aliter sedandum. Propter scandalum autem Pharisæorum dimittenda non sunt; id enim noceret non solum bono communi, dum malis daretur occasio rapiendi aliena; sed etiam ipsis raptoribus, qui retinendo aliena in peccato remanerent. Ita S. Thomas art. 8. ex communi.

Adde tamen; nisi aliunde ob aliorum bonum eiusmodi iactura temporalium rerum sit negligenda, vt si Princeps potius hæresin in suam prouinciam introducturus sit, quam restituere velit bona Ecclesiastica, vt docent Caietanus, Valentia, Bannes, Sa loc. cit. qui addunt, ita sæpe excusari Pontificem, dum bona & iura Ecclesiastica permittit à Principibus sine iure vsurpari: quo tamen casu, non ideo Principes à peccato excusantur: nisi forte ob ignorantiam & bonam finem.

117 ASSERTIO X. Ea vero bona temporalia, quæ nostra non sunt, sed nobis conseruanda pro alijs commissa, sicut bona Ecclesiæ committuntur prælatis, &c bona communia rectoribus Reipublicæ, non sunt dimittenda propter scandalum; iuxta S. Thomam ibidem, & communem; cum ea sub necessitate salutis tueri teneamur. Idque confirmatur exemplo S. Thomæ Cantuarensis Archiepiscopi, qui bona & libertatem Ecclesiæ contra Regem acriter & ad mortem vsque defendit.

Sed nota ex Caietano ibidem. I. Etsi Papa alijque Prælati sint bonorum communium administratores, non domini, ac proinde illa regulariter conseruare teneantur; quin & restituere illi, quibus ipsi pro libito sine ratione ea donarunt; cum omnis Ecclesiasticæ rei donatio pietate vel necessitate vacua, non distributio, sed dissipatio sit, à dispensatore vsurpata: ex probabili tamen sententia eiusdem Caietani, & aliorum, vt dicemus disp. 4. q. 1. dub. 4. habere eiusmodi dominium ipsam communitatem siue Ecclesiam; quæ proinde tanquam domina de illis disponere, nec ea ita conseruare tenetur.

II. Posse aliquando, & debere Prælatos dissimulare ad tempus repetitionem bonorum, propter scandalum, præcipue pusillorum; aliquando etiam propter grauia mala obuentura, vt dictum, penitus omittere. Nam idcirco etiam Ecclesia in multis locis decimas alioqui debitas non exigit, iuxta S. Thomam ibidem. 118

III. Posse etiam Prælatos non solum ijs, quibus necessaria ad vitam desunt, sed etiam subinde alijs, qui egent opportunis ad conuenientiam sui status, tanquam pauperibus, per modum eleemosynæ condonare bona quædam Ecclesiastica; ac propterea prætextu officij, non admodum teneri ad subditorum vexationem.

IV. *Meminerint Prælati*, inquit Caietanus, *quod gratiorem Deo exhiberent famulatum, quando & procurando, quod Ecclesia donaret, cum id scilicet spirituali bono populi expedit, quam procurando eorum repetitionem: temporalia namq; propter spiritualia, & non è contra esse debent apud Christianos.* De qua re etiam videri potest Baronius tom. 11. circa annum 1010. Atque hæc fere S. Thomas. 119

Ex quibus colligitur I. posse etiam & debere nonnunquam ad vitandum scandalum pusillorum (non autem Pharisæorum, nisi forte per accidens, vt dictum) qui videlicet ex ignorantia vel infirmitate scandalizantur, aliquid alioqui præceptum negligi hac vniuersali regula seruata, vt quando concurrit aliud quoddam præceptum incompossibile, seu diuinum, seu humanum, cum præcepto de vitando scandalo, seruetur, id quod omnibus spectatis videatur maius, magisque obligans, vt docent Adrianus quodlib. 1. a. 2. Bannes hic q. 43. a. 7. Valentia q. 18. pun. 4. Suarez tom. 3. disp. 66. sect. 4. & disp. 68. sect. 5. Henriquez lib. 8. c. 47. n. 4. & indicat S. Thomas a. 7. ad 5. quicquid in contrarium dicat Vasquez 1. 2. disp. 162. n. 17. propter scandalum, etiam infirmorum, nullum præceptum, seu diuinum seu humanum negligendum, contra communem. Ratio est; quia concurrentibus duobus præceptis, quorum vtrumque seruari non potest, obligare definit alterum, quod vim obligandi minorem habet. 120

121 Exempla varia adducunt citati. Speciatim Valentia illud; si mulier vadens die festo ad templũ, audiendi sacri gratia, præberet alicui infirmo occasionem scandali, teneretur, inquit, manere domi. Sed hoc vix est morale; quia iudicium indeterminatum de aliquo ex plebe scandalizando nõ sufficit, quia sic vix vnquam licite prodiret, vt recte Nauarrus cap. 14. n. 38. seu 37. Si quando autem tale iudicium de aliquo in particulari recte concipitur, tum is communiter erit talis, qui iam non ex sola fragilitate, sed ex malitia peccabit, ob cuius proinde scandalum, nullum præceptum negligendum, vt fatetur idem Valentia ex communi.

Exemplum melius adfert Bannes de muliere, quæ ne morosum aut Zelotypum virum grauiter offendat, ieiunium aut missam omittit, non solum ob bonum viri, sed ob proprium bonum pacis, & tranquillitatis, proprijque scandali periculum vitandum. Alia exempla particularia in varijs materijs passim occurrunt.

122 Colligitut II. In actionibus, quæ nec per se malæ, nec speciem mali habent (has enim omittendas in casu scandali, ex dictis liquet) nec etiam ex præcepto necessariæ sunt, causam attendendam esse: si enim ita vel necessariæ, vel vtiles sint, vt eis secundum charitatis ordinem merito possit illud incommodũ spirituale postponi, licite poterunt exerceri, nõ obstante scãdalo, alias omittendæ. iuxta dicta de ordine charitatis q. 3. dub. 4.

Vnde si proximus conijciatur in extremam necessitatem spiritualem, propter meum opus, abstinendum erit etiam cum periculo vitæ, nisi forsan absque graui necessitate spirituali propria, aut extrema alterius, cui magis consulendum, nõ possim: si in grauem, abstinendum, si absque graui meo & aliorum, quibus magis consulendum, incommodo possim: si duntaxat in leuem, non teneor vitare, nisi facile possim. Et in his omnibus seruata proportione maior est obligatio parochi & habentium curam animarum, iuxta dicta de ordine charitatis loc. cit. Plura Nauarrus Man. cap. 14. à n. 33. & Lopez. 1. part. cap. 30. Atque hæc de Charitate satis.

INDEX DISPVTATIONIS III.

DE PRVDENTIA, FORTITVDINE, TEMPERANTIA, ac virtutibus annexis.

Quæstio I. De Prudentia, ac virtutibus annexis.

Dubium I. *De Prudentia secundum se, quid sit, in quo subiecto; quod obiectum & quos actus habeat.*

II *De diuisione prudentiæ, eiusq; partibus integralibus, subiectiuis, & potentialibus; itemq; de dono consilij adiuncto.*

III. *Quonam modo prudentia ad cæteras virtutes sese habeat.*

IV. *De præceptis prudentiæ, ac vitijs eidem oppositis.*

Quæstio II. De fortitudine, ac virtutibus annexis, vitijsque oppositis.

Dubium I. *De fortitudine secundum se, ac dono fortitudinis adiuncto.*

II. *De actibus fortitudinis, speciatim de Martyrio, veluti præcipuo actu fortitudinis.*

III. *De præceptis fortitudinis, ac vitijs fortitudini oppositis, nimirum timore, intimiditate, audacia.*

IV. *De partibus fortitudinis in communi, ac speciatim de Magnanimitate, velut prima virtute fortitudini adiunctæ, ac vitijs eidem oppositis, nimirum præsumptione, ambitione, inani gloria, ac pusillanimitate.*

V. *De Magnificentia, secunda virtute fortitudini annexa, ac vitijs eidem oppositis.*

VI. *De tertia & quarta virtute fortitudini adiunctis, scilicet patientia, & perseuerantia, ac vitijs oppositis.*

Quæstio III. De Temperantia ac virtutibus annexis, vitijsque oppositis.

Dubium I. *De ipsa temperantia secundum se, vitijsq; oppositis, ac præceptis in genere.*

II. *De partibus temperantiæ in genere: ac speciatim de duabus eius partibus integrantibus, verecundia & honestate.*

III. *De abstinentia & sobrietate, velut partibus subiectiuis temperantiæ, vitijsque oppositis, gula, & ebrietate.*

IV. *De ieiunio, velut actu abstinentiæ; an & cuius sit virtutis actus.*

V. *Adquidnam, quomodo, & quosnam obliget præceptum ieiunij Ecclesiastici; & quinam ab eo excusentur.*

VI. *De castitate velut tertia parte subiectiua temperantiæ, & virginitate eidem subiuncta.*

VII. *De luxuria, varijsque eiusdem speciebus castitati oppositis.*

VIII. *De partibus potentialibus temperantiæ, speciatim de continentia, & mansuetudine, vitijsque oppositis.*

IX. *De modestia in genere; deq; humilitate, ac vitio opposito superbiæ.*

X. *De studiositate, alijsque modestiæ speciebus, circa motus corporis, ac res exteriores; vitijsque oppositis.*

DISPVTA-

DISPVTATIO III.

De Prudentia, Fortitudine, Temperantia, ac virtutibus annexis.

S. Thomas 2. 2. quæst. 47. & vsq; ad 56. & quæst. 123. vsq; ad quæst. 170.

ABsolutis hactenus tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate, sequitur, vt cum Sancto Thoma de virtutibus moralibus, adeoque Cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, & alijs, quæ ijsdem singulis, velut partes quædam potentiales annectuntur, agamus; ordine tamen nonnihil à Sancto Thoma diuerso. Quia enim Prudentia, Fortitudo, Temperantia, cum virtutibus annexis, breuem tractationem habent; è contrario autem tam sola per se Iustitia, quam Religio, cum virtutibus cæteris iustitiæ annexis, longam tractationem postulant; nos vna eademque disputatione, & quidem ante ipsius iustitiæ ac religionis tractationem, simul omnes illas tres virtutes Cardinales, Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, complectemur; deinde vero de iustitia, & religione singulas disputationes subiungemus, iuxta distributionem disputationum initio huius tomi præmissam.

Præsens autem disputatio tres quæstiones complectetur. I. De Prudentia, ac virtutibus annexis, vitijsque oppositis. II. De Fortitudine, ac virtutibus annexis, vitijsque oppositis. III. De Temperantia, ac virtutibus annexis, vitijsque oppositis.

QVÆSTIO I.

De Prudentia, ac virtutibus annexis, vitijsque oppositis.

S. Thomas 2. 2. q. 47. vsque ad 56.

ABsoluetur hæc quæstio quatuor dubitationibus. I. De prudentia secundum se; quid sit, in quo subiecto; quod obiectum, & quos actus habeat. II. De diuisione prudentiæ; eiusque partibus, integralibus, subiectiuis, & potentialibus; itemque de dono consilij adiuncto. III. Quonam modo Prudentia ad cæteras virtutes sese habeat. IV. De præceptis Prudentiæ; ac vitijs eidem oppositis.

DVBIVM I.

De Prudentia secundum se; quid sit, in quo subiecto, quodnam obiectum, & quos actus habeat.

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 47. aa. 16.

PRoponemus hac de re prius doctrinã S. Thomæ, secundum seriem articulorum; claritatis tamen causa in certa quæsita distributam, deinde aliquot notationibus additis eandem doctrinam illustrabimus.

1 Primo igitur quæritur, in qua potentia, & qualis in genere virtus sit prudentia. De hac re ita breuiter & ordine docet S. Thomas citat. quæst. 47. a. 1. 2. 3. 4. 5.

I. Prudentiam, *qua inter cæteras eius functiones futura ex præteritis & præsentibus iudicamus*, quæq; ab Augustino lib. 83. q. 32. dicitur, *Cognitio rerum appetendarum & fugiendarum*, esse in intellectu.

II. Cum Prudentia iuxta Aristotelem 6. Ethic. cap. 5. sit *recta ratio agibilium*, esse in ratione practica, non speculatiua. Quorum vtrumque ex se patet.

2 III. Prudentiam, iuxta Aristotelem, non esse vniuersalium solum, sed *oportere etiam singularia cognoscere*; adeo vt necesse sit prudentẽ & *cognoscere vniuersalia principia rationis, & singularia, circa quæ sunt operationes.* Ratio est; quia prudentiæ est verum dicere in particulari: quid nimirum hic & nunc agendum sit, secundum rectam rationem.

IV. Prudentiam iuxta Gregorium 2. moral. cap. 36. esse virtutem etiam *moralem*, & simpliciter dictam, non tantum secundum quid, vt sunt cæteræ virtutes intellectuales; quãdoquidem intellectum perficit in ordine ad appetitũ rectũ.

V. Prudentiam esse virtutem specialem, iuxta Sapientiæ 8. v. 7. vbi cæteris virtutibus Cardinalibus annumeratur: *Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem; quibus vtilius nihil est in vita hominibus.* Idem patet ex eiusdem speciali obiecto, & honestate propria.

3 Secundo quæritur, quodnam sit officium, quique actus sint prudentiæ. Ad hoc respondet Sanctus Thomas citat. quæst. 47. artic. 6. 7. 8. & 9. in modum sequentem. Nimirum I. Ad Prudentiam non pertinere, præstituere finem virtutibus moralibus, sed solum disponere de his, quæ sunt ad finem, iuxta Aristotelem 6. Ethic. cap. 11. asserentem, quod *virtus moralis intentionem finis facit rectam: Prudentia autem, quæ ad hanc*: ita tamen *vt finis non pertineat ad virtutes morales, tanquam ipsa præstituant finem; sed quod tendant in finem à ratione naturali præstitutum; ad quod iuuantur per prudentiam, quæ eis viam parat, disponendo ea, quæ sunt ad finem. Vnde relinquitur*, inquit S. Thomas cit. q. 47. a. 6. ad 3. *quod prudentia sit nobilior virtutibus moralibus, & moueat eas: sed synteresis mouet prudentiam: sicut intellectus principiorum scientiam.*

II. Cum medium, quod à virtute morali attingitur, non constituatur, nisi per rectam dispositionem eorum, quæ sunt ad finem, quæ dispositio prudentiæ propria est; idcirco *medij eiusdẽ in virtutibus moralibus inuentionẽ ad prudentiã pertinere*, iuxta Aristotelem 2. Ethic. c. 6. vbi virtutem definit, *Habitũ electiuum in mediocritate existentũ determinata ratione quoad nos, prout sapiens determinabit*; vel vt habet alia versio; *habitum electiuum, in mediocritate quantum ad nos consistentem: quæ quidem mediocritas ratione præfinita sit, atq; ita vt prudens præfiniret. Recta autem ratio intelligitur, secundum Prudentiã*, vt dicitur 6. Ethic. c. 5. & vlt. Ita S. Thomas a. 7. 4

III. Etsi consiliari & iudicare de inuentis, 5
sint itidem actus rationis practicæ, *præcipere tamen esse proprium actum Prudentiæ*, iuxta Aristotelem 6. Ethic. cap. 10. vbi dicit, *Prudentiam præceptiuam esse.* Quo fit vt iuxta eundem 6. Ethic. cap. 5. *imprudentior sit, qui volens peccat, quasi deficiens in principali actu prudentiæ, qui est præcipere, quam qui peccat nolens*; cum tamen contrarium in arte accidat. Ita S. Thomas a. 8.

IV. a. 9. Solicitudinẽ (quasi *solertẽ citationẽ* seu velocitatẽ) *proprie ad prudentiã spectare*; cuius præcipuus actus est, *circa agenda præcipere de præconsiliatis &* 6

tis & indicatis. Vnde Aristoteles 6 Ethic. cap. 9. ait, *Oportere quidem operari velociter consiliata, consiliari autem tarde.* Et Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ cap. 14. ait, *Prudentiæ esse excubias atque diligentissimam vigilantiam, ne subrepente paulatim mala suasione fallamur.* Idem significatur 1. Petri 4. vers. 7. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.* Idem enim est vigilantia quod solicitudo.

Tertio quæritur, ad quænam se extendat & quam late pateat Prudentia. Ad hoc Respondet S. Thomas cit. q. 47. art. 10. 11. 12. sequentibus assertionibus. Nimirum. I. a. 10. Cum ad prudentiam spectet, recte consiliari ac iudicare & ea præcipere, quæ ad debitum finem conducunt, idcirco eam non solum priuatum, sed etiam commune multitudinis bonum respicere, iuxta Matthæi 24. vers. 46. *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Et 1. Corinth. 10. vers. 33. *Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.*

II. Cum proprium bonum vnius, & bonum familiæ vel domus, & bonum ciuitatis, ac regni, *diuersi sint fines, aliam specie prudentiam esse illam, quæ ordinatur ad bonum proprium; aliam Oeconomicam, quæ ordinatur ad bonum commune domus vel familiæ; aliam politicam, quæ ordinatur ad bonum commune ciuitatis, vel regni:* sicut *diuersæ scientiæ sunt*, politica, quæ ordinatur ad bonum commune ciuitatis, Oeconomica, quæ de ijs, quæ pertinent ad bonum commune domus vel familiæ; & monastica, quæ est de his, quæ pertinent ad bonum vnius personæ. Ita a. 12.

III. eod. a. 12. Prudentiam *non solū esse in principe, ad modum artis architectonicæ,* iuxta Aristotelē 6. Ethic. cap. 8. *sed etiam in subditis,* ad modum artis ministerialis. Qua de causa idem Aristoteles ibidem docet, *duas esse prudentiæ politicæ species; vnam quæ est legum positiua seu latiua, quæ pertinet ad Principes; aliam, quæ retinet commune nomen politicæ, quæ est circa singularia.*

Quarto quæritur, quodnam sit subiectum remotum Prudentiæ; & quomodo acquiratur, vel amittatur. Respondet S. Thomas a. 13. 14. 15. 16. in modum sequentem. Nimirum I. artic. 13. Prudentiam carnis *in solis peccatoribus esse:* at prudentiam veram, sed imperfectam *in iustis & peccatoribus esse posse:* prudentiam autem simpliciter perfectam nō nisi in hominibus iustis, iuxta Aristotelem 6. Ethic. cap. 12. vbi dicit: *Impossibile est prudentem esse, non existentem bonum.* Quamuis enim peccatores possint esse bene consiliatiui ad aliquem finem malum, vel ad aliquod peculiare bonum; *tamen ad bonum totius vitæ* (nempe finem vltimum) *non sunt bene consiliatiui perfecte; quia consilium ad effectum non perducunt.*

II. artic. 14. *Prudentiam* (infusam) *esse in omnibus iustis, seu habentibus gratiam;* quandoquidem omnes virtutes inter se & cum prudentia connexæ sunt iuxta Gregorium 2. Moral. c. 33. & generalem doctrinam de virtutibus 1. 2. quæstione 65. articulo 1. quamuis prudentia acquisita, quæ causatur exercitio actuum, & indiget ad sui generationem experimento & tempore, *non possit esse in iuuenibus, nec secundum habitum, nec secundum actum,* nimirum perfecta; iuxta Aristotelem 2. Ethic. 1. & lib. 6. cap. 8. & 3. Topic. cap. 2.

III. artic. 15. Prudentiæ virtutem, cum non circa fines, sed circa ea, quæ sunt ad finem versetur, *non à natura nobis ineſſe,* sed vel propria exercitatione acquiri, vel diuinitus infundi, ex dictis: etsi Aristoteles 6. Ethic. c. 11. dicat, *synesim & gnomen esse naturales,* nempe saltem in radice ipsius rationis, vt diximus tom. 2. disputatio. 3. quæst. 1. dub. 2.

IV. art. 16. Cum prudentia *non in sola cognitione, sed etiam in appetitu* (recto, quasi dispositiue) *consistat, non sola obliuione,* sicut artes & scientias, sed multo magis *vitiosa passione* tolli atq; amitti; iuxta Aristotelem 6. Ethic. 5. vbi ait, *Delectabile & triste peruertere æstimationem prudentiæ:* & rursum ibidem; *obliuionem esse artis, & non prudentiæ;* nempe directe ac per se; cum tamen *obliuio impedire possit prudentiam, in quantum procedit ad præcipiendum ex aliqua cognitione, quæ per obliuionem tolli potest.* Hactenus S. Thomas.

Vt vero hæc omnia, ac simul ipsa natura, obiectum, & actus prudentiæ rectius intelligantur, hæc breuiter annotamus. I. Prudentiā ab Aristotele 6. Ethic. c. 5. definiri, *Habitum vera cum ratione actiuum, circa ea, quæ & bona, & mala homini sunt,* nempe circa operationes humanas seu morales; quatenus hic & nunc secundum omnes circumstantias moraliter bonæ aut malæ esse possunt; illas vbi & quatenus decet, amplectendas esse decernens; has fugiendas: quod nulli alteri virtuti conuenit. Breuius dici potest. Virtus intellectus recte ac in particulari de agendis ab homine (nempe formaliter qua homo est, ratione ac libertate præditus) iudicans.

Neque dubium est, prudentiam esse virtutem, non tantum secundum quid, sed simpliciter, iuxta Aristotelem loc. cit. & S. Thomam hic q. 47. artic. 4. & communem: quia tametsi sit virtus intellectualis, non tamen perficit intellectum nude secundum se, sicut facit ars, aut scientia; sed in ordine ad voluntatem, quam mouet, & ad bonum honestum impellit. Qua de causa etiam inter virtutes morales numeratur, tanquam earumdem moderatrix ac magistra, vt diximus etiam tom. 2. disp. 3. quæstione 4. dub. 1. Quo vero modo rectum prudentię iudicium accidat, & vnde eius rectitudo ac veritas sumatur diximus eod. tom. 2 disp. 2. q. 6. dub. 1. vbi explicauimus, quidnam sit recta ratio, prout est regula humanorum actuum: hæc enim ipsa recta ratio, seu iudicium, de rebus in particulari agendis, est actus prudentiæ; quæ proinde etiam à nonnullis absolute definitur: *Recta ratio agendorum.* De quo plura tom. 2. disp. 3. q. 4. dub. 1. n. 13.

Notandū II. Obiectū proinde seu materia Prudentiæ sunt, tum ipsa media, quibus honestę finis cuiusque virtutis in particulari obtinetur, vt docet S. Thomas cit. a. 6. & 15. tum etiam finis ipse virtutis moralis, non quidem secundum se & absolute; secundū S. Thomā ibidē, de hoc enim nulla est consultatio; iudiciumq; hac de re ad synte-

resim spectat; sed prout materiæ certę applicatur: quandoquidem etiam consiliū, qui est actus prudentiæ, vt mox dicetur, non tantum circa media, sed etiam circa finē, ad materiam singularē contractum versatur; puta, circa hanc moderatam refectionem, vt iuxta Aristotelem 6. Ethic. c. 12. & S. Thomam hic q. 47. a. 6. cum Vasquez disp. 41. c. 4. & q. 13. a. 3. dictum à nobis tom. 2. disp. 2. q. 3. dub. 5. quibus etiam post Scotum 3. dist. 36. q. vn. a. 2. contra Caietanum hic q. 47. art. 6. consentit Lessius hic lib. 1. cap. 1. dub. 3.

14 Notandum III. Quod ad actus prudentiæ attinet, existimant quidem multi, actum eius elicitum vnicum & solum esse actum imperij, eumq; distinctum à iudicio: quo nempe tam voluntati, quam cæteris potentijs inferioribus & subordinatis à ratione efficaciter præcipiatur, quid agendum sit, aut non agendum: præter hunc vero actum imperij à prudentia elicitum, constituunt alios tres actus, prudentiæ quasi inseruientes & præuios, sed ad habitus à prudentia distinctos spectantes, quos vocant partes potentiales prudentiæ. Primum dicunt esse, rectam consultationem, quam tribuunt *Eubuliæ*, de qua Aristoteles 6. Ethic. cap. 9. Secundum docent esse rectum iudicium, idque duplex; vnum quod iuxta cōmunes regulas & leges de rebus agendis fertur; & ab eis vocatur *Synesis*, de qua Aristoteles 6. Ethic. 10. Alterum, quod lege in casu particulari deficiente, fertur ex ipsa ratione & æquitate naturali, quam vocant *Gnomen*, de qua Aristoteles 6. Ethic. 11. Ita Caietanus, & alij Thomistæ recentiores 1. 2. q. 57. a. 6. & hic q. 47. a. 8. & q. 51. tot a; quos sequitur Valentia tom. 2. disp. 5. quæst. 3. punct. 2. & tom. 3. disput. 4. q. 1. punct. 3. Eiusdemque sententiæ, præsertim quod attinet ad distinctionem trium illorum habituum à prudentia, est etiam S. Thomas loc. cit. & tribuitur Aristoteli locis cit. Etsi Vasquez 1. 2. disp. 49. cap. 5. fuse conatur ostendere, eam non esse Aristotelis sententiam.

15 Sed nobis, qui tom. 2. disput. 2. q. 3. dub. 5. actum imperij ex communi cæterorum Scholasticorum sententia aliter explicauimus, eumque cum S. Thoma electione posteriorem fecimus, non autem electioni præuium, ne fateri necesse sit, actum prudentiæ elicitum, ad rectam electionem necessarium non esse, aliter hic philosophandum est; sicut iam antea fecimus tom. 2. disp. 3. q. 4. dub. 1. n. 13.

Dicendum igitur, tres esse actus prudentiæ elicitos, vt etiam diximus cit. du. 1. n. 8. & ex communi docet Lessius l. 1. c. 1. du. 3. Primus est bona *consultatio*, quam Aristoteles cit. l. 6. Ethic. cap. 9. satis aperte indicat actum esse prudentiæ, eumq; eubuliam vocat, asserens esse *inquisitionem, sine enunciatione*, hoc est, vt ego interpretor, cognitionem illam, qua quid cuiq; ex inuentis medijs, seu diuersis operandi modis, in ordine ad certum aliquem virtutis finem, boni vel mali, commodi vel incommodi insit, recte dignoscitur, sine vltimato & absoluto iudicio, quo vnum medium simpliciter alteri præferendum decernatur.

Secundus actus prudentiæ est *iudicium*, quo vel secundum communes leges aut regulas, aut in casu particulari, deficiente communi lege, ex ipsa ratione & æqualitate naturali iudicatur, quid ex medijs seu vario operandi modo ad præsuppositum honestum finem obtinendum, seu medium virtutis in certa aliqua materia attingendum, adeoque bonam electionem faciendam, sit optimum, cæteriſq; præferendum.

Tertius actus est *imperium*, non prout ex nostra sententia est peculiare & efficax iudiciū, quo me- 16
diante alio quodam actu voluntatis, qui vsus dicitur, potentijs executiuis, post electionē voluntatis iam factam, intimatur executio electi medij, seu modi operandi, accomodate ad finem alicuius virtutis, sed quo supposita intentione debiti finis, ac consultatione & iudicio de medijs seu materia particulari virtutis, efficaciter iudicatur, & intimatur facienda executio consultationis ac iudicij, per electionem; ita vt sit actus prior electione, non posterior, vt cit. q. 4. dub. 1. n. 13. fusius diximus, vbi de ratione, functione, & actibus prudentiæ plura.

An vero nihilominus, vt putat Vasquez citat. disp. 49. c. 5. *alio quodam sensu*, synesis & Gnome, quibus adde ἀγχίνοιαν siue sagacitatem, de quibus Aristoteles cit. 6. Ethic. c. 10. & 11. secundum veritatem & mentem Aristotelis, sint habitus, inter se, & à prudentia distincti dub. sequenti dicetur.

DVBIVM II.

De diuisione Prudentiæ, ac variis eiusdem partibus; integralibus, subiectiuis, & potentialibus; ac dono consilij Prudentiæ adiuncto.

S. Thomas 2. 2. q. 48. 49. 50. 51. & 52.

SVbijciemus rursum primo breuiter hac de re doctrinam S. Thomæ. Deinde aliquot notationes velut Commentarij loco subiungemus.

Primo igitur quærit S. Thomas q. 48. a. vn. quotuplices sint partes prudentiæ; & respondet, sicut vniuersim triplex est alicuius totius pars; scilicet *integralis*; vt paries, tectū, & fundamentum sunt partes domꝰ; *subiectiua*, sicut bos & leo sunt partes animalis; & *potentialis*, sicut nutritiuum & sensitiuum sunt partes animæ: *ita etiam tribus modis posse assignari partes alicui virtuti.* Vno modo ad similitudinem partium integralium, vt scilicet illa dicantur esse partes virtutis alicuius, *quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius.* Partes autem subiectiuæ virtutis dicuntur species eius diuersæ, quæ sub eodem virtutis genere continentur. Partes autem potentiales alicuius virtutis dicuntur, virtutes adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secūdarios actus vel materias affines principali virtuti; quasi *non habentes totam potentiā* (nec essentiam) *principalis virtutis.* Atq; hæc omnis varietas partium, vti cæteris quibusdam virtutibus, ita inprimis etiam prudentiæ conuenit, vt ex sequentibus patebit. 17

Quæri-

18 Quæritur secundo, quot & quænam sint partes integrales prudentiæ. Respondet S. Thomas quæstion 48. a. vn. & quæst. 49. aa. 8. prudentiæ actum, vt perfectus omnibusque numeris absolutus sit, his octo partibus opus habere, memoria, intelligentia, docilitate, solertia, ratione, prouidentia, circumspectione, & cautione; quas partim recensent Aristoteles 6. Ethic. c. 9. 10. & 11. partim Cicero libro 1. in somnium Scipionis capit. 8. ex sententia Plotini; vbi sex partes prudentiæ attribuit. Indiget autem prudentia *memoriâ*, ad variorum experimentorum seu euentuum recordationem; *intelligentiâ* siue intellectu ad *extremi alicuius principij primi* practici per se noti rectam æstimationem; *docilitate*, ad capiendam ab alijs plurimarum rerum notitiam; *solertiâ*, ad rectam celeremque eius, quod conuenit, excogitationem, iuxta Aristotelem 1. Poster. sub finem, & Philosophum quendam græcum à S. Thoma citatum quæstion. 48. a. vnic. & quæstione 49. arriculo 4. qui dicit, solertiam *esse habitum, qui prouenit ex repentino, inueniens quod congruit.* 19 *Ratione* vero, qua homo est bene ratiocinatiuus, indiget prudentia, ad maturam variarum rerum inter se collationem faciendam, earumq; connexionem & cohærentiam perspiciendam: *Prouidentia* autem futurorum, ad rectam de futuris contingentibus, ad prudentiam inprimis spectantibus, dispositionem & ordinationem: *circumspectione*, ad omnium circumstantiarum, quæ vnumquodque negotium circumstant, acutam perlustrationem: & deniq; *cautione*, ad malorum, præsertim quæ bonorum speciem præseferentia, plerisq; imponunt, solicitam diligentemq; vitationem.

20 Quæritur tertio, quænam sint prudentiæ partes subiectiuæ. Respondet S. Thomas quæst. 47. articulo 11. prudentiam primo aliam esse simpliciter talem, siue monasticam, quæ *ordinatur ad bonum proprium*; aliam quæ *ordinatur ad bonum commune*, siue multitudinis. Hanc vero secundum diuersas species multitudinis, rursus tres alias species sub se continere, nimirum *politicam*, quæ ordinatur ad bonum cõmune ciuitatis vel regni, *Oecõnomicã*, quæ ordinatur ad bonũ cõmune domꝰ vel familiæ; & (vt addit S. Thomas q. 50. a. 4.) *militarẽ*, quæ perspicit bonũ cõmune exercitus. *Politicam* vero prudentiã S. Thomas q. 48. a. vn. & q. 50. a. 2. rursus aliã docet esse *regnatiuã*, quæ est in Rectoribus: aliã simpliciter & stricte dictã *politicam*, quę est in subditis, vt inferius magis declarabitur.

Quæritur quarto, quæ & quot sint partes potentiales seu virtutes adiunctę prudentiæ, habentes quidem scilicet cum ea magnam affinitatẽ ex parte obiecti, sed ab eadem tamen essentialiter distinctæ. Ad hoc respondet S. Thomas cit. q. 48. a. vn. & q. 51. a. 4. esse tres, nimirum *Eubuliã, quæ est*, inquit, *circa consilium; & synesin, quæ est circa iudiciũ eorum, quæ secundum communes regulas fiunt; & gnomen, quæ est, circa iudicium eorum, in quibus oportet quandoq; à communi lege recedere. Prudentia vero est circa principalem actum, qui est præcipere.* Quam doctrinam etiam dubio præcedenti ex S. Thoma retulimus.

Rationem assignat cit. q. 51. a. 1. *quia secundum differentiam actuum, sunt diuersæ virtutes, maxime quando non est eadem ratio bonitatis in actibus. Si enim esset eadem ratio bonitatis in eis, tunc ad eandem virtutem pertinerent diuersi actus: sicut ex eodem dependet bonitas amoris, desiderij, & gaudij; & ideo omnia ista pertinent ad eandem virtutem charitatis. Actus autem rationis ordinati ad opus, sunt diuersi, nec habent eandem rationem bonitatis; ex alio enim efficitur homo bene consiliatiuus, & bene iudicatiuus, & bene præceptiuus. Quod patet ex hoc quod ista aliquando ab inuicem separantur. &c. Et ideo oportet aliam esse virtutem Eubuliam* (similis est ratio cæterarum) *per quam homo est bene consiliatiuus; & aliam, prudentiam, per quam homo est bene præceptiuus. Et sicut consiliari ordinatur ad præcipere tanquam ad principalius, ita etiam Eubulia ordinatur ad prudentiam, tanquam ad principaliorem virtutem, sine qua nec virtus esset, sicut nec morales virtutes sine prudentia; nec cæteræ virtutes sine charitate.* Ita S. Thomas. 22

Cæterum vt doctrina de diuisione, & partibus prudentiæ sit plenior, atque etiam vt nonnullæ difficultates, quæ circa relatam S. Thomæ doctrinã occurrunt, explicentur, obseruandum est primo, Prudentiæ virtutem varie diuidi posse. Nam primo ex parte finis ac regulæ, & consequenter etiam ex parte causæ efficientis, atque secundum suam intrinsecam entitatem, prudentia alia est naturalis & acquisita, alia infusa; sicut in genere de omnibus virtutibus moralibus dictum tom. 2. disputatio. 3. quæstione 4. dub. 2. Prudentia naturalis, per se ac sua natura nititur regula mere naturali, solumque finem naturalem seu acquisitæ virtutis respicit: prudentia vero infusa per se & intrinsece nititur regula supernaturali, finemque supernaturalem respicit. Regula autem illa naturalis, est tum ipsa ratio naturalis, quæ suapte etiam vi veritates quasdam & principia practica potest cognoscere, vt suo loco de gratia dictum quæstione 3. dub. 1. tum habitus principiorum practicorum, qui vocatur synteresis. 23 24

Quem nonnulli quidem, in quibus Valentia tom. 2. disp. 4. q. 3. punct. 1. post Durandum & Sotum, putant, non esse re distinctum ab ipsa potentia intellectus. Alij vero eum reipsa distinctum, sed intellectui tamen congenitum faciunt; in quibus Medina 1. 2. quæstio. 51. artic. 2. Alij denique rectius & ab intellectu realiter distinguunt, & nouiter primum ab homine acquiri asserunt; in quibus Caietanus ibidem, Ferrariensis libro 1. contra Gentiles cap. 78. & Buridanus 6. Ethic. q. 11. fauente S. Thoma cit. q 51. art. 2. qui solum quoad inchoationem, habitum illum asserit esse naturalem, adeoque congenitum, vt fusius docui tom. 2. disputat. 3. quæstio. 1. dub. 2. Esto interim, Synteresis nonnunquam etiam pro ipsa vi naturali intellectus cognoscendi prima principia practica accipiatur.

Et quamuis hic habitus iuxta diuisionem Aristotelis 6. Ethic. cap. 3. sub intellectu generatim sumpto comprehendatur, non improbabile tamen est, habitum principiorum speculatiuorum, qui stricte & quasi appropriato nomine in-

tellectus dicitur, à syntereſi ſeu habitu principiorum practicorum, propter maximam vtrorumque diuerſitatem, eſſe re diſtinctum. Etſi Valentia loc. cit. aliud ſentiat, vbi dicit: *Idem re habitus reſpectu vtrorumq; principiorum eſſe putatur*, vt etiam indicat S. Thomas 1.2.q.53.a.1.

25 Huc etiam tertio ſpectat ipſe habitus ſcientiæ ethicæ, quæ ex principijs practicis vniuerſalibus particulares concluſiones de honeſtate aut malitia actuum humanorũ deducit, & à prudentia ſine dubitatione diſtinguitur, vt fuſius dictum tom. 2. diſp. 3. q. 4. dub. 1.

26 Regula vero ſupernaturalis & infuſæ prudentiæ eſt, tum fides ſupernaturalis de veritatibus practicis, quæ ſe habet inſtar habitus principiorum; tum habitus Theologiæ ſupernaturalis, quæ reſpondet ſcientiæ ethicæ, in ordine ad prudentiam infuſam; tum alij habitus ſupernaturales cognoſcitiui practici, ex donis Spiritus ſancti, verſantes circa bonum ſupernaturale abſtracte & in genere, vt eſt ſapientia & ſcientia.

Eodem ſpectat actualis inſpiratio diuina, ſeu lumen actuale diuinæ gratiæ, iuxta illud 1. Ioannis 2. verſ. 27. *Vnctio eius docet vos de omnibus.*

27 Quamquam hæc proprie non tam ſit regula prudentiæ infuſæ, prout virtus eſt, quam doni Spiritus Sancti, quod vocatur *Conſilium*, habens quidem maximam affinitatem cum prudentia infuſa, eo quod in particulari etiam circa res ex regula ſupernaturali agendas verſatur; ſed eatenus tamen diſtinctum, quod formaliter pro regula habet peculiarem ductum ac motionem Spiritus Sancti, cui conformari poſtulat, vt videre eſt præcipue in quibuſdam extraordinarijs operibus Sanctorum. Prudentia vero infuſa, inquantum virtus eſt, formaliter ſpectat conformitatem cum ratione ſupernaturali ordinaria, vt generatim tomo 2. diſput. 3. quæſtione 6. dub. 1. diximus vbi etiam docui, eundem actum virtutis poſſe diuerſa ratione procedere, tum à dono, tum à virtute. Atque hæc etiam fere ſumma eſt quæſtionis 52. vbi Sanctus Thomas de dono Conſilij diſputat.

28 Iam vero ſecundo vlterius diuiditur prudentia vtraque, tam infuſa, quam naturalis, iuxta doctrinam S. Thomæ ſuperius relatam n. 20. ex parte finis, ſeu obiecti, ac boni, in cuius procuratione verſatur, in particularem ſeu perſonalem, quæ etiam *monaſtica* dicitur; & in procuratiuam alicuius boni communis. Illa perſe ac formaliter procurat ac reſpicit priuatum officium, ac honeſtatem, adeoque bonum particulare ac proprium operantis; ſiue materialiter ſimul eadem actio in aliorum bono procurando verſetur, ſiue non, vt recte notarunt Valentia hic q. 3. pun. 2. & Leſſius lib. 1. c. 2. dub. 1. n. 7. Hæc formaliter reſpicit bonũ multitudinis ſiue cõmunitatis. Quæ rurſum partim mediate, partim immediate ſubdiuiditur in quatuor alias ſpecies eod. n. 20. relatas, nimirum regnatiuã, ciuilem ſiue politicã ſtricte acceptam, Oeconomicam, iuxta Ariſtotelem 6. Ethic. cap. 8. & Euſtratium ibidem, & militarem. E quibus tamen ſola prudentia particularis eſt ſimpliciter dicta prudentia & virtus, habentem ſcilicet ſimpliciter bonum reddens: cæteræ autem omnes tales ſolum ſunt ſecundum quid, & cum addito, prudẽtia ſcilicet regnatiua, ciuilis, Oeconomica, & militaris, iuxta S. Thom. q. 47. a. 11. In qua doctrina conſentiunt cõmuniter etiã cæteri commentatores, ſpeciatim Valentia & Leſſius loc. cit.

Dubitatur vero primo, quid per prudentiam *politicam* ſtricte acceptam intelligatur. an ea videlicet ſpectet ad ciues priuatos; an potius tribuenda ſit Magiſtratibus Principi ſubordinatis. Poſterius affirmat Leſſius cit. cap. 2. dub. 2. & putat eſſe mentem Ariſtotelis 6. Ethic. cap. 8.

Sed verius eſt quod docet Valentia loc. cit. ſpectare proprie ad ciues priuatos ſiue ſubiectos magiſtratibus, vt etiam diximus tom. 2. diſp. 3. q. 4. dub. 1. n. 7.

Quod etiam expreſſe docet S. Thomas q. 50. a. 2. in corp. vbi ait: *Cum ſubditi ita agantur cũ alijs per præceptũ, vt tamen agant ſeipſos per liberũ arbitriũ, ideo requiritur in eis quædam rectitudo regiminis, per quam ſeipſos dirigant in obediendo principantibus. Et ad hoc pertinet ſpecies prudentiæ, quæ politica vocatur.* Idem habet reſp. ad 1. 2. & 3. vbi dicit: *Per prudentiam communiter dictam regit homo ſeipſum in ordine ad proprium bonum: per politicam autem in ordine ad bonum commune.* Et q. 48. a. vn. ait: *Eſt etiam multitudo vnius ciuitatis vel regni: cuius quidem directiua eſt in principe regnatiua; in ſubditis autem politica ſimpliciter dicta.*

Ex quibus etiam ſumitur ratio: nec diſſentit Ariſtoteles loc. cit. Et confirmatur, quia Magiſtratibus ſubordinatis principi, quatenus etiam ipſi Rectores ſunt communitatis, potius conuenit prudentia regnatiua, quam politica ſimpliciter dicta; etſi non cum ea perfectione, qua ipſis ſupremis principibus.

Dubitatur ſecundo, quid intelligatur per regnatiuam prudentiam. Reſpondetur cum S. Thoma q. 50. a. 1. ad 2. denominari quidẽ eam à regno ſiue Monarchia, tanquã optima regiminis forma: attamen ſub ea *comprehendi omnia regimina recta*; nõ autẽ peruerſa, quæ virtuti prudentiæ opponũtur. An autem pro diuerſa forma regiminis, varietur etiam ſpecies prudentiæ regnatiuæ, incertum eſt. Affirmatiuam partem ſuadet diuerſa admodum ratio & forma regendi: negatiuam autem vnitas formalis ipſius boni communis Reipub. quod à diuerſis formis regendi procuratur. 29

Dubitatur tertio, an ſicut pro communitate exercitus datur peculiaris ſpecies prudentiæ, nempe militaris, ita etiam pro communitatibus alijs particularibus eiuſdem Reipub. puta tribubus diuerſis Mercatorum, artificum, &c. peculiares prudentiæ ſpecies dentur. Reſpondeo, non eſſe parem rationem; quia cõmunitas exercitus perſe ac neceſſario habet & requirit vnitatem & coniunctionẽ ſub vno capite, ac ijſdem legibus: eiuſq; regiminis ratio eſt admodum diuerſa, à gubernatione reliquarum partium Reipub. Reliquarum autem cõmunitatum, partialium Reipub. alia eſt ratio: ita vt quamuis nonnũquã quãdam vnitatem & ſubordinationem habeant, nihil tamen cauſæ ſit, cur pro earundem diuerſitate

ſpecies

ſpecies prudẽtiæ multiplicẽtur: niſi pro ſingulis etiã ciuitatibus & pagis eiuſdẽ Regni ſiue ditionis diuerſæ ſpecies prudentiæ ſint conſtituendæ.

Dubitatur quarto; an ſicut in ordine ad Rempub. datur duplex prudentia, nimirum regnatiua, & politica ſimpliciter ac ſtrictè dicta; ita etiam in ordine ad bonum aliarum communitatum puta domus, exercitus &c. detur duplex eiuſmodi prudentia; *regitiua* vna in cuiuſq; eiuſmodi cõmunitatis Rectoribus; altera ſubordinata, in ſubditis. Reſpondeo nihil videri obſtare, quo minus affirmetur, ob paritatem rationis. Neque repugnant Ariſtoteles & S. Thomas, qui ex principalis membri declaratione, idẽ conſtare voluerunt de alijs. Atque hæc adſecundam prudentiæ diuiſionem pertinent.

Tertio vero non deſunt, qui ſentiunt, ipſam quoque prudentiam particularem nõ eſſe vnam ſpecie virtutem, ſed tot eſſe prudentias ſpecie diſtinctas, quot ſunt virtutes morales; in quib⁹ ſunt Scotus in 3.d.36.q.vn. Gabriel a.1.not.1. Ockã in 3.q.12. & quodl.4.q.6.a.1. & Almain tract.3. Mor. c.7. quos ſequitur Leſſius cit. dub.2.n.6.

30 Sed verius eſt, eam eſſe vnam ſpecie infima virtutem, vt cum S. Thoma 1.2.q.60.a.1. & hic q.47. a.5. docent Durãdus 3.diſt.36. Buridanus 6.Eth. q.13. Caietanus 1.2.q.60.a.1. Valẽtia loc.cit. Vaſquez 1.2.diſp.85.c.2. & dictũ tom.2.d.3.q.4.du. 1.n.7. Quæ eſt etiã ſententia Ariſtotelis 6.Eth.c. 13. vbi ait: *Etenim cũ prudentia quæ eſt vna, ſimul inerunt omnes*, ſcilicet virtutes. Neq; vnquã vel Ariſtoteles, vel S. Thomas, pro multitudine virtutũ moralium, prudentiæ ſpecies diſtinxit vel multiplicauit. Ratio eiuſdem ſententiæ eſt.

31 Tum quia vnus ac idem eſt iudicãdi modus de omnibus agibilibus particularibus, videlicet per conſultationem, inueniendo mediocritatem in qualibet virtutis materia, & conuenientiam mediorum ad finem eiuſdem virtutis, & perfectam honeſtatem operantis. Tum quia medium ac honeſtas vnius virtutis præſcribi non poteſt, niſi etiam cum reſpectu ad alias, ne forſan alterius concurſu maioriq; neceſſitate alterius actus præpediatur. Tum quia diuerſitas agibilium ſub eadẽ formali ratione, in ordine ad habitum intellectus, eſt ſolum materialis, non formalis; qua de cauſa etiam vnus ſpecie cenſetur habitus ethicæ ſcientiæ; cum tamen interim eadem diuerſitas, in ordine ad appetitum, habentem pro diuerſitate eorundem nouam ac ſpecialem difficultatem, ſit formalis: ex qua etiam appetitus difficultate oritur fere illa, quæ in iudicio practico prudentiæ eſt difficultas. Qua de cauſa etiam, fatendum eſt, fieri poſſe, vt quis habeat prudentiam acquiſitam (alia ratio eſt infuſæ) circa vnam materiam virtutis, non circa aliam; donec habitus prudentiæ per nouos actus etiam ad hanc extendatur, vt recte etiam notauit Vaſquez loc. cit. num.11.

32 Obſeruandum ſecundo, tametſi quidem ab omnibus communiter numerentur octo partes integrantes prudentiæ, & quidem à nonnullis in hunc modum; memoria præteritorum, intelligentia præſentium, prouidentia futurorum, ratio ſeu promptitudo ratiocinandi & vnum ex alio colligendi, docilitas ſeu facilitas diſcendi, ſolercia ſiue ſagacitas bene coniectandi iuxta Ariſtotelem lib. 6. Ethic. cap. 10. ſiue iuxta eundem lib.2. Priorum, facilitas medij ſeu argumenti inueniendi; denique circumſpectio & cautio; quarum illa eſt conſideratio circumſtantiarum, ne qua in actione deſideretur, hæc vero eſt cura vitandi incommoda: has tamen non dici partes integrantes prudentiæ, niſi improprie & per quandam ſimilitudinem; quia videlicet ſine his non conſtat perfectus vſus prudentiæ, vt ex S. Thoma dictum: cum tamen interim vtriuſlibet nec ſint habitus proprie dicti, nec etiam actus; ſed ex parte ſolum naturales perfectiones intellectus: vt ſunt ratio, docilitas, ſagacitas: quin etiam aliqui ſunt ipſius prudentiæ actus, aut ſaltem quiddam in ijs incluſum, vt cautio, circumſpectio, prouidentia, & intelligentia, ſpectantes ad rectam conſultationem & iudicium, vt recte notauit Leſſius hic cap. 2. dub. 1. n. 11.

Similiter obſeruandum tertio, quod ad partes 33
prudentiæ potentiales attinet, cum inter omnes quidem conſtet, eas itidem non niſi analogice & per quandã ſimilitudinem, tam reſpectu prudentiæ, quam cæterarum virtutum, tales dici; quia nimirum ſe habent velut potentiæ ad animam, inſeruientes quidem eidem, ſed eius tamen vim & naturam adæquate non poſſidentes: controuerſum tamen eſt, an illę ipſæ quas S. Thomas recenſuit, nimirum Eubulia, Syneſis, & Gnome ſint reuera partes potentiales prudentię; aut ſi nõ ſunt, an ſaltem aliæ quædam dentur partes potentiales eiuſdem. Et quidem Vaſquez 1.2. diſp. 34
49 c. 5. & Leſſius hic lib. 1. cap. 2. dub. 3. in eo conſentiunt, Eubuliam, Syneſin & Gnomen, eo quidẽ modo, quo à S. Thoma explicari diximus, non eſſe habitus à prudentia diſtinctos, vt probat etiam Giraldus l. 6. q. 15. ſed eſſe ipſam prudentiam inadæquate conſideratam, nempe vt ſe ad hanc, vel illam functionem extẽdit, ſeu quod idẽ eſt, eſſe ipſos quoſdam actus prudentiæ, vt nos etiam docuimus tom. 2. diſp. 3. q. 4. dub. 3. idq; dẽ Eubulia ex ipſo Ariſtotele manifeſtum fecimus, præcipue ex l. 6. Eth. c. 7. vbi ait: *Prudentiæ maximè opus eſſe dicimus recte conſultare.* Eadem eſt ratio Syneſis & gnomes; quandoquidem proprium prudentiæ eſt recte iudicare de agendis in particulari; iuxta eundẽ Ariſtotelem, l. 6. Eth. c. 9. idque ſiue ex communibus regulis & legibus, ſiue etiam nonnunquam, in particulari caſu deficiente lege, ex ipſa ratione naturali, velut altiori principio: ita vt ſicut Epijkia ſe habet ad iuſtitiã, iuxta Ariſtotelẽ l. 5. Eth. c. 10. ita gnome ad prudentiam.

Cæterum an Ariſtoteles Syneſin & gnomen eo 35
ſenſu, quem S. Thomas explicauit, acceperit; vel an alio quodã ſenſu, dici poſſint partes potentiales prudentiæ, diſſentiunt citati auctores. Negat Vaſquez loc. cit. eas prædicto ſenſu ab Ariſtotele explicatas fuiſſe, ſed alio, non paulo diuerſo, quo etiã illę virtutes à prudẽtia diſtinctæ dici poſſint; ita nimirũ vt Syneſis ſignificet perſpicaciã quãdã ingenij in alio, qui de iudicio & facto prudẽtis bene iudicat, vt ſignificat Ariſtoteles lib. 6. Ethic. c. 10. & exponunt Euſtratius & Donatus Aciaiolus

ibidem

ibidem. Dicitur enim συνετὸς & εὐσύνετος, iuxta Aristotelem ibidem, qui altero aliquid dicente vel faciente, statim potest percipere, rectene an secus dictum factumque sit: Gnome vero non sit iudicium de agendis secundum rationem naturalem, vbi leges communes deficiunt; *hæc enim potius est Epijkia*, inquit Vasquez loc. cit. *sed consensio quædam æqui & boni viri ad ignoscendum aliquando, nec secundum seueritatem iuris iudicandum. Bonum enim*, inquit Aristoteles 6. Ethic. c. 11. *& æquum virum ad ignoscendum procliuem esse dicimus, & veniam in aliquibus dare, bonum & æquum est*: at venia sententia quædam est iudicatiua recti &
36 boni. *Dicitur igitur Gnome*, inquit Vasquez, *latine sententia, non quasi iudicium, quod nomine sententiæ seu opinionis significamus, sed quia sit sensus quidam conformis delinquenti ad ignoscendum, quod latine consensio dici potest, græce autem Syngnome etiam vocatur.* Lessius vero cit. cap. 2. dub. 3. fatetur quidem, Synesin modo iam explicato ab Aristotele fuisse acceptam; sed nec tamen ab eo negari ait eam explicationem, quam ex S. Thoma retulimus; siquidem ipsemet Aristoteles lib. magnorum moralium cap. 35. expresse docet, Synesin esse prudentiæ partem: quamuis interdum esse possit in eo, qui non est prudens. Per Gnomen autem, inquit Lessius, idem intelligit Aristoteles quod D. Thomas. Nam l. 6. Ethic. c. 11. dicit, Gnomen esse rectum iudicium æqui & boni. Æquum & bonum (quod græcis dicitur τὸ ἐπιεικὲς est, quod cum sit contra verba legis, etsi nō contra mentē legislatoris, iudicio prudentis definitur; vel vt Aristoteles l. 5. c. 10. definit, *est correctio legis, quatenus deficit ob vniuersalē locutionem*: nec sane Epijkia est actus vel habitus intellectus, vti dixerat Vas-
37 quez, sed voluntatis, vt omnes consentiunt. Nec tamen explicat Lessius, an Synesis saltem alio illo sensu, sit virtus à prudentia distincta. Eadem est difficultas de anchinia, siue sagacitate, de qua Aristoteles cit. 6. Ethic cap. 11.

Mihi iuxta mentem Aristotelis, vtraq; tam Synesis, quam Gnome, vtroq; modo & sensu recte videtur accipi; & priori quidem, non esse habitus seu virtutes à prudētia distinctas, adeoq; nec partes potentiales prudentiæ, sed easdē essentialiter cum ipsa prudentia, à qua nō differunt, nisi velut quiddam incompletum à completo. Quia enim prudentiæ est, mouere efficaciter voluntatem & potētias executiuas ad honestā actionē, adeo vt si quādo, stante etiā diligenti inquisitione, & consultatione veroq; iudicio de honestate rei, cōtrarium tamē ab homine eligatur, prudentia nō dicatur esse perfecta & absoluta, vtpote præcipuo suo actu & effectu destituta; idcirco nec Eubulia, nec Synesis, nec Gnome, Aristoteli, per se ac secundum se nude spectatæ, prudentia dicuntur; sed ad prudentiam conferre ac tendere. Quod ipsum videtur significare, dū cit. 6. Eth. c. 11. ait, *esse rationi consentaneū omnes hos habitus eodē pertinere.*

38 At vero posteriori sensu, nihil videtur obstare, quominus Synesis virtus, aut certe vis quædā & facultas animę, à prudentia distincta existimetur: quod tamē de Gnome nō ita facile concesserim; cū ipsius prudentiæ sit, vti cæteris virtutibus, ita etiam iustitiæ medium præscribere, vt aliquando seu misericordiā, seu gratiā temperetur.

Anchinia vero seu sagacitas solum videtur esse naturalis quędā perfectio intellectus rectē coniectandi; quā tamen inter ἕξεις seu *habitus*, cōmuni notione, ita appellatos recensēt Aristoteles; qa est constans quædā intellectus affectio seu habitudo.

Qua, pinde ratione prudentia aut nullas prorsus habebit partes potentiales, aut noñisi vnicā, scilicet Synesin, sensu posteriori, ex Vasquez relato, explicatā: quanquā & hoc ipso sensu, vt dictū, potius videatur naturalis perfectio mentis ad intelligendū, quā virtus: aut si virtus & habitus est, non sit habitus distinctus ab Ethica, cuius est iudicare, recte ne an male moraliter facta sint ea, quæ ab alijs fiunt.

DVBIVM III.

Quonam modo prudentia sese ad cæteras virtutes habeat.

S. Thomas 2. 2. q. 47. a. 6. 7. & 8.

DVplex ordo & habitudo prudentiæ ad cæteras virtutes considerari potest; naturę vna, 39
altera dignitatis. Et quamuis S. Thomas ex instituto de neutra agat, facile tamē est eius mentē ex dictis colligere. Nam quod ad ordinē naturæ attinet, est quidē prudētia acquisita prior omnibus virtutibus moralibus acquisitis; vt etiā prudentia infusa prior est virtutibus moralibus infusis, quatenus vtræq; morales versantur circa particulare aliquod agibile, seu finem suū ac honestatem propriam, applicatā particulari materiæ; siue hi actus quoad exercitium, siue etiā quoad specificationem spectentur: quandoquidē prudentia obiectum quasi formale in particulari spectatū, seu mediū singulis virtutibus in particulari præstituit ac præfinit, iuxta S. Thomam hic q. 47. a. 7. attamen non est prior ipsa ijsdē virtutibus, vt abstracte ac in cōmuni circa suos proprios fines ac propriam honestatē versantur, eosq; intendunt, saltem loquendo quoad specificationem actus.

Hic enim affectus, quem ex cōmuni sententia 40
suppono elici per eundem virtutis habitum, ad quem pertinet electio medij in eadē materia (etsi Lessius loc. cit. n. 38. aliter sentiat) in communi sufficienter regulatur ab ipsa Synteresi, quæ dictat v. g. Deum esse colendum, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiā consectandam. &c. quē affectum etiam, vna cum sua illa regula Synteresis, supponit prudentia, velut principium seu fundamentum, vt recte notarunt Vasquez 1. 2. disp. 85. c. 2. n. 11. & Lessius lib. 1. cap. 1. dub. 3.

Qua de causa etiam S. Thomas hic q. 47 a. 6. ex mente Aristotelis ait prudentiam *nō præstituere finē virtutibus moralibus*; hoc enim fieri *per Synteresin: sed solum disponere de his, quæ sunt ad finē*, vt dictum dub. 1. Et Aristoteles l. 6. Ethic. c. 5. & 13. docet prudentiā (saltē à toto genere, & in statu perfecto, ita vt in ipso vsu non sit impedita) pendere à virtutibus moralibus, easq; adeo supponere, eo modo, quo rectū iudiciū de agibili in particulari, supponit rectū affectū iudicātis, circa idē agibile in cōmuni; quandoquidem pro varietate affectus facile solet variari iudicium de agibilibus, idque

facile

facile in particulari ab vnoquoque bonum ac prosequendum iudicatur; erga quod animus in communi bene affectus est; *qualis enim quisq; est, tale ei & bonum videtur*, iuxta Aristotelem libro 6. Ethic. cap. 4.

41 Quod si loquamur de exercitio eiusdē affectus erga finem virtutis, in particulari, & secundum omnes circumstantias spectato, negari non potest, id etiā prudentiæ dictamine regulari, quandoquidē non cuilibet, omni loco & tempore cōuenit, cuiusq; virtutis finem, propriamq; honestatem etiam in genere & abstracte spectatam intendere. Quo sensu vniuersē dici potest, prudentię actum aliquo modo natura esse priorē, quouis honesto actu cæterarum virtutum moralium, nempe vel quoad specificationem simul & exercitium, vel saltem quoad exercitium.

42 Secundo autē de virtutibus Theologicis, quæ circa ipsum finem vltimum ac supremum versantur, prudentia ijs eorumq; actibus quoad specificationem (per se loquendo) prior non est, iuxta S. Thomam q. 4. art. 7. vbi virtutes Theologicas dicit esse priores moralibus in quibus est prudentia ex dictis dub. 1. Ratio est; quia ad spem quidem & charitatem, hac ratione, nempe quoad specificationem actus, sufficit fides; ad fidem autem ipsam, virtus quædam voluntatis à cæteris distincta, vt suo loco dictum disp. 1. q. 6. dub. 1. At vero quoad exercitium actus, nullum est dubium, ad eas plurimū conferre prudentiā infusā: quamquam habitus ipse prudentiæ infusæ, comes indiuiduus charitatis, à fidei ac spei habitu per se non supponatur, sicut nec ipsa charitas, nec cæteræ virtutes morales infusæ; nisi loquamur de fide ac spe, velut habentibus perfectum virtutis statum, vt dictum eadem disput. 1. quæstione 8. dub. 4.

43 Quod vero ad ordinem dignitatis attinet, ex eo ipso, quod prudentia cęteras virtutes morales dirigit & mouet, non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem actus, recte colligit S. Thomas hic q. 47. a. 6. ad 3. prudentiam esse nobiliorē cæteris virtutibus moralibus; sicut Syntheresis nobilior est prudentia, quam itidem mouet & dirigit, non secus, quā intellectus principiorum scientiam, iuxta S. Thomam ibidem.

Ipsis autem virtutibus Theologicis, prudentia etiam infusa simpliciter & absolute loquendo inferior est. Quamuis enim hęc nonnunquam illas quoad exercitiū actus dirigat; tamen quia virtutes Theologicæ per se, ac quoad specificationē actus, à prudentia non dependent, ac simul etiā ex parte obiecti imediati prudentiæ plurimū antecellunt, idcirco simpliciter & absolute loquendo, præstantiores sunt prudentiā, iuxta generalē doctrinam, quam de natura & dignitate virtutū Theologicarum tradit S. Thomas 1. 2. q. 62. a. 2. & 3. & q. 66. a. 1. & 2. Quamuis secundum quid inferiores dici possint prudentiā infusā, à qua saltem quoad exercitium actus diriguntur.

44 Quæres à quonam habitu quoad exercitiū dirigantur fides & spes in homine peccatore, destituto habitu prudētiæ infusæ. Respondeo, remote ac velut per accidens dirigi posse à prudentia acquisita, si nimirum actus fidei & spei solum spectentur secundum cōmunem quandam rationem, desumptam ex obiecto materiali, cōmunem etiam actibus naturalibus eiusdem nominis & appellationis, circa idem obiectū versantibus. Deinde spes remote etiā dirigi potest à fide, velut dictante generalia quędā recte operandi principia. Deniq; virtus vtraque in operando particulatim dirigitur ab ipsis motionibus & illustrationibus actualibus Spiritus Sancti; quæ tamen hoc ipso, quod ab extrinseco sunt, nec constanter per modum actus primi animæ insunt, hinc fit, vt virtutes illæ in peccatore minus perfectum & completum operandi modum habeant.

DVBIVM IV.

De præceptis prudentiæ, ac vitijs eidem oppositis.

S. Thomas 2. 2. q. 53. 54. 55. & 56.

SIcut in cæteris virtutibus, ita etiam circa prudentiā, duplicis generis præcepta occurrunt, vt docet S. Thomas q. 56. a. 1. & 2 quædam affirmatiua, quibus præcipitur actus & vsus prudentiæ; alia negatiua, quibus prohibentur vitia contraria. 45

Et quod ad p̄cepta affirmatiua attinet, tria potissimū docet S. Thomas cit. q. 56. a. 2. I. In præceptis quidē decalogi nullū præceptū ad prudentiā pertinens, directe traditum aut tradendum fuisse, etiamsi ad prudentiam omnia præcepta decalogi pertineant, secundum quod ipsa est directiua omnium virtuosorum actuum. Ratio est. Quia præcepta decalogi continent præcepta naturalia, quæ se habent in agendis, sicut principia naturaliter cognita in speculatiuis, qualia quidem sunt dictamina rationis naturalis circa ipsos fines particulares humanæ vitæ, non autem dictamina de ijs, quæ sunt ad finem, circa quæ tamen sola versatur prudentia.

Nec obstat, quod prudentia est principalior & nobilior alijs virtutibus moralibus, adeoq; ipsa iustitia, ad quam tamen plura peccata decalogi pertinent. Licet enim prudentia sit simpliciter principalior virtus, alijs virtutibus moralibus, iustitia tamen *principalius respicit rationē debiti, quod requiritur ad præceptum.* Et ideo principalia præcepta legis, quæ sunt præcepta decalogi, *magis debuerunt ad iustitiam, quam ad prudentiam pertinere*, iuxta S. Thomam ibidem ad 1. 46

II. In alijs tamen documentis ac libris veteris testamenti, quæ ordinātur ad præcepta decalogi, velut ad finem, conuenienter tradita fuerunt quædam præcepta ad prudentiam spectantia, vt ita homines instruerentur etiam de actu prudentiæ, qui est circa ea, quæ sunt ad finem, vt patet Prou. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et v. 7. *Nesis sapiens apud temet ipsum.* Et ibidem cap. 4. v. 5. *Posside sapientiam posside prudentiam.* Et v. 24. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitā pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilētur.* Quibus verbis prudentiæ officium describitur. 47

III. Sed & in nouo testamento recte & conuenienter datum fuit præceptum de prudentia, 48

vt

vt constat Matthæi 10. v. 16. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et 1. Petri 4. v. 7. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.* Ratio est; quia *doctrina Euangelica est doctrina perfectionis*; & ideo necesse fuit, vt in ipsa *perfecte instrueretur homo de omnibus, quæ pertinent ad rectitudinem vitæ, siue sint fines, siue sint ea, quæ sunt ad finem.*

49 Quibus adde IV. Ipsa quidem lege etiam naturali præcipi actum & vsum prudentiæ, qua obligamur, vt omnia quæ agimus prudenter agamus; ita tamen vt præceptum prudentiæ, hoc ipso, quod intrinsece respicit aliquid in materijs aliarum virtutum agendum, non obliget nisi in ordine ad alia præcepta affirmatiua, de actibus aliarum virtutum, quæ præsupponunt præcepta affirmatiua prudentiæ circa eosdem actus, hoc ipso, quod prudenter vtiq; illi fieri debent ex recta nimirum electione, præfinitâ per prudentiam, vt recte notauit Gregorius de Valentia hic quæst. 6. punct. vn.

50 Quod vero ad præcepta negatiua, adeoq; vitia prudentiæ opposita attinet S. Thomas initio quæstionis 53. supponens doctrinam Augustini lib. 4. contra Iulianum c. 3. *quod omnibus virtutibus non solum sunt vitia manifesta discretione contraria, sicut prudentiæ temeritas; verum etiam vicina quodammodo, nec veritate, sed quadam specie fallente similia; sicut ipsi prudentiæ non temeritas, vel impudentia, sed astutia*; primo agit de vitijs, quæ manifeste, adeoq; per defectum prudentiæ opponuntur; deinde de ijs, quæ habent similitudinem quandam falsam cum prudentia, quæque adeo eidem opponuntur per excessum.

Prioris generis quatuor vitia recenset, nimirum præcipitationē siue temeritatē, inconsiderationem, inconstantiā, & negligentiā; è quibus præcipitatio siue temeritas, prie opponitur eubuliæ siue consilio; inconsideratio, quæ est defectus cōsilij, Synesi & gnome; inconstantia vero & negligentia principali actui prudentiæ, qui est imperium.

51 Et est *præcipitatio*, inordinata quædam festinatio in cōsiliando, qua quis *debito graduū ordine prætermisso*, quales sunt memoria præteritorū, intelligentia in præsentibus, solertia in considerandis futuris euentibus, ratiocinatio conferens vnū alteri, & docilitas per quā aliquis acquiescit sententijs maiorū, intempestiuo quodā impetu voluntatis, vel passionis fertur ad agendū. Quodsi præcipitatio ex contemptu regulæ dirigentis accidat, peculiari nomine dici solet *Temeritas*, iuxta S. Thomam q. 53. a. 3. ad 2. & Caietanum ibidē: qui ita etiā notat accipiendas leges seu canones pœnam decernentes in facientes aliquid *temere*; licet Sylvester V. *Temeritas*, etiā hoc nomine comprehendi dicat eos, qui scienter, sub prętextu aliquo fraudulento, exercent actum à iure prohibitum, iuxta Cap. *Venerabilem*, Extra, Qui filij legitimi.

52 *Inconsideratio* significat defectū recti iudicij, *prout aliquis in recto iudicando deficit ex hoc, quod contemnit vel negligit attendere ea, ex quibus rectū iudiciū procedit, vt est scilicet cogitatio earum veritatum, ex quibus recte esset iudicandum*, iuxta S. Thomam eadem q. 54. a. 4. Ad quam spectant etiam *incautela*, & *incircumspectio*, quæ opponuntur duabus partibus integralibus prudentiæ, iuxta eundem a. 2. quę; adeo specie inter se, vel ab inconsideratione non differunt, vt recte Valentia q. 5. punct. 1.

Inconstantia imperio opposita, est vitium, *quo ratio deficit, in præcipiendo ea, quæ sunt recte consiliata & iudicata*; quæ proinde etiam opponitur prudentiæ *ratione solicitudinis*, quæ in imperando seu exequendo iudicio rationis potissimum cernitur, iuxta eundem S. Thomam q. 54. a. 1. & 2. quamuis alioquin negligentia generatim etiā accipi soleat, pro quacunq; omissione voluntaria actus debiti, vt ex Syluestro V. *Negligentia* docet Valentia.

Hæc vero peccata, etsi inter se specie differant, 53
atq; etiā incōfessione distincte explicāda sint, quādo p se & directa intentione, quatenus prudentiæ opponuntur, sunt voluntaria: tamen si, vti cōmuniter fieri solet, solū indirecte sint voluntaria, nimirū ratione operis ex prudentiæ dictamine recte peragendi, tum defectus illi nō sunt specialia peccata, sed quasi generales quædā cōditiones peccatorū; quandoquidē in omnibus peccatis, indirecte & per accidens peccatur etiā contra prudentiā, vt ex S. Thoma q. 53. a. 2. in corpore & ad 3. & Caietano ibidem notauit Valentia cit. q. 5. pu. 1.

Sunt autem peccata mortalia vel ex parte obiecti & materiæ, si sint circa aliquid ad salutem necessarium sub mortali; vel ex parte causæ, si committantur ex tali incuria seu neglectu salutis, vt quis nihili faciat Dei amicitiam, adeoque velut ex contemptu. Si autem negligentia consistat in prætermissione alicuius actus, vel circumstantiæ, *quæ non sit de necessitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu feruoris, qui impeditur interdum per aliquod peccatum veniale*, tunc negligentia non est peccatum mortale, sed veniale, vt docet S. Thomas q. 54. a. 3. & vniuersim de omnibus vitijs prudentiæ oppositis tradunt & sequuntur Syluester V. *negligentia* &c. Valentia citat. q. 5. punct. 1. 54

Et quamquam hęc vitia etiam ex alijs vitijs oriantur, puta auaritia, ambitione &c. quæ sæpe præcipitant ac peruertunt iudicium, mentemq; inconstantē reddunt; potissimū tamen oriuntur ex luxuria, quæ ab *vehementiam delectationis*, mentem magnopere obtenebrat, vt docet S. Thomas q. 53. a. 6. post Gregorium l. 31. moral. cap. 31.

Peccata vero prudentiæ per excessum contraria, quæ proinde etiam falsam quandam prudentiæ speciem habent, à S. Thoma q. 55. numerantur sex; nimirum prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, solicitudo imoderata temporaliū, & solicitudo imoderata futurorum. *Prudentia carnis* est vitium, *quo quis bona carnis habet, vt vltimum finem suæ vitæ*, ad quem media, suasq; actiones referat, vt docet S. Thomas q. 55. a. 1. Generalius dici potest, solers machinatio rationis, accomodata ad consequendum prauum aliquem finem, conformen appetitiui carnali, vt recte dicit Valentia quæst. 5. punct. 2. Neq; vero hæc prudentia carnis differre videtur à stultitia, sapientiæ itidem opposita, de qua egimus disp. 2. q. 4. dub. 3. nisi forte vt inclusum ab includente. 55

Est vero peccatum mortale, si vltimus finis

simpli-

simpliciter in creatura collocetur vt docet S. Thomas q. 55. a. 2. iuxta illud Apostoli Rom. 8. v. 6. *Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo; legi enim Dei non est subiecta: nec enim potest.* Quæ autem sint opera carnis, recensetidē Apostolus Galat. 5. v. 19. vbi omnia vitia sub eo nomine comprehendit, eo quod fere ex carnis corruptione nascantur. Non tamen est peccatum distinctum ab eo opere ad quod ordinatur, nisi sit per se voluntarium, iuxta Valentiam ibidem ex communi.

56 *Astutia* proprie est vitium, quo quis ad finem aliquem consequendum, seu bonum, seu malum, vtitur non veris vijs, sed simulatis & apparentibus; qua ratione differt à prudentia carnis, quæ spectat finem, qui non est vere bonus, sed apparens. De qua astutia loquitur Apostolus 2. Cor. 4. v. 2. *Abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei*, iuxta S. Thomam q. 55. a. 3. post Aristotelem 6. Eth. c. 11. Sicut tamen *prudentia abusiue quandoque in malo accipitur, ita etiam astutia quandoque in bono*, vt dicit Augustinus l. 4. contra Iulianum cap. 3.

De eodem astutiæ vitio etiam Gregorius l. 10. Moral. c. 27. in illud Iob. 12. *Deridetur iusti simplicitas*, ait: *Sapientia huius mundi est, cor machinationibus tegere; sensum verbis velare; quæ falsa sunt vera ostendere; quæ vera sunt falsa demonstrare. &c. Hæc prudentia vsu à iuuenibus scitur; à pueris pretio discitur.* Non tamē (nisi per se formaliter, vt est contra prudentiam, intenta sit) est peccatū distinctū à peccato ipsius praui operis, ad quod ordinatur, inquit Valentia q. 5. punct. 2. Adde, vel à peccato ipsius operis, quo velut medio vtitur ad suum finem, puta mendacio, iniustitia, &c.

57 *Dolus* est ipsa executio astutiæ, ad circumueniendum ordinata; ad quam proinde etiam pertinet, iuxta Ephes. 4. v. 14. *Vt non circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumentionem erroris.* Etsi vero dolus præcipue accidat verbis, tamen etiam factis perficitur. Et *sicut astutia nonnunquam accipitur in bonam partem, ita etiam dolus, qui est astutiæ executio*, vt docet S. Thomas q. 55. art. 4. ex Apostolo 2. Cor. 12. *Cum essem astutus, dolo vos cepi.*

Fraus itidem consistit in executione astutiæ. Differt tamen à dolo, quod hic *pertinet vniuersaliter ad executionem astutiæ, siue fiat per verba, siue per facta; fraus autem magis proprie pertinet ad executionem astutiæ, secundum quod fit per facta*, vt docet S. Thomas q. 55. a. 5. Ex cuius proinde sententia, dolus & fraus non sunt vitia distincta ab astutia; nec de eorum ratione & grauitate aliter iudicandum est, quam de astutia dictum: & constat, dolum & fraudem esse peccatum mortale, aut veniale, pro diuersitate materiæ, iuxta Caietanum, & Syluestrum V. *Fraus.*

58 *Solicitudo temporalium*, quæ prohibetur Matthæi 6. est immoderata cura rerum temporalium. Quæ quidem ex triplici capite potest esse illicita. 1. *ex parte obiecti*, de quo solicitisumus; si nimirum temporalia tanquam finem quæramus. 2. *Propter superfluum studium*, quod adhibetur ad temporalia procuranda, etiam cum detrimento & iactura spiritualium. 3. Ex parte *superflui ac immoderati timoris*; cum scilicet aliquis timet *ne faciendo quod debet, necessaria deficiant.*

Quam quidem timoris imoderationem Christus Matthæi 6. triplici ratione euertere satagit. 1. repræsentatione maiorum beneficiorum, quæ nobis nihil agentibus, vel curantibus diuinitus sunt collata, nempe *ipsum corpus & anima.* 2. repræsentatione benignissimæ prouidentiæ Dei, qua Deus adeo liberaliter animalibus ac plantis subuenit. 3. reprehensione Gentilium, qui ignoratione diuinæ prouidentiæ, tali solicitudine distinentur. *Et ideo concludit, quod principaliter nostra solicitudo esse debet de spiritualibus bonis, sperando, quod etiam temporalia nobis proueniant ad necessitatem, si fecerimus quod debemus.* Hæc S. Thomas quæst. 55. a. 6.

Solicitudo futurorum, quam prohibet Christus 59
Matthæi 6. v. 34. *Nolite soliciti esse in crastinum*, est immoderata cura siue solicitudo futurorum. Vt *si quis temporalia, in quibus dicitur præteritum & futurum, tanquam fines quærat; vel si superflua quærat, vltra præsentis vitæ necessitatem; vel si tempus solicitudinis præoccupet.* Nam iuxta Eccles. 8. v. 6. *Omni negotio tempus est & opportunitas.* Et c. 3. v. 1. *Omnia tempus habent. Itaque vnicuique tempori competit propria solicitudo: sicut tempori æstatis competit solicitudo metendi; tempori autem autumni competit solicitudo vindemiæ. Si quis ergo tempore æstatis de vindemia esset solicitus, superflue præoccuparet futuri temporis solicitudinem; vnde huiusmodi solicitudinem tanquam superfluam, Dominus prohibet, Matthæi 6. dicens: Nolite soliciti esse in crastinum:* Et subdit: *Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi, id est suam propriam solicitudinem habebit, quæ sufficiet ad animum affligendum. Et hoc est quod subdit. Sufficit diei malitia sua, id est afflictio solicitudinis.* Hæc Sanctus Thomas quæst. 55. art. 7.

Alioquin per se ac vniuersim solicitudinem 60
temporalium, ac etiam futurorum non esse illicitam, constat ex Prouerb. 6. v. 6. *Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* Itemque ex Augustino l. 2. de serm. Domini in monte cap. 26. vbi ait: *Cum viderimus aliquem seruum Dei prouidere, ne ista necessaria sibi desint, non iudicemus eum de crastino solicitum esse. Nam & ipse Dominus propter exemplum loculos habere dignatus est*, Ioannis 12. *Et in Actibus Apostolorum* cap. 11. v. 18. *scriptum est, ea quæ ad victum sunt necessaria procurata fuisse in futurum, propter imminentem famem. Non ergo Dominus improbat, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista militet Deo.*

Est autem vtraque solicitudo peccatum mor- 61
tale, aut veniale, pro ratione affectus praui, ex quo oriuntur; vel effectus, qui inde consequitur. Cum autem omnia hæc vitia, quæ per excessum prudentiæ opponuntur, etiam aliunde nasci possint, communiter tamen ac potissimum nascuntur ex auaritia, vt ex Gregorio 31. Moral. cap. 31. docet S. Thomas q. 55. a. 8.

62 His autem omnibus vitijs seu peccatis cõmune quiddam est vitium *Imprudentiæ*; quæ plures sub se species continet, idque tripliciter, vt docet S. Thomas quæst. 53. art. 2. 1. *Per oppositionem ad diuersas partes subiectiuas prudentiæ. Sicut enim distinguitur prudentia, in monasticam, quæ est regitiua vnius, & in alias species prudentiæ, quæ sunt multitudinis regitiuæ; ita etiam imprudentia. 2. secundum partes quasi potentiales* (seu actus diuersos) *prudentiæ, vt sunt recta consultatio, rectum iudicium, & imperium, de qua partitione prudentiæ superius loquuti sumus. 3. per oppositionem ad ea, quæ requiruntur ad prudentiam, velut partes integrales eiusdem.* Quia tamen partes illæ integrantes ordinantur ad dirigendos prædictos tres actus rationis; idcirco vitia illa integrantibus eiusmodi partibus opposita non distinguuntur ab explicatis hactenus, *sed ad eadem reducuntur; sicut incautela & incircumspectio includuntur sub inconsideratione; defectus docilitatis, & memoriæ, vel rationis, pertinet ad præcipitationem. Improuidentia vero, & defectus intelligentiæ pertinet ad negligentiam & inconstantiam*, vt docet S. Thomas ibidem cit. q. 53. a. 2.

63 Vbi addit, licet imprudentia non sit vitium generale per essentiam, quasi de omnibus peccatis prædicetur, esse tamẽ generale vitiũ seu peccatum, per participationem. *Sicut enim prudentia participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiua earum, ita & imprudentia in omnibus vitijs & peccatis: nullum enim peccatum potest accidere, nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis; quod pertinet ad imprudentiam.*

Verum etsi quidem omnis peccans sit imprudens, siue per omissionem efficacis illius iudicij, quo recte ac secundum virtutem re ipsa homo dirigitur; siue quia in actu exercito stulte creaturam aliquam diuinæ obedientiæ anteponit; & vero etiam moraliter loquendo, ante quoduis peccatum, præsertim quod ex passione committitur, præcedat in intellectu tum defectus aliquis considerationis, adeoque ignorantia seu inconsideratio aliqua; tum fere etiam, (præcipue si loquãur de peccatis comissionis, quę efficacem quendam actum voluntatis erga rem illicitam inducunt) iudicium quoddam bonis moribus non consentaneum, adeoque contra prudentiam, practice erroneum, quo aliquid absolute iudicatur, etsi diuinæ legi repugnans, hic & nunc esse operanti conueniens, ob delectationem, vtilitatem, & similem rationem temporalẽ, dignumq; ac sufficiens, vt hic & nunc expetatur: tamen absolute ac vniuersim non necessario ante quoduis peccatum, præcedit in intellectu, aut error iudicij seu imperij, aut defectus inconsiderationis seu ignorantiæ, vti cum multis alijs docui tom. 2. disp. 4. q. 9. dub. 2. Idemque tradit Lesius hic c. 2. n. 16. etsi multi repugnent, vt ibid. dictum.

Neque vero peccata contra prudentiam sunt distincta ab ijs, quæ ex illis consequuntur, seu ad quæ illa ordinantur, nisi cum ipsa per se & directa intentione, quatenus formaliter prudentiæ aduersantur; sunt voluntaria, vt ex communi tradit Valentia hic q. 5. pun. 1. & superius etiam de peccatis per defectum prudentiæ oppositis dictum.

QVÆSTIO II.

De Fortitudine, ac virtutibus annexis, vitijsque oppositis.

S. Thomas 2. 2. q. 123. vsque ad 140.

SEquitur quidem post prudentiam, apud Sanctum Thomam, spectato dignitatis ordine, tractatio de iustitia ac virtutibus annexis; sed nos ob dictam initio huius disputationis causam, sine vllo incommodo, aut rerum tractandarum confusione, materiam de fortitudine, & temperantia, Iustitiæ anteponimus; siquidem constat, tractationem illam de Fortitudine & Temperantia à tractatu Iustitiæ prorsus independentem esse.

Absoluetur autem hæc quæstio sex dubitationibus. I. De Fortitudine secundum se, ac dono fortitudinis adiuncto. II. De actibus Fortitudinis, speciatim de Martyrio, velut præcipuo actu fortitudinis. III. De præceptis fortitudinis, ac vitijs fortitudini oppositis; nimirum timore, intimiditate, audacia. IV. De partibus fortitudinis in communi; ac speciatim de magnanimitate, velut prima virtute fortitudini adiuncta; at vitijs eidem oppositis; nimirum præsumtione, ambitione, inani gloria, & pusillanimitate. V. De magnificentia, secunda virtute fortitudini annexa, ac vitijs eidem oppositis. VI. De tertia & quarta virtute fortitudini adiuncta, scilicet patientia, & perseuerantia, ac vitijs oppositis.

DVBIVM

DVBIVM I.

De fortitudine secundum se, ac dono fortitudinis adiuncto.

S. Thomas 2. 2. q. 123. & 139.

1 DIstribuemus doctrinam S. Thomæ hac de re in certa quæsita; ac sicubi opus erit notationes breues, vt in re facili, nec multum controuersa, addemus. Primo igitur quæritur an, & qualis virtus in genere sit fortitudo. Respondetur sequentibus assertionibus.

ASSERTIO I. Fortitudo est virtus. Ita cum Aristotele 3. Ethic. & Augustino lib. de moribus Ecclesiæ c. 15. & 22. S. Thomas cit. q. 123. a. 1. ex communi. Patet Sapientiæ 8. v. 7. vbi sub nomine *virtutis* cæteris virtutibus moralibus annumeratur. Ratio est, quia iuxta Aristotelem 2. Ethic. c. 6. virtus est; quæ bonum facit habentē, & opus eius bonum reddit: quod etiā præstat fortitudo.

2 Minor declaratur. Nam tripliciter bonū reddi potest opus hominis, ita vt rationi congruat. 1. dum ipsa per se ratio rectificatur; quod fit per prudentiam ac virtutes intellectuales. 2. Dum rectitudo rationis in rebus externis constituitur ac seruatur; quod pertinet ad iustitiam. 3. Dum tolluntur impedimenta eiusdem rectitudinis, in rebus humanis seruandæ. *Dupliciter autem*, inquit S. Thomas loc. cit. *impeditur voluntas humana ne rectitudinem rationis sequatur. Vno modo per hoc, quod attrahitur ab aliquo delectabili ad aliquid aliud, quam rectitudo rationis requirat; & hoc impedimentum tollit virtus temperantiæ. Alio modo quod voluntas repellitur ab eo, quod est secundum rationem, propter aliquod difficile, quod incumbit; & ad hoc impedimentum tollendum requiritur fortitudo mentis, qua scilicet huiusmodi difficultatibus resistat: sicut & homo per fortitudinem corporalem impedimenta corporalia superat & repellit.* Ita S. Thomas.

Breuius dici potest, fortitudine opus hominis bonum reddi; quia moderatur & ad honestatis normā reducit passiones humanas, nempe timores & audacias, idq; circa obiecta omniū difficillima, nimirū pericula mortis, vt inferius dicetur.

3 ASSERTIO II. Neque tamen omnes, qui fortia agunt, etiam fortiter, & ex virtute agunt. Ita S. Thomas cit. a. 1. ad 2. ex Aristotele 3. Ethic. c. 8. vbi ponit *quinque modos eorum, qui similitudinarie dicuntur fortes, quasi exercentes actū fortitudinis, præter virtutem.* Hoc enim generatim loquendo, *contingit tripliciter.* Primo quidem, *quia feruntur in id, quod est difficile, ac si non esset difficile*; quod rursum tribus modis accidit. 1. *Quia homo non percipit magnitudinē periculi.* 2. *quia est bonæ spei ad pericula* (quasi fortuito) *vincenda*; puta cum *expertus est, se sæpe pericula euasisse.* 3. *Propter scientiam & peritiam artis, sicut contingit in militibus, qui propter peritiā armorū & exercitium, non reputant grauia pericula belli, existimantes se per suā artem* (non animi virtute) *posse contra ea defendi*, iuxta notum illud Vegetij l. 1. de re militari c. 1. *Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit.*

4 Secundo peragi solet opus fortitudinis sine virtute, *propter impulsum passionis, siue tristitiæ, quā vult repellere, vel etiam iræ.* Tertio *propter electionem*, seu potius intentionem *non debiti finis, sed alicuius temporalis commodi acquirendi, puta honoris, voluptatis, vel lucri; vel alicuius incommodi vitandi, puta vituperij, afflictionis, vel damni.*

Idem patet tum ex generali doctrina de virtutibus tradita tom. 2. disp. 3. q. 2. dub. 3. vbi docuimus, ad verum actum virtutis requiri expressam, & formalem intentionem honestatis eiusdem virtutis; tum ex simili de iustitia; non enim omnis qui iusta agit, etiam iustus est, aut iuste agit, vt inferius suo loco dicetur.

5 ASSERTIO III. Fortitudo est virtus specialis. Ita cum S. Gregorio lib. 22. Moral. c. 1. docet S. Thomas q. 123. a. 2. ex cōmuni. Probatur; quia fortitudo habet honestatem propriam, ac materiam determinatam, vt patet tum ex dictis, tum ex Cicerone l. 2. de inuentione vbi ait: *Fortitudo est considerata periculorū susceptio, & laborū perpessio.*

Nihilominus tamen fortitudo, quatenus generatim significat quandā animi firmitatē, nonnunquam accipitur *pro generali virtute*, vel potius conditione cuiuslibet virtutis; quia iuxta Aristotelem 2. Eth. c. 4. ad virtutem (in statu perfecto) requiritur firmiter & immobiliter operari. Quo sensu Ambrosius l. 1. de officijs c. 39. ait: *Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutū omniū, & iudicia custodit, & quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat; inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, & illecebras: auaritiam fugat, tanquam labem quandam, quæ virtutem effeminet &c.*

6 Sed in præsenti significat *firmitatē tantum in sustinendis & repellēdis his, in quibus maxime difficile est firmitatē habere, scilicet in aliquibus periculis grauibus*, vt magis inferius patebit: quamquam hoc ipso etiā sensu *coadiuuat ad resistendū impugnationibus omnium vitiorum. Qui enim potest firmiter stare in his, quæ sunt difficillima ad sustinendum, consequens est, quōd sit idoneus ad resistendū alijs, quæ sunt minus difficilia*, vt ait S. Thomas cit. q. 123. a. 2. ad 2.

7 ASSERTIO IV. Fortitudo est virtus cardinalis. Ita S. Thomas q. 127. a. 11. ex cōmuni. Probatur, tum ex scriptura, annumerante Fortitudinē cæteris virtutibus cardinalibus, Sapientiæ 8. v. 7. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem* (seu fortitudinem) *quibus, vtilius nihil est in vita hominibus:* tum auctoritate Patrum idē docentium, speciatim Ambrosij l. 5. in Lucam super illud *Beati pauperes*, Augustini l. de moribus Ecclesiæ c. 15. & 22. & Gregorij l. 22. Moral. cap. 1.

Ratio est. Quia virtutes cardinales siue principales dicuntur, quę præcipue sibi vindicant id, quod pertinet cōmuniter ad virtutes. Inter alias autem cōmunes virtutis conditiones vna ponitur *firmiter operari*, vt patet ex Aristotele 2. Ethic. c. 4. Laudem autem firmitatis potissime sibi vendicat fortitudo. *Tanto enim magis laudatur qui firmiter stat, quanto habet grauius impellens ad cadendum, vel ad retrocedendum. Impellit autē hominem ad discedendum ab eo, quod est secundū rationem, & bonum delectans, & malum affligens: sed grauius impellit dolor*

8

corporis, quam voluptas. Nemo enim est, inquit Augustinus l. 83. q. 36. *qui non magis fugiat dolorẽ, quã appetat voluptatem; quandoquidẽ videmus, etiam immanissimas bestias à maximis voluptatibus absterreri dolorum metu. Et inter dolores animi, & pericula, maxime timẽtur ea, quæ ducunt ad mortẽ, contra quæ firmiter stat fortis.* Ita S. Thomas cit. a. 11.

9 Quæritur secundo, quod sit obiectũ, seu materia, quisue vsus & officium fortitudinis. Assertio I. Fortitudo est circa timorem, & audaciam, velut circa propriam materiam, in qua moderanda versatur. Ita S. Thomas q. 123. a. 3. ex Aristotele l. 2. Eth. c. 7. & l. 3. c. 6. & 9. & communi: Ratio est; quia cum ad fortitudinẽ spectet, *remouere impedimentum, quo retrahitur voluntas à sequenda ratione, propter aliquod difficile, quod incumbit*, vt dictum, necesse est, fortitudinem *principaliter versari circa timores difficiliũ rerũ, quæ retrahere solent voluntatem* à sequenda ratione. Et quia necesse est, *rerum difficilium impulsum*, non solum *firmiter tolerare*, cohibendo timorem, sed etiam *moderate aggredi*, eumque exterminare *ad securitatem imposterum consequendam; quod spectat ad rationẽ audaciæ*, ideo fortitudo est circa timores & audacias, *quasi cohibitiua timorum, & audaciarum moderatiua.*

10 Assertio II. Fortitudo mediate etiam versatur circa pericula & labores, velut circa obiecta prædictarum passionum; maxime vero circa pericula mortis, quæ ab honẽsto auocent. Ita S. Thomas q. 123. a. 3. ad 2. & a. 4 & 5. in corpore. Ratio est; quia ipsimet timores & audaciæ, quas fortitudo moderatur, cum sint quædam animi passiones, habent sua quædam obiecta, nec alia, quam mala futura ardua, nimirum pericula & labores, seu difficultates imminentes; quibus animus maxime consternari solet, vt sunt pericula mortis; quæ quia in bello potissimũ reperiuntur, ideo Aristoteles 3. Eth. c. 3. & 9. asseruit, fortitudinẽ *maxime esse circa mortẽ, quæ est in bello.*

11 Assertio III. Fortitudo magis occupatur circa timores reprimendos, quam circa audacias moderãdas; & ideo principalior actus fortitudinis est *sustinere*, hoc est, imobiliter sistere in periculis quam aggredi. Ita cum Aristotele 3. Eth. c. 9. docet S. Thomas q. 123. a. 6 ex cõmuni. Ratio est; quia timorẽ reprimere, adeoq; pericula sustinere, difficilius est, quã audaciã moderari, seu pericula aggredi, triplici ratione 1. Quia sustinere *vnusquisq; videtur ab aliquo fortiori inuadente; qui autem aggreditur inuadit per modum fortioris: difficilius autem est pugnare cum fortiori, quam cum debiliori.* 2. Qui sustinet, *iam sentit pericula imminentia; qui autem aggreditur, habet ea vt futura*: difficilius autem est, *no moueri à præsentibus, quã à futuris.* 3. Sustinere *importat diuturnitatẽ temporis* (si enim cito cedat, sustinere non dicitur;) *sed aggredi potest aliquis ex subito motu*: difficilius est autẽ, *diu manere immobilẽ, quã subito motu moueri ad suscipiendũ aliquod arduũ.*

Vnde Aristoteles l. 4. Eth. c. 8. ait; *quosdam esse præuolantes ante pericula; in ipsis autem discedere: fortes autem è contrario se habere.* Et quamuis sustinere significet quidem *passionem corporis*, simul tamẽ etiã significat *actũ animæ, fortissime inhærentis bono, nec cedentis passioni corporali iam imminenti.*

Assertio IV. Fortis quidem velut proximũ finem intendit, vt similitudinẽ sui habitus exprimat in actu: finis autem eius remotus & vltimus est beatitudo, siue Deus. Ita S. Thomas q. 123. a. 7. & posterior pars constat ex dictis suo loco de beatitudine tom. 2. disp. 1. q. 1. dub. 4. & 5. & Augustino lib. de moribus Ecclesiæ c. 15. vbi ait: *Fortitudo est amor* (scilicet causaliter) *omnia propter Deum facile perferens.* Ratio prioris partis est; quia finis cuiusq; agentis est, *vt similitudinem suæ formæ in subiectum inducat*: sicut finis ignis calefacientis, *vt inducat similitudinem sui caloris in patiente*; & finis ædificatoris est, *vt inducat similitudinem suæ artis in materiam.* 12

Huc refert S. Thomas verba Aristotelis 3. Eth. c. 7. cum ait: *Forti fortitudo est bonum.* Vbi tamen proprie significat, à fortiter agente intendi ipsam honestatem fortitudinis, iuxta dicta quæs. 1. assert. 2.

Assertio V. Etsi quidem fortis ex consideratione sui actus, honestatisque eiusdem, secundum animam delectetur, tamen ex perpessione tristium & molestorum, in quibus versatur, dolorem sentit, atque tristatur. Ita S. Thomas q. 123. a. 8. ex Aristotele 3. Eth. c. 9. asserente, quod *fortis in suo actu nihil delectabile videtur habere*, nõ quod tristitiã animali vincatur delectatio virtutis; sed quod *dolor corporalis, est sensibilior, & apprehensio sensitiua magis est homini in manifesto*: quo fit, vt *à magnitudine corporalis doloris, quasi euanescat delectatio spiritualis, quæ est de honestate virtutis*; ita vt per dolorem sensus *impediatur mens fortis*, ne in propria operatione delectationem sentiat. 13

Qua de causa idem Aristoteles 3. Ethic. cap. 9. docet, à forti non requiri, *vt delectetur, quasi delectationem sentiens*; sed sufficere, *quod non tristetur.* Et rursum ibidem ait; non omnibus virtutibus conuenire *operari delectabiliter, præterquam inquantum finem attingimus.* Vnde 2. Machabæorum cap. 6. v. 30. ait Eleazarus: *Duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero, propter timorem tuum, libenter hæc patior.* 14

Aliquando tamen ob *superabundantem Dei gratiam, quæ fortius eleuat animam ad diuina, in quibus delectatur, quam à corporalibus pœnis afficiatur, delectatio animæ non solum superat dolorem, vt ratio non absorbeatur à corporalibus doloribus, & præferat bonum virtutis corporali vitæ ac incolumitati*, quod ad virtutem fortitudinis spectat; *sed etiam vt corporis dolores ob mentis delectationem non sentiantur; sicut S. Tiburtio accidit*, cui carbones ardentes, quos nudis pedibus calcabat *rosæ* videbantur.

Assertio VI. Fortitudo maxime cernitur & eluescit in periculis & euentibus repentinis. Ita Sanctus Thomas quæstione 123. artic. 9. ex Aristotele 3. Ethic. cap. 8. vbi ait; fortitudinem *maxime esse circa quæcunque, quæ mortem inferunt repentina existentia.* Ratio est; quia tametsi fortitudo ex parte operantis supponat deliberationem, ita quidẽ vt viri fortis sit, *pericula imminentia præmeditari*, siue vt eis resistere, siue vt ea facilius ferre possit; qa iuxta Gregoriũ hom. 35. in Euãgelia: *Iacula quæ præuidentur, minus feriunt: & nos mala* 15

mundi

mundi facilius ferimus, si contra ea clypeo præscientiæ præmunimur: tamen in repentinis periculis, vbi sine præmeditatione agitur, maxime *manifestatur* fortitudinis habitus, siquidem hoc ipsum signum est, habitum fortitudinis esse *maxime roboratum;* ita vt habitus agat *quasi per modum naturæ.*

ASSERTIO VII. Fortis ad fortitudinis actum etiam iram adhibet; sed ratione moderatam. Ita 16
S. Thomas q. 127. art. 10. ex Aristotele 3. Ethic. c. 8. dicente, quod *furor cooperatur fortibus.* Ratio est; quia appetitus sensitiui est, mediante impetio rationis, cooperari ad promptius agenda ea, quę decent; nemo autem nescit, iram actionibus fortis maxime adminiculari; cum ira in aggrediendis, pellendisque periculis inprimis versetur.

Qua de causa vniuersim Peripatetici, quorum princeps fuit Aristoteles, *& iram, & alias animæ passiones attribuebant virtuosis*, sed moderatas ratione. Neq; reipsa dissensisse videntur Stoici, dum iram & cæteras animæ passiones ab animo Sapientis excludebant: hi enim vocabant animæ passiones, immoderatos quosdam affectus appetitus sensitiui; quos idcirco etiam *ægritudines*, vel *morbos* appellabant: licet reuera Seneca Stoicorum sectator lib. de ira c. 16. à rebus agendis *iracundiam* penitus excludat.

Quæritur tertio, quomodo se habeat fortitudo, tum ad cæteras virtutes, tum ad donum Spi- 17
ritus Sancti, quod Fortitudinis dicitur. Assertio I. Inter virtutes cardinales, potior ac nobilior est prudentia; secunda iustitia, tertia fortitudo; quarta temperantia; & post has cæteræ virtutes. Ita S. Thomas q. 123. a. 12. Probatur. Quia tanto aliqua virtus maior est, quanto melior est, iuxta Augustinum de Trinit. c. 6. vbi ait: *In his, quæ non mole magna sunt, idem est esse maius, quod melius.* Bonum autem proprium ac præcipuum hominis, est bonum rationis, secundum Dionysium de diuinis nominib⁹ c. 4. quod *essentialiter continet prudentia*, quæ est perfectio rationis, ac cæterarũ virtutum moraliũ moderatrix: Iustitia autem est *huius boni factiua*, seu principaliter operatiua, quatenus ad eam pertinet, *ordinem rationis ponere in omnibus rebus humanis*: aliæ autem virtutes sunt *conseruatiuæ huius boni*, inquantũ scilicet moderantur passiones, ne abducant hominem à bono ratiõis: & in ordine harũ fortitudo tenet locum præcipuũ; quia timor periculorũ mortis *maxime est efficax ad hoc, vt hominẽ faciat recedere à bono rationis: post quam ordinatur temperantia:* quia etiam delectationes tactus maxime, inter cætera, impediunt bonum rationis. Id autem quod *essentialiter tale est, potius est eo,* 18
quod solum effectiue tale dicitur: & hoc etiam potius est eo, *quod dicitur tale* (conseruatiue) *secundum remotionem impedimenti.*

Idem cõfirmatur ex ratione subiecti vniuscuiusque virtutis cardinalis. Intellectus enim, cui inest prudentia, nobilior est voluntate, cui inest iustitia; & voluntas nobilior appetitu sensitiuo; & in hoc ipso appetitus irascibilis, cui inest fortitudo, nobilior est appetitu concupiscibili, in quo est temperantia. Idẽ cõfirmatur ex Aristotele l. 1. Rhethor. c. 1. vbi ait, *iustos & fortes maxime amari, quia sunt maxime vtiles in bello, & in pace.*

Nec obstat quod Ambrosius l. 1. de officijs c. 35. 19
ait, *Fortitudinem velut cæteris excelsiorem esse.* Hoc enim intelligendum est, secundum quid, nempe vel secundum quandam generalem vtilitatem; prout & in rebus bellicis, & in rebus ciuilibus siue domesticis vtilis est, vt respondet S. Thomas eodem a. 12. ad 1. vel quia fortitudo maxime circa difficilia versatur; cum tamen interim *ratio virtutis magis consistat in bono, quã in difficili*, ideoq; magnitudo virtutis simpliciter loquendo metienda sit potius ex bonitate, quam difficultate, iuxta S. Thomam ibidem ad 2.

ASSERTIO II. Fortitudo est etiam donum Spi- 20
ritus Sancti, quatenus eodem homo facile mobilis redditur & idoneus ad sequendũ ductũ Spiritus Sancti, ad fortiter operandũ, adeoq; ad constantiã tã in bonis arduis pagendis, quã in malis pferendis retinendã Patet ex Isai. 11. v. 2. Ratio est. Nam præter cõmunem ductũ rationis animus hominis *vlterius nonnunquã mouetur à Spiritu Sancto ad hoc, vt feliciter ad finẽ perducat quodlibet opus bonum inchoatũ, ac simul euadat ac superet quæcunq; pericula imminentia*: quod quidẽ *excedit naturã humanã*; cum non sit in potestate hominis, vt semper *consequatur finẽ sui operis, vel euadat mala seu pericula*, quibus vel in ipsa morte homo nõnunquam opprimitur. Et quamuis fortitudinis virtus perficiat animum ad sustinenda quæcunq; pericula, secundũ cõmunẽ ductũ rationis; *non tamen sufficit ad præstandã fiduciã euadendi quæcunq; pericula; sed hoc pertinet ad fortitudinẽ, quæ est donũ Spiritus Sancti*, vt docet S. Thomas ibidẽ, de qua re plura dixim⁹ tom. 2. d. 3. q. 6. du. 1.

DVBIVM II.

De actibus fortitudinis; speciatim de martyrio velut præcipuo actu fortitudinis.

S. Thomas 2. 2. q. 124. aa. 5.

CVm ex dictis dubio præcedenti constet, fortitudinem generatim versari, tum in aggrediendis & superandis periculis mortis tũ in sustinendis ac perferendis ijsdẽ; ac proinde vniuersim duos actus habere, *sustinere*, & *aggredi*, quorũ ille sit potior; S. Thomas tamẽ inter act⁹ fortitudinis solius martyrij particularẽ tractationem suscipit; nempe quia hic solus actus peculiari explicatione indiget; suppositisijs, quæ de officio militum, ac fortitudinis bellicæ debito & actibus diximus supra d. 2. de charitate Hic igitur solum quæritur, an, & cuiusnã virtutis; quamq; præstans sit actus martyrij; & in quo consistat, seu quid ad eum requiratur. 21

ASSERTIO I. Martyrium est actus virtutis. 22
Ita S. Thomas q. 124. a. 1. contra Basilidem hæreticum, asserentẽ, non licere subire martyrium, vt colligitur ex Tertulliano lib. de præscript. sub fin. Probatur & colligitur ex Matthæi 5. v. 10. *Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiã; quoniã ipsorũ est regnum cœlorum.* Et Matthæi 10. v. 8. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autẽ non possunt occidere.* Ratio est. Quia martyrij actus in hoc consistit;

vt aliquis firmiter stet in veritate & iustitia, contra persequentium impetus: quod est vtiq; virtutis.

Nec obstat primo, quod martyrium aliquando conueniat etiam ijs qui carent vsu rationis; nempe infantibus pro Christo occisis, iuxta Hilarium Canone 1. in Matthæum & comunem Ecclesiæ sensum; cum tamen omnis actus virtutis sit voluntarius.

Nam præterquam quod nonnulli absq; fundamento dixerunt, *in eiusmodi innocentib⁹ acceleratum fuisse miraculose liberi arbitrij vsũ*, Respõdetur, martyrij gloriam, quam in alijs *propria voluntas meretur, paruulos illos per Dei gratiam ac specialem fauorem fuisse assequutos*; ita vt in ijs *effusio sanguinis propter Christum, vicem gereret baptismatis*; atque ita *sicut in pueris baptizatis, per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita & in occisis propter Christum meritum Martyrij Christi operetur ad palmam martyrij consequendam*, iuxta Augustinum sermone 66. inter additos à Louanien sibus, vbi ait: *Ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo, qui etiam paruulis baptismum prodesse non existimat Christi. Non habebatis ætatem, qua in passurum Christum crederetis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.*

Quamuis ergo martyrium paruulis nõ profuerit per modũ actus virtutis, cuius quidẽ ipsi capaces non erant; nihil obstat tamen, quo minus tum ijsdem per modum actus priuilegiati, tũ adultis vtroq; modo salutaris esse possit.

23 Nec obstat secundo, quod martyrium etiam tribuatur nonnullis sanctis fœminis, quæ *tempore persecutionis, vt insectatores suæ pudicitiæ deuitarent se in fluuium dederunt, eoq; modo defunctæ sunt*; quarum etiam *martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur*, vt refert Augustinus lib. 1. de ciuit. cap. 26. cum tamen alioqui occidere seipsum, non sit actus virtutis, sed illicitum.

Ad hoc enim bene respondet S. Thomas q. 124. art. 1. ad 2. ex Augustino ibidem affirmante, esse *possibile, quod Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus diuina persuaserit auctoritas, vt istarum sanctarum memoriam sic honoraret*. Nimirum quia quod alioqui communi lege illicitum est, id eis peculiari instinctu diuino licitum & laudabile fuit iuxta ea quę suo loco vniuersim de lege naturali docuimus tom. 2. disp. 5. q. 2. dub. 4.

24 Assertio II. Martyrium est actus fortitudinis. Ita S. Thomas q. 124. a. 2. ex comuni, contra Martinum de Magistris apud Caietanum ibidem a. 2. Et colligitur ex illo Hebr. 11. v. 34. *Fortes facti sunt in bello*; quod *de martyribus legit Ecclesia*, vt ait S. Thomas ibidem. Ratio est. Quia fortitudinis est, *hominem confirmare in bono virtutis, & maxime contra pericula mortis*: hoc autem fit actu martyrij; *quo homo confirmatur in bono virtutis, cum fidem & iustitiam non deserit, propter imminentia pericula mortis.* De quare Cyprianus lib. 2. Epist. 6. *Vidit admirans præsentium multitudo cæleste certamen, & in prælio stetisse seruos Christi, voce libera, mente incorrupta, virtute diuina.*

25 Nec obstat, quod martyrio testimoniũ præbetur fidei Christi; quodq; ad actũ martyrij præcipue inclinat charitas; quæ etiam *per actum martyrij potissimum manifestatur*, vt inferius dicetur.

Nam vt bene respondet S. Thomas cit. a. 2. ad 1. & 2. circa actum fortitudinis tria possunt cõsiderari. 1. bonum illud in quo fortis firmatur, quod quidẽ se habet ad fortitudinẽ *tanquam finis*. 2. primum & principale motiuũ, ex parte virtutis imperantis. 3. ipsa firmitas animi, qua quis non cedit contrarijs à bono illo auertentibus: è quibus primũ pertinet ad fidẽ; sicut enim *fortitudo ciuilis firmat animũ hominis in iustitia humana, propter cuius conseruationem mortis pericula sustinet*; *ita etiam fortitudo gratuita firmat animũ hominis in bono iustitiæ Dei, quæ est per fidem Iesu Christi, vt dicitur ad Rom. 3.*

Secundũ pertinet ad charitatẽ; quæ vti cæteros virtutũ actus, ita etiã martyrij actũ imperat, & ad Deum vt finem vltimum refert: *vnde etiam martyrium, sicut & quilibet virtutis actus habet, vt sit meritorium*, seu ad vltimam salutem proficuum, iuxta illud 1. Corinth. 13. vers. 3. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Tertium quod in recto nomine martyrij significatur, spectat ad fortitudinẽ. Quo fit vt martyrium comparetur ad fidem, *tanquam ad finem, in quo quis confirmatur*, & pro quo tuẽdo fortiter certat; ad charitatem autem *velut actus imperatus* ad virtutem imperantem; ad fortitudinem autem, vt *actus elicitus* ad virtutem elicientem.

In quo etiam differt martyrium à simplici confessione fidei; hæc enim per se nullam aliam habet bonitatem, præterquam ipsius fidei, quam profitetur; cuius proinde etiam actus proprius & quasi elicitus dicitur, vt dictũ disp. 1. q. 7. dub. 1. & 5. at vero martyriũ & proprio & imediato obiecto spectatum, propriã honestatem habet, ad fortitudinem spectantem, vt dictum.

Nec obstat secundo, quod martyrij laus in sustinendo consistit: quod tamen præcipue ad patientiæ virtutem pertinet. Differt enim nihilominus fortitudo à patientia, vt dicetur du. 5. tum quod ad fortitudinẽ pertinet, non qualiacunque aduersa, sed illud quod est longe difficillimum, nempe ipsa pericula mortis sustinere; tum quod fortitudo est *principaliter circa timores* moderãdos; patientia vero *principaliter est circa tristitias*. Nam patiens dicitur aliquis, *non ex hoc, quod non fugit, sed ex hoc quod laudabiliter se habet in patiendo, quæ præsentialiter nocent, vt scilicet non inordinate ex eis tristetur.* Et ideo fortitudo est apprie in irascibili; patientia autẽ in cõcupiscibili. Ita S. Thomas q. 136. a. 4. ad 1. & 2. Quia tamen patientia deseruit fortitudini ex parte act⁹ principalis, qui est sustinere; inde est, *quod concomitanter in Martyribus patientia commendatur*, vt ait S. Thomas q. 124. a. 2. ad 3. 26

Dices; quidnî tamen Martyrium sit actus religionis; cum eo vel maxime DEO honor deferatur. Respondeo, posse quidem etiam imperatiue à religione imperari; & consecutiue ad honorem Dei cedere: sed intrinsece prout est honesta & volũtaria tolerantia & susceptio mortis, est actus fortitudinis, vt dictum.

Assertio III. Etsi martyrium, si præcise secundum se & ex parte intrinseci motiui, seu virtutis fortitudinis, à qua elicitur, spectetur, non 27

sit

sit actus maximæ perfectionis & excellentiæ; si tamen referatur ad charitatẽ, qua homines ad martyriũ impelli solent, tanquã actus eius imperatus, ita martyrium inter actus virtutum externos est maxime perfectus. Ita S. Thomas q. 124. a. 3. Probatur Tanto enim quilibet actus virtutis, præstãtior est, quanto tum habitus eiusdem, tũ obiectũ, circa quod versatur, præstantius est: sunt autem virtutes Theologicæ præstantiores moralibus, idque ob ipsam obiecti præstantiã, vt suo loco dictũ; & inter ipsas theologicas Virtutes, omnium præstantissima est charitas, iuxta illud Apostoli 1. Cor 13. v. 13. *Maior autem horum est charitas.* Et ad Colosſ. 3. v. 14. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

Martyrium autem inter omnes actus virtutum maxime demõstrat perfectionem charitatis: quia tanto magis quisque probatur rem aliquã amare, quanto propter eam tuendam aut gratiora contemnit, aut acerbiora sustinet: nihil autem inter omnia huius vitæ bona, vita amabilius, aut morte acerbi⁹, quãdo metu pœnarũ etiã bruta animalia à maximis voluptatibus abstrahuntur, vt docet
28 Augustinus lib. qq. 83. q. 36. Quamuis ergo martyriũ secundum se non sit actus præstantissimus virtutis, prout tamen à charitate imperatur, merito ex suo genere præstantissimus virtutis actus dicitur, vtpote maximę charitatis signum, secundum illud Ioañis 15. v. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Et quamuis à Gregorio vlt. moral. ca. 2. *obedientia cunctis victimis præfertur*, ipsum tamen martyrium *complectitur id, quod summum in obedientia esse potest, vt scilicet aliquis sit obediens vsq; ad mortem*, vt de Christo dicitur Philipp. 2. v. 8. *Vnde patet*, inquit S. Thomas q. 124. a. 3. ad 2. *quod martyrium secundum se est perfectius, quam obedientia absolute dicta.* Sicut etiam Augustinus lib. de sancta virginitate c. 46. præfert martyrium virginitati, quia nimirum hac castitas, illa fides & charitas defenditur; hac spernuntur voluptates, per illam ipsa vita contemnitur.

29 Assertio IV. Non tamen idcirco quisque seipsum sponte absque causa ad martyrium consequendum ingerere debet; sed sustinere illatum. Ita S. Thomas q. 124. a. 1. ad 3. Patet ex illo Christi Matthæi 10. v. 23. *Cum autem persequẽtur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Ratio est; quia præcepta affirmatiua non obligant pro omni tempore, sed certis quibusdam tantum circumstantijs cõcurrentibus, adeoque loco, tempore, modo conuenienti, &c. *Et hoc præcipue*, inquit S. Thomas, *videtur obseruandũ in martyrio, quod consistit in debita sustinentia passionũ iniuste inflictarum. Non enim debet homo occasionem dare alteri iniuste agendi: sed si alius iniuste egerit, ipse moderate tolerare debet.* Ex causa tamen fieri potest, vt aliquis non solum non teneatur fugere pericula mortis, sed etiam teneatur in eadem pericula sese ingerere, iuxta dicta disp. præced. de ordine charitatis.

30 Assertio V. Ad martyrij perfectam rationem requiritur, vt aliquis mortem sustineat propter Christum, siue Deum. Ita S. Thomas q. 124. a. 4. Probatur & declaratur; quia Martyr dicitur, quasi *testis fidei Christianæ, per quam nobis visibilia pro inuisibilibus contemnenda proponuntur*, iuxta Apostolum Heb. 11. v. 1. & 22. Ad martyrium ergo pertinet, vt homo testificetur fidem, *ipso opere ostendens, se omnia præsentia contemnere, vt ad futura & inuisibilia bona perueniat. Quod non fit, nisi profusione ipsius vitæ propter DEVM: siquidem homines consueuerunt, & consanguineos, & omnia bona possessa contemnere, atque etiam dolores corporis pati, vt vitam conseruent.* Vnde & Satan *contra Iob induxit* cap. 2. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ homo habet, dabit pro anima sua*, id est, pro vita sua corporali. Quare martyrium proprie non dicitur, *ex sola tolerantia carceris, vel exilij, vel rapinæ diuitiarum, nisi forte secundum quod ex his sequitur mors.*

Si quis tamen *post mortalia vulnera pro Christo suscepta, vel quascunq; alias tribulationes continuatas vsq; ad mortem, quas à persecutoribus patitur, pro fide Christi, diu viuat, actus martyrij meritorius est etiam illo eodem tempore, quo huiusmodi afflictiones patitur; quia meritum martyrij non est post mortem, sed in ipsa voluntaria sustinentia mortis, prout aliquis scilicet voluntariè patitur inflictionem mortis*, vt ait S. Thomas q. 124. a. 4. ad 3. & 4. Vbi etiam ex eodem respons. ad 1. notandum, B. Virginem proprie non fuisse martyrem, *sed solum per quandam similitudinem*, de qua re suo loco.

Assertio VI. Neque tamen ideo ad causam 31
martyrij præcise requiritur, vt quis morte afficiatur propter fidem, seu in odium fidei; sed satis est, si quis propter quodcunque aliud virtutis opus, ad Deum aliquo modo relatum, mortem patiatur: ac proinde non tantum fides, sed omnium virtutum opera, vt in Deum referuntur, martyrij causæ esse possunt. Ita S. Thomas a. 5. ex cõmuni. Probatur ex scriptura Matthæi 5. v. 10. *Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam*, quod ad martyrium spectare notauit Glossa ex Hieronymo ibidem. *Ad iustitiam autem pertinent non solum fides, sed etiam aliæ virtutes.*

Accedit illud 1. Petri 4. v. 15. *Nemo vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.* Dicitur autem Christianus *non solum à fide Christi, sed etiam quod Spiritu Christi virtutum opera* peragit, secundum illud Rom. 8. vers. 9. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius*; quodque *ad imitationẽm Christi peccatis moritur*, secundum illud ad Galat. 5 v. 24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Et ideo *vt Christianus patitur*, inquit S. Thomas cit. a. 5. ad 1. *non solum qui patitur pro fidei confessione, quæ fit per verba; sed etiam quicunq; patitur, pro quocunq; bono opere faciendo, vel pro quocunq; peccato vitando, propter Christum, quia hoc totum pertinet ad fidei protestationem.*

Exemplum habemus tum in alijs quibusdam Martyribus, tum in S. Ioanne Baptista, cuius martyriũ in Ecclesia celebratur, etsi *non pro negandæ fidei, sed pro reprehensione adulterij mortem sustinuerit*, inquit S. Thomas ibidem in corpore.

Ratio est; quia Martyres generatim dicuntur, qui mortis perpessione testimonium perhibent 32
veritati, *non cuicunq;, sed veritati, quæ secundũ pietatẽ*

est; quæ per Christum nobis innotuit: Vnde & Martyres Christi dicuntur, quasi testes ipsius; cuiusmodi est veritas fidei, quæ proinde omnis Martyrij causa est. Sed ad fidei veritatem *non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio*; siue per verba, siue per facta, quibus aliquis fidem se habere ostendit, secundum illud Iacobi 2. v. 18. *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Vnde etiam de quibusdam dicitur ad Titum 1. v. 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et ideo *omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus huiusmodi opera à nobis requirit, & nos remunerat; & secundum hoc possunt esse Martyrij causa.* Ita S. Thomas ibidem.

33 Summa est: Omnis protestatio fidei potest esse causa martyrij: Omnium virtutum opera ad Deum seu ad finem ac beatitudinem supernaturalem aliquo modo relata, sunt protestationes fidei. Ergo. &c.

Ex quo sequitur, etsi veritas aliarum scientiarum per se non pertineat ad cultum diuinitatis, nec sit veritas secundum pietatem; nec adeo eiusdem confessio per se & directe possit esse causa martyrij; quia tamen omne mendacium peccatum est, *idcirco vitatio mendacij contra quamcunque veritatem sit, inquantum est peccatum diuinæ legi contrarium, potest esse Martyrij causa*, vt docet ibidem S. Thomas ad 2.

Similiter etsi defensio Reipublicæ per se nude spectata non sit causa martyrij, vti cernitur in militibus, qui in bello iusto moriuntur; si tamen eiusmodi actus, seu bonum humanum, relatione in Deum, diuinum quodammodo efficiatur, nihil obstat, quo minus sit marytrij causa: potest enim quodcunque bonum humanum esse martyrij causa, secundum quod in Deum refertur.

Cæterum quænam conditiones ad martyriũ requirantur, quaq; ratione martyrio peculiaris in cœlo laurea respondeat, diximus tom. 2. disp. 1. q. 4. dub. 3. Quam vim etiam habeat martyrium ad peccata delenda, etiam ex opere operato, ac per modũ singularis cuiusdam operis quasi à Deo priuilegiati, suo loco de baptismo explicandum est, vbi agitur de baptismo sanguinis.

34 Illud solum hoc loco notandum, martyrij vocabulo & mortem ipsam pro Christo exantlatã, & actum, quo mors seu perpessio mortis acceptatur, significari; quandoquidem vtroq; fidei veritati testimonium perhibetur, & vtriq; conuenit communis martyrij definitio, nempe testimonium, quo quis morte ipsa pro Deo obita testificetur aliquã fidei veritatem, vel in se ipsa, vel in aliquo pio virtutis opere relucentẽ, vt notauit Gregorius de Valentia hic q. 2. de fortitudine pu. 1. Et frequens est, vt ipsum etiam obiectum virtutis alicuius ipso virtutis nomine appelletur, vt de fide ac spe suo loco dictum; tametsi S. Thomas hic proprie agat solum de martyrio, prout virtutis actus est, vt ex dictis colligitur. Plura loco citato.

DVBIVM III.

De præceptis fortitudinis; ac vitys fortitudini oppositis; nimirũ timore, intimiditate, audacia.

S. Thomas 2. 2. q. 125. 126. 127. & 140.

Sicut aliarum virtutum, ita etiam fortitudinis præcepta duorum sunt generum; quædam, 35
scilicet affirmatiua, de opere seu actu fortitudinis exequendo; alia negatiua, de vitijs eidem oppositis vitandis. Quod ad præcepta prioris generis attinet, asserit S. Thomas q. 140. a. affirmatiua præcepta fortitudinis (saltem perpetua ac in particulari) neq; in veteri, neq; in noua lege fuisse tradita; nec vero etiam in præceptis decalogi expressa. Rationẽ prioris partis assignat; quia cũ lex cõmunem institutionẽ cõtineat; ea vero *quæ sunt agenda in periculis*, non possint facile *ad aliquã communem regulam reduci*, ideo præcepta fortitudinis in vtraque lege *negatiue magis, quam affirmatiue proposita fuerunt.*

Ratio posterioris partis est, quia præcepta decalogi proponuntur velut *prima principia, quæ statim omnibus innotescunt*: talia vero quidem sunt circa actũ iustitiæ *in quibus manifesta est ratio debiti*; nõ autem de actibus fortitudinis; *quia nõ ita manifeste apparet esse debitum, vt aliquis pericula mortis sustineat.*

Paulo est diuersa ratio virtutũ añexarum fortitudini, præsertim patientiæ, & perseuerantiæ; 36
de quibus vti cõmuniter magis notis ac necessarijs, tam in veteri, quam in nouo testamento expressa præcepta & testimonia extant. Nam fortitudo, inquit S. Thomas, quatenus distinguitur à patiẽtia, & perseuerãtia, *est circa maxima pericula, in quibus est cautius agendũ; nec oportet aliquid determinari in particulari, quid sit faciendũ*: sed patientia & perseuerantia sunt circa minores labores & afflictiones: *& ideo magis sine periculo potest in eis determinari, quid sit agendum, maxime in vniuersali.* Ita S. Thomas eadem q. 140. a. 2. ad 3.

Verum etsi quidem in ipso decalogo nulla præ- 37
cepta fortitudinis data sint, negari tamẽ nõ potest, extra decalogum tam in veteri, quam nouo testamento, aliqua præcepta fortitudinis etiam affirmatiua fuisse data. Et patet Deuter. 20. v. 3. vbi cum prohibetur, *ne cedant*, simul etiam præcipitur, vt constanter in prælio persistant & dimicent. Pluraque præcepta de modo belli gerendi præscribuntur. Quod particulatim etiam videre est Iosue cap. 1. vers. 14. In nouo quoque testamento iubemur, animam (seu vitam temporalem) odisse. Et 1. Ioann. 3. v. 16. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. &c.*

Nec vllum est dubium, quin ipsa lege naturali actus fortitudinis quandoque sub præceptum cadant, vt constat ex dictis de ordine charitatis, & de bello.

Quod

38 Quod vero ad præcepta negatiua attinet, reperiuntur quidem in vtroque, tam nouo, quam veteri testamento, expressa præcepta, quibus inordinatus timor fortitudini oppositꝰ, prohibetur, nimirum Deuteron. 20. v. 3. *Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, nõ pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo.* Et ibidem v. 8. *Quis est homo formidolosus, & corde pauido? redeat & reuertatur in domum suã, ne pauere faciat corda fratrum suorũ, sicut ipse timore perterritꝰ est.* Et Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animã autẽ nõ possunt occidere.*

Sed est tamen inter hæc præcepta non parua differentia. Nam in veteri testamento, præceptũ illud fortitudinis ordinabatur etiam ad aggrediendos fortiter hostes, belloq; & armis corporalibus deuincendos. Sed in nouo testamento præceptum illud solum ordinatur ad sustinenda fortiter temporalia mala pro Christo. Ratio diuersitatis est; quia vt recte notauit S. Thomas q. 140. a. 1. ad 1. vetus testamentum habebat temporalia promissa; nouum autem spiritualia & æterna, vt
39 docet Augustinus l. 4. contra Faustũ c. 2. Quare necessarium fuit, *vt in veteri lege populus instrueretur, qualiter pugnare deberet etiam corporaliter pro terrena possessione acquirenda.*

In nouo autẽ testamento *instruendi fuerunt homines, qualiter spiritualiter certando ad possessionẽ vitæ æternæ peruenirent*, secundũ illud Matth. 11. v. 12. *Regnum cælorũ vim patitur; & violenti rapiunt illud.* Et 1. Petri 5. v. 8. *Sobrij estote, & vigilate; quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quẽ deuoret: cui resistite fortes in fide.* Et Iacobi 4. v. 7. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Aduersus corporalia vero pericula, sufficiebat homines armari patientia & tolerantia, vt dictum.

40 Quod vero in specie ad vitia fortitudini opposita attinet, S. Thomas à quæst. 125. tria recenset, & ordine explicat, nempe timiditatem, intimiditatem, & audaciam seu temeritatem; de quibus breuiter & sigillatim agendum. Primo igitur quæritur, quale vitium sit *timiditas*. Respondetur breuiter sequentibus pronuntiatis.

I. Timor generatim loquẽdo, est inordinatus, adeoq; peccatum, *quando appetitus* (efficaciter & absolute ac simpliciter) *fugit ea, quæ ratio dictat esse sustinenda, ne desistat ab ijs, quæ magis prosequi debet*; quando autẽ appetitus timẽdo refugit id, *quod est secundũ rationẽ fugiendũ, tunc appetitus non est inordinatus*, nec peccatum. Ita S. Thomas q. 125. a. 1. Probatur: quia timor vniuersim acceptus, inquãtum præcise significat fugã impendentis mali per se nec est bonus, nec malus; sed bonus est, cũ rationis dictamen sequitur; malus vero, si ab eo desciscat. At vero recta ratio dictat, quædam bona magis esse prosequenda, quã mala quædã esse fugiẽda: ergo timor ab hoc dictamine dissentiens est malus; consentiens autẽ eidem est bonus.

Vnde etiam Aristoteles 2. Ethic. cap. 5. ait, *passiones non esse laudabiles, neque vituperabiles*, scilicet per se & abstracte spectatas; qa nõ laudantur neque vituperantur qui irascuntur, vel timent; sed qui circa hæc, aut ordinate aut inordinate se habent.

Nec est peccatum, *fugere & timere mala, quibus homo resistere non potest, & ex quorum sustinentia nihil boni prouenit*, vt inquit S. Thomas ibidem ad 3. iuxta Aristotelem 3. Ethic. c. 7. vbi pronuntiat, eum *insanum esse, vel sine sensu doloris, qui nihil timeat, neque terræ motum, neque inundationes*: intellige, nisi altior quædam ratio timoris sensum auferat, vt in viris perfectis accidit. Sed neque simplici motu timere mortem, etiam quando ex præcepto subeunda est, peccatum est, vt patet exemplo Christi, de quo suo loco.

II. Cum autem timor inordinatus in qualibet 41
peccati materia accidat; *sicut auarus timet amissionem pecuniæ, intemperans amissionem voluptatis*: timiditas tamen in præsenti, & absolute loquendo, est vitium fortitudini oppositum, per defectum, quo quis inordinate timet & refugit pericula mortis. Ita S. Thomas q. 125. a. 2. ex Aristotele 3. Eth. c. 7. vbi ait, *fugere mortem, inopiã, vel captiuitatem, vel aliquid triste, non esse fortis, sed magis timidi; mollicies est enim fugere laboriosa.* Ratio est; quia ad fortẽ pertinet, vt cum opus est, exponat se periculis mortis, propter bonum aliquod consequendum, seu malum maius fugiendum; ergo fortitudini repugnat, eo casu pericula mortis ex timore refugere. Et quia timor præcipuus est periculorum mortis, iuxta Aristotelem 3. Ethic. 6. ideo timiditas fortitudini opposita, absolute & per antonomasiam talis dicitur.

III. Timor est peccatum mortale, si quis pro- 42
pter timorem, quo periculum mortis, vel aliud malum temporale refugit, aut faciat aliquid prohibitũ sub peccato mortali, aut prætermittat aliquid sub peccato mortali præceptum, vel certe ad vtrumuis faciendum paratus sit; nisi forsan imperfecta deliberatio excuset: alioquin timor inordinatus est peccatum solum veniale. Ita S. Thomas q. 125. a. 3. vbi etiam ita explicat illud Apocalypsis 21. v. 8. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis &c. pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure; quod est mors secunda.* Ratio colligitur ex dictis; quia timor per se non est malus, sed solum ratione obiecti, magis vel minus necessarij ad salutem, quod refugit; habita tamen simul ratione deliberationis; cuius in omni peccati materia ratio habenda est, vt dictum tom. 2. disp. 4. q. 5. dub. 5.

IV. Timor tamen, quatenus voluntarium mi- 43
nuit, etiam peccatum minuit; nonnunquam penitus excusat à peccato, si quis minus malum eligat ex timore ad fugiendum malum maius. Ita S. Thomas q. 125. a. 4. Et prima pars probatur ex capit. *Constat* 1. q. 1. vbi dicitur: *Vim passus, & inuitus ab hæreticis ordinatus, colorem habet excusationis.* Idem generatim patet ex dictis tom. 2. disput. 4. quæst. 9. dub. 3.

Secunda pars probatur: quia talis timor & fuga mali, non est inordinata, sed rectæ rationi consentanea; esto id, quod ex timore fit, secluso tali timore non foret licitum. Vnde *si quis*, inquit S. Thomas ibidem, *propter timorem mortis, latronibus aliquid promittat, aut det, excusatur à peccato,*

quod

quod alioqui incurreret, si absque causa legitima, prætermissis bonis, quibus esset magis dandum, peccatoribus largiretur. Quando vero hoc particulatim accidat, ex ipsa ratione materiæ diiudicandum est: sunt enim quædam, quæ nullo maioris mali declinandi respectu à peccato excusari possunt: quæ proinde nunquam licita sunt; quia peccare etiam vel leuissime nunquam licet.

44 Quæritur secundo, quid & quale peccatum sit *Intimiditas.* Respondetur; Intimiditas generatim loquendo, est vitium seu peccatum, quo aliquis non timet ea mala, quæ secundum rectam rationem timenda forent; siue quia minus, quam par est, amat bona ijsdem malis opposita, siue quia ex superbia animi de se præsumit & alios contemnit iuxta illud Iob 41. v. 24. *Qui factus est, vt nullum timeret. Omne sublime videt: ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ:* siue id contingat ex stoliditate, seu ex defectu rationis & iudicij, sicut Aristoteles 3. Ethic. cap. 7. ait; *Celtas propter stultitiam nihil timere.*

In præsenti autem Intimiditas est vitium fortitudini oppositum per excessum, quo quis inordinate contemnit pericula mortis, secundum eas circumstantias, secundum quas ex præscripto rectæ rationis timenda & refugienda forent. Ita S. Thomas quæst. 126. art. 1. & 2. iuxta philosophum 3. Ethic. cap. 7. vbi *Impauiditatem* seu *Intimiditatem* fortitudini oppositam constituit. Ratio est; quia virtutes morales in medio consistunt; ac proinde sicut accidit nimium timere pericula mortis; ita etiam fieri potest, vt quis ea nimis parum timeat, & refugiat; siquidem contra naturalem inclinationem, & per consequens peccatum est, deficere à debito amore vitæ, aliorumque bonorum naturalium. Et Prouerb. 14. v. 16. legitur: *Sapiens timet, & declinat, à malo; stultus transilit & confidit.*

45 Quæritur tertio, an, & quale peccatum sit *Audacia.* Respondetur. Audacia *per superabundantiam* dicta, adeoque immoderata, est peccatum; & quidem fortitudini oppositum, quæ est circa timores, & audacias. Ita S. Thomas q. 127. a. 1. 2. iuxta Aristotelem 2. Ethic. cap. 7. & lib. 3. cap. 7. Ratio est; quia cum virtus moralis, & vitium habent eandem materiam, tunc sibi inuicem opponuntur. Differt autem audacia siue temeritas ab intimiditate, quod intimiditas non æstimat pericula, quasi vero respectu operantis nulla sint, aut certa mala non sint; audacia vero seu temeritas, ob nimiam præfidentiam, temere audet & aggreditur pericula.

Si tamen audacia sit pura, hoc est, quæ non progrediatur ad aliquem effectū, communiter est tantū peccatum veniale; sicut & imoderata iracundia, & imoderat⁹ timor purus. Nam tūc eiusmodi passiones neque operanti, neq; alteri notabile nocumentum afferunt, vt ex Caietano V. *Audacia* notauit Valentia q. 3. de fortitudine pun. 2. Quod intellige, si nec secundum animi quidem destinationem & propositum ferantur in aliquod obiectum grauiter rationi aduersum.

46 Et quamuis S. Thomas q. 127. a. 2. ad 3. dicat audaciam non habere vitium oppositum, nisi timiditatem tantum; non male tamen Valentia loc. cit. asserit eidem per defectum opponi vitium seu peccatum, quod appellari potest quædam *ignauia*, vt licet colligere ex Aristotele 3. Ethic. c. 7. cum scilicet quis non audet quod debet, & sicut debet, & quando debet.

Communiter tamen hæc peccata non censentur distincta à peccatis, quę ex ijsdem consequuntur, siue ad quæ ordinantur; vt si quis siue ex intimiditate, siue ex audacia vitam prodigat, aut debitā suæ vitę ac incolumitatis curā negligat, &c. quamquam hæc ipsa pro diuersitate motiui diuersam peccati rationem habere possint. Aliud enim est vitam prodigere, eam non æstimando; aliud, temere aggrediendo pericula, è quibus speres te liberandum, &c. Plura de timore, præsertim quatenus ad spem pertinet, vitijsque eidem oppositis, dictum est supra disp. 2. q. 1. dub. 3. & 4.

DVBIVM IV.

De partibus fortitudinis in communi; ac specialim de Magnanimitate, velut prima virtute fortitudini adiuncta; ac vitijs eidem oppositis, nimirū præsumptione, ambitione, inani gloria, & pusillanimitate.

S. Thomas 2. 2. q. 128. 129. 130. 131. 132. & 133.

47 CIrca hanc rem quæritur primo, an & quales partes habeat fortitudo. Respondetur cum S. Thoma q. 128. art. vn. sequentibus assertionibus. I. Fortitudo non habet quidem partes subiectiuas, de quibus velut genus prædicetur; *non enim dividitur in multas virtutes specie differentes;* sed est ipsa vna specie infima virtus; quia est circa materiam valde specialem: habet tamen tum *partes integrales*, secundum ea, *quæ necesse est ad actum fortitudinis concurrere*; tum potentiales; quatenus ea, quæ fortitudo obseruat *circa difficillima & maxime ardua*, nempe circa pericula mortis; aliquæ aliæ virtutes obseruant, *circa quasdam alias materias minus difficiles*; quæ quidem virtutes adiunguntur fortitudini, velut *secundariæ principali.* Ratio & declaratio sumitur ex dictis in simili q. 1. dub. 2.

Solum notetur differentia inter prudentiam & fortitudinem. Illa enim latissime patet, & in omni vitæ genere spectatur; proq; diuersa conditione status seu officij diuersas admodum regulas deposcit, ac propterea plures etiam partes subiectiuas continet; hæc vero contractū admodū obiectum habet, nimirum mortis pericula; quæ etsi in omni etiam vitæ genere reperiantur, eandem tamen habent rationem, nec nisi materialiter differunt.

48 Nec obstat, quod Aristoteles 3. Ethic cap. 8. statuere videtur quinque species fortitudinis, nimirum 1. Politicā, quæ fortiter operatur *propter timorem, vel exhonorationis, vel pœnæ.* 2. Militarem

quæ

quæ fortiter operatur, *propter artem & experientiam rei bellicæ.* 3. eam quæ fortiter operatur *ex passione*, præcipue iræ. 4. quæ fortiter operatur, *propter consuetudinem victoriæ.* 5. quæ fortiter operatur, *propter inexperientiam periculorum.* Hæ enim propter motiui imperfectionem, deficiunt à vera ratione virtutis; etiamsi in obiecto materiali cum fortitudine conueniant: ac proinde non sunt partes subiectiuæ fortitudinis, sed modi eiusdem analogice dicti, vt recte S. Thomas ibidem ad 7. & dictum dub. 1.

49 Assertio II. Partes quasi integrales fortitudinis sunt quatuor, nimirum *Magnanimitas*, seu fiducia ac spes certa inditâ virtute superandi pericula mortis: *Magnificentia*, quatenus significat constantem executionem eorum, quæ præuia fiducia animo destinauit; *Patientia*, qua fit, vt animus difficultate imminentium mortis periculorũ per tristitiam non frangatur; & Perseuerantia, quatenus significat non quidẽ conditionẽ omni virtuti cõmunem, sed animum inter pericula mortis imobilem, ac in bono vsq; ad finẽ durabilem: quæ ipsæ etiam, si ad quasdam alias materias minus difficiles referantur, erunt virtutes à fortitudine distinctæ, eiusq; partes quasi potentiales, nimirum fortitudini adiunctæ, sicut secundariæ principali. Ita S. Thomas loc. cit. ex Cicerone libro 2. de Inuent. vbi easdem quatuor fortitudinis partes constituit, scilicet magnificentiam, fiduciam, patientiam, & perseuerantiam.

50 Probatur & declaratur. Duplex est enim actus fortitudinis, scilicet aggredi & sustinere. Ad actũ autẽ aggrediendi duo requiruntur, quorum primum *pertinet ad animi præparationem*, vt scilicet aliquis promptũ animũ habeat ad aggrediendum. *Et quantum ad hoc, ponit Tullius lib. 2. de Inuent. fiduciam per quam magnis & honestis in rebus multũ ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocauit.* Secundũ pertinet ad operis executionem, *ne scilicet aliquis deficiat in executione illorũ, quæ fiducialiter inchoauit.* Et quantum ad hoc *ponit Tullius loc. cit. magnificentiam*, hoc est, *rerum magnarum & excelsarum cum animi amplâ quadam & splendida propositione cogitationem atq; administrationem*, id est, *executionem*, vt scilicet amplo proposito administratio non desit.

Ad alium autem actum fortitudinis, qui est sustinere, duo itidem requiruntur; quorum primũ est, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam, *& decidat à sua magnitudine*: & quantum ad hoc Tullius loc. cit. *ponit patientiam*, quæ est, *honestatis, aut vtilitatis causa, rerum arduarum ac difficiliũ voluntaria ac diuturna perpessio.* Aliud est, vt ex diuturna difficiliũ passione homo non eo vsq; fatigetur, vt desistat, secundum illud Hebr. 12. v. 3. *Non fatigemini animis vestris deficientes.* Et quantum ad hoc, *ponit perseuerantiam*; quæ est *in ratione bene considerata stabilis & perpetua permansio.*

51 Hæc igitur quatuor, si *coarctentur ad propriam materiam fortitudinis* (nempe pericula mortis, in quibus vel aggrediendis vel sustinendis fortitudo versatur) *erunt partes quasi integrales ipsius. Si autem referantur ad alias quasdam materias, in quibus est minus difficultatis, erunt virtutes à fortitudine distinctæ*; *cui tamen* (propter similitudinem & affinitatem) *adiungentur, sicut secundariæ principali*, adeoq; velut partes potentiales eiusdẽ. Sicut magnificentia ab Aristotele 4. Eth. c. 2. & 3. ponitur circa magnos sumptus: magnanimitas autẽ, quę videtur idem esse cum fiducia, circa magnos honores, vt dicetur hoc & sequenti dubio.

Atque ad has ipsas etiam quatuor fortitudinis partes reuocantur septẽ illæ partes fortitudinis, 52
quas numerat Macrobius l. 1. in somniũ Scipionis, scilicet magnanimitas; fiducia, securitas, magnificentia, constantia, tolerantia, firmitas: vt & aliæ septẽ virtutes, quas fortitudini añexas statuit Andronicus, apud S. Thomam ibidem ad 6. quæ sunt Eupsychia, seu bona animositas, Lema, seu patientia, magnanimitas, virilitas, perseuerantia, magnificentia, andragathia, quasi virilis bonitas. Ex quibus tamen nonnulla parũ inter se differunt, & facile in vnum reuocari possunt, vt cogitanti patebit, & videre est apud S. Thomam loc. cit.

Quæritur secundo, an & qualis virtus sit *Magnanimitas*. Respondetur cum S. Thoma q. 129. se- 53
quentibus assertionibus.

I. Magnanimitas, vt est specialis virtus fortitudini adiuncta, pro materia habet honores & inhonorationes. Ita S. Thomas cit. q. 129. a. 1. ex Aristotele 4. Eth. c. 3. vbi ait: *Magnanimitas est circa honores & inhonorationes.* Ratio est; quia vt ex nominis notione constat, magnanimus dicitur, qui habet animũ ad aliquid magnũ; ac proinde magnanimus simpliciter est ille, qui habet animũ recte affectũ circa ea, quæ inter res exteriores absolute & simpliciter sunt maxima; vti est honor; tum quia honor propinquissimus est virtuti, tanquam testimoniũ eiusdẽ; tum quia Deo & optimis quibusq; exhibetur; tum etiã quia homines honori consequendo, & vituperio vitando alia omnia postponunt: Ergo qui circa honores recte affectus est, recte simpliciter & absolute dicitur magnanimus; ita vt magnanimitas immediate quidẽ versetur circa passionem spei, mediate autem circa honorem, velut obiectum spei.

Sicut autẽ magnanimus nõ extollitur ex magnis honoribus, *quia non reputat eos supra se, sed magis eos contemnit*; ita etiã de honorationibus nõ frangitur. *sed eas contemnit, vtpote quas reputat sibi indigne adferri*, vt ait S. Thomas eadem q. 129. articulo 2. ad 3.

Assertio II. Magnanimitas proprie est 54
circa magnos honores. Ita Sanctus Thomas ibidem articulo 2. ex Aristotele 2. Ethic. cap. 7. idipsum asserente. Ratio est; quia virtus cum sit dispositio perfecti ad optimum, iuxta Aristotelem libro 1. de cœlo text. 116. seu vltima perfectio potentiæ, ad rationem virtutis pertinet, vt sit circa difficile & magnum bonum, iuxta eundem Aristotelem 2. Ethic. cap. 3. Difficile autem seu magnum in actu virtutis dupliciter reperitur; primo ex parte rationis, quatenus difficile est medium rationis inuenire, & in aliqua materia statuere; *& hæc difficultas solum inuenitur in actibus virtutum intellectualium, & iustitiæ.*

Secundo ex parte materiæ, quæ ex se repugnantiam habere possit ad debitum rationis

modum

modum in ea collocandũ. Et hęc difficultas præcipue cernitur in virtutibus moralibus, quæ sunt circa passiones; quia passiones *pugnant contra rationem*; iuxta Dionysiũ c. 4. de diuin. nomin. par. 4. In quibus tamen hæc cernitur diuersitas, quod quædam passiones vim magnam habent resistendi rationi *principaliter ex parte ipsius passionis*: quædã vero principaliter ex parte rerum quæ sunt obiecta passionum.

55 Passiones autem ex se non habent vim magnam repugnandi rationi, nisi fuerint vehementes; eo quod appetitus sensitiuus, in quo sunt passiones, naturaliter rationi subest; & ideo virtutes, quæ sunt circa passiones hoc modo spectatas, *non ponuntur* (principaliter) *nisi circa id, quod est magnum in ipsis passionibus*. Sicut fortitudo est *circa maximos timores & audacias*; temperantia autem *circa maximarum delectationum concupiscentias*; & similiter mansuetudo est *circa maximas iras*.

Passiones autem quædam habent magnam vim repugnandi rationi, ex ipsis rebus exterioribus, quæ sunt passionum obiecta; sicut amor siue cupiditas pecuniæ, siue honoris. Et in his oportet esse virtutem, non solum circa id quod est maximum in eis, sed etiam circa mediocria & minora: quia res exterius existentes, etiamsi sint paruæ, sunt multum appetibiles, vtpote necessariæ ad vitam hominis. *Et ideo circa appetitum pecuniarum sunt duæ virtutes, vna quidem circa mediocres & moderatas, scilicet liberalitas: alia autem circa pecunias magnas, scilicet magnificentiam.*

56 [Similiter etiam & circa honores sunt duę virtutes; vna quidẽ circa mediocres honores, quæ innominata est; nominatur tamen ex suis extremis, quæ sunt philotimia, id est, amor honoris, & aphilotimia, id est, sine amore honoris. Laudatur enim quandoq; qui amat honorẽ, quandoq; autem qui non curat de honore; prout scilicet vtrũque moderate fieri potest. Circa magnos autem honores est magnanimitas. Et ideo dicendum est, propriã materiam magnanimitatis esse magnum honorem, magnanimumq; ad ea tendere quę sunt magno honore digna.] Ita quidem S. Thomas loc. cit.

57 Sed quia omnis virtutum diuersitas etiam ex obiecto proprij actus desumitur, vt vel in ipsa fortitudine, temperantia, & mansuetudine cernitur, quam nemo negauerit, etiam circa paruas iras compescendas versari, si materia iram nõ postulet; neq; magnum & paruum ex parte obiecti variare solet essentiam actus, vel habitus virtutis: idcirco verius existimo magnanimitatem circa quosuis honores, sed potissimum circa magnos versari; neq; liberalitatẽ & magnificentiã præcise differre penes magnum & paruum; sed quod illa appetitum pecuniæ, hæc appetitum cuiusdam splendoris in alijs rebus externis moderetur, vt inferius dicetur dub. 5.

58 Assertio III. Magnanimitas est virtus. Ita S. Thomas ibidẽ a. 3. iuxta Aristotelem 4. Ethic. c. 3. Probatur: quia ad virtutem pertinet, vt in rebus humanis bonum rationis seruetur: inter cæteras autem res humanas exteriores, honores præcipuum locum tenent, vt dictum est: Ergo magnanimitas, quæ modum rationis ponit circa magnos honores, est virtus.

Quod etiam confirmant affectiones, seu dispositiones corporis, quas Aristoteles 4. Ethic. c. 3. magnanimo tribuit valde consentaneas honestæ mentis dispositioni, cum ait: *Motus lentus magnanimi videtur, & vox grauis, & locutio stabilis. Velocitas enim motus*, inquit S. Thomas ibidem ad 3. *prouenit ex eo, quod homo ad multa intendit, quæ explere festinat, sed magnanimus solum intendit ad magna, quæ pauca sunt, quæ etiam indigent magna attentione; & ideo habet motum tardum.*

Similiter etiam *acuitas vocis, & velocitas præcipue competit his, qui de quibuslibet contendere volunt: quod non pertinet ad magnanimos, qui non intromittunt se nisi de magnis.* Et sicut prędictę dispositiones corporalium motuum conueniunt magnanimis, *secundum modum affectionis eorum: ita etiam in his, qui sunt naturaliter dispositi ad magnanimitatem, tales conditiones naturaliter inueniuntur.*

Nec obstat primo, quod magnanimitas opponi videtur humilitati; qua vt ait Aristoteles 4. 59
Ethic. cap. 3. magnanimus *se dignum reputat magnis, & alios contemnit*, humilis autem seipsum deprimit, & alios superiores estimat. Nam vt respõdet S. Thomas ibidem ad 4. hæc proprie & formaliter non sunt contraria, sed diuersa; quia procedunt secundum diuersas considerationes.

Magnanimitas enim facit, vt homo se magnis dignum æstimet, *secundum considerationem donorum, quæ possidet ex Deo; vt si magnã animi virtutem habeat, magnanimitas facit, vt ad perfecta opera virtutis tendat; eademq; est ratio cuiuslibet alterius boni, puta scientiæ, vel exterioris fortunæ.* Humilitas autem facit, vt homo seipsum parui pendat, *secundum considerationem proprij defectus.*

Similiter etiam magnanimitas contemnit alios, *secundũ quod deficiunt à donis Dei*; nõ enim adeo alios æstimat, *vt pro eis aliquid indecens faciat.* Sed humilitas alios honorat & superiores æstimat, *inquantum in eis aliquid inspicit de donis Dei.* Vnde psalm. 14. de viro iusto dicitur: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus; timentes autem Dominum glorificat.*

Nec obstat secundo, quod apud Aristotelem 60
lib. 4. Ethic. cap. 3. magnanimitati tribui videntur quædam proprietates vitiosæ. Nimirum 1. Non esse memorẽ beneficiorum. 2. esse otiosum & tardum. 3. vti ironia ad multos. 4. non posse alijs conuiuere. 5. possidere infructuosa potius, quam fructuosa.

Nam vt respondet S. Thomas ibidem ad 5. proprietates istæ, quatenus ad magnanimum pertinent, *non sunt vituperabiles, sed superexcedenter laudabiles*, si recte intelligantur: nimirum 1. Vt magnanimo non sit delectabile beneficia recipere, *quia maiora rependat*: quod pertinet ad perfectionẽ gratitudinis, *in cuius actu vult superexcellere*, sicut & in actibus aliarum virtutum. 2. Non quod deficiat ab agendis ijs, quæ ipsi conueniunt, sed *quia non ingerit se quibuscunque operibus, sed solum magnis, quæ eum decent.* 3. non quod vtatur ironia veritati opposita, *vt scilicet dicat esse aliqua vilia, quæ nõ sunt,*

vel

vel neget aliqua magna, quæ sunt: sed quia non totam magnitudinem suam monstrat, maxime quantum ad inferiorum multitudinem, seu vulgus promiscuum. Quia vt Aristoteles lib. 4. Eth. cap. 3. ait, ad magnanimum pertinet, *magnum esse ad eos, qui in dignitate & bonis fortunæ sunt; ad medios autem moderatum.* 4. si intelligatur, *quod ad alios non possit conuiuere; scilicet familiariter, nisi ad amicos, quia omnino vitat adultationẽ & simulationem, quæ pertinent ad animi paruitatem. Conuiuit tamen omnibus, magnis & paruis secundum quod oportet.* 5. vt sectetur magis infructuosa, non quæcunque, sed bona, *id est, honesta*; cum in omnibus præponat honesta vtilibus tanquam maiora. Vtilia enim quæruntur ad subueniendum alicui defectui; qui magnanimitati repugnat. Vide Aristot. 4. Eth. cap. 3.

61 Assertio IV. Magnanimitas licet ex consequenti omnes virtutes respiciat, est tamen in se specialis virtus. Ita S. Thomas cit. quæstio. 129. articulo 4. ex Aristotele 2. Ethic. cap. 7. Ratio est; quia modum rationis constituit circa determinatam materiam, scilicet circa honores; vt supra dictum est. Quia tamen honor est cuiuslibet virtutis præmiũ, ideo magnanimitas ex consequenti, ratione suæ materiæ, respicit omnes virtutes. Nec obstat, quod magnanimo tribuuntur diuersarum virtutum actus ab Aristotele 4. Ethic. c. 3. scilicet, *non fugere commonentem, neque facere iniusta, sed esse promptum ad benefaciendum, & ad ministrandum, seu largiendum, itemque esse veridicum, & non esse planctiuum*, quod est actus patientiæ. Quia enim in oppositis horum, defectus quidam paruitatis cernitur, ideo ea vitat magnanimus, secundũ quandã specialẽ rationẽ, scilicet *tanquam contraria excellentiæ, vel magnitudini.* Et constat, virtutes in operando sibi inuicem adminiculari.

62 Assertio V. Magnanimitas est pars quædam potentialis fortitudinis, vt etiam superius dictum. Ita S. Thomas ibidem artic. 5. Ratio est; quia magnanimitas ita fortitudini affinis ac similis est, vt tamen ab eius perfectione & excellentia deficiat. Conuenit enim quidem cum fortitudine, quatenus confirmat animum circa aliquid arduum: sed deficit ab ea, quod firmat animũ in eo, *circa quod facilius est firmitatem seruare*; etsi magnanimitas & fortitudo nonnunquã inter se confundantur, vt videre est apud Ciceronem l. 1. de officijs, & Senecam lib. de virtut. cap. de magnanim. vbi ait: *Eris magnanimꝰ, si pericula nec appetas vt temerarius, nec formides vt timidus. Nam nil timidum facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia.*

63 Assertio VI. Sicut fiducia ad magnanimitatem, ita securitas ad fortitudinem spectat; licet ex consequenti & securitas ad magnanimitatem, & fiducia ad fortitudinem pertineat, Ita S. Thomas ibidem a. 6. & 7. ex Cicerone l. 1. de officijs & l. 2. de inuent. Ratio est; quia cum magnanimus magna spectet & aggrediatur, requirit fiduciã seu spem vehementem de bono proposito assequendo: & cum fortis timorem imoderatũ peruincat, idcirco securitas, quæ significat quietem animi à timore, imediate & principaliter pertinet ad fortitudinem. Sicut tamen spes est causa audacię, ita timor est causa desperationis: ideo sicut fiducia ex consequenti pertinet ad fortitudinẽ, inquantum vtitur audacia, ita securitas ex consequenti pertinet ad magnanimitatem, inquantum repellit desperationem.

Assertio VII. Sed & bona fortunæ nonnihil 64
conferunt ad magnanimitatem. Ita S. Thomas ibidem c. 8. ex Aristotele 4. Eth. c. 3. Ratio est; Quia magnanimitas duo respicit, nempe honorem velut materiam, & aliquid magnũ operandum velut finẽ: ad vtrumq; autẽ istorũ bona fortunæ conferunt; præsertim quia vulgus maximi æstimat exteriora bona fortunæ, ijsque honoris plurimũ defert. Quia tamen magnanimus non æstimat exteriora bona fortunæ, velut magna, idcirco *nec de eis multum extollitur, si adsint, nec in eorum amissione multum deijcitur.* iuxta S. Thomam ibidem ad 3.

Quæritur tertio, quæ & qualia sint vitia magnanimitati opposita. 65

Respondetur cum S. Thoma à q. 130. sequentibus assertionibus I. Vitia magnanimitati opposita vniuersim sunt quatuor, eaq; duplicis generis; tria enim eidem opponuntur per excessum, nimirum præsumptio, ambitio, & inanis gloria; quartum, nempe pusillanimitas per defectum. Ita S. Thomas initio q. 130. Ratio patebit ex sequẽtibꝰ.

Assertio II. *Præsumptio* est vitium magna- 66
nimitati oppositum per excessum, quo quis attentat ea, quę vires ac facultatem suam excedunt, Ita S. Thomas q. 130. a. 1. & 2. iuxta Aristotelem 2. Ethic. cap. 7. & libro 4. cap. 3. Magnanimus enim nõ tendit in maiora, quam sibi conueniunt, nec transcendit proportionem suæ facultatis: sicut etiam naturaliter quælibet actio *commensuratur virtuti agentis.* Quia tamen quæ per alios possumus, *aliqualiter per nos possumus*, iuxta Aristotelem 3. Ethic. cap. 3. idcirco non est præsumptionis, opus virtutis attentare cum auxilio diuino, quod nemini denegatur, *licet id præsumptuosum esset, si ad hoc aliquis tenderet, absque fiducia diuini auxily*, iuxta S. Thomam eodem a. 1. ad 3. Quo spectat etiam illud Senecæ lib. de virtutibus cap. de moderanda fortitudine: *Magnanimitas si se extra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum & in quascunq; excellentias dictorum factorumque neglecta honestate festinum.* Alia est præsumptio spei opposita, de qua disput. 2. q. 1. dub. 4.

Assertio III. *Ambitio* est vitium magnani- 67
mitati oppositum per excessum, quo quis inordinate honorem desiderat, vel quem non meretur, vel quem non in Deum, nec in aliorum vtilitatem, sed ad proprium solum commodum refert. Ita S. Thomas quæst. 131. art. 1. & 2. Ratio; quia ijsdem tribus supradictis modis accidit, appetitum honoris esse inordinatum. 1. *Quod aliquis appetit testimoniũ de excellentia*, quã non habet, quod est appetere honorẽ *supra suã proportionem*, adeoq; indebitum. 2. Quod honorem sibi soli cupit, *non referendo in Deum*, cui tamen præcipue omnis honor debetur, velut auctori eius boni, cui honor defertur. 3. Quod appetitus in ipso honore quiescit, *non referens honorem ad vtilitatẽ aliorum*; cum tamen bonum, quod honor respicit, *detur homini à*

Deo, vt ex eo alijs prosit. Hæc vero omnia ad ambitionem pertinent.

68 Vbi notandum, honorē non esse bonum per se expetibile. *Non enim dicitur præmium virtutis*, inquit S. Thomas cit. a. 1. *quoad ipsum virtuosum, vt scilicet hoc pro præmio expetere debeat. Sed pro præmio expetit beatitudinem, quæ est finis virtutis. Dicitur autem esse præmium virtutis, ex parte aliorum, qui non habent aliquid maius, quod virtuoso retribuant, quam honorem; qui ex hoc ipso magnitudinem habet, quod perhibet testimonium virtuti; licet absolute non sit sufficiens præmium virtutis.* Nec est absurdum, eidem virtuti plura vitia per excessum opponi, *secundum diuersa, quæ in virtute spectantur*; sicut in proposito est opus, quod magnanimus attentat per modum finis, & honor, quem respicit magnanimitas velut materiam: respectu prioris opponitur magnanimitati præsumptio: respectu posterioris ambitio, iuxta S. Thomam eodem a. 2.

69 Assertio IV. *Inanis gloria* est vitium magnanimitati oppositum per excessum, quo vana quæritur gloria, nimirum *vel de eo, quod non est; vel de eo, quod non est gloria dignum; vel de eo quod iudicio hominum tantum laudatur, gloriam expetendo; vel ipsam gloriam ad finem indebitum referendo.* Ita S. Thomas q. 132, a. 1. & 2.

Ratio est; quia gloria est quidam effectus honoris & laudis, nimirum *frequens de aliquo fama cum laude*, vt ait Cicero libro 2. de inuent. vel vt Augustinus libro 83. quæstione 31. *quasi clara cum laude notitia*; quam etsi appetere vniuersim ac per se non sit illicitum, necesse est tamen hunc appetitum, non minus quam appetitum honoris, magnanimitate moderari; qui appetitus si immoderatus sit, dicitur vana seu inanis gloria; idque tripliciter. 1. Ex parte rei, de qua quis gloriam quærit, puta cum quis quærit gloriā de eo, quod non est, vel de eo, quod non est gloria dignum, *sicut de aliqua re fragili & caduca.* 2. ex parte eius, à quo quis gloriam quærit, puta (principaliter) hominis, *cuius iudicium non est certum.* 3. ex parte ipsi⁹ qui gloriam appetit; qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem, vt docet S. Thomas eodem a. 1.

Gloria vero quæ habetur à Deo, non est gloria vana, sed vera, quæ bonis operibus velut præmium repromittitur, vnde Apostolus 2. Cor. 10. v. 17. *Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat ille probatus est: sed quem Deus commendat.* Qui autem *propter humanam gloriam opera virtutū operatur, non est vere virtuosus*, vt Augustinus probat l. 5. de ciuit. Dei cap. 12.

70 Neq; ad hominis perfectionem pertinet, vt ab alijs cognoscatur; quare nec est per se appetendum. Potest tamen appeti, *inquantum est vtile ad aliquid, vt nimirum vel Deus ab hominibus glorificetur*, iuxta illud Matthæi 5. v. 6. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*; vel vt homines *proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt*; vel vt ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit per testimonium laudis alienæ, *studeat in eis perseuerare, & ad meliora proficere.* Et secundum hæc *laudabile est, vt quis curam habeat de bono nomine*, iuxta Eccli 41. Et vt *prouideat bona coram Deo, & hominibus*, iuxta Rom. 12. *Non tamen vt in hominum laude inaniter delectetur*, vt docet S. Thomas ibidē ad 2. & 3.

Assertio V. Inanis gloria potest esse peccatum mortale duobus modis. Primo *ratione materiæ*, 71
de qua quis gloriatur, vt cum quis gloriatur de aliquo falso, quod aduersatur diuinæ reuerentiæ seu gloriæ, secundum illud Ezechielis 28. v. 2. *Eleuatum est cor tuū, & dixisti: Deus ego sum.* Et 1. Cor. 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Vel cum quis bonū temporale, de quo gloriatur, *præfert Deo*, contra illud Ierem. 9. v. 23. *Non glorietur sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua; & non glorietur diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me: quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium, & iustitiam in terra: hæc enim placent mihi ait Dominus*: quo proinde etiam spectat gloria de peccato mortali. Vel cum quis præfert testimonium hominum testimonio Dei, de quibus Ioannis 12. v. 43. *Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.*

Secundo, ex parte *ipsius gloriantis*, qui intentionem suam refert ad gloriam, tanquam ad vl- 72
timum finem, *ad quem scilicet ordinat etiam virtutis opera, & pro quo consequendo non prætermittit facere etiam ea, quæ sunt contra Deum.* Vnde Augustinus libro 5. de ciuit. cap. 14. ait; *amorem humanæ laudis tam inimicū esse piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quam Dei timor vel amor, vt diceret Dominus*, (Ioannis 5. vers. 44.) *Quomodo potestis credere gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est non quærentes?* Si autem amor humanæ gloriæ quamuis sit inanis, *non tamen repugnet charitati, neque quantum ad id, de quo est gloria, neque quantum ad intentionem gloriam quærentis, non est peccatum mortale, sed veniale.* Ita S. Thomas q. 132. artic. 3. Ratio est; quia peccatum inanis gloriæ per se non aduersatur charitati proximi; sed potest tamen aduersari charitati Dei; idque duobus modis supra explicatis.

Assertio VI. Inanis gloria est vitium capi- 73
tale; cuius filiæ numerantur, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum præsumptio. Ita S. Thomas quæst. 132. artic. 4. & 5. ex Gregorio 31. Moral. cap. 31. etsi à nonnullis pro vana gloria vitium capitale statuatur superbia; quod tamen eodem fere recidit. Ratio est; quia appetitus gloriæ est admodum vehemens, & ex parte materiæ vniuersalis, ex quo proinde, si immoderatus sit, tam in verbis, quā in factis, pro varia gloriæ affectatione, varia peccata enasci solent, vt dictum.

Assertio VII. *Pusillanimitas* est vitium 74
magnanimitati oppositum per defectum, quo quis *magna refugit*, etiam quæ alioqui sibi ac suis viribus sunt proportionata. Quare ratione seruus, qui acceptā pecuniam Domini sui fodit in terrā, nec operatus est cum ea, propter quendā pusillanimitatis timorem, punitur à Domino, Matthæi 25. & Lucæ 19. Ita S. Thomas q. 133. art. 1. & 2. Ratio est; quia sicut laudabile est in magnanimo,

tendere

tendere ad magna, suis tamen viribus paria, ita in pusillanimo *vituperabile, ex animi paruitate* eadem refugere; & sicut per præsumptionem eidem magnanimitati oppositam per excessum, aliquis *excedit proportionem suæ potentiæ*, dum nititur ad maiora, quã possit, ita pusillanimus, vitio eidem magnanimitati per defectum opposito *deficit à proportione suæ potentiæ*, dum recusat in id tendere, quod est suæ potentiæ commensuratum.

Idem tradit Aristoteles 4. Ethicor. cap. 3. vbi pusillanimitatem in vitio ponit & addit; *Qui dignificat se minoribus, quam sit dignus, dicitur pusillanimis.* Et Gregorius 1. part. Pastor. cap. 5. *Qui prodesse*, inquit, *vtilitati proximorum prædicatione refugiunt, si districte iudicentur, ex tantis procul dubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt.*

75 Nec obstat primo, quod iuxta Eccli 10. vers. 15. *initium omnis peccati superbia*, cuius tamen expers videtur pusillanimis: quia vt recte Sanctus Thomas eodem art. 1. ad 3. etiam pusillanimitas *aliquo modo ex superbia potest oriri, dum scilicet aliquis nimis proprio sensui innititur, quo reputat se insufficientem ad ea, respectu quorum sufficientiam habet.* Vnde dicitur Prouerb. 26. vers. 16. *Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.* Nihil enim prohibet, *quod se quantum ad aliqua deijciat, & quantum ad alia se in sublime tollat.* Ita S. Thomas.

76 Nec obstat secundo exemplum Moysis, & Ieremiæ, qui recusarunt officium sibi diuinitus delatum, Exodi 3. & Ieremiæ 1. Nam illi digni quidem erant officio, ad quod diuinitus eligebantur, ex diuina gratia: sed ipsi, *considerantes propriæ infirmitatis insufficientiam, recusabant; non tamen pertinaciter ne in superbiam laberentur.* Nam vt Gregorius part. 1. pastoralis cap. 7. ait: *Moyses superbus fortasse esset, si ducatum plebis suæ sine trepidatione suscideret: & rursum superbus existeret, si Auctoris imperio obedire recusaret.*

DVBIVM V.

De tribus alijs virtutibus fortitudini annexis; nimirum magnificentia, patientia, perseuerantia; ac vitijs oppositis.

S. Thomas 2. 2. q. 134. 135. 136. 137. & 138.

77 QVæritur primo, an & qualis virtus sit Magnificentia, & quænam vitia opposita habeat. Respondeo ex doctrina S. Thomæ quæst. 134. & 135. sequentibus assertionibus. I. Magnificentia est virtus, & quidem specialis. Ita cum Aristotele 2. Ethic. cap. 7. & lib. 4. cap. 2. S. Thomas quæst. 134. a. 1. & 2. Probatur. Quia operari magna circa propriam materiam pertinet ad specialem virtutem: id autem facit magnificentia, quæ ex ipsa vi nominis talis dicitur, quod magna *faciat*, accipiendo *facere* proprie, vt significat *operari aliquid in exteriori materia*, sicut facere domum, *vel aliud opus factibile ab arte.* In cuius quidem vsu seu factione potest attendi *specialis ratio bonitatis* (etiam moralis) quod ipsum opus factum per artem, *sit magnum* (seruata tamen debita proportione ad eũ, qui sumptus subministrat) *in quantitate, preciositate, vel dignitate*; & secundum hoc magnificentia est specialis virtus.

Vnde Curio lib. 2. de inuent. ait: *Magnificentia est, rerum magnarum & excelsarum, cum animi quadam ampla & splendida proportione, cogitatio, atq; administratio*: vt cogitatio referatur ad interiorem intentionem: administratio autẽ ad exteriorem executionem. Differt à magnanimitate, quod hæc in cæteris actionibus, illa in *aliquo opere factibili*, modo explicato, versatur, vt notauit S. Thomas eodem a. 2. ad 2. illa circa magnos honores, hæc circa magnos sumptus versatur, vt dicemus. Et quia *nullus finis humanorum operum est adeo magnus, sicut honor Dei*, ideo magnificentia præcipue magnum opus facit *in ordine ad honorem Dei.* Quod nec Aristoteles ignorauit. 4. Ethic. cap. 2. dum ait: *Honorabiles sumptus sunt, maxime qui pertinent ad diuina Sacrificia.* 78

Assertio II. Tametsi quidem, vt dictum, per se ac proprie obiectum magnificentiæ sint magna opera externa & magnifica, ex consequenti tamẽ materia magnificentiæ dici possunt etiam, tum sumptus, quibus vtitur magnificus, ad opus magnum faciendum, tum ipsa pecunia, qua vtitur ad sumptus magnos faciendos; & amor pecuniæ, quem moderatur magnificus, ne sumptus magni impediãtur. Ita S. Thomas q. 134. a. 3. ex Aristotele 4. Eth. c. 2. Ratio est; quia opera eiusmodi magna non possunt fieri sine magnis sumptibus & expensis, nec sine debita moderatione amoris pecuniarum: Ergo magnificentia ex consequenti etiam respicit magnos sumptus, ipsumq; affectum pecuniæ, velut materiã, in qua ad supradictũ finẽ moderanda versatur: sicut liberalitas respicit comunẽ eiusdẽ pecuniæ vsum. Non quod magnificentia & liberalitas ex parte materiæ solũ differãt penes magnũ & paruũ; sed quia etiã simul differunt ex parte proprij obiecti & finis; ita vt magnificentia moderetur vsum pecuniæ in ordine ad aliquod magnum opus faciendum; liberalitas vero in ordine ad alios fines, puta cætera comunia dona & sumptus, vt colligitur ex S. Thoma eodẽ a. 3. ad 2. Quamuis etiam magnificus *dona & xenia largiatur*, iuxta Aristotelem 4. Eth. c. 2. *non tamen*, inquit S. Thomas ibidẽ ad 3. *sub ratione doni, sed potius sub ratione sumptus ordinati ad aliquod opus faciendum, puta ad honorandum aliquem* (ipso exteriori opere largitionis;) *vel ad faciendum aliquid vnde proueniat honor toti ciuitati, sicut cum facit aliquid ad quod tota Ciuitas studet.* 79

Assertio III. Magnificentia est pars potentialis fortitudinis, adeoque virtus eidem adiuncta, vt secundaria principali. Ita S. Thomas quæst. 134. art. 4. ex dictis dub. 1. Ratio est; quia ad partem potentialem alicuius virtutis duo requiruntur; primo vt illa cum hac velut principali conuenientiam & affinitatem habeat; secundo vt ab hac excedatur & superetur. Magnificentia autem conuenit cum fortitudine, 80

quod vtraque *tendit in aliquod arduum & difficile* & vtraque est *in irascibili*; nimirum quia magnificentia respicit & moderatur spem in ordine ad magnificum opus. Sed magnificentia deficit à fortitudine, quod *illud arduum in quod tendit fortitudo, habet difficultatem propter periculum, quod imminet personæ*: arduum autem in quod tendit magnificentia, habet difficultatem, *propter dispendium rerum; quod est multo minus, quam periculum personæ.*

81 Assertio IV. Magnificentiæ duo vitia opponuntur; vnum per defectum, nimirum parificentia; alterũ per excessum, quod apud latinos certo nomine caret. Ita S. Thomas quæstione 135. articulo 1. & 2. ex Arist. 2. Ethic. cap. 7. & lib. 4. cap. 2. vbi magnificentiam inter duo opposita vitia mediam constituit. Ratio est; quia magnificentia hoc ipso, quod magnos quidem in magna opera sumptus facit, conditioni tamen operantis, alijsque circumstantijs conuenientes ac proportionatos, in medio versatur, à quo proinde operans recedere potest, tam per defectum, si nimis paruos, præsertim respectu etiam ipsius operis attentati, sumptus faciat; quam per excessum, si vel respectu ipsius personæ, vel respectu ipsius operis propositi, aliarumue circumstantiarum nimis magnos sumptus faciat.

Nam vt ait Aristoteles 4. Ethic. cap. 2. parificentia principaliter quidem intendit *paruitatem sumptus*, vt nempe vel minimũ consumat; ex cõsequenti autem intendit *paruitatem operis*, quam scilicet non recusat, dumodo paruum sumptum faciat, *intendens minus expendere*, quam dignitas operis requirat. Cui opponitur vitium, quo quis dictam proportionem excedit, vt scilicet *plus expendat quam sit operi* (adde etiam personæ, loco, tempori. &c.) *proportionatum*. Quod vitiũ græce quidẽ βαναυσία à furno seu fornace dicitur, quia videlicet *ad modum ignis, qui est in furno, omnia consumit*; vel ἀπυροκαλία, id est, *sine bono igne; quia ad modum ignis omnia frustra consumit*; Latine tamen nullum proprium nomen habet, etsi per imitationem eiusdem nominis græci, dici possit *Consumptio*, vt ait S. Thomas ibidem a. 2. Rectius ex Aristotele dicitur βαναυσία, quasi *fornacaria*, & indecora opera, & ἀπυροκαλία, quasi ineptia & decori expers. Circa hanc vero doctrinam omnem, notandum est, sermonem esse de magnificentia, prout est virtus circa passiones existens: nam alia diuersa ratione etiam esse virtutẽ ad alterũ circa operationes, ac in voluntate sitam diximus tom. 2. disp. 3. q. 4. n. 32.

82 Quæritur secundo, an & qualis virtus sit patientia; & an aliquod vitium oppositum habeat. Respondeo cũ S. Thoma q. 136. sequentibus assertionibus. I. Patientia est virtus, & quidem specialis. Ita S. Thomas q. 136. a. 1. ex Augustino l. de patientia c. 1. vbi ait: *Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum est, vt etiam ipsum, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur*. Ratio est; quia patientia, ex cõmuni virtutis moralis ratione, habet, vt conseruet *bonum rationis contra impetus passionum*; ex speciali autem sua ratione habet, vt bonum rationis cõseruet *contra tristitiam in aduersis*; eam scilicet moderando, ne ratio tristitiæ succumbat, iuxta descriptionem patientiæ ex Augustino c. 2. de patientia vbi ait: *Patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus* (id est, sine perturbatione tristitiæ) *ne animo iniquo bona deseramus per quæ ad meliora perueniamus*. Et ibidem c. 2. & 5. ait, *patientes proprie dici, qui malunt mala non committendo ferre, quam non ferendo committere*.

Assertio II. Patientia est pars quasi potentialis fortitudinis, vt quæ eidem adiungitur, tanquã virtus secundaria principali. Ita S. Thomas q. 136. a. 4. cũ Cicerone l. 2. de inuent. Probatur ex dictis in simili de magnificentia. Conuenit enim patientia cum fortitudine, quod vtraq; consistit in sustinendis aduersis; sed patientia à perfectione fortitudinis deficit, quod hæc refertur ad sustinendũ illa, quæ pertinent *ad pericula mortis, quæ sunt mala omnium difficillima*; illa vero versatur circa mala & aduersa cætera æquanimiter perpetienda. 83

Alioquin ex parte ipsius passionis secundum se spectatæ, quam velut materiam moderantur, nõ differunt; nisi quod fortitudo ita tristitiam siue dolorem ex periculis mortis moderetur, vt principaliter versetur circa timores; patientia vero principalius circa tristitias; cuius laus in eo non consistit, quod non fugiat aduersa futura, sicut fortitudo; sed quod *æquo animo fert præsentia mala*: qua de causa etiam fortitudo proprie est *in irascibili*, patientia autem *in concupiscibili*; etsi patientia late accepta includatur in fortitudine, tanquã pars integralis eiusdem, iuxta S. Thomam ibidẽ ad 2. & 3. & ea, quæ diximus dub. 1.

Assertio III. Patientia magnam quidem habet cum longanimitate affinitatem, proprie tamen ab ea distinguitur. Ita S. Thomas q. 136. a. 5. Declaratur. Conuenit enim longanimitas cũ patientia, duplici ratione; primo quia vtraque *sustinet aliquod malũ, propter aliquod bonum*. Secundo quia vtraque remouet immoderatam tristitiam. Differt tamen patientia à longanimitate; quod hęc proprie versetur in *tendẽtia ad aliqd, quod in lõginquum distat*. Atq; ideo magis respicit *spem tendentẽ in bonum*, quam audaciã vel timorẽ, siue tristitiam; ex quo capite etiam longanimitas *maiorẽ conuenientiam videtur habere cum magnanimitate, quã cum patientia*, vt ait S. Thomas ibidem. 84

Quatenus tamẽ *sub eadẽ ratione mali contristantis*, potest cõprehendi, & *dilatio boni sperati*, quæ pertinet ad longanimitatem (adeoq; in obiectis supernaturalibus ad virtutẽ spei) & *labor, quẽ homo sustinet in continuata executione boni operis*, quod pertinet ad constantiam, tam longanimitas, quam etiam constantia sub patientia comprehenduntur.

Vnde & Tullius lib. 2. de inuent. definit patientiam: *Est honestatis ac vtilitatis causa voluntaria ac diuturna perpessio rerum arduarum ac difficilium*. Quod dicit *arduarum*, pertinet ad grauitatem mali, quam proprie respicit patientia: quod vero addit *diuturna*, pertinet ad longanimitatem, secundum quod conuenit cum patientia, iuxta S. Thomam ibidem.

In quem sensum etiã Augustinus l. de patien-

tia cap. 1. ait; *Patientiam Dei prædicari, non in hoc, quod aliquod malum patiatur, sed in hoc quod expectat malos, vt conuertantur.* Et Ecclesiastici 5. v. 4. dicitur: *Ne dixeris Peccaui; & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* Quibus verbis Dei longanimitas in sustinendis peccatoribus commendatur.

85 Assertio IV. Tametsi magna quidem sit virtus patientiæ, à tribus tamen virtutibus Theologicis, & quatuor cardinalibus præstantiâ superatur. Ita S. Thomas q. 136. a. 2. Et quod ad virtutes Theologicas, prudentiamq;, & iustitiam attinet, patet ex dictis in simili de fortitudine dub. 1. De fortitudine autē & temperantiâ probatur; quia cum vtriusque laus consistat in remouendis impedimentis bene operandi, eo vnaquæque in hoc genere est potior, quo impedimentum illud *magis à bono retrahit.* Plus autem à bono retrahunt tum pericula mortis, circa quæ est fortitudo, tum delectationes tactus, circa quas est temperantia; quam quæuis alia aduersa, circa quæ est patientia.

86 Dicitur tamen patientia *habere opus perfectum*, Iacobi 1. vers. 4. Scilicet *in aduersis tolerandis*, ex quibus *primo procedit tristitia*, quam moderatur patientia, secundo ira, quam moderatur mansuetudo; tertio odium, quod tollit charitas, quarto iniustum nocumentum, quod prohibet iustitia. *Tollere autem principium vnuscuiusque mali est perfectius.*

Dicitur etiam Lucæ 21. v. 19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; inquantum illa *radicitus euellit passiones aduersitatum, quibus anima inquietatur.* Dicitur etiam à Gregorio homil. 35. in Euangelia, *Patientia radix & custos omnium virtutum*; non quasi directe eas causando, & conseruando, sed solum *remouendo prohibens.*

87 Assertio V. Patientia, quæ vera & perfecta virtus est, non potest haberi sine gratia & charitate. Ita S. Thomas q. 136. Ratio est; quia nemo patitur mala, nisi propter bonum aliquod amatum; nec adeo constanter quoduis malum, nisi propter summum bonum, summe amatum: quod ad charitatem pertinet, à qua etiam causatur perfecta patientia, secundum illud 1. Cor. 13. *Charitas patiens est.* &c. Vnde psalm. 61. v. 6. dicitur; *Quoniam ab ipso* (Deo) *patientia mea.* De qua re plura disput. 1. q. 8. dub. 4. & tom. 2. disp. 6. quæst. 3. dub. 2.

88 Assertio VI. Patientiæ per defectum opponitur vitium impatientiæ, quo quis frustra ac sine ratione aduersis præsentibus reluctatur, vel immoderate de ijsdem tristatur, ita vt idcirco à debito virtutis officio recedat. De hac quidem re nihil habet S. Thomas, sed videtur tamen id communi sensu notum. Ratio est; quia cum virtus patientiæ consistat in moderanda passione tristitiæ in aduersis, vtique immoderata tristitia, & superuacanea obluctatio animi, in ijsdem aduersis, ad oppositum impatientiæ vitium spectabit.

Vitium tamen per defectum oppositum patientiæ communiter nullum assignatur; quia quo leuius aduersa feruntur, eo maioris id laudis est, nisi quis vel mala ferat, quæ ex charitatis aut alterius virtutis debito repellere tenetur; quod ignauiæ vitium dici potest: vel nisi quis ob vanum finem, seu motiuum, in aduersis etiam inaniter gestiat, quod & raro accidit, & si quando accidit, numquam id absque speciali prauitate alicui alij virtuti opposita accidit, vt cum Anabaptistæ, alijue hæretici in aduersis ob perfidiam illatis vane gestiunt & exultant, quod ad infidelitatem & vanam gloriam pertinet.

Magnitudo vero peccati Impatientiæ æstimanda est potissimum, ex effectibus, qui ex Impatientia oriuntur; à quibus ipsum peccatum Impatientiæ regulariter non videtur distingui.

89 Quæritur tertio, an & qualis virtus sit Perseuerantia, quæque vitia opposita habeat. De hac reagit Sanctus Thomas q. 137. & 138. Assertio I. Perseuerantia est specialis virtus, per quam homo ex proprio animi proposito, in honestis operibus persistit, quantum necesse est. Ita S. Thomas q. 137. a. 1. Probatur; quia iuxta Aristotelem 2. Ethic. cap. 3. virtus est circa difficile & bonum; & ideo vbi occurrit specialis ratio difficultatis vel boni, ibi est specialis virtus: perseuerantia autē respicit specialem rationem difficultatis & boni: Ergo &c. Minor probatur. Opus enim virtutis potest habere bonitatem & difficultatem primo ex ipsa specie actus, desumpta à proprio obiecto; secundo, ex ipsa *diuturnitate temporis.* Nam *hoc ipsum*, inquit S. Thomas, *quod est diu insistere alicui difficili, specialem difficultatem habet, & ideo diu persistere in aliquo bono, vsq; ad consummationem, pertinet ad specialem virtutem perseuerantiæ, cuius est in operibus virtutum diuturnitatem sustinere prout necesse est.* Quod intelligendum est de perseuerantia, qua quis ex proposito, adeoque ex speciali intentione ipsius actualis perseuerantiæ, velut specialis finis, in proposito & inchoato bono immobiliter persistit.

90 Potest enim perseuerantia adhuc tribus alijs modis ita accipi, vt nō sit aliqua specialis virtus, vt notauit S. Thomas q. 137. a. 1. ad 2. Primo vt est generalis conditio gratiæ, & charitatis, aliarūque virtutum, quibuscum homō ex hac vita decedit; qua ratione de perseuerantia actum est suo loco de gratia q. 3. dub. 8. & q. 6. dub. 9. Secundo, vt significat immobilitatem persistendi, præcise ortam ex vi ipsius habitus virtutis; qua ratione immobiliter persistere *consequitur quamlibet virtutem* (tanquam communis scilicet cuiusque virtutis effectus) *inquantum est qualitas difficile mobilis*, vt ait S. Thomas q. 137. a. 1. ad 3.

Tertio S. Thomas ibidem ad 1. ex Aristotele 7. Eth. c. 7. & 4. Eth. circa finem, aliam perseuerantiæ acceptionē adfert, qua quis scilicet ægre, nec sine magna repugnantia, ac vehementi sensu cōtrarij, in bono persistit, tum tolerando diu pericula vitæ, tum præcipue sustinendo difficultatem carendi seu resistendi delectationibus tactus, quæ mala *attenduntur circa necessaria vitæ, puta circa defectum ciborum, & aliorum huiusmodi, quæ quandoque imminent diu sustinenda*; quomodo, inquit S. Thomas perseuerantia *non est virtus perfecta*, sed est quoddam imperfectū in genere virtutis, prout in

similis de continentia loquitur Aristoteles 4. Eth. circa finem. Quod intelligendum est de perfectione virtutis non secundum essentiam, sed secundum rationem individuam, & roboratum virtutis statum, vt dictum tom. 2. disput. 3. q. 4. dub. 3. à n. 33. vbi etiam diximus, perseuerantiam hoc modo acceptam ad fortitudinem spectare, nec ab ea differre, nisi vt imperfectum à perfecto; nempe loquendo de perseuerantia, prout versatur in sustinendis periculis vitæ: nam prout sustinet carentiã delectationũ tactꝰ, ad temperãpertiã tinet, nec à continentia videtur distingui, contra quam ibidem perseuerantiã distinximus.

91 ASSERTIO II. Perseuerantia est pars quasi potentialis fortitudinis. Ita cum Cicerone lib. 2. de inuent. ex dictis supra dub. 1. docet S. Thomas q. 137. a. 2. Ratio est; quia perseuerantia cum fortitudine conuenit, quod vtriusque laus & officium consistit in sustinendo firmiter aliquod difficile: deficit autem à perfectione fortitudinis; quia sustinere difficultatem prouenientẽ *ex diuturnitate boni operis*, non est tam difficile, quam sustinere pericula mortis.

Nec obstat, quod perseuerantia secundum materiam, puta quatenus est *circa tristitias tactus*, hoc est, tristitias, ex carentia delectationis tactus, iuxta Aristotelem 7. Ethic. cap. 4. & cap. 7. magis conuenit cum temperantia; quia subordinatio & annexio virtutum *principaliter non attenditur circa materiam*, sed potius secundum modum ac formam, in qua perseuerantia magis conuenit cum fortitudine, *inquantum firmitatem seruat contra difficultatem diuturnitatis*. Cuius virtutis etiam est, moderari aliquas passiones, scilicet timorem fatigationis, aut defectus, propter diuturnitatem; quã de causa etiam hæc virtus est in *appetitu irascibili*, sicut & fortitudo, iuxta S. Thomam eodem a. 2. ad 1. & 2.

92 ASSERTIO III. Est quidem Constantia virtus affinis perseuerantiæ; sed reipsa tamen ab ea distincta. Ita S. Thomas q. 137. a. 3. Probatur. Quia perseuerantia & constantia conueniunt quidem in fine, quia ad vtrumque pertinet firmiter persistere in aliquo bono. Differunt autem secundum ea, quæ difficultatem adferunt ad persistendum in bono. Nam virtus perseuerantiæ *facit firmiter persistere hominem in bono, contra difficultatẽ*, quæ prouenit ex ipsa *diuturnitate actus*. Constantia autem *facit firmiter persistere in bono*, contra difficultatem, quæ prouenit *ex quibuscunque* alijs *exterioribus impedimentis*. Et ideo principalior pars fortitudinis est perseuerantia, quam constantia: quia difficultas, quæ est ex diuturnitate actus, est essentialior actui virtutis, quam illa quę est ab exterioribus impedimentis. Ita S. Thomas cit. a. 3. Conuenit quidem etiam constantia cum patientia, ex parte materiæ, quatenus vtraque respicit exteriora impedimenta virtutis, quæ tristitiam aut difficultatem adferunt; sed conuenientia ex parte finis, qua cum perseuerantia conuenit, est potior.

93 ASSERTIO IV. Perseuerantia indiget speciali auxilio gratiæ. Ita S. Thomas q. 137. a. 4. Probatur & declaratur. Perseuerantia enim ad propositum dupliciter accipitur. Primo pro ipso *habitu perseuerantiæ, secundum quod est virtus*, nempe specialis & infusa. Et hoc modo indiget dono *habitualis gratiæ*, sicut & cæteræ virtutes infusæ; secundo potest accipi pro *actu perseuerantiæ, durante vsque ad mortem*. Et hoc sensu indiget non solum gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio, conseruantis hominem in bono, vsque ad finem vitæ, iuxta Augustinum l. de bono perseuerant. Quia cum liberum arbitrium de se sit *vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem gratiam, præsentis vitæ, non subest potestati arbitrij, etiam per gratiam reparati, vt se immobiliter in bono statuat: licet sit in potestate eius, quod hoc eligat. Plerung enim cadit in nostra potestate electio, sed non executio.* Ita S. Thomas. De qua re ex instituto actum de gratia q. 3. dub. 8. & q. 6. dub. 9.

ASSERTIO V. Duo sunt vitia perseuerantiæ 94
opposita; nimirum mollities, & pertinacia. Illa per defectum, ista per excessum. Ita S. Thomas q. 138. a. 1. & 2. ex Aristotele 7. Ethic. 7. & c. 9. & Cicerone l. 2. de inuent. Probatur & declaratur. Laus enim perseuerantiæ in hoc consistit, *vt non recedatur à bono, propter diuturnam tolerantiam difficilium & laborioſorum*; cui directe & per defectum opponitur, si quis facile recedat à bono, *propter aliqua difficilia, quæ sustinere non potest*; quod ad *mollitiem* pertinet, qua quis recedit à bono, propter tristitias causatas ex defectu delectationum, quasi *cedens debili mouenti*; sicut molle dicitur, quod facile cedit tangenti, non autem, quod cedit fortiter impellenti; cum & parietes (vtique non molles) *cedant machinæ percutienti*, iuxta Aristotelem 2. Eth. c. 7. Grauius autem impellit metus periculorum, quam cupiditas delectationum: ipsa etiam voluptas *fortius mouet attrahendo*, quam tristitia de carentia voluptatis *retrahendo*; quia carentia voluptatis est *purus defectus*: qui ergo huic cedit, *mollis dicitur*.

Alia est *mollities*, castitati opposita, de qua Apostolus 1. Cor. 6. v. 10. vt notum est.

At vero si quis in proposito suo vltra debitum 95
ac decentiam perseuerat, incidit in vitium pertinaciæ, perseuerantiæ oppositum per excessum. Dicitur enim pertinax, iuxta Isidorum lib. 10. Etym. qui est *impudenter tenax*, & quasi *omnino tenens*; idemque *peruicax*, eo quod in proposito suo *ad victoriam* (quam antiqui *Viciam* dicebant) *perseuerat*. Quos etiam Aristoteles 7. Eth. cap. 9. vocat *Ischyrognomones*, id est fortis sententiæ, vel *Idiognomones*, id est, propriæ sententiæ; quia scilicet perseuerant in propria sententia *plusquam oportet*; mollis autem *minus quam oportet*: perseuerans, *secundum quod oportet*. Vnde patet inquit S. Thomas cit. a. 2. *quod perseuerantia laudatur sicut in medio existens; pertinax autem vituperatur secundum excessum medij; mollis autem secundum defectum.*

Magnitudo vero vitiorũ seu peccatorum, quæ perseuerantiæ opponuntur, ex ratione materiæ, à qua quis deficit, seu in qua quis vltra debitum persistit, damnisque consecutis æstimanda est.

QVÆSTIO III.

De Temperantia, ac virtutibus annexis, vitijsque oppositis.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 141. vsque ad 170.

ABsoluetur hæc quæstio decem dubitationibus. I. De ipsa temperantia secundum se, vitijsque oppositis, ac præceptis in genere. II. De partibus temperantiæ in genere; ac speciatim de duabus eius partibus integrantibus, verecundia, & honestate. III. De abstinentia & sobrietate, velut partibus subiectiuis temperantiæ, vitijsque oppositis, gula & ebrietate. IV. De ieiunio velut actu abstinentiæ, an & cuius virtutis sit actus. V. Ad quidnam, quomodo & quosnam obliget præceptum ieiunij Ecclesiastici; & quinam ab eo excusentur. VI. De castitate, velut tertia parte subiectiua temperantiæ, & virginitate eidem subiuncta. VII. De luxuria, varijsque eiusdem speciebus castitati oppositis. VIII. De partibus potentialibus temperantiæ, speciatim de continentia & mansuetudine, vitijsque oppositis. IX. De modestia in genere; deque humilitate, ac vitio opposito superbiæ. X. De studiositate, alijsque modestiæ speciebus, circa motus corporis, ac res exteriores.

DVBIVM I.

De ipsa temperantia secundum se, vitijsq; oppositis, ac præceptis in genere.

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 141. 142. & 170.

QVæritur primò, an & qualis virtus sit temperantia. Respondetur ex doctrina S. Thomæ q. 141. sequentibus assertionibus. I. Temperantia est virtus, & quidem specialis. Ita S. Thomas q. 141. a. 1. & 2. ex Aristotele 2. Eth. c. 7. & 4. Eth. c. 3. Itemque Augustino lib. de moribus Ecclesiæ c. 15. & 19. & Ambrosio l. 1. de officijs c. 43. Ratio est. Quia habet propriam honestatẽ, difficultatem ac materiam; vtpote refrænans appetitum sensitiuum ab ijs, *quæ maxime alliciunt hominẽ*, vt sunt delectabilia secundum tactum; cui etiam respondere aliquo modo donum timoris, notat S. Thomas eodem a. 1. ad 3. de qua re egimus tom. 2. d. 3. q. 6 dub. 1. & hic disp. 2. q. 1. dub. 3. & disp. 1. q. 6. dub. 5. vbi potius donum scientiæ; Temperantiæ respondere diximus.

1

ASSERTIO II Temperantia versatur circa concupiscentias & delectationes tactus; ac tristitias ex earundem absentia oriri solitas. Ita S. Thomas q. 141. a. 3. & 4. ex Aristotele 3. Ethic. c. 10. vbi ait: *Temperantia proprie est circa concupiscentias, & delectationes tactus.* Et Cicero lib. 2. de inuent. ait: *Temperantia est rationis in libidinem, atq; in alios impetus animi firma & moderata dominatio*: in *alios* scilicet non rectos *impetus animi* consequenter, in quantum ad moderationem priorum passionum *sequitur moderatio posteriorum.* Qui enim non immoderate concupiscit, *consequens est, vt moderate speret, & moderate de absentia concupiscibilium tristetur*, vt explicat S. Thomas cit. a. 3. ad 1. Et in eundem sensum Isidorus libr. Etymol. ait: *Temperantia est, qua libido concupiscentiaq; refrænatur.*

2

Ratio est. Ad virtutes enim morales pertinet, passiones moderari, tum eas præcipue, quæ consistunt in fuga malorũ sensibiliũ; tum eas quę consistunt in prosecutione bonorũ sensibiliũ. Primũ pertinet ad fortitudinẽ, ac virtutes annexas, secũdũ ad temperantiã: ac proinde sicut fortitudo p se ac præcipue est *circa timores*; ex consequenti autẽ *circa audaciam*, quæ aggreditur terribilia sub specie alicuius boni: ita etiã tẽperantia, quæ *moderationẽ* quandã significat, præcipue consistit *circa passiones tendẽtes in bona sensibilia*; scilicet circa cõcupiscẽtiã & delectationẽ, ex consequẽti autẽ, *circa tristitias*, quæ contingũt ex absentia taliũ delectationum.

3

Et sicut fortitudo est circa timores & audacias *respectu maximorum malorum*, quibus ipsa natura extinguitur, vt sunt pericula mortis: ita temperantia est circa *concupiscentias maximarum delectationum*; vt sunt delectationes ciborum & potuum; & delectationes venereæ; *quæ omnes cõsequuntur sensum tactus.* Consequitur enim delectatio operationem connaturalem seu naturæ consonam; ac proinde tanto delectationes sunt vehementiores; *quanto consequuntur operationes magis naturales*; maxime autem naturales animalibus sunt operationes, quibus *conseruatur natura individui* per cibum & potum; & *natura speciei*, per coniunctionem maris & fœminæ.

Delectationes vero spirituales, etsi natura sua sint maiores delectationibus corporalibus, nõ tamen indigent, *pria virtute moderãte*, cum per se ac suo genere sint secundum rationẽ. Vnde non sunt refrænandæ, nisi per accidens, in quantum

4

scilicet *vna delectatio spiritualis retrahit ab alia potiori, & magis debita*, iuxta S. Thomam cit. art. 4.

Aliorum vero sensuum delectationes, quatenus quidem *referuntur ad delectationem tactus*, pertinent itidem ad temperantiam, non principaliter, *sed ex consequenti*. In quantum autem sensibilia aliorum sensuum etiam per se, ac *sine respectu ad tactum, sunt homini conuenientia*, vti cum delectamur musica seu suaui harmonia, non sunt materia temperantiæ, iuxta S. Thomam ibidem ad 3. etsi possint esse materia aliarum virtutum Eutrapeliæ, studiositatis. &c. quæ eiusmodi delectationes sufficienter moderantur.

5 Assertio III. Etsi quidem temperantia principaliter sit circa delectationem tactus, vt dictũ; secundario tamen etiam est *circa delectationes olfactus, & visus, maxime vero gustus*, velut sensus tactui propinquioris: inquantum sensibilia horum sensuum conferunt ad delectabilem *vsum rerum necessariarum*, quæ pertinent ad tactum. Ita S. Thomas q. 141. a. 5. vbi ita explicat dictum Aristotelis l. 3. Eth. c. 10. cum ait; quod *temperantia & intemperantia videntur gustu parum vel nihil vti.*

Ratio est; Quia qualis est ordo bonorum sensibilium, ad conseruationem humanæ vitæ, seu in specie, seu in indiuiduo, talis etiam est habitudo eorumdem ad temperantiam, quæ versatur circa bona sensibilia, spectantia ad conseruationem humanæ vitæ: bona autem illa sensibilia ad eum finem ita se habent, vt quædam seu vno quidem modo, quatenus præcise sunt delectabilia secundum tactum, sint necessaria simpliciter ad eum finem; vt est ipse vsus cibi & potus, persona viri & fœminæ, alia vero sint solum ad hoc vtilia, *vt vsus necessariorum sit magis delectabilis*, sicut *pulchritudo & ornatus fœminæ, & sapor delectabilis in cibo, & etiam odor*: Ergo etiã ita se habent ad temperantiam, vt alia quidem sint principalis, alia vero secundaria eiusdem materia.

6 Assertio IV. Regula temperantiæ, ex *præsentis vitæ necessitate*, per respectum ad ipsum operantem desumenda est. Ita S. Thomas q. 141. artic. 6. ex Augustino lib. de moribus Ecclesiæ cap. 21. vbi ait: *Habet vir temperans in rebus huius vitæ regulam, vtroque testamento firmatam, vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ huius, atque officiorum necessitatem, quantum satis est vsurpet, vtentis modestia, non amantis affectu.*

Ratio est; quia delectabilia sensus, quæ in vsum hominis veniũt, *non sunt per se bona & expetenda*; sed solum quatenus ordinãtur ad subleuandam aliquam huius vitæ necessitatem, velut ad finem: ergo temperantia necessitatem huius vitæ adhibet velut regulam delectabilium, quibus vtitur; vt scilicet tantùm ijs vtatur, quantum necessitas huius vitæ requirit. In quem sensum etiam Aristoteles 3. Eth. c. 11. ait; *Temperatum appetere delectabilia propter sanitatem, vel propter bonam habitudinem.*

Nec per se est peccatum, etiam ijs, quæ absolute non sunt necessaria, sed vtilia ad eundem finem, *moderate vti, pro loco, & tempore, & congruentia eorum, quibuscum viuitur*, vt notauit S. Thomas ibidem ad 2. ex Aristotele loc. cit. vbi ait. *Temperatum etiam appetere alia delectabilia*, quæ scilicet non sunt necessaria ad sanitatem, vel ad bonam habitudinem; *non impedimenta his existentia*: habita tamen ratione omnium circumstantiarum: vt non sint contra honestatem, nec supra substantiam seu facultatem, vel conditionem ipsius personæ, iuxta S. Thomam ibidem ad 3. ex Aristotele & Augustino locis citatis.

Assertio V. Temperantia est quidem virtus cardinalis, non tamen maxima virtutum; 7
vtpote quæ cedit non solum prudentiæ, sed etiam iustitiæ & fortitudini. Ita S. Thomas q. 141. articulo 7. & 8. Prima pars sumitur ex Gregorio libro 1. moral. cap. 36. Ratio est; *virtus cardinalis* dicitur quæ principalius sibi vindicat aliquid ex ijs, quæ communiter requiruntur ad rationem virtutis: *moderatio* autem, quæ in omni virtute requiritur, *præcipue laudabilis est in delectationibus tactus*, circa quas est temperantia: tum quia tales delectationes sunt magis nobis naturales, & ideo *difficilius est*, ab eis abstinere, & concupiscentias earum refrænare; tum etiam quia earum obiecta sunt *magis necessaria* præsenti vitæ, vt ex dictis patet. Secunda pars constat ex dictis quæst. 2. dub. 1. quæsito 3.

Quæritur secundo, an & quænam vitia temperantiæ opponantur. Assertio I. Temperantiæ 8
virtuti, duo vitia extrema opponuntur; vnum per defectum, nempe Insensibilitas; alterum per excessum, nempe Intemperantia. Ita S. Thomas quæstione 142. articulo 1. & 2. ex Aristotele 2. Ethic. cap. 7. & libro 3. cap. 11. Probatur & declaratur. Quia hoc ipso, quod temperantia in medio consistit, fit vt vtrinque vitium sibi oppositum habeat. Per defectum quidem, *si quis adeo delectationem refugiat, vt prætermittat ea, quæ sunt necessaria ad conseruationem naturæ*, quod pertinet *ad vitium insensibilitatis*. Cum enim ipsa vi naturæ delectatio sit *apposita operationibus necessarijs ad vitam hominis, naturalis ordo requirit, vt homo in tantum huiusmodi delectationibus vtatur, quantum est necessarium saluti humanæ*, vel quantum ad conseruationem indiuidui, vel quantum ad conseruationem spei.

Sciendum tamen, inquit S. Thomas ibidem, 9
quod ab huiusmodi delectationibus quandoque laudabile, vel etiam necessarium est abstinere, propter aliquem finem. Sicut propter sanitatem corporalem aliqui abstinent à quibusdam delectationibus ciborum, potuum, & venereorum; idque ex præscripto ipsius temperantiæ: ijs enim quæ sanitatem vel bonam habitudinem impediunt, *temperatus nullo modo vtitur*: id enim esset *peccatum contra temperantiam*, iuxta S. Thomam, quæst. præced. artic. 6. *Aliqui abstinent à quibusdam eiusmodi delectationibus, propter alicuius officij executionem, sicut athletæ & milites necesse est à multis delectationibus abstinere, vt officium proprium exequantur. Et similiter pœnitentes, ad recuperandam animæ sanitatem, abstinentia delectabilium, quasi quadam dieta vtuntur, & homines volentes contemplationi & rebus diuinis vacare, oportet quod se*

magis

magis à carnalibus desiderijs, multisque delectabilibus abstrahant, à quibus illi, quibus ex officio competit operibus corporalibus, & generationi vacare, laudabiliter non abstinent.

Per excessum autem contra temperantiam peccatur, si quis plus delectationibus tactus indulgeat, quam sit necessarium, vel opportunum ad conseruationem humanæ vitæ; idq; vitium generatim vocatur Intemperantia.

10 ASSERTIO II. Intemperantia est peccatum puerile, & vitium maxime probrosum; maiusq; ex suo genere vitio timiditatis. Ita S. Thomas q. 142. artic. 2. 4. & 3. Prima pars sumitur ex Aristotele 3. Ethic. cap. vlt. Probatur & declaratur. Dicitur enim aliquid esse puerile dupliciter. 1 quia conuenit pueris: & sic peccatum intemperantiæ *non dicitur puerile*, vtpote cui illi minus obnoxij sunt. 2. per quandam *similitudinem*, quam habet superflua concupiscentia cum puero. Primo *quantum ad id, quod vterque appetit:* sicut enim puer, ita & concupiscentia appetit aliquid *turpe*, hoc est, dissentaneum ordini rectæ rationis, *ad quem puer non attendit*, & quem concupiscentia non audit, iuxta Aristotelem 7. Ethic. cap. 6.

Secundo *quantum ad euentum*, puer enim, *si suæ voluntati dimittatur*, crescit in peruicacia, iuxta Eccli 30 v. 8. *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps.* Ita etiam concupiscentia, si ei satisfiat, *maius robur accipit*, iuxta Augustinum l. 8. Conf. c. 5. *Dum seruitur libidini, facta est consuetudo. Et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

Tertio *quantum ad remedium*, quod vtrique præbetur. Puer enim emendatur per hoc, quod coercetur, iuxta Prouer. 23. vers. 13. *Nolite subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Similiter & concupiscentia, dum ei *resistitur*, reducitur ad debitum honestatis modum, iuxta Augustinum libro 6. de musica cap. 11. vbi ait: *Mente in spiritualia suspensa, atque ibi fixa, & manente, consuetudinis impetus frangitur, & paulatim repressus extinguitur. Maior enim erat cum sequeremur, non omnino nullus,* 11 *sed certe minor, cum frænamus.*

Secunda pars assertionis sumitur ex Aristotele 3. Ethic. cap. 10. Ratio est: tum quia intemperantia maxime repugnat excellentiæ hominis, hoc ipso, quod est circa delectationes communes nobis & brutis, ad quorum proinde conditionem hominem deijcit, iuxta illud psalm. 48. vers. 13. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Tum quia maxime repugnat hominis *claritati* vel pulchritudini in debito rationis ordine constitutæ; inquantum scilicet *in delectationibus, circa quas est intemperantia, minus apparet de lumine rationis.* Vnde & huiusmodi delectationes dicuntur *maxime seruiles.* Et S. Gregorius libro 33. cap. 11. ait: *Vitia carnalia etsi sint minoris culpæ, sunt tamen maioris infamiæ.*

Tertia pars est Aristotelis 3. Ethic. cap. 12. 12
Ratio sumitur, tum ex parte materiæ, seu obiecti. Timiditas enim refugit pericula mortis, ad quæ vitanda *inducit maxima necessitas conseruandæ vitæ.* Intemperantia autem est circa immoderatas delectationes, *quarum appetitus non est adeo necessarius*, ad vitæ conseruationem. Tum ex parte ipsius hominis peccantis: idque triplici ratione. 1. Quia timores & tristitiæ graues, maxime in periculis mortis, magis hebetant & *obstupefaciunt* mentem hominis, quam delectationes. 2. Quia quod fit ex intemperantia, magis est voluntarium, quam quod metu fit, iuxta Aristotelem 3. Ethic. cap. 1. de quo actum tom. 2. disp. 2. quæstione 1. dub. 5. 3. Quia contra intemperantiam potest *facilius remedium adhiberi*, quam contra timiditatem: non solum quia ad vitandam intemperantiam, maximum remedium est fuga, *vt non immoretur homo circa singularium delectabilium considerationem*; sed etiam quia vsus temperantiæ est quotidianus, vtpote in re quotidiana occupatus. Pericula autem mortis *rarius occurrunt*; & periculosius *in his homo exercetur, ad timiditatem fugiendam.*

Tertio quæritur, an & quænam extent præ- 13
cepta temperantiæ; & an ea recte in lege diuina tradantur. Respondetur ex doctrina Sancti Thomæ quæstione 170. præcepta temperantiæ esse duplicis generis, vt sæpe de alijs virtutibus dictum. Alia enim sunt affirmatiua, quæ obligant ad vsum seu exercitium temperantiæ, opportuno tempore & loco, in ordine ad debitam sustentationem humanæ vitæ, siue quoad speciem, siue quoad rationem indiuidui, vt ex dictis colligitur, & suo loco de matrimonio vberius explicandum est. Alia sunt negatiua, quibus prohibentur vitia temperantiæ opposita, de quibus superius actum est.

Vtraque vero præcepta, tam de ipsa temperantia, quam de virtutibus temperantiæ annexis, recte & conuenienter in diuina lege traduntur; quatenus in ipso decalogo prohibetur *adulterium*, non solum *secundum quod opere exercetur*: sed etiam *secundum quod corde concupiscitur*, quia in decalogo ea præcepta ponuntur, quæ directius ordinantur *ad dilectionem Dei & proximi.* Inter vitia autem temperantiæ opposita, dilectioni proximi *maxime videtur opponi adulterium*, per quod vsurpat quis sibi rem alienam, abutendo scilicet vxore proximi; cuius tamen generis præcepta multo plura in noua lege clarius explicata fuere, vt patet Matthæi 5.

Ptæcepta vero affirmatiua in decalogo tradi 14
non conueniebat; quia præcepta decalogi *oportet esse communia:* vsus autem & modus temperantiæ *variatur*, secundum diuersa tempora, & secundum diuersas hominum leges & consuetudines, vt ex Augustino lib. de bono coniugali cap. 15. notauit Sanctus Thomas quæstione 170. art. 1. ad 3.

Quod vero ad virtutes temperantiæ annexas 15
attinet, eæ dupliciter considerari possunt; secundum se nimirum, & secundum suos effectus.

Priori modo non ponuntur in decalogo; quia *non habent directam habitudinem ad dilectionem Dei vel proximi*; sed magis respiciunt quandam moderationem eorum, quæ ad ipsum hominem (operantem) pertinent. Posteriori consideratione aliqua præcepta in decalogo ponuntur, *pertinentia ad prohibendum effectus vitiorum oppositorum temperantiæ* partibus: quia hac ratione virtutes illæ respiciunt dilectionem Dei vel proximi. Sicut ex ira mansuetudini opposita *procedit interdum aliquis ad homicidium*, quod in decalogo prohibetur; aut ad subtrahendum debitum honorem parentibus, quod etiam potest ex superbia prouenire; ex qua etiam multi transgrediuntur præcepta primæ tabulæ. Ita fere S. Thomas q. 170. a. 2. De qua re plura tom. 2. disp. 5. quæst. 4. dub. 1. & 3.

DVBIVM II.

De partibus temperantiæ in genere; ac speciatim de duabus eius partibus integrantibus, verecundia & honestate.

S. Thomas 2. 2. q. 143. 144. & 145.

16 QVæritur primo, quot, & quænam sint partes temperantiæ in genere. Respondetur cum S. Thoma quæstion. 143. a. vn. quemadmodum aliarum virtutum cardinalium, ita etiam temperantiæ triplices esse partes, videlicet integrales, subiectiuas, ac potentiales. Partes quasi integrales sunt duæ, scilicet *verecundia*, per quam aliquis *refugit turpitudinem temperantiæ contrariam*, & *honestas*, qua amatur *pulchritudo temperantiæ*, has enim velut conditiones necesse est concurrere ad vsum temperantiæ: quæ & peculiarem decoris cuiusdam laudem sibi vendicat; & cuius opposita vitia maximam turpitudinis notam annexam habent, vt dictum.

17 Partes autem subiectiuæ temperantiæ, quæ distinguuntur *secundum diuersitatem materiæ, vel obiecti*, sunt quatuor. Delectationes enim tactus, in quibus frænandis versatur temperantia, diuiduntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutrimentum, & in his, *quantum ad cibum est abstinentia*; *quantum autem ad potum est sobrietas*. Quædam vero ordinantur ad vim generatiuam: & in his quantum ad delectationem principalem ipsius coitus, est *Castitas*: quantū autem ad delectationes circumstantes, quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus, attenditur *Pudicitia*: quam tamen proprie non esse virtutem specialem à castitate essentialiter distinctam, patebit inferius dub. 6.

18 Partes autem potentiales, seu virtutes secundariæ, sic dictæ quod modum operandi, *quem principalis virtus obseruat circa aliquam principalem materiam, eundem obseruant in quibusdam alijs materijs non ita difficilibus*, rursum sunt triplicis generis, pro triplici moderatione seu refrænatione appetitus, in aliquid tendentis, quam virtutes in certa materia efficiunt: nimirum 1. In interioribus motibus animi. 2. in exterioribus motibus & actib⁹ corporis. 3. in exterioribus reb⁹. Nam præter motum concupiscentiæ, quem moderatur & refrænat temperantia, tres motus inueniuntur interni animæ in aliquid tendentis. Primus est *motus voluntatis, commotæ ex impetu passionis*; quem motum refrænat *Continentia*; qua fit, vt licet homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur. Secundus motus interior in aliquid tendens, est *motus spei, & audaciæ*, quæ ipsam consequitur; & hunc motum moderatur siue refrænat *humilitas*. Tertius *motus est iræ*, tendens in vindictam, quem refrænat *mansuetudo*, siue clementia.

Circa motus autem & actus exteriores corporis, moderationem & refrænationem inducit *modestia*; 19
quam Andronicus rursum diuidit in *bonam ordinationem, decentiam seu ornatum, & austeritatem*, seu potius decentem grauitatem.

Circa exteriora vero duplex moderatio est adhibenda. Primo quidem, vt superflua non requirantur, & quantum ad hoc ponitur à Macrobio lib. 1. in somnium Scipionis *Parcitas*, & ab Andronico *per se sufficientia*. Secundo vt non nimis exquisita requirantur; & quantum ad hoc ponit Macrobius *moderationem*, Andronicus vero *simplicitatem*.

Qua ratione vniuersim sex partes potentiales, seu virtutes temperantiæ adiunctæ constituuntur, nimirum *continentia, humilitas, mansuetudo seu clementia, modestia, parcitas, & moderatio, siue simplicitas*. E quibus etiam Cicero libro 2. de inuent. tres recenset, nimirum continentiam, clementiam, & modestiam, sub qua ille comprehendi voluit omnia, quæ pertinent ad moderationem corporalium motuū & exteriorum rerum, atque etiam moderationem spei, quam ad humilitatem pertinere dictum est, iuxta S. Thomam cit. quæstione 143. a. vn. ad 4. Etsi reuera humilitatis virtus parum Ethnicis perspecta fuerit. 20

In eundemque sensum intelligenda est partitio temperantiæ, apud Macrobium cit. lib. 1. in somnium Scip. vbi dicit, quod *temperantiam sequitur modestia, verecundia, abstinentia, castitas, honestas, moderatio, parcitas, sobrietas, pudicitia*. Sed an omnes istæ quas retulimus ex S. Thoma, sint veræ partes potentiales temperantiæ, virtutesque ab ea distinctæ, de singulis inferius sigillatim dicetur.

Quæritur secundo, quid, & in quibus sit verecundia. Respondetur cum S. Thoma q. 144. 21
sequentibus assertionibus I. Verecundia proprie non est virtus, licet sit quædā *laudabilis passio*; qua ratione late aliquando virtus dicitur. Ita S. Thomas q. 144. a. 1. ex Aristotele 2. Eth. c. 7. & lib. 4. cap. vlt. Ratio est; Quia virtus est *habitus electiuus*, seu ex electione operans, & si statum perfectum habeat, excludit in operante timorem rei turpis & probrosæ, velut mali possibilis & ar-

dui,

dui, seu difficilis ad vitandum; neque etiam actu admittit aliquid turpe, vnde probrum timeatur. Verecundia autem, cum nihil aliud sit, quam timor alicuius rei turpis & probrosæ, proprie non est habitus, sed passio, neque motus eius est ex electione, sed ex impetu quodam passionis; neque excludit timorem seu opinionem rei turpis, velut possibilis & arduæ, seu difficilis ad vitandum, sed eum timorem potius includit, vt dictum: ergo vtraque de causa deficit à ratione perfectæ virtutis: etsi reuera posterior causa non excludat essentiam, sed solum statum perfectæ virtutis.

22 Neque vero verecundia est pars temperantiæ, *quasi intrans essentiam eius*, inquit Sanctus Thomas articulo 4. ad 4. sed quasi *dispositiue se habens ad ipsam*, iuxta Ambrosium lib. 1. de officijs c. 43. asserentem, *verecundiam iacere prima temperantiæ fundamenta.*

23 Assertio II. Verecundia primo ac principaliter ipsum vituperium respicit ac timet; secundario autem vitiosam turpitudinem. Ita S. Thomas quæst. 144. art. 2. ex Damasceno lib. 2. cap. 15. & Gregorio Nysseno l. 4. de creat. hom. cap. 14. Ratio est. Timor enim proprie est de malo arduo, quod difficile vitatur; turpitudo autem vitiosa, in deformitate actus voluntarij posita, proprie loquendo non habet rationem mali ardui: quod enim *in sola voluntate consistit, non videtur esse arduum, & eleuatum supra hominis potestatem*, iuxta Aristotelem 2. Rhetor. c. 5. vbi idcirco negat, horum malorum esse timorem. Alia vero est turpitudo quasi pœnalis, posita in vituperio; quod habet rationem *mali ardui*, sicut honor habet rationem boni ardui.

Cum ergo verecundia proprie sit timor turpitudinis, necesse est, vt primo & principaliter respiciat vituperium seu *opprobrium*, & ex consequenti turpitudinem vitiosam: idque rursum dupliciter; vel nimirum vt quis desinat vitiosa agere propter timorem vituperij; vel vt in turpibus, quæ agit, ob eandem causam vitet conspectus publicos; quorum primum, secundum Gregorium Nyssenum lib. 4. de creat. cap. 14. pertinet ad erubescentiam; secundum ad verecundiam, cum ait: *Qui verecundatur, occultat se in his quæ agit: qui vero erubescit, timet incidere in inglo-riationem.*

24 Bona vero, seu actus virtutum nequaquam sunt materia verecundiæ; licet ob imperfectionē virtutis nonnunquam accidat, *vt quis verecundetur de probris propter virtutem illatis*: siue quia ab alijs, quæ recte fiunt *habentur vitiosa*; siue quia homo refugit in operibus virtutum *notam præsumptionis, aut etiam simulationem.*

Quo vero quisque magis est virtute præditus, eo magis contemnit exteriora bona vel mala, iuxta præceptum Isaiæ 51. v. 7. *Nolite timere opprobrium hominum*: & illud Christi Lucæ 9. vers. 26. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.*

25 Assertio III. Cæteris paribus, magis verecundamur, à personis coniunctis, cum quibus semper sumus conuersaturi; *quasi nobis ex hoc perpetuum obueniat detrimentum.* Quod autem probrum prouenit à peregrinis & transeuntibus, *quasi momentaneum facile contemnitur.* Ita S. Thomas q. 144. a. 3. ex Aristotele 2. Rhetor. c. 6. Et addit; cæteris paribus, magis verecundari homines *coram sapientibus & virtuosis*, propter iudicij perfectionē; non autem coram pueris & bestijs, quibus nullum est iudicium. Secundo magis coram ijs, *qui possunt plus prodesse, vel obesse*, quales communiter sunt etiam personæ magis coniunctæ; nisi in ipsa peccati societate coniunctæ sint, à quibus nemo verecūdatur, hoc ipso, quod existimamus, eos *defectum nostrum non apprehendere, vt aliquid turpe.*

Assertio IV. Neque senes, neque scelerati, 26
neque probi ac perfecti homines verecundia mouentur; quod tamen illis diuersis de causis accidit. Ita S. Thomas q. 144. art. 4. ex Aristotele 4. Ethic cap. vlt. Probatur & declaratur: quia cum verecundia sit timor alicuius turpitudinis, duo ad eam requiruntur; & vt turpitudo pro re mala habeatur, & vt verecundanti æstimetur possibilis ac vitatu difficilis. Ex defectu prioris conditionis, carent verecundia homines scelerati, iuxta illud Ieremiæ 3. v. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi; noluisti erubescere.* Ex defectu secundæ conditionis, senes & virtuosi verecundia carent; qui tamen ita simul dispositi sunt, vt si in eis esset aliquid turpe, de hoc verecundarentur, iuxta Aristotelem loc. cit.

Quæritur tertio, quid sit honestas, seu hone- 27
stum, & qua ratione ad virtutem, itemque bonum vtile & delectabile se habeat.

Assertio I. Honestas, seu honestum ad virtutem pertinet, siue tanquam genus virtutum, idemq; cum virtute; siue tanquam proprietas virtutem consequens. Est mens S. Thomæ q. 45. a. 1. Probatur & declaratur; quia tametsi honestas etiam alijs modis accipiatur, vt pro diuitijs & exteriori prosperitate, velut iuxta vulgi opinionē honore digna, Eccli 11. v. 14. & 25. itemq; pro decentia morū in externa conuersatione, iuxta 1. Cor. 14. v. 40. nonunquā etiam, vt quiddā cōmune est omni bono per se expetibili, iuxta Ciceronē l. 2. de inuent. proprie tamen ac principaliter tum pro ipsa virtute sumitur, iuxta Ciceronem l. 1. de officijs & l. 2. de inuent. vbi honestum diuidit in quatuor virtutes principales; tum dignitatem, adeoq; proprietatē virtutis, secundū quam virtus est honore digna. Dicitur enim iuxta Isidorū lib. 10. Etymol. c. 8. *honestas*, quasi *honoris status*, adeoque honestum quod est honore dignum. Debetur autem honor excellentiæ; quæ in virtute potissimum cernitur, velut *dispositione perfecti ad optimum*, iuxta Aristotelē 7. physic. text. 17. & 18.

Assertio II. Honestum, & *spirituale decorum*, 28
sunt idem. Ita S. Thomas q. 145. a. 2. ex Augustino l. 83. q. 30. vbi ait: *Honestatem voco intelligibilē pulchritudinem, quam spiritualem nos proprie dicimus.* Et infra: *Multa sunt pulchra visibilia, quæ minus proprie honesta appellantur.* Ratio est: quia ad rationē pulchri siue decori pertinet *claritas* & *debita proportio*, iuxta Dionysium cap. 4 de diuin. nomin. par. 1. vnde pulchritudo corporis in hoc cōsistit, *quod homo habeat membra corporis bene proportionata,*

cum

cum quadam debiti coloris claritate. Pari igitur ratione, decor seu pulchritudo spiritualis, in eo consistit, vt vita moresque hominis sint bene proportionati, secundum spiritualem rectæ rationis claritatem; quod ad rationem honesti ac virtutis pertinet.

29 Assertio III. Honestum delectabile, & vtile, quamuis *subiecto eadem* sint, *ratione* tamen inter se *differunt.* Ita S. Thomas quæst. 145. art. 3. Probatur & declaratur. Honestum enim dicitur aliquid, secundum dignitatem & excellentiam virtutis, honore dignam; delectabile, quod *appetitum quietat*, & suauiter afficit; vtile, quod per modum medij ad aliud consequendū refertur. Cum igitur omne honestum sit *secundum rationem ordinatum*, adeoq; naturaliter homini *conueniens*, ac simul *vtile* ad felicitatē, tanquam ad finē, consequens est, omne honestū esse etiā delectabile, & vtile: sicut etiā omne vtile delectabile est; nō vero contra omne delectabile honestū & vtile, nec omne vtile honestū, vt docet etiā Aristoteles 2. Eth. c. 3. Quæ etiā ita se habent respectu appetit⁹, vt honestū & delectabile sit propter se ipsum expetendū; vtile autē formaliter non nisi propter aliud, vt post Aristotelē 10. Eth. c. 2. & Augustinū l. 83. q. 30. docet S. Thomas ibidē ad 1. ex cōmuni, & pluribus dictum tom. 2. disput. 1. q. 1. dub. 1. n. 8. & dub. 3. num. 33.

30 Assertio IV. Honestas dicitur pars integralis temperantiæ, per modū cuiusdā *conditionis*, quæ in ipsa temperantia potissimū ac speciali ratione elucet. Ita S. Thomas q. 145. ex Macrobio lib. 1. in somniū Scip. & Ambrosio l. 1. de officijs c. 43. Ratio est; qua licet alioquin honestas, vt dictū, cuilibet virtuti cōmunis sit, speciali tamen quadam ratione tribuitur temperantiæ; quæ ab homine id, quod est ei *turpissimū & indecentissimū*, *repellit*, *scilicet brutales voluptates*; quæ quidē est conditio, seu potius affectio velut intrinseca ipsius temperantiæ.

DVBIVM III.

De abstinentia, & sobrietate, velut partibus subiectiuis temperantiæ, vitijsq; oppositis, gula & ebrietate.

S. Thomas 2. 2. q. 146. 148. 149. & 150.

31 Abstinentiam & sobrietatem esse partes quasdam subiectiuas, seu species tēperantiæ, constat ex dictis du. 2. de quibus in præsenti quatuor quæsita ex doctrina S. Thomæ breuiter explicanda sunt. 1. de abstinentia. 2. de gula, tanquā vitio opposito abstinentię. 3. de sobrietate. 4. de ebrietate vitio opposito. De ieiunio vero velut actu abstinentiæ agemus dubio sequenti.

Primum igitur quæritur, an & qualis virtus sit abstinentia. Respondeo cum S. Thoma q. 146. a. 1. & 2. duabus assertionibus. I. Abstinentia est virt⁹, & quidē specialis, vt tradit etiam Macrobius l. 1. in som. Scip. Probatur ex 2. Petri 1. v. 5. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutē, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem.* Vbi abstinentia alijs virtutibus annumeratur.

Ratio est. Licet enim abstinentia nonnunquam absolute *ciborum subtractionem* seu carentiam significet, iuxta illud Glossæ Rom. 14. ad illa verba: *Non est regnum Dei esca & potus*, asserentis, *nec in abstinendo, nec in manducando esse iustitiam*; qua ratione abstinentia etiā *neq; virtutem, neq; actum virtutis, sed quiddā indifferens* significat; in præsenti tamen, prout significat voluntariā abstinentiā seu moderationem in cibo, *ratione regulatam*, virtutem, ac quidem specialem significat, versantem in moderatione appetitus & delectationis edendi, vel etiam bibendi, quatenus potus præcise est pars quedam secundaria integræ & ad humanæ vitæ sustētationē necessariæ refectionis, iuxta S. Thomam q. 150. a. 2. ad 2. 32

Quam virtutē S. Petrus cōmendat verbis citatis; quibus dicitur, *in scientia esse abstinentiam ministrandam*, vt scilicet homo à cibis abstineat, *prout oportet, pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate*, iuxta Augustinū l. 2. quæst. Euangel. c. 11. Quamuis si moderatio ciborum *secundum quantitatem & qualitatem* solum referatur *ad valetudinem corporis*, non ad *interiores animæ affectiones*, *bonumq; rationis*; non ad virtutem abstinentiæ, *sed potius ad artem medicinæ pertineat*, iuxta S. Thomam ibidem a. 1. ad 2.

Nec obstat primo, quod abstinentia sit quædā *corporis castigatio* ad castitatē vtilis, iuxta Augustinum seu Fulgentiū de fide ad Petrum c. 42. Exquo sequi videtur, non esse virtutē à castitate distinctā: quia hoc est cōmune omnibus virtutibus, vt vna aliam adiuuet. 33

Nec obstat secundo, quod nulla specialis virtus statuitur circa moderationē vestimentorū. Vsus enim *vestimentorum*, inquit S. Thomas cit. a. 2. ad 3. *est introductus ab arte, vsus autem ciborum à natura. Et ideo magis debet esse virtus specialis, circa moderationē ciborū, quā circa moderationē vestimentorū.* Adde, hanc satis procurari per alias virtutes, puta humilitatē, modestiam, parcitatem, & simplicitatem, de quibus inferius agemus. 34

Nec tamē plane absurdū fuerit, etiā peculiarē virtutē, in decēti vestitus moderatione positā cōstituere; siue eam sobrietatē diuerso sensu, quam superius dictum, siue modestiam aut decentiam in vestitu appellare libeat.

Nec obstat tertio illud Apostoli 1. Cor. 18. v. 8. *Esca nos non commendat Deo. Neq; enim si manducauerimus abundabimus: neq; si non manducauerim⁹, deficiem⁹*, scilicet *spiritualiter.* Quamuis enim vsus ciborum, & eorum abstinentia, secundum se considerata, non pertineat *ad regnum Dei*, siue ad salutē animæ; vtrumq; tamen eorum, *secundum quod fit rationabiliter ex fide & dilectione Dei, pertinet ad regnum Dei*, vt bene S. Thomas cit. a. 1. ad 1. 35

Assertio II. Abstinentiæ virtus, licet à defectu seu negatione denominetur, consistit tamē in medio. Ita S. Thomas q. 146. a. 1. ad. 3. ex cōmuni. Ratio est; quia abstinentia sortitur communem

rationem

rationem temperantiæ, quæ itidem in medio consistit, licet à defectu denominetur. Quod quidem ideo accidit, quia sicut laus fortitudinis consistit *in quodam excessu*, vt animus firmetur contra timores, à bono rationis auocantes; ita etiam laus temperantiæ, cuius est refrenare delectationes, potissimum *consistit in quodam defectu*; ex quo *ipsa & omnes eius partes denominantur.*

37 Quæritur secundò, an, quale, & quotuplex peccatum sit gula, abstinentiæ apposita. Assertio I. Gula est peccatum, & quidem mortale, si quis ob gulæ inordinatam cupiditatem, aliquid in lege diuina sub peccato mortali præceptum deliberate omittat. Ita S. Thomas q. 148. a. 1. & 2. Probatur ex S. Gregorio 30. Moral. cap. 25. qui ait: *Dominante gulæ vitio, omne quod homines fortiter egerunt, perdit; & dum venter non restringitur, simul cunctæ virtutes obruuntur.* Ratio est; quia gula cum sit inordinatus appetitus edendi & bibendi, recedit à rectę rationis ordine & præscripto.

Quod si quis delectationi gulæ ita inhæreat, *tanquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmodi consequatur*, peccatum vtique mortale committet; vti in omni materia accidit. Si vero in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ, *tantum secundum ea, quæ sunt ad finem, vtpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei* (hoc est contra finem legis) *est peccatum veniale.* S. Thomas eit. a. 2.

Ex quo etiam q. 50. a. 2. ad 2. notandum, ad vitium gulæ pertinere, non tantum plus sumere in cibo, sed etiam in potu, quam necesse sit; nempe considerando potum, vt præcisè est pars refectionis necessariæ, vt superius dictum, alia autem ratione potus ad ebrietatem pertinet, vt dicemus.

38 Assertio II. Gula non est maximum peccatorum; sed ex suo genere ac per se plerisque alijs peccatis minus. Ita S. Thomas q. 148. a. 3. iuxta Gregorium lib. 33. Moral. cap. 11. asserente, *vitia carnalia esse minoris culpæ.* Ratio est. Quia siue gula spectetur ex parte materiæ, minus est ijs peccatis, quæ sunt circa res diuinas; adde etiam ijs, quæ graue nocumentum proximo adferunt: siue spectetur ex parte peccantis, facilius veniam, quam alia pleraque meretur, tum propter *necessitatem assumptionis ciborum*, tum etiam propter difficultatem discernendi & *moderandi id, quod in talibus conuenit.*

In quem sensum Gregorius 30. Moral. cap. 28. ait: *Quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, & quid voluptas suppetat, ignoratur.* Et Augustinus lib. 10. confess. cap. 31. *Quis est Domine, qui aliquantulum extra metas necessitatis cibum non sumit?*

Per accidens tamen, & ratione effectus consequentis, vitium gulæ habet quandam magnitudinem, in quantum ex ea oriuntur diuersa peccata; in quibus est etiam *detrimentum corporalis sanitatis &c.* iuxta illud Ezechielis 6. v. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Vnde Gregorius 30. Moral. cap. 26. *Ad conflictum spiritualis agonis non assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus, edomatur.*

Assertio III. Gula est vitium capitale; 39
cuius quinque numerantur filiæ, scilicet inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis. Ita S. Thomas quæst. 148. art. 5. & 6. ex S. Gregorio cap. 30. moralium. Ratio est; quia vitium capitale dicitur, *ex quo alia vitia oriuntur, secundum rationem causæ finalis*, (nimirum *præcipuè*, vt ex S. Thoma quæst. 118. art. vlt. notauit Caietanus hic a. 5.) eo quod habent finem seu obiectum *multum appetibile*: quod in vitio gulæ cernitur.

Ex qua quidem varia vitia consequuntur, etiam aliquo modo in genere causæ finalis, saltem velut acceptata ex finis appetitu, sicut ex appetitu vindictæ causatur exilium iuxta Caietanum ibidem: siue id vitium gulæ spectetur ex parte animæ, siue ex parte corporis. Ex parte quidem animæ id accidit quadrupliciter. 1. quantum ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi & potus, propter fumositates ciborum, perturbantes caput; vnde nascitur *hebetudo mentis.* 2. quantum ad appetitum, qui *deordinatur* per inordinationem cibi & potus, quasi sopito gubernaculo rationis; ex quo nascitur *inepta lætitia.* 3. quantum ad inordinatum verbum; & sic ponitur *multiloquium.* 4. quantum ad inordinatum actum; & sic ponitur *scurrilitas.* Ex parte autem corporis ponitur *immunditia*, quæ facile ex superfluitate cibi nascitur.

40 Assertio IV. Recte distinguuntur quinque species gulæ, secundum has conditiones; *præproperum, laute, nimis, ardenter, studiose.* Ita S. Thomas quæst. 148. ex S. Gregorio lib. 30. Moral. cap. 27. vbi ait: *Quinque modis nos gulæ vitium tentat: aliquando namque indigentiæ tempora præuenit; aliquando lautiores cibos quærit; aliquando quæ sumenda sunt præparari accuratius appetit, aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit; aliquando ipso æstu immensi desiderij aliquis peccat.* Ratio est; quia pro varia consideratione tum ipsius cibi, secundum quãtitatem, vel qualitatem; tum comestionis ac modi comedendi, variæ eiusmodi vitiositates accidunt.

Et quamuis ipsę circumstantiæ per se non constituant diuersas species, in præsenti tamen defectus diuersarum circumstantiarum *facit diuersas species gulæ, propter diuersa motiua ex quibus moralium species diuersificantur.* In eo enim qui quærit lautos cibos, excitatur concupiscentia ex *ipsa specie cibi.* In eo vero, qui præoccupat tempus, deordinatur concupiscentia, propter *impatientiam moræ.* Et idem patet *in alijs.* In loco verò, & in alijs circumstantils, *non inuenitur aliud differens motiuum, pertinens ad vsum cibi, quod faciat aliam speciem gu* 41
læ, inquit S. Thomas ibidem ad 1. & 2.

Quæritur tertio, an & qualis virtus sit sobrietas; & quid ad eam requiratur. Assertio I. Sobrietas, quæ speciatim est circa potum inebriandi vim habentem, est virtus specialis Ita S. Thomas quæst. 149. art. 1. & 2. Et sumitur ex

Eccli 31.v.37. *Sanitas est animæ & corporis sobrius potus*; vbi sobrietas hoc ipso sensu accipitur; vt & à Macrobio lib.1. in somm. Scip. qui sobrietatem specialem temperantiæ partem constituit: etsi alioquin sobrietas etiam generatim accipiatur pro quacunque moderatione in quauis materia, præsertim temperantiæ, & decentis habitus, vt videre est ad Titum 2.v.2.5.6.& 12.& 1.Timoth. 2.v.9.vbi præcipitur vt *mulieres cum verecundia & sobrietate se ornent &c.*

Ratio est; quia vbi inuenitur *speciale impedimentum rationis*, ibi necesse est esse specialem virtutem ad illud remouendum. Potus autem inebrians habet specialem rationem impediendi vsum rationis, in quantum scilicet *perturbat cerebrum sua fumositate*: Ergo ad hoc impedimentum rationis remouendum *requiritur specialis virtus*, quæ est sobrietas. Ita S.Thomas cit.a.2.

Quatenus verò cibus simul & potus impedire possunt bonum rationis, absorbendo eam per immoderantiam delectationis, ita circa vtrumque, *cibum simul & potum*, versatur abstinentia; quæ non est circa cibos & potus, *inquantum sunt* (præcisè) *nutritiua*, sed inquantum *impediunt rationem* seu bonum statum ac ordinem rationis, iuxta S.Thomã eodem a.2.ad 1.& 2.

42 Assertio II. Etsi in genere *potus inebriatiui, vinum præcellit*; non tamen eius potus per se illicitus est; sed solum per accidens; vel ex *bibentis læsione*, vel si *mensuram excedat*, aut *contra votum* suscipiatur, vel *scandali causa* sit. Ita contra Manichæos aliosque veteres quosdam hæreticos, S.Thomas quæst.194.art.3.ex Hieronymo lib.1. contra Iouinianum, vt refertur etiam Canon. *Ab exordio*, dist.35.

Probatur ex scriptura Eccli 31.v.35. *Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & cordis vinum moderate potatum.* Item Matthæi 15.v.11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Et 1.Timoth.5.v.23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, ac frequentes tuas infirmitates.* Per accidens autem multa mala ex vino oriri constat. Eccli 31.v.38. *Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem & faciens vulnera.* Vnde subiungitur. *In conuiuio vini non arguas proximum: & non despicias eum in iocunditate illius: verba impropery non dicas illi: & non premas illum in repetendo.*

43 Assertio III. Cum omnibus quidem, tum præcipuè mulieribus & iuuenibus, ob pronitatem ad *voluptates corporis consectandas*: senibus vero & honoratis personis, puta Regibus, Episcopis, & omnibus Ecclesiæ ministris, ac superioribus, *ob tuendum rationis rigorem*, quo hæ personæ inprimis indigent, sobrietas cumprimis est necessaria. Ita S. Thomas quæst.149.art.4. ex Apostolo, qui speciatim in prædictis personis sobrietatem requirit. 1.Timoth.3.v.2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. sobrium &c. non vinolentum.* Et v.8. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos.* Et v.11. *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias.* Et ad Tit.2.v.2. *Senes vt sobrij sint, pudici, &c.* Et v.3. *Anus similiter in habitu sanctio non criminatrices, non multo vino seruientes &c. castas sobrias.*

Idem confirmatur ex historia veteri; nam vt testatur Valerius Maximus lib.2.cap.1. Mulieres olim apud Romanos à vino penitus abstinebant. Sed & adolescentibus olim Romani vsum vini vsq; ad annum ætatis trigesimum ademerunt, teste Æliano lib 10. Var. cap.9. Et Hieronymus epist. 22.ad Eustochiũ sacras virgines monet, vt vinum fugiant, *non secus ac venenum.* Ratio constat ex dictis.

Quæritur quarto, an & quale vitium sit ebrietas. Assertio I. Ebrietas est peccatum sobrietati oppositum secundum excessum. Ita S. Thomas quæst.150. Probatur ex scriptura. Prouerb. 23.v.29. *Cuiuæ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandu?* Et ibid.v.32. *Ne intuearis vinum, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber.* Isai. 5.v.22. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Et v.12. *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperũ vt vino æstuetis.* Luc.21.v.34. *Attendite vobis, ne forte grauentur corpora vestra in crapula & ebrietate.* Ephes.5.v.19. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* 1.Cor.6.v.10. *Nolite errare: neque fornicarij, &c. neque ebriosi, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Gal.5.v.21. *Manifesta sunt opera carnis &c. ebrietates, comessationes &c.* Denique Rom.13.v. 12. *Abyciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honestè ambulemus; non in comessationibus & ebrietatibus.* 44

Ratione declaratur assertio. Ebrietas enim dupliciter accipi potest. 1. Vt præcisè significat defectum vsus rationis, ex multo vino consequutum; qua ratione non est culpa, sed *defectus pœnalis* ex culpa consequens. 2. Accipitur pro actu eum defectum causante; qui quidem rursum dupliciter eum defectum causare potest, nimirum *vel ex nimia vini fortitudine, præter opinionem bibentis.* Quomodo ebrietas *accidere potest sine peccato*; præcipuè (hoc est, *saltem*, vt rectè intellexit Caietanus ibidem) *si non ex negligentia hominis* (qui id præuidere debebat) *contingat. Et sic*, inquit S.Thomas ibidem, *creditur Noe inebriatus*, vt legitur Genesis 9. *Vel ex inordinata concupiscentia, & vsu vini. Et sic ebrietas est peccatum, & continetur sub gula, sicut species sub genere.* Diuiditur enim gula in comessationem & ebrietatem, iuxta Apostolum loc.cit. 45

Nec obstat primo, quod ebrietas non habet vitium oppositum per defectum. Respondetur enim cum S.Thoma eodem a.1.ad 1.Habere quidem, sed id carere nomine. Nam vt Aristoteles ait.3. Ethic. cap.11. *Insensibilitas*, quæ opponitur temperantiæ, *non multum contingit.* Et ideo *tam ipsa, quàm omnes eius species, quæ opponuntur diuersis speciebus temperantiæ nomine carent.* Vnde & vitiũ quod opponitur ebrietati, *innominatum* est. *Et tamen si quis scienter*, inquit S.Thomas, *in tantum à vino abstineret, vt naturã multum grauaret, à culpa immunis non esset.* 46

Nec

47 Nec obstat secundò, quod vt ex Gregorio refert S. Thomas *ebriosi cum venia suo ingenio sunt relinquendi, ne deteriores fiant, si à tali consuetudine euellantur.* Nam vt notat S. Thomas ibidem ad 4. aliquando correctio peccatoris est *intermittenda, ne fiat inde deterior.* In quem sensum Augustinus epist. 64. de comessationibus & ebrietatibus ait: *Non asperè, quantum æstimo, non dure, non impetuosè ista tolluntur, sed magis docendo, quam iubendo; magis monendo, quam minando. Sic enim agendum est in multitudine peccantium: seueritas autem exercenda est, in peccato paucorum.*

48 ASSERTIO II. Ebrietas ex suo genere est peccatum mortale. Ita S. Thomas quæst. 150. art. 2. vbi expresse dicit: *Si quis bene aduertat potum esse immoderatum & inebriantem, & tamen magis velit* (directe scilicet, vel indirectè) *ebrietatem incurrere, quam à potu abstinere, proprie talem dici ebrium. & sic ebrietatem esse peccatum mortale.* Eademque est communis Doctorum sententia, vt dictum tom. 2. disp. 4. quæst. 5. dub. 5. etsi Martinus de Magistris apud Caietanum hic a. 1. & 2. & alij quidam contrarium dixerint.

Probatur tum ex scriptura, quæ ebrietatē numerat inter opera carnis & tenebrarum, vt superius dictum; tum ex canone 42. Apostolorum vbi dicitur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ, aut ebrietati deseruiens, aut desinat, aut deponatur. Subdiaconus autem, aut Lector, aut Cantor, similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur; similiter & laicus:* tales autem pœnæ non infliguntur nisi pro peccato mortali, vt rectè argumentatur S. Thomas argum. *Sed contra.* Accedunt cæteri patres, speciatim Basilius homil. 14. Ambrosius lib. de Elia & ieiunio. cap. 16. & 17. Hieronymus in epist. ad Gal. cap. 5. Chrysostomus homil. 57. ad pop. Antioch. & homil. 58. in Matth. & Augustinus serm. 231. & 232. de temp. qui omnes ebrietatem tanquam graue peccatum grauiter insectantur.

49 Ratio est; quia *per ebrietatem* inquit S. Thomas, *homo volens & sciens priuat se vsu rationis, quo secundum virtutem operatur, & peccata declinat: & sic peccat mortaliter periculo peccandi se committens.* Dicit enim Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 6 *Vitandam dicimus ebrietatem, per quam vitia cauere non possumus. Nam quæ sobrij cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus:* Vnde *ebrietas per se loquendo est peccatum mortale.* Ita S. Thomas.

Cuius tamen ratio non in hoc posita est, quod ex ebrietate per accidens nonnunquam peccata facile committantur; sed quia per se ac ex ipsa natura ebrietatis accidit, vt homo vsu rationis destitutus, seipsum ex præscripto rationis regere, ac peccata vitare non possit, vt recte notauit Caietanus cit. art. 2.

50 Nec obstat, quod etiam dormiens sese vsu rationis ad tempus priuat; non solum quia hoc fit necessario, ac secundum naturam; sed etiam quia dormiens cum oportunum est, à somno excitatus, vsum rationis quasi pro libito recuperare potest; nec vero quamdiu dormit, quidquam operari bene aut male solet: secus fit in ebrietate.

Quo fit vt ea ipsa voluntaria & innaturalis ac inordinata priuatio vsus rationis, etiam per se & seclusō peccati mortalis periculo, sit peccatum mortale, vt recte tandem concludit Caietanus hic a. 2. *Vsus enim rationis*, inquit, *est multo maius bonum, quam vsus domus; constat autem, quod priuans aliquem vsu suæ domus, non solum in perpetuum sed etiam ad tempus, puta vno die, peccat mortaliter, quoniam vsus priuatus est bonum notabile; & temporis circumstantia non facit, vt pro nihilo habeatur. Quanto ergo magis priuans proximum suum vsu rationis per vnum diem, peccat mortaliter? Et eadem ratione priuans seipsum vsu rationis peccat mortaliter, quoniam vsus rationis non est bonum voluntarium, sicut domus, sed est bonum naturale, sicut oculus, & cætera naturalia. In naturalibus autem ita peccat mortaliter priuans seipsum, sicut priuans proximum, quia homo non est dominus suorum naturalium, vt possit se illis priuare cum vult, sicut potest donare domum, & illius vsum. Inuenitur ergo in ebrietate, quæ vsum rationis violenter tollit, iniuriosa* (siue inordinata) *priuatio notabilis boni ex suo genere, nec ex imperfectione actus propter breue tempus excusatur; sicut nec excusaretur, si tanto tempore quis violenter impediret aliquem ab vsu manuum suarum ligando illas.* Ita Caietanus.

Tametsi antea dubie loquutus fuerit, an vna ebrietas sit per se peccatum mortale, quasi non sit, nisi sit assidua. *Quæ videtur*, inquit, *sententia Augustini serm. 4. in die animarum, vbi distinguendo peccata mortalia à non mortalibus, ponit ebrietatem, si sit assidua, inter mortalia. Hoc idem sentit Glossa ad Gal. 5. in verbo ebrietates, & D. Thomas met ibidem glossat assidue, & in quæstionibus de malo quæst. 2. art. 8. ad 3. & quæst. 7. art 4. ad 1. sentit, quod ebrietas non est peccatum mortale ex suo genere. Et hæc opinio sequaces multos inueniret, nisi auctoritas tanti Doctoris hic, & superius 1. 2. q. 88. a. 5 ad 1. & super epistolam ad Rom. 15. expresse obstaret.* Ita Caietanus 51

Sed sanè plus obstat & scriptura & SS. Patres, & ratio, & communis sensus ipsorum fidelium. Et quod *S. Thomas in prioribus libris pertransierat*, inquit Caietanus, *supponendo cum aliis, quod ebrietas erat veniale, postmodum ad altiora diuini luminis cum accessisset, in summa hoc determinauit, dicendo, quod est peccatum mortale ex suo genere; quia tanto bono, scilicet vsui rationis opponitur.*

52 Nec obstat, inquit Caietanus, *quod ebrietas materialiter, si necessaria est ex consilio medicinæ, est licita. Non enim sequitur, quod peccatum ex suo genere sit licitum, propter bonum finem; sed bene sequitur, quod materia peccati ex suo genere licita sit, propter finem bonum quandoque. Detractio enim ex sua ratione est peccatum mortale; detractio tamen materialiter est quandoque licita, puta si aliter non potest peccatum proprium confiteri, aut si propter bonum animæ illius expedit, reuelare peccatum illius. Qui enim ex medicinæ necessitate se inebriat, vel alium, non nisi materialiter ebrietatem incurrit: quoniam non tendit ad delectabile, quod est formale in speciebus intemperantiæ, de quarum numero est ebrietas.* Ita Caietanus, qui proinde expresse concedit, sanitatis causa ebrietatem esse posse licitam.

Verum adstrictius hic paulo loquitur S. Thomas hic art. 2. ad 3. vbi ait: *Cibus & potus est moderandus, secundum quod competit corporis valetu-* 53

dini. & ideo sicut quandoque contingit, vt cibus vel potus qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo; ita etiam potest è conuerso contingere, vt ille qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo. Et hoc modo cum aliquis multum comedit, vel bibit, secundum consilium medici, ad vomitum prouocandum, non est reputandus superfluus cibus vel potus. Nec tamen ad vomitum prouocandum requiritur, quod sit potus inebrians; quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat; & ideo propter hanc causam non excusaretur aliquis ab ebrietate. Ita S. Thomas; qui tamen non videtur vniuersim negare, posse medicinæ causa licitam esse ebrietatem; sed negat solum, esse licitam ob vomitum prouocandum; quando is etiam alio potu non inebriante prouocari potest. Et sicut medicinæ causa accipere potum soporiferum, etiam cum ea ratione facultas euigilandi libera adimitur, non est illicitum; ita probabile est, non esse etiam illicitam ebrietatem, cum ea ad sanitatem necessaria videtur.

54 Verum ob solum dolorem in ferenda sectione alicuius membri, aliaue graui ægritudine mitigandum, licitam esse ebrietatem, minime existimo, ne pariter etiam fatendum sit, licitum esse ijs, qui ad supplicium ducuntur, postquam alioqui ad bene moriendum satis dispositi sunt, ebrietatem procurare, ad supplicium mortis leuandum; quod nemo dixerit, & est à communi sensu & praxi proborum & sapientum virorum prorsus alienum. Et ratio esse videtur; quia cibus & potus, vti & medicina, natura sua instituta sunt, ad conseruandam vel acquirendam corporis valetudinem, non autem ad alios fines extrinsecos: ergo licitum est ijs vti, quatenus & quantum necessitas & valetudo corporis id postulant, non autem contra temperantiæ præscriptum, ob alios fines.

Sicut è contrario, quia semen natura sua institutum est ad conseruationem non individui, sed speciei, non licet ob tuendam valetudinem, eius excretionem alijs vijs innaturalibus directe procurare. Et confirmatur. Quia alioquin dicendum foret, etiam licitum esse se inebriare, si quis ad hoc metu, vel minis adigeretur, quod nemo itidem dixerit.

55 ASSERTIO III. Ebrietas ex suo genere non est vitium ex omnibus grauissimum. Ita S. Thomas quæst. 150. art. 3. ex S. Gregorio 33. moral. cap. 11. vbi ait, *vitia spiritualia esse maiora, quam carnalia.* Ratio est; quia cum malum, adeoque peccatum consistat in priuatione boni, necesse est tanto malum seu peccatum grauius esse, quanto maius est bonum, quo priuat malum: at verò bonum diuinum est maius, quam bonum humanum; ergo peccata, quæ sunt directe contra Deum, adeoque directè priuant bono ad Deum pertinente, sunt grauiora peccato ebrietatis, quod directe opponitur bono rationis humanæ.

Nec obstat, quod ebrietas penitus aufert vsum rationis; quem tamen alia peccata non excludunt; quia *plus habet de ratione mali id, quod contrariatur rationi*, vti sunt cætera peccata, quam *quod adtempus vsum rationis aufert.* Vsus enim rationis potest esse *& bonus & malus*, qui tollitur per ebrietatem; sed bona virtutum, quæ tolluntur per ea, quæ rationi aduersantur, *sunt semper bona*, vt respondet S. Thomas ibidem ad 3.

ASSERTIO IV. Ebrietas quo minus voluntaria est, eo magis peccatum ex ea consequutum 56
diminuit; adeoque cum inuoluntaria est, penitus à peccato excusat. Ita S. Thomas quæst. 150. a. 4. ex Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 44. vbi docet, Loth excusari ab incestu propter ebrietatem, asserens; *Loth culpandum esse, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meruit.* Ratio est; quia nihil est peccatum, nisi voluntarium; & vnumquodque cæteris paribus tanto maius peccatum est, quantò magis voluntarium est, vt diximus etiam tom. 2, disp. 4. quæst. 3. dub. 3. vbi de hac re pluribus disputauimus. Quo spectant etiam ea, quæ in simili de ignorantia docuimus ibidem q. 9. dub. 1.

Nec obstat primò, quod S. Thomas hic cit. art. 4. dicit: *Si actus præcedens* (inebriationis) *fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti; quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, inquantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum.* Nam vt ex adiuncta ratione colligitur, aut solum est sermo de peccato secundum præsumptionem fori externi; aut certe sensus est, eo casu per se ac vniuersim ebrieattem non excusare à peccato sequenti: excusare tamen, si peccatum subsequens præuisum nullo modo fuerit, nec adeo præuideri potuerit, non negat S. Thomas, sed ex generalibus principijs supponit, vt loc. cit. fusius declarauimus.

Nec obstat secundò, quod iuxta Aristotelem 57
3. Ethic. cap. 5. *ebrius mereatur duplices maledictiones.* Non enim dicit, inquit S. Thomas ibidem ad 1. quod mereatur *grauiorem maledictionem* ebrius, sed quod mereatur *duplicem maledictionem*, propter duplex peccatum. Vel potest dici, eum loqui *secundum legem Pittaci*, qui vt dicitur lib. 2. Polit. in fine, statuit, vt ebrij, si quem percuterent, *plus punirentur*, quam sobrij; eo quod *plures iniurientur.* In quo, vt Aristoteles ibidem ait, *videtur potius respexisse ad communem vtilitatem*, scilicet vt *cohiberentur iniuriæ*, quam ad *veniam* (ac rei æquitatem) *quæ habenda est ebrijs, ob carentiam vsu rationis.* Quod si quis tamen & voluntariè, & deliberatè se inebriasset, ac simul certò præuidisset homicidium ex ebrietate consequuturum, in eo ebrietas peccatum subsequens non diminueret, sed potius augeret, vt in simili dictum de ignorantia affectata loc. cit.

DVBIVM IV.

De Ieiunio, velut actu abstinentiæ; speciatim quid sit Ieiunium, & cuius virtutis actus; an item sit in præcepto; & quænam sint Ecclesiastici ieiunij tempora.

S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 1. 2. 3.

58 QVæ ad hanc rem pertinent, claritatis causa, ad certa quæsita reuocabimus. Quæritur primò, quid, & cuius virtutis actus sit Ieiunium. ASSERTIO I. Ieiunium propriè, ac in præsenti, est maior quædam victus abstinentia, quam alioquin communis temperantiæ leges requirant, honesto & laudabili, ac præsertim spirituali aliquo fine assumpta. Ita S. Thomas quæst. 147. art. 1. vbi licet solius cibi mentionem faciat; subintelligitur tamen etiam quicquid siue per se, siue cum alio iunctum nutrire potest, vt est potus vini, cereuisiæ, lactis, seu alterius liquoris, quandam vim reficiendi ac nutriendi habentis.

59 Et additur ex eodem, *laudabili fine*; quia ieiunium de quo loquimur, est actus virtutis; qualis ipsa per se abstinentia, cum sit res ex se indifferens, non esset. Et sufficit quiscunque finis studiosus, seu ad virtutem pertinens, vt ieiunium propter officium Reipub. rectè administrandæ assumptum &c. Sed ad propositum præcipuè pertinet finis spiritualis & sacer, vt ipsemet S. Thomas ibidem docet; quia de ieiunio potissimum sacro & religioso sermo est. Ieiunium autem solius valetudinis causa assumptum, nisi valetudo vlterius ad finem honestum referatur, non est ieiunium de quo agimus; quia non est actus virtutis, vt in simili de victus moderatione dictum ex S. Thoma dub. præcedenti.

60 Ex quibus aliæ ieiuniorum notiones excluduntur, vt 1. Ieiunium, quod S. Thomas art. 2. vocat *metaphoricum*, à vitijs & peccatis, de quo Isai. 58. & Augustinus tract. 17. in Ioann. & refertur de Consecrat. d. 5. Can. *Ieiunium*. 2. *Naturale*, quod est abstinentia ab omni cibo & potu, etiam absque proposito peracta, iuxta S. Thomam cit. quæstione. 147. art. 1. ad 3. argum. 3. *Commune* & latè acceptum, à nonnullis *morale* dictum, quod est parsimonia victus, iuxta consuetas leges temperantiæ. De quibus ieiuniorum modis hoc loco non agitur; sed solum de ieiunio superius descripto: quod tamen rursum, aut est *Ecclesiasticum*, hoc est, communibus Ecclesiæ legibus definitum, vt inferius dicetur; aut *priuatum*, quod priuato cuiusque arbitrio assumitur. S. Thomas a. 3. illud vocat *ieiunium Ecclesiæ*, hoc vero, *ieiunium naturæ*.

61 ASSERTIO II. Ieiunium, de quo loquimur, est virtutis actus. Ita S. Thomas quæst. 147. art. 1. Probatur ex Apostolo 2. ad Corinth. 6. v. 5. *In vigilijs, in ieiunijs, in castitate.* Vbi ieiunium alijs virtutum actibus annumeratur. Ratio est; quia ad actum virtutis plus non requiritur, quam vt & opus ipsum ex se non sit malum, & ordinetur ad aliquod bonum seu finem honestum: vtrumque autem conuenit ieiunio; Ergo &c. Prima pars minoris probatur; quia nemo dixerit, esse per se ac intrinsece malum, ob aliquam specialem causam honestam, minus cibi sumere, quam alioqui conueniret secundum communem statum, aut temperantiæ legem; cum id nonnunquam *propter infirmitatem vitandam*, aut ad *aliqua opera etiam corporalia expeditius peragenda*, licitum esse nemo negauerit.

Nec obstat, quod nullus actus virtutis recedit à medio virtutis; cum tamen ieiunium recedere videatur à medio virtutis abstinentiæ, in hoc posito, vt tantum cibi sumatur, quantum naturæ necessitati conuenit, cui per ieiunium aliquid subtrahitur. Nam vt recte respondet S. Thomas ibidem ad 2. medium virtutis, præsertim temperantiæ, non accipitur secundum quantitatem absolutam, sed secundum rationem rectam, iuxta Aristotelem 2. Ethic. cap. 6. à quo medio ieiunium non recedere, iam antea declarauimus: dummodo *tantum de cibo non subtrahatur, vt vel natura conseruari non possit; vel homo reddatur impotens ad debita opera peragenda*; quia vt ex Hieronymo refertur de consecrat. dist. 5. Canone 24. *Non mediocriter errant, qui bono magno præferunt mediocre bonum. Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium charitati, aut vigilias præfert sensus integritati; vt propter abstinentiam immoderatam, atque indiscretam psalmorum vel officiorum decantationem, aut amentiæ, aut tristitiæ noxam incurrat.* Et infra. *Audiant itaque, qui ea quæ necessaria sunt corpori subtrahunt, illud quod per prophetam Dominus loquitur: Ego Dominus, odio habens rapinam holocaustorum. De rapina vero holocaustum offert, qui siue ciborum nimia egestate, vel somni penuria corpus immoderate affligit.* Quæ verba ita refert S. Thomas loc. cit. *Non differt vtrum magno vel paruo tempore te interimas; quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria, immoderate corpus affligit.* 62 63

Ex quibus colligitur, mortaliter per se loquendo, & ex suo genere peccare eum, qui hac intentione ieiunat, vt morbos incurrat, vel mortem acceleret; sicut etiam plus minusue peccare eum, qui etsi non intendat damnum, probabiliter tamen scit, se damnum aliquod notabile incursurum: secus si quis bona intentione ac fide ieiunet, licet nonnihil excedat, & postea damnum aliquod valetudinis incurrat; aut si quis ieiunijs, alijsue exercitijs insensibilter vitam abbreuiet, vt tradunt Medina Cod. de ieiunio q. 13. & Valentia pun. 3. 64

Altera pars minoris probatur; quia ieiunium principaliter assumitur & ordinatur ad istos tres honestos fines; primo quidem *ad concupiscentias carnis reprimendas*. Vnde Apostolus loc. cit. ieiunijs castitatem subiungit; quia per ieiunia castitas conseruatur. Vt enim Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum ait, *sine Cerere & Baccho friget Venus*, id est, per abstinentiam cibi & potus tepescit 65

luxuria. Secundò, vt *mens liberius eleuetur ad sublimia contemplanda.* Vnde Daniel cap. 11. post ieiunium trium hebdomadarum, reuelationem accepit à Deo. Idem probatur exemplo Moysis, & Eliæ. Tertio ad *satisfaciendum pro peccatu*, iuxta illud Ioelis 2. v. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.*

66 Quibus adde quartò, ad impetranda à Deo beneficia animæ & corporis, exemplo Danielis, Iudith, & Esther, de quibus infra; & iuxta illud Matth. 17. v. 20. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi per orationem & ieiunium.* Omitto corporalia ieiunij commoda, vt quod ad bonam valetudinem, & vitæ diuturnitatem confert, quod morbos & humores noxios excludit, quod sensus externos & internos exacuit, ac proinde etiam intellectũ quodammodo serenat, & ad suas functiones aptiorem reddit, vt videre est cap. *Nihil* & cap. *Legimus* de consecrat. dist. 5. Quo spectat etiam illud Augustini sermon. 230 de tempore: *Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.* Quod si propter fines terrenos, superius relatos, licitum ac honestum est ieiunium, quanto magis propter fines spirituales?

67 Nec obstat, quod ieiunium consistere videtur in pura negatione; sicut & *ieiunium naturæ*, quo quis dicitur ieiunus, antequam comedat, consistit in pura negatione; quod proinde etiam non est actus virtutis. Nam ieiunium, de quo loquimur, non est pura negatio, sed includit actum positiuum, quo quis ex rationabili proposito à cibis *aliqualiter* (modo scilicet superius explicato) abstinet. Ad quod significandum, ieiunium naturæ, quod in pura negatione consistit, apud veteres Theologos dicitur *ieiunium ieiunij*, hoc vero *ieiunium ieiunantis*, quasi *ex proposito aliquid agentis*, vt ait S. Thomas citat. artic. 1. ad 3.

68 Assertio II. Ieiunium est actus virtutis abstinentiæ. Ita S. Thomas cit. quæst. 147 art. 2. ex Isidoro, quem ibidem refert, asserente, *ieiunium esse parsimoniam victus, abstinentiamque ciborum.* Ratio est; quia omnis actus virtutis circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet, quæ medium in illa materia constituit. Ieiunium autem attenditur in cibis, in quibus medium statuit abstinentia. Ergo ieiunium est abstinentiæ actus.

69 Dices, actum ieiunij superius explicatum habere diuersum motiuum à virtute abstinentiæ, idque pertinens vel ad castitatem, vel ad liberam mentis eleuationem in Deum, vel ad satisfactionem pro peccatis; cum tamen abstinentiæ motiuum consistat in mediocritate qualem conueniens refectio corporis postulat.

Respondeo hoc argumentum conuincere, ieiunium de quo agimus pertinere posse etiam ad alias virtutes, puta Religionem, castitatem, vel quamcunque aliam virtutem, ad cuius finem ordinatur, vt expresse etiam concedit S. Thomas cit. artic. 2. ad 2. Nihilominus quatenus ob eos ipsos fines necesse est appetitum & delectationem edendi cohibere & moderari, idque in ordine etiam ad debitam corporis sustentationem, ne detrimentum aliquod valetudo patiatur, vt dictum, quod ad temperantiam, ac speciatim ad virtutem abstinentiæ pertinet; nihil obstat, quo minus ieiunium sub hac ratione præcise, per se, ac proprius sit actus abstinentiæ; cuius nempe est, in cibo & potu debitam corporis refectionem & sustentationem respicere, ac procurare, etiam cum respectu ad circumstantias debitas, ne loco, tempore aut modo importuno refectioni quantumuis moderatæ indulgeatur. Sicut ad virtutem castitatis pertinet, à venereis delectationibus temperare etiam cum obligatio & ratio abstinendi à voto, adeoque obligatione Religionis oritur.

Quæritur secundò, vtrum ieiunium sit in præcepto; ac speciatim, an recte Ecclesiæ præcepto constitutum sit. 70 Assertio I. Ieiunium cadit sub præceptum legis naturæ. Ita Sanctus Thomas quæstione 147. artic. 3. ex communi. Ratio est; quia cum ieiunium sit vtile medium ad deletionem & cohibitionem culpæ, & ad eleuationem mentis in Deum ex dictis; quisque *ex naturali ratione tenetur tantum ieiunijs vti*, quantum ipsi necessarium est, ad prædicta. *Et ideo*, inquit S. Thomas, *ieiunium in communi cadit sub præcepto legis naturæ.*

Quia tamen, præter ieiunium, etiam alia suppetunt media carnem castigandi, & peccata vitandi ac expiandi, non est cur facile quisquam, ob prætermissum ieiunium, extra tempus ab Ecclesia præscriptum, peccati damnetur, si modo cætera media adhibeat: etsi pro conditione personæ, ipsum etiam quandoque ieiunium merito necessarium iudicari possit; præsertim quia magis connaturaliter & ab intrinseco vitijs & concupiscentijs carnis resistit, easque diminuit. In quem sensum etiam S. Thomas eodem art. 3. ad 1 ait, *ieiunium esse de necessitate præcepti, vnicuique tali remedio indigenti; adeo vt multitudo hominum vt plurimum indigeat tali remedio: tum quia in multis omnes offendimus, vt dicitur Iacobi 3. tum etiam quia caro concupiscit aduersus spiritum, vt dicitur Galat. 5.*

Assertio II. Sed & ab Ecclesia recte & conuenienter certa ieiuniorum tempora ac leges præscriptæ sunt, necessario obseruandæ. 71 Ita S. Thomas quæst. 147. art. 3. omnesque Catholici, contra huius temporis Nouatores, qui Ecclesiasticas ieiuniorum leges reijciunt, nec quemquam patiuntur ijs adstringi; adeo vt ieiunium cum opinione eiusmodi necessitatis susceptum, velut superstitiosum damnent. Qui ipse etiam olim fuit error Aërij veteris hæretici, vt videre est apud Epiphanium hæres. 75. Augustinum lib. de hæresibus cap. 53. & Damascenum lib. de hæresibus.

Probatur assertio primo ex scriptura, quæ vniuersim docet, & Ecclesiam de rebus honestis leges ferre posse, & Ecclesiæ præceptis obediendum esse, vt suo loco docuimus tomo 2. disp. 5. q. 5. dub. 1. & q. 6. dub. 3.

Secun-

72 Secundo probatur ex Concilijs & SS. Patribus. Ita enim præcipiunt, & aperte tradunt Concilium Nicænum 1. Can. 5. Laodicenum Can. 49. Concilium Gangrense, Canone 19. Triburiense Canone 35. Carthaginense IV. Canone 63. Agathense Canone 12. Moguntinum sub Carolo Magno Canone 35. Toletanum VIII. Canone 9. & Synodus VI. Constantinopolitana Canone 56. Item ex Patribus Theophilus Alexandrinus lib. 3. Paschali, Epiphanius citat. hæresi 75. Basilius hom. 2. de Ieiunio, Ambrosius serm. 25. Augustinus de hæresibus citat. cap. 53. & Epist. 86. ad Casulanum, Chrysostomus homil. 6. ad populum Antiochenum; & Leo serm. 13. de ieiun. qui potissimum etiam de Quadragesimæ ieiunio loquuntur.

Quibus consentit vniuersalis & antiquissima totius Ecclesiæ praxis & consuetudo, quæ licet quoad circumstantias temporis ac modi nonnihil variauerit, in eo tamen semper & vbique consentiens fuit, vt certa quædam ieiuniorum tempora necessario obseruanda traderet.

73 Tertio accedunt rationes I. Quia vt optimè argumentatur hic S. Thomas citat. artic. sicut *ad sæculares Principes pertinet, præcepta legalia iuris naturalis determinatiua* tradere de his, quæ pertinent ad vtilitatem communem *intemporalibus rebus*; ita etiam *ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet, ea statuta præcipere*, quæ ad vtilitatem cõmunem fidelium pertinent *in spiritualibus bonis*: tale vero esse ieiunium superius demonstratum est: Ergo id recte legibus Ecclesiæ præscriptum est; ita quidem vt ieiunium *in communi cadat sub præcepto legis naturæ*, ex dictis; *determinatio vero temporis & modi ieiunandi, secundum conuenientiam & vtilitatem populi Christiani, cadat sub præcepto iuris positiui, quod est à Prælatis Ecclesiæ institutum. Et hoc est ieiunium Ecclesiæ: aliud vero est naturæ.* Ita S. Thomas.

74 II. Non solum Deus in Paradiso primis parentibus, sed etiam postea vniuerso generi humano, tum in lege naturæ Genesis 9. vers. 4. tum in lege scripta Leuitici 17. vers. 10. itemque Leuit. 16. & 23. & Zachariæ 8. vers. 19. certa quædam ieiuniorum præcepta præscripsit.

III. Ipsi etiam Apostoli Act. 15. vers. 29. communi consensu, quandam ieiunij legem omnibus fidelibus pro tempore seruandam præscripserunt, vt abstinerent à sanguine & suffocato. Et Apostolus 1. ad Thessal. 4. vers. 2. de eiusmodi præceptis loquens ait: *Scitis quæ præcepta dederim vobis, per Dominum IESVM.*

IV. Nemo negauerit, etiam à ciuili Magistratu posse iustis de causis, in ordine ad bonum commune politicum ac speciatim etiam propter debitam Oeconomiæ rationem seruandam leges ferri de certa quadam ciborum abstinentia & moderatione &c. cur igitur non etiam Ecclesiasticus magistratus ob finem spiritualem?

75 Neque vllius sunt momenti, quæ Sectarij contra ieiunij leges obijciunt. Nimirum primo quædam scripturæ loca male intellecta; speciatim 1. esse *doctrinam dæmoniorum abstinere à cibis, quos creauit Deus ad percipiendum* 1. ad Timoth. 4. Item 2. *Nemo vos iudicet in cibo aut potu, quæ sunt vmbra futurorum*, ad Coloss. 2. Item 3. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Matthæi 15. Item 4. illud *Manducate quæ apponuntur vobis.* Lucæ 10. Denique 5. *Omne quod in macello venit, manducate* 1. Cor. 10.

76 Respondetur enim, in primo loco sermonem esse de Tatiano, alijsque veteribus hæreticis, qui abstinendum docuerunt à quibusdam cibis, tanquam natura sua immundis, vt ex ipsis verbis, & veterum explicatione manifestum est: eo præcipue, quod tunc temporis licite adhuc Iudæi à cibis quibusdam, iuxta præscriptum legis abstinebant.

Secundo loco sermo est de abstinentia ciborum veteri lege præscripta, quasi ea etiam Christiani obligentur; vt itidem hæretici quidam iudaizantes dixerant.

Tertij loci sensus est, cibum per se non coinquinare hominem, seu animam hominis; interim non negatur, coinquinare posse animam ratione inobedientiæ, concupiscentiæ, vel scandali, &c.

Quarto loco præcipit Christus Apostolis, vt contenti sint cibis, qui apponuntur, nec priuatas delitias consectentur; saltem pro eo tempore, tam lege naturali, ne quid noxium comedant, quam Mosaica ne cibos lege vetitos manducent.

Quinto loco prohibetur nimis scrupulosa inquisitio de carnibus, sint ne idolis immolatæ, an non, vt ex loci contextu & SS. Patrũ explicatione patet.

77 Secundo obijciunt, libertatem Euangelicam ijs legibus violari, sauente etiam vti putant Augustino lib. de vera Religione cap. 17. & epist. 119. ad Ianuarium cap. 19.

Ad hoc bene respondet S. Thomas hic cit. q. 147. a. 3. ad 3. Augustinum ibidem loqui de his, *quæ neque sacrarum scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata sunt. Ieiunia vero quæ sunt in præcepto, sunt in concilijs Episcoporum statuta, & consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata. Nec sunt contra libertatem populi fidelis, sed magis sunt vtilia ad impediendam seruitutem peccati, quæ repugnat libertati spirituali, de qua dicitur ad Galat 5. Vos enim fratres in libertatem vocati estis; tantum ne libertatem detis in occasionem carnis.*

78 Tertio Iudaismi arguunt Catholicæ Ecclesiæ ieiunia Respondeo hanc insaniam esse, non minus quam si quis vniuersim festos Ecclesiæ dies de Iudaismo condemnet. Nam nos neque ijsdem præcise quibus Iudæi, temporibus, nec ob easdem particulatim causas, nec ex eodem præcepto, nec eodem modo ieiunamus. Quod si omnis cultus Christianorum eliminandus est, qui cum Iudæorum religione nonnullã similitudinem habet, etiam baptismi & Eucharistiæ sacramenta abijcienda erunt.

79 Quarto obijciunt; certe tamen illicitum esse ieiunare, vel ad exhibendum Deo cultum, vel ad satisfaciendum pro peccatis. Respondeo his scripturæ buccinatoribus ipsam scripturam aperte aduersari. Si enim superstitiosum est Deum ieiunijs colere, cur laudatur Anna Prophetissa Lucæ 2. *quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die?* Cur Tobiæ 12. vers. 8. dicitur, *Bona est oratio, cum ieiunio, ac eleemosyna*

magis

magis quam thesauros auri recondere? Cur Apostolus 2. Corinth. 6. vers. 4. exhortatur: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, &c. in vigilijs, in ieiunijs, in castitate?* Cur Deus ipse præcipit Ioelis 2. vers. 12. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu?* Si Deus ob peccata offensus ieiunio non placatur, cur in eum finem ieiunauit Dauid, 2. Regum 12. Achab 3. Reg. 21. Niniuitæ Ionæ 3. Iudith cap. 8. v. 6. Esther cap. 4. v. 16. Daniel cap. 10. v. 3. Plura Gregorius de Valentia hic disp. 9. q. 2. punc. 2. §. 2. & Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in particulari cap. 8. 9. & 11.

80 Quæritur tertio, quonam tempore lex Ecclesiastici ieiunij obliget. Nec est quæstio de ieiunio naturæ, vti ex S. Thoma nominauimus: hoc enim nullo certo tempore obligat; sed id quisq; assumere tenetur, quoties ad supradictos fines, præsertim ad tentationes carnis vincendas necessarium fuerit, vt antea dictum. Quod vero ad ieiunium ecclesiasticũ attinet, tria sunt vniuersim tempora Ecclesiæ lege hodie ad ieiunandum destinata, præter certos dies, quibus non quidem propriè ieiunium, sed à carnibus abstinentia præscripta est; nimirum Quadragesima, quatuor anni tempora, & quædam vigiliæ maiorum Ecclesiæ festorum. De quibus singulis hæc sigillatim notamus.

81 I. Ieiunium quadragesimale institutum est non primum à Telesphoro Papa, vt senserunt nonnulli apud Eusebium in Chronico, & apud Bellarminum cit. lib. 2. cap. 14. siquidem ante Telesphori tempora, Quadragesimæ apertè meminit Ignatius apud Bellarminum loc. cit. sed institutum est ab ipsis Apostolis, vt habetur non solum Canon. 68. Apostolorum; sed expresse etiam testantur Epiphanius hæresi 75. Hieronymus epist. ad Marcellam, Leo serm. 6. de Quadrag. & colligitur ex Regula Augustini epist. 118. ad Ianuarium & lib. 4. de baptismo cap. 24. vbi docet, *Quod vniuersa tenet Ecclesia, neque conciliis institutum, sed semper retentum est, ex Apostolica traditione descendere.* Idemque recte tradunt Ioannes Medina tractat. de ieiunio quæst. 2. Bellarminus cit. lib. 2. cap. 14. & Gregorius de Valentia q. 2. punct. 2.

82 Apud quos etiam causæ eiusdem institutionis ex SS. Patribus referuntur complures 1. vt ad sacram comunionem in Paschate populus Christianus disponatur. 2. ob memoriam Sacræ Passionis digne recolendam. 3. vt quadragesimale ieiunium Christi pro modulo imitemur. 4. vt pro negligentijs & peccatis totius anni, quasi communis & publica pœnitentia agatur. 5. vt Deo persoluantur quasi decimæ omnium dierum totius anni vt refertur ex Gregorio canone *Quadragesima*, de consecrat. d. 4. Constat enim annus diebu 365. cuius numeri decima pars sunt 36. quot nempe ieiuniorum dies numerantur à Dominica prima quadragesimæ; quibus tamen additi sunt quatuor reliqui dies, ad complendum numerum quadragenarium exclusis sex intercurrentibus dominicarum diebus quibus non ieiunatur; sed solum abstinentia seruatur.

In quo tamen ipso dierum numero, licet olim magna admodum fuerit varietas; ita vt aliæ Prouinciæ plures dies & hebdomadas, aliæ pauciores ieiunarent; tota tamen Ecclesia in hoc semper consensit, vt quadragesimale ieiunium, ab exemplo Christi, Moysis, & Eliæ ita denominatum, idque ante Paschale festum, adeoque verno tempore celebraret vt videre est apud Bellarminum cit. lib. 2. cap. 15. Quia nimirum eo tempore; & caro inprimis, ob sanguinis & spirituum augmentum, efferuescere solita ieiunij fræno indiget; & ipsa etiam corporis sanitas, ob humorum incrementum, maiorem abstinentiam exigit.

II. Ieiunium quatuor anni temporum itidem ex Apostolica traditione deriuatum videtur, vt testatur Leo serm. de ieiunio Pentecostes, & pluribus differunt Bellarminus cap. 19. & Baronius Anno Christi 57. Rationes institutionis fuerunt 1, ne Christiani Iudæis quater in anno nimirum mense quarto, quinto, septimo, & decimo, vt habetur Zachar. cap. 8. ieiunia celebrantibus remissiores viderentur. 2. quia his temporibus ordinari solent Ecclesiæ Ministri, vt notauit S. Thomas hic, quæst. 147. a. 5. 3. vt quemadmodum singulis annis & hebdomadibus, ita & singulis mensibus sua responderent ieiunia, singulis diebus quatuor temporum in singulos menses computatis, iuxta S. Thomam ibidem 4. vt siue pro frugibus impetrandis Deo supplicaretur, siue pro ijsdem perceptis gratiæ Deo agerentur: quando ijs ipsis temporibus maxime fruges vel seruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. 5. vt singulis anni temporibus, nimirum veri, æstati, autumno, hyemi sua responderent ieiunia, &c Quæ tamen etiam in hoc ipso ieiunio olim fuerit varietas videre est apud Bellarminum cit. lib. 2. cap. 19. qui etiam putat, initio trium tantum temporum ieiuniũ obseruari fuisse solitum; quartum vero ex decreto Callisti fuisse additum. 83

III. Ieiunia vigiliarum communi Ecclesiæ iure sunt, 1. Vigilia Natiuitatis Domini. 2. Assumptionis Beatæ Virginis. 3. Vigiliæ omnium Apostolorum, excepta vigilia Philippi & Iacobi, intra tempus paschale; & vigilia Ioannis Euangelistæ, in festa Natalitia incidente. 4 Vigiliæ Pentecostes. 5. S. Ioannis Baptistæ. 6. S. Laurentij 7. omnium Sanctorum, vt partim habetur capitulo *Ex parte*, de obseruatione ieiuniorum; partim ex vsu Ecclesiæ constat; tametsi postremi quatuor diesantiquiore lege scripta non præcipiantur, vt videre est apud Sylvestrum V. *Ieiunium.* num. 4. Caietanum 2. 2. q. 147. a. 2. Azorium tom. 1. lib. 7. cap. 24. q. 2.

IV. Dies non quidem proprij ieiunij, sed abstinentiæ tamen à carnibus sunt hodie, feria sexta, & Sabbatum per annum; nisi in aliquem eorum incidat festum Natiuitatis; his enim diebus potissimum recolitur Christi passio mortuiq; ac sepulti memoria; quamuis olim de Sabbato in diuersis Ecclesijs diuersa fuerit consuetudo, vt videre est apud Augustinum epist. 118. & 119. 84

Talis olim etiam erat feria quarta, vt videre est Canone Apostolorum 68. quæ tamen iam dudum, occidentalis Ecclesiæ more, in Sabbati ieiunium videtur fuisse commutata: etsi in quibus-

dam

dam locis, puta in Hybernia ieiunium quartæ feriæ etiamnum perduret. De qua re plura Turrianus lib. 1. pro Apostolis canonibus cap. 3. & Bellarminus cit. lib. 2. cap. 17. & 18.

Diebus autem rogationum communi Ecclesiæ iure abstinentia a carnibus non est in præcepto, sed solum in consilio, vt videre est apud Bellarminum cap. 21. Sicubi tamen in aliqua diœcesi peculiare aliquod hac de re præceptum extet, negligendum non erit, non secus ac de festis alicuius Diœcesis proprijs accidit. &c.

Omitto ieiunium aduentus, quod olim pio Ecclesiæ Romanæ more obseruatum fuisse, patet ex Innocentio III. capit. *Consilium* de obseruatione ieiuniorum; idque etiamnum non tam ex præcepto, quam ex consilio aut voto à multis seruari Ecclesiæ vsus satis aperte testatur, inquit Bellarminus lib. 2. cap 20.

V. Tempore vero paschali, quod est inter pascha 85
& Pentecosten, dieque Natalis Domini, ieiunandũ non esse, tradunt SS. Patres apud Bellarminum lib. 2. cap. 23. Maioriq; olim seueritate in hæreticorum quorumdam detestationem prohibitum fuit, ieiunare diebus Dominicis, vt videre est apud Epiphanium doct. compend. Ambrosium epist. 83. Augustinum epist. 86. ad Casulanum & epist. 119. ad Ianuariũ, & in Concilio Gangrensi canon. 18. & Carthaginensi. IV. Canon. 64. Bracharensi I. canõ. 4. Iam verò ieiunium his diebus non simpliciter est prohibitum, sed solum si quis vel ex superstitione ieiunet, vt Montanistæ faciebant, vel ex errore, vt Manichæi & Priscillianistæ; vel ex contemptu Ecclesiæ, vt Eustathiani, Aeriani; vel denique cum scandalo aliorum, vt si quis vnam hebdomadę diem ieiunaturus, eligat præ alijs diem Natalis Domini, aut Dominicam. Alioqui enim si quis vel ad tentationem carnis superandam, vel causa morbi corporalis curandi, vel quia vouit ieiuniũ totius anni, aut integri mensis, non peccabit, si paschali tempore, vel in Dominica die, vel etiam in Natali Domini ieiunauerit, vt ex Epiphanio, Hieronymo, & Augustino locis cit. docet Bellarminus cit. lib. 2. cap. 23.

Interim tamen probare nullo modo possum, 86
quod in cœnobio quodam Virginum communi more receptum scio vt ieiunium quadragesimale soluant primum Feria secunda Paschatis, ipsoque festo Paschatis adhuc à carnibus abstineant. Hoc enim nec vllo antiquitatis exemplo probari, nec excusari necessitatis, aut honestatis alicuius prætextu potest, adeoque planè superstitiosæ obseruationis, totius Ecclesiæ consuetudini repugnantis speciem habere videtur. Grauiter Ambrosius epist. 83. *Dominica ieiunare non possumus; quia Manichæos etiam ob istius diei ieiunia iure damnamus. Hoc est enim in Resurrectionem Christi non credere, si legem quis ieiunij die Resurrectionis indicat.*

DVBIVM V.

Ad quidnam, quomodo & quosnam obliget præceptum Ieiunij Ecclesiastici & quinam ab eo excusentur.

S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 4. 5. 6. 7. 8.

QVæritur primo, ad quidnam obliget præceptũ 87
ieiunij. Vbi rursum non est quæstio de ieiunio morali, vel naturæ; hoc enim ex parte ipsius refectionis quoad substantiam, numerum vel tempus spectatæ, nulla certa lege definitum est; sed eatenus solum obligat, inquantum cuique certa quædam abstinentia à cibo potuue necessaria est, ad violationem alterius virtutis vitandam, puta castitatis, aut pœnitentiæ &c. Est igitur quæstio solum de lege ieiunij ecclesiastici, ad quidnam obliget. Et respondetur breuiter, obligare, vt seruetur debitus modus in tribus. 1. in qualitate ciborum. 2. in multitudine refectionum. 3. in hora seu tempore refectionis.

Quantum ad primum, abstinendum est vi 88
huius præcepti, diebus quidem ieiuniorum, extra Quadragesimam, à carnibus tantum; nisi forte alicubi specialis consuetudo plus etiam exigat: in quadragesima verò à carnibus, ouis, & lacticinijs; ex capit. *Denique* dist. 4. ex S. Gregorio epist. ad Augustinum Anglorum episc. nisi alicubi receptus & approbatus mos patriæ etiam oua & lacticinia licita fecerit, vt post S. Thomam q. 147. a. 8. ad. 3. cõmuniter notant omnes, & ipsa passim docet experientia ac vsus Germaniæ: licet nec in hac eadem vbique sit consuetudo: id quod ex proprijs locorũ moribus vel legibus discendum; vt merito cum Hieronymo epist. 28. ad Lucinium scripserit, S. Thomas cit. a. 8. ad 3. *Vnaquæque Prouincia abundet in suo sensu; & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.*

Et quamuis Nauarrus Manual. cap. 21. num. 15. requirat, vt talis consuetudo durauerit saltem per quadraginta annos; id tamen non ita scrupulose & mathematice accipiendum videtur: sufficit aliquot annis durasse, Episcopo vel Papa sciente, nec contradicente, vt iam dudum tradidi, iuxta cõmunem doctrinam de abrogatione legum tom. 2, disp. 5. q. 7. dub. 1. & recte etiam notauit Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. In dubio consulendum iudicium prudentum, præsertim verò Ecclesiæ Prælatorum, vt recte Valentia disputat. 9. quæstione. 2. punct. 3.

Quod ad secundum attinet, diebus illis quibus 89
solummodo est *carnis priuium*, puta diebus veneris, sabbati &c. nihil peculiare de paucitate refectionis decretum est: at diebus proprie dicti ieiunij, puta Quadragesimæ, vigiliarum. &c. necesse est vnica tantum refectione esse contentum; ita nimirum, vt non liceat sæpius quã semel intra diem naturalem ieiunij, sumere cibum ad corpus nutriendũ, saltem

nota-

notabiliter, vt ex vsu Ecclesiæ, post S Thomam q. 147. a. 6. ex cõmuni docent Caietanus in Sũma V. *Ieiunium*, Nauarrus manuali cap. 21. n. 13 Ioannes Medina de ieiunio q. 5. Gregorius de Valentia q. 2. punct. 3.

Et quamuis in ea vnica refectione plús aliquanto cibi sumi possit, quam ordinarie sumebatur, vt recte notauit Toletus lib. 6. cap. 2. num. 4. & constat ex Ecclesiæ praxi; curandum tamen est, vt consistatur intra leges temperantiæ, iuxta S Thomam quæst. 147. art. 6 ad 2. si non fiat, peccatur quidem contra virtutem temperantiæ, attamen ieiunium non soluitur, vt docet Medina tract de ieiunio quæst 11. etsi quidam aliter docuerint.

Quod si quis, postquam semel à mensa surrexit, animo finiendi refectionem, siue prandium, rursus, licet post paruum internallum, mensæ accumbat, & epuletur, ieiunium violat, vt docet Nauarrus loc. cit. Secus est, si quis animo statim redeundi, & prandium continuandi à mensa surgat, vt recte Caietanus loc. cit. Quod etiam concedit Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. si quis animum quidem non habuerit redeundi ad comestionem, tamen durante adhuc prandio, mutet intentionem.

90 Ieiunium autem non violant potus aquæ, aut etiam vini, licet quid modicum simul edatur, ne potus noceat; nec quæ sumuntur per modum medicamenti, vt Electuaria; si modo fraus absit; neq; sumpta ad prægustandum, vel per modum cuiusdam præseruatiui, ne quis v. g inter legendum ad mensam, vel in alijs occupationibus notabiliter viribus deficiat. Quod si quis die ieiunij se inebriet, peccabit quidem mortaliter contra leges temperantiæ; at non contra legem ieiunij, iuxta S. Thomam loc. cit. a. 6. ad 2. & communem.

91 Sed nec violatur ieiunium per collationes vespertinas; In quibus iuxta receptas locorum consuetudines, sumitur aliquid panis, aut fructuum, etiam per modum alicuius exigui nutrimenti, hoc enim licitum fecit præscripta consuetudo, vt ex communi docent citati. Quantitas vero eiusdẽ definienda est ex cõmuni consuetudine patriæ, & vsu prudentum, & piorum virorum.

Addit Azor lib. 7. cap. 8. q 8. excusari etiam virosnobiles, qui paulo maiori, quam cæteri vtuntur collatione respectiue; tum quia id consuetudo permittit; tum quia solent esse debilioris valetudinis, & assueti delicatioribus & pluribus epulis. Certe modicum frigidi piscis, aut pastæ seu placentę sumere, vbi id moris est, non videtur esse illicitum. Offæ autem recens coctæ vti male pransis, alijsq; infirmis, & indigentibus non sunt illicitæ: ita ad Ecclesiastici ieiunij communes leges ac normam non quadrant, quæ proinde veteri more ad cõmones religiosorum ieiunantium mensas non inferuntur; tum ne frustra aliorum assidentiũ irritetur appetitus: tum ne id etiam trahi facile possit in exemplum: quasi id vniuersim ieiunantibus liceat.

92 Aliæ refectiones interdiu per se non sunt licitę, sed in ijs plus minusue peccabitur, pro ratione quantitatis. Quod si quis sæpius modice comedendo, perueniat ad notabilem quantitatem, is etiam peccabit mortaliter, cum actus illi in vnum effectũ coëant, non minus quam multa furta parua, vt recte Lessius dub. 2. n. 10.

Et quamuis liceat alioquin prandij refectionẽ differre in cœnam, non licet tamen ideo absque peculiari causa, circa meridiem sumere collationẽ; cum huic rei nec lex, nec consuetudo patrocinetur, vt cum Caietano & Nauarro recte docet Valentia loc. cit. sed ex causa licet, vt docent Sa, Azor, & alij citati.

Verum dubitatur primo, an aliquis toties peccet contra ieiunij legem, quoties interdiu; post primã 93
refectionẽ sine causa excusante, comedit corpus reficiendo. Respondeo, probabilius videri, solum peccare in secunda refectione, non in tertia, nisi secunda vacauerit graui peccato, propter inaduertẽtiam, vel paruitatem materiæ. Ita docent Durandus in 4. dist. 15. q. 11. Gabriel in 4. d 16. q 3. a. 3. dub, 5. Caietanus hic. q. 146. a. 8, Syluester V. *Ieiunium* q. 8. Nauarrus cap. 21 num. 14. Valentia cit. punct. 3. Sa. loc. cit. & Azor cap. 9. q 2. licet contrarium dixerint Maior in 4. d. 15. q. 6. Ioannes Medina tract. de ieiunio q. 5 & Couarruuias lib 4. variarum cap. 10. n. 13.

Ratio est. Quia vt habere videtur communis fidelium sensus, Ecclesia non prohibet vlteriorem comestionem quomodocunque consideratam, sed solum prout quis per illam transgreditur hunc quasi ieiunij limitem, qui est vnica comestio.

Interim dubium non est, peccari toties, quoties die ieiunij carnes comeduntur; & supponunt communiter omnes, idque ex ipso fidelium sensu, non excusare paruitatem materiæ: quod eatenus verum existimo, quatenus esus carnis seu cibi vetiti, existimatur aduersari fidei professioni. Alias non video, cur non æque in hac, ac in alijs materijs, à mortali excusare possit materiæ paruitas.

Secundo dubitatur, an & quomodo peccent 94
ij, qui oblato cibo, inuitant ad comedendum sæpius, contra ieiunij legem. Respondeo, peccare mortaliter, si id faciant per contemptum, aut cum graui scandalo: aut si directe intendant violationem ieiunij, siue alterius peccatum mortale: Venialiter autem tantum peccatur concurrentibus tribus circumstantijs 1. vt quis non intendat comestionem alterius, quatenus iterata vel prohibita; sed solum quatenus comestio est. 2. vt alter sit alias violaturus ieiunium, licet à te non inuitatus. 3. vt eiusmodi inuitatio fiat ex aliqua causa, saltem cuiusdam vrbanitatis ac amicitiæ; quod si causa grauior esset, posset inuitari etiam, qui alioqui non erat violaturus ieiunium. Ita docet Gregorius de Valentia loc. cit. cum Caietano V. *Ieiunium*, Nauarro n. 24.

Quod quidem de offerentibus solummodo ci- 95
bos non habet magnam difficultatem; nec de inuitantibus, si quem alioquin cœnaturum inuites, non tam ad cœnam, quam ad locum & consortium cœnæ, vt nimirum hic potius, quam alibi cœnet, vt docet etiam Azor lib. 7. cap. 32. q. 12. Sed difficultatem habet si quis alterum absolute ad cœnam illicitã inuitet; quia ad rem, quæ sine peccato mortali hic & nunc fieri nõ potest, mortale peccatum est directe inducere: quod etiã in proposito casu censeo locum habere cum Azorio; nisi quis forte

inuitet

inuitet ad comedendum quidem, sed non vltra quantitatem, quæ excedat limites peccati venialis; tunc enim ad comedendum inuitare solum erit veniale. De hospitibus autem carnem, aut cœnam apponentibus in fine huius dubij agetur.

96 Quod ad tertium, nempe horam competentem refectionis attinet, solim quidem erat hac de re varia lex & consuetudo. Initio enim abstinebatur vsque ad vesperam; deinde vsq; ad horam nonam ab ortu solis. Sed iam licet circa meridiem plus minus sumere refectionem, iuxta receptam) ocorum consuetudinem, ita scilicet, vt sumi possit hora vndecima, non ante tamen, nisi ex causa peculiari, vt ex cap. *solent* & Glossa ibidem de consecrat. d. 7. notauit Lessius cit. dub. 2. & pluribus Bellarminus lib. 2 de bonis operibus in particulari cap. 2.

Nec est peccatum, etiam in Quadragesima, vesperas priuatim recitare, post sumptum prandium, vt recte Caietanus; neq; peccat horam prandij ex causa pręueniens, vt iter factur⁹, aut propter hospitem. Neq; sine causa tempus prandendi anticipare, per se loquendo, plus est quam peccatū veniale, vt recte Gabriel in 4d. 16. q. 3. a. 3. dub. 1. & Angelus V. *Ieiunium*, q. 2. post Innocentium, Ioannem Andreæ, Ostiensem, Archidiaconum; etsi contrarium dixerint Syluester V. *Ieiunium* q. 4. Caietanus hic q. 147. a. 7 Nauarrus manuali c. 12. n. 27. & Azor c. 22. q. 4 quia non substantia, sed sola quædam circumstãtia ieiunij, per se non admodum grauis violatur.

97 Quæritur secundo, quomodo, & quosnã obliget præceptum ieiunij. Respondetur sequentibus pronuntiatis. I. licet omnia quidem Ecclesiæ ieiunia, etiam ipsius Quadragesimæ, ex solo præcepto humano, non diuino obligent, vt habet communis sententia; idipsum tamen Ecclesiæ præceptum ex suo genere sub peccato mortali obligat, vt habet communis sensus fidelium, & consensus Doctorum apud citatos, contra Angelum V. *Ieiunium*, qui putat, tantum obligare sub veniali: quamuis à mortali facile excusare possit, tum paruitas materiæ, tum ignorantia, & bona fides.

In quem sensum vniuersim à mortali excusari docent Syluester V. *Ieiunium* q. 8. Caietanus ibidem & Nauarrus cap. 21. Manual. n. 20. eos, qui bona fide, & sine crassa ignorantia existimant, se habere iustam causam non ieiunandi, etiam si reipsa fallantur.

98 Stante vero dubio, an quis ieiunium seruare teneatur, existimat quidem Lessius dub. 5. ieiunium esse seruandum; quasi lex & obligatio legis sit in possessione, melioriscque conditionis: Sed quia hoc ipso etiam dubitatur, an talis contineatur sub lege ieiunij, seu quod idem est, an lex ieiunij ad eum pertineat; existimo parem esse huius rationem cum eo qui dubitat, an aliqua à se vt ita dicam, lex voti sit edita, qua constringatur. Secus foret si obligatio legis aut voti certa sit, etiam respectu operantis, sola autem executio incerta. Nam in priori casu, libertas operantis; in posteriori obligatio legis seu voti velut in possessione est, & hoc ipso melioris conditionis, vt suo loco generatim dictum tomo 2. disp. 2. q. 6 dub. 4.

99 II. Præceptum ieiunij Ecclesiastici obligat omnes & solos Christianos, rationis ita capaces, vt possint mortaliter peccare; nisi eos aliqua rationabilis causa excuset. Pueri vero ante vsum rationis, & quidem vt consuetudo ac probabilis sensus Doctorum legem interpretatur, ante septennium, nulla ieiunij lege tenentur. Itaque etiam carnes comedere possunt, ijsdemque ab alijs ministrari, vt dictum etiam tom. 2. d. 5. q. 6. dub. 2. & docent Corduba in summa q. 40. Sa. V. *Ieiunium*, & Azor tom. 1. lib. 7. cap. 27 q. 3. post Innocentium, & Caietanum.

Causæ vero à lege ieiunij ex toto, vel ex parte excusantes generatim sunt tres, vt annotat Caietanus V. *Ieiunium* & colligi potest ex S. Thoma q. 147. a. 4. nimirum Impotentia, Necessitas seu Labor, & Pietas.

100 III. Ob impotentiam excusari censentur, qui absque notabili detrimento suo, vel alterius, ieiunare non possunt. Qua de causa à lege vnius refectionis excusantur. 1. infirmi, conualescentes, & debiles, qui crebris & modicis refectionibus indigent. 2. prægnantes & lactantes, quæ si ieiunent, non habent sufficiens pro se & prole alimentum. 3. pauperes, qui non habent sufficientem cibum pro vna refectione, vt ex communi docent Valentia pun. 5, & Azor lib 7. cap. 27. quæst. 5. 6. & 7. 4. qui nondum impleuerunt annum ætatis Vigesimum primum; cum ad id vsque temporis soleat durare incrementum hominis, vt cum S. Thoma ex communi docent Valentia, Azor Sa locis citatis, quidquid nonnulli dixerint. Quamuis conueniens sit, vt etiam prius incipiant assuescere ieiunijs; & vero nonnunquam lege naturali, propter vincendas carnis tentationes, ad id teneantur, de quo grauiter monet Peltanus lib, 2. de ieiunio cap. 17. Sicut ad ieiunia religionis tenentur Professi, etiam ante annum vigesimum primum vt docent Sa, V. *Ieiunium* & Azor cap. 28. q. 3. post Syluestrum, Rosellam, Ledesmam, Cordubensem; licet neget Medina in Confess. instructione.

101 5. Excusantur Senes, vt plurimum sexagenarij, ob imbecillitatem; quamuis hic non ita præfinitus sit certus terminus; adeo vt si ea etiam ætate adhuc robusti sint, à ieiunio non excusentur, id quod arbitrio prudentis, præcipue Superioris diiudicandum, vt docent Caietanus in Summa V. *Ieiunium*, Nauarrus Manual. cap. 21. num. 16. & Valentia loc. cit. etsi nonnulli absolute pro viris quidem sexagesimum, pro fœminis quinquagesimum ætatis annum, velut legis ieiunialis terminum constituant, vt videre est apud Sa V. *Ieiunium* num. 9. & probabile censet Azor cap. 28. q. 4. qui tamen potius requirit in viris annos septuaginta.

102 IV. Necessitatis titulo excusat labor grauis quorundam opificum, non ferens ieiunium, puta agricolarũ, fabrorum ferrariorũ, & lignariorũ, sutorũ &c. vt & iter diuturnum agentiũ; nisi itineris susceptio sit merè spontanea, qua sine vllo detrimento vel cõmodi iactura carere possis; talis etiam est causa petenti coniugi debitũ reddendi vel ei nõ displicẽdi; cum hæc alioq; per ieiuniũ impediuntur. Item si magna alioquin cõmoditas lucri seu cõmodi acquirendi negligẽda sit p ieiuniũ. Et quotiescunq; demũ aliqs ieiunando vacare neq; alicui operi, sibi suisue

necessa-

necessario, vt cum S. Thoma cit. q. 147 a. 4 docent citati. Labor autem leuis, vt in opificio sartorum, & tonsorum, à ieiunio non excusat, vt ex communi docent Lessius dub. 6. & Toletus lib. 6. cap. 6. qui tamen nec sutoribus parcit.

103 V. Titulo pietatis excusatur, quisquis aliquod opus melius Deoque gratius simul cum ieiunio præstare non potest, vt est concionari, in scho is docere, confessiones audire &c. item cũ peculiari quadam aliorum ædificatione, suoque profectu spirituali peregrinari, vt cum Caietano V. *Ieiunium*, & Nauarro Manuali cap. 21. num. 18. docet Valentia loc. cit.

Sed & Azor lib. 7. cap. 29. quæst 1. existimat, idque exemplo Spiridionis comprobat ex Sozomeno, & Nicephoro lib. 8. c. 24. ieiunium aliquando sine fraude prætermissum, omni culpa vacare, eo quod bona fide amici, vel peregrini causa soluatur, ob amicitiam seu charitatem; si nimirum amici illi tali videantur amicitiæ officio recreari & indigere.

Itaque si quis ob aliquam ex supradictis causis, seruata abstinentia ciborum prohibitorum, non ieiunet, non peccat saltem mortaliter; non solum si euidenter sciat, aliquam eiusmodi causam subesse; sed etiam si quis probabiliter, aut saltem bona fide, citra ignorantiam crassam vel affectatam existimet, talem causam hic & nunc subesse, vt superius dictum & notauit Valentia loc. cit.

104 Dicere autem, in quibusdam prouincijs, vi consuetudinis, ieiunij legem vniuersim etiam in Quadragesima non obligare, nisi tribus in hebdomade dieb⁹, hactenus non audeo, nec inuenio ex auctoribus, qui id affirmauerit. Quamuis enim passim id à confessarijs permittatur, id tamen non alia ratione permitti credo, nisi quia rationabiles causæ allegantur, quę probabiliter à ieiunio quotidiano excusent. Et valde notandum est, consuetudinẽ legi non derogare, nisi ea consuetudo circa actus legi contrarios versetur, in ea scilicet materia, & cum ijs circumstantijs, quibuscum alioqui lex obligaret. Alioqui legi nihil derogat.

105 VI. Illud potius circa prædictas causas generatim notandum, eatenus solum quamq; causam à ieiunio excusare, quatenus cum ieiunio pugnat, vt ex communi docent Medina q. 9. Caietanus V. *Ieiunium*, Nauarrus c. 21. n. 22. & Valentia q. 2. pun. 5. Hinc ergo ob causam rationabilem excusatus, vti sæpius comedat, potest quidem probabiliter etiam horam præuenire, vt cum Caietano sentiunt Valentia & Sa; & potest etiam sæpius comedere, quam bis, vt habet communior sententia Caietani, Nauarri, & Azorij lib. 7. cap. 9. q. 3. quamuis nege Medina: sed non ideo potest carnes comedere, vt ex communi recte docent Medina de ieiunio quæst. 11. & Valentia q. 2. pun. 5.

Neq; excusatus, vt carnes possit comedere, hoc ipso vniuersim potest bis comedere, aut etiam horã præuenire, vt docent ijdem; nempe si cui eo solum nomine carnium esus sit concessus, quia abhorret à cibis prohibitis, tamquam sibi nociuis, aut alias non conuenientibus: secus si esus carnium concedatur, ad euitandam aliquam debilitatem, vt cum Medina de ieiunio q. 5. & Nauarro cap. 21. num. 22. docet Lessius dub. 6. Quidquid Gabriel in 4. dist. 16. a. 3. dub. 1. Caietanus hic q. 148. a. 7. & 8. Azor lib. 7. c. 10. q. 3. & Toletus lib. 6. cap. 3. absolute dixerint, ijs quibus concessus est esus carnium die ieiunij, consequenter etiam esse concessam frequentiorem comestionem.

Neque item is cui licet horam præuenire, hoc ipso est à ieiunando excusatus; neque item necessitas, aut iusta causa, quæ excusat ab integro ieiunio, videtur excusare ab omni parte eius; ieiunare enim debet sicut potest, vt ex communi docent Nauarrus numero 22. Valentia & alij locis citatis.

VII. Non tamen est dubitandum, quin ex eadem causa necessitatis, rite & secundum debitam 106
proportionem accommodata, etiam licitus esse possit esus carnium, aliorumue ciborum prohibitorum. Ita enim titulo necessitatis excusantur, tum ij quibus ratione ægritudinis euidenter constat necessarium esse carnium esum, vt ex communi docent Medina de ieiunio q. 9. & Valentia q. 2. punct. 5. Item qui non habent aliud, quod comedant, quam carnes, vt docent Bellarminus lib. 2. de bonis oper. in particulari cap. 9. & Azor lib. 7. cap. 27. quæst. 7. Quo titulo etiam excusari possunt, ex iusta causa famulantes in locis hæreticis, vt significat Lessius dub. 5. num. 35. quia non est mens piæ matris Ecclesiæ, vt tales ad solum panis esum velit adstringere; modo interim scandalum & offensionem caueant, profitendo nimirum se tali casu & necessitate non obligari.

Eadem ratione secluso scandalo, & adstipulante 107
vsu, excusari videntur pauperes, qui ob magnam egestatem loco butiri vel olei, quorum neutrum moraliter habere possunt, vtuntur diebus ieiunij pinguedine liquefacta, siue ex anseribus, siue ex bobus, siue ex porcis; præcipuè ijs in locis, in quibus licitus est vsus ouorum & casei, vt indicant etiam Syluester V. *Ieiunium* q. 5. num. 16. & Azor cap. 21. quæst. 8. Vt enim pauperes isti offam ex sola aqua, nulla pinguedine conditam comedant, obligare velle, nimis quam durum, nec benignæ Matris Ecclesiæ menti consonum esse videtur.

Eodem titulo excusari posse videntur ij, qui ob 108
eandem paupertatem, datas sibi à ditioribus, finitis Bacchanalibus, reliquias carnium comedunt, vt quæ nec seruari commode possunt, vsq; ad Pascha; nec durante Bacchanaliorũ tempore consumi: nec conuenit, in tanta pauperum egestate, cibos iam ante præcoctos in vanum perire. Accedit, quod ea passim in Germania viget consuetudo, Ecclesiæ Prælatis, vt apparet, non incognita; qui hoc ipso dispensare videntur: nisi malis dicere, ea consuetudine aduersus legem esse præscriptam.

Addunt nonnulli, eam necessitatem quoque extendi ad puerpera; aut si quis conualescens ex graui morbo vires exhauserit, vt indicant Medina de ieiunio & Valentia q. 2, punct 5. Sed hæc in casibus dubijs reponenda videntur, quando puerperæ communiter etiam sine carnium esu ouis, & lacticinijs satis conuenientem victum sibi parare possunt, & plerumq; solent; & si quid præterea opus est dispensationis postulatione impetrare solent.

VIII.

109 VIII. His igitur, & alijs quibuscunque casibus dubijs, opus est dispensatione; quam Episcopus, vel illo absente Parochus, aut respectu Religiosorum, Prælatus dare potest. Sed & Ordinario præsente, si vel Ordinarius, vel consuetudo hoc Parocho concedat, vt communiter concedit, licite dispensabit Parochus, vt notauit Azor lib. 7. cap. 29. q. 3. & dictum tom. 2. disp. 5. q. 7. dub. 2.

Causa verò dispensandi est, tum dubia obligatio, tum magna in ieiunando difficultas, vt notat Sa V, *Ieiunium*. Quare si quis in dubio, an teneatur ieiunare, à Superiore dispensationem impetret, non peccabit non ieiunando, vt post Caietanum, Nauarrum, & alios ex praxi docet Valentia loc. citat.

Vt autem aliquis, aut omnino, aut certe pro aliquibus diebus, in perpetuum à ieiunij lege fiat immunis, solius Papæ dispensatione fieri potest.

Medicus autem & Confessarius solum interpretari possunt legis obligationem, & declarare non obligare legem; si necessitas seu excusatio sit euidens; at in dubio dispensare non possunt vt, ex Angelo rectè notauit Azor lib. 7. cap. 29.

110 Consuetudo vero præscripta tametsi vtique legem humanam ieiunij, non minus quam cæteras leges humanas, moderari aut adstringere possit, vt ex capit. *Consilium* de obseruatione ieiuniorum, ex communi tradunt Medina de ieiunio q 8 Syluester V. *Ieiunium* q. 2. Azor lib. 8. cap. 30. q. 1. hactenus tamen eousque inualuisse non videtur, vt quod complures faciunt, satis sit, in quadragesima, aut à carnibus seu cibis vetitis solum abstinere, aut ter solum quauis hebdomade ieiunare; quando ij, qui alterutrum horum hactenus fecerunt, nonnisi alijs titulis & causis, præuio prudentum Confessariorum iudicio, id sibi vendicasse censentur; & in contrarium ieiunandi consuetudo non solum in Religionibus omnibus bene constitutis, qui vniuersim non diuersa à sæcularibus lege tenentur, sed etiam apud complures sæculares pios cordatos vtriusque sexus homines inuiolata consistit, vt etiam superius dictum.

Quæritur tertiò, an nolentibus ieiunare possint
11 apponi carnes vel cœna ab hospitibus. Respondeo in modũ sequentẽ. I. In locis planè Cathol. id non licet; nisi forte aut peculiaris necessitas id exigat, aut allegantibus facultatem comedendi cibos vetitos merito fides haberi possit, vt post Gabrielem in 4 dist. 16. q. 6. a. 3. dub. 6. Nauarrum cap. 21. Manual. num. 26. docet Lessius dub. 4.

II. In locis vero mixtis, si quod peculiare Magistratus præceptum non obsistat, videntur apponi posse cibi prohibiti, si peregrini hospites id petant, & non possit hospes postulationem recusare absq; suo damno, vel quia esset ab hospitibus deserendus, vel à Magistratu puniendus; modo interim nullus Religionis contemptus aut scandalum interueniat, vt notauit Lessius loc. cit. Qua ratione etiam excusari possunt famuli (eadem aut maior est ratio vxorum) qui necessitate quadam adacti, coquunt vel apponunt dominis hæreticis cibos prohibitos; vt & qui comitantur dominos, ad conciones hæreticas vt generatim dictum D. 2. q. 6. dub. 8.

Similiter cœna nolentibus ieiunare potest apponi. 1. si non constet de obligatione hospitum, nec opportunum est, eos hac de re interrogare. 2. si eis cœna denegari non possit sine damno, vt antea dictum. 3. si apud aliquem diuersantes cœnâ negata grauius essent eum offensuri, puta Deum blasphemando, contrà Deum murmurando &c. quia licitum est homines abducere à maiori malo, per minus, quando maius impediri commodius non potest, vt dictum cit. D. 2 q. 6. dub. 8. & docent Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 3. a. 3. dub. 6. & Lessius loc. cit.

An verò peregrini teneantur, proprijs legibus 112
ieiuniorum, siue eius loci, in quo diuersantur, siue eius loci; ad quem pertinent, & ex quo discesserunt, diximus tomo 2. disp. 5. q. 6. dub. 2. vbi ad vtrumq; respondimus negatiue, per se nimirum loquendo, & secluso scandalo, dolo, alioue incomodo per accidens interueniente; posse enim quemque se accommodare eius loci legibus & moribus, in quo peregrinus diuersatur.

Quod tamen procul dubio, ex omnium Theologorum mente, idem asserentium, quos ibidem citauimus, intelligendum est, de moribus & legibus per se licitis ac honestis: illicitis enim nemo se probe conformabit. Quare qui ex loco Catholico quadragesimæ tempore, transit ad locum hæreticum, in quo Quadragesima proprijs, sed malis moribus ac legibus, sine ieiunio celebratur, procul dubio mortaliter peccabit, si tali loco carnes comedat.

Quodsi in loco illo hæretico, ob retentum vsum veteris Calendarij. Quadragesima, seu alterius ieiunij tempus necdum celebretur, distinguendum videtur. Si enim hæretici illi illicitè noui Calendarij vsum hactenus respuant, nec sit eo loco Catholica aliqua Ecclesia, siue populus, qui necessitate cogente, Ecclesiæque Prælatis indulgentibus, licite Calendario veteri vtatur, tum rursus illicitum erit peregrino eo loco transeunti, moribus & legibus eius loci sese accomodare, carnibusque, alias eo tempore ab vniuersali Ecclesia vetitis, vesci, quia mores illi & leges particulares talis loci quoad hoc sunt illiciti.

At verò si tali loco, Calendarij veteris vsus licite ab omnibus retineatur; aut certè in eo loco Catholicus populus propriam Ecclesiam habeat, quæ ob dictas superius causas licite antiquo Calendario vtatur, esto Magistratus hæreticus, alijque peccent, ob noui Calendarij neglectum, eo quod per illos stat, quò minus recipiatur; probabile est, peregrinum in ea communitate Catholica versantem, licite sese eius particularibus moribus & legibus posse accommodare; modo interim vel in eodem loco vel in alio, communes illas & vniuersales vniuersalis Ecclesiæ leges de Quadragesimali, alioue communi ieiunio præscriptas obseruet: nam vt omnino talis ab ea obligatione immunis transeat eò quod leges illæ, secundum se non sunt particulares, sed vniuersales, existimo fieri non posse, vt etiam docui cit. tom. 2. disp. 5. q. 6. dub. 2. num. 33.

Neque hactenus vllum autorem legi, qui oppositum doceret: quiue concederet, posse Catholicum ex loco, vbi iuxta nouum Calendarium Quadragesima celebratur, transeuntem ad locum

hæreticum, vbi iuxta vereris Calendarij illicitum vsum, Quadrageſima necdum celebratur, etiam ſi ibi nulla ſit Eccleſia, nulluſue populus Catholicus, qui per accidens licite eodem illo antiquo Calendario vtens, Quadrageſimam itidem necdum celebret; poſſe inquam talem peregrinum licitè, iuxta mores & leges particulares loci illius hæretici, carnes comedere, contra legem vniuerſalem Eccleſiæ ad quam pertinet. Et ratio eſt manifeſta; quia tales leges & mores particulares illius hæretici loci, in quo peregrinus diuerſatur, non ſunt liciti; quibus proinde nemo ſe licite poteſt conformare. Idemque in ſimili de feſtorum dierum celebratione dicendum, vt loco citato n. 33. itidem ſignificaui.

DVBIVM VI.

De Caſtitate, velut tertia parte ſubiectiua temperantiæ, & Virginitate eidem ſubiuncta.

S. Thomas 2.2.q.151.152.

113 QVæritur primo, an & qualis virtus ſit Caſtitas; & quomodo à pudicitia diſtinguatur. Reſpondeo breuiter I. Caſtitatem eſſe virtutem, & quidem ſpecialem, ab abſtinentia diſtinctam. Ita S. Thomas cit. quæſt. 151. art. 1. 2. & 3. Conſtat ex Apoſtolo 2. ad Corinth. 6. v. 5. vbi ieiunijs, alijſque virtutibus, ſeu virtutum actibus adiungit caſtitatem. Ratio eſt; quia temperantia eſt propriè circa concupiſcentias delectationum tactus, quas moderatur & refrenat; ac proinde vbi ſunt diuerſæ rationes delectationis, neceſſe eſt diuerſas eſſe virtutes ſpeciales ſub temperantia comprehenſas: at verò caſtitas & abſtinentia refrenant ac moderantur diuerſas delectationes tactus. Delectationes enim *proportionantur operationibus*, quarum ſunt perfectiones, iuxta Ariſtotelē 9. Ethic. cap. 7. Manifeſtum eſt autem alterius generis eſſe operationes, pertinentes *ad vſum ciborum*, quibus natura indiuidui conſeruatur; & operationes pertinentes, *ad vſum venereorum*, quibus conſeruatur natura ſpeciei: Ergo caſtitas, quæ eſt circa delectationes venereorum, eſt virtus diſtincta ab abſtinentia, quæ eſt circa delectationes ciborum.

114 Alia eſt *caſtitas ſpiritualis* & metaphorice dicta, qua mens delectatur ſpirituali coniunctione ad Deum, & vniuerſim cauet, ne delectabiliter coniungatur rebus creatis, contra diuinæ legis præſcriptum, iuxta illud 2. Corinth. 11. v. 2. *Deſponsi enim vos vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Cui opponitur *fornicatio* itidem *ſpiritualis*, qua mens peccando mortaliter, illicite rebus creatis adhæret, iuxta illud Hieremiæ 3. v. 1. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Qua ratione caſtitas eſt virtus generalis; præcipuè tamen in charitate, & alijs virtutibus Theologicis poſita, quibus mens hominis Deo coniungitur, vt docet S. Thomas cit. q. 151. a. 2.

Reſpondetur II. Pudicitia non eſt virtus, nec 115
actus virtutis vniuerſim diſtinctus à caſtitate; ſed comes & actus eiuſdem, ſeu communis circumſtantia. Ita S. Thomas quæſt. 151. art. 4. ex Auguſtino lib. de perſeuerant. cap. 20. vbi ait: *Prædicanda eſt pudicitia, vt abeo qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur.* Ratio eſt. Quia pudicitia velut à pudore dicta, proprie eſt circa *de quibus homines magis verecundantur*: quales maxime ſunt actus venerei, iuxta Auguſtinum 14. de ciuiate cap. 18. nempe quia motus genitalium membrorum non ſubijcitur imperio rationis, ſicut motus aliorum exteriorum membrorum: Ergo pudicitia verſatur circa idem obiectum, circa quod caſtitas, reprimens ſcilicet & refrænans inordinatos motus corporis caſtitati aduerſos. Et nihilominus quia verecundia eſt non ſolum de ipſa commixtione venerea, ſed etiam *de quibuscunque ſignis* eiuſdem, iuxta Ariſtotelem 2. Rhetor. cap. 6. ideo pudicitia *attenditur præcipue circa ſigna venereorum*, vti ſunt aſpectus impudici, oſcula & tactus; vtpote quæ magis ſolent deprehendi, ac in ſenſum incurrere; caſtitas autem magis reſpicit *ipſam veneream commixtionem.*

Ex quibus colligitur, pudicitiam ad caſtitatem 116
pertinere, *non quaſi virtutem ab ipſa diſtinctam*; ſed quæ velut exprimat ac repræſentet quandam caſtitatis circumſtantiam, qualis eſt *refrenatio turpium motuum, quæ ſunt ſigna venereorum*; quamuis interdum vnum pro alio accipiatur, vt docet S. Thomas cit. a. 4. vt proinde ſuperius q. 143. art. 1. pudicitiam nonniſi improprie vocarit partem ſubiectiuam temperantiæ.

Quæritur ſecundò, an & qualis virtus ſit virgi- 117
nitas. Et quidem ſermo eſt, non de virginitate naturali, conſiſtente præciſe in ipſa integritate ſeu in corruptione corporis, quam ipſa natura ſecum fert; nec de politica, aut morali qualibet, quæ voluntate quidem, ſed ſine firmo & conſtanti propoſito eam perpetuo retinendi, aut nonniſi vano vel mundano reſpectu ſeruatur; qualis etiam ſæpe multis pollutionibus ſolet eſſe maculata: ſed eſt ſermo de Virginitate Chriſtiana, tam viris, quam fœminis communi, qua ex propoſito perpetuo ob ſanctum finem inuiolata corporis integritas & puritas ita conſeruatur, vt voluntarie venereæ voluptati, in ſeminis potiſſimum reſolutione poſitæ, locus nunquam præbeatur, vt mox declarabitur.

Quo poſito: Reſpondetur ſequentibus pronun- 118
tiatis. I. Virginitas tum in quadam carnis incorruptione, tum præcipue in perpetuo propoſito abſtinendi à delectatione venerea conſiſtit. Ita S. Thomas q. 152. a. 1. & colligitur ex Auguſtino lib. de Virginit. cap. 8. vbi ait: *Virginitas eſt continentia, qua integritas carnis ipſi Creatori animæ & carnis vouetur, conſecratur, ſeruatur.* Vbi vocula *vouetur*, videtur accipi latè pro omni propoſito firmo & perpetuo; quia ad Virginitatem per ſe non requiritur votum; ſufficit propoſitum vt dictum.

Probatur & declaratur aſſertio. Virginitas enim *à virore* dicta videtur: & ſicut illud in ſuo virore

perſi-

persistere dicitur, quod *non est ex abundantia caloris aduſtionem expertum*; ita Virginitatis nomine ſignificatur, perſonam, cui ineſt, immunem eſſe *à concupiſcentiæ aduſtione*, quæ eſſe videtur in *conſummatione* maxime delectationis corporalis, qualis eſt venereorum delectatio; quam proinde Virginitas certa quadam ratione, quantum ſcilicet ex voluntate pendet, remouet & excludit, vt notauit etiam Ambroſius lib. de Virginit. aſſerens: *Caſtitas virginalis eſt expers contagionis integritas.*

119 Sicut autem in delectatione venereorum tria ſpectari poſſunt, 1. Violatio ſignaculi virginalis, ſeu integritatis & incorruptionis corporis. 2. Delectatio carnalis ex reſolutione ſeminis orta. 3. Propoſitum perueniendi ad talem delectationem; è quibus primum *per accidens* ſe habet ad actum moralem; ſecundum *materialiter*; tertium *formaliter & completiue*; quia ratio moralium per ſe non conſiſtit in corpore, & corporis diſpoſitione; ſed potius in ratione & voluntate: ita etiam in Virginitate *integritas membri corporalis per accidens* ſe habet ad virginitatem; ipſa autem immunitas à delectatione, quæ conſiſtit in ſeminis reſolutione, ſe habet *materialiter*, denique ipſum propoſitum perpetuo abſtinendi à tali delectatione, ſe habet *formaliter & completiue* in Virginitate. Ita S. Thomas.

120 Vbi quod dicit, integritatem corporis habere ſe per accidens ad Virginitatem, non ita intelligendum eſt, quaſi pro arbitratu adeſſe vel abeſſe poſſit, ſalua virginitate; ſed quia cum præter voluntatem abeſt, aut læditur, vt ijs perſonis accidit, quæ per vim violantur, virginitatem non lædit, vt declarat S. Thomas eodem a. 1. ad 3.

In quem ſenſum Auguſtinus lib. 1. de ciuit. cap. 18 ait, membra illa poſſe *diuerſis caſibus vulnerata vim perpeti. Et Medici*, inquit, *quandoque ſaluti opitulantes, hæc ibi faciunt, quæ horret aſpectus. Obſtetrix etiam virginis cuiuſdam integritatem manu velut explorans, dum inſpicit, perdidit.* Et ſubiungit: *Non opinor quemquam tam ſtulte ſapere, vt huic perijſſe aliquid exiſtimet, etiam de ipſius corporis ſanctitate, quamuis membri illius integritate iam perdita.*

121 Conſonant ea, quæ de Virginitate ſcribit idem Auguſtinus lib. de Virginit. cap. 13. *Virginitas eſt in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Et ibidem cap. 8. *Licet virginitas in carne ſeruetur, ac per hoc corporalis ſit, tamen ſpiritualis eſt, quam vouet & ſeruat continentia pietatis.* Et ibidem cap. 13. *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio eſt.*

Delectationis autem venereæ immunitas ſe habere dicitur *materialiter* ad virginitatem, quia eſt ipſum obiectum, in quod directe tendit Virginitas; cuius eſt ex propoſito voluntatis abſtinere à delectatione venerea. Quare ſi ſeminis reſolutio *procedat ex mentis propoſito, plane tollit virginitatem, ſiue fiat per concubitum, ſiue abſque concubitu.* At verò ſi præter propoſitum accidat, vel in ſomno, vel per vim illatam, cui mens non conſentiat, vel etiam ex infirmitate naturæ, vti fit in ijs, qui fluxum ſeminis patiuntur, *non perditur virginitas*: Quia talis pollutio *non accidit per impudicitiam, quam virginitas excludit*, vt docet S. Thomas ibidem ad 4.

Ex quibus colligitur nullo modo audiendum eſſe Martinum de Magiſtris, qui docuit Virginitatem ſolum amitti per læſionem clauſtri virginalis, non per pollutionem, quem rectè refutat Caietanus hic a. 1.

ASSERTIO II. Virginitas non eſt quid vitioſum, ſed potius laudabile, adeoque virtus, ſeu virtutis actus; ſi vti ſupponimus, ad Deum, ſeu finem ſpiritualem referatur. Ita S. Thomas quæſt: 152. a. 2. Conſtat ex Apoſtolo 1. Corinth. 7. v. 25. *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo; conſilium autem do tanquam miſericordiam conſequutus à Domino.* Et v. 38. *Igitur & qui matrimonio iungit Virginem ſuam bene facit, & qui non iungit, melius facit.* 122

Ratio eſt; quia cum ſint tria hominis bona, nimirum externa, bona corporis, & bona animæ, ſiue quæ ad vitam actiuam, ſiue quæ ad contemplatiuam pertinent; ac ex ijs priora ordinentur ad poſteriora veluti finem, non eſt illicitum prioribus bonis ſe abdicare, vt conſultum ſit poſterioribus. Cum igitur pia virginitas, de qua loquimur, ab omni delectatione venerea abſtineat, vt liberius diuinæ contemplationi vacet, iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 7. v. 32. *Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Et mulier innupta, & Virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*: fatendum eſt, Virginitatem non eſſe aliquid vitioſum, ſed potius laudabile. Secus eſt, ſi ea referatur ad finem merè naturalem & indifferentem, aut etiam vanum & friuolum, vt in ſimili de ieiunio dictum dub. 5. 123

Nec obſtat primo præceptum illud Geneſis 1. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Quia hoc præceptum, ſicut ad ſolam conſeruationem ſpeciei refertur, ita ſolum toti communitati, non autem ſingulis è communitate datum eſt, vt recte S. Thomas ibidem ad 1. Et conſtat ipſo ſenſu communi hominum; qui ſæpe ob alias cauſas humanas, ſine vlla reprehenſione, aut conſcientiæ remorſu, à matrimonio abſtinent. 124

Nec obſtat ſecundò, quod olim ſecundum leges puniebantur illi, qui ſemper cœlibem vitam duxerunt, vt teſtatur Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. quodque Plato, teſte Auguſtino lib de vera Religione, ſacrificaſſe naturæ dicitur, vt perpetua eius continentia, tanquam peccatum aboleretur. Quia enim veteres illi Ethnici ſublimius illud bonum, ad quod vera virginitas ordinatur, non agnouerunt, mirum non eſt, quod ea in nullo, ferè apud eos pretio fuerit, Plato verò quia ſolus legitur amore veritatis contemplandæ, ab omni delectatione venerea (in corporum commixtione poſita) abſtinuiſſe, non ſacrificauit, quaſi id peccatum eſſe exiſtimaret, ſed *peruerſæ opinioni ciuium cedens*, vt ibidem Auguſtinus dicit. Apud Romanos tamen conſtat, qualem qualem Virginitatem in veſtalibus Virginibus, non paruo in honore habitam fuiſſe. 125

ASSERTIO III. Virginitas ſuperius definita, eſt quędam virtus ſpecialis. Ita S. Thomas q. 152. 126

art. 3. & colligitur ex Ambrosio lib. 1. de Virginibus cùm ait : *Inuitat integritatis amor, vt aliquid de Virginitate dicamus, ne veluti transitu quodam perstricta videatur, quæ principalis est virtus.* Ratio Sancti Thomæ est, quia vbi est specialis materia boni, habens specialem excellentiam siue honestatem, ibi inuenitur *specialis ratio virtutis*: at vero conseruare se immunem ab experimento venereæ voluptatis, habet quamdam *excellentiam laudis & honestatis*, distinctam à communi honestate castitatis, in hoc posita, vt quis se conseruet immunem solum ab inordinatione venereæ voluptatis : Ergo Virginitas est quædam specialis virtus, habens se ad castitatem, *sicut magnificentia ad liberalitatem.* Idem docet Valentia quæstione 1. punct. 2. etsi negent Richardus in 4. distinct. 33. & Lessius lib. 4 cap. 2. dub. 14 numero 99. vbi dicit, non differre à castitate *nisi connotato*; ita vt sit ipsa virtus castitatis in subiecto incorrupto.

127 A qua sententia reipsa non differt Caietanus hic quæstione 152. art. 1. & 3. vbi solum concedit, esse virtutem distinctam à castitate, ratione voti : quod plane videtur contra S. Thomam hic art. 1. & 3. vbi sæpius de Virginitate loquens, propositi tantũ, non autem voti mentionem facit; idemque expresse docet in 4 d. 33. vt faretur Caietanus : qui tamen sine fundamento dicit, S. Thomam hic suam sententiam mutasse.

Quamuis enim art. 3. ad 4. requirat propositum voto firmatum, id tamen iuxta reliquam doctrinam S. Thomæ art. 1. & 3. intelligendum videtur de Virginitate strictiori significatu, prout dicit statum immutabilem Virginitatis. Quod etiam confirmatur ex eo, tum quod nunquam votum efficit peculiarem virtutem, vbi alias ex obiecto peculiari virtus non esset. Tum quia votum, cum ad religionem pertineat, non constituit virtutem specialem sub genere castitatis. Tum quia multæ virgines coluntur in Ecclesia, & coronantur à Deo, etiamsi votum Virginitatis nunquam ediderint. Denique ratio S. Thomæ superius allata non fundatur in voto, nec id requirit, vt patet.

128 Nec obstat primo, quod & Virtutes sunt inter se connexæ, & amissæ recuperari possunt : cum tamen Virginitas & multis virtute præditis desit, & semel amissa recuperari non possit, iuxta Hieronymum ad Eustochium de Custodia Virginitatis. Nam loquendo de Virginitate secundum habitum, vel secundum id, quod est in ea formale, virtus infusa Virginitatis Sanctis non deest, sed simul cum alijs virtutibus infunditur; in quibus etiam eatenus in actum prodire potest, quatenus secundum mentis præparationem habere possunt perpetuæ ac inuiolatæ integritatis affectum, atque etiam propositum, si id eis competeret. Ita etiam amissa, quoad mentis propositum, Virginitas vtique recuperati potest. *Circa materiam autem Virginitatis*, est aliquid, quod *solum miraculosè* reparari potest, scilicet *integritas corporis*; aliud quod *nec miraculosè reparari potest*, scilicet vt qui voluntarie *expertus est voluptatem veneream*, fiat *non expertus.* Non enim Deus potest facere, vt ea quæ facta sunt, non sint facta, vt recte S. Thomas eodem a. 3. ad 2. & 3.

Nec obstat tertio, quod Virginitas (per matrimonium) amittitur sine peccato; quod cæteris 129
virtutibus non conuenit; quia virginitas infusa itidem sine peccato non amittitur, vt dictum; etsi subiectum non denominet, vbi conditio expertæ corruptionis deest: sicut nec cæteræ virtutes subiectum denominant, vbi vitiosius habitus contrarius magno gradu præponderat.

Nec obstat quarto, quod viduitas non est specialis virtus à castitate distincta, iuxta S. Thomam 130
& communem. Quia viduitas experta voluntariè delectationem veneream, nihil habet eximium supra castitatem, ob quod specialis virtus sit constituenda, vt rectè Sanctus Thomas cit. art. 3. ad 5.

ASSERTIO IV. Virginitas præferenda est coniugali continentiæ. Ita Sanctus Thomas quæ- 131
stione 152. articulo 4. contra Iouinianum, & huius temporis sectarios; qui Virginitati matrimonium æquant, aut præferunt. Probatur ex Apostolo 1. Corinth. 7. verbis superius relatis, & Augustino lib. de Virginitate cap. 19. vbi ait : *Certa ratione, & sanctarum scripturarum auctoritate, nec peccatum esse nuptias inuenimus; nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam viduali æquamus.* Similia plura habent Hieronymus contra Iouinianum, alijque Patres.

Ratio est; quia bonum diuinum est potius hu- 132
mano bono; sicut & bonum animæ præfertur bono corporis, & bonum contemplatiuæ vitæ præfertur bono actiuæ. Virginitas autem ordinatur *ad bonum animæ, secundum vitam contemplatiuam*, quod est *cogitare ea quæ sunt Dei*; coniugium autem ordinatur ad bonum corporis, quod est *corporalis multiplicatio generis humani*, & pertinet ad vitam actiuam; quia vir & mulier in matrimonio viuentes necesse habent *cogitare quæ sunt mundi*, vt patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. Ergo *indubitanter* virginitas præferenda est continentiæ coniugali, vt bene ratiocinatur Sanctus Thomas cit. art. 4. Accedit exemplum Christi; qui & *Matrem Virginem* elegit, & ipse *Virginitatem* seruauit.

ASSERTIO V. Virginitas non est maxima 133
virtutum, licet in genere castitatis sit excellentissima Ita Sanctus Thomas quæstione 152. articulo 5. ex Augustino lib. de virginit. cap. 45. & 46. vbi martyrium, ac statum religiosum Virginitati præfert. Ratio est. Semper enim finis excellit id, quod est ad finem, & quanto aliquid efficacius confert ad finem; tanto melius est: finis autem, ex quo Virginitas laudabilis redditur, ex dictis, est *vacare rebus diuinis*; quod fit per virtutes Theologicas, & per virtutem Religionis; quæ proinde necessario præstantiores sunt virginitate. Similiter etiam vehementius in hoc elaborant Martyres, vt Deo inhæreant, qui idcirco *postponunt propriam voluntatem*; & viuentes in monasterijs, qui ob hoc *postponunt propriam voluntatem & omnia, quæ possunt habere*, quam Virgines, quæ ob hoc solum *postponunt veneream voluptatem* : Ergo etiam Martyrium ac status religiosus præstat virginitati.

Nihil-

134 Nihilominus quia Virginitas in genere castitatis *transcendit* & castitatem vidualem, & coniugalem, ita vt matrimonio triceſimus, viduitati ſexageſimus, & virginitati centeſimus fructus attribuatur, ſecundum Gloſſam Hieronymi Matthæi 13. ideo Virginitas in genere caſtitatis præſtantiſſima eſt; quæ idcirco etiam ab Ambroſio lib. 1. de Virginibus principalis virtus dicitur. Plura de Virginitate, & quomodo ei reſpondeat, tum peculiaris fructus, tum propria ac ſpiritualis aureola, docuimus tom. 2. diſput. 1. quæſt. 4. dub 2. & 3.

DVBIVM VII.

De Luxuria; quale ſit vitium, & quotuplex, ſeu quanam eius ſpecies.

S. Thomas 2. 2. q. 153. & 154.

135 DE hac re ſtatuimus ſequentes aſſertiones cum S. Thoma loco citato. ASSERTIO I. Luxuria eſt vitium caſtitati oppoſitum, quo mens inordinate ſe habet circa voluptates venereas. Ita S. Thomas quæſt. 153. art. 1. 2. & 3. Ratio ſumitur ex vſu nominis; & quia caſtitatis virtuti vtique certum etiam opponitur vitium, quod non eſt aliud, quam luxuria.

136 ASSERTIO II. Luxuria eſt vitium capitale; cuius filiæ dicuntur cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, & horror ſeu deſperatio futuri. Ita ex S. Gregorio 31. Moral. cap. 31. S. Thomas quæſt. 153. art. 4. & 5. Ratio primæ partis eſt; quia vitium capitale eſt, quod habet *finem multùm appetibilem*, ita vt eius appetitione homo procedat ad multa peccata perpetranda; quæ omnia ex illo vitio tanquam ex principali oriri dicuntur: Finis autem luxuriæ eſt delectatio venereorum, quæ & maxima eſt, & *maximè appetibilis, ſecundum appetitum ſenſitiuum*; tum propter vehementiam delectationis, tum etiam propter connaturalitatem eiuſdem delectationis & concupiſcentiæ.

137 Ratio ſecundæ partis eſt. Cum enim inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad ſua obiecta, conſequens eſt, ſuperiores vires *impediri & deordinari* in ſuis actibus: atqui per luxuriam inferior appetitus maghopere intendit & afficitur obiecto delectabili, propter vehementiam paſſionis & delectationis: Ergo etiam conſequens eſt, per luxuriam *maximè deordinari ſuperiores vires*, rationem ſcilicet & voluntatem.

Quod ſpeciatim in hunc modum accidit. Sunt enim rationis practicæ quatuor actus. Primò *ſimplex intelligentia*, quæ apprehendit aliquem finem vt bonum. Et hunc actum impedit luxuria, dum facit, vt delectatio venerea eiuſque obiectum operanti bonum videatur ſecundum illud Danielis 13. v. 56: *Species decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Et quantum ad hoc filia luxuriæ ponitur *Cæcitas mentis.*

138 Secundus actus eſt conſilium de eligendis medijs; qui etiam impeditur per concupiſcentiam luxuriæ, quæ non admittit accuratam mediorum inter ſe & cum fine collationem; quia vt Terentius ait in Eunucho, loquens de amore libidinoſo: *Quæ res neque conſilium, neque modum habet vllum, eam conſilio regere non potes.* Et quantum ad hoc ponitur præcipitatio.

Tertius actus eſt iudicium de agendis, qui eadem ratione impeditur per luxuriam, auocantem animum à conſideratione eorum, quæ decent, iuxta illud Danielis 13. v. 9. *Euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Et quantum ad hoc ponitur *Inconſideratio.*

139 Quartus actus eſt præceptum ſeu imperium rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam: quæ ob impetum concupiſcentiæ facit, ne quis exequatur id, quod decreuit eſſe faciendum Vnde Terentius in Eunucho de quodam, qui ſe receſſurum dicebat ab amica, ait: *Hæc verba vna falſa lachrymula reſtinguet.* Quo ſenſu etiam Ariſtoteles lib. 7. Ethic. cap. 11. docuit, intemperantia maxime corrumpi prudentiam.

140 Ex parte autem voluntatis conſequitur duplex actus inordinatus, quarum vnus eſt *appetitus finis.* Et quantum ad hoc ponitur tum *amor ſui*, reſpectu ſcilicet delectationis, quam quis inordinate appetit; tum è contrario *odium Dei*, inquantum is prohibet delectationem concupitam. Alius autem eſt *appetitus eorum quæ ſunt ad finem*; & reſpectu huius ponitur *affectus præſentis ſæculi*, in quo quis ſcilicet frui cupit voluptate; & rurſus per oppoſitum *deſperatio futuri ſæculi*; quia dum mens nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat adipiſci ſpirituales, ſed faſtidit. Vnde etiam Oſeæ 4. v. 11. dicitur: *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor.*

141 Neque tamen male Iſidorus apud S. Thomam cit. a. 5. reſpiciens præcipue ad inordinatam locutionem, ex luxuria viri ſolitam, quatuor eiuſdem effectus recenſet; ſcilicet *turpiloquia, ſcurrilia, ludicra, ſtultiloquia*: ſiquidem in locutione quadruplex inordinatio ſpectari poteſt. 1. *ex parte materiæ*; quo ſpectant turpiloquia; quia enim *ex abundantia cordis os loquitur*, vt dicitur Matthæi 12. v. 34. luxurioſi, quorum cor eſt turpibus concupiſcentijs plenum, facile ad turpia verba prorumpunt. 2. *ex parte cauſæ.* Quia enim luxuria inconſiderationem & præcipitationem cauſat, conſequenter etiam facit prorumpere in verba leuiter & inconſidetate dicta, quæ dicuntur ſcurrilia. 3. *ex parte finis*; quia enim luxurioſus delectationem quærit, verba ſua ad delectationem ordinat, & ſic prorumpit in verba ludicra. 4. *quantum ad ſententiam verborum*, quam peruertit luxuria, propter cæcitatem mentis, quam cauſat; & ſic prorumpit in ſtultiloquia, vtpote cum ſuis verbis præfert delectationes alijs quibuſcunque rebus.

142 ASSERTIO III. Sex communiter diſtinguuntur luxuriæ ſpecies; ſcilicet fornicatio ſimplex, adul-

adulterium, incestus, stuprum, raptus & vitium contra naturam. Ita cum Magistro in 4. d. 4 & communi S. Thomas q. 154 a. 1. & sumitur ex Gratiano in decretis 36. quæst. 1. cap. *Lex illa præteritorum.* Probatur & declaratur. Nam peccatum luxuriæ in hoc consistit, quod quis non secundum rectam rationem delectatione venerea vtitur. Quod quidem generatim contingit dupliciter, nimirum aut defectu debitæ materiæ, in qua delectatio quæritur; aut defectu conditionis, seu circumstantiæ debitæ; cuius tamen in præsenti non habetur ratio; quia species per se actuum sumuntur ab obiecto seu materia, non à circumstantijs.

Materia verò, seu obiectum in præsenti potest repugnare rationi dupliciter: vno modo, quia habet repugnantiam ad finem venerei actus, quæ est tum generatio, tum educatio prolis; & sic quantum ad impedimentum ipsius generationis constituitur *vitium contra naturam*; quod est in omni actu Venereo, ex quo generatio sequi non potest: inquantum vero impeditur debita educatio prolis natæ, *est fornicatio simplex*, quæ est soluti cum soluta.

Alio modo materia, in qua exercetur actus
143 venereus, potest esse rationi rectæ repugnans per comparationem ad alios homines; idque dupliciter. 1 ex parte ipsius fœminæ, cui aliquis commiscetur; quia ei debitus honor non seruatur; & sic est *incestus*; qui consistit in abusu mulierum consanguinitate vel affinitate iunctarum. 2. ex parte eius, in cuius potestate est fœmina; quia si est in potestate alterius viri, est *adulterium*; si autem in potestate patris, est *stuprum*, si non inferatur violentia: *raptus* autem, si inferatur. Diuersificantur autem hæ species *magis ex parte fœminæ, quam viri*; quia nimirum ex parte materiæ assignandæ sunt, vt dictum; in actu autem venereo fœmina se habet, vt patiens, & per modum materiæ; vir autem per modum agentis. Ita ferè S. Thomas cit. a. 1. Eandemque doctrinam fuse defendit Caietanus ibidem; quam etiam inferius magis declarabimus.

Assertio IV. Præter dictas luxuriæ species,
144 est etiam sacrilegium, quo persona, vel locus sacer per luxuriam violatur. Ita Gregorius de Valentia hic quæstione 3. Et consentit Sanctus Thomas hic quæstione 154. qui tametsi artic. 1. ad 3. dixerit, sacrilegium, quod à persona Deo per spirituale quasi matrimonium consecrata admittitur, esse quoddam *adulterium spirituale. Et similiter*, inquit, *alij modi sacrilegij rediguntur ad alias species luxuriæ*: idem tamen Sanctus Thomas eadem quæstione 154. artic. 10. aperte asserit, etiam sacrilegium esse speciem distinctam luxuriæ. Sicut enim *obseruatio castitatis*, inquit, *secundum quod ordinatur ad cultum Dei, est actus Religionis, vt patet in illis, qui vouent & seruant virginitatem*, iuxta Augustinum lib. de Virginitate cap. 8. *ita etiam luxuria secundum quòd violat aliquid ad diuinum cultum pertinens, pertinet ad speciem sacrilegij; & secundum hoc sacrilegium potest poni species luxuriæ.* Ita Sanctus Thomas: qui etiam ibidem ad 2. respondet, in decretis 36. quæstione 1. cit. capit. *Lex illa*, solum enumerari illa, quæ sunt species luxuriæ *secundum seipsa. Sacrilegium autem est species luxuriæ secundum quod ordinatur ad alterius vitij finem.*

Et potest, inquit, *concurrere cum diuersis luxuriæ speciebus. Si enim aliquis abutatur persona coniuncta sibi secundum spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus. Si autem abutatur Virgine Deo sacrata, inquantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adultery, inquantum vero est sub spiritualis Patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum; & si violentia inferatur, erit spiritualis raptus; qui etiam secundum leges ciuiles grauius punitur, quam alius raptus. Vnde Iustinianus Imperator in Codice lib. 9. tit. 13. lege vnica dicit. Si quis non dicam rapere, sed attentare tantummodo matrimonij coniungendi causa sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.* Eodem etiam spectat sacrilegium ob violationem loci sacri, per seminis emissionem commissum, de quo Nauarrus man. cap. 16. num. 3. & alibi tom. 4. pluribus.

Et verò diuisionem illam luxuriæ in sex species tantum, non vsque adeo accuratam esse, etiam agnouit Caietanus art. 1. cum ait: Non latuit authorem (S. Thomam) quin plures potuissent assignari species, sed quoniam Magister sentent. & Gratianus sine contradictione has introduxisse videntur species, ideo author solita sua reuerentia vtens, non tam docuit, quam rationem reddidit, quare hæ solæ species positæ sint. Nimirum quia in illa diuisione, respectus habitus fuit ad peccata in ratione luxuriæ per se mortalia; & consummata, & ex parte ipsius obiecti, siue materiæ, specialem à naturali fine actus venerei deordinationem importantia; non verò ad circumstantias merè extrinsecas, eidem fini per se nihil obstantes, aut finem operantis itidem extrinsecum. Quo spectat v. g. actus coniugalis solius delectationis causa habitus &c. Quamuis alioqui eiusmodi peccata coniugatorum ad easdem species reuocentur, vt docet Caietanus cit. artic. 1.

Assertio V. Impudicitia, in tactibus vel amplexibus libidinosis (inter non coniugatos) posita, est quidem peccatum mortale; at non di- 145
stincta species luxuriæ; sed ad eam speciem pertinet, in cuius materia versatur; à qua non differt, nisi vt imperfectum à perfecto. Primam partem tradit Sanctus Thomas quæstione 154. art. 4 ex communi, iuxta illud Matthæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo.* Ratio est; quia eiusmodi tactus continent grauem inordinationem in genere luxuriæ, & sua natura ordinantur ad consummatam eius delectationem.

Secunda pars contra Valentiam hic quæst. 3. punct. 3. vbi impudicitiam distinctam luxuriæ speciem constituit, colligitur ex eodem Sancto Thoma quæstione 154. art. 1. ad 5. vbi negat, impudicitiam esse distinctam speciem luxuriæ, asserens solum *pertinere ad quosdam actus circumstantes actum venereum; sicut sunt oscula, tactus, & alia eiusmodi.* Similia habet articulo 4. Sicut etiam supra dub. 6

num.

num. 115. ex eodem S. Thoma dictum, pudicitiam non esse virtutē à castitate essentialiter distinctam.

Eadem est communis Doctorum sententia, speciatim eorum, qui docent, tactus impudicos, ad eandem speciem pertinere, ad quam spectant actus consummati, ad quos ordinantur; adeoque explicandum esse, an quis impudice tetigerit virginem, an coniugatam, an aliam solutam: quod quidem ex communi tradunt Antoninus part. 2. titulo 5. capite 1. §. 6. Caietanus hic quæstione 154. articulo 4. Nauarrus capite 6. Manualis numero 8. & capite 16. numero 3. & 9. Sotus in 4. distinctione 18. quæstione 2. articulo 4. & alij. Ratio est; quia in moribus & actibus externis, id quod est in aliquo genere imperfectum, ad eandem speciem pertinet, cuius est actus ipse perfectus in eadem materia, ad quem per se ordinatur, vt etiam dictum tom. 2. disp. 4. q. 8. dub 8.

146 Assertio VI. Omnes supradictæ species ita morahter inter se differunt, vt in confessione distincte explicandæ sint. Est communis Doctorum, cum S. Thoma loc. citat. quia habent malitiam in genere moris admodum differentem, vt ex rationibus singularum patet. Est enim *fornicatio* naturalis commixtio soluti cum soluta non virgine; *Adulterium* inter duos, vel alterum coniugatum, qui tamen inter se coniuges non sint; & grauius est, si fæmina sit coniugata, quam si vir solus: nec damnatur adulterij iniuria quisquam coniugatus ad solutam accedens; nec sacrilegij presbyter meretricem cognoscens, in foro scil externo, vt ait Caietanus art. 1.

Incestus vero est inter consanguineos vel affines in gradu prohibito (idque in eadem specie tanto grauior, quanto gradus propinquior, iuxta Caietanum articulo 9.) vel etiam inter cognatos spirituales, quo casu sacrilegium esse notarunt S. Thomas & Caietanus a. 10. ad 2.

147 *Stuprum* est, quando mulier est virgo, prædita scilicet integritate corporis illæsa; siue alioqui vir sit virgo, siue non sit; & fæmina sit sub custodia parentum, vel tutorum, siue non sit, & siue sponte violetur, siue inuita per fraudem, quia non habet potestatem & dominium clausiri virginalis, vt ex communiori Doctorum sententia tradunt Caietanus hic quæstione 154. articulo 6. Valentia quæstione 3. punct. 3. & significant Nauarrus Manual. capite 26. numero 3. Lopez 1. part. capite 73. & Sa V. *Luxuria*; quamuis aliqui solum tunc putent esse stuprum, quando virgo est sub custodia parentum, vt sentire videtur S Thomas citat. quæstione 154. articulo 1. & 6. & indicat Syluester V. *Luxuria* §. 1. aut quando ipsa inuita (per fraudem) violatur; vti cum Soto sentire videtur Vasquez 1. 2. disputatione 112. cap. 1. nec videtur omnino improbabile, vt etiam dictum tomo 2. disputatione 5. quæstione 8. dub. 8. Rationem assignant; quod cum fæmina suæ integritatis potestatem habere, aut certe ea per se, vt bonum quoddam naturale corporis est, tanti momenti non esse videatur, nulla videtur specialis ac notabilis malitia admitti, si eam ipsa non inuita prodigat. Hoc quidem certum est, magis ex ea siue repugnantia, siue custodia aggrauari peccatum; cum etiam fiat iniuria siue virgini, siue parentibus, vel curatoribus.

Raptus stricte & secundum iura, est violenta abductio mulieris rapienti non desponsatæ, vel addictæ, propter exercendum actum turpem; siue inferatur violentia mulieri, siue parentibus, siue vtrisque, vt ex Gratiano docet S. Thomas quæst. 154. articulo 7. & pluribus dicetur tomo 4. de matrim. imped. In foro tamen conscientiæ, & formaliter loquendo, ad raptum spectat, etiam quæuis violenta virginis, aut fæminæ constupratio, iuxta S. Thomam loc. cit.

Sacrilegium est, cum violatur aut persona voto castitatis obstricta, aut locus consecratus.

Vitium *contra naturam* generatim dicitur, quando venereus actus exercetur, tali modo, qui per se impediat generationem humanam; qui proinde non solum repugnat rationi rectæ, quod est commune omni vitio luxuriæ, sed etiam ipsi ordini naturali venerei actus, quem sibi humana natura deposcit. 148

Assertio VII. Adulterium tamen, raptus, & sacrilegium sunt tantum species accidentales luxuriæ; adeoque præter malitiam luxuriæ, habent malitiam specie distinctam, siue iustitiæ siue religioni oppositam. Ita S. Thomas satis aperte tradit citat. quæstione 154. articulo 1. ad 2. vbi ait: *Nihil prohibet, in eodem actu diuersorum vitiorum deformitates concurrere. Et hoc modo adulterium continetur sub luxuria & sub iniustitia. Nec deformitas iniustitiæ omnino per accidens se habet; ostenditur enim luxuria grauior, quæ in tantum concupiscentiam sequitur vt etiam in iniustitiā ducat.* Et articulo 10. in corpore & ad 1. ait; *luxuriam secundum quod ordinatur ad finem alterius vitij, effici illius vitij speciem; & sic aliquam vitij speciem esse etiam irreligiositatis & sacrilegium.* Eadem est verior & communior Doctorum sententia; etsi nonnulli existiment. adulterium, & similia solum habere speciem & malitiam luxuriæ, vt diximus tomo 2. disputatione 2. quæst. 5. dub. 5. numero 103.

Ratio est: quoties enim circumstantia peccato aduenies, opponitur diuersæ virtuti, ab ea, cui opponitur actus peccati in se spectatus, tum ea actui peccaminoso addit nouam malitiam specie distinctam, eidemque virtuti oppositam, cui ipsa circumstantia opponitur: at vero circumstantia vxoris alienæ, ac violentiæ illatæ, itemque personæ aut loci sacri, aduersatur virtuti à castitate distinctæ, aut iustitiæ scilicet, qua violatur ius alterius, ipso rationabiliter inuito, aut religioni, vt dictum: Ergo, eædem circumstantiæ addunt actui luxuriæ nouam malitiam specie distinctam, non quidem ipsi castitati, sed diuersis virtutibus oppositam, vt dictum.

Maior propositio patet ex communi doctrina, quam tradidimus tom. 2. loc. cit. contra quosdam aliter opinantes. Minor constat, quia ratio & malitia iniuriæ, vel etiam irreligiositatis, quæ aduersus locum aut personam sacram committitur, non vtique opponitur per se castitati, sed alijs virtutibus, quas diximus.

149 Quodsi adulterium cum vxore, marito etiam consentiente, perpetretur, propriè quidem non videtur lædi ius alterius; quia volenti non fit iniuria, vt dicemus disputat. 4. quæstione 8. dub. 1. numero 7. & 9. Læditur tamen ipsa inuiolabilis sanctitas matrimonij; & in foro externo merito non secus punitur, ac si inuito marito vxor violata fuisset; quia is ipse consensus mariti, vt & acceptatio eius in vxore, pernitioso scelere non caret.

Assertio VIII. Vitium contra naturam pluribus modis contingit, pluresque, nimirum quinque, species sub se complectitur. Ita ex communi docet S. Thomas citat. quæstione 154. articulo 11. Contingit enim 1. Si absque omni concubitu, causa delectationis venereæ, pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum *immunditiæ*, quæ etiam *mollities* dicitur, iuxta Apostolum Galat. 5. & 2. Cor. 12. Item 2. si fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei; quod vocatur *bestialitas*. 3. Si fiat per concubitum ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam, vt Apostolus dicit ad Rom. 1, quod dicitur *Sodomiticum vitium*. 4. & 5. Si non seruetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad instrumentum, seu vas non debitum, quo casu nonnulli putant committi etiam Sodomiam, alij rectius negant, vt dicemus: aut quantum ad alios monstrosos bestiales concumbendi modos qui si generationi obstent, sunt peccata mortalia, etiam in coniugibus, &c. vt pluribus suo loco de matrimonio dicetur. Quæ proinde omnia tanquam nefanda scelera sæpius etiam detestatur Apostolus Rom. 1. 1. Cor. 6. & 12. Gal 5. Ephes. 5. Heb. 12.

Et vero hæc singula esse peccata specie distincta, recte probat Caietanus articulo 11. ex diuersitate motiuorum, quorum quodlibet est per se sufficiens ad corruptionem naturalis ordinis actus venerei humani. Mollem enim mouet sola expletio voluptatis venereæ. Sodomitam mouet persona indebiti sexus. Bestialem mouet suppositum alienæ speciei. Abutentem fœmina extra vas mouet delectatio in parte indebita. Et vltimum mouet delectatio indebiti modi. Vnde colligitur, commistionem viri cum muliere, contra naturam, & cum puero, distingui specie; illamque non esse proprie Sodomiam; eo quod ipsa persona concumbens non est contra naturam, sed sola pars eius &c. vt recte ibidem docuit Caietanus, quicquid nonnulli in contrarium dixerint.

Dicere autem prædicta quinque peccata non esse morali specie distincta, nec adeo in confessione necessario explicanda, vt nonnulli recentiores insinuarunt, mihi practice tutum non videtur.

150 Assertio IX. Tum omnes aliæ septem species luxuriæ, tum ipsa etiam fornicatio simplex, ac pollutio voluntaria & directe procurata, ita per se ac intrinsece mala sunt, & peccata mortalia, vt nullo casu sint licita: excepta sexta & postrema, vbi seruato debito vase vxoris, solus modus concumbendi, sine periculo extra vas debitum effundendi seminis, immutatur: quod ex causa rationabili subinde etiam licitum esse potest; si nimirum dispositio corporis non patiatur aliud fieri. Hæc pars traditur à Caietano articulo 11. ex communi, vt pluribus dicetur suo loco de matrim. tomo. 4.

Priorem partem tradit S. Thomas quæstione 154. articulo 2. & 5. ex communi Doctorum; quidquid in contrarium dixerint Martinus de Magistris, apud Caietanum citat. articulo 2. & vt apparet etiam Durandus in 4. distinct. 33. quæstione 2. scilicet iure naturæ, fornicationem simplicem, saltem non vagam, sed inter personas certas, quæ citra matrimonium velint (ex pacto præsertim & obligatione) gerere conuenientem curam prolis, non esse peccatum mortale, sed solum iure diuino positiuo esse prohibitam. Quam opinionem merito Sotus lib. 5 de iust. quæst. 3. artic. 3. & Valentia hic quæst. 3. punct. 3. censent esse errorem in fide, minime tolerabilem.

Ratio quantum ad fornicationem est; quia fornicatio simplex sua natura aduersatur conuenienti susceptioni & educationi prolis; quando per eam & proles incerta redditur; & cura constans ac perpetua honestæ ac decentis educationis ab vtroque parente proli adhibenda negligitur, vt pluribus persequitur S. Thomas. cit. a. 2.

Neque refert, quod per accidens hæc incommoda quandoque abesse, aut auerti possunt; quia vt bene aduertit Caietanus ibidem ex ipsa naturæ institutione requiritur, vt naturali quodam ordine ac necessitate (ex ipso videlicet naturali vinculo matrimonij) sexuum commixtio ad debitam filiorum educationem ordinetur; vti etiam in animantibus videre est quorum vnum ad prolis educationem non sufficit; ea enim tunc naturali societate inter se consociantur.

Quantum vero ad pollutionem voluntariam, 151
varij varias assignant causas: mihi hæc præcipua videtur, quia semen non est excrementum corporis humani, sed per se ad eius perfectionem pertinens, tanquam instrumentum necessarium generationis & conseruationis speciei, cuius proinde fundendi homo, potestatem non habet, nisi iuxta ordinem à natura præscriptum, & accommodatum ad supradictum finem. Quo fit, vt sicut ob fines quosdam extrinsecos, se homo per ebrietatem rationis vsu priuare non potest, vt dictum dubio 4. ita etiam nec propter sanitatem, nec ob alios fines extrinsecos, directe pollutionem, siue seminis effusionem procurare possit.

Quæ ratio pariter etiam ad fœminas pertinet, quando & ipsarum semen generationis principium quoddam est, vt cum Auicenna in cap. 9. de animalibus & Alberto in fin. 15. de animalibus itemque Galeno, & Scoto in 4. distinctione 3. pluribus persequitur Caietanus hic quæstione 154. articulo 12. quidquid in contrarium dixerit Aristoteles 1. de gen. anim. circa finem, quem sequi videtur S. Thomas 3. part. quæstione 31. articulo 5. ad 3. quasi semen illud aut ex necessitate materiæ proueniat, aut certe per se ad generationem non conferat: quod satis refellitur ipso delectationis sensu quem mulieres in eius fluxu

habent,

habent, non frustra à natura indito, siue id etiam extra corpus fluat, sine non, vt bene aduertit Caietanus.

152 Assertio X. Supradictæ tamen luxuriæ species, inter se quoad malitiæ grauitatem plurimum differunt; è quibus per se ac ex suo genere grauissimum est peccatum contra naturam. Ita sanctus Thomas quæst. 154. artic. 12. ex Augustino lib. de adulterinis coniugijs, vt refertur 32. quæst. 7. capite *Quemadmodum*, & cap. *Adulterij*. Probatur & declaratur. Quia sicut in speculatiuis error circa ea (principia scilicet) quorum cognitio est homini naturaliter indita, est grauissimus, & turpissimus; ita in agendis, agere contra ea, quæ sunt secundum ipsam naturam determinata, est grauissimum & turpissimum: at vero in vitijs, quæ sunt *contra naturam, transgreditur homoid, quod est secundum naturam* (per modum quasi alicuius primi principij, ex ipso fine principali secundum substantiam spectato desumpti) *determinatum, circa vsum venereum*: ergo peccatum hoc ex suo genere est grauissimum. Post quod est *incestus*, qui est contra naturalem reuerentiam, quam personis coniunctis debemus.

Per alias autem luxuriæ species *præteritur* (non quod secundum ipsam naturam, in ordine ad substantiam generationis humanæ, sed) solum id, quod est *secundum rationem rectam*, (nempe quodam discursu) *determinatum, ex præsuppositione tamen naturalium principiorum*. Magis autem repugnat rationi, vt aliquis venereis vtatur, non solum contra id, quod conuenit proli generandæ, sed etiam *cum iniuria alterius*. Et ideo *fornicatio simplex*, quæ committitur sine iniuria alterius personæ, minima est inter omnes species luxuriæ. Maior autem iniuria est, si quis abutatur muliere alterius potestati subiecta ad vsum generationis, quam ad solam custodiam: & ideo *adulterium* est grauius, quam stuprum; & vtrumque *aggrauatur per violentiam*; qua de causa *raptus virginis*, est grauius, quam stuprum; & raptus vxoris, quam adulterium; & hæc omnia *aggrauantur secundum rationem sacrilegij*.

153 Loquendo vero de diuersis speciebus ipsius peccati contra naturam; quia grauitas peccati magis spectatur ex abusu alicuius rei, quam ex omissione debiti vsus; ideo inter vitia contra naturam infimum locum tenet peccatum *immunditiæ* quod consistit (saltem secundum id, quo à cæteris peccatis contra naturam differt) in sola *omissione* concubitus ad alterum. Grauissimum autem est peccatum *bestialitatis*; quia non seruatur debita species. Vnde super illud Geneseos 37. capite n. 2. *Accusauit fratres suos crimine pessimo*, dicit Glossa, *quod cum pecoribus miscebantur. Post hoc autem est vitium Sodomiticum; cum ibi non seruetur debitus sexus. Post hoc autem est peccatum ex indebito ac innaturali modo concumbendi, magis autem si non sit debitum vas, quam si sit inordinatio secundũ aliqua alia pertinentia ad modum concubitus*. Ita S. Thomas cit. a. 12. in corpore, & ad 4.

Eadem doctrina confirmatur ex Augustino lib. 3. confess. capite 8. vbi ait: *Flagitia quæ sunt contra naturam, vbique ac semper detestanda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt; quæ si omnes gentes facerent, omnes eodem criminis reatu diuina lege tenerentur; quæ non sic fecit homines, vt se illo vterentur modo. Violatur quippe ipsa societas quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cuius ille auctor est, libidinis peruersitate polluitur.*

Dubium esse potest, an etiam ipsæ species quinque peccati contra naturam plures alias sub se species comprehendant. Respondeo cum Caietano quæstione 154. articulo 11. negatiue. Cum enim vitium mollitiei venereæ constituatur ex voluntaria pollutione, absque concubitu quocunque, nulla apparet differentia formalis, inquit Caietanus, quæ distinguat hanc speciem. Siue enim sit procurata extrinseco adminiculo, proprio vel alieno, per quodcunque coniunctum, vel separatum instrumentum, dummodo absit concubitus: siue sit procurata per solum interiorem actum positiue, vel negatiue, nulla efficitur diuersitas specifica: quoniam hæc omnia materialiter, vel per accidens se habent ad voluntariam seminationem absque concubitu. Grauius tamen peccatum est, cum alieno (etiam absque vlla alioqui concupiscentia alieni, aut sibi ratione coniugij non debiti corporis) hoc adminiculo fit, ratione societatis in peccato alterius. Et hæc intellige, loquendo de tali specie peccati secundum se: quoniam loquendo de eodem peccato, vt subordinatur morosæ delectationi, aut desiderio adulterij, recipit etiam adulterij deformitatem: & vt subordinatur morosæ delectationi, aut desiderio incestus, admittit deformitatem incestus; & sic de alijs. Ita Caietanus: quod intelligendum iuxta doctrinam de morosa delectatione traditam tomo 2. disputatione 4. quæst. 8. dub. 8. 154

Ita etiam, inquit Caietanus ibidem, vitium bestialitatis species specialissima est. Nam neque vasis, aut sexus diuersitas, in bestia diuersitatem motiui in ordine ad rationẽ habet: sed sub eadem mouendi ratione comprehenditur; quia bestia ipsa mouet, scilicet vt extraneum à specie humana: sicut etiam omnis concubitus masculi cum masculo, inter homines, est eiusdem speciei; quia sub eadem ratione mouet mas, & quælibet eius pars, marem ad actum venereum; & mulier mulierum; neque nata est sequi generatio humana, ex commistione cum sexu diuerso bestiæ, sicut accidit in commistione hominum. Et per hoc etiam dicitur, quod omnis concubitus cum dæmone, est eiusdem (bestialitatis) speciei specialissimè, quia sub vna ratione mouet, vt suppositum non eiusdem speciei.

Et hæc intellige, quantum est ex natura actus, hoc est, ipsius concubitus secundum se, cum suppositio non eiusdem speciei: quoniam ex parte affectus, vtputa siquis etiam bestia affectu Sodomitico (imaginatione innaturalis vasis humani) abutatur; aut cum dæmone per affectum ad delectationem sodomiticam, vel

cum

cum consanguineo &c. coeat, peccatum vltra bestialitatis vitium, deformitatem sodomiæ, vel adulterij, vel incestus, vel sacrilegij &c. (iuxta superius dicta) induit.

Potest quoque ex parte effectus, adiuncto quandoque patientis affectu, seu consensu, variari bestiale peccatum mulieris cum dæmone: puta si dæmon non confectũ à seipso semen, quod non est verum semen humanum, sed quidam humor semini humano similis, sed verum semen humanum, acceptum ab aliquo viro transfundat. Tale enim peccatum, ex parte concubitus, est bestialitas; ex parte vero commistionis seminum (si viri extranei soluti, aut nullius certi, semen expetitum sit) ad simplicem fornicationem reductiuè spectat: &c.

Differt etiam specie concubitus cum dæmone, à concubitu cum bestia, ex admistione alterius vitij, scilicet irreligiositatis, non secundum speciem sacrilegij, sed superstitionis illius, ad quam spectat societas cum dæmonibus &c. Ita Caietanus: Cuius verba, quia breuia sunt, & simul luculenter rem obscuram declarant, his inserere volui.

Ex cuius itidem doctrina, etsi peccatum viri cum muliere extravas naturale sit vni9 speciei; specietamẽ differt, a peccato in solo modo concumbendi cum muliere; propter diuersitatem motiuorum: quoniã ad vsum mulieris extra vas naturale, mouet delectatio partis, seu instrumenti inaturalis, ad vsum vero mulieris in vase naturali, modo indebito, mouet delectatio ipsius modi innaturalis. Quo fit, inquit Caietanus, vt inter modos quatuor vitij contra naturam superius commemoratos sola quarta species subalterna inueniatur: quam propterea cum eodem Caietano assert. 8. in duas species distinximus.

Atque hactenus doctrinam fere S. Thomæ de peccatis luxuriæ persequuti sumus. Plura vero huc spectantia, speciatim an, & qua ratione delectatio morosa sit peccatum, item an, & quando tactus, aspectus, amplexus turpes & impudici tum inter solutos, tum inter sponsos & coniuges sint peccata mortalia; an item, & qua ratione pollutio etiam directe non procurata, tamẽ aliquo modo in sua causa voluntaria, sit peccatum; quæ ex parte etiam attingit S. Thomas q. 154. a. 4. & 5. satis fuse declarauimus tom. 2. disp 4. q. 8. dub. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Sicut etiam de restitutione propter illatum stuprũ facienda agetur disput. sequenti. De raptu vero, quatenus impedimentum matrimonij est, agendum est pluribus tom. 4. de matrimonio.

DVBIVM VII.

De partibus potentialibus temperantiæ; speciatim de continentia & mansuetudine, vitijsque oppositis.

S. Thomas 2.2. q. 155. 156. 157. 158. & 159.

QVæritur primo, an & qualis virtus sit continẽtia. ASSERTIO I. Continentia dupliciter accipitur, primo pro ea, qua quis ab omni delectatione venerea abstinet, quo sensu Apostolus ad Gal. 5. v. 23. continentiam castitati coniungit, & sic continentia, principalis quidem est virginitas, secundaria autem viduitas, virtus vtique vera & perfecta, non secus ac de castitate & Virginitate superius dictum. 155

Secundo accipitur ab Aristotele 7. Ethic. atque etiam in Collationibus Patrum pro ea qua quis resistit concupiscentijs prauis, quæ in eo vehementes adhuc existant: quo modo licet continentia sit ipsa virtus temperantiæ, adeoque vel abstinentiæ, vel castitatis, aut virginitatis, non tamen habet rationem seu statum perfectum Virtutis moralis, cuius est appetitum sensitiuum ita rationi subijcere, vt in eo non insurgant vehementes passiones rationi contrariæ. Hæc videtur mens S. Thomæ q. 155. a. 1. cum ait, continentiam posteriori sensu *habere aliquid de ratione Virtutis*; & dici posse *continentiam esse Virtutem*; *non tamen attingere ad perfectam rationem Virtutis moralis*, ob dictam causam.

In eundem sensum intelligendus est Aristoteles 4. Ethic. cap. vlt. asserens, continentiam non esse virtutem, *sed quandam mixtam*; inquantum scilicet *habet aliquid de Virtute, & in aliquo deficit à Virtute.* Ratio est, quia de essentia virtutis moralis non est, vt passiones iam edomitas habeat, sed vt in ijs domandis versetur: maxime cum nulla eiusmodi virtus inchoata passiones domitas habeat, & nec tamen essentialiter differat à virtute perfecta.

ASSERTIO II. Continentia, vt & incontinentia, versantur circa delectationes tactus velut circa propriam materiam. Ita S. Thomas cit. q. 155. a. 2. ex Aristotele 7. Ethic. cap. 4. Ratio est; quia ex ipsa vi nominis, continentia est circa illas passiones, quę impellunt ad aliquid prosequendũ quod non decet: quo in genere cum potissimã vim habeant delectationes tactus, vel ad conseruationem indiuidui, vel ad conseruationem speciei spectantes, ideo *continentia & incontinentia proprie dicuntur circa concupiscentias delectationum tactus*: quamuis continentia generatim etiam in quacunque alia materia illicita locum habere possit, puta in abstinentia à vindicta, lucro vel honore prohibito &c. qua ratione continentia ad eam Virtutem pertinebit, in cuius materia versatur. Quo modo etiã intelligi potest illud Eccli 26. v. 20. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, iuxta S. Thomam ibidem a. 4. ad 1. 155

ASSERTIO III. Continentia est in voluntate ac temperantiæ subordinata. Ita S. Thomas cit. q. 155. a. 3. & 4. Primum probatur, quia licet sit circa 157

passio-

passiones appetitus concupiscibilis, non tamen adhuc eas habet perdomitas, adeo vt concupiscibilis appetitus eodem modo se habeat in continente, & in eo, qui incontinens est; quia in vtroque prorumpit ad concupiscentias prauas vehementes: sola differentia est ex parte voluntatis; quod in hoc etiam voluntas passionem sequitur; in illo resistit: Ergo continentia est in voluntate.

Ita quidem S. Thomas, idque conuenienter secundum ipsam vim nominis continentiæ. Quod tamen nil obstat, quo minus sit essentialiter eadem virtus cum temperantia, quatenus & hæc principaliter in voluntate versatur, vt suo loco generatim dictum tomo 2. disp. 3. q. 3. dub. 2. Sicuti etiam è conuerso negari non debet, continentiæ respondere imperfectũ aliquem habitum temperantiæ etiam in appetitu sensitiuo; siquidem vno actu generari habitum quoad essentiam diximus ibidem q. 1. dub. 3.

158 Secunda pars declaratur; quia continentia posteriori sensu accepta, prout hoc loco de illa agitur, comparatur ad temperantiam *sicut imperfectum ad perfectum*, vt dictum est. Et indicat quidem simul S. Thomas, eam esse quasi partem potentialem temperantiæ adiunctam: sed hoc non nisi improprie & solum quadam similitudine imperfecta accipiendum, vt ex dictis constat.

Nec obstat, quod continentia quæ in certando versatur, videtur mereri maius præmium, quam temperantia, iuxta illud 2. ad Timoth. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*: quia *magnitudo concupiscentiæ*, seu *tepiditas & paruitas eius* ex duplici causa procedere potest. 1. *ex causa corporali; quidam enim ex naturali complexione sunt magis proni ad concupiscendum, quam alij: & iterum quidam habent opportunitates delectationum concupiscentiam inflammantes magis paratas, quam alij. Et talis debilitas concupiscentiæ, diminuit meritum; magnitudo autem auget. Quandoque vero debilitas concupiscentiæ prouenit ex causa spirituali laudabili, puta ex vehementia charitatis, vel fortitudine rationis: sicut est in homine temperato. Et hoc modo debilitas concupiscentiæ auget meritum, ratione suæ causæ; magnitudo vero minuit.* Ita S. Thomas cit. a. 4: ad 2. Ex quibus efficitur, continentiã per se non esse maioris meriti, quam temperantiam.

159 Quæritur secundo, an & quale peccatum sit incontinentia. Respondeo breuiter, incontinentiam esse peccatum continentiæ oppositum; ita quidem vt iuxta posteriorem notionem continentiæ, intemperatus plus peccet, quam incontinens; cum ille ex habitu, hic vero ex passione peccet, iuxta Aristotelem 7 Ethic. cap. 8. & S. Thomam q. 156. a. 3. & dicta superius. Et quamquam *secundum passionis rationem, concupiscentiæ incontinentia turpior sit, quam iræ; tamen quantum ad malum sequens, sæpe grauior est iræ incontinentia, quam concupiscentiæ*, iuxta eundem Aristotelem 7. Ethic. cap. 6. Posterior pars huius doctrinæ patet.

Prioris partis, quod incontinentia concupiscentiæ turpior sit incontinẽtia iræ, &c. Ratio est: 1. quia motus iræ *participat aliqualiter rationẽ*; motus autem concupiscentiæ *totaliter est secundũ sensum*, & nullo modo secundũ rationẽ. 2. quia motus iræ magis (ac promptuis) consequitur corporis complexionem, *propter velocitatem* (& efficaciam) *motus choleræ*, quæ tendit ad iram. Vnde etiam *frequentius ex iracundia nascuntur iracundi, quam ex concupiscentibus concupiscentes*. 3. quia *ira quærit manifeste operari*, sed concupiscentia quærit latebras, & *dolose subintrare*. 4. quia concupiscens *delectabiliter operatur*, sed iratus quasi quadam *tristitia præcedente coactus*. Ita S. Thomas q. 156. a. 4 ex Aristotele 7. Ethic cap. 6.

Quæritur tertio, an & qualis virtus sit clemen- 160
tia & mansuetudo; & quomodo inter se differant.

Assertio I. Mansuetudo est virtus iræ moderatiua; à qua essentialiter differt clementia, quod hæc porpriæ punitionẽ exteriorem, illa vero per se ac immediate iræ passionem moderatur: Ita S. Thomas q. 157. a. 1. & 2. ex Aristotele 4. Ethic. cap. 5. & Seneca lib. 2. de clementia cap. 3. vbi clementiã definit, *lenitatem superioris aduersus inferiorem*. Ratio est, quia passiones interiores sunt exteriorum actionum principia, aut etiam impedimenta. Quo fit vt virtutes, quæ moderantur passiones, quodammodo *concurrant in eundem effectum cum virtutibus* quæ moderantur actiones, licet specie differant. Sicut ad iustitiam proprie pertinet cohibere hominẽ à furto ad quod inclinatur per inordinatum amorẽ pecuniæ, quẽ moderatur liberalitas; adeo vt liberalitas & iustitia in eundem effectum concurrant, qui est abstinere à furto. Idem accidit in proposito. Nam ex passione iræ facile quis prouocatur, ad inferendam pœnam iusto grauiorem: ad clementiam autẽ proprie & directe pertinet, esse *diminutiuam pœnarum*. Quo fit, vt mansuetudo inquantum refrænat impetum, concurrat in eundem effectum cum clementia. Differunt autem inter se, quia clementia per se est *moderatiua exterioris punitionis, mansuetudo autem proprie diminuit passionem iræ*. Vnde etiam mansuetudini proprie opponitur iracundia, vt dicetur; clementiæ autem crudelitas, qua quis puniendi causam quidem habens, modum tamen non habet iuxta Senecam lib. 2. de clement. cap. 4.

Assertio II. Etsi mansuetudo & clementia 161
generali quadam ratione, quatenus in moderatione quadam versantur, tanquã partes quædam potentiales & virtutes secũdariæ adiungi soleant temperantiæ: reipsa tamen multo maiorem affinitatem habet illa quidem cum fortitudine; hæc vero cum iustitia. Ita fere S. Thomas cit. q. 157. a. 3. Et prima pars sumitur ex Cicerone lib. 2. de Inuent. & Seneca lib. 2. de Clem. cap. 3. Ratio primæ partis est; quia & mansuetudo in hoc cum temperantia conuenit; quod vtraq; moderatur passiones appetitus sensitiui, in quibus tamen moderandis, præstat temperantia mansuetudini; quod illa refrenat concupiscentias vehementissimas delectationum tactus, quæ sua natura magis appeti solent, quam vindicta ad iram pertinens. Similiter clementia versatur in moderandis actionibus externis, quibus pœna infertur. *Adiunctio autem virtutũ secundariarũ ad principales magũ attenditur*, inquit S. Thomas ad 2. *secundum modum virtutis, qui est quasi quædam forma eius, quam secundum materiam*. Quod tamen plane arbitrarium videtur, nec male quisquam fecerit, qui attendendo simpliciter maiorem conformitatem virtutum inter se, mansuetudinem quidem fortitudini, clementiam vero iustitiæ subiunxerit.

Et

Etenim ad quod secundã partem assertionis attinet,
162 conuenit Mansuetudo cum fortitudine magis quã cum temperantia, tam ex parte obiecti seu materiæ quam subiecti; siquidem vtraque virtus versatur circa passiones appetitus irascibilis, ac proinde in ipso appetitu irascibili consistit. Ita etiam clementia, siue obiectum siue subiectum spectemus, multo magis conuenit cum iustitia quã cum temperantia. 1. quia clementia, non secus ac iustitia, per se ac directe versatur circa alterũ. 2. per se ac proprie versatur circa actiones externas, nõ circa passiones. 3. est in voluntate, vt iustitia, non in appetitu sensitiuo, Quare etiam Aristoteles 5 Ethic. cap. 10. diminutionem pœnarum atribuit *Epikiæ*, ad Iustitiã pertinenti.

163 Nec obstat, quod S. Thomas a. 3. ad 1. docet, diuersa ratione diminui pœnas ab Epijkia, & a clemẽtia. *Nam in diminutione pœnarum*; inquit, *duo sunt consideranda, quorum vnum est, quod diminutio pœnarum fiat secundũ intentionem legis latoris, licet non secundum verba legis; ac secundum hoc pertinet ad Epijkiam: aliud autẽ est quædã moderatio affectus, vt homo nõ vtatur sua potestate, in inflictione pœnarũ, Et hoc proprie pertinet ad clementiã, iuxta* Senecam lib. 2. de clementia cap. 3. vbi ait: *Clementia est temperantia animi in potestate vlciscendi*. Et hæc quidem moderatio animi *prouenit ex quadã dulcedine affectus, qua quis abhorret omne illud, quod potest alium contristare. Ex ideo Seneca dicit ibidem, clementiam esse quamdam lenitatem animi: sicut è conuerso austeritas animi videtur esse in eo qui non veretur alios contristare.* Ita S. Thomas. Etiamsi enim hoc verũ sit, manet tamen nihilominus id, quod diximus clementiam etiam qua ratione ab Epijkia distingui dicitur, tribus ijs, quas diximus rationibus, cum iustitia potius, quam temperantia conuenire.

164 Assertio III. Mansuetudo & clementia etsi magnam in scriptura laudem habeant, non tamen sunt Virtutum præstantissimæ. Ita S. Thomas q. 157. a. 4. Prima pars patet. Mansuetudo enim in scriptura plurimũ cõmendatur, tum quia hominem peculiari ratione ordinat ad Dei cognitionem, in qua beatitudo posita est, Eccli 5. v. 13. *Esto mansuetus ad audiendum verbũ vt intelligas.* Iacobi 1. v. 21. *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Et Dionysius epist. 8. ad Demophilum ait, Moysen propter multam mansuetudinẽ *Dei apparitione dignum habitum.*

Tum quia & Deo & hominibus est acceptissima Eccli. 1. v. 34. *Quod beneplacitum est illi fides & mansuetudo; & adimplebit thesauros illius.* Matth. 11. v. 29. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Et rursum Eccli. 3. v. 19. *fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Quo spectat etiam illud Prouerb. 20. vers. 28. *Misericordia & veritas custodiunt Regem & roboratur clementia thronus eius.*

Denique mansuetudo remouendo impetus irę & pacando animum, maxime facit hominem esse compotem sui iuxta illud Eccli 10. vers. 51. *Fili in mansuetudine serua animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum.*

Ratio posterioris partis, est; quia perfectius est prosequi bonum, quam fugere malum, seu resistere malo: Ergo virtutes, quæ *simpliciter ordinant in bonum, sicut fides, spes, charitas, & etiam prudentia, & iustitia*, sunt simpliciter maiores virtutes, quam clementia & mansuetudo, quæ resistunt malo.

Quæritur quarto, an & quale peccatum sit iracundia: & quas species, quodue vitium oppositum habeat. 165

Assertio I. Irasci per se ac vniuersim non est vitium; sed potius secundum rectam rationem irasci etiam aduersus alterum laudabile est. Ita S. Thomas q. 158. a. 1. quidquid Cassianus lib. 8. de instit. relig. cap. 6. & alij nonnulli ex philosophia Platonica, secus hac de re loquuti fuerint. Patet ex illo psalmi 4. v. 5. *Irascimini & nolite peccare.* Ratio est; tum quia ira est naturalis passio animæ, à Deo auctore naturæ insita; tum quia est appetitus vindictæ quæ & bene & male appeti potest, etiam aduersus alterum.

Assertio II. Quod si ira sit immoderata, & 166
à recta ratione deuia, vitiosa est & peccatum. Ita S. Thomas quæst. 158. a. 2. Patet ex illo Ephes. 4 v. 31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia, tollatur à vobis cum omni malitia.* Ratio est, quia cum passiones natura sua subijciantur rationi, necessario efficitur, iram esse malam, quæ immoderata est, & à rationis ordine deuiat. Ordo autem rationis in ira spectatur ex duobus; primum ex vindicta, quã appetit; quæ proinde *si secundum ordinem rationis appetatur, est laudibilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum. Si quis autem appetat vindictam, contra ordinem rationis; vel quia vult puniri eum, qui non meruit, vel vltra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conseruatio iustitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus; & nominatur ira per vitium.*

Secundo spectatur ordo rationis circa iram, ex modo irascendi, vt scilicet motus iræ nec exterius, nec interius immoderate feruescat & prorumpat: quod si prætermittatur, rursum ira peccato non vacabit, etiamsi aliquo iusta vindicta appetatur. Hæc sapienter S. Thomas cit. a. 2.

Assertio III. Non tamen ideo omnis ira, 167
etiam vitiosa, est peccatum mortale; multo minus peccatorum grauissimum: sed ea quidem ira, qua appetitur iniusta vindicta, ex suo genere est peccatum mortale; quia aduersatur charitati & iustitiæ, etsi facile à mortali excusari possit, tum ob indeliberationem, tum ob paruitatem materiæ seu vindictæ, quæ appetitur; *puto*, inquit S. Thomas, *cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; ita vt etiamsi actu inferretur, non esset peccatum mortale, puta si aliquis parum trahat aliquem puerum per capillos, vel aliquid huiusmodi.*

Quando verò immoderata est ex parte modi irascendi, vt si quis vel nimis ardenter irascatur interius, vel immoderate erumpat in signa iræ externa, tunc ira *secundum se* & ex suo genere *non habet rationem peccati mortalis*; etsi per accidens etiam mortale peccatum esse possit, si quis idcirco perscandalum, aut alia ratione *excidat à charitate Dei vel proximi.* Et hac ratione intelligendum est illud Matthæi 5. vers. *Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio*: & illud Glossæ in Psalmum 4. *Venialis*

est ira

est ira quæ non perducitur ad effectum; Hactenus S. Thomas q. 158. a. 3. ex communi. Et ratio quo ad primam & vltimam partem ex dictis patet.

168 Secundæ partis, iram scilicet non esse grauissimũ peccatum, vti asserit S. Thomas a. 4. ratio est: quia siue spectetur ira ex parte vindictæ iniustæ, videtur esse leuius odio, quia appetit malum sub ratione iustę vindictæ, in quo aliqua species honestatis cernitur; qua ratione etiam minus videtur esse peccato concupiscentię: siue spectetur secundum modum iracundi, ira quidẽ *habet quandam excellentiam*, propter vehementiam & velocitatem sui motus, secundum illud Prouerbiorum 27. v. 4. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?* & illud Gregorij 5. Moralium cap. 30 vel 31. *Iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igneſcit, exasperantur oculi & nequaquã recognoscuntur noti: lingua quidem clamorem format sed sensus quid loquitur ignorat*: at quia ex hac parte non est per se peccatum mortale, necesse est, vt etiam si ita secũdum quid fędius sit alijs peccatis, non tamen idcirco sit peccatorum maximum.

169 Assertio IV. Rectè Aristoteles species seu modos irę distinguens 4. Ethic. cap. 5. docet iracundorum quosdam esse *acutos*, quosdam *amaros*, & quosdam *difficiles* Ita S Thomas q. 158. a. 5. Probatur & declaratur. Potest enim inordinatio irę ex duobus considerari; primum quidem ex ipsa *iræ origine* ac promptitudine; & hoc pertinet ad acutos, qui nimis cito irascuntur, & ex qualibet leui causa.

Secundo ex duratione iræ; & quod diuitius, quam par est perseueret. Quod quidem accidit dupliciter 1. ob nimis pertinacem memoriam iniuriæ illatæ; quo fit, vt iratus *diutinam tristitiam* concipiat, ideoque sibi ipsi sit grauis & amarus. 2. ex parte ipsius vindictæ nimis obstinatè quæsitæ; quod pertinet ad difficiles siue graues, qui nó remittunt iram quousque puniant.

Nec ab hac iræ distinctione diuersa est illa Nysseni lib. 4. de viribus animæ cap. 13. vbi docet, tres esse irascibilitatis species; scilicet iram quæ vocatur *fellea*; & *maniam*, quæ vocatur *insania*, & *furorem*. Nam iram felleam dicit esse *quæ principium & motum* (subitum) *habet*; quod Aristoteles attribuit *acutis*. Maniam vero dicit esse iram, *quæ permanet, & in vetustatem deuenit*; quod Aristoteles attribuit *amaris*; furorẽ autem dicit esse iram, quæ *obseruat tempus in supplicium*, quod Aristoteles tribuit *difficilibus*. Eandemque diuisionem tradit Damascenus lib. 2. cap. 16.

170 Alia distinctio est iræ, secundum tres gradus, quos explicat Christus Matthei 5. qui tamen non pertinent ad diuersas iræ species; sed accipiuntur secundum processum humani actus: quo primum aliquid corde concipi solet; & huc spectat illud, *Qui irascitur fratri suo*. Secundum est manifestatio per signa externa; quo spectat illud, *Qui dixerit fratri suo Racha*; quod est *interiectio irascentis*. Tertium est effectus seu executio operis, siue nocumenti; quod in præsenti est contumelia, iuxta illud, *Qui dixerit fratri suo fatue*. E quibuscũ omnia quidem possint esse mortalia, semper tamen posterior gradus grauior est priori quibus ita etiam pœnarũ gradus respondent. Primo enim ponitur *iudicium*, quod minus est; quia vt Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 19. ait, *in iudicio adhuc defensioni locus datur*. Secundo, *Consilium*, in quo Iudices *inter se conferunt*, quo supplicio damnari oporteat. Tertio gehenna ignis, quæ est *certa damnatio*. Hæc S. Thomas cit. a. 5.

Assertio V. Ira est vitium capitale, cuius sex 171
sunt filiæ, nimirum rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasphemia. Ita S. Thomas quæst. 158. art. 6. & 7. ex S. Gregorio 31. Moralium cap. 31. Ratio primæ partis est, quia vitium capitale dicitur, *ex quo multa vitia oriuntur*: ex ira autem oriuntur multa vitia, duplici ratione; primo ex parte obiecti, quod *multum habet de ratione appetibilitatis* inquantum scilicet vindicta appetitur *sub ratione iusti* vel honesti, sua dignitate allicientis appetitum. Secundo ex vehementi impetu, quo *mentem præcipitat*, ad inordinate quæcunque agenda. Prętęr quę etiã Iracũdia in Glossa ordinaria Prouerb. 29 dicitur *omnium vitiorum tanua*, nempe per accidens quatenus remouet prohibens *impeditque iudicium rationis* per quod homo retrahitur à malis.

Secunda pars declaratur. Nam secundum varias 172
iræ considerationes, varia ex ea nascuntur vitia. Potest enim ira tripliciter considerari; primo quatenus versatur in ipso corde, & sic ex ira nascuntur duo vitia, vnum quidem ex parte eius contra quem homo irascitur, *quem reputat indignum*, à quo tale quid ferendum sit; & sic ponitur *Indignatio*; alterum ex parte ipsius irascentis, quatenus excogitat diuersas vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum suum replet, secundum illud Iob 15. v. 2. *Numquid sapiens implebit ardore stomachum suum?* Et sic ponitur *tumor mentis*.

Secundo consideratur ira, quatenus versatur in ore, qua ratione ex ira rursũ duplex inordinatio procedit: Vna quidem inquantum homo iratus ipso *loquendi modo* iram suam demonstrat; & sic ponitur *clamor* per quem intelligitur *inordinata & confusa locutio*, Altera inordinatio consistit in verbis iniuriosis; quæ quidem si sint contra Deum, erit *blasphemia*; si autem contra proximum *contumelia*.

Tertio consideratur ira quatenus ad ipsa facta progreditur; & sic ex ira oriuntur *rixæ*, per quas hoc loco intelliguntur *omnia nocumenta*, quæ facto proximis inferuntur ex ira.

Nec obstat, quod Isidorus blasphemiam con- 173
stituit filiam superbiæ. Nam blasphemia quidem, in quam quis prorumpit deliberata mente, procedit ex superbia hominis *contra Deum* se erigentis, & ab eius veneratione recedentis. sed blasphemia, in quam aliquis prorumpit ex commotione animi vindictã appetentis, procedit ex ira. Vbi tamen aduertendum, non omnes quæ nominantur iræ filiæ esse propria ac specialia peccata ab ira distincta, vt patet de tumore mentis; & partim etiam de clamore, & rixa, quibus plura diuersæ rationis peccata significantur, vt dictum.

Assertio VI. Datur vitium, iracundiæ in 174
altero extremo oppositum, & in defectu moderatæ

iræ positum. Ita S. Thomas quæst. 158 art. 8. ex Chrysostomo, seu potius auctore operis imperfecti in Matthæum homil. 11. vbi ait: *Qui cum causa non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos inuitat ad malum.* Probatur & declaratur. Ira enim dupliciter potest accipi, primò pro motu, aut actu ipsius voluntatis: quo non passione animi, sed iudicio rationis pœna infligitur: & sic defectus iræ absque dubio est peccatum. De qua etiam ira loquitur auctor citatus, cum ibidem ait: *Iracundia quæ cum causa est, non iracundia est, sed iudicium.* Iracundia enim *proprie intelligitur commotio passionis: qui autem cum causa irascitur, ira illius iam non est ex passione, ideo iudicare dicitur, non irasci.*

175 Secundo accipitur ira pro motu appetitus sensitiui, qui est cum passione & transmutatione corporali; quique *ex necessitate consequitur in homine simplicem motum voluntatis* eo quod naturaliter appetitus inferior sequatur motum appetitus superioris, nisi aliquid repugnet; adeo vt non possit vndequaque abesse motus iræ in appetitu sensitiuo, nisi *per subtractionem vel debilitatem voluntarij motus.* Quo fit, vt ex consequenti etiam *defectus passionis iræ* vitiosus esse possit, sicut & defectus *voluntarij motus* ad puniendum secundum iudicium rationis; quidquid in contrarium dixisse videatur Seneca lib. 1. de ira cap. 12.

Huc spectat, quod ait Gregorius 20. Moral. cap. 8. *Sit amor, sed non emolliens: sit vigor, sed non exasperans: sit Zelus, sed non immoderate sæuiens: sit pietas sed non plus quam expediat parcens.*

176 Quæritur quinto, an, & quale vitium sit crudelitas; & qua ratione à sæuitia seu feritate differat. Respondetur breuiter, crudelitatē iuxta ipsam rationem nominis à cruditate dicti, esse vitium clementiæ oppositum, quod nihil aliud est, quam *atrocitas animi in exigendis pœnis:* Sicut è contrario clementia significat *animi lenitatem* siue *dulcedinem* per quam pœnæ remittuntur vel mitigantur, vt ex Seneca lib. 2. de clement. cap. 4. docet S. Thomas quæst. 159. art. 1. Et quamuis excessus pœnæ etiam iustitiæ seu epiikiæ opponi possit, tamen *quantum ad austeritatem animi*, qua quis promptus est, ad pœnas augendas, aut non tam ductu iustitiæ, quam impetu quodam animi inferendas, pertinet ad crudelitatem: à qua etiam differt immisericordia, qua solum prætermittitur miseriæ alienæ subleuatio, per beneficij collationem, etsi propter similitudinem, nonnunquam crudelitas pro immisericordia accipiatur, iuxta illud Hieremiæ 6. v. 23. *Crudelis est, & non miserebitur.*

177 Differt autem crudelitas à sæuitia siue feritate. Quia feritas, siue sęuitia, sic dicta à ferarum similitudine, non habito respectu ad vllam culpam eius qui punitur, ipso per se cruciatu hominum delectatur; qua ratione etiam *feræ* bestiæ hominibus nocent, vt ex eorum *corporibus pascnatur*, vt ex Seneca lib. 2. de clement. cap. 4. docet S. Thomas q. 159. a. 2. Quo fit, vt sæuitia contineatur sub bestialitate, siquidem talis delectatio non est humana, sed bestialis; proueniens vel ex mala consuetudine, vel ex corruptione naturæ; sicut & aliæ huiusmodi bestiales affectiones.

Crudelitas autem attendit quidem culpam in eo, qui punitur, sed excedit modum in puniendo: adeo vt crudelitas differat à sæuitia siue feritate, sicut malitia humana à bestialitate, iuxta Aristotelem 7. Ethic. cap. 5. Et sicut crudelitas directe opponitur clementiæ, ita feritas directe opponitur *superexcellentiori virtuti*, quam Aristoteles lib. 7. Ethic. in principio vocat *heroicam* vel *diuinam*, quæ secundum nos videtur pertinere ad dona Spiritus sancti; ita vt proinde dici possit, *sæuitiam directe opponi dono pietatis*, inquit S. Thomas quæst. 159. a. 2. Ego malim dicere, opponi ipsi humanitati, seu naturali inclinationi hominis, cui aduersatur eiusmodi delectatio bestialis: neque enim ad eiusmodi bestialitates vitandas opus esse videtur speciali virtute.

DVBIVM VIII.

De Modestia in genere; deque humilitate, ac vitio opposito superbia.

S. Thomas 2. 2. q. 160. vsque ad 165.

QVæritur primo, quid & quotuplex sit modestia. Respondetur, modestiam ob similitudinem per quam ratione quadam generali cum temperantia conuenit, vtpote *moderatiua appetitionis in rebus quibusdam mediocribus*, esse partem quamdam potentialem, seu virtutem secundariam temperantiæ adiunctam. Quæ quidem non est vna virtus infima specie, sed pro varietate actionum, tum interiorum, tum exteriorum, in quibus moderandis versatur, plures sub se specie distinctas virtutes complectitur. 178

Quod quidem in hunc modum declarat S. Thomas q. 160. a. 2. Differt enim modestia à temperantia quæ est moderatiua eorum, *quæ difficillimū est refrænare.* Modestia autē est moderatiua eorum, *quæ in hoc mediocriter se habent.* Qua quidem ratione cum complectatur etiam clementiam, proprie tamen ac in præsenti, iuxta Ciceronem lib. 2. de inuent. modestia constituitur *circa alia quædam communia* quæ in humana vita relinquantur moderanda; quæ quidem vniuersim sunt quatuor: primum est *motus animi ad aliquam excellentiam*; quam moderatur *humilitas*; secundum est *desiderium eorum, quæ pertinent ad cognitionem* & hoc moderatur *studiositas*, quæ opponitur curiositati; tertium pertinet ad *externos motus & actiones corporis*, vt decenter & honeste fiant; tam in his, quæ serio, quam quæ ludo aguntur, quo spectant *exterior decentia*, ac *eutrapelia*: quartum pertinet *ad exteriorem apparatum*; puta in vestibus, & alijs huiusmodi; de quibus modestiæ speciebus cum S. Thoma ordine agendum est.

Quæritur secundo, an & qualis virtus sit humilitas, deque eiusdem gradibus & comparatione 179

tione ad alias virtutes. ASSERTIO. I. Humilitas est virtus in voluntate sita refrænans animum aduersus præsumptionem spei, ne inmmoderate tendat ad excelsa; differens à magnanimitate, quod hæc firmet animum contra desperationem, & impellat ad prosecutionem magnorum, secundum rationem rectam. Ita S. Thomas quæst. 161. artic. 1. & 2. Ratio sumitur ex ipso vsu nominis & necessitate rei; quia circa appetitum boni ardui, vti est honor & gloria, necessaria est duplex virtus, vna quæ temperet, & refrænet animum, ne immoderate tendat ad excelsa, & hoc pertinet ad virtutem humilitatis; altera quæ firmet animum contra desperationem, & impellat ad prosecutionem magnorum, secundum rationem rectam; & hæc est magnanimitas.

180 Nec obstat, quod ad eandem virtutem pertinet refrænare *superfluum motum prosecutionis*, & firmare animum contra *inordinatam fugam*, in eadem materia: sicut eadem est fortitudo, quæ refrænat audaciam, & quæ firmat animum contra timorem.

Est enim quoad hoc differentia inter fortitudinem, & magnanimitatem: tum quia in fortitudine eadem ratio est refrænandi audaciam, ac firmandi animum contra timorem, in hoc posita, quod homo *bonum rationis debet periculis mortis præferre*. At vero in refrænando præsumptionem spei, quod pertinet ad humilitatem; & in firmando animum contra desperationem, quod pertinet ad magnanimitatem, est diuersa ratio. Nam ratio firmandi animum contra desperationem, est *adeptio proprij boni*; ne scilicet desperando homo *se indignum reddat bono*, quod sibi competebat: sed in reprimendo præsumptionem spei, *ratio præcipua sumitur ex reuerentia diuina*, ex qua contingit, vt homo non plus sibi attribuat, quam sibi competat, secundum gradum, quem est à Deo sortitus. Vnde humilitas *præcipue videtur importare subiectionem hominis ad Deum*. Ita S. Thomas cit. a. 2. ad 3.

181 Ex quo colligitur, humilitatem, prout est virtus Christiana à magnanimitate, alijsque virtutibus distincta, non tam moderari appetitum excellentiæ, honorisq; ac gloriæ mundanæ, quam reprimere & cohibere; & oppositam paruitatem ac subiectionem tam erga Deum, quam erga homines amplecti: idque non in ordine ad motiuum humanũ ac naturale, ne feratur in aliquid maius, quam dignitati personæ debeatur, sed ob excellentius motiuum ac potissimum vt in eo se quisque gradu ac mensura contineat, quam à Deo accepit. Quo spectare etiam possunt alia motiua v.g. vt humiliatione peccata expientur & vitentur. 2. vt tanto certius vbique Dei gloria promoueatur. 3. vt exemplum humilitatis Christi aliquo modo exprimatur, iuxta illud Matthæi 11. v. 29. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris.*

182 Cum qua doctrina conuenit descriptio humilitatis, quam SS. Patres tradiderunt, vt Basilius in cap. 2. Isaiæ. *Humilitas est depositio vani sensus, qui ab elatione vanæ de se existimationis proficiscitur.* Et in regulis breuioribus quæstione 198. *Humilitas est, cum quis ceteros omnes seipso superiores existimat*, ex præscripto Apostoli Philipp. 2. vers. 3. *Implete gaudium meum vt idem sapiatis, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*: non quod humilitas in eo iudicio seu actu intellectus posita sit, sed *quia cognitio propry defectus* (ac vilitatis) *pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiua appetitus*, vt ait S. Thomas cit. a. 2.

Item Augustinus in psalm. 33. concione 2. in eundem sensum ait: *Quid est esse humilem? nolle in se* (hoc est non in Deo) *laudari; qui in se vult laudari, superbus est.* Vnde etiam idem Augustinus in psalmum 118. concione 15. duas quasi partes humilitatis refert; vnam qua se quisque humiliat *confitendo peccata, nec sibi arrogando iustitiam*; quo spectat illud Lucæ 14. v. 11. *Qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*: & illud Iacobi 4. v. 6 *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: alteram qua quis moderate *acceptat tribulationem vel deiectionem sibi immissam*, iuxta illud Eccli 2. v. 5. *In humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.*

Denique Bernardus Epistola 46. ad Henricum 183
Senonensem: *humilitas*, inquit *est contemptus propriæ excellentiæ.* & in tractatu de gradibus humilitatis: *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* & serm. 4. de aduentu ac serm. 48. in Cantica duplicem statuit humilitatem, ex dicto Christi, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: *considera sanè*, inquit, *in his verbis quoniam humilitas duplex est, altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priori cognoscimus, quod nihil sumus; & hanc discimus a nobis ipsis, & ab infirmitate propria; posteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo discimus, qui exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens. &c.* Quo sensu etiam virtus humilitatis Aristoteli alijsque Philosophis Ethnicis plane incognita fuit, vt indicat S. Thomas hic a 1. ad 5. & aperte Augustinus commentario in psalmum 31.

Quia tamen etiam ratio naturalis euidenter dictat necessarium esse, tum Deo, tum etiam hominibus excellentioribus se submittere, eosq; in æstimatione sibi præferre, dici potest, etiam intra terminos ipsius naturæ, dari virtutem humilitatis, qua se quisque & Deo, & alijs quibus oportet submittat ac postponat; quæque simul elationem animi reprimat, ne vel supra Deum vel immoderate supra alios efferatur; quæ honestatis ratio nec ad magnanimitatem nec ad vllam aliam virtutem, præter humilitatem, pertinet, omnemque difficultatem quæ supra contra distinctionem humilitatis & magnanimitatis obiecta fuit, tollit: etsi Aristoteles forte ad eam rem putarit sufficere, tum magnanimitatem, tum obseruantiam & obedientiam tum etiam modestiam exteriorem in gestibus corporis, alijsque rebus externis. 184

ASSERTIO II. Humilitatis est quidem, vt homo secundum id, quod suum est (quales

185 sunt solidefectus & culpæ) se *cuilibet proximo subijciat*, spectato secundum id *quod est Dei in ipso*, pertinens scilicet ad salutem & perfectionem, iuxta illud Oseæ 13. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum* : non tamen requirit humilitas, vt quis vel *id quod est Dei in seipso*, subijciat ei quod *apparet esse Dei in altero* ; vel vt id quod est *suum in se ipso*, subijciat ei, *quod est hominis* in proximo ; etsi possit aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet ; vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est : ex quo *se potest cuiq; subijcere per humilitatem*. Ita Sanctus. Thomas cit. q. 161. a. 3.

Ratio est ; quia humilitatis non est fingere, vel simulare, aut nescire dona, quæ nobis à Deo donata sunt : ergo absque præiudicio humilitatis, potest quisque dona à Deo sibi collata præferre donis Dei, (minoribus) quæ alijs apparent donata, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 2. v. 12. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*. Et Ephes. 3. v. 5. *Alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu*. Eadem ratione necesse non est, vt quisque *reputet se magis peccatorem*, quolibet alio ; cum Apostolus absque præiudicio humilitatis dicat Galat. 2. v. 15. *Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores*.

186 E contrario vere æstimare possumus, esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo illo videmur superiores non sit occultum. Qua ratione si præferamus id, quod est Dei in proximo, ei, quod est proprium in nobis, *non possumus incurrere falsitatem* ; salua tamen, quo ad exteriorem subiectionem, auctoritate personæ. In quem sensum intelligitur illud Philippensium 2. vers. 3. *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes*, vt declarat ibidem Glossa ex Augustino lib. 83. quæstione 71. & Augustinus in regula cap. 3.

187 Assertio III. Humilitas, post virtutes Theologicas, & intellectuales, (nempe prudentiam & annexas.) & post iustitiam, præsertim legalem, est virtutum excellentissima & potissima. Ita Sanctus Thomas cit. q. 161. a. 5. Ratio est ; quia præstantia virtutis potissimum sumitur ex ipso fine vltimo, si qua virtus eum pro obiecto habeat ; secundario autem, ex ordinatione, mediorum seu conducibilitate ad eundem finem. Priori consideratione, Theologicæ
188 virtutes, quæ immediate versantur circa ipsum Deum finem vltimum, superant humilitatem ; quod pari ratione etiam de religione, quatenus ab humilitate distinguitur, dicendum videtur, etsi de hac expresse S. Thomas nil dixerit, tacite scilicet eam ad virtutes Theologicas reuocans : posteriori respectu eandem humilitatem superant tum prudentia tum iustitia ; illa quidem quia essentialiter consistit in ipsa ratione ordinante media ad vltimum finem ; hæc vero quia participatione quadam vniuersalem ordinationem constituit : cui ordinationi hominem *bene subiectum reddit humilitas in vniuersali, quantum ad omnia* ; (*ex quo eius præstantia cognoscitur*) *quælibet alia virtus, quantum ad aliquam materiam specialem*, quæ proinde virtutes cedunt humilitati.

Qua de causa etiam humilitas in acquisitione *virtutum prima* dicitur, ac *fundamento* compara- 189
tur, alia tamen ratione, quam Fides : illa quidem, quia prima est tum per modum remouentis prohibens, dum expellit superbiam, cui Deus resistit ; tum dispositiue, dum hominem capacem facit diuinæ gratiæ recipiendæ, iuxta illud Iacobi 4. v. 6. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, quæ etiam causa est, cur Christus præcipue nobis humilitatem commendarit : hæc vero est Christianorum virtutum prima, quasi formaliter ac positiue : qua primum *ad Deum acceditur*, iuxta illud Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*.

Assertio IV. Gradus humilitatis à varijs 190
varie, variaque ratione recte distinguuntur. Ita Sanctus Thomas quæstione 161. articulo 6. Probatur & declaratur. Nam Glossa ordinaria in Matthæi 3. considerans humilitatem præcise in ordine ad proximum, distinguit tres gradus humilitatis. 1. *subdere se maiori, & se non præferre æquali*, qui est *sufficiens*. 2. *subdere se æquali, nec præferre se minori*, & hic dicitur *abundans*. 3. *subesse minori*, in quo est *omnis iustitia*.

Secundo Anselmus lib. de similitudinibus à cap. 10. vsque ad 18. considerans humilitatem, quantum ad opinionem, manifestationem, & voluntatem propriæ abiectionis, septem humilitatis gradus constituit : nimirum 1. *contemptibilem se esse cognoscere*. 2. *de hoc dolere*. 3. *hoc confiteri*. 4. *hoc persuadere*, vt scilicet hoc velit credi. 5. *patienter sustinere, hoc ab alijs dici*. 6. *pati contemptibiliter se tractari*. 7. *hoc ipsum amare*.

Tertio Sanctus Benedictus in regula cap. 7. 191
minutius actus & functiones humilitatis, præcipue in ordine ad Monachi professionem, distinguens, duodecim gradus humilitatis recenset. 1. *corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus*. 2. *pauca verba, eaque cum ratione, & sine clamore loqui*. 3. *non esse facilem aut promptum in risum*. 4. *esse taciturnum vsque ad interrogationem*. 5. *seruare quod habet communis regula monasterij*. 6. *credere & pronuntiare se omnibus viliorem*. 7. *ad omnia indignum & inutilem se confiteri & credere*. 8. *Ingenuè peccata confiteri*. 9. *per obedientiam in duris & asperis patientiam amplecti*. 10. *cum obedientia se subdere Maiori*. 11. *voluntate propria implenda non delectari*. 12. *Deum timere, & memorem esse omnium, quæ præcepit*.

Denique Sanctus Ignatius noster, spectans hu- 192
militatem præcipuè secundum subiectionem Deo debitam, tres itidem generales humilitatis gradus constituit. 1. non offendere Deum mortaliter. 2. non offendere etiam venialiter. 3. vbi par est diuinæ Maiestatis honor vilia & abiecta, ipsiusq; adeo contemptum altis & sublimibus, ipsique gloriæ

præferre. De qua re multa Iulius Nigronus lib. de cura minimorum.

193 Ex quibus omnibus colligitur, humilitatem, saltem prout sui despicientiam & debitam erga alios proximos subiectionem continet, esse virtutem specialem, & tam à magnanimitate, quam cæteris virtutibus moralibus distinctã; etsi quatenus ad Deum respicit, eique hominem subijcit, probabile videatur, non esse virtutem à religione distinctam, qua & diuinam excellentiam, & nostram erga Deum subiectionem verbis aut factis profitemur, vt dicemus disp. 5. q. 1. dub. 2.

194 Quæritur secundo, an & quale peccatum sit superbia; & an primum etiam hominis peccatum fuerit superbia.

Assertio. I. Superbia est vitium speciale humilitati oppositum, & in voluntate situm, qua inordinate & debita erga alios subiectio detrectatur, & supra alios indebita exaltatio siue excellentia appetitur. Ita fere S. Thomas quæst. 162. artic. 1, 2. 3.

Probatur & declaratur. Quamuis enim humilitas & magnanimitas, itemque superbia, & vitium magnanimitati per excessum oppositum, circa eandē materiam, nimirum circa excelsa versentur, differunt tamen inter se, quod superbia humilitati opposita, non nude supra mensuram ipsius operantis, absolute in magna & excelsa feratur; sed etiam respectiue; ita vt & subesse nolit quibus debet, & præesse seu præeminere indebite appetat, quibus non debet.

195 Eadem ratione etiam per defectum, duo consimilia inter se vitia, tam humilitati, quam magnanimitati opponuntur Pusillanimitas enim, *si importet defectum à prosecutione magnorum, proprie opponitur magnanimitati*, per modum defectus. si autem *importet applicationē animi ad aliqua viliora*, quam hominem deceant, *opponitur humilitati* secundum defectum; vtrumque enim *ex animi paruitate procedit. Sicut & è contrario*, inquit S. Thomas a. 1. ad 8. *superbia* (generaliori quodam significatu) *potest secundum superexcessum, & magnanimitati, & humilitati opponi, secundum rationes diuersas. humilitati quidem, secundum quod subiectionem aspernatur: magnanimitati autem, secundum quod inordinate ad magna* (supra vires, aut conditionē operantis) *se extendit. Sed quia superbia superioritatem quamdam* (seu præeminentiæ cuiusdam supra alios affectationem, vt dictum) *importat, directius opponitur humilitati: sicut & pusillanimitas, quæ importat paruitatem animi in magna tendentis, directius opponitur magnanimitati.* Ita S. Thomas. Ex quibus confirmantur ea, quæ in probatione assertionis, ac supra de distinctione humilitatis, & magnanimitatis diximus.

196 Illa vero pars assertionis, qua diximus, superbiam in voluntate sitam esse, probatur; quia cum arduum, quod est obiectum superbiæ, *communiter inueniatur & in sensibilibus, & in spiritualibus rebus*, imo vero proprie ac formaliter solum sit obiectum voluntatis, non appetitus sensitiui, necesse est dicere, superbiam proprie in voluntate esse, non in appetitu sensitiuo, vt docet Sanctus Thomas cit a. 3:

Assertio II. Quatuor sunt species seu modi superbiæ, scilicet æstimare bonum à seipso habere; sibi datum desuper, credere pro suis meritis accepisse; iactare se habere quod non habet, & despectis cæteris, velle singulariter videri habere quod habet. Ita S. Thomas q. 162. a. 4. ex S. Gregorio 23. Moral. cap. 7. Ratio est, quia immoderatus excellentiæ & præeminetiæ supra alios appetitus, secundum prædictos modos variari solet: quamquam etiam iuxta diuersos gradus humilitatis, distingui possint diuersi gradus ac modi superbiæ oppositi, vt declarat S. Thomas eodem art. 4. ad 4. qui etiam ibidem ad 1. recte declarat, qua ratione primus ille, & secundus superbiæ gradus absque infidelitate consistere possit, *Nam dicere*, inquit, *in vniuersali* (seu speculatiue) *aliquod bonum esse, quod non est à Deo, vel gratiã hominibus pro meritis dari, pertinet ad infidelitatem. Sed quod aliquis ex inordinato appetitu propriæ excellentiæ, ita de bonis suis glorietur, ac si ea à se haberet, vel ex meritis propriis, pertinet ad superbiam, non ad infidelitatem proprie loquendo.* 197

Assertio III. Superbia ex suo genere est peccatum mortale, & inter peccata, virtutibus moralibus opposita, grauissimum. Ita Sanctus Thomas quæst. 162. art. 5. & 6. Probatur & declaratur: quia sicut humilitas proprie respicit subiectionem hominis ad Deum, ita è contrario superbia proprie respicit defectum huius subiectionis, adeo vt ad superbiam proprie pertineat, nolle subijci Deo, seque *extollere supra id, quod ipsi homini præfixum est secundum diuinam regulam, vel mensuram*, contra id quod Apostolus dicit 2. ad Corinth. 10. *Nos autem non in immensum gloriabimur sed secundum mensuram, qua mensus est nobis Deus.* Et ideo dicitur Eccli. 10. v. 14. *Initium superbiæ hominis esse, apostatare à Deo, quia scilicet in hoc radix superbiæ considerat, quod homo aliqualiter non subijcitur Deo & regulæ ipsius:* at vero non subijci velle Deo, cum nihil aliud sit, quam *auerti à Deo*, ex suo genere est peccatum mortale. Nihilominus tamen propter imperfectionem actus, & maxime ob indeliberationem fit, vt motus superbiæ quandoque *sint peccata venialia.* 198

Et quia in alijs peccatis homo à Deo auertitur, *vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, seu propter desiderium cuiuscunque alterius boni*: superbia vero habet auersione à Deo, ex hoc ipso, quod non vult Deo, & eius regulæ subijci, hinc fit, vt superbia sit peccatorum grauissimum. 199

Vbi notandum, primam quidem partem assertionis nullam habere difficultatem, siue de superbia aduersus Deum, sine aduersus hominem loquamur; quia tam super homines, quam aduersus Deum immoderate efferri per se ac ex suo genere, nisi paruitas materiæ, aut inaduertentia excuset, mortale peccatum est. 200

Posterior vero assertionis pars intelligenda est, cum duabus limitationibus; prima, quam ipsemet sanctus Thomas indicat de superbia, qua quis directe effertur aduersus ipsum Deum, nolens eidem subijci, vt aperte colligitur ex ipso sancto Thoma citat. articulo 5. & 6. Nam superbia, qua quis so-

lum effertur supra alium hominem, vtique non est maius peccatum alijs plerisque, quibus vita aut honor hominis reipsa multo nocentius destruitur, puta homicidio, contumelia, &c. Altera, vt intelligatur de peccatis, quæ virtutibus moralibus opponuntur. Nam odium Dei, vtique ex suo genere maius peccatum est, quam superbia, qua quis recusat Deo subijci, non solum quia illud præstantiori virtuti aduersatur, sed etiam quia deterior est directa auersio à Deo, velut summo bono, quam auersio ab eodem velut summa quadam excellentia, cui omnis subiectio debetur.

201 Assertio IV. Superbia est speciale peccatum, licet quadam causalitate dici possit generale. Ita Sanctus Thomas quæst. 162. artic. 2. ex Augustino lib. de nat. & grat. cap. 29. Probatur & declaratur. Quia superbia secundum se habet speciale obiectum; cum sit inordinatus appetitus propriæ excellentiæ seu præeminentiæ. Et differt superbia ab inani gloria. Illa enim inordinate excellentiam appetit; hæc verè appetit *excellentiæ manifestationem*; quæ proinde ex superbia velut ex causa oritur, vt docet sanctus Thomas cit. quæst. 162. art. 8.

202 Nihilominus simul ex superbia oriri possunt omnia peccata, idque duplici ratione. Primo, per se, inquantum alia peccata *ordinantur ad finem superbiæ*, qui est propria excellentia; ad quam potest ordinari quidquid inordinate appetitur. Secundo indirecte & quasi per accidens, scilicet remouendo prohibens; inquantum homo per superbiam contemnit diuinam legem, qua à peccando prohibetur secundum illud Ieremiæ 2. v. 20. *A sæculo confregisti iugum meum, dirupisti vincula mea, & dixisti, non seruiam.*

Etsi vero omnia peccata ex superbia oriri possint, non tamen reipsa ex superbia oriuntur; quia tametsi omnia præcepta legis violari possint *ex contemptu*, qui ad superbiam pertinet, non tamen semper ex contemptu violantur, sed quandoque *ex ignorantia*, quandoque *ex infirmitate*, iuxta illud Augustini lib. de nat & grat. cap. 29. vbi ait: *Multa perperam fiunt, quæ non fiunt superbe.*

203 Assertio V. Superbia recte etiam numeratur inter vitia capitalia: quæ etsi difficulter cauetur ob subtilitatem, deprehensa tamen facile euitatur. Primam partem tradit Sanctus Thomas quæstione 162. articulo 8. ex Cassiano lib. 5. cap. 1. & lib. 12. capite 1, tametsi Gregorius 31. Moral. cap. 31. superbiam non numeret inter vitia capitalia: quorum vtrumque Sanctus Thomas ita conciliare nititur. Superbia enim, inquit, *dupliciter considerari potest*, vno modo secundum se, prout est quoddam speciale peccatum. Alio modo secundum quod habet quandam *vniuersalem influentiam in omnia* (adeoque in ipsa etiam capitalia) *peccata*. Priori modo, ait esse peccatum capitale, quatenus ex eo (speciali quadam ratione) *multa genera peccatorum oriuntur*: posteriori modo docet, non adnumerari alijs capitalibus vitijs, sed potius reginam esse omnium vitiorum, & matrem, iuxta illud sancti Gregorij loc. citat. *Ipsa vitiorum regina, cum deiectum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitijs, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit ex quibus vitiorum multitudines oriuntur.* Quod Caietanus ibidem ita interpretatur; quod *superbia ex parte finis mater sit omnium vitiorum, quia est principium omnium secundum ordinem intentionis. Ex parte autem imperij sui*, inquit, *est regina omnium vitiorum, in omnibus regnans & dirigens omnia ad finem suum.* Quæ tamen non proprie de speciali peccato superbiæ accipienda videntur, sed de quadam communi eius ratione; prout omnis peccans se suamque voluntatem diuinæ præfert.

Posteriorem partem tradit sanctus Thomas art. 16. ad 1. vbi idcirco ait, superbiam difficulter vitari *propter eius latentiam*, quia ex *ipsis bonis occasionem sumit, ac ipsis bonis operibus insidiatur*, iuxta Augustinum epist. 109. & illud psalm. 141. *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi:* sed postquam *deprehensus fuerit motus superbiæ per rationem, tunc facile*, inquit, *euitatur*; tum *ex consideratione propriæ infirmitatis*, secundum illud Eccli 10. vers. 9. *Quid superbit terra & cinis?* tum etiam *ex consideratione magnitudinis diuinæ*, secundum illud Iob 15. vers. 13. *Quid tumet contra Deum Spiritus tuus?* tum etiam *ex imperfectione bonorum*, de quibus homo superbit, secundum illud Isaiæ 40. vers. 6. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri*, Et infra cap. 64. vers. 6. *Quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* 204

Assertio VI. Superbia, per quam à Deo auertimur, est primum, & principium omnium peccatorum; adeo vt etiam primum hominis peccatum fuerit superbia. Primam partem docet sanctus Thomas quæstione 162. articulo 7. ex illo Eccli 11. vers. 15. *Initium omnis peccati est superbia.* Ratio est; quia auersio à Deo, quæ formaliter complet rationem peccati, pertinet ad superbiam per se; ad alia autem peccata ex consequenti: prius autem in quouis genere est id, quod est per se, quàm quod est per accidens: ita tamen vt superbia dicatur omnis peccati initium; non quia quodlibet peccatum ex superbia oriatur, sed quia quodlibet genus peccati *aperiri est* ex superbia oriri vt dictum. Et simul tamen ibidem Eccli 10. vers. 14 dicitur. *Initium superbiæ esse apostatare à Deo*, non quod hæc apostasia sit peccatum à superbia distinctum; sed quia est prima ac præcipua superbiæ pars; siquidem *superbia principaliter contemnit subijci creaturæ propter Deum*, vt docet S. Thomas eodem a. 7. ad 2. 205

Posteriorem partem assertionis tradit Sanctus Thomas quæstione 163. articulo 1. & 2. ex citat. loco Eccli 10. *Initium omnis peccati superbia.* Probatur, quia primum hominis peccatum in eo positum fuit, quod inordinate appetijt *diuinam similitudinem*: idque non solum quantum ad *scientiam boni & mali*, quâ à serpente propositam principaliter appetijt, vt patet ex Genesis 3. vers. 5. sed etiam quantum ad propriam operandi potestatem, *appetendo proprijs viribus consequi diuinâ felicitatem*, vt colligitur ex Augustino lib. 12. super Genesim ad literam cap. 30. & lib. de vera religione cap. 13. 206

& in simili dictum de Angelis tom. 1. disputat. 5. quæst. 6. dub. 4.

Ex quibus etiam ea, quæ de processu tentationis primorum parentum, deque pœna peccati eorumdem Sanctus Thomas differit quæstione 164. & 165. non difficulter intelligi possunt, adiunctis simul ijs, quæ de effectibus peccatorum generatim disseruimus tomo 2. disput. 4. quæstione 10.

DVBIVM IX.

De studiositate, alijsque modestiæ speciebus, circa motus corporis ac res exteriores, vitijsque oppositis.

S. Thomas 2.2. q. 166. 167. 168. & 169.

207 EX modestiæ speciebus dubio præcedenti relatis, tres adhuc restant explicandæ. Quæritur primò, an & qualis virtus sit studiositas; & quale vitium oppositum eidem curiositas. Respondetur breuiter primò, Studiositatem esse virtutem in voluntate sitam, quæ moderatur appetitum sciendi; quæ proinde circa cognitionem velut materiam versatur; ac temperantiæ velut pars potentialis & virtus secundaria adiungitur. Ita Sanctus Thomas quæstione 166. articulo 1. & 2. Ratio est; quia ad temperantiæ virtutem generatim pertinet, moderari motum appetitus, ne *superfluè* aut immoderate tendat in id, quod *naturaliter concupiscitur*: in quo quidem genere, præcipuum locum habent delectationes ciborum & venereorum; secundarium autem ipsa cognitio, quia iuxta Aristotelē principio metaphysicæ, *Omnes homines naturaliter scire desiderant.* Vtrumque verò ad studiositatem pertinet, & immoderatum scilicet sciendi appetitum refrænare, & moderatum sciendi studium procurare, adeoque addiscendi laborem non refugere, iuxta S. Thomam eodem articulo 2. ad 3. ex Prouerb. 27. *Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, vt possis respondere exprobranti sermonem.*

208 Respondetur secundo, curiositatem esse vitium studiositati oppositum per excessum, in appetitu inordinato ac immoderato sciendi positum, siue ea cognitio sit intellectus, siue sensus. Ita Sanctus Thomas quæstione 167. articulo 1. & 2. ex Augustino lib. de vera Relig. cap. 29. & 38. & Beda in 1. Ioannis 2. vbi ait: *Concupiscentia oculorum* (ad curiositatem pertinens) *est non solum in discendis magicis artibus, sed etiam in contemplandis spectaculis, & in dignoscendis & carpendis vitijs proximorum.*

Ratio est. Quamuis enim ipsa cognitio, præsertim intellectus, per se bona sit, appetitus tamen & studium cognoscendæ veritatis varijs modis potest esse inordinatum. Primo, ex parte finis, si quis studium aut scientiam referat ad superbiam; aut cognitionem creaturarum non referat ad cognitionem Dei. 2. Ratione effectus, si quis per studium minus vtile retrahatur à studio rerum necessariarum. 3. Ex parte Magistri, si quis studeat quidpiam addiscere ab eo, à quo non licet, puta à dæmonibus; quæ est superstitiosa curiositas. 4 Ex parte operantis, si quis incumbat ad cognoscendam veritatem, supra proprij ingenij seu conditionis facultatem, iuxta illud Eccli 3. v. 22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper; & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus &c. Multos enim supplantauit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.*

Ita etiam, quod ad cognitionem sensitiuam attinet, tametsi ea per se non sit illicita, potest tamen esse vitiosa dupliciter. Primo si non ordinetur ad aliquid vtile, sed potius auertat hominem ab vtili consideratione, iuxta illud Augustini lib. 10. confess. cap. 35. *Canem currentem post leporem iam non spectо, cum in circo sit: at vero in agro si casu transeam, auertit me fortassis ab aliqua magna cogitatione, atque ad se conuertit illa venatio. Et nisi iam mihi demonstrata infirmitate mea cito admoneas, vanus hebesco.* Secundo si cognitio sensitiua ordinetur ad aliquid noxium; sicut inspectio mulieris ordinatur ad concupiscendum; & curiosa inquisitio eorum, quæ ab alijs fiunt, ordinatur ad detrahendum. 209

Si quis autem, inquit Sanctus Thomas cit. articulo 2. *cognitioni sensibilium intendit ordinate, propter necessitatem sustentandæ naturæ, vel propter studium intelligendæ veritatis, est virtuosa studiositas circà sensibilem cognitionem.* Sicut etiam *prospicere facta aliorum, vel inquirere bono animo, vel ad vtilitatem propriam, vt scilicet homo ex bonis operibus proximi prouocetur ad melius, vel etiam ad vtilitatem illius, vt scilicet corrigatur, si quid ab eo agitur vitiosè, secundum regulam charitatis, & debitum officij, est laudabile*, secundum illud ad Hebr. 10. *Considerate vos inuicem, in prouocationem charitatis, & bonorum operum.*

Et quamuis etiam luxuria & gula in cognitione sensitiua versentur, differunt tamen à curiositate; quia illæ versantur circa delectationes, quæ sunt *in ipso vsu* rerum tangibilium. At verò circa *delectationem cognitionis* omnium sensuum, est curiositas; & vocatur *concupiscentia oculorum*; quia *oculi* in cognitione sensitiua *principatum* obtinent. Quare etiam *omnia sensibilia videri* dicuntur, iuxta Augustinum lib. 10. confess. cap. 35. qui ibidem subiungit: *Ex hoc euidentius discernitur, quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus, quod voluptas pulchra, suauia, canora, sapida, lenia sectatur. Curiositas etiam his contraria tentandi causa, non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidinem.* 210

Quæritur secundò, quæ & qualis virtus sit modestia, prout in externis corporis motibus moderandis versatur, & speciatim quid sit Eutrapelia, quæ ludos, iocosque moderatur. 211

ASSERTIO I. Datur aliqua virtus modestiæ, quæ versatur circa compositionem exteriorum motuum corporis Ita Sanctus Thomas quæstione 168. art. 1. ex Ambrosio lib. 1 de officijs cap. 19. vbi ait: *Sicut molliculum & infractum vocis sonum, aut gestum corporis non probo; ita neque agrestem ac rusticum. Naturam imitemur; effigies eius formula disciplinæ, forma honestatis est.* Et ibidem cap. 18. ait: *Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium* (fictum) *desit, atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex.* Et addit, *Habitum mentis in corporis statu cerni, & vocem quandam animi esse corporis motus.* Quod etiam traditur Eccli cap. 19. v. 26. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus, amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.*

Ratio est, Sicut enim membra exteriora ad hominis integritatem & perfectionem pertinent, & sua natura ad imperium rationis monentur; ita etiam ad honestatem ac virtutem pertinet, eorumdem motus recte componere; tum vt conueniant personæ operanti, tum vt accommodati sint etiam alijs circumstantijs, puta personis, negotijs, locis, iuxta illud Ambrosij lib. 1. de officijs cap. 19. *Hoc est pulchritudinem viuendi tenere, conuenientia cuique sexui & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus,*
212 *hic ornatus ad omnem actionem accommodus.*

Et quamuis S. Thomas eodem art. 1. ad 3. significet, hanc modestiam non esse specialem virtutem, sed reduci ad duas virtutes, quas, inquit, *Philosophus tangit 4. Ethic. cap. 6. & 7.* nimirum vel *ad amicitiam*, aut *affabilitatem*, quæ attenditur circa delectationes & tristitias, quæ sunt in verbis & factis, in ordine ad alios, cum quibus homo conuersatur; si nimirum exteriores motus spectentur, quatenus homo per eos ordinatur ad alios: vel ad virtutem *veritatis*, qua quis talem exhibet se verbis & factis, qualis est interius; si motus illi spectentur, quatenus sunt signa interioris dispositionis: nihil tamen obstare videtur, quo minus ea ipsa modestia dicatur virtus specialis, si motus ijdem spectentur, quatenus per se
213 quandam habent cum persona operante conuenientiam, vt in simili de Eutrapelia dicetur.

ASSERTIO II. Sed & circa ludos & iocos moderandos, qui non nunquam ad animi solamen vtiles sunt, versatur aliqua virtus, quam Eutrapeliam vocant; & nos dicere possumus honestam iucunditatem. Ita S. Thomas quæst. 168. art. 2. ex Aristotele 4. Ethic. cap. 8. Ratio est; quia remissio quædam animi, ac delectatio in honestis ludis & iocis posita, necessaria est homini, ad fatigationem ex laboribus & animi intentione nasci solitam subleuandam; ita vt sicut fatigatio corporis quiete eiusdem remittitur: ita etiam fatigatio animalis subleuanda sit animi quiete, quæ est delectatio, intermissa intentione & cura insistendi studio rationis, interpositis quibusdam ludicris, vel iocosis; ad quæ proinde moderanda necessaria est aliqua specialis virtus; quæ quidem quatenus per eam homo refrenatur ab immoderantia ludorũ, *sub modestia* continetur, vt ait S. Thomas cit. a. 2.

De hac virtute Augustinus lib. 2. musicæ cap. vlt. ait: *Volo tandem tibi parcas. Nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam.* Et in collationibus Patrum collat. 24. cap. 21. legitur, S. Ioannem Euangelistam, cum aduertisset quendam scandalizatum fuisse, quod cum discipulis suis ludere visus esset exemplo arcus, qui continua intentione frangitur, docuisse, necessario etiam hominis animum frangi, si nunquam animi intentio remittatur.

ASSERTIO III. Ea mentis relaxatio, vt honesta sit, tria necessario obseruanda sunt. 1. Cauendum, vt delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, aut verbis turpibus, seu nociuis. De quo monet Cicero lib. 1. de officijs, vnum quoddam iocandi genus *esse illiberale, petulans, flagitiosum, obscænum.* 214

2. Ne totaliter grauitas animæ resoluatur; seu quod idem est, ne animus nimium in iocos & ludos effundatur. De quo monet Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 20. *Caueamus, ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum.* Et Cicero lib. 1. de officijs: *Sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat.*

3. Vt congruant personæ, tempori, & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinentur; ita vt ludus seu iocus, & *tempore & homine dignus sit*, vt monet ibidem Cicero. Qua ratione à doctrina & concionibus sacris, ob dignitatem rei, par est omnem iocum abesse, vt ex Ambrosio lib. 1. de officijs cap. 23. monet S. Thomas cit. articulo 2. ad 1.

ASSERTIO IV. Circa ludicra & iocosa frequenter quidem & grauius peccatur quadam superfluitate, & per excessum; idque seu mortaliter, seu venjaliter pro ratione materiæ, aut circumstantiarum: peccari tamen etiam potest per defectum, nimia quadam austeritate, si quis & ipse nihil vnquam delectabile proferat, vel admittat, & delectabilia ab alijs prolata molestè reijciat. Ita Sanctus Thomas quæstione 168. Ratio est: quia virtus & virtutis moralis honestas in medio consistit; circa quod vtrinque per extremum aliquod peccari potest, vt etiam docet Aristoteles 4. Ethic. cap. 8. vbi eos, qui per defectum hac in re peccant, duros & agrestes vocat. Quod tamen ipsum per se ac ex suo genere minus vitiosum censetur; quia delectatio & quies non propter se quæruntur in vita humana, sed propter operationem, cuius quasi sal est & condimentum, iocus seu ludus non per se, nec in magna quantitate expetendum iuxta Aristotelem 10. Ethic. cap. 6. & 9. Ethic. cap. 10. 215

Quod si quis ludi causa vtatur verbis, vel factis *ex se mortiferis*, siue *propter obscænitatem*, siue quia vergunt in proximi, *nocumentum*; vti fuerunt pleraque antiquorum spectacula, à Chrysostomo homil. 6 in Matthæum, alijsque Patribus reprehensa, tum excessus in ludo erit peccatum mortale. 216

At

At si excessus solum contingat circa alias circumstantias, vt si quis vtatur ludo, tempore vel loco indebito; aut etiam præter decentiam negotij, vel personæ, id quidem aliquando poterit esse mortale, propter vehementiam affectus ad ludum, cuius delectatio præferatur dilectioni Dei, adeoque graui præcepto Dei vel Ecclesiæ: quandoque autem solum est veniale, si quis ludo non eo vsque afficiatur, vt idcirco velit Deum grauiter offendere. Quo in genere ea peccata videntur frequentiora, quod ludus immoderatè & diutius, vel frequentius, quam par est, aut propter se, non propter debitum finem, qui est moderata animi recreatio, expetitur & exercetur, vt docet S. Thomas eodem a. 2. ad 2. & 3. Ex quibus etiam histrionum actiones & officia iudicanda sunt; ea enim vniuersim non sunt illicita, vt docet S. Thomas a. 3. ad 3.

217 Quæritur quinto, quæ & qualis virtus sit modestia circa exteriorem ornatum seu habitum corporis; & quænam oppositi vitij sit ratio.

Assertio I. Sicut circa exteriorem apparatum & ornatum varie peccari contingit, ita etiam variæ versantur virtutes. Ita Sanctus Thomas quæstione 169. artic. 1. ex Ambrosio lib. 1 de officijs cap. 19. vbi circa ipsum etiam vestitum certam moderationem præscribit: *Decor corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quam expetitus, non pretiosis & albentibus adiutus vestimentis, sed communibus: vt honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori.* Idem patet ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. v. 9. *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.*

218 Ratio est. Quia circa vsum vestium generatim duplex immoderatio accidit. Primo si deficiat à consuetudine hominum, cum quibus viuitur; *Turpis enim omnis pars est, suo vniuerso non congruens*, vt dicit Augustinus lib. 3. confess. lib. 8. Secundò ex immoderato affectu vtentis. De quo Augustinus lib. 3. doctrinæ Christianæ cap. 12. *In vsu rerum abesse oportet libidinem; quæ non solum ipsa eorum, inter quos viuit, consuetudine nequiter abutitur, sed etiam sæpe fines eius egressa, fœditatem suam, quæ inter claustra morum solemnium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat.*

Hæc autem inordinatio affectus contingit tripliciter, quantum ad excessum. 1, Si ex superfluo cultu vestium humana gloria quæratur, vt exemplo diuitis epulonis docet Gregorius homil. 40. in Euangelia. 2. Si cultu superfluo quærantur delitiæ. 3. Si nimia solicitudo vel cura adhibeatur in cultu corporis.

219 Qua ratione Andronicus constituit tres virtutes circa exteriorem cultum, scilicet *humilitatem*, quæ excludit intentionem gloriæ; *per se sufficientiam*, quæ excludit intentionem delitiarum; & *simplicitatem*; quæ excludit superfluam solicitudinem & curam. Quod tamen non obstat, quo minus peculiaris sit virtus modestiæ, quæ in vestitu decentiam ac moderationem debitam tueatur: cum etiam per se sufficientia & simplicitas aut non sint speciales virtutes, aut ab eadem virtute modestiæ in hac materia distingui non videantur &c.

Sed & in eodem genere per defectum duplex accidere potest inordinatio affectus. Primo ex negligentia hominis non adhibentis studium vel laborem, vt exteriori cultu decenter vtatur, iuxta Aristotelem 7. Ethic. cap. 7. Secundo ex parte finis, cum ipse defectus exterioris cultus ad gloriam ordinatur, vt docet Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 19. & lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12.

Assertio II. Etsi mulierum ornatus ad placendum viris suis peccatum non sit; ad concupiscentiam tamen, & vanitatem relatus culpa non vacat. Ita Sanctus Thomas cit. quæstione 169. articulo 2. Probatur & declaratur. Quia cultus & ornatus vestium res per se indifferens est; qui proinde pro circumstantiarum ac præcipue finis diuersitate, bonus esse potest, vel malus. Finis autem ex se bonus est, placere viro suo, iuxta Apostolum 1. Corinth. 7. v. 33. 34. malus est, si ad lasciuiam, vel placendum inaniter alijs viris referatur, iuxta illud Prouerb. 7. v. 10. *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata, ad capiendas animas.* 220

Quare *mulieres illæ*, inquit Sanctus Thomas, *quæ viros non habent, nec volunt habere, vel sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum; quia hoc est dare eis incentiuum peccandi. Et si quidem hac intentione se ornent, vt alios prouocent ad concupiscentiã, mortaliter peccant. Si autem ex quadam leuitate, vel etiam ex quadam vanitate, propter iactantiam quandam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio quantum ad hoc est de viris.* Ita S. Thomas.

Quibus consentit Augustinus epist. 73. ad Possidium, vbi tamen addit, quod *capillos* (multo magis pectus) *nudare fœminas, quas etiam caput velare Apostolus iubet, nec maritatas decet. In quo tamen casu*, inquit Sanctus Thomas eodem articulo 2. *possent aliquæa peccato excusari, quando hoc non fieret ex aliqua vanitate, sed propter contrariam consuetudinem; quamuis talis consuetudo non sit laudabilis.*

Ita etiam mulierum fucatio, cum sit species quædam fictionis, non vacat peccato, vt ex Cypriano lib. de habitu Virginum & Augustino epist. 73. ad Possidium docet S. Thomas eodem articulo 2. ad 2. vbi addit; *non semper tamen talem fucationem esse peccatum mortale; sed solum quando fit propter lasciuiam, vel in Dei contemptum*; in quibus casibus loquitur Cyprianus. *Simul etiam*, inquit, *aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa prouenientem, puta ægritudine, vel aliquo huiusmodi. Hoc enim est licitum*; quia secundum Apostolum 1. ad Corinth. 12. v. 23. *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Qua ratione etiam intelligitur illud 1. Petri 3. v. 3. *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri aut indumenti vestimentorum cultus.* 221

222 Vt vero mulier vtatur veste virili, aut è conuerso, licet absq; causa illicitum sit, ac merito prohibitum Deuteronomij 22. v. 5. eo quodc ultus exterior conuenire debeat conditioni personæ, secundum *communem consuetudinem*; & præcipuè quia hoc potest esse *causa lasciuiæ*: potest tamen id quandoque fieri sine peccato, propter aliquam *necessitatem*, vel causa se *occultandi* ab hostibus, vel propter *defectum* alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud eiusmodi, vt docet S. Thomas eodem a. 2. ad 3.

223 Ex quibus etiam iudicium faciendum est de artibus, quæ ad eiusmodi res conficiendas ordinantur. *Nam si qua ars est*, inquit Sanctus Thomas eodem art. 2. ad 3. *ad faciendum aliqua opera quibus homines vti non possunt absque peccato, tum id artificium erit illicitum, vtpote præbens alijs directe occasionem peccandi, puta si quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia.* De qua re actum est supra disput. 1. quæstione 9. dub. 5. *Si qua vero ars est cuius operibus possint homines bene & male vti, sicut gladijs, sagittis &c. vsus talium artium non est peccatum. Si tamen operibus alicuius artis frequentius male vti contingeret, quamuis ex se non sint illicita, sunt tamen per officium Principis à ciuitate extirpanda.* Quia ergo mulieres licite se possunt ornare, vel vt conseruent *decentiam sui status*, vel etiam aliquid super addere, vt *placeant viris*, consequens est, artifices talium ornamentorum non peccare, in vsu talis artis; nisi forte inueniendo aliqua superflua & curiosa. Vnde etiam Chrysostomus homil. 50. in Matthæum monet, *etiam ab arte calceorum & textorum multa abscindenda esse. Etenim artem ad luxuriam deduxerunt; necessitate superata, curiositatem arti male commiscentes.* Atque hæc de Temperantia.

FINIS DISPVTATIONIS TERTIÆ.

INDEX DISPVTATIONIS IV.

DE IVSTITIA ET IVRE.

Quæstio I. De Iure, & Dominio.

Dubium I. *De varijs acceptionibus Iuris; ac speciatim quid, & quotuplex sit Ius, ad rem, vel personam aliquam.*
II. *Quid sit dominium perfectum; quid item vsus fructus, seruitus, vsus, & an vsus rei semper sit à dominio separabilis.*
III. *Quid & quotuplex sit possessio; quomodo acquiratur, & quinam eius sint effectus.*
IV. *De fundamento, subiecto, & obiectis dominij.*
V. *De origine, & varijs modis acquirendi dominium in genere.*
VI. *De præscriptione & vsucapione, velut celebratissimo modo acquirendi dominium; speciatim quid sit; quas conditiones requirat, quos effectus habeat; & quantum temporis ad cuiusque rei præscriptionem sit necessarium.*
VII. *De Iure, prout est obiectum Iustitiæ, eiusque varijs diuisionibus.*

Quæstio II. De Iustitia, eiusque varijs speciebus.

Dubium I. *Quid, & quotuplex sit Iustitia in genere.*
II. *Quid, & quotuplex sit Iustitia legalis.*
III. *Quid sit, & circa quam materiam versetur Iustitia particularis.*
IV. *De diuisione Iustitiæ particularis, in commutatiuam & distributiuam.*
V. *An Iustitia vindicatiua, & œconomica sint distinctæ species Iustitiæ.*

Quæstio III. De Iudicio priuato & suspicione.

Dubium I. *Quid & quotuplex sit Iudicium, & quomodo sit actus Iustitiæ.*
II. *De suspicione seu iudicio priuato; præsertim temerario; an & quale sit peccatum.*
III. *An, & qua ratione dubia sint in meliorem partem interpretanda.*

Quæstio IV. De processu Iuridico in criminibus ordinarijs, adeoque de Iustitia & iniustitia Iudicis, rei, accusatoris, testium, aduocati.

Dubium I. *De Iustitia & iniustitia Iudicis; speciatim an, & qua ratione iudicium publicum sit licitum, ex parte ipsius Iudicis; deque iurisdictione eidem necessaria.*
II. *Verum iudex semper secundum leges, aut allegata & probata iudicare & sententiam ferre debeat; etiam condemnando innocentem.*
III. *An & quomodo sententia Iudicis ob iniustitiam sit irrita; præsertim in causis beneficiorum.*
IV. *Quis processus generatim à Iudice in iudicando sit seruandus.*
V. *De Iustitia & iniustitia rei.*
VI. *De Iustitia & iniustitia accusatoris, testium, aduocati.*

Quæstio V. De processu aduersus crimina excepta; ac speciatim aduersus crimen veneficij.

Dubium I. *Quænam velut principia in hac re supponenda sint.*

II. *An in crimine veneficij, ad torturam, vel damnationem sufficiant solæ denuntiationes complicum.*
III. *An in processu aduersus sagas expediat, tam multa iudicis arbitrio relinqui.*
IV. *Quid animarum Curatoribus in hoc processu, præsertim circa Sacramentorum, & sepulturæ administrationem, faciendum.*
V. *Qua ratione, quibusue medijs veneficia aut auertenda, aut extirpanda sint.*

Quæstio VI. De Restitutione.

Dubium I. *Quæ sit ratio, & necessitas restitutionis; & ex cuius virtutis violatione oriatur: an etiam ob distributionem beneficiorum non rectè factam.*
II. *De communibus titulis & causis ad restitutionem obligantibus, vt sunt damnificatio non deliberata; impedimentum vel non procuratum bonum alterius; & possessio rei alienæ bona fide.*
III. *Quid restituendum ab eo, qui alium quoad bona animi, seu naturalia, seu supernaturalia iniquè læsit.*
IV. *An & qualis restitutio facienda ab eo, qui bona corporis læsit occidendo, vel mutilando.*
V. *An & qualis restitutio facienda ab eo, qui Virginem aut nuptam violauit.*
VI. *An & quomodo fama & honor per detractionem vel contumeliam læsus restituendus.*
VII. *De restitutione bonorum Ecclesiasticorum; speciatim propter beneficia inualidè acquisita, priuationem beneficij; neglectam residentiam, pluralitatem beneficiorum.*
VIII. *Quid restituendum à beneficiarijs, propter bona Ecclesiastica male administrata, vel expensa.*
IX. *De restitutione bonorum fortunæ; ac primum eorum, quæ furto sunt ablata.*
X. *An & quomodo restituenda, quæ accepta sunt propter rem alias debitam, aut turpem seu illicitam.*
XI. *An & quomodo soluenda seu restituenda sint amissa vel acquisita per ludum, vel extorta per metum damni iniecti; siue in contractu & promissione, siue extra.*
XII. *Quid restituendum ob falsatam monetam; aut defraudatam gabellam; aut illicitam lignationem, pabulationem, venationem, piscationem, aucupium.*
XIII. *Quid restituendum ob contractum illegitimè peractum; speciatim ex defectu solemnitatum iuris: & quid de testamentis minus solemnibus sentiendum.*
XIV. *De circumstantijs restitutionis: nimirum quid seu quantum, cui & quo loco, à quibus, quo ordine, & quando restituendum.*
XV. *De causis à restitutione excusantibus.*

Quæstio VII. De varijs contractibus Iustitiæ.

Dubium I. *Quid, & quotuplex sit contractus in genere, & quomodo vel perficiatur, ac iuramento roboretur; vel etiam metu, dolo, aut errore irritus reddatur; deque restitutione in integrum, si ex aliquo contractu damnum notabile acceptum sit.*
II. *De Iustitia emptionis & venditionis, tam ex parte pretij, quam rei venditæ, & aliarum circumstantiarum.*
III. *De contractu mutui, eiusque vitio, nempe vsura.*
IV. *De censibus, seu contractu censuali; eiusque iustitia & iniustitia.*
V. *De cambijs, eorumque iustitia & iniustitia.*
VI. *De locatione, conductione, emphyseusi & feudo.*
VII. *De alienatione bonorum Ecclesiæ: deque speciali contractu in Bauaria vsitato, quem dominicum fauorem appellitant.*
VIII. *De contractu societatis, & innominato simili.*
IX. *De varijs contractibus post mutatum antehac pecuniæ Valorem in Imperio consuetis.*
X. *De quodam quasi contractu, nempe de tutela, speciatim ad quid obligentur tutores & curatores.*
XI. *De testamentis, aliisque vltimis voluntatibus.*

Quæstio VIII. De Iniustitia, seu vitijs Iustitiæ oppositis.

Dubium I. *Quid & quotuplex sit Iniustitia in genere, & quomodo committatur.*
II. *De acceptione personarum, vitio Iustitiæ distributiuæ opposito.*
III. *De vitijs Iustitiæ commutatiuæ oppositis, quibus damnum corpori infertur; ac primum de homicidio; vtrum liceat occidere bruta animantia, improbos, tyrannos, adulterum cum vxore aut filia deprehensum, vel etiam seipsum.*
IV. *Vtrum liceat quandoque interficere innocentem, procurare abortum; occidere inuasorem corporis, honoris, bonorum.*
V. *Vtrum casuale homicidium inducat reatū culpæ, vel irregularitatem: item quibus & quosnam mutilare, aut incarcerare liceat.*
VI. *De furto, rapina, & vsuris, quibus damnum bonis fortunæ infertur.*
VII. *De contumelia, detractione, susurratione, derisione, maledictione, quæ verbo consummantur, & potissimum honorem lædunt.*

DISPVTATIO IV.

De Iustitia & Iure.

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 57. vsque ad 79.

Magister & Scholastici in 4. dist. 15. & 46. in 3. dist. 36.

1 *CElebrem non solum apud Canonistas & Iurisconsultos, sed etiam apud Theologos, tam Positiuos, quam Scholasticos, locum habet Tractatio de Iustitia: quam quidem isti propriè non in ordine ad forum externum, & iuxta humani iudicy præsumptiones; sed in ordine ad forum internum conscientiæ, nuda rei veritate spectata, considerant; tantò verius & exactius, quantò diuini iudicy forma exactior est humanâ.* Multa enim, *inquit Imperator Constantinus l. 1. de Episc. iud. Cod. Theodos.* quæ in iudicio *(humano)* captiosæ præscriptionis vincula non patiuntur, inuestigat & promit sacrosancta legis authoritas.

Nos autem totam hanc disputationem octo quæstionibus complectemur. I. *De Iure & Dominio.* II. *De Iustitia, eiusq; varijs speciebus.* III. *De Iudicio priuato* IV. *De processu Iuridico in criminibus ordinarijs.* V. *De processu Iuridico in criminibus exceptis.* VI. *De Restitutione.* VII. *De varijs contractibus Iustitiæ.* VIII. *De Iniustitia seu vitijs & peccatis iustitiæ oppositis; speciatim Acceptione personarum, homicidio, detractione, furto, vsura. E quibus prior quæstio declarat obiectum Iustitiæ; secunda quidditatem & diuisionem eiusdem; tertia, quarta, quinta, sexta, septima, varios eiusdem actus; octaua, vitia Iustitiæ opposita; qualem Methodum ferè etiam circa fidem obseruauimus.*

Cogit autem nos necessitas, vt in rebus Iura casusque particulares concernentibus simus breues, vt plus operæ suppetat ijs, quæ magis propriè ad Scholasticam Theologiam nostrumque Institutum pertinent, vt in præfatione Tomi primi præfati sumus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De Iure & Dominio.

S. Thomas 2. 2. q. 57. & q. 66. a. 1. & 2.

OMnes Theologi, cum Sancto Thoma de Iustitia acturi, incipiunt ab explicatione Iuris, velut obiecti Iustitiæ; quod nos itidem obseruabimus, ita tamen, vt quia Ius alio quodam significatu etiam facultatem seu potestatem circa rem & personam aliquam significat, de hoc ipso prius agamus; vtpote quod ab ipso etiam iure seu iusto, prout obiectum est Iustitiæ, supponitur. Id enim iustum est cuique præstari, ad quod alter Ius habet; nec ob aliam causam ex iustitia quicquam alicui debetur, nisi quia hic ad eam rem ius habet. Quod si ius nullum in rem vel personam esset, nec iustum, nec iustitia esse posset. 2

Proinde bipartita erit hæc quæstio de iure; in priori agetur de iure, quatenus significat potestatem in rem seu personam aliquam, vbi simul etiam agemus de dominio, vsu, possessione, præscriptione &c. velut effectibus dominij, aut generalibus modis acquirendi dominium, tametsi S. Thomas aliíq; Scholastici fere nonnisi ex occasione furti de his rebus agant. In posteriore agetur, de iure seu iusto, prout est obiectum iustitiæ.

Absoluetur autem tota quæstio septem dubitationibus. I. De varijs acceptionibus iuris, ac speciatim quid, & quotuplex sit ius ad rem, vel personam aliquam. II. Quid sit dominium perfectum; quid item vsusfructus, seruitus, vsus; & an vsus rei semper sit à dominio separabilis. III. Quid & quotuplex sit possessio; quando acquiratur; & quinam eius sint effectus. IV. De fundamento, subiecto, & obiectis dominij. V. De origine, & varijs modis acquirendi dominium in genere. VI. De præscriptione & vsucapione velut celebratissimo modo acquirendi dominium; speciatim quid sit, quas conditiones requirat, quos effectus habeat; & quantũ temporis ad cuiusq; rei præscriptionem sit necessarium. VII. De iure, prout est obiectum Iustitiæ; eiusq; varijs diuisionibus.

DVBIVM I.

De varijs acceptionibus Iuris; & speciatim quid, & quotuplex sit Ius ad rem, vel personam aliquam.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 57. a. 1.

IVs dictum esse, quia *iustum est*, notauit Isidorus l. 5. Etymol. c. 3. ita vt proinde hoc nomine primo ac principaliter ipsum iustitiæ obiectum, siue Iustum significetur, iuxta eundem, & S. Thomam q. 57. a. 2. A quo velut principali significato per analogiam quandam desumpta videntur cætera significata Iuris; vt cum 2. legem, velut regulam Iuris. 3. scientiam Iuris. 4. quidquid æquum & legi conforme est. 5. necessitudinem affinitatis & consanguinitatis. 6. locum dicendi Iuris. 7. Judicis sententiam. 8. legitimam facultatem seu potestatem in rem aliquam significat, vt videre est ff. de Iustitia & Iure, & apud S. Thomam hic quæst. 57. art. 1, & 2. 3

Quamuis autem vocabulum Iuris primo impositum videatur, ad significandam rem iustam; secundum rem tamen prius est Ius, postrema hac significatione acceptum: ideo enim ius seu iustum est, vt mihi aliquid detur, aut fiat, vel non fiat; quia ius ad hoc ipsum habeo, non contra, vt dictum. Neque vero semper idem est ordo rerum, qui denominationis. Sanus enim cibus, vel medicina, nonnunquam prior est sanitate animalis, quã efficit, & tamen hęc vtique appellationem sanitatis prius sibi vendicat. 4

Jus hoc sensu pro legitima potestate acceptum, non est relatio rationis, sed denominatio quædam moralis extrinseca, fundans relationem rationis; quæ ipsa tamen subinde eandẽ appellationẽ habet, vt in alijs etiã similibus sæpe accidit. 5

Hoc ius varie diuiditur. Primo enim aliud est ius in re, aliud ius ad rẽ. Ius in re est, quod tribuit actionem realem, seu quod rem ipsam obligatam habet, ita vt ad quemcunque res illa transeat, nobis maneat obstricta; eo quod res transeat cũ suo onere. Jus ad rem est, quod directe ac immediate non tribuit actionẽ in rem, seu realẽ; sed tantum personalem, siue in personã; nempe quia res ipsa per se nobis obligata non est, quamuis aliqua persona sit obligata, ad rem illam suo tempore dandam. Quo fit, vt si res illa ab hac persona ad aliam transeat, ipsi nobis eam vendicare non possimus.

Jus prioris generis acquiritur per emptionem, & alios cõtractus, secuta rei traditione. Item per collationem beneficij, testamentum, vel successionem ab intestato, secuta acceptatione. 6

Jus ad rem acquiritur per stipulationẽ, aut etiã per donationẽ, emptionẽ, mutuũ, aliosue contractus, ante rei traditionem. Item per electionem, postulationem, præsentationem ad beneficium; vt & per successionem hæreditatis, seu beneficij collationem, ante acceptationẽ. Vocatur tamen etiam subinde ius ad rẽ, quod est ad rem nondũ existentem, vt ius ad fructus agri mei nondum productos.

Ius in re, aliud est perfectum; & vocatur dominiũ late loquendo, quo modo Brissonius vocat dominiũ non proprietatis tantũ, sed & vsusfructũ 7

aliud vero minus perfectum est, quam vt iuxta consuetum loquendi modum, vel ampla etiã dominij appellatione gaudeat. Quale ius v.g. habet depositarius in depositum, Creditor in pignus; vsuarius in rem, cuius habet vsum; qui nimirum solũ habent ius quoddã imperfectũ, possessionis, detentionis, vel etiam vsus, &c. Etsi Conradus de contractibus q. 12. 13. & 14. ius in re idem esse putet cum dominio; quod ad modum loquendi pertinens multum reprehendi non potest.

8 Ius in re per modũ dominij, seu ipsum dominiũ late loquendo, vix potest aliquo cõmuni cõceptu explicari, cũ sit analogum, pportionalitatis ad sua inferiora, qualia sunt dominium *Iurisdictionis*, & *Proprietatis*: Illud est potestas quædã superioritatis, seu ius gubernandi subditos, ad eorũ inprimis vtilitatẽ; hoc vero est ius quoddã disponendi de re aliqua tanquã sua, & in suum cõmodum, seu planius, ius quoddam in rem velut suam.

9 Dominium *Iurisdictionis*, aliud est diuinum & increatum, de quo alibi; aliud humanũ, siue creatum. Dominiũ creatũ, aliud est Ecclesiasticũ; propriũ scilicet Prælatorum Ecclesiæ (qui tamen, iuxta Euangelij doctrinã Luc. 22. v. 25. 2. Cor. 1. v. 24. 1. Petr. 5. v. 3. Patrum potius, quã dominorum appellationẽ & sensum affectare debent) ac per se ad spirituale bonum subditorũ, finemq; supernaturalẽ ordinatur; vti est potestas Põtificia, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, & aliæ inferiores.

10 Aliud dominiũ Iurisdictionis, est politicũ seu temporale, per se quidẽ temperalẽ solũ felicitatẽ, pacẽque, & tranquillitatẽ publicam procurans; qualis est potestas Impatoria, Regia, Ducalis &c.

Dominium temporale, seu imperiũ Magistratus politici, apud Iureconsultos, aut merum est; aut mixtũ: Imperium *merum* est, potestas seu ius gladij ad animaduertendũ in facinorosos: Imperiũ *mixtum*, est simplex potestas Iurisdictionis, cum modico coercendi iure coniuncta, vt videre est apud Brissonium.

11 Nec ab hac diuisione multum diuersa est illa, qua dominium aliud vocatur *altum*, seu superius: aliud *bassum*, seu inferius; quod nempe solum simplicem iurisdictionem continet.

Altum dominium, pro varia regiminis forma, rursum diuidi potest, in Democratiam, Oligarchiã, Aristocratiam, & Monarchiam. Sed de omni hac potestate, seu iurisdictione temporali, eiusq; origine, vi & varietate, ac discrimine, quo ab Ecclesiastica potestate differt, fuse egi lib. 2. Defensionis Ecclesiasticæ Libertatis c. 1. 2. 3. 4. & 6. & nonnihil tom. 2. disp. 5. q 5. du. 1. quæ non opus est hoc loco repetere.

12 Dominium *Proprietatis*, ex parte obiecti, aliud dicitur perfectum seu plenũ, quod nempe complectitur proprietatem rei simul & cõmoda eius. Aliud est imperfectum, quod vel sola proprietate rei, absque commodis vel solo vsu seu cõmodis; rei, absque proprietate contentum est: quorum hoc dicitur *dominium vtile*, & non nisi improprie est dominium, iuxta Sotum lib. 4. de Iustitia q. 1. a. 1. Valentiam hic q. 10. pun. 1. Conradum tract. 1. q. 12. Illud vocatur *Directum*: & dominus ipse priori casu dicitur *Fructuarius*, posteriori autem *Dominus directus*, siue *Proprietarius*.

Dicitur etiam dominium plenum ex parte subiecti: si quis consortem humani dominij non habeat: non plenum, adeoque dominium commune seu partiale, si habeat. Atque hæc generatim spectãt ad diuisionem seu varias acceptiones iuris, prout legitimam facultatem ad personã vel rem aliquam significat: nunc quædã ex his membris sigillatim magis declaranda.

DVBIVM II.

Quid sit dominium perfectũ; quid item vsus fructus, seruitus, vsus; & an vsus rei semper à dominio sit separabilis.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 1. & 2.

Quæritur primo, quidnam dicatur, & sit *dominium perfectum*. Respondeo: Dominiũ plenum seu perfectum dicitur illud, quod non solũ proprie, sed etiam per excellentiam tale est. Id definitur à Iureconsultis, ex Bartholo in l. 17. ff. de acquirenda possessione: *Est ius perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Quæ definitio, si modo particula, *corporali*, omittatur, etiã à Theologis recte admittitur: hi enim etiam ius ad libertatem, famam, honorem &c. dominium vocant, quamuis Iurecõsulti eiusmodi rerũ incorporaliũ dominiũ, vocare soleant tantum *quasi dominium*; vt & *quasi possessionem*. 13

Dicitur autem, *perfecte*, vt significetur, dominum posse ita disponere, tum propria authoritate, tum ad suum cõmodum, idque tam de rei ipsius vsu, quam de substantia. 14

Additur, *nisi lege prohibeatur*: Quia per accidens fit nonnunquam, vt dominus legum authoritate interdicatur certo quopiam rerum suarum vsu, vel dispositione, vt in maioratibus, fidei cõmissis, & bonis pupillorũ accidit, quorũ dominiũ nihilominus esse apud primogenitos, fidei cõmissarios & pupillos, melior habet tam Theologorum, quã iurisperitorum sententia, apud Sotũ l. 4. q. 1. a. 1. Couarruuiam lib. 1. var. c. 15. Valentiã q. 10. pun. 1. Molinam disp. 6. Vasquez 1. 2. tom. 2 disp. 169. n. 32 ex illo ad Galat. 4. v. 1. *Cum sit dominus omniũ.*

Atque hac definitione proinde excluduntur, tũ omnia iura ad rem; tũ iura quædã in re minus perfecta, vt pignus, hypotheca, vsus, vsusfructus, ius coniugum, proprietas feudi, vt & dominium quoddam directum aliquorum Religiosorũ, ante renunciationem valde imperfectum & impeditũ; de quo disp. vlt. q. 3. du. 6. Illi enim nec sua auctoritate, nec in suum vsum disponere de eiusmodi rebus quidquam possunt. 15

Quæritur secũdo, quid per *vsum* intelligatur. Respondeo. vsus late loquendo alius dicitur *Facti*, qui est ipsa actualis rei vsurpatio; alius *Iuris*, seu ipsum ius vtendi; quod in rebus quidem proprijs dicitur vsus causalis, quasi videlicet consequẽter ab ipsa rei proprietate causatus: in alienis 16

autem

autem, dicitur vsus formalis; de quo in præsenti loquimur; qui generatim definitur, Ius vtendi re aliena salua eius substantia, ex instit. de vsufructu.

17 Jus istud vtendi re aliena, hoc modo generatim spectatum, duplex est: aliud stricte & simpliciter vocatur vsus; aliud vero vsusfructus.

Differunt hæc inter se non solum secundum magis & minus, sed etiam ex parte obiecti: vtraque enim ratione vsusfructus perfectius ius est. Primo Vsuarius horti v.g. non potest suo arbitratu horto & fructibus eius vti, sed solum ad suum personale cõmodum, puta ad comedendum, deambulandum &c. prout ei maior vel minor horti vsus concessus est. Vsufructuarius autem habet vtile dominium horti, adeoque plenum vsum horti, salua substantia, cum eius possessione, administratione, & omnibus fructibus, quos tamen ante suos non facit, quam ex arboribus decerptos possideat: hinc si moriatur prius, quam decerpat, redeunt ad proprietarium, §. *Is verò.* Instit. de rerum diuisione.

18 Secundo, vsuarius non potest ius suum in alium transferre; cum sit mere personale: vsufructuarius autem potest, tum committendo alteri administrationem, tum concedendo facultatem vtendi fructibus nomine suo, etiam absque facultate proprietarij. §. 1. Instit. de vsu & habitatione: tum etiam ius suum penitus alienando, quod tamen sine consensu Proprietarij facere non potest. §. *Finitur.* Institut. de vsufructu.

19 Simili fere modo differt habens ius Habitationis, à puro vsuario ædium. Ille enim ædes alteri locare potest; hic non item. Quanquam idipsum ius Habitationis potius aliquid medium esse dicitur inter vsum & vsumfructum, Institut. de vsu & habitatione.

Simile est in Beneficiario, qui potest propria authoritate transferre in alium ius percipiendi fructus nomine suo, non autem ipsum ius & titulum beneficij, ex cap. *Prohibemus*, de Decimis, &. cap. *Vestra*, de Locato.

Tertio, vsuarius nihil tenetur expendere pro conseruatione rei, cuius vsum habet; vsufructuarius autem in conscientia tenetur ad conseruandã rei substantiam; quia administrationem habet, ex dictis.

20 Quæritur tertio, quid nomine *Seruitutis* hic intelligatur. Respondeo. Seruitus duplicem habet significatum. Primo enim significat Ius quod quis habet in re aliena, vt sibi aliquo modo, suisue vsibus deseruiat, directe vel indirecte: quo modo Seruitus est quasi genus ad vsum, & vsumfructum quamuis vtroque latius pateat. Secundo accipitur pro ipsa obligatione, qua res aliena nostro vsui seu commodo est obligata, & vtroque modo varie diuiditur, in affirmatiuam & negatiuam, in continuam, quasi continuã, & discretam, in personalem, realem, & mixtã. Realis rursum tribuitur in vrbanam, quæ inest prædio vrbano (constructo videlicet habitationis causa, siue ruri, siue in vrbe) & in rusticam, vt patet Instit. de Seruitutibus. Plura Angelus, Syluester, V. *Vsus* & *Vsusfructus*, Molina tom. 1. de Iust. d. 7. & sequẽtibus.

Quæritur quarto, An vsus rei semper à dominio separari possit. Vbi notandum est, difficultatem solum esse de rebus vsu consumptibilibus, vt cibo, potu, pecunia, alijsque similibus, quæ primo statim vsu (principali) consumuntur. Nec est quæstio de vsu formali superius definito; hunc enim ex ipsis terminis constat, in rebus vsu consumptibilibus locũ non habere, vt recte docuit Ioannes XXII. in Extrauag. *Ad conditorem*, De verborum significatione: sed de vsu latius sumpto, prout nec rei consumptionem excludit. Atque hoc modo vsum separari posse à dominio in rebus vsu cõsumptibilibus negare videntur S. Thomas q. 28. a. 1. Caietanus ibidẽ; item Antoninus 4. part. tit. 12. c. 4. §. 4. Turrecremata l. 2. de Eccles. c. 112. Gerson part. 2. siue to. 2. opusc. de contract. par. 1. consid. 3. Syluester V. *Dominiũ* q. 2. Arragonius q. 62. de dominio. 21

Sed verior est sententia affirmatiua, seu loquamur de dominio particulari, siue communi; vt hodie habet communior Theologorum sententia, apud Sotum l. 4. de Iust. q. 1. a. 1. apud Valentiam q. 10. pun. 1. Molinam disp. 6. Suarez tom. 2. disp. 28. sect. 2. Lessium lib. 2. cap. 3. dub. 8. Fieri enim potest, vt quis habeat potestatẽ vtendi eiusmodi rebus solum dependenter ab ipsius directi domini voluntate, adeoque authoritate non sua, sed aliena; qua etiam Ius illud pro arbitratu possit reuocari; sine iniuria Vsuarij, vt reuera accidit tum Religiosis singulis, circa res eis ad victum concessas: tum conuiuis ad epulum alienum inuitatis; vt & procuratori pecunias dominij sui alienanti: in quibus casibus omnibus, nemo dixerit, vsum adeo dependentem ab alterius domini voluntate, verum in vsuario dominium complecti. Qua de causa etiam ius eiusmodi dependens & reuocabile, adeoque expers dominij, vocatur quandoque *Ius Facti*. 22

Atque idipsum in specie declaratum fuit, de rebus omnibus, quas habet ordo Minorum à Nicolao III. cap. *Exijt qui seminat*, de Verborum significatione in sexto, & à Clemente V. in Clementina *Exiui*, de paradiso, eodem titulo, receptis scilicet in Ecclesiæ Romanæ dominium omnibus bonis & oblationibus eiusdẽ ordinis. Quod etiam postea à pluribus Pontificibus fuit confirmatum, vt Martino V. Paulo II. Alexandro VI. vt videre est in priuilegio mendicantium apud Cæsarubium. 23

Joannes autem XXII. Successor Clementis V. in diuersis extrauagantibus, *Ad Conditorem*, & *Cum inter nonnullos*; & *Quia quorundam*, de verb. significat. etsi quidem se, ac Ecclesiam Romanam eiusmodi rerum ac oblationum dominio abdicarit, ratus insuper, etiam Minores (saltem quantum ad communitatem) reipsa habere eiusmodi rerum vsum plane liberum ac independentem, ac proinde etiam (quod ab eiusmodi vsu in his rebus nihil vel parum differt) dominium; quæ quidem sub his terminis facti solum quæstio est, non iuris aut fidei: nihil tamen contra doctrinam superius allatam definiuit, vt pluribus declarant Bellarminus l. 4. de Pontifice c. 14. Molina & Valentia loc. citatis; qui etiã cæteros auctores veteres eõtrariũ 24

sentientes cum nostra sententia conciliare nititur, quasi de vsu independenti locuti fuerint.

DVBIVM III.

Quid, & quotuplex sit possessio; quo modo acquiratur; & quinam eius sint effectus.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 66. a. 1. & 2.

QVæritur primo, quid in præsenti per possessionē proprie intelligatur. Respondeo; Possessio in proposito non accipitur pro ipsa re possessa, sed vel pro actu, vel iure possidendi. 25

Actus possidendi dicitur *possessio facti*, & definitur à Iuristis ex Azone, Cod. de acquirenda possessione, & Ostiensi Summæ libro 2. *Corporalis rei detentio corporis & animi, iuris adminiculo concurrente*, hoc est, facta, iure non prohibente, quo minus vera censeatur possessio; ne hinc excludatur iniusta possessio, vt recte notauit Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 9. vocula autem, *Corporalis*, iuxta Theologos omittenda est, vt in simili dictum dub. præced.

Ius possidendi vocatur *possessio Iuris*, quæ definitur ex Bartolo l. 1. ff. de acquirenda possessione. *Ius insistendi rei non prohibitæ possideri.* Qua particula vltima excluduntur res quædam, quæ ob dispositionem iuris, possideri à priuatis non possunt, vt res sacræ, loca publica, &c. 26

Et quamuis Iuristæ (quos sequitur Sairus l. 9. Clauis regiæ cap. 3. numero 55.) videantur etiam hanc definitionem iniustæ possessioni accommodare, spectando scilicet forum externum, in quo qui non probatur malus, præsumitur bonus; tamen apud Theologos, qui conscientiā spectant, rectius ea ab hac definitione reijcitur, vt præter Syluestrum V. *Dominium.* num. 3. Conradum q. 14. Bannem ante quæst. 62. q. 1. de dominio, communiter docent recentiores Theologi.

Ex quibus patet, possessionem facti (iustam) esse quiddam posterius iure in rem ipsam; qua de causa etiam amitti potest, saluo iure, seu dominio in rem ipsam: Possessionem iuris autem esse tum effectum iuris in rem ipsam sicut & possessionem facti; tum etiam speciale quoddam ius in rem possessam, ratione cuius Possessor potest pacifice rem tenere, atq; etiam armis tueri, vt dicetur. 27

Quæritur secundo; Quotuplex sit, seu quomodo diuidatur Possessio. Respondeo, Duplex distingui solet possessio. Ciuilis & naturalis. Ciuilis est, quæ solo animo retinetur; quamuis enim ad acquirendam possessionem requiratur adminiculum animi pariter & corporis, tamen ad continuandam possessionem, non item. Instit. de Interdictis §. *Possidere.* 28

Naturalis possessio est, quæ corpore simul & animo retinetur, circa rem tamen, quæ ab alio ciuiliter possidetur, qualis cernitur, tum in inuasore iniusto, tum etiam secundum aliquos in depositario, qui tamen verius non dicitur ipse possidere, sed Dominus cuius nomine rem alienam tenet per ipsum; vt videre est apud Molinam disp. 12. ex Institut. de Interdictis loc. cit.

Quod si vtraque possessio coniungatur, ea erit perfectissima; qualis est illa, quæ corpore simul & animo habetur, circa rem ab alio ciuiliter nullo modo possessam: qualem habet Dominus plenus in rem suam, à nullo possessam. Fructuarius autem possidet quidem rem alienam nomine suo, quoad vsum vel vsumfructum, sed non quoad dominium directum, vt ex Couarruuia in regulam *Possessor* par. 2. num. 4. notat Lessius loc. cit. Etsi quidam & hunc, & Comodatarium proprie possidere absolute negent. 29

Quæritur tertio, Quot modis, & quibus, acquiri & amitti soleat possessio. Respondeo; possessio acquiritur his tribus modis. Primo, apprehensione rei veræ, quæ scilicet fit manibus aut pedibus. Secundo, apprehensione ficta, tali videlicet, quæ iuris authoritate, seu consuetudine recepta veræ æquialeat; eique locus est, cum possessio aut per priorem possessorem alicui traditur, v. g. oblatione clauium, aut instrumenti, seu literarum, vel oculari inspectione, interueniente verbali solum traditione & acceptatione; aut simili quodam modo etiam per Iudicem, aduersario veram & corporalem possessionem impediente. Tertio, sola legis seu statuti dispositione, in quibusdam locis, sine vlla alia apprehensione; quæ vocatur possessio *ciuilissima* apud Couarruuiam lib. 3. variar. cap. 5. numero 6. & Molinam disputatione 12. Exempla & modos varios vide apud eosdem. 30

Amittitur possessio rerum mobilium, tum ciuilis, tum naturalis: primo, sola voluntate possessoris, nolentis eam amplius possidere: secundo, amissione rei: Tertio, si quis alius v. g. fur siue inuasor res eiusmodi, etiam iniuste, & ignorante priore possessore, suo nomine occupet. Possessio vero rerum immobilium ob alterius occupationem non prius amittitur, quam prior possessor sciens occupationem alterius iniustam consentiat, vel negligat, non faciendo in continenti (nempe quam primum spectatis circumstantijs commode potest, seu antequam ad alia negotia diuertat) quod in se est, vt alterum excludat, & se in possessione tueatur. 31

Quæritur quarto, Quinam sint effectus, seu priuilegia possessionis. Respondeo; effectus seu priuilegia possessionis potissimum sunt tria. Primum, præscribere rem possessam, de quo infra; & sufficit ad hunc effectum possessio ciuilis. Secundum, quod *in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, regula 65. de Regulis Iuris in sexto. Tertium; in foro externo, possessor habet locum rei, non actoris; quocirca etiam ipsi non incumbit probatio. Attamen quoad priores duos effectus, requiritur bona fides. Addi potest, quod possessori licet possessionem etiam armis tueri, & vi ablatum in continenti repetere, saluo moderamine inculpatæ tutelæ, vt paulo ante indicauimus, & pluribus dictum disputatione 2. quæstio. 6. dub. 3. & 4. de bello. Plura Iuristæ in lib. 7. Cod. tit. 32. de acquir. & retinenda possess. & in l. *Quotiens duobus* C. de rei vindicatione. 32

DVBIVM IV.

De fundamento, subiecto, & obiectis dominij.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 66. a. 1. & 2.

33 QVæritur primo, quodnam sit fundamentum dominij. Respondeo, fundamentum dominij esse liberum arbitrium, seu intellectum simul & voluntatem. Ita communis habet sententia cum S. Thoma q. 66. a. 1. & colligitur ex Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & præsit piscibus maris, &c. universæq; terræ.* Imago Dei in libero potissimum arbitrio consistit; hanc sequitur dominium in res creatas. Ratio est. Quia per hoc habet homo potestatem libere disponendi de rebus. Vide Victoriam relectione de Indis part. 1. n. 2.

34 Error autem Waldensium, Wicleffi, Hussij, & Armacani lib. 10. quæstionum Armenicarum cap. 2. & 4. asserentium, hominem constituti dominum rerum omnium, per gratiam & charitatem; qua proinde amissa, perdatur omnè dominium & iurisdictio, damnatus est in Concilio Constantiensi sess. 8. & pluribus refellitur à Waldensi in doctrinali cap. 81,

A qua sententia etiam non multum differt illa, asserens titulum dominij esse fidem supernaturalem, quæ tribuitur Ostiensi in cap. *super his*, de voto & voti redemptione; & ab omnibus reijcitur iuxta illud: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, &c. Gerson autem part. 2. serm. in Cœna Domini, de dominio Euangelico, & Conradus lib. 1. de contractibus cap. 2. præter dominium ciuile, nescio quod *gratificatorium* dominium asserentes, in charitate fundatum, in re quidem nihil aut parum videntur errasse. Sed modus loquendi caute temperandus, ne cum errore hæreticorum videatur colludere.

35 Quæritur secundo, Quodnam sit subiectum dominij. Respondeo, subiectum dominij aliud esse propinquum & immediatum, scilicet ipsum liberum arbitrium, vt recte Bannes quæst. 62. a. 1. aliud vero remotum, nimirum omnes & solas substantias intelligentes, iuxta S. Thomam q. 66. a. 1. Habet enim Deus absolutum & independens dominium rerum omnium creatarum, quo fine cuiusquam iniuria (saltem secluso pacto & promissione sua, quam quidem negare non potest) liberrime de ijs potest disponere, etiam occidendo, annihilando, & affligendo; sicut nos cum muscis agimus. Etsi quidam, in quibus etiã Bellarminus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis obseruatione in tom. 7. Augustini, conuenienter eidem Augustino epist. 105. & 106. & lib. 2. de peccatorum meritis cap. 16. (vbi is tamen solum loquitur de afflictione per modum vindictæ, correptionis, vel debiti) negent, Deum etiam absoluta potentia potuisse hominem damnare, si non peccasset: quod tamen rectius asseritur, tum à pluribus Theologis, tum in lib. de prædestinatione & gratia cap. 16. vt pluribus dictum tomo 2. disp. 4. q. 10. dub. 6.

Angeli quoque, vt & animæ separatæ, habent 36
dominium suorum actuum secundũ omnes. Addunt Salon, & Arragonius q. 62. Angelos habere etiam dominium rerum corporalium. Sed proprie non habent, vt recte Sotus lib. 4. q. 1. a. 2. Bannes ante q. 62. de dominio q. 1 Lessius lib. cap. 4. dub. 1. quia non possunt de eis velut suis, & in suum commodum disponere; sed & mandato Dei, tanquam Præfecti regij, prouincias & vrbes Regis nomine administrant; quæ tamen ipsa auctoritas administrandi potest vocari dominium late, vt notat Lessius ibidem.

Homines vero non solum habent dominium 37
suorum actuum liberorum, sed etiam multarum rerum corporalium, vt magis declarabitur dub. seq. non solum quoad vsum, sed etiam quoad substantiam, ex communi; licet eas quoad naturam & proprietates suas suo arbitratu immutare omni modo nõ possint, vt Deus; quod solum voluit S. Thomas q. 66. a. 1. contrarium dicere visus.

Infantes quoque & amentes vere habent ac retinent rerum suarum dominium, vt recte cum Victoria relectione de Indis n. 21. & 22. Lessius dub. 2. Sufficit enim ipsum liberum arbitrium quoad actum primum, vna cum titulo sufficienti; etsi per accidens liberi arbitrij vsus absit, iuxta illud ad Galat. 4. v. 1. *Cum sit Dominus omnium*. Secus est de cæteris animantibus, quæ nullo modo sunt capaces dominij; quicquid Conradus, Maior & Gerson dixerint apud Arragonium ad q. 62. de dominio. Quanquam etiam perpetuo amentes excidere dominio gubernatiuo seu iurisdictionis, non improbabiliter sentiant Caietanus tom. 1. Salon ad q. 62. de dom. q. 2. a. 4. & in specie dictum disp. 1. q. 4. dub. 4.

Serui autem etsi per se & iure communi nullũ 38
habeant dominium bonorum externorum, vt patet Instit. *Per quas personas nobis acquiratur*, & l. *In vestimentum*. 25. ff. de peculio. & cap. *Cum olim*, de priuilegijs, vbi etiam ita reipsa tradit Nauarrus; tamen saltem ex peculiari consensu domini, aut etiam mutua consensione, ab ipsis quoque seruis proprium aliquid possideri posse, non est negandum: siue dominus expresse consentiat, seruum habere peculium, siue aliquid ipse ei concedat independenter ad proprium vsum, ac seruus ex his sibi quicquam subtrahat, aut ex his etiã quidpiam vlterius lucretur, vt recte Molina disp. 38.

Cum statu vero Religionis, etiam approbatæ, 39
licet vniuersim non pugnet dominium aliquod directum, etiam particulare, vt patet ex peculiari constitutione Gregorij XIII. edita Anno 84. quæ incipit *Ascendente*, &c. multo minus dominium vniuersale, spectans ad ipsam solum Cõunitatẽ, seu totum cœtum in communi, quod quidem reipsa plerisque Religionibus competere, non pauci probabiliter docent, vt seq. quæsito dicemus: reipsa tamen, & de facto Religiosi Professi cuiusuis Religionis approbatæ, vt & Coadiutores Formati, seu temporales, seu spirituales in nostra Societate, nullum habent particulare dominium rerũ temporalium; idque ex probabiliori solum

Ecclesiastico iure, non diuino, vt iuxta S. Thomam q. 88. a. 7. sentit Azor tom. 1. cap. 6. quæstione 4. Vasquez 1. 2. disput. 165. cap. 6. Lessius hic cap. 4. n. 22. & c. 41. n. 71. conuenienter cap. Vnico de voto & voti redempt. in 6. & decreto Gregorij XIII. in citata Bulla, quæ incipit. *Ascendente domino*. De qua re plura disp. 6. quæstio. 3. dub. 4.

Quæritur tertio, Quænam sint obiecta humani dominij. Respondetur assertionibus sequentibus.

40 Assertio I. Homo habet quoddã naturale & quasi vniuersale dominium in omnes res inferiores, siue sublunares, à se diuersas; non autem in corpora cœlestia. Ita ex com. S. Thomas q. 66. a. 1. signanter loquens de rebus temporalibus, id est, corruptibilibus. Et colligitur ex illo Gen. 1. v. 26. *præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæq; terræ* (quo nomine etiã cætera elementa subinde tacite intelliguntur, vt ibidẽ v. 1. *Creauit Deus cœlum & terram*) *omniq; repetili quod mouetur in terra*. Et rursũ ibidẽ v. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram*. Et psal. 8. v. 7. & 8. *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. &c.*

41 Ratio est; quia hæc omnia, vt natura sua sunt inferiora homine, ad eiusq; vsum diuinitus creata; ita item dispositioni hominis aliquo modo subiacent; adeo vt ea quoad suas qualitates alterare, suoq; vsui accomodare, & quoad substantiam etiam immutare ac corrumpere possit, citra cuiusquam iniuriam.

Quod si quædam partes rerum sublunarium, vt ignis sub concauo lunæ, & suprema aëris regio, dispositioni hominis non subiacent, id est per accidens: satis est, quod ex sua natura, ac in simili eiusdem speciei, vt & pisces v. g. siue thesauri altissimo mari immersi, aues & animalia in terris vel montibus inaccessis delitescentia.

Nec enim hic loquimur de aliquo dominio ciuili completo; sed naturali, seu ciuili incompleto, ac secundum aptitudinem quandam proximam, in ipsa naturæ excellentia fundatam. Quo sensu etiam Aristoteles 1. Polit. 4. dixit, quosdam naturaliter nasci seruos aliorum.

42 Secus est de corporibus cœlestibus; quę secundum se (effectus enim eorũ vt lumen, influentiæ, computantur in rebus inferioribus) dispositioni hominis nullo modo subiacent; licet eidem commodent, & quasi ministrent ex dispositione primi motoris & Angelorum, vt agri paterni filiofamilias, ex dispositione Patris.

43 Assertio II. Potest quidem etiam, iure gentium, homo dominium obtinere in hominẽ, velut mancipium; sed non tam perfectũ, quam in equum, aut alia; quæ etiam libere sine cuiusquam iniuria potest destruere; quicquid antiquæ leges de seruis aliter statuerint. Ita communis; & patet tum ex Iure Ciuili passim, vt videre est tit. de emendatione seruorum titulo. de libertinis. tit. de libertis. tit. de Mancipijs. tit. de seruis. tit. si seruus, in God. Tum ex scriptura, tam ante legem scriptam Genes. 12. & 20. quam in lege scripta. Exod. 21. Leuit. 25. Deuter. 20. & 21. ac insuper in lege Euangelica, 1. Corinth. 7.

Vnde constat nec apud Christianos desijsse hoc ius, nisi forte respectu Christianorum in Christianos, iuxta dicta disp. 2. quæstion. 6. dub. 5. etsi contrarium significat Lessius cap. 4. dub. 9. In statu tamen naturæ integræ, nulla erat futura seruitus, sed simplex potestas Iurisdictionis, iuxta Augustinum libro 18. de ciuit. cap. 15. & communem.

Ratio est; non solum quia vnus homo natura altero multo excellentior est; ita vt vnus quodammodo aptus sit ad parendum tantum, alius vero etiam ad regendum, vt supra ex Aristotele dixi; hoc enim solum indicat conuenientiam & aptitudinem huius dominij: sed etiam quia nulla lex obstat, quo minus alius homo in hominis dominium quoddam etiam particulare ac ciuile veniat. 44

Dixi tamen, *non tam perfectum*. &c. quia dominium hominis in hominem, non tam videtur esse directum, quam vtile ob causam superius dictam. Quanquam id isto perfectius sit ideo, quod seruus etiam vendi potest à domino propria authoritate.

Assertio III. Homo proprie non est dominus vitæ & membrorum suorum; sed custos quasi & vsuarius. Ita ex communi docent S. Thomas q. 54. a. 3. ad 2. & q. 64. a. 5. ad 1. & 3. Caietanus q. 73. art. 3. Victoria relect. de homicidio nu. 23. (quicquid hic alias senserit) Sotus 4. de Iustitia quæst. 2. a. 3. Valentia q. 10. pun. 1. Atragonius, Bannes ad q. 62. Lessius l. c. Colligitur ex scriptura, quæ soli Deo hoc dominium tribuit. Sap. 16. v. 13. *Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem*; Ratio est; non solum quia homo de his suo arbitratu disponere non potest, ea abijciendo, etiam ob quemcunq; finem; sed etiam quia ipsa vita, ac substantia hominis, vt & liberum arbitrium, est fundamentum dominij humani, adeoque quiddam prius omni humano dominio. 45

Assertio IV. Nec princeps etiam, aut Respublica est dominus vitæ suorum subditorum vel seruorum. Ita citati ex communi. Colligitur ex scripturis citatis, & Exod. 21. vers. 20. *Qui percusserit seruum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.* 46

Accedit, quod singuli respectu Reipublicæ habent se vt membra eiusdem corporis; quodque seruus in dominum non plus potestatis potuerit transferre, quam in seipsum antea habuerat. Quod secundum proportionem etiam de Republica dicendum; quæ tamen ius habet, ciuem pernitiosum perimendi; ad eum modum, quo quisq; etiam priuatus ius habet membrum putridum resecandi.

Assertio V. Homo est Dominus libertatis suæ; ac insuper etiam famæ, honoris, scientiæ, gratiæ, & aliorum spiritualium bonorum, ac habituum, tam naturalium, quam supernaturalium. Colligitur ex S. Thoma q. 64. a. 5. ad 3. vbi ait, hominem esse dominum *rerum omnium, quas acquirit per libero arbitrio*: & quæst. 73. art. 4. ad 1. 47

docet,

docet, in cuiusque arbitrio esse, pati detrimentũ suæ famæ, *nisi hoc vergat in detrimentum aliorum*. Expresse idem de fama, contra Caietanum V. *Detractio*, docent post Victoriam, Sotum, Nauarrum, Couarruuiam, Adrianum, Petrus Nauarr⁹ l. 2. de restitut. c. 4. n. 114. Valentia q. 10. pun. 1. Arragonius, Bañes, Lessius locis cit. Ratio colligitur ex definitione dominij dub. 2. explicata.

48 De bonis spiritualibus idem docent Canus relectione de pœnitentia par. 4. ad 2. Valentia q 10. pun. 1. Salon ad q. 66. q. 3. a. 4. Bannes ibid. q. 2. de dominio, Arragonius q. 62. ibidẽ; adeo vt hæc sit sententia cõmunis Theologorũ. Ratio generalis est, qa homo potest his oñib⁹ vti tanquã reb⁹ suis ac in suum cõmodum, easq; per se loquendo prodigere, sine cuiusquam (particulare aliquod dominium habentis) iniuria; licet non absque peccato, seu iniuria Dei: nec potest etiam ijs inuitus priuari. Et licet reuera omnes istæ solum videantur esse quæstiones de nomine; melior tamen loquendi modus, iuxta dicta, retinendus est.

49 Assertio VI. Bonorum immobiliũ Ecclesiæ, & supellectilis sacræ Ecclesiarum, dominiũ proprie ad solum Deum, siue Christum spectat, vsus vero & administratio ad Prælatos, seu Communitatem cuiusque Ecclesiæ, ex probabiliori. Ita Maior 4. dist. 24 q. 16. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 1. q. 4. Nauarrus commentario 2. de Regularibus num. 34. & quæst. 1. de reditibus monitione 40. & in cap. *Non liceat*, §. 9. n. 4. vbi id etiam de fide censet. Sed non recte, quia contraria sententia, vti etiam dixi in materia de scandalo, est probabilis, asserens, eiusmodi rerum dominium esse penes cœtum Ecclesiasticorum, (quamuis Religiosorum) cuiusque Ecclesiæ. Quam sequitur Caietanus cit. quæst. de scandalo, Waldensis lib. 4. doctrinalis a. 3. cap. 43. Columna de reditibus cap. 23. n. 105. Lessius cap. 4. dub. 5. & 7. & à fortiori Sarmentus part. 4. redituum Ecclesiasticorum cap. 6. male tamen asserens, id dominium etiam esse penes singulos, ad quos ius prouentuum Ecclesiæ pertinet.

50 Probatur assertio ex iure Canonico, in quo sæpissime res eiusmodi vocãtur res Dei, aut Deo donatę, vel traditæ, vt videre est in Canone Apostolorum 39. & can. *Nulli licet*, & can. *Prædia*. 12. q. 2. & can. *Videntes*, causa 16. q. 1. & in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 21. de reformatione. De qua re multa dixi lib. 1. Defensionis Ecclesiasticæ libertatis. Idem colligitur ex Iure Cæsareo, Instit. de rerũ diuisione. §. *Vniuersitatis*. & l. 6. §. *Sacræ*. ff. eod. tit.

51 Ratio est. Tum quia antiquitus hęc oblata sunt Deo ab ipsis Fundatoribus, & quidẽ persæpe sollenni formula, quã ex capitularibus Francorũ l. 6. c. 285. & 286 fusius descripsi l. 1. Ecclesiasticæ defensionis c. 9. vbi inter alia dicitur: *Quisquis nostrũ suas res Ecclesiæ tradit, Dño Deo illas offert atq; dedicat, suisq; Sanctis & non alteri, dicendo talia, & agendo ita. Facit enim scripturã de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat, & ipsam scripturam corã altari, aut supra, tenet in manu, dicens eiusmodi loci sacerdotibus atq; custodibus: Offero Deo atq; dedico omnes res, quæ in hac Chartula tenẽtur insertæ, pro remissione peccatorũ meorũ, ac Parentum, & filiorum, aut pro quocunq; illas Deo deliberare voluerit, ad seruiendum ex his Deo in sacrificijs, Missarumq; solemnijs orationibus, luminarijs, pauperum ac Clericorum alimonijs, & cæteris diuinis cultibus, atq; illius Ecclesiæ vtilitatibus, &c.* Tum quia iuxta canones, & ipsam offerentiũ dispositionem, conuentus Ecclesiasticus cuiusque loci tenetur illa ad posteros trãsmittere, nec potest ea vẽdere vel extinguere pro arbitrio; licet interim summus Pontifex in his omnibus habeat supremam administrationẽ. Tum quia antiquo more, nec Abbates, aut conuentus Monasteriorũ scribunt se dominos talis ditionis, vrbis, pagi; sed potius ipsamet cœnobia locaq; sacra vocãtur à Germanis *Domus Dei*. An vero, & qua ratione singuli Ecclesiastici habeãt dominiũ reddituũ suorũ, dicetur suo loco de Restitutione.

DVBIVM V.

De origine dominij, & varijs modis acquirendi vel amittendi dominium in genere.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 1. & 2.

EGimus hactenus de fundamento, subiecto, & obiecto dominij nunc de eius origine, & acquisitione, adeoque titulis agendum est. 52

Assertio I. In genere loquẽdo, tres sunt modi siue tituli acquirendi dominium, quorum duo posteriores etiam ad dominij amissionem spectant. Primus est, *Inuentio*, seu occupatio rei, quæ nullius est; fit enim hæc primo occupantis. Tales sunt gemmæ repertæ in litore maris, Instit. de rerũ diuisione. Idem lapilli precioſi, & venæ metallorũ inuentæ in visceribus terræ. Quanquã Sotus l. 5. q. 3. a. 3. ad 1. Valentia q. 10. pu. 3. Lessius cap. 5. dub. 12. recte notant, secluſa lege & consuetudine particulari, potestatem & ius fodiendi tantum competere ei, qui est dominus loci. Quocirca etiam Indos occidentales iure potuisse prohibere Hispanos, ab occupatione talium rerum in sua regione; etsi contrarium senserit Victoria relect. de Indis part. 3. n. 4.

Tales quoque sunt pisces fluminum, feræ siluarum (saluo interim iure venandi, piscandi, cui id speciatim reseruatum est;) nisi peculiaris forte lex obstet, impediens dominium, de quo suo loco de Rest. 53

Tales etiam sunt thesauri ab immemoriali tempore defossi, qui nullum dominum habere præsumuntur; fiunt enim inuentoris, si in proprio fundo inueniãtur, ex l. *falsus*. ff. de furtis. & §. *Thesaurus*. Instit. de rerum diuisione. Inuenti vero in fundo alieno, & quidem dedita opera, & inuito vel inconsulto domino fundi, iure communi cedunt domino illius loci; & si dominium fundi sit diuisum, dimidia pars proprietario, altera vsufructuario, ex communiori apud Caietanum & Arragonium quæst. 66. art. 5. Nauarrum man. cap. 17. num. 175. Molinam disputat. 56. Sayrum c. 9. n. 9. & ex constitutione positiui iuris infra, etsi quidam aliter sentiant, vt dicetur n. 64.

Ex consensu vero Domini, de industria quæsitos & inuentos thesauros retinet inuentor; nisi aliter conuentum sit. Quod si casu inueniantur in loco alieno, dimidium inuentor habet, alterum dominus loci, secundum ius positiuum commune l. vnica C. de thesauris. & l. *falsus*, cit. Licet, stando iure præcise naturali, totum sit Inuentoris. Inuenti quoque in loco publico (qui nempe dominio speciali, nullius sit, vt sunt publicũ forum, via, flumina, plateæ, &c.) fiunt inuentoris, vt ex probabiliori docet Lessius dub. 16. post Couarruuiam in regulam *Peccatum* part. 3. §. 2. n. 3. Baldum & alios, apud eosdem: etsi multi Iuristæ contrarium sentiant. Secus, si locus sit publicus, quem tamen Respublica, vel Princeps speciali dominij iure possidet, vt silua, pascuum, dom⁹, hortus ciuitatis vel Principis. Tunc enim dimidium erit ciuitatis, aut fisci, ex §. *Thesauros*. Instit. de rerum diuisione.

55 Inuentus thesaurus de industria in loco sacro, vel Religioso, eoque omnino publico, & ad nullius proprium dominium spectante, vt in cœmeterio &c. dimidia ex parte cedit Ecclesiæ, cuius est locus.

Casu illic inuentum putat Lessius totum spectare ad inuentorem ex cit. §. *Thesaurus*, & glossa ad capitulum, *Si quid inuenisti*, 14. q. 5. & summa Rosella V. *Furtum* n. 11. Sed Couarruuias, & multi alij hoc etiam casu docent, dimidium deberi Ecclesiæ, seu prælato, iuxta dicta de inuentione thesauri in loco priuato. Quod quidem omnino verum est, loquendo de ijs locis sacris, quæ speciali dominij iure ab alijs possidentur, vt etiam fatetur Lessius.

56 Quod si per Magiam inuentus sit thesaurus, ante sententiam quidem Iudicis eodẽ modo possidebitur ab inuentore, vt in alijs casibus hactenus dictum: at post sententiam, pars, quæ alioqui ad inuentorem spectaret, cedet fisco, apud Lessiũ dub. 16. ex l. vnica C. de Thesauris.

Atque hæc omnia procedunt iure communi, & secluſa speciali lege, vel consuetudine. Quanquam hoc ipsum, quod aliqui dicunt, consuetudinem habere, vt thesaurus vbiuis inuentus sit Principis, multi censent non obligare in conscientia, vt ex Syluestro V. *Inuenta*, n. 13. Soto lib. 5. de Iustitia quæst. 3. a. 3. ad 2. notat Lessius cit. dub. 17.

57 Secundus modus seu titulus transferendi dominium est legitimus pacisentium *consensus*, de qua re in specie multa dicentur inferius q. 5. & 6. in genere hæc tria notanda. Primum, per solum actum internum, dominium non transferri, vt ex communi omnium docent Molina disp. 266. Arragonius, & Bannes. q. 62. & patet ex eo, quod cõmuniter ad transferendum dominium requiritur traditio l. *Traditionibus* C. de pactis. & l. *Quoties*, de rei inuentione: etsi possessio (saltem rei mobilis, ex dictis dub. 3.) amittatur sola voluntate non possidendi, vt docet idem Molina n. 6. ex l. 1. & l. 3. & l. *Si quis*. 2. ff. de acquirenda possessione.

Sicut & dominiũ (nõ tamẽ capacitas ad dominiũ, de qua loquitur Vasquez 1. 2. to. 2. disp. 165.) perditur sola volũtate illud deserẽdi, quando possessio simul relinquitur, vt habetur cit. l. *Si quis*, cum Glossa ibidem, vt proinde statim ac aliquid pro derelicto à proprio domino, quamuis solum interno animo habetur, amittatur illius dominium, & fiat primo occupantis, vt notant Molina ibidem.

Secundo notandum, promissione, seu donatione mere interna nullum omnino ius comparari alteri homini, nec in foro conscientiæ, nec in foro externo, non solum quod promissio, (vti & donatio) regulariter in externo foro non obligat, nisi acceptata, vt ex Iure Ciuili & Canonico probat idem Molina disp. 263. (exceptis pollicitationibus, quæ fiunt ciuitati, vel vniuersitati, vel Ecclesiæ, vel hospitali, ex peculiari iuris dispositione, vel sensu Doctorum apud Lessium cap. 18. n. 36.) sed etiam quia ex ipsa rei natura promissio alteri facta (quando aliud iura non disponunt) acceptatione alterius nititur; ita vt sit obligatio quasi conditionata, obligo me, si tibi placeat, vt recte etiam notauit Lessius cap. 18. num. 39. 58

Accedit quod nuda promissio interna, nec ex iustitia per modum pacti obligare potest, vt patet; nec per modum nudæ veracitatis seu fidelitatis; quia in eo, quod internũ animi propositum mutatur, nulla est falsitas seu infidelitas. Secus est, de promissione Religiosa, quæ Deo fit, aut etiam Sanctis; hæc enim mox, vt fit, ab ijsdem acceptatur. Atque ita docent etiam S. Thomas infra q. 88. a. 1. Arragonius, & Bannes, & Lessius cit. loc. etsi contrarium docuerit Ledesma apud eosdem, cui fauet etiam Molina citatus; & Sotus 4. q. 5. a. 1. ad 1. & lib. 7. q. 2. art. 1. ad 1. in vtramque partem dubius hæret; etsi magis in sententiam S. Thomæ propendens. 59

Tertio notandum, promissionem stipulatione firmatam, parere ciuilem obligationem, vt ex communi docet Molina disp. 262. Immo etiam eo ipso, quod est accepta ab eo, cui facta est. Esto intra limites nudi pacti contineatur, iuxta eundẽ disp. 255. & 264. & Lessium cap. 18. dub. 8. ex l. *Si quis argumentũ* C. de donationibus. Trãsit enim pollicitatio in pactum, hoc ipso quod acceptatur; etiam secluſa interim stipulatione. Quo fit, vt etiam per internuntium seu epistolã data & acceptata ciuiliter obliget, non minus, quam alij contractus, qui consensu perficiuntur, vt docent idẽ Molina ex communi cit. disput. 264. & Lessius dub. 6. 60

In foro tamen conscientiæ, secundum Sa V. *Promissio*, (fauente etiam Nauarro cap. 18. n. 7. item Caietano, & alijs mox citandis) is qui promissionem etiam acceptam non implet, ex causa, quæ sibi videtur rationabilis; non peccat mortaliter, nisi alioqui sequeretur scandalum, aut graue proximi damnum, tunc enim qui promisit, etiam de damno tenetur; eoque solo casu aiunt quidam obligare promissionem ex iustitia, alioquin solum ex fidelitate, & sub peccato veniali (nisi iuramento firmata sit) & sine obligatione restituendi. 61

In quem sensum etiam Caietanus q. 113. a. 1. Henriquez de excommunicatione cap. 17. Molina tom. 2. disp. 262. num. 8. Garzia & Fumus apud 62

Lessium

Lessium cap. 18. n. 54. docent, promissionem per se solum obligare sub veniali; quod etiam probabile censet Lessius.

Quanquam ipse cum Nauarro cap. 18. n. 6. Soto lib. 7. q. 2. a. 1. ad 1. Richardo, Antonino, Couarruuia, & communi Canonistarum probabilius sentiat, promissionem seriam & acceptatã, in re magni momenti, (maioris vtique quantitatis, quam quæ ad furtum mortale sufficiat) etiam sub mortali obligare; eo quod quasi ex iustitia obliget etiam in conscientia: licet non tam stricte, quam proprium debitum iustitiæ. Idque etiam à simili patet in voto seu promissione Deo facta.

An autem promissio iuramento firmata, etiam ante acceptationem, ciuilem obligationem pariat, ad eum, cui facta est promissio, controuertitur. Affirmat Molina disp. 63. sed rectius negare videtur Lessius cap. 17. n. 52. vt pluribus dicetur q 7. dub. 1.

Ex dictis vero colligi potest, quomodo differant promissio, pollicitatio, pactum, & stipulatio, proprie & stricte loquendo. *Promissio* enim dicitur, siue sit acceptata, siue non sit acceptata. *Pollicitatio* est promissio nuda, seu non acceptata. *Pactum* est conuentio duorum; qualis est etiam promissio cum acceptatur. *Stipulatio* est formula contrahendi, præcedente interrogatione creditoris, & secuta responsione debitoris. Plura cit. q. 7. du. 1. & quod ad modum explicandi sensum ꝓmittẽtis infra in simili de voto disp. 5 q. 5. du. 1.

63 Tertius modus seu medium generale acquirendi dominium, est, authoritas publica Reipublicæ seu Principis, qua ob bonum cõmune, etiã citra consensum prioris domini, bona priuatorum transferri possunt; idque vel iure gentium, quo modo res bello captæ, fiunt capientis, vt dictum disp. 2. q. 6. dub. 5. vel authoritate alicuius legis particularis, idque siue ob culpam domini, vt ob crimen hæresis, læsæ maiestatis, qua de re supra disp. 1. q. 8. du. 6. siue etiam sine culpa prioris domini, vt reipsa fit per legem prẽscriptionis; de qua dubio sequenti.

64 Nituntur etiam eodẽ titulo pleraq; ex ijs, quæ supra de inuentione thesaurorum diximus: præsertim cum nonnulli negent, in conscientia totum thesaurum debita opera inuentum in alieno fundo, eius domino inconsulto, deberi domino; restringentes iuris rigorem in pœnalibus ad dimidium. Ita cum alijs docent Salon & Bannes q. 66. a. 5. Lopez 2. part. Instruct. c. 2. Rebellus q. 15. n. 12. & Lessius c. 5. n. 59.

Sed quod dictum, est verius, vt recte docent Molina disp. 56. Nauarrus Manuali c. 17. n. 175. Caietanus, Aragonius, & alij. Vnde etiam vniuersim Sa verbo *Respublica* n. 2. docet, posse Rempublicam pro bono communi rem vnius alteri dare; additque, eam ob causam non facile condemnanda esse statuta, quæ videntur iniqua aut vsuraria, iuxta Caietanum. De qua re suo loco.

65 Ad hunc titulum vero potissimum, vt & ex parte ad primum, refertur modus acquirendi dominium, qui vocatur per commixtionem, immutationem, & accretionem. De qua re multa Iuristæ Instit. de rerum diuisione §. *Præterea.* & §. *Cum ex aliena* & l. 2. 6. & 7. ff. de acquirendo dominio; item l. 23. ff. de vsucapionibus & l. 5. & 23. ff. de rei vindicatione. Hæc pauca nobis sufficiant.

I. Si quis rem alienam commisceat cum re sua, ita vt ab ea separari vel dignosci non possit, v. g. pecuniam, vel frumentum alienum cum frumento vel pecunia sua, is acquiret dominium totius etiamsi id mala fide fecerit, vt vsurarius, fur &c. Ita habet communis Theologorum sententia, quam tradunt Angelus V. *vsura* 2. numero 18. Ioannes Medina quæstione 10. de restitutione, Petrus Nauarrus lib. 4. cap. 2. Vasquez 1. 2. disputatione 164. cap. 3. Molina tom. 2. disputatione 326. fauente l. 78. ff. de solutionibus.

Tametsi nonnulli Iuristæ, in quibus Glossa in l. 7. ff. de acquirendo dominio. §. *Cum quis*, Gregorius Tolosanus lib. 20. syntagmatis cap. 9. & alij apud citatos sentiant, ad hoc requiri bonam fidem; adeo vt in rem alienam non acquiratur dominium ab eo, qui ex alienis aliquid conficit, aut alienũ cum suo confundit, si nouerit esse alienum: quæ sententia speculatiue non est improbabilis. Et vero etiam iuxta priorem sententiam necesse est, quantitatem de proprio admistam respectiue non esse omnino paruam: quia alias parum pro nihilo debet reputari, vt bene notauit Vasquez loc. cit. n. 30.

II. Si quis aliena solum inter se confuderit & miscuerit, salua eorum substantia, dominium commune totius erit penes priores rerum miscibilium dominos, ex veriori, iuxta l. 7. ff. de acq. dom. & l. 5. ff. de rei vendit. & Instit. de rerum diuisione, licet Vasquez l. c. asserat, dominium totius acquiri ab eo, qui ea suo nomine ita commiscuit: quod potius asserendum erat in casu sequenti. Nec oppositum habetur in Institut. vt putauit Vasquez. 66

III. Per mixtionem simul, & immutationem acquiritur dominium, quando quis suo nomine res alienas ita commiscet, vt miscibilibus corruptis, noua inde substantia emergat; vt si quis cõficiat cereuisiam ex alieno hordeo, aut mulsum ex alienis melle ac vino, vt habetur Institut. de rerum diuisione §. *Cum ex aliena.* 67

IV. Per nudam immutationem acquiritur dominium vini, ex alienis vuis expressi; non autem granorum, ex alienis spicis excussorum. Instit. *Quidam* & l. 5. & 7. ff. de acquirendo dominio. 68

V. Si fluminis alluuione quidpiam accreuerit prædio alicuicuis, id in eiusdem transit dominium, Instit. de rerum diuisione §. *præterea*, & l. 7. de acquirendo dominio. Eodem modo ædificium (non autem ipsa materialia) super alieno fundo exstructum, cedit fundi domino ibidem, & l. 23. ff. de vsucapionibus & l. 23. ff. de rei vindicatione.

Assertio II. Diuisio dominiorum, ipsarumque rerum externarum, in genere introducta est iure gentium; non autem iure naturali. Ita communis, & habetur cap. *Ius gentium*, dist. 1. 69

&

& l. *Ex hoc iure*, ff. de iustitia & iure. Declaratur. Quia iure naturæ, & secundum primum hominis creati statum, omnia erant communia; nec cuiusquam quicquam ex rebus externis proprium ciuili & particulari dominio.

Imo in statu innocentiæ, nec futurum quidem erat particulare aliquod dominium proprietatis, sed solum iurisdictionis, vt communiter docent Theologi. Nec vero etiam ipsa natura hominis per se ad talem diuisionem inclinat, sed solum in vita ciuili, & suppositis deprauatis moribus ac incommodis, ex hominum malitia prouenientibus, vt recte notauit Lessius loc. cit. cum etiam in primitiua Ecclesia, & nunc in ordinibus Religiosis, nihil sit cuiusquam proprium, sed omnia quoad vsum communia.

70 Facta est ergo diuisio rerum, ex communi gentium seu hominum consensu, aliquo ex præcedentibus modis; seu per ipsum Adamum, tanquam per caput humani generis, & similiter per Noe post diluuium, vt ex parte accidit Genes. 13. siue per electum à populo Principem, aut arbitrum, cuius voluntate res nondum diuisæ diuiderentur; siue priuatim prima cuiusque rei communis apprehensione, prout quemque in diuersa casus aut consilium impellebat; siue omnibus his modis, respectu rerum diuersarum.

Imo subinde in quibusdam rebus, interuenit etiam specialis Dei authoritas ac dispositio. Quo modo regna Chananæorum, & spolia Ægyptiorũ donata fuerunt à Deo Israëlitis. Sed hoc singulare est; nec ad primam rerum diuisionem pertinet.

DVBIVM VI.

De præscriptione & vsucapione, velut celebratissimo modo acquirendi dominium; speciatim quid sit, quas conditiones requirat, quos effectus habeat; & quantũ temporis ad cuiusq; rei præscriptionem sit necessarium.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 1. & 2.

71 QVæritur primo, quid sit præscriptiõ & vsucapio. Respondeo. Præscriptio in Iure quidem ciuili significat exceptionem, seu oppositionem aduersus actionem Actoris, seu dilatoriã, seu peremptoriam; quo modo etiam Tertullianus inscripsit librum suum *de præscriptionibus*, aduersus hæreticos. In Iure autẽ Canonico, & apud Theologos hic, significat longam aliquam possessionem, qua fit, vt res antea aliena, nostra fiat; vel certe ius quoddam alterius, quod habebat erga nos, extinguatur. Quin etiam dominij acquisitio, vel alieni iuris siue realis, siue personalis peremptio, per continuationem temporis lege definiti, vocatur præscriptio.

Quo modo ipsa velut genus quoddam est ad vsucapionem, quæ definitur, *acquisitio domini, per continuationem temporis lege definiti*, vt habetur l. 3. ff. de vsucapionibus; nisi in hac ipsa definitione vocula, *acquisitio dominij*, late pro acquisitione cuiuscunque iuris, seu etiam immunitatis abonere, accipiatur. Quod si fiat, tum vtraque vox idem significabit, vt recte aduertit Lessius cap. 6. dub. 1. 72

Nec est in iure fundata, illa iuris interpretum vulgata distinctio præscriptionis ab vsucapione, quod hæc sit rerum mobilium, illa vero immobilium, vt patet Instit. de vsucapionibus, in principio, & l. vnica C. de vsucapione transformanda.

Quæritur secundo; Quas conditiones requirat præscriptio. Respondeo. Conditiones ad præscriptionem requisitæ reuocari possunt ad quatuor; quæ sunt; rei præscriptibilitas, possessio cum titulo, bona fides, & tempus sufficiens. 73

Prima igitur conditio est, vt res sit præscriptibilis; sunt enim quædam, quæ præscribi non possunt; vt ea quæ sunt iuris diuini, item homo liber, seruus fugitiuus, viæ publicæ; pensio vel canon Reipublicæ soluendus pro agris, limites prouinciarum, si noti sint; exemptio ab obedientia Superioris, dominium in bona pupilli, & alia, quæ vide apud Couarruiam in regulã *possessor* part. 2. Sylueſtrum V. *præscriptio.* 2. à num. 2. Ioannem Medinam quæst. 16. de restitut. Alphonsum à Castro lib. 2. de lege pœnali cap. 5. Lessium cap. 6. num. 24. & 48. qui tamen recte notat, quædam in iure subinde ideo solum dici præscribi non posse, quia ordinario modo & tempore præscribi non possunt, vt sunt res furtiuæ, res vi possessæ, & res fisci, de quibus infra. 74

Bona vero Ecclesiastica præscribi possunt etiam à Laicis, nisi sint res, vel loca sacra, vt sunt calices, templa, monasteria &c. hæc enim præscribi non possunt, ex cap. *Causam*, extra de præscriptionibus; vti nec ius cognoscendi causas clericorum, apud Azorium tom. 3. lib. 1. cap. 20. q. 2. & fusius à me dictum lib. 2. defens. Eccles. libert. cap. 16. contra Couarruiam pract. quæst. cap. 13. n. 5. sibimet aduersantem lib. 3. var. resolut. cap. 13. n. 4. Fundamentum eius rei explicauimus tom. 2. disp. 5. q. 5 dub. 3. & q. 7. dub. 1. & pluribus dicetur tom. 4. de libert. Eccles. 75

Sed & contra vacantem Ecclesiam non præscribitur; cap. *de quarta*, de præscriptionibus. Plura infra.

Secunda conditio est possessio; siue vt res actu possideatur à præscribente; nam sine possessione non præscribitur, ex 3. regula iuris in 6. & l. *sine possessione* ff. de vsucapione. Necesse est autem, vt res tanquam propria, non precario concessa, possideatur; idque legitimo titulo, saltem probabiliter præsumpto, ex cap. *Si diligenti*, de præscriptionibus, & cap. *Clerici*, 16. quæstion. 4. 76

Nec quoad tituli iustitiam sufficit ignorantia iuris, licet inuincibilis, ex communi, contra Medinam quæst. 17. de restitut. Sed facti solum 77

ex

ex l. *Ita iuris*, ff. de iuris & facti ignorantia, l. *Nunquam*, ff. de vsucapionibus.

In dubio tamen præsumptio stat pro præscribente, ob possessionem bonæ fidei, vt recte Lessius ibidē. Nec omnino improbabile est, ignorantiam etiam iuris non obstare præscriptioni, in ijs, in quibus toleratur ignorantia iuris, iuxta Molinam tom. 3. lib. 2. de primogenitis cap. 7.

78 Quin etiam ex veriori, titulus (saltem specialis) idemque sine ignorantia iuris probabiliter præsumptus, non requiritur vniuersim ad omnem præscriptionem; sed solum ad ordinariam, seu quæ fit ordinario tempore; alias enim etiam sine titulo, aut cum probabili præsumptione tituli, fundatâ etiam in ignorantia iuris, locum habere præscriptionem immemorialem, aut extraordinariam, ac per longius aliquod tempus, non solum quoad fructus, sed etiam quoad substantiam rei, post Medinam quæstione 17. rectius sentiunt Couarruuias in regul. *Possessor* part. 2. §. 7. numero 6. & Lessius numero 8. 17. & 23.

Vbi etiam notat, in præscriptione 30. vel 40. annorum, non requiri titulum, nisi quando præsumptio iuris est contra præscribentem, iuxta Couarruuiam lib. 1. variar. cap. 17. n. 7. ex cap. 1. de præscriptionibus in sexto. Exempla adferentur infra.

79 Tertia conditio est, vt res possideatur bona fide, ex cap. *Possessor*, de regulis iuris, & cap. *Vigilanti*, & cap. *Si diligenti*, de præscriptionibus: quicquid Glossa in cap. vlt. eod. tit. & leges quædam ciuiles, præscriptionem cum mala fide approbent; quibus merito derogatum est iure Canonico locis citatis.

80 Censetur autem quis possidere bona fide, rem semel bono titulo acquisitam, qui nescit esse alienam; etiamsi postea dubitet, an sit aliena; vt ex communi cum Panormitano, & glossa tit. de præscript. docet Medina q. 17. Valentia disp. 5. q. 6. pun. 5. Lessius dub. 3. Et satis patet tum ex cit. cap. vlt. de præscript. & cap. *Si Virgo*, 34. q. 1. Tum ex melori conditione possidentis; etsi contrarium sentiat Adrianus 4. de restitut. & Sotus lib. 4. quæst. 5. art. 4. modo quis non dubitet simul, an liceat rem illam retinere, vt rectè Lessius dub. 4. ex l. *Si fur* ff. de vsucap. quia stante tali dubio, non licite retinebit. Secus in priore casu ex dictis tomo 2. disputatione 2. quæstio. 6. dub. 4.

81 Quod si ex dictis conditionibus aliqua desit, dicitur præscriptio *non currere*, seu non procedere, vel etiam interrumpi; ita vt inchoata cesset, nec tempus præteritum cum sequenti amplius possit continuari.

82 Quarta conditio est, tempus legitimum, hoc est, à iure præscriptum, vt præscriptio ipsa compleatur, de quo breuiter & in genere hæc nota.

I. Annos, quibus prior possessor rem bona fide possedit, seruire successori, ex l. 14. ff. de vsucap. Excipitur triennalis beneficij præscriptio, de qua

83 infra ex communi Doctorum.

II. Opus esse, vt tempus legitimum cuiusque rei præscribendæ, non sit interruptum. Est autem interruptio duplex; naturalis, & ciuilis. Naturalis est, cum bona fides, seu aliud quidpiam, ad præscriptionis substantiam necessarium deficit: ciuilis interruptio communiter fit per contestationem litis, coram legitimo iudice; idque in præscriptione decem, viginti, seu plurium annorum; nisi Actor litem deserat, vel succumbat, vt ex cōmuni docent Couarruuias part. 2. §. 12. Molina disp. 72. Lessius cap. 6. n. 49. Qui addunt, præscriptionem contra actionem fisci, interrumpi sola citatione.

III. Dicitur nonnunquam præscriptio *dormire*; quando pro tempore quidem præsenti non currit (vt tempore belli, pestis, aut cum Ecclesia vacat, aut ille, contra quem præscribitur, non potest agere, vt est filiusfamilias, pupillus, vxor viuente marito:) sed eo exacto, continuatur cū præcedenti, ex communi apud Lessium dub. 16. aliosque citatos. 84

Quæritur tertio; Quantum temporis ad cuiusque rei præscriptionem sit necessarium. Respondeo breuiter; quia res hæc ad Iurisconsultos proprie, non ad Theologos spectat: Res omnes, quæ præscribuntur aut acquisitæ sunt ab authore malæ fidei, aut ab alio; hæ dicuntur præscribi ordinario tempore, illæ non nisi extraordinario. Vtræque rursum aut mobiles sunt, aut immobiles; itemq; aut res Ecclesiæ, Principis, Fisci &c. aut aliorum. De quibus omnibus pro dicta varietate, aliter & aliter, quoad tempus præscriptionis, iudicandum est. Loquendo igitur primum de præscriptione ordinaria, nota sequentia. 85

I. Ad præscriptionem rerum mobilium hominis priuati, vel etiam Ecclesiæ, cum titulo, sufficere possessionem triennalem bona fide continuatam; sine titulo, possessionem annorum triginta. Ita communior sententia apud Molinam tom. 1. tract. 2. disp. 68. & Lessium lib. 2. cap. 6. dub. 7. Et prior pars habetur Instit. de vsucap. in princip. & l. vn. Cod. de vsucap. transfor. & in authentica, *Quas actiones*. C. de Sacrosanctis Ecclesijs, & cap. vlt. ac penult. 16. q. 3. 86

Posterior pars colligitur argumento legis 3. C. de præscriptione 30. vel 40. annorum: etsi contrarium cum alijs teneat Azor tom. 2. lib. 1. cap. 21. q. 1. 87

Et licet iuxta citatam authenticam, nonnulli, in quibus Panormitanus, Syluester, & Azor, peculiariter etiā excipiant bona mobilia Ecclesiæ Romanæ, rati ad præscriptionem cōtra eam, in omni bonorum genere, requiri centum annos; quam sententiam etiam probabiliorem censet Lessius c. 6. dub. 7. multum fauente citata authentica, & dictis canonibus: non improbabilis tamen est etiam contraria sententia, cum Molina cit. disp. 68. Lesio loc. cit. Sayro lib. 9. c. 12. n. 25. Couarruuia in regul. *Possessor*, part. 2. §. 2. n. 5. & alijs, apud citatos.

II. Bona immobilia priuatorum non minorennium, cum titulo præscribuntur, inter præsentes, annis decem; inter absentes viginti: sine titulo autem, contra minorennes (id est, nondum habentes viginti quinque annos expletos) requiruntur anni triginta. Ita communis 88

apud

apud Molinam d. 69. Lessium dub. 8. Prima & secunda pars sumitur ex Instit. de vsucap. §. 1. & l. *Cũ in longi*, C. de prescriptionibus. Tertia pars ex cap. *Sanctorum*, de præscriptionibus. Quarta pars de minoribus patet ex l. vlt. C. In quibus causis in integrum.

89 Excipe tamen pupillos, contra quos, quamdiu in ea ætate sunt, nulla vallet præscriptio, ex l. *sicut in rem*. C. de præscript. 30. annorũ, & dictis supra. Vocantur autem præsentes, qui in eodem territorio, v. g. Ingolstadienſi habitant; absentes, qui in diuersis; vt pluribus persequitur Molina cit. disp. 69.

Quod si anni præscriptionis partim sint præsentiæ, partim absentiæ, tum vnus annus præsentiæ æquiualet duobus absentiæ, ex authentica, *Quod si quis*. C. de præscriptionibus apud citatos.

III. Ad præscriptionem immobilium contra
90 Ecclesiam Romanam, requiruntur anni centum: contra aliam Ecclesiam, vel Hospitale, aut Monasterium, (iure communi,) vel contra pias causas, sufficiunt anni quadraginta. Ita communis apud Molinam disp. 72. aliosq; citatos, & patet ex authentica citata.

Eodem priuilegio centum annorum gaudere etiam Ciuitates, & regna, si quid eis per vltimam voluntatem relictum, vel si donatum, aut venditum fuisset, docent ex Couarruuia Molina disputat. 74. Lessius citat. dub. 8. iuxta legem vltimam C. de sacrosanctis Ecclesijs.

Dixi vero (iure communi) quia ex peculiari
91 priuilegio quorundam ordinum, bona immobilia contra eos præscribi non possunt, nisi annis 60. vti Ordini S. Benedicti concessum est ab Eugenio IV. Congregationi S. Saluatoris à Iulio II. & nostræ Societati, alijsque eorundem priuilegia participantibus, ab alijs Pontificibus, vt habetur in compendio priuilegiorum mendicantium, & referunt Molina cit. disp. 72. & Lessius dub. 8.

Intelliguntur vero hic nomine bonorum imobiliũ, etiã iura & actiones ad bona imobilia; item beneficia, census, reditus, ius patronatus, vsusfructus, & seruitutes. In quibus tamen subinde quædam variant, vt dicemus.

IV. Beneficium non præscribitur sine titulo,
92 iuxta regulam 1. in sexto, ex communi apud Couarruuiam in regul. *possessor* par. 2. §. 10. n. 9. Azorium tom. 3. par. 1. c. 20. q. 4. Molinam disp. 70. & Lessium n. 34.

Cum titulo colorato, contra priorem possessorem, præscribitur beneficium decenio inter præsentes; vicennio inter absentes, ex communi apud eosdem.

Contra quemlibet impetitorem præscribit beneficium, & quoad titulum, & proprietatem, is qui pacifice id absq, Simoniaco ingressu triennium possedit: esto postea cognoscat collationem fuisse nullã, ex regula Cancellariæ Romanæ 33. & comuni apud Nauarrum l. 3. consilio 30. de præbendis. Azorium tom. 2. l. 7. c. 35. q. 8. Lessiũ. n. 35. Rebuffum apud eosdem, contra Couarruuiam par. 2. §. 10. n. 10. & Azorium tom. 3. par. 1. cap. 20 q. 4. loquendo de titulo.

Consentit nobiscum Sa, V. *Beneficium* numer. 14. qui ex declaratione congregationis Cardinalium addit, non teneri etiam ostendere titulum: idemque extendit ad malæ fidei possessorem; quod non probatur, ob dicta superius: facilius ad beneficiorum alioquin iure positiuo inhabiles extendi patiar, vt faciunt Rebuffus de pacifica possessione n. 106. & Azor tom. 2. q. 1. etsi repugnante Ludouico Gomez q. 2. & 15. in eandem regulam 1. 91

V. Ius patronatus in Ecclesia, quam constat fuisse liberam, à Laico nusquam præscribitur, ex communi, apud Couarruuiam in regul. *Possessor* 2. part. §. 10. Molinam disp. 75. Azorium tom. 3. lib. 1. cap. 20. quæst. 3. & Lessium c. 6 dub. 10. Ius enim illi resistit, de quo vide etiã Concilium Tridentinum sess. 25. c. 9. 94

Quod si dubium sit, an Ecclesia parochialis libera fuerit, præscribi poterit ius patronatus à Parochianis, annis quadraginta cum titulo; tempore immemoriali sine titulo, apud eosdem. Imo Lessius dub. 65. addit, etiam sine titulo aũis quadraginta præscribi.

In simili dubio, ius nominandi Rectorem, aut Prælatum, in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali, præscribitur à Laico contra Ecclesiam annis quadraginta cum titulo, aut tempore immemoriali absque titulo, iuxta Couarruuiam in reg. *Possessor* part. 2. §. 10. & Lessium n. 32.

In Ecclesia vero non libera, ius patronatus à
95 Laico contra patronum priuatum præscribitur, ad eum modũ, quo cætera bona imobilia, nempe cum titulo quidem colorato annis decem inter præsentes, inter absentes viginti: Sine titulo annis triginta ex communi apud Molinam d. 70. & & Lessium n. 33. etsi nonnihil varient Couarruuias loco citato n. 8. & Azor tom. 3. lib. 1. c. 23. q. 2.

VI. Ius exigendi decimas, à Laico non po-
96 test præscribi, post Concilium Lateranense sub Innocentio III. ex cap. *Quamuis*, & cap. *prohibemus*. de Decimis, & communi apud Couarruuiam lib. 1. variar. cap. 6. dub. 5. & Lessium dub. 5. Et nihilominus, si cuius Maiores à tempore immemoriali tale ius possedissent, præsumũtur id habuisse ante Concilium; nec opus est alia tituli probatione, vt ijdem notant.

Immunitas vero à soluendis decimis præscribi potest spatio quadraginta annorum cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo, iuxta Lessium ibidem, & fere Couarruuiam libro 1. variar. capit. 17. Valentiam loc. cit. Henriquez lib. 7. c. 2. num. 2. 97

VII. Actiones ac debita rerum tam immobilium, quam mobilium (licet hæc alias computentur inter res mobiles, iuxta Molinam disputatione 68.) contra creditores præscribuntur cum bona fide annis triginta, vel citius, ex l. *Sicut in res* 3. C. de præscriptione triginta & quadraginta annorum. Contra Ecclesiam (in actione decenali & longiori) nonnisi annis quadraginta, ex authentica, *Quas actiones*. C. de SS. Ecclesijs, & comuni apud Couarruuiam in Reg. *Possessor* §. 11. n. 4. Molinã d. 72. Lessium du. 11. Excipitur actio Hypothecaria, quã habet Creditor;

hæc

hæc enim, si res hypothecata possideatur à debitore, vel hæredibus eius, non extinguitur nisi annis quadraginta: Si vero res illa possideatur ab eo, qui non est debitor, nec hæres eius (vt si empta sit ab eo, qui ignorabat hypothecatam) extinguitur decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes, ex l. *Cum notissimi* C. de præscript. 30. annorum & l. 1. ac 2. C. si aduersus creditorem, apud Couarruuiam in regul. *possessor* 3. par. § 1. & Lessium loc. cit.

Inter actiones autem, quæ citius extinguuntur, est actio iniuriarum, quæ exspirat lapsu vnius anni; item actio ad accusandum adulterium pœnæ causa, perit lapsu quinquennij; ad alia crimina accusanda, annis viginti: saluo tamen iure iudicis ex officio procedentis, apud Lessium loc. cit.

98 VIII. Ius indicendi vectigalia, & similia, quæ Principis dignitati cõmuniter reseruantur, cum titulo præscribuntur annis quadraginta; sine titulo tempore immemoriali, ex communi apud Couarruuiam loc. cit. & Lessium dub. 12.

Eodem modo præscribi contra principem potest libertas, per quam quis desinat esse eius subditus.

Bona vero coronæ annexa, vt prata, saltus, vrbes, castra &c. contra principem non præscribuntur, nisi centum annis.

In his quæ princeps possidet tanquam priuatus, præscribitur contra eum, velut contra alterum priuatum: sicut & res patrimoniales Clericorum, etsi de his nonnulli aliter sentiant apud Azor tom. 3. lib. 1. cap. 22. q. 5.

Immunitas vero à censu & tributis principi debitis, in recognitionem supremæ potestatis, non potest præscribi. Secus est de indictionibus & collectis extraordinarijs; quæ omnia ex legibus, & communi sententia tradunt & fusius confirmant Molina tom. 1. tract. 2. disp. 73. & 74. & Lessius dub. 12.

99 IX. Actio fisci in bona commissa extinguitur quinquennio; nisi in casu perduellionis, ac similis criminis, ob quod rei iure non præscribunt, quamdiu puniri possunt.

Secus est de ijs, ad quos ea bona perueniunt; hi enim itidem præscribunt quinquennio; excepto casu hæresis, siue apostasiæ à fide: tunc enim, iuxta ius commune, quod in Imperio, quoad toleratas hæreses locũ non habet, successores nunquam præscribunt; nisi ignorauerint lapsum hæresis in antecessore, & quadraginta annis cum hac ignorantia rem possederint, iuxta cap. 2. de præscription.

Res autem fisci Ecclesiæ Romanæ præscribuntur annis centum, ex communi apud Molinam disp. 63. & 73. & Lessium dub. 11. & 12.

100 X. Vt etiam de extraordinaria præscriptione aliquid dicam; rem acceptam à possessore malæ fidei, seu qui mala fide tradidit, immediatum hæredem (eo quod fictione iuris defuncti personam repræsentet) nunquam præscribere, habet communis sententia apud Couarruuiam in regulam *possessor* part. 3. §. 9. Molinam disp. 65. & Lessium dub. 13

Nihilominus iure canonico, & in foro conscientiæ, præscribere annis triginta probabile est, iuxta Couarruuiam & Lessium ibidem, post Dinum, Bartolum, & alios. 101

Ab hæredibus mediatis (ex probabili etiam, qui *sui* vocantur, vt sunt filius & filia respectu patris; nepos & neptis respectu aui morientis, in cuius sunt potestate) vt & alijs, qui bona fide rem talem acceperint, alio quam hæreditatis titulo, v.g. legati, donati, empti, præscribitur tempore ordinario; nisi vel res sit immobilis, & is, contra quem præscribitur, ignoret, eam ab alio possideri, aut res sit furtiua, vel vi possessa; tunc enim requiruntur anni triginta, ex communi, iuxta l. An *vitium*, ff. de diuersis temporalibus præscript. & §. *Furtiuæ* Instit. de vsucap. apud citatos, & Sa verbo *Præscriptio*, & Azorium tom. 3. lib. 1. cap. 20. q. 8. licet aliter Sotus lib. 4. de Iustitia q. 5. a. 4.

Vnde quamuis res furtiuæ, res vi possessæ, & res fisci dicantur non posse vsucapi, possunt tamen extraordinaria præscriptione; hæ quadraginta, illæ triginta annis. 102

Simili modo ea, quorum alienatio est prohibita, vt fundus dotalis, maioratus, legatum, fidei commissum possunt quidem præscribi tempore ordinario ab eo, qui bona fide illa possidebat, & iam vsucapionem inchoauerat, antequam illa bona contraherent hæc onera, siue obligationes reales. Vbi vero iam contraxerunt, non potest inchoari præscriptio ordinaria ab eo, qui hæc accepit ab authore malæ fidei (secus de eo, qui accepit à tertio) bene tamẽ tricenaria; apud Lessium n. 39. & 48.

Quæritur quarto; Quosnam habeat effectus legitima præscriptio. Respondeo. Effectus legitimæ præscriptionis est, quod per eam etiam in foro conscientiæ transferatur dominium, adeoque à restitutione excuset; etiamsi postea res cognoscatur fuisse aliena, nec vlla negligentia prioris domini intercesserit, vt habet communis Theologorum, ac Iuristarum sententia, apud Valentiam q. 6. pun. 5. Molinam tom. 1. disp. 61. & colligitur ex citatis canonibus & legibus; quicquid in cõtrarium dixerint Scotus, Gabriel, Rosella, Adrianus, Ioannes Medina, apud Molinam loc. cit. & Lessium lib. 2. c. 6. dub. 17. qui contra eosdem recte negant, leges de præscriptione niti solum, aut potissimum præsumptione negligentiæ, vt patet l. 1. ff. de vsucap. Ratio sumitur ex dictis dub. præced. de modo transferendi dominium per publicam authoritatem. 103

Aduertendum tamen, quibusdam etiam post completam præscriptionem, authoritate Iudicis interueniente, dari restitutionem in integrum; nempe primo minoribus, hoc est, qui nondum expleuerunt 25. annos. 104

Secundo pijs locis & Ecclesijs (gaudent enim priuilegio Minorum) etiamsi præscriptio sit quadraginta annorum, iuxta cap. 1. & 2. de restitutione in integrum in sexto, & iuxta glossam & Doctores in authenticam, *Quas actiones*, C. de Sacrosanctis Ecclesijs, ex communi apud Panormitanum in c. 1. & cap. *Auditis*, de præscriptio-

nibus, & Couarruuiam ad regulam *Possessor* part. 1. §. 3. n. 3. & Lessium cap. 6. dub. 18. licet aliter sentiat glossa in cap. *Auditis*, de restitutione in integrum.

105 Tertio, gaudent etiam eodem priuilegio, Respublicæ, ciuitates & communitates, apud Azorium tom. 3. cap. 22. quæst. 3. ex probabili; quæ tamen haud scio, an sint vsu recepta. Conceditur vero eis hoc ius per quatuor annos, à completa & cognita ab eis præscriptione, ex citatis canonibus, & l. finali C. de tempore in integrum restitutionis.

106 In præscriptione itidem decem, & viginti annorum, (non vlteriori,) restitutio in integrum, iuxta communem, intra præscriptum quadriennium, conceditur etiam maioribus, ex causa iustæ ignorantiæ, quod res ab alio possideretur, vel impotentiæ reclamandi; quam tamen causam ipsi probare debent, iuxta Couarruuiam, & Lessium locis cit.

DVBIVM VII.

De Iure, prout est obiectum Iustitiæ, eiusq; varijs diuisionibus.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 77. aa. 4.

107 EGimus hactenus de Iure, prout significat cõpetentiã ad rem aliquam: nunc de iure agendũ est, quatenus est obiectũ Iustitiæ, idemq; significat quod *Iustum*. Cuius propria ratio vt intelligatur, aduertendum est, varias esse diuisiones Iuris, prout iustum late acceptum significat. Primo enim sicut ipsum nomen iustitiæ late quandoque accipitur, pro cuiusque virtutis actu, vt q. 2. dub. 1. dicitur; ita etiam ius siue iustum late quandoq; accipitur pro cuiuslibet virtutis debito.

Quo sensu *ius* aliud dicitur *morale*, aliud *legale*, hoc ad iustitiam, & quasdam virtutes ei annexas, puta religionem, pietatem, obseruantiam, &c. spectat: iustum autem morale tum ad charitatem, temperantiam, fortitudinem, ijsdemque adiunctas, tum etiam ad virtutes quasdam iustitiæ annexas pertinet; vt habetur apud S. Thomam q. 80. a. 1. estque hæc diuisio admodum recepta; quamuis nonnulli debitum legale hoc etiam sensu vocent *legitimum*, in quibus Molina hic disp. 7.

Nec vero hæc diuisio eadem est cum illa, quam habet Aristoteles 5. Ethic. 7. & lib. 8. cap. 13. vbi *ius* aliud facit *legale positiuum*, aliud *naturale*, seu non scriptum, vt in eum etiam locum recte notat S. Thomas; quandoquidem potest quiddam debitum esse iure naturali non scripto, quod tamen iuxta præsentem phrasin, morale debitum non sit, sed legale, vt inferius patebit.

108 Quare circa hanc diuisionem Notandum I. Quo modo debitum seu iustum morale à legali differat, non ita facile explicari. S. Thomas citat. q. 80. a. 1. vbi de hac re ex instituto agit, docet debitum legale esse, ad quod reddendum aliquis *lege* astringitur: debitum autem morale, quod aliquis debet *ex honestate virtutis*, siue id necessarium sit ad virtutis honestatem simpliciter, quale debitum cerni ait, in veritate, gratia, iustitia vindicatiua; siue ad bene esse; quale iuxta eundem cernitur in liberalitate, affabilitate, siue amicitia.

Idem S. Thomas quæst. 106. a. 4. ad 1. 'Debitum, inquit, *legale statim soluendum, alioquin non esset conseruata iustitiæ æqualitas, si vnus retineret rem alterius absque eius voluntate; sed debitum morale dependet ex honestate debentis.* Et quæst. 118. art. 3. ad 2. ait, *debitum legale esse, vt homo nec accipiat, nec retineat alienum; debitum autem morale attendi secundum regulam rationis.*

Quam doctrinam admodum laudans, & exponere volens Couarruuias in cap. *Cum in officijs* n. 10. & in cap. *Cum esses* num. 9. de testament. & in cap. *Quamuis factum* part. 2. §. 4. num. 9. ait, ius seu debitum morale esse illud, quod consurgit ex honestate, seu quod ad honestam quandam obseruationem pertinet: debitum autem legale, quod oritur ex vi legis ac iuris naturalis. Sed cum ex sententia S. Thomæ etiam debitum quoddam morale iure naturali debitum sit, vt supra vidimus, idcirco Couarruuias aut mentem S. Thomæ assecutus non est, aut eam non satis declarauit. 109

Quidam putant, se hanc diuisionem iuris satis explicasse dicendo, ius seu debitum legale esse id, quod ex obligatione iustitiæ præstandum sit; debitum autem morale, quod ex obligatione aliarum virtutum. Sed nec isti satisfaciunt; cum enim ex sententia Aristotelis, & S. Thomæ locis citatis, iustum sit obiectum iustitiæ, eaque adeo ordine cognitionis prius, necesse est, hanc per illud, non per istam illud explicari. Accedit quod debitum legale hoc sensu non est solius iustitiæ, sed etiam quarundam virtutum annexarũ iustitiæ, vt supra ex S. Thoma retuli. 110

Notandum proinde II. Accomodate ad mentem S. Thomæ dici posse, debitum legale esse id, quod fundatur in aliqua directa potestate, actione, vel iure, quod quis habet ad rem possidendam vel acquirendam, propter æqualitatẽ quandam constituendam inter se & alium: debitum autem morale, quod proprie non fundatur in tali aliqua potestate, sed solum in honestate operantis, seu debita quadam rectitudine & ordine, quẽ operãs in suis actionibus seruare debet, ne quicquam vitiose aut distorte agat; ideo videlicet debitum, non quia alter per se ac proprie ius ad eam rem habeat, sed præcise quia ipsemet operans alias ab honestatis semita recedet, aut certe non ita conuenienter illi operabitur. 111

Atq; hæc ipsa etiã est mens S. Thomæ cit. q. 80. a. 1. cum dixit, debitũ morale deberi ex honestate virtutis: debitũ autẽ legale soluẽdũ, vi legis; nẽpe quia leges & iura potissimum circa debitum iustitiæ versantur.

Prioris autẽ generis debitũ est etiã eleemosynæ: quanquã in casu extremæ necessitatis, aut cũ quis habet supflua, id etiã aliquo modo cẽseatur *legale* à S. Thoma q. 118. a. 4. ad 2. & Caietano ibidem, sed non propriè.

Secundo diuiditur ius seu iustum *legale* in *ius simpliciter*, quod etiam *politicum* vocatur; 112

& in

& in *ius secundum quid*, ex Aristotele 5. Ethic. 6. & S. Thoma hic quæst. 57. artic. 4. & infra quæstione 80. art. 1. Ius seu iustum simpliciter, quod etiam est obiectum proprium & adæquatum iustitiæ, prout propria ac specialis virtus est, etsi nõ infimæ speciei (vt dicetur) tres cũditiones requirit ex S. Thoma, & Aristotele loc. cit. I. vt sit simpliciter debitum, adeoq; habeat simpliciter rationem debiti legalis. II. Vt constituat æqualitatem simpliciter. III. Vt sit simpliciter ad alterum; quæ quidem alteritas, non tam consistit in physica distinctione suppositorum (hæc enim per se nec sufficit, nec vniuersim etiam requiritur, vt inferius patebit) quam in distinctione voluntatum adeoque iurium seu dominiorum, qualis cernitur etiam in Christo secundum humanam naturam, comparato ad Deum, adeoque etiam ad seipsum, qua Deus est.

113 Ius autem legale secundum quid, est in quo deficit aliqua ex duabus posterioribus conditionibus; quod proinde etiam non est obiectũ iustitiæ simpliciter, sed tantum Iustitiæ secundum quid. Qualis iustitia ex Aristotele 5. Eth. 6. & S. Thoma hic q. 57. a. 4. cernitur. 1. inter dominũ & seruum, cuius obiectũ vocatur ius herile seu dominatiuũ. 2. inter patrem & filium, cuius obiectum est ius paternum. 3. ius œconomicum, inter virum & vxorem, iuxta Aristotelem loc. cit. & 1. politicorum 3. & 8. & lib. 2. oeconom. c. 1. & S. Thomam cit. a. 4. vbi tamen addit, inter virum & vxorem plus esse de ratione iusti, quam inter patrem & filium, dominum & seruum.

114 Quod ita intellige; nam quoad regimẽ domus, & ius mutuũ ad peculiarẽ dilectionẽ, & alia charitatis officia, quæ coniuges sibi mutuo, qua tales, præstare debent: item quoad ius viri ad gubernãdam vxorem, & ius vxoris accipiendi ab eo congruam gubernationem, est ius tantum secundum quid, vt præter Valentiã hic q. 1. p. 2. recte docent Aragonius & Bannes q. 57. a. 4. non enim vt sic est inter eos perfecta æqualitas, cum plus sit recte regere, quam regenti parere.

At vero quoad debitum coniugale, & fidem matrimonij; adde etiam quoad dotis legitimum vsum & administrationẽ, & similia, videtur inter eos esse ius & iustitia simpliciter, vt post Sotum l. 3. de Iust. q. 2 a. 2. docent etiã Bannes & Aragonius, tum quia quoad hoc coniuges vtrinq; sunt
115 æquales iuxta 1. Cor. 7. tum quia adulterium aduersatur etiam iustitiæ ex cõmuni. Accedit quod maior est coniunctio instrumenti cũ primo agente, & partis cum toto, quã duorũ agentiũ principaliũ, & æquali inter se iure contrahentium, in ordine ad rectã prolis generationẽ; quicquid nonnulli cõtra S. Thomã dixerint. Eodemq; sensu intelligi potest illud Aristotelis 5. Eth. c. 6. *magis erga vxorẽ, quã liberos & possessiones* (siue seruos) *ius esse*.

4. Tale ius est etiam inter Deum & homines secundum se spectatos, iuxta Aristotelem 8. Ethic. 14. & lib. 9. cap. 1. & S. Thomam q. 57. a. 4. ad 3. & communem, etsi nec S. Thomas hic a. 4. nec Aristoteles 5. Eth. 6. vbi hanc rem pertractant, eius mentionem fecerint; nempe quia de iure & iustitia inter homines tantum agere voluerunt.

5. Huc etiam referri potest ius obseruantiæ 116
erga præceptores & personas virtute excellentes, iuxta Aristotelem 8. Ethic. 14. & lib. 9. cap. 1.

Ratio horum omnium est; quia in his omnibus deficit perfecta æqualitas; & partim etiam alteritas. Nam & seruus est quasi instrumentum domini, & quicquid acquirit, domino acquirit; nec iuxta leges ciuiles vllius rei perfectum dominium habet: & filius velut pars quędam est patris; nec per se ius ab eo omnino independens habet; homines vero ad Deum se habent, vt serui ad dominum, vt filij ad patrem, vt res possessa ad possessorem. Nec Dijs, parentibus, & præceptorib9 reddi posse æquiualens censuit Aristoteles citat. Ethic. libro 8. & 9. Qui etiam 4. Ethic. 3. recte dixit, *integræ & absolutæ virtuti nullum honorem tribui dignum posse*.

Neque vero prædicta iura ideo tantum secun- 117
dum quid talia dicuntur, quod sint minus perfecta, vt putat Salon, Aragonius, Bannes hic q. 57. art. 4. post Sotum lib. 3. q. 2. a. 2. sed quia reuera etiam non sunt iusta politica simpliciter & proprie dicta, vt colligitur ex Aristotele, & S. Thoma, & recte cum Caietano docet Valentia hic q. 1. pu. 2. Tum quia id quod est essentialiter tale, non dici solet secundum quid tale, sed simpliciter; etsi sit quiddam in eo genere imperfectum. Tum quia vti ex parte etiam agnoscit Bannes loc. cit. iura illa sunt obiecta virtutum à iustitia distinctarum, vt primum illud fidelitatis; & obedientiæ; secundũ pietatis; quartum religionis, quintum obseruantiæ. Pro tertio videtur quidem etiam Aristoteles constituere peculiarem virtutem, quam vocat iustitiam œconomicam, quod sequitur etiam Valentia q. 2. pu. 2. probabile tamen est, ad illa coniugum officia sufficere communes illas virtutes, charitatem, obedientiam, obseruantiam.

Ex diuersitate autem aliarum personarum, 118
possunt quidem alia varia iura distingui, vt ius militare, ius magistratuum, ius sacerdotum &c. sed hæc omnia sunt iura & iusta simpliciter, vt recte docet S. Thomas hic quæstio. 57. cit. art. 4. An vero & qua ratione subinde etiam inter seruum & dominum, patrem & filium, Deum & hominem possit esse simpliciter perfecta iustitia, commodius dicetur quæst. seq.

Tertio ius politicum, seu iustum simpliciter 119
ab Aristotele 5. Ethic. cap. 1. & 2. diuiditur primo in legitimum & æquum; seu quod idem est, in commune, & particulare. *Legitimum* seu commune est, quod debetur ipsi communitati, siue Republicæ à partibus communitatis, eo ipso præcise, quod partes sunt; & constituit hoc iustũ primã speciem iustitiæ, quæ vocatur *legalis*, de qua quæstione sequenti. Iustum *particulare* est, per quod ipsæ inter se partes Reipublicæ, seu duæ Reipublicæ diuersæ (nam & tunc quælibet se habet vt pars) exæquantur: seu quod idem est, quo æqualitas constituitur inter ipsas partes Reipublicæ.

Hoc autem ius particulare, iuxta Aristotelem 120
citat. Ethic. 5. cap. 2. rursum duplex est; aliud enim facit & constituit inter ciues seu partes communitatis æqualitatem arithmeticam; quo

modo æquales inter se sunt numeri eiusdem speciei, vt quinque & quinque. Aliud autem inter eosdem constituit æqualitatem solum geometricam seu proportionalitatis; qualis est inter duas proportiones æquales, v. g. duplum & duplum, triplum & triplum; secundum quam proportionem ita se habent duo ad quatuor, sicut se habent quatuor ad octo; quia vtrobique est proportio dupla; & rursus sicut se habent duo ad sex, ita tria ad nouem, quia est proportio tripla. Ius priori modo est obiectum iustitiæ commutatiuæ: posteriori distributiuæ, versantis scilicet circa bona communia distribuenda partibus communitatis, vt magis patebit quæst. seq.

121 Atque hinc est, quod aliqui dixerunt, ius seu iustum simpliciter, adeoque ipsam etiam iustitiam, esset triplicem, pro triplici habitudine æqualitatis, quæ cernitur in aliqua communitate seu Republica. Prima, est habitudo partis ad partem, quæ constituit iustitiam commutatiuam, cuius Aristoteles citat. 5. Ethic. cap. 2. rursum duas partes quasi materiales constituit, vnam versantem circa commercia spontanea; alteram versantem circa emendanda commercia inuoluntaria, vt dicetur quæst. seq. 122 Secunda est habitudo totius ad partes, quæ constituit iustitiam distributiuam, versantem, vt dictum, circa bona communia partibus communitatibus diuidenda; quanquã Aristoteles in hac ipsa quoque considerauit æqualitatem partium inter se, quæ ex iusta illa distributione oritur. Tertia est habitudo partium ad totum, quæ constituit iustitiam legalem. Atque hęc est prima diuisio iusti politici quasi essentialis.

123 Secundo diuiditur iustum politicum ex diuersitate ipsius legis, qua aliquid iustum seu æquale est, in ius seu *iustum naturale*, & *legitimum*, seu *positiuum* ex Aristotele 5. Ethic. 7. & S. Thoma hic quæst. 57. art. 2. Iustum naturale vocatur, quod alteri æquale seu commensuratum est ex ipsa rei natura, vt cum aliquis in eadem rei specie, cæteris partibus, dat centum, vt totidem recipiat. Quod proinde iustum Aristoteles dixit apud omnes idem & immutabile esse, nisi forte conditio alterius, cui id debitum est, immutetur, vt notat Sanctus Thomas ad 1. Apud omnes enim iustum est, vt cæteris paribus, centum recipiantur pro centum, in eadem rei specie. Quod proinde iustum vlla institutione, seu lege, vel conuentione humana non indiget.

124 Legitimum vero ius est, quod est adæquatum & commensuratum alteri, ex peculiari constitutione seu condicto; seu publico, qualis est lex publici Magistratus; seu priuato, qualis est specialis & priuata contrahentium conuentio. Et tale iustum est inter mercem & precium publica auctoritate taxatum. Prioris quidem generis, quando merx ipsa quoque communi lege taxata est; posterioris autem, cum ipsa primum conuentione mutua pretium constituitur. Vnde etiam Aristoteles loc. citat. dixit, ius positiuum seu legitimum esse, quod quidem *à principio, vtrum hoc vel illo modo fiat, nihil refert; vbi vero fuerit institutum, refert.*

Atque iuxta hanc receptam Aristotelis diuisionem, ne ius, seu iustum diuinum, hoc 125
est, diuina lege definitum excludatur, reuocandum id erit partim ad ius naturale, partim adpositiuum seu legitimum, vt notat Sanctus Thomas cit. quæst. 57. art. 2. quandoquidem etiam ipsa lex diuina alia naturalis est, alia positiua. Et iustum diuinum positiuum cernitur in multis iudicijs, & contractibus veteris testamenti diuinitus præscriptis & ordinatis; quanquam eæ leges nunc sint abolitæ, vt suo loco de legibus dictum. tom. 2. disp. 5. q. 3. dub. 2. &4.

Jus vero gentium (de quo aliter loquuntur 126
Theologi, aliter Iurisconsulti, vt videre est §. *Singulorum*, Instit. de rerum diuisione; & inter ipsos Theologos & Iurisconsultos non omnes eodem loquuntur modo, imo nec ipse etiam S. Thomas satis sibi constat, vt notat Aragonius hic q. 57. a. 3.) absolute, & ex vsu Theologorũ magis recepto, reuocandum est ad ius positiuum seu legitimum, vti pluribus docuimus tom. 2. disp. 5. q. 1. dub. 2. à num. 25.

Vnde iuxta eam Aristotelis diuisionem, vni- 127
uersim diuidi potest ius in naturale & positiuum: positiuum rursum in diuinum & humanum: hoc in ius gentium, ciuile, & canonicum.

Potest etiam iuxta Sotum lib. 3. de iustitia q. 1. a. 2. Salonem, & alios hic q. 57. Ius seu pro iusto, seu pro lege acceptum diuidi primum in diuinum & humanum; hoc rursum in ius Gentium, Ciuile, & Canonicum: Diuinum autem in naturale & positiuum; quæ diuisiones ex materia de legibus intelliguntur, & à nobis explicatæ sunt cit. tom. 2. disp. 5. q. 1. dub. 2.

Tertio potest etiam iustum, seu debitum, quod 128
ex Aristotele *Politicum* dixi, diuidi in ordine ad forum externum, diuisione Iuristis admodum familiari, vt aliud sit *debitum naturale*, quod videlicet naturalem tantum obligationem continet; talem nempe, quæ præciso omni iure positiuo, oritur ex ipsa natura actus, & à iure positiuo superueniente non irritatur, etiamsi pro eo in foro externo non detur actio, vt explicat Lessius lib. 2. cap. 19. n. 13. Aliud *ciuile* (stricte loquendo;) ad quod nempe exigendum etiam ciuilis actio datur, ex l. *Cum illud* §. *hæres.* ff. Quando dies legati cedat. l. *Si cui pupilli*, ff. Ad Trebellianum. l. 1. §. vlt. ff. de nouationibus. Hæc de Iure.

QVÆSTIO II.

De Iustitia, eiusque varijs speciebus.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 58. & 61.

ABsoluetur hæc quæstio quinque dubitationibus. I. Quid, & quotuplex sit iustitia in genere. II. Quid, & quotuplex sit iustitia legalis. III. Quid sit, & circa quam materiã versetur iustitia particularis. IV. De diuisione iustitiæ particularis in commutatiuam & distributiuam. V. An iustitia vindicatiua, vel œconomica, sint distinctæ species iustitiæ.

DVBIVM I.

Quid, quotuplex, & in quo subiecto tum propinquo, tum remoto, sit iustitia in genere.

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 58. a. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

1 IVstitia tribus potissimum modis accipi solet, primo generatim pro omni virtute, seu virtutis actu, quo bene ac honeste viuimus: Secundo speciatim pro habitu gratiæ sanctificantis, quo coram Deo iusti sumus. Sed neutra acceptio ad propositum pertinet: & de his actum est tomo 2. disp. 6. quæst. 5. Tertio accipitur pro peculiari virtute recte hominem ordinante ad alterum; & hæc ad propositum pertinet; de qua

2 Quæritur primo, quid sit, seu quomodo definiatur. Respondetur. Iustitia, prout ab alijs virtutibus distinguitur, definitur ex Vlpiano ff. de iustitia & iure l. 10. & Institut. eod. tit. apud Sanctum Thomam hic artic. 1. *Perpetua & constans voluntas ius suum cuiq; tribuendi.* Clarius dici potest, virtus in voluntate sita, suum cuique ius tribuens.

3 Quod sit virtus, docet Aristoteles 5. Ethic. 1. & patet ex definitione virtutis ab eodem tradita 2. Ethic. 6. quia *habentem, eiusque opus bonum reddit*, vt probat etiam S. Thomas q. 58. art. 3. & est extra controuersiam. Quod sit in voluntate sita, tradit ex communi & certa idem S. Thomas a. 4. & patet ex eius actu præcipuo, & immediate elicito, adeoque interno, qui est, velle ius suum cuique reddere.

Actus vero eiusdem secundario elicitus, seu per se ac primario imperatus, adeoque externus, est ipsa actualis redditio iuris, quæ fit per alias potentias, ac potissimum per membra externa. Ad quem actum internus ille se habet tum per modũ vsus, tum electionis, aut etiam intentionis. Simile quiddam dictum est supra de fide quæst. 7. dub. 1. Vide etiam S. Thomam quæst. 81. a. 4. ad 2. & Caietanum ibidem.

4 Quod autem Buridanus 1. Ethic. q. vlt. & 5. Eth. q. 1. apud Valentiam hic q. 2. pun. 4. iustitiam etiã in appetitu sensitiuo collocat, contra cõmunem & per se absurdum est; quia sensus non potest attingere rationem propriam obiecti iustitiæ, quæ est æqualitas ad alterum, vt recte docet S. Thomas cit. q. 81. a. 4. & pluribus refutatum tom. 2. disp. 3. q. 3. dub. 3. & q. 4. dub. 3. n. 33.

Denique voce illa *Cuique*, innuitur, iustitiam semper esse ad alterum, vt quæst. præced. dub. 7. dictum est ex Aristotele, & docet Sanctus Thomas hîc quæst. 58. a. 2. siue alter ille iam actu existat, siue suo primum tempore extiturus sit, iuxta S. Thomam ibidem a. 3. Et quamuis S. Thomas eodem articulo requirat ad hanc alteritatem distinctionem suppositorum, illud tamen, vt recte notat Bannes ibidem, & dictum q. 1. dub. 7. n. 112. solum intelligendum est de iustitia inter homines, & secundum ordinem consuetum naturæ, vt excipiatur Christus, de quo infra.

Vnde colligitur, inter diuersas potentias eiusdem hominis non esse iustitiam proprie, sed solum improprie, vt inter rationem & appetitum, si videlicet, vt par est, hic pareat, ille dominetur. Et sic de alijs potentijs, si cuique ab altera tribuatur, quod ei conuenit; sunt enim hæc quasi diuersa, etsi non habentia sufficiens fundamentum distincti iuris & dominij, ex dictis quæst. præcedent. dub. 7. à num. 112. Vnde etiam Aristoteles 5. Ethic. cap. vlt. eam iustitiam appellat *secundum metaphoram.* 5

Quæritur secundo, Quotuplex sit iustitia in genere. Respondetur. Iustitia continens debitum legale, late loquendo, alia est simpliciter dicta, alia secundum quid, ex dictis quæst. præcedent. dub. 7. num. 112. Iustitia proprie & simpliciter dicta, prout à nobis hic tractatur, alia est legalis seu vniuersalis; alia particularis, de quibus singulis plura inferius: hæc rursum vel est commutatiua, vel distributiua ex dictis quæst. præcedent. dub. 7. à num. 119. & iuxta Sanctum Thomam hic quæst. 55. artic. 5. 6. & 7. 6

Quæritur tertio, In quo subiecto sit iustitia. Respondetur. De subiecto propinquo, constat esse in voluntate, iuxta S. Thomam. q. 58. art. 4. 7

& communem ex dictis n. 4. Nec dubium, quod ad subiectum remotum attinet, esse posse inter omnes eos, inter quos est iustum simpliciter, iuxta dicta q. 1. dub. 7. n. 112.

Illud solum hic explicandum restat, quod in hunc locum reiecimus, an inter illas personas, inter quas diximus esse tantum iustum, seu iustitiam secundum quid, possit tamen aliqua ratione esse iustum & iustitia simpliciter.

8 Breuiter dico, suppositis ijs, quæ alibi fusius à me tractantur. I. Inter Deum & hominem purum non posse esse ius & iustitiam, secundum omnem suam perfectionem & rigorem, vt habet cõmunis: quia omne ius hominis ad Deum fundatur in gratia & liberali acceptatione Dei; nec potest vnquam homo reddere Deo æquiualens, vt diximus fusius tomo 2. disp. 6. q. 1. dub. 1.

II. Inter Deum & hominem peccatorem, aut in puris naturalibus constitutum, de facto quidem (quicquid sit de absoluta Dei potẽtia) nullum ex parte hominis, esse Ius simpliciter dictũ erga Deum; ita vt talis homo habeat verum & proprie dictum ius iustitiæ ad Deum; quamuis etiam in eo statu & iustitiam commutatiuam erga Deum violare; & imperfecte vtcunque exequi possit munus iustitiæ erga Deum, quo obligamur ad eius offensam vitandam, ex dictis in materia de peccatis q. 10. dub. 1. & de gratia q. 1. dub. 1. & de Incarnatione q. 2. dub. 10. & infra de pœnit. q. 2. dub. 3.

9 III. Inter Deum & hominem pie operantem, adeoq; promerentem vitam æternam, esse iustũ verum & proprie dictum, adeoq; simpliciter tale, si vox ista opponaur tantum ei, quod est improprie tale: secus, si, vt noñunquam fieri solet, opponatur etiã ei, quod imperfecte est tale, quicquid Bañes hic q. 57. a. 4. ad 2. dixerit, Deũ nullo modo obligari ex iustitia cõmutatiua respectu creaturarum; quia nullo modo sit debitor. De qua re plura de gratia q. 6. dub. 1.

IV. Esse proinde in Deo iustitiam proprie dictam, tum distributiuam, tum commutatiuam, per quam bona opera iustorum compensentur, etsi hoc multi negent, vt docui tomo 1. disp. 2. q. 10. dub. 2. & tom. 2. disp. 6. q. 6. du. 1. & tom. 4. disp. 1. q. 2. dub. 7. vbi etiam contraria argumenta dissolui.

10 V. Inter Patrem æternum & Filium in diuinis, non esse iustitiam simpliciter, vt recte docent Bannes & Salon hic q. 57. a. 4. quia deest ratio debiti, & alteritatis, ad iustitiã simpliciter requisita, ex dictis quæst. præc. dub. 7. Eadem enim vtriusque voluntas est, idemque dominium.

VI. Inter Christum tamen vt hominẽ, & Deum, adeoq; seipsum, vt Deus est, esse iustitiam simpliciter, ob distinctionem voluntatum & dominiorum, vt recte etiam docet Bannes ibidem & clarius Suarez tom. 1. disp. 4. sect. 6. & fusius declaratum in 3. parte disp. 1. q. 2. dub. 6. & 7.

11 VII. Inter virum & vxorem non modo secundum alia quædam officia, sed etiam ex parte secundum ea, quæ sibi mutuo debent, qua tales, esse iustitiam simpliciter, ex dictis quæst. præced. dub. 7. n. 114.

VIII. Inter patrem & filium, inter dominum & seruum, posse itidem esse iustitiam simpliciter; secundum ea videlicet, quæ sibi mutuo debent, non qua tales sunt, sed quatenus singuli peculiare ac proprium peculiũ, siue dominium habent, aut habere possunt. Ita Sotus l. 3. de iustitia q. 1. a. 4. Buridanus l. 5. Eth. q. 18. Molina disp. 17. Bannes, Aragonius q. 57. art. 4. Suarez loc. cit. Lessius l. 2. c. 4. dub. 3. Vasquez 1. part. disp. 85. c. 5. & colligitur ex Aristotele 1. Magn. Moral. c. 33. & 5. Eth. 6. & S. Thoma ibidem lectione 12. vbi solum asserunt, non esse iustum simpliciter inter patrem & filium, quamdiu paruulus, *& nõ separatus* est: idq; non obscure significatur ab eodem S. Thoma hic q. 57. a. 4. etsi aliter sentiant Caietanus & Valentia ibidem. 12

Declaratur. Quia constat, filium habere posse peculiare quoddam peculium bonorum etiam externorum; seruus quoque, etsi per se & communi iure, tale peculium non habeat; potest tamen habere ex dictis quæst. præced dub. 4. 13

Neque vero secundum hæc filius se habet vt pars ad totum; nec seruus velut instrumentum ad principale agens; sed vt pars quædam independens eiusdem generis. &c. Nec dubium, si vel filius parenti furetur, vel seruus domino; aut è contra etiã parens filio, aut dominus seruo suum peculium adimat, vtrosque veram iniustitiam committere: vt taceam de alijs iniurijs corporalibus, quas sibi mutuo irrogare possunt.

Vt autem rectius cognoscatur, quonam modo iustitia seu iniustitia inter patrem & filium esse possit, notandum quatuor esse bonorum genera, quæ filio obtingere possunt, vt tradunt Doctores, §. *Igitur*, Instit. Per quas personas nobis acquiritur. Primum continet bona *castrensia*, quæ ratione militiæ filio obtigerunt. 14

Secundum; *quasi Castrensia*, quæ filius acquisiuit ratione beneficij Ecclesiastici, aut officij publici, non mechanici; seu ratione professionis artis cuiusdam liberalis; aut ex liberalitate principis; aut quicquid expresse datur filio, vt sit quasi castrense. Et denique quicquid ab eo acquiritur post clericatum, etiamsi alias esset aduentitium, ex authentica, *Presbyteros* C. de Episcopis & Clericis.

Tertium genus est bonorum *aduentitiorũ*; quæ cum nec castrensia sint, nec quasi; à parente non proueniunt, nec eius causa, vel intuitu principaliter sunt data.

Quartum genus est *Profectitiorum*, quæ vel à parente viuo, aut principaliter ac proxime eius causa sunt data.

Ex his, bonorum castrensiũ, & quasi castrensium proprietas simul, & vsusfructus, ipsaq; etiã administratio spectat ad filiũ; qui proinde de his potest disponere, tanquam paterfamilias per donationem, vel contractus; imo etiam per testamentum, si tamen sit pubes, hoc est, 14. annos compleuerit, alias enim testari nequit. 15

Peculij aduentitij, filius est dominus quidem direct9 seu ꝓprietarius, tamẽ vsũfructũ nõ habet.

Bonorum profectitiorũ nullo modo habet dominium; quia dominium directum & vtile est

apud

apud parentes. Ita ex communi docent Syluester V. *Peculium*, Nauarrus c.17. Manual. n. 142. Lessius lib. 2. ca. 4. dub. 3.

16 Ex his colligi etiam potest discrimen inter filium, quamdiu paruulus est, & postquam ad vsum rationis peruenit, iuxta Aristotelem, & S. Thomam locis citatis; quia ille aut bona *Castrensia*, vel *Quasi* non habet; aut si habet, tamen de ijs erga parentem disponere non potest; quocirca etiam nullum actum iustitię erga eum exercere potest.

At vero postquam ad vsum rationis peruenit, si *Castrensia*, vel *Quasi* habet, ac præsertim si pubes ipse effectus est, potest de ijs libere disponere etiam erga parentes; cum etiam donationes liberorum erga parentes de *Castrensibus*, vel *Quasi*, sint validæ apud Lessium lib. 2. cap. 18. num. 40. Magis differt emancipatus, qui etiam aliorum bonorum dominium & liberam dispositionem habet.

17 Dici tamen etiam potest, Aristotelem, & ex eo S. Thomam per filium paruulum, seu non separatum, intellexisse non emancipatum, vt etiam declarat cum Soto lib. 3. de Iust. q. 1. a. vlt. Vasquez cit. disp. 85. cap. 5. eo quod Aristotelis tempore, iure Athenienſium, non esset vsu receptum, vt filius necdum emancipatus aliquorum bonorum haberet dominium. Quod postea primum iure Romano fuit introductum.

Vnde tanto magis mirum, nihilominus Vasquium ibidem cum Soto defendere, non esse etiamnum iustitiam simpliciter inter patrem & filium nisi emancipatum. Cuius contrarium recte docuit Molina loc. cit. & patet ex dictis.

DVBIVM II.

Quid, & quotuplex sit Iustitia legalis.

S. Thomas 2. 2. q. 58. a. 5. & 6.

18 TRia potissimum in quæstionem vocantur. I. An reuera iustitia legalis quoad essentiam sit virtus specialis. Negat Buridanus 5. Ethic. q. 4. item Eustrathius & Gerardus apud eundem.

Sed communis, vera, & certa sententia est, esse specialem & distinctam virtutem, vt docent S. Thomas hic q. 58. a. 6. Salon, Bannes, Aragonius ibidem & Valentia q. 2. pun. 2. Et probatur ex Aristotele 5. Ethic. 1. vbi iustitiam legalem tanquam specialem virtutem alijs virtutibus confert, ijsdemque anteponit. *Atque hæc quidem*, inquit, *iustitia virtus perfecta est, non absolute tamen, sed ad alterum; vt propterea sæpe iustitia virtutum præstantissima esse videatur, & neq; Hesperus, neq; Lucifer sit adeo admirabilis.* Et infra. *Iustitia*, inquit, *sola ex omnibus virtutibus esse alienum bonum videtur &c.*

Ratio est; quia habet obiectum, & actum bonum, à cæteris omnibus distinctum, vt recte S. Thomas loc. cit. videlicet, velle commune bonum ex lege à qualibet communitatis parte debitum procurare; nec ei quicquam aduersum committere.

Et quanquam etiam aliæ virtutes subinde commune bonum spectent, id tamen aut non faciunt, attendendo hac in re rationem debiti legalis, vt charitas &c. aut non faciunt per se, sed ex motione iustitiæ legalis, velut superioris virtutis. 19

Qua de causa etiã ab Aristotele vocatur communis virtus, & vniuersalis iustitia, nempe causaliter, seu ex parte materiæ; quia versatur in omni materia virtutum, eis imperando, vt explicat S. Thomas loc. cit.

Et cum iustitia distributiua, qua communia bona diuiduntur particularibus, sit peculiaris virtus; cur non etiam iustitia legalis, qua bona priuatorum referuntur ad communitatem; cum oppositorum eadem in genere sit ratio?

Quæritur II. An iustitia legalis sit iustitia simpliciter ac proprie dicta. Negatiuam vt probabiliorem defendit Valentia q. 2. pun. 2. eamq; probabilem censet Salon loc. cit. 20

Sed vera & communis sententia est, esse iustitiam simpliciter ac proprie dictam, vt etiam hactenus suppositi, & ex instituto docent Salon, Bannes, & Aragonius citat. quæstione 28 num. 6. Eademque plane est sententia Aristotelis 5. Ethic. toto cap. 1. & 2. speciatim cum hic ait, *iustitiam, quæ locum partis obtinet* (nempe particularem) *cum altera vniuersali vniuocam esse; eo quod in eodem genere est definitio.* Eadem est mens S. Thomæ; qui nusquam nec inter iustitiam secundum quid, nec inter partes potentiales iustitiæ, legalem iustitiam connumerat.

Ratio est. Tum quia iustitia distributiua, iustitiæ legalis quasi relatum, est iustitia simpliciter. Tum quia in iustitia legali sufficienter reperiuntur tres conditiones iustitiæ simpliciter, videlicet primo sufficiens ratio debiti, de quo nulla est controuersia. 21

Secundo sufficiens alteritas; habent enim ciues singuli ius & dominium distinctum à reliqua tota comunitate; id eis enim per Rempublicam non adimitur. Præterquam quod ciuis non est pars ita naturalis, seu coacta & necessaria communitatis, sicut filius patris, aut seruus domini; sed spontanea & libera, quæ nempe suo arbitratu potest se à toto illo separare. Et quia etiamsi ciuis nihil plane emolumenti, imo vero etiam damnum ex legalis debiti solutione percepturus sit, adhuc tamen eo debito obligatur, signum est, eum per iustitiam legalem non ordinari ad Rempublicam velut partem intrinsece constituentē, seu quæ in ipso toto vt sic contineatur, sed vt partem solum adhærentem: sicut manus dicitur pars respectu totius reliqui corporis.

Tertio adest etiam æqualitas; hæc enim aliunde in proposito sumi non potest, quam ex præscripto legis, seu ipso debito, quod Reipublicæ ex lege debetur; quod quidem per iustitiam legalem ad æqualitatem soluitur. Nec vel ex ratione, vel ex Aristotele, aut S. Thoma vsquam colligitur, requiri ad æqualitatem iustitiæ, vt illi ipsi, inter quos est iustitia, etiam naturaliter quasi, & secundum se exæquentur. 22

23 Obijcitur. Erga patriam esse pietatem, nec ei simpliciter posse reddi æquiualens. Respondetur ex S. Thoma q. 101. a. 3. ad 3. patriam dupliciter considerari posse. Primo formaliter vt est patria, seu quoddam nascendi & essendi principium, & secundū ea, quæ illi vt sic debentur; & sic ad eam est pietas, sine perfecta æqualitate; adeoq; iustitia secundum quid. Secundo præcise, vt est communitas quædā, cui per modum partis ciuili quadam societate connectimur; & sic ad eam est iustitia legalis & perfecta.

24 Etsi vero iustitia legalis, vt dictum, sit iustitia simpliciter, & quoad rationem essentiæ perfecta, tamen perfectione quadam accidentali, tam ex parte alteritatis, quam æqualitatis, cedit iustitiæ particulari. Qua de causa etiam Aragonius & Salon dicunt, absolute loquendo, in ratione iustitiæ (non virtutis,) minus esse perfectam, quam sit particularis. Etsi Bannes contrarium asserat, ideo, quod cum rationem alteritatis & æqualitatis sufficientem habeat, tamen quoad rationem debiti, quæ in iustitiæ conditionibus sit potissima, plurimum superet particularem. De quo nil opus est contendere.

25 Quæritur III. An iustitia legalis habeat sub se aliquas species; & prima dubitatio est de iustitia legali, quæ est in Principe, & quæ est in subditis. Has enim specie differre, asserunt quidam; & fauet nonnihil S. Thomas hic q. 58. a. 6. dum ait, iustitiam legalem principaliter & *quasi architectonice*, seu per modum imperantis & dirigentis esse in Principe: in subditis autem secundario & *quasi ministerialiter*.

Fundamentum est, quia iuxta Aristotelem. 2. Phys. text. 34. & 35. & cōmunem, artes Architectonica, & administratiua, qualis v. g. est equestris, & frænofactoria; Item prudentia legislatiua in principe, & prudentia politica in ciuibus, differunt inter se specie, vt nos etiam docuimus, disp. 3. q. 1. dub. 2.

26 Sed nihilominus dicendum est, vtramque iustitiam esse eiusdem speciei, vt recte docent Valentia, Bannes, Salon, Aragonius loc. cit. Ratio est. Quia vt est in principe, & vt est in subditis, per se, & ex parte voluntatis, non habet specialē laudem & difficultatē; cum voluntas principis, vbi & quatenus id recta ratio iudicat, per se æque facile feratur in bonum cōmune præcipiendo, atque voluntas subditi parendo. Etsi quidem noua sit difficultas ex parte intellectus, vt videlicet princeps apta media administrandæ Reipublicæ inueniat: qua de causa prudentia legislatiua specie distinguitur in principe, à prudentia, politica, quæ est in ciuibus.

27 Et licet alioqui facilius plerumque multiplicentur virtutes in voluntate, quam habitus in intellectu; tamen non semper. Cum enim v. g. in intellectu detur peculiaris habitus primorum principiorum, in voluntate non datur, vt dictum tomo 2. disp. 3. quæst. 1. dub. 2. numero 28. Item in intellectu distinctus habitus est principiorum & conclusionis; & tamen finis & mediorum, quæ principijs & conclusioni respondet, est eadem virtus in voluntate.

Doctrina vero illa communis Aristotelis, de Architectonica, procedit, quando hæc per se, & ex suo proprio fine (qui superior esse debet) adeoque secundum essentiam est talis, non autem si solum sit talis per accidens, & ratione subiecti, in quo est.

Alia dubitatio est, an saltem aliæ duæ species 28
iustitiæ legalis constituendæ sint; quarum vna iuxta literam legis, altera præter literam legis, ac ex mente legislatoris solum, in casu particulari commune bonum procuret; quæ etiam Epijkia, siue æquitas dicitur, de qua S. Thomas agit inferius quæstio. 102. Affirmant Bannes & Aragonius loc. cit. & fauet S. Thomas cit. quæst. 102. art. 2. ad 1. & Aristoteles 1. Rhetoric. 11. & lib. 5. Eth. c. 10. & lib. 2. magn. moral. c. 1.

Sed probabilius videtur, eas non nisi acci- 29
dentaliter differre. Tum quia Epijkia sic explicata, per se non habet specialem honestatem aut difficultatem, ex parte sui obiecti. Tum quia alioqui etiam iustitia particularis, tam distributiua, quam commutatiua, imo etiam quælibet virtus particularis, eadem ratione, in plures species essentiales esset distinguenda; cum in his eadem subinde varietas accidat, vt cum ex litera legis v. g. ieiunium seruatur, alias vero ex causa rationabili, iuxta mentem legislatoris, non seruatur: Item cum gladius suo domino ex communis legis præscripto restituitur, furioso non restituitur. &c. Tum quia nec iustitia legalis, nec vlla virtus pro obiecto proprio & speciali habere potest nudum corticem, seu literam legis nulla habita ratione intentionis; cum obiectum tale per se non sit bonum.

Aristoteles autem, ac præsertim S. Thomas, non minus ex sententia opposita, quam nostra, indigent explicatione, cum Epijkia à S. Thoma tractetur inter partes potentiales iustitiæ, quæ iustitiæ species simpliciter condistinctæ esse non possunt. Nobis de accidentali differentia, quæ tamen in moribus celebratissima sit, vtcunq; videntur posse explicari. De quare plura inferius cum S. Thoma disp. 6. q. 2. dub. 2.

DVBIVM III.

Quid sit, & circa quam materiam versetur iustitia particularis.

S. Thomas 2. 2. q. 58. a. 7. 8. 9. 10. & 11.

QVod ad primum, nempe rationem ipsam 30
iustitiæ particularis attinet, breuiter ex dictis describi potest: Iustitia, quæ ipsas partes cōmunitatis inter se recte ordinat; siue quantum ad distributionem bonorum cōmuniū, siue cōmutationem particularium. Seu; virtus, quæ particulari cuique personæ suum ius debitum reddit, vt pluribus declarabitur dub. 4. n. 48.

Quod vero ad materiam attinet, sententia S. 31
Thomæ q. 58. a. 8. & 9. eademq; cōmuniter recepta est, iustitiam non versari circa passiones, tan-

quam

quam circa propriam materiam, sed circa res vel actiones externas, nempe circa ipsas cõmutationes externas, & eas, circa quas hę ipsę versantur, pecunias, opes &c. Probatur ex Aristotele 5. Eth. 2. vbi docet iustitiam particularem versari specialiter circa ea, quæ *pertinent ad communicationem vitæ*. Et 2. Ethic. 6. ait, virtutem moralem versari *circa affectus* (id est passiones) *vel actiones, siue operationes*; quod vtiq; propter iustitiæ virtutem ab eo dictum est.

Ratio petitur ex ipsa ratione iustitiæ, quæ, vt superius dictũ, hominem per se ordinat ad alterum: Ergo proprie circa eas tantum res & actiones versatur, per quas homo ordinatur ad alterũ, quales sunt res & operationes externę, nõ autem ipsæ per se passiones. Et propterea etiam iustitia est virtus in voluntate sita, ex dictis du. 1. non in appetitu sensitiuo, vt aliæ virtutes morales, quæ circa passiones versantur.

32 Nec obstat, quod Aristoteles 2. Ethic. cap. 3. ait, omnem virtutem moralem *circa voluptates & tristitias versari*. Nam vt recte S. Thomas hic articulo 9. ad 1. ait, id non ita accipiendum est, quasi omnis virtus moralis versetur circa passiones, tanquam circa propriam materiam, id enim est contra eundem Aristotelem, locis superius citatis: sed quia certe quælibet virtus circa voluptates & tristitias versatur, tanquam circa suos quosdam effectus, iuxta illud 1. Ethic. 8. *non est iustus, qui non gaudet iustis operationibus*. Dici etiam potest versari circa passiones, aut per se & immediate, aut interueniente alterius virtutis actu, quem imperet, vt inferius declarabo, & dictum tom. 2. disp. 3. q. 4. dub. 3. n. 33.

33 Contra hanc doctrinam communem tam Philosophorum, quam Theologorum, Buridanus 5. Ethic. quæst. 1. & Vasquez 1. 2. disp. 85. cap. 3. reiecta illa differentia inter iustitiam & alias virtutes morales, quod hę versentur circa passiones, illa circa actiones, seu res externas; docent, omnes virtutes morales, adeoq; etiam iustitiam, versari circa actiones & passiones: differre tamen inter se, quod aliæ sint necessariæ solum, propter passiones vincendas, vt fortitudo & temperantia: aliæ vero propter ipsas operationes secundum se, etiamsi nulla ex parte passionum esset difficultas, vt Iustitia.

34 Verum vt communis sententia S. Thomæ defendatur, ac simul etiam explicentur ea, quæ in adiunctis hic articulis 10. & 11. cum hac re connexa à S. Thoma traduntur: Nota I. Materiam alicuius virtutis proprie non dici ipsum actum elicitum virtutis, qua talis est, vt recte cum Caietano a. 8. notat Valentia hic q. 2. pu. 3. nec ipsum formale obiectum *Quod*, seu honestatem proptiã, in quã per se fertur virtus; sed id circa quod occupatur & operatur virtus, constituendo in eo mediũ, vt colligitur ex S. Thoma hic, & 1. 2. q. 18. a. 2. ad 3. siue id fiat per actũ quendã distinctũ ipsius virtutis, siue hoc ipsõ, quod cum alioqui talis actus bene vel male fieri possit, per virtutẽ quasi rectificatur, seu bene efficitur.

Ita v. g. materia temperantiæ dicuntur tristitiæ & voluptates; materia fortitudinis audaciæ & timores iuxta Aristotelem 2. Ethic. 7. non quatenus eiusmodi passiones iam ad debitam mediocritatem reductę, sunt eliciti actus illarum virtutum; sic enim circa illas nihil amplius operatur virtus; sed quatenus aut reipsa prius immoderatæ, per virtutem ad mediocritatem reducuntur, vel vt secundum communem & abstractam rationem passionum spectatæ, hoc ipso per virtutem in actu quasi exercito rectificantur, quod cum debita mediocritate exercentur.

Eadem ergo ratione operationes externæ dicuntur materia iustitiæ, quatenus præcise sunt operationes erga alterum, adeoq; indifferentes quoad rationem iustitiæ vel iniustitiæ. Dicuntur vero tam res, quam actiones externæ materia iustitiæ, diuersimode; illæ quidem mediata seu remota, hæ vero immediata & proxima, iuxta S. Thomam cit. q. 58. a. 9. ad 2. Quod suo modo etiã in Logica accidit, cui⁹ materia remota dicuntur res, de quibus disseritur, materia vero propinqua ipsæ operationes mentis, vt dirigibiles. 35

Nota II. Cum materia virtutis duplex possit constitui, vna propria & essentialis, circa quam per se versatur virtus; altera accidentalis & aliena, circa quam versatur virtus solum per accidens, & mediante alterius virtutis actu; propria rursum aut principalis sit, in qua videlicet finis intrinsecus virtutis vltimate completur, aut minus principalis; doctrinam superius positam intelligendam esse de materia propria & vltimata eiusmodi virtutum; alioquin enim materia non vltimata iustitiæ dici possunt etiam operationes internæ respicientes alterum, nempe sub communi quadam & indifferenti ratione spectatæ, prout capaces sunt rectitudinis iustitiæ. Sicut etiã materia eiusdem quasi aliena & externa dici possunt etiã passiones; è contra vero aliarum virtutum, quæ circa passiones proprie versantur, materia impropria esse possunt etiam operationes externæ. 36 37

Vt enim aliæ virtutes per se & vltimate non ordinant hominem recte ad alterum, sed ad seipsum, vt videlicet in seipso passiones bene compositas habeat; ita iustitia per se & vltimate ordinat hominem ad alterum; idque potissimum secundum res aut actiones externas, quibus nimirum homines ad alterum ordinari proprie contingit.

Nota III. Etsi nonnunquam etiam ex immoderata cupiditate pecuniarum, difficultas in obiecto iustitiæ exoriatur, non tamen idcirco, vt existimat Buridanus, eam per iustitiam, sed per temperantiam siue annexas eidem virtutes superari debere, quarum est, immoderatas cupiditates refrænare; cum ad quamlibet virtutem minime spectet, omnes difficultates vndecunque circa actum proprium occurrentes, per seipsam superare; sed illas tantũ, quæ ex proprio obiecto consurgunt, alias vero aliarum virtutũ ope; quę proinde etiã, quoad perfectũ vsum, dicuntur inter se coniunctæ & concatenatæ; ne alioqui omnium virtutum confusio sequatur, vt etiam dictum tom. 2. loc. cit. & ibidem q. 5. dub. 2. 38

Vnde licet etiã iustitia aliquo modo, videlicet

per

per accidens, circa passiones versetur, quatenus videlicet earum impetum, interueniente etiam temperantiæ vsu sustinet, & superat, ne forte passionis vi à iusto auocetur; tamen per se eas ad mediocritatem non redigit, sed imperando virtuti temperantiæ. Quæ doctrina est etiam S. Thomæ art. 9. ad 2. vbi optime notat, eandem surreptionem rei alienæ, in quantum est contra externam æquitatem, cohiberi per iustitiam; vt vero procedit ab immoderata concupiscentia, per liberalitatem, vt est virtus circa passiones, vti etiam dictum tom. 2. disput. 3. quæst. 4. dub. 3. num. 32.

39 Nota IV. His, quæ dixi, nil obstare, quod passiones malæ non solum deordinent subiectum proprium, in quo sunt, sed etiam nonnunquam vergant in nocumentum aliorum. Vnde consequi videtur, etiam iustitiam similesque virtutes ad alterum spectantes, per se circa passiones moderandas versari.

Respondetur enim, hoc non esse consequens. Ratio est. Quia passiones, cum malæ sunt, subiecto obsunt per se & formaliter, adeoque substantialiter, alijs tantum per accidens, ratione quasi materialis obiecti, & causaliter: cum autem bonæ sunt, suã potius laudem habent ex eo, quod sunt cõmensuratę operanti, idq; etiam circa bonum vel malum propriũ, quam quod recte se habent erga alterum; cũ bonitatem, quæ sumitur ex cõmensuratione ad alterũ, vti sensus non percipit, ita appetitus sensitiuus per se non respiciat, vt

40 ex S. Thoma dictũ dub. 1. Cum ergo ad vtrumque nocumentũ depellẽdũ, sufficiat vnica moderatio passionũ, ea certe per se & proprie tribuenda non est virtuti, quę per se ad alterum spectat, sed ei quę per se bonum operantis attendit.

Vnde etiam ex hoc ipso discrimine, quod ex virtutibus moralibus, temperantia & fortitudo per se versantur circa bonum proprium, iustitia vero per se circa alienum, vt fatentur omnes, enascitur alterũ illud discrimen, quod hæc per se non componat passiones appetitus sensitiui, vtpote cuius obiectũ per se est bonũ alienũ; illæ vero per se cõponunt passiones, vt quæ per se & ex sua ratione solum bonum proprium operantis respiciunt.

41 Nota V. Quod S. Thomas ait, iustitiam ꝓprie versari tantum circa exteriores actiones, & res, id non esse copulatim accipiendum, sed disiunctim, vt notat Valentia hic q. 2. pun. 3. nec ita stricte, vt nusquam omnino secus accidat, sed moraliter, & à toto genere, seu à maiori parte; non solum quia iustitia etiam versatur circa bona corporis & animæ, ipsi proximo intrinseca, vt est vita, valetudo, integritas corporis, sanitas mentis, &c. (quæ quidem nihilominus respectu opperantis externa sunt) sed etiam quia per actum iudicij versatur circa rectam existimationem proximo debitam, vt patebit infra quæst. 3. dub. 2. cum tamen talis res, & actus nullo modo dici possit extrinsecus, præsertim respectu operantis.

42 Nota VI. Eo ipso, quod iustitia non versatur circa moderandas passiones, seu bonum ꝓprium ipsius operantis, sed circa alienum, seu res & actiones, quæ alterum concernunt, idcirco etiam à S. Thoma quæst. præced. 57. a. 1. recte asseritur obiectum iustitiæ, quod est iustum, non constitui per comparationem ad ipsum operantem, vt aliarum virtutum obiecta, quæ circa passiones versantur, sed per comparationem ad alterum.

Quod ex dictis ita declaratur; quia reliquę virtutes morales ex sua propria ratione, solum perficiunt hominem secundum se, & sine ordine ad alterum, vt nempe passiones tam irascibilis, quã concupiscibilis appetitus, circa bonum vel malũ ꝓprium, in seipso ꝓbe compositas habeat. At vero iustitia perficit hominem cum respectu ad alterum, seu in rebus & actionibus illis, quæ sunt ad alterũ; cum ergo obiectũ cuiusq; virtutis debeat esse cõforme suo habitui, atq; etiã materiæ, in qua habitus versatur, sequitur, etiã ipsũ obiectũ iustitiæ constituendum esse per comparationẽ ad alterũ.

Nota VII. Hinc nasci aliud discrimen inter iustitiam, & alias virtutes morales, quæ circa passiones versantur; nempe quod medium iustitiæ sit 43
medium rei; medium autem aliarum virtutum sit *medium rationis*, vt docet S. Thomas hic q. 58. a. 10. ex Aristotele 2. Eth. 6. & l. 5. c. 3. & 4. Quod item contra Buridanum ab omnibus receptum est, consentiente etiam Vasquez 1. 2. disp. 86. cap. 8. & ita declaratur.

Nam vt constat ex Aristotele cit. cap. 6. ipsum medium cuiusque virtutis, est obiectum eiusdem formale, seu ipsa honestas, quam virtus ꝓprie cõsectatur, vnde etiã medium iustitiæ dicitur *ius & æquum* ab eodem Aristotele 5. Eth. c. 3. & 4. Hoc igitur medium idcirco *rei* dicitur, quia cum consistat in æqualitate ipsarum rerũ, media inter excessum & defectum, sine respectu ad operantem, seu æger sit, seu sanus, seu fortis, seu debilis, seu dives, seu pauper, &c. idcirco secundum se, & à parte rei determinatum est.

Medium autẽ aliarum virtutũ, quæ circa passiones versantur, ipsa ratio operantis, mediante actu prudentiæ, primũ inuenit & constituit, idq; per respectum ad operantem, & consideratione adeo variarum circumstantiarum ipsius operãtis. Illud enim v. g. in materia temperãtiæ, quoad vi- 44
ctum, cuique medium est, quod ei iuxta propriam complexionem, & presentẽ dispositionem, ad naturæ sustentationem conuenit; illud itẽ in materia fortitudinis, mediũ cuiq; est, quod viribus & animo operantis accomodatũ est; maior enim ira & ardor resistendi conuenit valenti, quam infirmo &c. Quo fit, vt pro varia dispositione operantis, hæc media admodum varientur: nec adeo etiã intẽperantia cõsistat in certa seu definita magnitudine, sed in excessu termini ꝑfixi ꝑ rationem.

Iustitiæ autem obiectum & mediũ nõ variatur 45
respectu diuersarũ personarũ, sed semper & in omnibus idem iustũ est, etsi nonnunquã ob impotentiam contingat, aliquẽ excusari ab obligatione seruandi, seu exequendi hoc medium & iustum, non quia per se id iustum, aut medium determinatum non sit; sed quia in omni materia cuiusq; virtutis impotẽtia excusat à præcepto; ad impossibile enim nemo tenetur.

Et quãuis in iustitia distributiua, attendi debeat dignitas, adeoq; conditio personarũ, ꝙb⁹ sit

distri-

distributio; non tamen ipsius operantis seu distribuentis, nec ipsarum etiam personarum, quibus fit distributio absolute & secundum se; sed solum per comparationem vniuscuiusq; ad alios, ita vt quantum dignitas vnius & merita excedunt alios, tantum etiam pars illi distribuenda debeat excedere portiones aliorum.

46 Nota VIII. Quamuis iustitia etiam particularis actus aliarum virtutum imperare possit, in ordine ad suum finem, nihilominus recte à Sancto Thoma & Aristotele loc. cit. eam habere particularem materiam, non autem iustitiam legalem: non solum quod ista nullam prorsus materiam habet præter eam, quæ cõmunis est alijs virtutibus, sed etiam, quod cum per se finem altissimũ & præstantissimum habeat, cui omnia alia particularia bona deseruire debent, per se & ex sua natura circa omnium virtutum moralium actus & materiam imperando versetur: cum tamen iustitia particularis & propriã alioquin materiã habeat, & ob sui finis contractiorem rationẽ, non ita per se & ex sua natura, aliarum virtutũ actus imperet, vt recte etiam aduertit S. Thomas hic q. 58. a. 9. ad 3.

47 Vnde etiam idem supra a. 6. notat, subinde etiam quamlibet virtutem, quatenus à iustitia legali ordinatur ad bonum cõmune, dici iustitiã legalem, & contra; ita vt hac ratione iustitia legalis sit idem in essentia cum omni virtute, differat autem secundum ordinem ad bonum commune, quem habet à iustitia legali; quo modo etiã subinde loquitur Aristoteles 5. Eth. 1. & 2. cum ait, iustitiã legalẽ esse *eandẽ omni virtuti*, non esse *partẽ virtutis*, sed *totam virtutem*; item, *virtus & iustitia vniuersalis eadem est*, inquit; *Esse tamẽ* (seu ratio formalis) *vtrorumq; non est idem*. Eadem ratione actus eleemosynæ & ieiunij à charitate imperati, nonnunquam actus charitatis appellantur, & contra etiã charitas ab Apostolo patiens, benigna vocatur, nimirũ quia actus harum virtutum à charitate imperantur, vt dictum disp. 2. q. 4. dub. 1.

DVBIVM IV.

De diuisione Iustitiæ particularis, in commutatiuam & distributiuam.

S. Thomas q. 61. aa. 4.

48 CIrca hanc rem quæritur primo, quid proprie sit iustitia cõmutatiua, & distributiua; & an sint duæ essentiales species iustitiæ particularis. Respondetur sequentibus assertionibus. I. Iustitia cõmutatiua & distributiua sunt duę species essentiales iustitiæ particularis. Ita S. Thomas cit. q. 61. a. 1. Probatur ex Aristotele 5. Eth. c. 2. vbi ponit duas partes iustitiæ particularis, quarũ vnam ait esse directiuam *in distributionibus*, aliam *in commutationibus*.

Ratio est. Quia cum motus nomẽ suũ ac speciẽ desumat à termino ad quẽ, idcirco etiã particularis iustitia dicitur illa, quæ dirigit ordinẽ alicuius ad particularem personã, seu quæ habentem recte ordinat ad priuatas personas, velut partes Reipublicæ: atqui duplex est ad aliquã partẽ ordo directione indigens, videlicet ordo partis ad partẽ; & ordo totius ad partẽ; isq; ita diuersus, vt in vtroq; diuersa ratio debiti & specialis difficultas cernatur: Ergo recte constituuntur duæ species particulares iustitię; quarũ vna dirigit ordinẽ partis ad partẽ, ipsas videlicet partes Reipub. recte ad se inuicẽ ordinans; ita vt per eam priuatus quisq; suo ac priuato nomine tribuat priuato, quod suũ est; & vocatur *Iustitia commutatiua*; quia in cõmutationibus ꝓprie ac pcipue versatur; idq; ideo, quod inter partes eiusdẽ Reipub. vna nõ potest ad alteri9 bona ius aliquod habere, nisi intercedente aliqua cõmutatione, seu pactiõe: altera dirigit ordinem totius ad partẽ, bona videlicet cõmunia, seu ipsius communitatis, debita proportione ciuibus, seu eiusdem communitatis partibus distribuens, & vocatur distributiua.

49 Ex quibus etiã refellitur singularis quædã opinio Buridani 5. Eth. q. 7. cõtendentis, has duas iustitias sola materia, non autẽ essentiali specie differre; quod magis etiã ex sequẽtibus refutabitur. Optime S. Thomas cit. a. 1. ad 5 *Iustitia distributiua, & commutatiua*, inquit, *non solũ distinguntur secundum vnum & multa, sed secundum diuersam debiti rationem. Alio enim modo debetur alicui id, quod est commune, alio modo id, quod est proprium.*

50 Assertio II. Tametsi proprius actus iustitię distributiuæ, qui est ipsa distributio, ꝓprie quidẽ sit in solo præside, seu rectore Reipublicę, & suo modo etiã in aliquo priuato capite vnius familiæ, distribuente bona cõmunia: tamẽ secundũ habitum, atq; etiam secundũ actum quendã secundariũ, esse quoq; potest in priuatis quibuslibet, quatenus affectu probant iustã distributionem, eaq; contenti viuunt. Ita S. Thomas eadem q. 61. a. 1. ad 3.

Ratio est; quia posita capacitate subiecti, ad ꝓpriũ actũ ac honestatẽ virtutis, eiusdẽ rationis est, actũ externum virtutis exercere, & sola mente in eiusdẽ honestatẽ ferri; neq; nisi secundũ extẽsionẽ, seu quasi maius & minus, differunt distributio bonorũ cõmunium vnius regni, vel ciuitatis vel pagi, vel exercitus, vel familiæ, seu domus; quando formalis ratio honestatis & debiti, in oñi eiusmodi bonorũ cõmunium distributione, eadẽ est.

51 Assertio III. Iustitia distributiua ꝓprie illud duntaxat debitũ attendit, quod ex bonis cõmunibus alicui ideo pręcise exoluendũ est, quia cõmunitatis pars est. Ita S. Thomas eadẽ q. 61, a. 2. cum ait: *In distributiua iustitia datur aliquid* (velut debitũ) *alicui priuatæ personæ, inquantum id, quod est totius, est debitũ parti.* Ratio est; ga hoc ipso, quod bona sunt cõmunia, & quidẽ ipsũ per se Reipub. non necessaria, debentur partibus eiusdẽ cõmunitatis Idq; seruata certa quadã ꝓportione, vt inferi9 dicetur. Quo fit, vt Princeps, vel Respublica, si ex bonis Reipublicæ ciui reddat, quod ex contractu aliquo, seu propter nauatam Reipublicæ operam tenetur, iam non exerceat actum iustitiæ distributiuæ, sed commutatiuæ.

52 Neq; vero idem est, formaliter loquendo, bona cõmunia partib9 Reipublicæ distribuere, & bona illarum merita & obsequia in Rempublicã collata compensare; esto materialiter vtrumq; possit cõcurrere: sicut etiam plane in bonorũ communiũ

distri-

distributione, ratio quædam non solum dignitatis, sed etiam meritorum habenda est; prout videlicet ipsa etiam merita personam in tali Republica digniorem faciunt.

Ita etiam docet S. Thomas q. 61. art. 4. ad 2. vbi cum in obiectione, inter alia dictũ fuisset, in iustitia distributiua spectari dignitatẽ personæ, quæ quidẽ maxime videatur attendi secundum opera, quibus aliqui communitati seruiunt, respondet: *Quod si alicui, qui communitati seruijsset, retribueretur aliquid pro seruitio impenso, non esset hoc distributiuæ iustitiæ, sed commutatiuæ. In distributiua enim iustitia, non attenditur æqualitas eius, quod quis accipit, ad id, quod ipse impendit*; sed (æqualitas proportionis) *ad id quod alius accipit, secundũ modũ vtriusq; personæ.*

53 Quæritur secundo: Quodnam mediũ, quæue materia sit vtriusq; Iustitiæ. Respondetur sequentibus assertionibus. I. Mediũ in iustitia distributiua sumitur & constituitur secundũ proportionẽ, seu proportionalitatẽ geometricã, adeoq; secundum proportionem rerũ ad personas; vt scilicet quantũ vna ꝑsona excedit aliã, tantũ etiã res, quę datur vni personæ, exeedat rem, quæ datur alij. In cõmutatiua autẽ Iustitia, sumitur & constituitur mediũ secundũ proportionem arithmeticam, seu æqualitatẽ rei ad rem. Ita S. Thomas q. 61. a. 2. ex Aristotele 5. Eth. c. 3. & 4. vbi docet, in iustitia distributiua accipi mediũ secundũ geometricã proportionalitatẽ; quæ iuxta Mathematicos significat ęqualitatẽ duarũ proportionũ inter se, & quatuor terminos cõplectitur; è quibus sicut primus se habet ad tertium, ita secundus ad quartum. &c. in commutatiua autem secundum proportionem seu æqualitatem arithmeticam.

54 Probatur & declaratur; quia cum per distributiuã iustitiã detur aliquid alicui priuatæ personę, inquantũ id, quod est totius, est debitũ parti, necesse est, vt tanto plus de bonis toti⁹ seu cõmunitatis parti debitum sit, quanto ipsa pars maiorem principalitatẽ seu dignitatem habet in toto. Quo fit, vt per distributiuã iustitiã tanto plus alicui de bonis cõmunitatis dandũ sit, quanto illa persona maiorẽ habet principalitatem in cõmunitate; ex quo nascitur illa proportionalitas geometrica, in qua attenditur æquale non secundũ quantitatẽ, sed secundum proportionẽ, vt scilicet sicut vna persona excedit aliã, ita etiam res quæ datur vni personæ, excedat rem, quæ datur alij: ad eum scilicet modum, quo iuxta Mathematicos dici solet, Sicut se habent sex ad quatuor ita se habẽt tria ad duo; quia vtrobiq; est sesquialtera proportio; in qua videlicet maius continet totum minus, & simul dimidiam partem eiusdem: cum tamen interim non sit inter ea æqualitas excessus secundum quantitatem, quia sex excedũt quatuor in duobus, tria vero excedunt duo in vno.

55 E contrario in iustitia cõmutatiua attenditur æqualitas arithmetica inter datum & acceptũ; ita vt quantum acceptũ est, tantum restituatur. Cum ergo mediũ virtutis dicatur id ipsum, quod circa propriam virtutis materiam, per se ac formaliter per virtutem intenditur & attingitur; recte medium iustitiæ commutatiuæ dicitur consistere in æqualitate seu proportione arithmetica; mediũ autem iustitiæ distributiuæ in proportione seu proportionalitate geometrica; cum tamen vtraque iustitia conueniat in quadam ratione seu forma generali cuiusdam æqualitatis.

Nec obstat, quod nonnunquam etiam in commutatiua iustitia attenditur conditio personæ, puta in actionibus & passionibus, quibus ipsi personæ iniuria infertur; siquidem maior est iniuria, si percutiatur Princeps, quam si percutiatur priuata persona. Nam conditio personæ in distributiua iustitia attenditur *secundum se*; in commutatiua autem solum, quatenus per eam *diuersificatur ipsa res*, siue iniuria compensanda; eo quod in actionibus & passionibus conditio personæ facit ad quantitatem rei, vt bene notauit S. Thomas q. 61. a. 2. ad 3. 56

Assertio II. Principalitas seu dignitas personæ, pro varia ratione regiminis in diuersis communitatibus seu Rebuspublicis, varie attenditur vel spectatur: nam in Aristocratia attenditur secundum virtutem; in Oligarchia secundum diuitias, in Democratia secundũ libertatem, & in alijs aliter. Ita S. Thomas q. 61. a. 1. Ratio videtur esse; quia honores & officia, ꝑ triplici ea varietate personarum, diuersimode in diuersis eiusmodi cõmunitatib⁹ distribuũtur: ita vt in cõmunitate Aristocratica habeatur ratio virtutis, in Oligarchica habeatur ratio diuitiarũ, in Democratica libertatis, ac popularis studij; in Monarchica autem nobilitatis. &c. Honoribus autem & officijs quadã proportione respondet distributio cæterorum bonorum communium. 57

Monarchiam autẽ præterijt S. Thomas, eo fortassis, quia in ea vt sic non inuenitur bonum commune in singulos distribuendum.

Assertio III. Iustitia cõmutatiua & distributiua differunt etiã secundum materiam; illa enim versatur circa cõmutationes; hæc circa distributiones. Ita S. Thomas q. 61. a. 3. ex Aristotele 5. Eth. c. 2. vbi dicit, vnam speciem iustitiæ esse *directiuam in distributionibus*; aliam *in commutationibus*. Probatur & declaratur. Duplex enim materia iustitiæ distingui potest; ꝑpinqua vna, altera remota. Propinqua sunt ipsæ operationes exteriores, puta distributio & cõmutatio, quas vnaquæq; iustitia iñediate dirigit: remota sunt vel res, vel personæ, vel etiã opera externa, in quorũ vsu vel applicatione distributio & commutatio versantur. Quamuis ergo quidẽ vtriusq; iustitiæ materia remota sit eadẽ: nam & res distribui possunt ex cõmunitate in singulos, & cõmutari inter se: & est etiã quædam distributio laborioſorum operum, & recompensatio, sicut & circa personas, eorũque iura vtraq; iustitia versatur: materia tamen propinqua, quæ nimirum sunt ipsæ cõmutationes, & distributiones, circa exteriora illa versantes, non est eadem vtriusq; iustitiæ, vt dictum. 58 59

Assertio IV. Cõmutationes, quarũ directiua vel etiã emendatiua est iustitia cõmutatiua, admodum late patent, & variæ sunt. Ita S. Thomas q. 61. a. 3. iuxta Aristotelem 5. Eth. c. 2. Probatur & declaratur. Quædam enim cõmutationes sunt inuoluntariæ, ex parte scilicet vnius: quædam vero ex parte vtriusq; voluntariæ. Inuoluntariæ 60

quidem

quidem, quando aliquis vtitur re alteri⁹, vel persona, vel opere, & inuito, secutâ obligatione cõpensandi damnũ esse iniuriam: quod quidẽ contingit quandoq; occulte per fraudem, quandoq; etiam manifeste per violentiam.

Vtrumque autem contingit vel in rem, vel in personam propriam, aut in personam coniunctã. In rem quidẽ, si quis occulte rem alterius accipiat; & vocatur furtum: si autem manifeste, vocatur rapina: in propriam autem personam, vel quantum ad ipsam *consistentiam*, seu esse personæ, vel quantum ad *dignitatem* ipsius.

61 Rursum quoad *consistentiam* personæ, aut læditur aliquis occulte, per dolosã scilicet occisionẽ, seu percussionẽ, aut per veneni exhibitionẽ: manifeste autem, per manifestam occisionẽ, aut per incarcerationem; (quo spectat etiã *vinculatio* ab Aristole loc. cit. nominata, & *exilium*,) aut per verberationem, seu membri mutilationem.

Quantum autem ad dignitatem personæ læditur aliquis, occulte quidẽ, per falsa testimonia, seu detractiones, quibus fama læditur, & per alia eius generis crimina: manifeste autem, per accusationem in iudicio, seu per conuitij illationem.

62 Quantum autẽ ad personam coniunctam, læditur aliquis in vxore, vtplurimum occulte, per adulterium; itemq; in seruo, cum aliquis seruum seducit, vt à domino discedat; quæ etiam manifeste fieri possunt. Eademq; est ratio de alijs personis coniunctis; in quas etiam possunt omnibus modis iniuriæ cõmitti, *sicut in personam principalẽ*: sed adulteriũ, & serui seductio, sunt *propriæ iniuriæ* circa has personas, ita tamen vt quia seruus est possessio quædam, hæc referatur ad furtum.

63 Voluntariæ autem commutationes dicuntur, quando aliquis voluntarie transfert rem suam in alterum: quod si *gratis* & absque debito fiat, sicut in donatione accidit, non est actus iustitiæ, sed liberalitatis. Ex debito vero iustitiæ idipsum accidit multipliciter. Primo quando quis *transfert simpliciter rem suam in alterum, pro recompensatione alterius rei*; sicut accidit in venditione & emptione.

Secundo, quando quis tradit rem suam alteri, *concedens ei* (solummodo) *vsum rei, cum debito recuperandi rem*. Et si quidem gratis concedit vsum rei, vocatur *vsusfructus*, in rebus quæ aliquid fructificant; vel simpliciter *mutuum* (improprie) seu *accommodatum*, *in rebus, quæ non fructificant*; sicut sunt pecuniæ, vasa & huiusmodi. Si *vero nec ipse vsus gratis conceditur, vocatur locatio, & conductio*.

64 Tertio tradit aliquis rem suam, *vt recuperandã, non ratione vsus, sed vel ratione conseruationis, sicut in deposito; vel ratione obligationis, sicut cum quis rem suam pignori obligat, vel pro alio fide iubet*. In quibus *omnibus actionibus, siue voluntarijs* (peragendis,) *siue inuoluntarijs* (auersandis, aut emendandis,) *est eadem ratio accipiendi medium, secundum æqualitatem recompensationis*. Quo fit, vt *omnes istæ actiones ad vnam speciem iustitiæ pertineant, scilicet ad commutatiuam*. Hæc S. Thomas.

65 Et similia habet Aristoteles 5. Eth. c. 2. quamuis vtraque enumeratio non sit plane vniformis: aliquæ enim commutationes enumerantur apud Aristotelem, vt *aquæ deriuatio*, & *vinculatio*, quæ non numerantur à S. Thoma; & contra quædam numerantur à S. Thoma, vt *mutilatio* & *detractio*, quæ non numerantur ab Aristotele. Ratio videtur esse, inquit Caietanus hic a. 3. quia *neuter intendit numerare integraliter species commutationum, sed distinguere sic, vt facile possit quis percipere omnes permutationũ species, ex enumeratis. Tam enim ex his, quæ ibi, quam ex his, quæ hic dicuntur, apparet, quæ sint in his generibus computanda*.

Quæritur tertio, vtrum *iustum* sit simpliciter idem, quod *contrapassum*, seu quod idem est, vtrum 66
siue in distributionibus, siue in cõmutationibus, tam voluntarijs, quam inuoluntarijs, ex eo constituatur iustum, quod quis tale quiddã patitur, vel recipit, quale prius alterum pati coegit, vel etiam alteri sponte dedit. Et fuit quidem olim ea Pythagoricorum, ipsiusque Rhadamanti iustissimi alioqui Cretensium Iudicis sententia, iustum idem esse, quod *contrapassum*; ac proinde *pœnam talionis* vniuersim loquendo, iuste irrogari.

Sed quos reprehendit Aristoteles 5. Ethic. 5. Ex cuius doctrina recte docet Sanctus Thomas hic quæst. 61. art. 4. in *distributiua* quidem *iustitia, ex contrapasso iustum non constitui*; eo quod in hoc minime spectetur, vt pars communitatis tantum recipiat, quantum in bonum commune contulit, vt ex dictis patet.

In cõmutatiua autem iustitia ait, per accidens 67
quidem noñunquam ex contrapasso iustum constitui; iuxta illud Exodi 21 v. 23. vbi de læsione æqualis sermo est: *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore*: sed non semper; eo quod passio actioni respondens non semper esset æqualis, si idẽ specie aliquis pateretur, cum eo, quod fecit.

Nam primo quidem cum aliquis iniuriose læ- 68
dit personam alterius maiorem, maior est actio, quam foret passio eiusdem speciei, si eam ipse pateretur, qui læsit. Qua ratione is, qui percutit Principem, non solum repercutitur, sed multo grauius punitur.

Secundo similiter etiam cum quis aliquem inuitum in re sua lædit, maior est actio, quam esset passio, si res illa ipsi sola auferretur; tum quia ipse, qui damnificauit alium in re sua, si solum idem in specie pateretur, sæpe nullum damnum sentiret, vtpote solum restituens alienum, quod accepit; tum quia hac ratione damnum quidem compensaretur, sed iniuria illata non item. Quæ etiam causa est, cur Exodi 22. v. 1. præcipiatur, vt si quis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit, *quinq; boues pro vno boue* restituat, & *quatuor oues pro vna oue*.

Tertio etiam nec in cõmutationibus voluntarijs semper esset æqualis passio, si quis daret rem suam eiusdẽ speciei, pro re alterius accepta; quia fieri nihilominus potest, vt res alterius sit multo maior, quam sua, vel contra; maxime si circumstantiæ loci & temporis sint diuersæ.

Vt igitur contrapassum sit iustum, curandum 69
est, vt fiat ad æqualitatem, tam quoad æstimationem iniuriæ, quam illati damni seu valoris, spectatis omnibus circũstantijs, ex quibus rei valor,

aut iniuriæ quantitas dependet. Qua ratione si contra passum accipiatur, non pro eo quod est reddere, aut pati *simile in specie*, sed pro eo, quod est reddere aut pati *æquale*, secundum dictamen rectæ rationis, aut legis, tunc procul dubio contrapassum erit idem, quod iustum; eodemque sensu fortassis intelligi possunt veteres illi, ab Aristotele reprehensi, vt recte notauit Salon hîc q. 61. a. 4.

Dices; etiam cum iuxta citatum locum Exodi 21. inter æquales, simile in specie damnum patitur nocens, cum eo, quod innocenti prius intulit, necdum videtur constitui æqualitas inter lædentem & læsum: quia innocens præter damnum etiam passus est à nocente grauem iniuriam; quæ proinde simili in speciem damno non videtur satis compensari.

Respondeo satis compensari, non præcise per æquale damnum; sed quia id damnum à publico Iustitiæ ministro, cum grandi probro & dedecore nocenti infertur; quo fit, vt & damnum innocenti illatum per æquale damnum, & iniuria per probrum compensetur: secus est in cõpensatione damni realis, quæ per se loquendo, non publice per Iustitiæ publicæ ministrum, sed priuatim per ipsum lædentem, sine eiusmodi probro, fieri potest & solet; vbi proinde merito plus restitui iubetur, quam acceptum est.

DVBIVM V.

Vtrũ iustitia œconomica, & vindicatiua, sint propriæ & distinctæ species iustitiæ.

Ad S. Thomam 2.2.q.58.a.7.& q.61.2a.4.

70 FAcit hæc res ad intelligendas melius iustitiæ species. Et quod ad iustitiam œconomicã attinet, suppono iustitiam œconomicam esse illam, quæ est inter Patrem & filium, virum & vxorem, dominum & seruum: quam proinde etiam solum esse *iustitiam secundum quid*, docuit S. Thomas hic q.58.a.7. vt pluribus dictum supra dub. 1. à n. 8. sed an sit aliqua specialis virtus dubitatur.

Prima sententia est, esse vnam virtutem quandam specialem, quæ secundum triplicem illam combinationem, bonum totius domus procuret; etsi pro diuersa combinatione, diuersa nomina sortiatur. Significat aperte S. Thomas hic q.58.a.7.ad 3. vbi ait: *Domestica multitudo secundum philosophum 1. Polit. c. 3. & vlt. distinguitur secundũ tres coniugationes, scilicet vxoris & viri, patris & filij, domini & serui: quarum personarum vna est quasi aliquid alterius. Et ideo ad huiusmodi personas non est simpliciter iustitia, sed quædam iustitiæ species, scilicet œconomica, vt dicitur in 5. Eth. cap. 6. & cap. vlt.* Cui proinde sententiæ etiam fauet Aristoteles cit. 5. Ethic. 6. & 1. Polit. 3. & 8.

71 Secunda sententia est Gregorij de Valentia q. 2. pun. 2. qui nullam agnoscit specialẽ virtutem, bonum totius domus per se procurantẽ; admittit tamen respectu domesticę multitudinis, iuxta triplicem personarum combinationem, ob diuersitatem debiti, vt existimat, valde notabilem, tres virtutes distinctas, quæ late loquẽdo nomine iustitiæ œconomicæ affici possint. Prima est *pietas* inter patrẽ & filiũ: secunda *iustitia coniugalis*, seu œconomica, stricte accepta, inter virũ & vxorem: tertia *Iustitia herilis* inter dominum & seruum.

Tertia sententia est, Petri Aragonij hic q.58.a. 7. vbi sentit, nec specialẽ virtutẽ esse cõstituendã quæ per se bonũ totiꝰ domꝰ procuret, vt dicit prima sententia, quam ille vocat falsam, & contra cõmunẽ, nec iustitiã illã, quæ est inter virũ & vxorẽ, dominũ & seruũ, vllã esse specialẽ virtutem, vt dixit secunda sententia; sed ad eius munia sufficere, tum legalẽ iustitiam, tum cæteras virtutes morales, videlicet prudentiam, fidelitatẽ, obseruantiã, obedientiã, fortitudinẽ, temperantiã, pro diuersitate videlicet materiæ & actionũ, quibus bonum domus procurandũ est; licet inter patrem & filiũ detur specialis virtus, quæ vocatur pietas. 72

Et hæc sententia videtur cæteris probabilior, quam etiam suppositi quæst. præc. du. 7. n. 118. Tũ quia conformis est vulgari virtutum distinctioni, secundum quam communiter, præter pietatem, nulla specialis alia virtus inter personas domesticæ multitudinis constituitur. Tum quia sola pietas habet valde diuersum obligationis fundamentum; quod scilicet est, non contractus mutuus, vt inter virum & vxorem; nec lex aliqua extrinseca iuris gentium, vt inter seruum & dominum; sed ipsa naturalis participatio eiusdem sanguinis, seu naturalis colligatio inter totum & partem. Tum quia alioquin respectu totius domus procurandæ, nulla est specialis difficultas, suppositis alijs virtutibus. 73

Itaque sicut ad debitum iustitiæ œconomicæ persoluendum, in vxore & seruo, sufficiunt obseruantia, fidelitas, & obedientia; ita etiã ad debitũ eiusdem soluendum in marito & domino, sufficit cum prudentia, strictior, & quasi gratuiti officicij accessu actius constringens charitas; sicut etiam accidit in Præceptore, seu cõfessario, ex charitate hæc officia obeuntibus: exceptis tamen ijs casibꝰ, in quibus cit. dub. 7. & hac quæst. dub. 1. dixi inter eas personas esse iustum, ac iustitiam simpliciter, quæ vtiq; est vna specie infima virtus.

Ex quibus etiam sequitur, iustitiam secundum quid non esse certam aliquam speciem iustitiæ ab alijs virtutibus distinctam, sed comprehendi sub diuersis alijs virtutibus, vt dictum.

Quod vero ad iustitiã vindicatiuã spectat, intelligitur eo nomine virtus illa, qua superior subdito suo ꝓpter delictis infert condignã & debitã pœnam.

Assertio I. Iustitia vindicatiua, vt per eam præcise puniens ordinatur ad delinquentẽ, cui ꝓpter delictis velut superior debitam pœnam infligit, vt ita nimirum æqualitas inter subditum, aliquid cõtra suam voluntatem patientem, & eundem plus nimio sibi indulgentem, aut etiam alterum iniuriam passum, licet alioquin nullam iniuriæ compensationem expetentem, constituatur; adeoq; simpliciter & absolute loquendo, non est iustitia ꝓprie dicta; sed pars potẽtialis iustitiæ. Ita S. Thomas infra q.80.a.vn. & q.108.a.2. vbi hoc expresse 74

docet.

docet. Item tradunt Sotus lib. 3. de iustitia quæst. 5. art. 1. ad 3. Salon hic quæst. 61. art. 1. Bannes art. 4. & Molina tom. 1. disp. 12. & in re etiam Valentia q. 4. punct. 1. licet Aragonius q. 61. a. 1. aliter sentiat.

Probatur assertio. Quia etsi talis iustitia erga delinquentem, aliquem iustitiæ, seu distributiuæ, seu commutatiuæ modum & æqualitatem seruet; non tamen id facit per modum debiti, spectantis ad iustitiam commutatiuam, aut distributiuam; eo quod nec delinquens, nec puniens secundum se, vllum ius talis iustitiæ ad pœnam habeant. Quod de delinquente per se manifestum est; cum habeat voluntatem à pœna auersam.

75 De puniente quoad iustitiam distributiuam itidem clarum, cum nulla hic sit distributio bonorum communium. De iustitia commutatiua ex eo probatur, quod nec Iudex, nec Respublica, cuius partes iudex puniens subit, vllum ius iustitiæ commutatiuæ habeat in delinquentem, ne peccet, sed solum ius iustitiæ legalis; quandoquidem peccans, respectu quidem Reipublicæ, & Iudicis, solum iustitiam legalem violat. Atqui ex violatione iustitiæ legalis præcise nullum nascitur Reipublicæ ius iustitiæ commutatiuæ, nec etiam restitutionis obligatio, vt dicetur quæst. 6. dub. 1. Ergo satisfactio publica per pœnam non est actus iustitiæ commutatiuæ, ac proinde nec Iudex aut Respub. ad eam habet ius iustitiæ commutatiuæ.

Pars autem læsa, tametsi habeat ius aliquod iustitiæ commutatiuæ, tum erga Iudicem, tum erga lædentem; quia tamen id, eiusue compensatio in proposito non spectatur, nec etiam à parte læsa petitur; sed solum spectatur exæquatio pœnæ cum culpa ac iniuria alteri illata, non potest dici, hac ratione præcise exerceri actum iustitiæ commutatiuæ.

76 Assertio II. Actus iustitiæ vindicatiuæ, quatenus exercetur à Iudice ex officio debito, tum erga communitatem, tum erga partem læsam, id ob suæ iniuriæ compensationem, vel indemnitatem expetentem, spectat ad iustitiam commutatiuam. Significat ex parte S. Thomas q. 108. a. 2. ad 1. vbi dicit, punitionem peccatorum, secundum *quod pertinet ad publicam iustitiam*, esse actum *iustitiæ commutatiuæ*. Et in 3. p. q. 85. a. 3. ad 3. docet, quod *vtraq;* (tam pœnitentia, quam iustitia vindicatiua) *sub iustitia commutatiua continetur*: sicut etiam mox ibidem ad 4. subdit, *pœnitentiam esse directe speciem iustitiæ*. Eandem conclusionem docent Caietanus ibidem, Aragonius, & Salon hic q. 61. a. 1. Bannes a. 4.

77 Probatur. Quia Iudex ex officio, & iustitia commutatiua, tam erga ipsam Rempublicã, quam erga personas læsas, quarum nomine pro tali officio condignum stipendium accipit, tenetur pro loco & tempore, ad condignam pœnam delinquentibus inferendam. Idem à posteriori etiam ex eo colligitur, quod nisi hoc faciat, tenetur ad compensationem damnorum, quæ tum Reipublicæ, tum priuatis ciuibus tali impunitate inferũtur, vt suo loco patebit.

Et confirmatur, quia iudex per talem actũ, veram constituit æqualitatem inter se, ex vna parte, & Rempublicam, partemque læsam ex altera; tantum nimirum eis persoluens laboris & operæ, quantum ratione officij & stipendij tenetur.

Quanquam Sotus & Valentia loc. cit. putent, 78
eiusmodi vindictam, respectu læsi, non habere rationem iustitiæ cõmutatiuæ in iudice, quod etiam significat S. Thomas q. 108. a. 2. ad 1. vbi addit, *vindicationem, secundum quod pertinet ad immunitatẽ alicuius personæ singularis, à qua iniuria propulsatur, pertinere ad virtutem* (propriam) *vindicationis*. Sed intelligi potest, iuxta sensum præcedentis conclusionis; quando non habita ratione boni partis, ex debito officio procurandi, sed præcise solum ad æqualitatem inter delinquentem & iniuriam passum constituendam, vindicta exercetur; ipsa læsa parte eandem vindictam non expetente.

Assertio III. Idem quoque actus, vt præcise 79
refertur ad bonũ cõmune procurandum, cõmuni debito seu titulo iustitiæ legalis, etiã est actꝰ iustitiæ legalis. Videtur ex mente omniũ, & colligitur ex dictis q præc. vbi docui, iustitiã legalẽ primario, & quasi architectonicè etiã esse in principe, seque extendere ad omnia illa officia quæ Princeps pro ratione suæ potestatis, in vtilitatẽ Reipublicę præstat Et cõfirmatur. Quia ipsa legislatio in Principe spectat ad iustitiam legalem; Ergo etiã legis latæ vindicatio contra transgressores.

Assertio IV. Iustitia vindicatiua quomodo- 80
cunq; accipiatur, non est distincta species iustitiæ cõmutatiuæ. Est contra Caietanum 3. par. q. 85 a. 3. sed communis aliorum. Et colligitur tum ex S. Thoma q. 61 a. 1. debuisset enim alias eius hoc loco facere mentionẽ. Tũ ex dictis. Quia nimirum vindicta sub varijs considerationibꝰ est actus tum ipsius iustitiæ legalis, tũ commutatiuæ, tũ deinde etiã peculiaris virtutis à iustitia proprie dicta distinctæ: Ergo sub nulla ratione potest constituere distinctam speciem iustitiæ proprie dictæ.

Et S. Thomas cit. q. 85. non dicit, nec vult, eam contineri sub iustitia cõmutatiua tanquam speciem sub genere: sed intelligit (certa quadam ratione, vt dictum) sub ea contineri, vt *partem* quasi *materialem* sub toto; quia vna quædam velut pars materialis iustitiæ commutatiuæ est, vt iudex etiã per vindictam Reipublicæ & læsæ parti reddat ius suum, ad modum explicatum.

Quæres, an etiam iusta seu licita vindictæ po- 81
stulatio possit esse actꝰ iustitiæ cõmutatiuæ in postulante, iuxta ea, quæ in materia de charitate q. 6. du. 1. hac de re dicta sunt. Caietanus q. 108. a. 2. dicit, esse actum specialis tantum virtutis. Suarez disp. de iustitia Dei sect. 5. à num. 4. & 5. simpliciter negat esse actum iustitiæ. Aragonius q. 61. a. 1. vniuersim asserit, actum iustitiæ vindicatiuæ esse actum elicitũ ipsius iustitiæ cõmutatiuæ. Salon & Bañes loc. cit. vt videbimus, distinguunt.

Respondetur, hoc pendere ex eo, an etiam pe- 82
titio seu acceptio debiti in Creditore, vel postulatio priuatæ satisfactionis pro iniuria illata, v. g. restitutionis famæ extra iudicium sit, aut possit esse actus iustitiæ commutatiuæ. Quod negant Vasquez 1. 2. disp. 95. cap. 8. Suarez loc. citat. eo

quod his actibus non reddatur alteri ius suum, adeoque in ijs deficiat ratio debiti.

Sed Respondetur, non esse quidem eos actus per se iustitiæ quasi perfectos & completos; quod solũ allata ratio probat: sed tamen quoad affectũ esse, si formaliter in ijs intendatur ratio æqualitatis ex debito iustitiæ commutatiuæ constituenda ab altero: quia eiusdem rationis ac virtutis est in se ipso velle & exercere hanc rationem æqualitatis, atque eandem velle in altero.

Idem ergo etiam de postulatione vindictæ dicendum, quotiescunque à parte læsa petitur iusta vindicta, præcise ob cõuenientem & debitã compensationem iniuriæ & læsi honoris. Tametsi Salon & Bañes loc. cit. asserant, eam vindictæ postulationem tunc solum esse actum iustitiæ commutatiuæ in exigente, quando iniuria læsi in aliorum etiam nocumentum vergens, remitti non potest, aut alias condigna satisfactio non præstari, quam per sententiam & punitionem Iudicis: quod moraliter quidem eatenus verum est, quia extra hos casus sincero affectu iustitiæ peti vix solet vindicta, vt etiam indicat Suarez loc. cit. n. 6. de quo supra de charitate q. 3, dub. 1.

QVÆSTIO III.

De Iudicio priuato, & suspicione.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 66. aa 6.

AGit quidem S. Thomas q. 60. de Iudicio in genere etiam prout ad Iudicem pertinet; sed quia de hac re peculiaris est locus tractandi cum eodem S. Thoma q. 67. ex instituto hoc loco solum agemus de iudicio priuato; præmissa cõmuni ratione & diuisione ipsius iudicij.

Qua de causa hæc quæstio absoluetur tribus dubitationibus. I. Quid, & quotuplex sit Iudicium; & quomodo sit actus iustitiæ. II. De suspicione seu iudicio priuato, præsertim temerario; an & quale sit peccatum. III. An & qua ratione dubia sint in meliorem partem interpretanda.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit Iudicium; & quomodo sit actus Iustitiæ

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 60. a. 1.

1 S. Thomas de iudicio velut actu Iustitiæ acturus, quærit primo, vtrũ iudiciũ sit actus iustitiæ, & Respondet; iudiciũ, quà dicitur seu decernitur iustum, præcipue à iudice, esse actum iustitiæ; nõ quidem elicitiue, sic enim esse actũ prudentiæ, sed dispositiue, ea ratione, qua iudicium rectũ in materia castitatis, procedit ex castitate.

2 Cæterum vt plenius intelligatur, quid sit iudicium, & qua ratione sit actus iustitiæ, notandum est I. ex S. Thoma hic q. 60. a. 1. in corpore, & responsione ad 1. iudiciũ proprie, & ex ipsa nominis impositione dici, definitionẽ seu determinationẽ iusti, videlicet quasi *dictionẽ iuris*, quod est obiectũ iustitiæ; sicut *Iudex* dicitur quasi *ius dicens*.

Hinc vero amplicata nominis significatione, generatim deinde omnis recta determinatio, in rebus quibuscunque, seu practicis, seu speculatiuis, sortita est iudicij nomẽ. Cum vero vtraq; nominis acceptio (vt alias plures omittam, quibus nimirum iudicium etiam rem iudicatam, item legem iudicis, ac demum locum iudicij significat) iam sit vulgata, prima solum ad hunc locum pertinet, non secunda.

3 Notandum II. Iudicium priori illo modo acceptum, triplex distingui posse. Primũ illud, quo quiuis etiam particularis homo, in materia iustitiæ, priuatim determinat, quid iustum sit, quidq; adeo à se ex iustitia faciendum sit, cuius mentionem facit S. Thomas in corpore articuli, & ad 1.

Secundum, quo iudex idipsum publica auctoritate determinat, quod quasi per excellentiam & quandam antonomasiam iudicium dicitur, iuxta S. Thomam ibidem ad 4.

Tertium, quo priuatus etiam quisque, in particularitantum materia iustitiæ, nempe vbi de existimatione proximo debita agitur, ius suum eidé reddit hoc ipso, quod ita de illo sentit & iudicat, quo modo sentire de illo ex iustitiæ præscripto debet; de quo sanctus Thomas in hoc quidem articulo explicate mentionem non facit, sed facit tamen in sequentibus; adeo vt indistincte fere modo de hoc, modo de illo iudicio, nonnunquam etiam generatim de omnibus agat, vt in sequentibus magis patebit.

Notandum III. Quodlibet eiusmodi iudicium à S. Thoma vocari & esse actum Iustitiæ; sed non eodem modo. Primum enim illud iudicium, per se & proprie non tam est actus iustitiæ *effectiue*, seu elicitus, seu imperatus, quam *dispositiue*, vt dictum, & declarat S. Thomas in corpore, & ad 1. & 2. quatenꝰ videlicet imbutꝰ iustitia, facile p intellectũ qd iustũ sit, videt & determinat; sicut in oñi virtutis materia, peculiarẽ quandã dispositionẽ, & aptitudinem ad bene iudicandum habet ille, 4

qui

qui tali virtute præditus est: cum alioqui vitiosus ipsamet affectus prauitate impediatur, ne honestatem & debitum oppositæ virtutis, seu practice, seu speculatiuè facile cognoscat, iuxta illud Aristotelis 3. Eth. 1. *Qualis quisq; est, talis ei finis seu bonum videtur.*

Proprie autem & elicitiue actus ille iudicij pertinet ad prudentiã, seu synesin, quę pars est quędam prudentiæ, vt docet S. Thomas ad 1. & 2. quod intellige, si, vt supponimus, sit iudiciũ particulare & practicũ de iusto; secus si sit vniuersale, & quasi speculatiuum, vt recte docet Bannes hic; tunc enim ad scientiam Ethices, vel ad Iurisprudentiam pertinet.

5 Secundum vero illud iudiciũ, quatenus præcise vera quædã cognitio iusti ab altero debiti est, pertinet ad eandem Ethicam seu Iurisprudentiã: quem ipsum tamen actum nihilominus, vt actus quidã moralis est, quoad exercitium, etiã virtus prudentiæ regulare potest, iuxta S. Thomam q. 47. a. 2.

Quatenus vero est practicũ quoddã iudicium, quo cum authoritate decernitur, quid propter bonũ cõmune faciendũ sit, sic spectat ad prudentiam gubernatiuã, iuxta ea, quæ de prudentia diximus d. 3. q. 1. du. 2. & docet Valentia q. 3. pu. 2.

Vt demum est actio quædam ex officio iudicis debita partibus, qua nimirum formaliter ipsemet iudex suum, quod partibus debet, ius reddit; est actus à iustitia per se imperatus, seu vt alij loquuntur, moraliter elicitus; siue spectetur, vt in mente adhuc hæret, siue vt in actum & locutionem externam transit; eo videlicet modo, quo quæuis alia persolutio debiti iuris, est actus quidã iustitiæ. Atq; ita etiam fere docent Salon, Bannes, Aragonius cit. quæst. 60. a. 1, Valentia q. 4. pun. 1.

6 Tertius demum iudicij actus, per quem intellectus de particulari facto alterius circumspecte & solerter discurrit, probamq; coniecturam facit, an & qualis sit; cum per se non sit practicus, non videtur proprie actus elicitus prudentiæ, etsi hoc Valentia, & nonnulli significent; sed videtur potius per quandam naturalem perfectionem intellectus (quæ solertia vel eustochia dicitur) quam à certa virtute seu habitu immediate ac physice elici, vt colligitur ex Aristotele 6. Eth. 9. nisi quod hæc ipsa solertia & eustochia inter partes integrales prudentiæ cõumeretur à S. Thoma quæstione 49. ar. 4 eo videlicet, quod plurimum ad ipsum prudentiæ actum, qui alioqui est de particulari agibili, potest deseruire, vt etiã memoria, docilitas, &c. & propterea etiam ad hunc finem à prudentia imperari. De qua re pluribus egimus disp. 3. q. 1. dub. 2.

Idem vero actus iudicij, quatenus per eum ipsemet iudicans alteri, in genere bonæ existimationis, reddit quod debet, est actus à iustitia per se imperatus, siue moraliter elicitus; eo modo, quo aliæ actiones externæ, quibus sui cuiq; ius in aliquo bonorum genere redditur. Quisq; enim ex iustitia debet alteri, non solũ vt illius famam exterius non lædat, sed etiã vt quamdiu contrarium sufficienter non constat, bonam de illo existimationem habeat, saltem quoad specificationem actus, vt inferius dicetur.

Notandum IV. Etsi verum & circumspectum iudiciũ de improbitate alterius, quoad veritatis laudem, cum simili iudicio de probitate alterius conueniat; illud tamen per se nulla ratione esse actũ iustitiæ imperatũ, quandoquidẽ cum alter ius nullũ habeat, nec habere velit, vt à nobis prõ improbo habeatur, non potest hic actus, per se loquendo, illi ex Iustitia debitus esse, vt recte notauit etiam Valentia hic q. 4. pũ. 1. Secus est in Iudice, qui propter vindictam iustam exercendam, adeoq; boni publici causa, sæpe eiusmodi actum, etiam ex Iustitiæ debito, elicere debet; quod etiam in cæteris nonnunquã per accidens fieri poterit, vt si ad tuendos fidei nostræ commissos id sit necessarium. &c. 7

Et quia de iudicio primo & secundo modo accepto non est hîc agendi locus, ideo omissis illis, de iudicio solũ tertio modo accepto, an & qua ratione sit licitũ, nobis agendũ est: & quia potissimum redditur illicitum per temeritatẽ quandam iudicandi, ideo sequitur, vt de iudicio temerario agatur.

DVBIVM II.

De suspicione, seu iudicio priuato, præsertim temerario; an, & quale sit peccatum.

S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3.

QVærit S. Thomas cit. q. 60. a. 3. vtrum iudicium ex suspicione procedens sit licitum. Et loquitur potissimum de iudicio priuato, quo ex leuibus indicijs malũ quoddã proximo tribuitur, siue per iudiciũ firmũ, siue per suspicionẽ stricte acceptam; & statuit hac de re sex Conclusiones. 8

Conclusio I. Suspicio, vel iudicium, quo de proximi probitate ac honestate male sentimus, ex leuibus indicijs procedens, est illicitum. Probatur ex solutione 3. Quia hoc ipso, quod aliquis malam opinionem habet de alio, sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, ac proinde iniuriam ei facit.

Vbi optime notat Caietanus, quod in oñi hac materia pro fundamento supponendum est; inter præcipua bona hominis, computari etiã bonã de ipso opinionẽ; quam quidem alteri quisq; debet, quamdiu per sufficientia indicia nõ eliditur. Ratio est; quia humana gloria, cui nullæ diuitiæ æquiparantur, præcipue in hominũ opinione consistit. Cui consonat illud Prou. 22. v. 1. *Melius est nomen bonũ, quam diuitiæ multæ.* Et Eccles. 41. v. 15; *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.*

Hinc ergo sit, vt qui ex leuibus indicijs, adeoq; sine causa sufficiente, malam seu opinionẽ, seu iudicium de altero cõcipit, plane iniuriam ei faciat, temere videlicet eũ in corde despiciens, & simul derogans ei bonam existimationẽ, penes se quasi depositam, ad quam ille quoad specificationem actus ius habet.

10 Accedit quod ipsa etiam scriptura satis manifeste talia iudicia, & quæ eo inclinant suspiciones, prohibet Matth. 7. v. 1. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Quem locum S. Augustinus de verbis Domini serm. 28. & S. Thomas q. 60. a. 1. recte de temerario iudicio interpretantur. Idem ad Roman. 14. v. 3. *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* Et v. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* 1. Cor. 4. v. 5. *Nolite ante tempus iudicare.*

11 Conclusio II. Suspicandi facilitas ex tribus causis prouenit. Prima est malitia suspicantis; nempe quia eidem vitio obnoxius est, quod de altero temere suspicatur; talē enim quisq; facile iudicat aliū, qualē seipsum esse nouit, iuxta illud Ecclesiastæ 10. v. 3. *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Secunda causa est odium, seu mala affectio animi erga alterū; quia vnusquisq; facile credit, quod optat vel appetit, nec facile quisquā ferre potest laudes eius, quem oderit. Tertia est longa experientia, quade causa iuxta Aristotelem 2. Rhet. c. 13. *suspiciosi* esse solent *senes*; quia sæpius experti sunt varios siue suos, siue aliorum defectus.

12 Conclusio III. Omnis hæc ex leuibus indicijs suspicandi facilitas vitiosa est, magis tamen priores duæ, quam tertia. Primum patet; quia omnes carent sufficiente indicio. Secundum probatur; quia in duobus casibus prioribus, ad ipsam suspicandi temeritatē accedit prauitas affectus; in tertio casu & hæc abest, & ipsa experientia, quaten⁹ certitudinē auget, temeritatē supiciōis diminuit.

Concusio IV. Quanto magis suspicio, ex insufficientibus indicijs concepta, ad firmitatē assensus & iudicij accedit, tanto magis est vitiosa. Patet. Quia quanto vitiū quodq; magis crescit & inualescit, tanto deterius est. Est autem in genere prauæ existimationis de proximo, plus quiddā, firmiter, quam tenuiter male de proximo existimare.

13 Conclusio V. Triplex est gradus suspicionis de malo proximi, quorū semper posterior priore deterior est. Probatur & declaratur. Aut enim homo suū de malitia alterius iudiciū non firmat, sed ex leuib⁹ coniecturis de bonitate alterius solūmodo dubitare incipit; & hic est primus gradus, & peccatū leue ac veniale, ob imperfectionē actus, iuxta glossā (quæ desūpta est ex Augustino tract. 90. in Ioan.) in illud 1. ad Cor. 4. v. 5. *Nolite ante tempus iudicare.* asserente, hoc *spectare ad tentationē humanam, sine qua ista vita non ducitur.*

Aut homo ex leuibus indicijs, certo & absque hæsitatione iudicat, proximū cuidā malitiæ obnoxiū; idq; rursum vel priuato tantū iudicio, vel publico & forensi. Si primū, est secundus gradus; ac in materia quidē graui mortale, iuxta prædictā Augustini glossam; quæ addit. *Si ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamē, id est, definitiuas, firmasq; sententias continere debemus.*

Sivero eiusmodi iudiciū sit publicū forensēque, quo nimirum ipse etiam Iudex procedat ad aliquē condemnandum, est tertius gradus, & peccatum directe ad iniustitiam pertinens, vtpote iam ipso externo opere completum; idque eo grauius, quo & proximum magis lædit, & à Iudice magis alienum esse debet.

Conclusio VI. In solutione 3. Iudiciū interius pertinet ad iniustitiam, quatenus se habet ad exterius iudicium, velut actus interior ad exteriorem; sicut concupiscentia ad fornicationē, & ita ad homicidium. Probatur: quia iustitia & iniustitia completa & perfecta, est circa exteriores operationes. 14

Circa has conclusiones S. Thomæ notanda sunt sequentia. I. S. Thomam in hoc articulo, vt & alios Theologos, Iuristas, & Philosophos nonnunquam tria hæc vocabula, dubitationem, suspicionem, & iudicium fere confundere, cum tamen alioquin, ppriè loquendo, diuersissima significata habeant: dubitatio enim est hæsitatio quædā animi, in neutrā contradictionis partē determinati, sed velut in medio hærentis, iuxta Aristotelē 3. Metaph. c. 5. suspicio proprie est opinio mali, cum formidine contrarij, ex leuibus indicijs orta, vt in hoc etiā a. 3. notauit S. Thomas. Iudiciū temerarium est certa ac firma sententia de aliquo malo, ex leuibus indicijs profecta 15

Notandum II. Quando S. Thomas dicit, iudiciū internū habere se ad iudiciū externū, velut actum interiorē ad exteriorē, non ita intelligendū, quasi iudiciū interius, p̄ omnia ita se habeat ad exteri⁹, sicut voluntas occidendi ad homicidium, concupiscentia ad fornicationē; cum is qui interius iudicat, sæpe nullā plane voluntatē habeat exterius etiā iudicandi, sed poti⁹ contrariā: neq; ita etiam, quasi iudiciū temerariū, nullo externo actu proditū, in proprio genere ac materia bonę existimationis proximo debitæ, nullo modo contineat pfectā & consumatam iniuriā; cum sane per illud, absq; omni alio exteriori actu, per verā iniuriam debita proximo existimatio vere & actualiter detrahatur: sed quia cum ex sua natura disponat aliquo modo ad peccatū exterioris iudicij, vel detractionis, seu contemptus, idcirco quamdiu hac quasi perfectione exterioris actus, quē esse propriam materiā iustitię dictum est supra, destituitur, ad actum externum reuocari, & per se non ita consumatus iustitiæ actus à S. Thoma censetur. Interim dici facile etiā potest, Iustitiā primo quidē ac potissimum versari in exterioribus, sed nō solum & adæquate, vt dictum q. 2. dub. 3. 16

Notandū III. Ex supradictis conclusionibus S. Thomæ colligi, ad hoc vt iudiciū temerarium sit peccatū mortale, ex eius quidem sententia tria requiri, videlicet materiæ grauitatem, indiciorum leuitatē, & iudicij certitudinem. Quibus positis 17

Quęritur primo; Quęnam materia in proposito grauis censeatur. Respondetur cum Soto l. 3. de Iustit. q. 4. a. 3. Valentia hic q 4. pu. 3. Salone, Bañez, Aragonio, hic q. 60. a. 3. & alijs, ex cōmuni, materiā grauē in proposito, generatim loquendo, esse malū eiusmodi, cuius existimatione notabiliter, & cum iniuria lædatur, aut lędi possit fama proximi. Vnde fit, vt ea plane eodem modo sit accipienda, quo in peccato detractionis, de qua suo loco; neque nude æstimanda ex culpa seu quantitate culpæ secundum se, sed potius ex alijs circumstantijs, ex quibus accidit, alterius existimationē in tali materia grauiter & iniuriosē lædi. 18

Qua ratione fit etiam, vt noñunquam peccata

quædam

quædam etiam mortalia, in proposito, respectu certæ personæ, leuis materia censeatur; vt si quis temere iudicet, ab homine plane mundano, qui ex rebus eiusmodi potius laudē aucupetur, quam infamiam vereatur, aliquam fœminam inhoneste adamari; vel à glorioso quopiam thrasone, certamen aliquod temere & illicite susceptum &c. Cum enim isti videri tales non recusent, sane volentibus nulla fieri potest iniuria; nec vero aliunde etiā in suæ vitæ rationibus tali existimationē patiuntur detrimentum, vt supponimus, & recte notarunt Valentia, Aragonius, & alij locis citat.

E conuerso fieri potest, vt peccatū etiā veniale 19
tantū, in particulari casu, ob circumstantias personæ, sit grauis materia, Vt si de viro Religioso temere iudices, eum esse hominem mendacem, leuem. &c. aut commisisse aliquod peccatum veniale, ob quod ex peculiaribus Instituti regulis, indignus habetur superiori gradu.

Imo etiā materia eiusmodi grauis esse possunt, non tantum malā culpæ, sed etiam quædam mala pœnæ, vel naturæ; vt inhoneſto loco natum esse, respectu eius, cuius interest talem non videri, vt quidem cōmuniter interest omnium. Quę omnia in particulari, prudenti iudicio definienda erunt, vt ijdem etiam notarunt.

Quæritur secundo; Quenam indicia censeantur leuia. Ad hoc Respondetur cum Soto, Valen- 20
tia, & Aragonio loc. cit. esse illa, quib⁹ vir prudens & probus non moueatur ad talē de proximo existimationem concipiendā; nec vero in his regulam aliam certiorem assignari posse, præter prudentis viri iudicium.

Sed quia generalis eiusmodi doctrina, parum prodest, idcirco vt in specie magis aliquid definiamus, suppono cum eodē Aragonio hic cit. q. 60. a. 3. sensa animi de proximi defectu, quoad firmitatem & certitudinem, varia esse posse; & quidem, vt superius dictum, generatim loquendo triū generū, quæ sunt dubitatio, opinio, & iudicium firmum; quorum singula suam rursus latitudinem habent, vt considerāti patet.

Cumq; haud dubie, omniū prudentū iudicio, ad quemlibet assensū, maiora indicia requirantur, quanto assens⁹ ipse firmior est; hinc plane fit, vt iuxta prudentem æstimationem, etiam in proposita materia, non eadem ad singula illa animi sensa, absq; temeritate concipienda, indiciorum & argumentorum firmitas requiratur: quin poti⁹ fieri potest, vt ex quibusdam indicijs, non nisi temere suspicio concipi possit, eum tamen ex ijsdem concipi possit dubitatio; & rursum, vt non possit concipi iudicium; possit tamen opinio, aut suspicio, saltem absq; temeritate.

Quod vel in forensibus iudicijs apertissime li- 21
quet, in quo indicia quidē & argumenta quædā sufficiunt ad dubitationem, vel etiā suspicionem, adeoq; etiam ad inquisitionem, quæ tamen minime sufficiant ad condemnationis sententiam proferendam. Hoc ergo supposito, in particulari magis rem, parum certe antehac ab authoribus explicatam, declarando; tres sequentes assertiones statuimus.

Assertio I. Ad iudicium firmū sine temeritate concipiendū, de ꝓbroso alterius defectu, omnino requiruntur talia indicia, quæ moralē certitudinem pariant; seu quib⁹ moraliter semp soleat esse connexū malū id, quod iudicamus; esto quodam casu quasi metaphysico res aliter possit euenire. Sicut è conuerso leuia & insufficientia ad tale iudicium formandum sunt illa, quibus secundum mores hominum, non semper & ordinarie solet esse adiunctum id, quod iudicamus. Ita in re sentiunt Valentia, Aragonius, Bannes, loc. cit. & alij. 22

Et hoc ipsum plane indicauit S. Thomas a. 3. in responsione ad 1. vbi declarans, qualis certitudo indiciorū sufficiat & regratur ad iudicandū, dicit sufficere *conuenientē tali materiæ*, videlicet humanā & moralem, *puta*, inquit, *cum aliquid per idoneos testes probatur*; quod vel exempli causā subiecit S. Thomas; vel de forensi iudicio, in quo ad alicuius damnationē publicā proceditur, locutus, significat simul, in quibuslibet etiam priuatis iudicijs, similem iudiciorum certitudinem requiri, etsi fortasse non omnino æqualem; eo quod in iudicio priuato, non tantum proximo nocumentum infertur, quantū in publico, vt recte Aragonius.

Exempla adferunt ijdē, si quis videret iuuenē cum puella turpiter conuersantem in loco suspecto; aut vilem hominē nocturno tempore, scalis clanculū admotis, domū alienā conscendere; Si- 23
quidē in vtroq; casu, alijsq; similibus, non temere iudicaretur malū: quamuis enim iudicia hæc talia nō sint, vt ex ijs Iudex ꝓcedere possit ad condemnandū, ad fraudes scilicet iudicū tauendas &c. per se tamen certe, ac rem moraliter æstimando, non minorē fere certitudinē iudicij adferre videntur, quam testificatio per duos testes.

Ratio assertionis est. Tum quia omnis assensus certus & firmus, in re per se nō nota, vt prudens sit, firmū & certum argumentum requirit. Tum 24
quia is, qui iudicat de proximo, sibi iudicis officium assumit: Ergo talis plane certitudo indiciorum illi opus est, & sufficit ad iudicandū absque temeritate, qualis in Iudice &c. At in hoc requiritur, & sufficit moralis: Ergo. &c.

Assertio II. Ad dubiā opinionē, siue suspicionem, sine temeritate concipiendā, talia minimū 25
indicia requirūtur, quib⁹ valde ꝓbabilē, omnibus spectatis fiat, id quod suspicamur; adeo vt contrariū nulla positiua ratione sit ꝓbabile. Probatur: Quia si indicia rem parum probabilē faciant, nemo absq; temeritate & iniustitia poterit vel leui quidē opinione debitam proximo existimationē derogare. Quod si quidem ex vna parte indicia valde ꝓbabilia suppetant, sed & alteri parti interim ex alijs positiuis & particularibus argumentis sua ꝓbabilitas non derogetur, ne tunc quidē suppetet ratio, cur aliquis prudēter deteriorē cū tanto ꝓximi incomodo, partē sequatur, ꝑsertim nullo suo cōmodo &c. vt magis inferius patebit.

Assertio III. Quod si res ex ꝓprijs argumen- 26
tis prudenter expensa, videatur dubia, tunc absq; temeritate poterit quidem initio formari hoc iudicium, rem ex proprijs principijs vtrinq, dubiam esse; attamen in hoc finaliter ita sistere non licet, quin depositō dubio, ex communibus & extrinsecis quibusdam principijs practicis, seu

explicite, seu implicite rem in meliorem partem interpretari oporteat, iuxta dicenda dubio sequenti.

27 Primam partē supponere videntur oēs; & ratio est aperta. Quia quod prudens ratio in obiecto reperit, id absq; temeritate potest de obiecto iudicare. Vnde fit, vt etiā absq; temeritate, in tali casu, de re ex proprijs principijs expensa dubitare liceat; quia dubitare, vel dubium esse nihil est aliud, quam vtramq; partem contradictionis apprehendere, & post inuestigatam adductis rationibus conuenientiam inter extrema, tam huius, quam illius partis, in neutra eam inuenire, atque ideo etiam suspendere assensum, quantum est ex eiusmodi principijs dubitandi: atqui hoc totum sine temeritate, & iniuria alterius fieri potest, in proposita materia, ex proprijs duntaxat principijs expensa: Ergo. &c. Maior patet.

28 Minor probatur. Quia procul dubio licet, pro re nata, vtramq; partem contradictionis de proximi honestate apprehendere; cum in hac re nulla fiat cuiquam iniuria; quin etiam de Deo v. g. an sit, vel non sit, sæpe ad veritatem explicandam, longe absurdiora apprehendantur & disputentur. Deinde quid nī absque temeritate, & iniustitia, possit vlterius procedi, saltē ex causa rationabili, ad inuestigandā alterius partis veritatem. &c. Tandem cum fieri possit, vt re diligenter expensa, vtraque pars contradictionis vtrinque maneat dubia, certe absque culpa erimus, si ex proprijs quasi principijs rem æstimantes, vel in actu exercito hæreamus in medio, vel in actu quoque signato, rem ita vt est, speculatiue dubiam pronunciemus, tantisper dum ex communibus & intrinsecis etiam principijs rem quasi practice æstimantes, vlterius procedamus.

29 Vnde probatur secunda assertionis pars. Quia ex communibus principijs practicis, dubia sunt in meliorem partem interpretanda, vt dicetur dubio sequenti. Item ex regulis iuris; quamdiu aliquis non probatur nocens, censendus est innocens: & cum partium iura sunt obscura, fauendum est potius Reo, quam Actori. Item in dubio melior est conditio possidentis: atqui in proposito proximus noster est in possessione suæ famæ, & est instar Rei, nec satis est probatus nocens, quin potius res dubia est: Ergo non est ex possessione bonæ famæ & existimationis deijciendus, retenta pristina dubitatione, sed potius recte de illo sentiendum.

Et confirmatur eadem pars. Nam & in forensi iudicio, licet initio quidem Iudici, ex indicijs etiam non admodum certis, dubitare de rei innocentia; postea tamen quando is non sufficienter probatur nocens, debet Iudex illum absoluere vt innocentem: Ergo etiam is, qui priuatim Iudicis sibi officium assumit, &c.

30 Quæritur tertio; Quam certum & firmum iudicium esse debeat, vt in materia graui sufficiat ad peccatum mortale; an sufficiat quæuis licet dubia persuasio. De hac re duplex est sententia. Quidam enim recentiores absolute dicunt, omnem temerarium assensum intellectus, licet cum formidine iunctum, adeoque etiam temerariam suspicionem in re graui, nisi excusset indeliberatio, esse peccatum mortale. Ita Salon, Aragonius, Bannes, citat. articulo 3. qui etiam Sanctum Thomam interpretantur, superius in primo gradu suspicionis posuisse tantum dubitationem, vel suspicionem indeliberatam; in secundo vero omnem determinatum assensum, adeoque etiam suspicionem deliberatam.

Caietanus vero hic a. 3. & in summa verbo *Iudicium*, constanter docet, ad hoc vt iudicium temerarium sit peccatum mortale, requiri plane firmum assensum, & vacuum formidine, non solum actuali, sed etiam ea, quæ sit in potentia propinqua, quæ virtualis dici potest; & tunc habetur, quando reipsa quidem nunc nulla actualis formido concipitur, attamen adeo languido & infirmo assensu opinioni conceptæ adhærerur, vt si quis seipsum reflexo conceptu interrogaret, anne rem sic se habere pro certo iudicet, plane responderet, se quidem sic affirmare, attamē certum non esse; forte enim rem aliter se habere.

31 Assertio I. Regulariter loquendo, & extra materiam grauissimorum quorundam criminū, iudicium temerarium peccatū mortale non est, nisi plane firmum, & ex parte iudicantis certum sit: ac proinde etiam suspicio, in materia licet graui, per se & regulariter loquendo peccatum mortale non est. Ita non solum Caietanus loc. cit. sed etiam Syluester verbo *Iudicium* quæst. 4. Sotus lib. 3. de Iustitia quæstione 4. articulo 3. Nauarrus in commentar. super rubricam de Iudicijs numero 48. 49. & 50. Valentia hic quæst. 4. pun. 3.

32 Et idem plane sentit S. Thomas, loc. cit. quem suspicionem quidem in primo, non in secundo gradu collocasse, ex eo colligitur: Quia secundum gradum vocat; *si quis pro certo malitiam alterius æstimet*; eoque cum Glossa spectare docet *iudicia*, id est, *definitiuas firmasque sententias*: Suspicio autem non est definitiua & firma sententia, nec per eam aliquis malitiam alterius *pro certo æstimat*.

Et falsum est, quod contraria sententia innuit, certitudinem, qualem Caietanus requirit, in eiusmodi rebus moralibus, quæ ab incertis indicijs pendent, raro aut nunquam habere locum. Etsi enim vera & perfecta certitudo, tam ex parte subiecti, quam obiecti, in his rebus dari non possit; potest tamen, & solet dari certitudo ex parte subiecti, nō quia excludatur omnis potentia formidandi, etiam remota, stante indiciorum eiusmodi apprehensione; sed quia certe abesse potest & actualis formido, & virtualis, modo explicato, vt quotidiana experientia est manifestum.

33 Accedit quod S. Thomas ibidem expresse, cum Glossa, suspiciones in primum gradum reijcit, illis verbis: *Si ergo suspiciones vitare non possumus &c.* Constat ergo, S. Thomam sub nomine dubitationis, in primo gradu, etiam suspicionem, tanquam valde affinem, & in moralibus nō admodum differentem intellexisse.

Probatur autem assertio; tum ex citatis verbis, & Glossa Augustini; cuius authoritatem in hac re

grauissi-

grauissimam esse, nemo iure dubitet: tum etiam ratione, quam ita formo. Suspicio, in genere existimationis, aliquid adeo imperfectum est, vt nec omnino auferat, nec adeo notabiliter lædat debitam proximo existimationē. Ergo per se ac ex suo genere, vel saltem ordinarie nō est peccatum mortale. Consequentia patet.

34 Antecedens probatur. Quia bona existimatio de proximo, prout in bonis humanis, præcipui alicuius momenti rationem habere censetur, nō cōsistit præcise in vno quodam singulari actu iudicij recti, sed dicit potius firmam & habitualem animi quandam dispositionem; secundum quam homo, vbi opus & occasio est, semper est aptus & paratus ad recte de proximo sentiendum: quod patet, tum ex receptissimo modo loquendi, cum dicimus, hunc hominem magnam apud omnes existimationem habere, etiam quando forte de illo nemo cogitat. Tum quia vnicus actus rectæ existimationis, per se certe tanti esse non potest, vt tam præstans bonum hominis censeatur, nisi quatenus per eam ipsam homo in habituali eiusmodi dispositione recti iudicij constituitur. Vnde fit, vt sinistra de proximo existimatio nō censeri possit adeo notabile malum hominis, nisi cū ea, quantum est de se, aut rectam illam hominis existimationem etiam habitualem penitus tollit; aut certe notabiliter lædit; hominem videlicet ipsum in contraria aliqua existimatione seu dispositione permanenter constituendo: Atqui suspicio per se neutrum horum facit: Ergo &c.

35 Minor probatur. Quia cum suspicio sit opinio infirma, & formidinijuncta, adeoque facile mutabilis, non constituit hominem permanenter in aliqua dispositione contraria rectæ existimationi habituali; nec etiam, quantum in se est, facit, vt de altero recta existimatio difficulter admodum, vbi opus est, concipiatur; cum plane homo sit eius ingenij, vt suas opiniones incertas facile mutet, nec in praxi, vbi res alicuius momenti agitur, eis se facile accommodet. Etsi plane facit, vt in aliquo particulari actu & tempore, minus recta de proximo opinatio concipiatur; quod tanti momenti malum esse non videtur. Alia ratio est iudicij firmi, vt per se patet.

36 Dices. Quid si homo, qui suspicatur, sibi proponat perpetuo etiam in tali suspicione persistere. Respondetur, hoc esse per accidens; imo potius si voluntas sit efficax, non amplius erit suspicio, sed iudicium; faciet enim existimationem firmam & stabilem, qualis proponitur: si efficax non sit, tunc peccatum mortale esse poterit, ex parte ipsius voluntatis prauæ, non suspicionis per se spectatæ.

37 Assertio II. Per accidens, ratione euentus, & prauæ affectionis, modo explicato, & forte etiam ex propria materia, vitij nimirum alicuius grauissimi, & maxime infamis, potest aliquando suspicio etiam esse peccatum mortale. Prima pars extra controuersiam, & plane certa est. Probatur tum ex dictis; tum quia fieri potest, vt in aliquo etiam particulari casu, v. g. in beneficiorum & dignitatis distributione, plurimum referat, vt quis nullam eiusmodi existimationem sinistram, quantumuis infirmam habeat. &c.

Posterior pars asseritur non solum ab authoribus primæ sententiæ; sed etiam à Soto, Valentia, locis cit. & citatur etiam Victoria. Probatur. Quia suspicionis temerariæ culpa habet latitudinem, & crescit non solum ex ipsa temeritate suspicandi, quam per se nunquam putarem ad mortale sufficere; sed vel maxime etiam ex grauitate, & deformitate materiæ, ac dignitate personæ; adeo vt quanto materia & persona est grauior, tanto maior iniuria fiat proximo tali suspicione: Ergo credibile est, in aliquo raro & extraordinario casu, posse aliquando ratione personæ, aut materiæ, eo excrescere, vt sit peccatum mortale. Et confirmatur. Quia si quis de alio temere suspicetur, eum cum matre incestum commisisse, talis certe videtur ei grauissimam iniuriam inferre, vtpote quam quilibet etiam notabilis pecuniæ iactura redimeret. 38

Assertio III. Nihilominus multo probabilius videtur, secluso odio, formali contemptu, alioue prauo affectu, & euentu, non esse peccatum mortale, quoduis eiusmodi, quamuis infame peccatum, temere de proximo suspicari. Ita vniuersim Caietanus, & sine distinctione etiam loquitur Sanctus Thomas. Probatur. Tum quia non admodum grauis videtur momentanea illa actualis existimationis iactura, & nutans illa mali opinio, paulo post meliori existimatione compensanda. Tum quia talis, vt supponimus, nullo prauo affectu concipit talem opinionem, sed potius quasi bona fide, quadam inaduertentia ratus, indicia ad hoc suspicandum esse sufficientia: Ergo cum aliunde nullum damnum sequatur, videri merito potest à mortali excusandus. 39

Neq; dicas; hinc tantum effici, quod suspicio ob indeliberationem à peccato excusetur; quod nemo negat: Nam duplex esse potest in suspicione, & iudicio temerario, indeliberatio, seu inaduertentia; vna velut extrinseca, & per accidens vtriq;, consistens in hoc, quod homo non satis aduertat, an & quid de proximo cogitet; quam excusare à mortali omnes fatentur; sed de hac nō loquimur. Altera est quasi intrinseca tam suspitioni, quam temerario iudicio, in hoc consistens, quod homo non aduertit, se ex leuibus & insufficientibus indicijs malā existimationē concipere. 40

Cum enim omne iudicium, seu cognitio discursiua, ex præsuppositis sibiq; proportionata cognitione fiat; necesse est, vt qui formaliter iudicat, seu colligit quippiā ex aliquo indicio, plane existimet, indiciū illud ad subsequens iudicium esse sufficiens; si enim cogitet esse incertum, tum nec certum quidem ex eo formare poterit iudicium, quantumuis velit: & sic etiā secundum proportionem se res habet in suspicione: itaquidem, vt nec suspicio, nec iudicium temerarium, quatenus temerarium est, possit directe esse voluntarium; cum eo quidem durante, nunquam in intellectu esse possit formalis & explicita cognitio ipsius temeritatis. Et de hac inaduertentia est quæstio, an ipsa suspicionis

peccatum

peccatum, etiam aliunde non parum imperfectũ, secluſâ alia malitia, ſemper & per ſe à mortali excuſet; quod nos probabile aſſerimus.

41 Nec obſtat, quod pro qualitate materiæ & perſonæ, ſuſpicionis prauitas creſcat. &c. Nam & in alijs motibus prauis, non plane & perfecte deliberatis, creſcit malitia ex grauitate materiæ; & nec tamen vnquam ad mortalem vſque culpam excreſcit.

42 Nec etiam admodum vrget, quod eiuſmodi ſuſpiciones valde ab omnibus ægre feruntur; quamdiu enim latent, ſicut non admodum nocent, ita nec admodum ægre ferri ſolent; certe per ſe non debent: ſi prodantur vero, alia ratio eſt. Tum enim merito ægre feruntur, non quia per ſe, quamdiu mente concluſæ manent, grauem proximi iniuriam contineant; ſed tum, ne ſi forte non admodum ægre ſuſtineantur, hoc ipſo firmetur ſuſpicio, & in iudicium vertatur. Tum etiam, quia ſi quis eiuſmodi ſuſpicionem ſuſpecto prodat, iam hoc ipſo regulariter loquendo, inſignẽ ei contemptum, & grauiſſimam contumeliam inferre videtur; quam proinde eſſe peccatum mortale nemo dubitet.

43 Nec vero etiam hæc ſententia poteſt quenquã iuuare, vt deliberate velit ſuſpiciones eiuſmodi temerarias concipere; non ſolum quod directa voluntate, nemo habere poteſt ſuſpicionem temerariam qua talem, vt ſuperius dictum; nec ideo ſolum, quod noſtra hæc ſententia non admodum eſt certa; ſed etiam quia nos loquimur in caſu bonæ fidei, & ſecluſa omni prauitate affectus, quæ circumſtãtiæ in homine eiuſmodi præſumptuoſo ceſſant. Scrupuloſos ergo, & bonæ alioquin fidei, ac conſcientiæ homines iuuat noſtra ſententia, ne facile putent, ſe per ſuſpiciones mortaliter peccaſſe; conſulto temerarijs nihil fauemus.

44 Assertio IV. Suſpicio ex ſuo genere non eſt peccatum mortale. Ita contra Bannem, & Arragoniũ docent authores in prima aſſertione citati; & fauet, vt dixi, S. Thomas. Ratio eſt; quia probabilius eſt, ſuſpicionem per ſe ſpectatam, quãdiu nullâ alia accidentaria malitia, affectus, vel effectus praui grauatur, peccatum mortale non eſſe, vt dictum eſt. Id autem vocari ſolet peccatum veniale, non mortale, ex ſuo genere, quod niſi malitia alterius rationis aggrauetur, mortale peccatum non eſt.

Accedit, quod ſuſpicio, etiamſi in aliqua rara materia eſſet peccatum mortale, vt dictum aſſert. 2. nihilominus tamen per ſe, in genere moris eſt aliquid adeo imperfectum, vt ſaltem regulariter loquendo, non poſſit, intra limites propriæ materiæ, vſq; ad mortale peccatum aggrauari: quia ergo facienda eſt denominatio à potiori, & ab eo quod regulariter accidit, videntur non male loqui, qui eam ex ſuo genere, dicunt peccatum veniale. Vnde pronunciatum illud, vitium, quod intra limites ſuæ materiæ, abſque hoc, quod trahatur ad ſpeciem alterius vitij, aliquando mortale peccatum eſt, ex ſuo genere eſſe mortale, intelligi commode poteſt, ſi per ſe loquendo, atq; intra limites cuiuſcunque grauis materiæ ſuæ ſit mortale; ſecus ſi eiuſmodi non ſit; ſed per ſe quiddam adeo imperfectum, vt niſi ex particulari, eaque valde extraordinaria materiæ quantitate aggrauetur, mortale non ſit.

Sed reuera hoc argumentum, ſolum probat, 45
ſuſpicionem à toto genere nõ eſſe peccatũ mortale; non autem, non eſſe peccatum mortale ex ſuo genere, ſi in ſua ſpecie creſcere poſſit vſq; ad mortale; vt ſuo loco de peccatis dictum: eſto nõ eadem materia ſit grauis cenſenda reſpectu ſuſpicionis, quæ reſpectu pleni iudicij grauis, & ad mortale ſufficiens eſſet. Quanquam de hoc tandem non poteſt eſſe quæſtio, niſi nominis.

Assertio V. Quod hactenus de ſuſpicione 46
dictum, etiam de dubitatione, ſeruata proportione intelligendum. Omnes enim in hac re parem ſuſpicioni faciunt dubitationem, etiam in ſenſu ſecundæ aſſertionis; (nam de alijs nulla eſt difficultas;) in qua ijdem authores, qui dicunt ſuſpicionẽ in aliqua grauiſſima materia eſſe peccatum mortale, idipſum etiam dicunt de dubitatione temeraria, ſeruata proportione. De qua tamen multo certius eſt, eam per ſe non eſſe peccatum mortale, vt in tertia & quarta aſſertione dictum. Ratio colligitur ex dictis.

Quæritur quarto, Vtrum iudicare, vel ſuſpicari, 47
ex ſufficientibus indicijs, de improbitate alterius, ſimpliciter & abſolute ſit licitum. Gregorius de Valentia & Aragonius locis citatis tanquam certũ ſupponunt, id nullum eſſe peccatũ. Fundamentum præcipuum deſumunt ex illo Ioann. 7. v. 24. *Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate.*

S. Thomas videtur rem omnem tacitus præterijſſe, aut potius contrarium indicaſſe art. 1. dum vniuerſim ad iudiciũ licitũ requirit auctoritatẽ iudicantis. Pro qua ſententia adduci poſſunt illa ſcripturæ loca. Math. 7. v. 1. *Nolite iudicare, vt non iudicemini*, Rom. 14. v. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum?* Et infra v. 13. *Non ergo amplius inuicẽ iudicemus.* Item 1. ad Corin. 4. v. 5. *Itaq; nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus.*

Accedit ratio. Nam omne iudicium licitum, 48
eſt actus iuſtitiæ; ex S. Thoma art. Tale autem priuatum iudicium non eſt actus iuſtitiæ; quia per illud non redditur alteri ſuum ius; cum ipſe quidem ad malam, quantumuis veram & circũſpectam de ſe exiſtimationem, nec habeat, nec habere velit ius vllum, vt etiam art. 1. dictum. Item iudicare de altero videtur eſſe ſuperioris; quia alter hoc ipſo noſtro iudicio ſubijcitur: ſicut etiam ſpoliare alterum inuitum re ſua, ad quam alioquin ius habebat, videtur tantum eſſe ſuperioris; ſed iudicans ſpoliat alterum etiam inuitũ recta exiſtimatione, ad quam alioquin ius habebat. Ergo. &c. Neque valde vrget illud Ioann. 7. v. 24. *Iuſtum iudicium iudicate*, nam vt ex ſubiecta materia conſtat, ſermo eſt de iudicio approbationis & abſolutionis, non damnationis.

In hac re dicendum, iudicium eiuſmodi priua- 49
tum, quantumuis alioquin temeritate iniuſtitiaque vacans, abſque honeſto fine, ſeu cauſa vtilitatis, vel neceſſitatis alicui, eſſe peccatum ſaltem veniale; mortale vero ex hac parte nunquam;

niſi

nisi per accidens mortali odio, aut simul malo affectu iudicantis vitietur.

Secundâ pronuntiati partẽ supponunt omnes; & ratio est, quia tali iudicio nulla fit proximo iniuria; quandoquidem ille ius ad existimationem bonam iam ipso facto perdidit. Nec vero ad hoc, vt alicui res adimatur, ad quam ipse iam ante ius omne perdidit, opus est auctoritate Superioris, secus esset, si per me primum hoc iure spoliandus foret. Nec vero talis etiam proprie & moraliter loquendo, proximum suo iudicio subijcit, cum nullam plane auctoritatem seu vim coactiuam in alterum exerceat. Secus est, si loquamur de quadam subiectione Grammatica, vel Logica.

50 Prima pars probatur, tum prima ratione superius adducta: Tum quia alioqui iudicium tale, erit actus plane inutilis, sicut verbum otiosum.

Et certe cum iudicium hoc, vt omni temeritate vacet, adeo cautam & diligentem omnium circumstantiarum considerationem exigat, & multis ex causis errori obnoxium sit, idcirco qui ab omni culpa, aut certe à scrupulis vult esse liber, nihil agere potest consultius, quam vt abstineat ab omni eiusmodi iudicio & suspicione, nisi vel Superior sit, aut aliud præsens negotium postulet, adeoque vt fidem quoque omnẽ abroget vanis, & quæ, nullo certo authore, in proximi infamiam sparguntur, rumusculis, iuxta planum sensum S. Pauli, ad Roman. 14. vers. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Et 1. Cor. 10. v. 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Quo spectat etiã illud Augustini epist. 54. ad Macedonium: *Omnes, aut pene omnes homines amamus nostras suspiciones, vel vocare, vel existimare cognitiones, quando credibilibus rerũ signis mouemur: cum credibilia nonnulla sint falsa, sicut incredibilia nonnulla sunt vera.*

DVBIVM III.

An & qua ratione dubia sint in meliorẽ partẽ interpretanda.

S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 4.

DE hac re Sanctus Thomas loc. cit. seqũentes Conclusiones statuit. I. In iudicio personarum, quando nimirum agitur de probitate, seu honestate alterius, dubia in meliorem partem interpretanda sunt, proximũ videlicet bonũ æstimando, nisi ex manifestis indicijs probetur malũ. Probatur tum ex S. Augustino, cuius est hoc pronunciatum lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 28. idque refertur etiam de Regulis Iuris cap. *Estote*, & in Glossa super illud ad Rom. 14. v. 3. *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* Tum ratione. Quia absque iusta & cogente causa, nemo contemnendus, nec vllum proximo nocumentum inferendum est.

52 Conclusio II. In iudicio rerum, vbi videlicet præcise rerum ipsarum veritas, absque alterius præiudicio, inquiritur, si dubium existat, vnusquisque debet eniti, vt ipsam veritatem, sicut se habet à parte rei, attingat. Probatur. Quia ex vna quidem parte, quicquid de re ipsa sentias, nec obes rei, nec prodes: ex altera vero parte, concipiendo falsum iudicium, tibi ipsi noces: Ergo omnibus spectatis curandum, vt ipsam veritatem attingas, siue interim bene de re sentiendum sit, siue male.

Conclusio III. in responsione ad 1. Melius est frequenter decipi in concipienda bona opinione de malo homine; quam vel semel decipi in concipienda mala de bono. Secus se res habet, quando de re ipsa secundum se iudicatur; non enim melius est, probando seu magnificiendo rem, sæpius decipi, quam improbando seu despiciendo semel decipi. Probatur prima pars ex solutione 2. Quia si primum facio, nec proximo quicquã noceo; vt patet, nec mihi ipsi, quia falsum iudicium speculatiuum in rebus contingentibus, si moribus bonis nil noceat, moraliter rem æstimando, vix est malum aliquod; cum intellectus perfectio non consistat in hoc, vt veritatem singularium contingentiũ cognoscat, nisi quatenus opus est ad rectam operationem: imo vtriq; prosum, & proximo videlicet, bene de illo sentiendo; & mihi, morali quadam bonitate (quæ simpliciter bonitas est) actum, & animum meum informando. 53

Si autem facio secundũ, & proximo damnum ac iniuriam infero, vt patet; & meipsum lædo, imbuendo nimirum errore & falsitate, non solum intellectum speculatiuum, quod per se quasi pro nihilo haberi posset; sed etiam practicum; quod multo grauius est. Quia sicut intellectus practici in dirigendo versantis verum (quod iuxta Aristotelem 6. Eth. 2. & S. Thomam ibidem lect. 2. & in 1. 2. quæstione 57. explicatur per conformitatem cum appetitu recto) multo melius est, quam verum, intellectus speculatiui, ex conformitate cum rebus ipsis desumi solitum; cum hoc sit tantum bonum secundum quid; illud autem bonum morale & simpliciter: ita etiam falsum illius deterius est, quam huius. 54

Altera pars probatur; quia cum de rei ipsius iudicio agatur, tota bonitas cognitionis in eo consistit, vt intellectus rem ipsam, sicut est, attingat; & contra, omnis malitia in eo consistit, quod iudicium nostrum ab ipsa re cognita dissidet, vt ex præcedente conclusione patet: Ergo à toto genere, simpliciter & absolute loquendo, maius malum est, sæpius, quam rarius in tali iudicio decipi, quomodocunq; interim de re ipsa iudicetur. 55

Vbi ex Caietano, & alijs obseruandum, iudicium *rei*, in proposito, vocari non illud tantum, quod est de obiecto mere speculatiuo, sed etiam quod est de actione hominis secundum se, absque respectu & præiudicio operantis. Vt si audiens aliquem dicere maledictum, cogitem, id secundum se esse peccatum mortale; non iudicando interim, hunc ipsũ mortaliter peccasse; hoc enim esset iudicare de interna operantis dispositione. Itẽ videns cadauer hominis, si præcise iudicẽ, latrocinium esse factũ, non iudico de persona, sed de re: at si de aliqua persona particulari cogitem, eam hoc latrocinium commisisse, erit 56

iudicium

iudicium de persona; quod nimirum, vt ex dictis colligitur, semper est aut de interna dispositione seu conditione alterius, aut de applicatione personæ ad hanc actionem, vt recte notauit Caietanus loc. cit.

57 Conclusio IV. Etsi quidem dubia de proximi bonitate, in deteriorem partem, per aliquam Iudicij definitionem, interpretari nunquam liceat, vt dictum est: quando tamen de remedio seu cautela propria, aut aliena agitur, expedit, imo etiam sæpe necesse est, dubia in partem deteriorem accipere, secundum quandam hypothesin, & suppositionem.

Declaratur conclusio. Si v.g. videam hominē vilem circa ædes meas oberrantem, non possum quidem definiendo iudicare, eum furem esse; sed possum tamen eam cautelam in rebus meis custodiendis adhibere, quam adhiberem, si fur esset, cogitando nimirum, hic homo potest esse fur, & si fur esset, res male custoditas aufferret; claudā ergo, & custodiam, seu reuera fur sit, seu non sit. Item in syluis obuiam habens hominem, aspectu horridiorem, ita statuere & ratiocinari possum: hic potest esse latro, & si esset, me inuaderet, &c. Ergo me accingam ad resistendum. Eadē est ratio, cū agitur de remedio & cautela proximis nostris, præsertim subditis, adhibenda.

58 Ratio est; quia in dubio possum, & sæpe etiam debeo, mihi, alijsque quam securissimè prouidere, quatenus sine iniuria & offensione aliorum fieri potest; atqui hoc non aliter fit, quam si in remedio adhibendo supponatur, modo explicato, id quod deterius est, citra cuiusquam iniuriā & offensionem: Ergo, &c. Antecedens patet. Quia remedium, quod est efficax contra maius malum est etiam efficax contra minus malum, sed non contra. Vnde fit, vt in dubio, Prælati non debeant quidem in ordine ad pœnam, deteriorem partem supponere, adeoque subditos malitiæ arguere, vel etiam punire, aut alioquin malam de eis existimationem concipere, attamen certe cautelas, custodias, remediaque alia adhibere, ac si mali essent; semper tamen interim cauendo, ne vlla eiusmodi re earum fama & existimatio bona lædatur, vt recte post Caietanum Salon, Aragonius, Bannes, a. 4 ex communi.

59 Atque istæ Conclusiones S. Thomæ, omnes, & singulæ veræ, certæ, communiter ab omnibus, tā Theologis, quam Iuristis receptæ, & insigni sapientia plenæ sunt. Illud tantum circa primam conclusionem dubium est, vtrum dubia de persona proximi oporteat in meliorē partem interpretari, non solum negatiue, non accipiendo videlicet in deteriorem; sed etiam positiue, assentiendo meliori parti. Asserit vniuersim Sotus lib. 3. de Iustitia q. 4. a. 4. nisi in casu, quo indicia vsque adeo vrgerent in sinistram partem, vt satis esset vtrinque assensum cohibere.

Negare vniuersim videtur Caietanus, & cum eo Aragonius, a. 4. saltem loquendo per se, & extra periculum praui iudicij.

Valentia q. 4. pun. 4. & Bannes art. 4. mediam ingrediuntur viam; nimirum dubia, quæ non nituntur rationabili causa, esse plane interpretanda positiue in meliorem partem: dubia vero, quæ rationabilem causam habent, non item nisi suppositione, & quoad specificationem actus.

Salon a. 4. distinguens inter notum & ignotum, ait, de illo quidem omnino pristinum iudicium bonum etiam positiue retinendum; adeoque nouum quoque actum boni iudicij eliciendum, si opus sit: atqui de ignoto satis esse, in dubio, plane neutraliter se habere, tam respectu facti, quam personæ.

Jn hac re supponenda sunt duo, quæ certa & extra controuersiam sunt. I. Dubia eiusmodi, 60
tam ex sufficientibus indicijs, quam temere concepta, esse interpretanda in meliorem partem, saltem negatiue. II. Imo etiam positiue, ex suppositione, posito scilicet, quod aliquis alteri parti positiuo assensu velit adhærere; quod imprimis etiam probat ratio S. Thomæ.

His positis, est Assertio I. Dubia quæcunq; 61
de proximi honestate seu probitate, ita sunt in meliorem partem interpretanda, vt plane retineatur illa existimatio pristina, quam ante eiusmodi dubij casum de proximo habebamus, seu habere debebamus, siue proximus sit notus seu ignotus, & siue dubium illud initio ex sufficientibus indicijs conceptum sit, siue non sit. Hanc plane supponit non solum Salon, sed etiā S. Thomas hic a. 4. qui vniuersim loquens de dubio, vetat, ne propter illud nostra de proximo existimatio pristina lædatur, vel diminuatur: imo idipsum plane etiā supponit Caietanus & Aragonius loc. cit. qui expresse docent, hoc scilicet esse in partem meliorē dubia interpretari negatiue, non deponere bonā opinionem pristinam de proximo, sed in eadem persistendo, habere eum pro viro bono: quod Sotus, & alij parum aduertisse videntur; neque sane hoc aperte quisquam negat.

Probatur apertissima ratione S. Thomæ. Quia 61
sine vrgenti, siue iusta causa, non est proximus re sua spoliandus, aut in ea quoquo modo lędendus; sed exortum dubium non est iusta causa, cur nostra de proximo existimatio pristina lædatur: Ergo in ea, non obstante dubio, perseuerandum. Maior constat. Minor probatur ex varijs pronunciatis Sapientum, & regulis Iuris præc. art. citatis: nimirum reg. 65. in 6. In dubio, seu *pari causa, melior est cōditio possidentis.* Itē *qui non probatur nocens, cēsendus est iñocēs.* Itē extra reg. 2. inter cō. *Dubia sunt in meliorem partem interpretanda.* Item reg. 11. in 6. *Cum partium iura sunt obscura, fauendum est potius Reo, quam Actori:* Item ff. de reg. Iur. reg. 125. Fauorabiliores rei potius, quam actores habentur. Et ibid. reg. 192. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus iustius est, quam tutius. Ergo dubium non potest esse iusta causa, cur proximi existimatio pristina lædatur.

Assertio II. In nullo dubio, de proximi ho- 63
nestate seu probitate, licet penitus in medio hærere & subsistere; quin potius non tantum de noto mihi, sed etiam de ignoto, teneor, non obstante quocunque dubio, saltem habituali quadam animi dispositione, recte sentire; habendo videlicet eum pro viro bono & inculpato, quamdiu manifestis indicijs malus non probatur. Ita recte

Sotus, & ſupponit S. Thomas, loc. cit. cum vniuerſim ait; *Vbi non apparent manifeſta indicia de malo alicuius, debemus eum vt bonum habere.* Ita etiam in re ſentiunt Caietanus, & Aragonius, vt ſuperius dixi.

Ratio eſt; quia non obſtante dubio, retinenda eſt, ea de proximo exiſtimatio, quam prius habebam, aut habere debebam; ſed de quolibet eiuſmodi homine etiam ignoto, habere debebã prius ſaltem habitualiter, bonam exiſtimationem: Ergo etiam talis habenda erit poſtea. Maior patet ex præcedenti aſſertione. Minor probatur tum ex illo axiomate iuris: *Bonus præſumi debet, qui non probatur malus.* Tum ratione. Quia ſi, vbi indicia ſunt dubia in vtramque partem, tam malam ſcilicet, quam bonam, teneor bene de proximo ſentire, multo magis etiam teneor, quando nulla poſitiua in vtramque partem ſunt indicia. Quia & tunc minus inclinor ad hominem malum iudicãdum; & facile eſt bonum præſumere eum, quem nulla penitus ratio malum arguit.

64 Nec obſtat, quod hominibus ignotis, ſe pro talibus aut talibus venditantibus, vt liberalem eleemoſynam aut cõmendationem impetrent, credi non ſolet abſque teſtimonio, aut literis cõmendatitijs. Aliud eſt enim præclaram de aliquo, & ſolito maiorem exiſtimationẽ habere, aliud habere pro homine honeſto & probo; illam nemo habere tenetur abſq; ſufficientibus indicijs & argumẽtis; hanc cuiuis, qui malus nõ probatur debemus.

Dices. Aut creditur talia de ſe prædicanti, aut non creditur. Si creditur; ſine cauſa teſtimonia exiguntur: ſi non creditur; ergo hoc ipſo habetur mendax; adeoque debita ei exiſtimatio denegatur. Reſpondeo, in tali caſu, merito ſuſpendi vtrinque aſſenſum quoad fidem peculiaris illius narrationis, donec teſtata fiat; & nihilominus in communi retineri debitam de proximo exiſtimationem; vt quicquid ſit de illa narratione, priuatim habeatur vir bonus & honeſtus. Dices, ergo tenemur illum promouere, &c. Reſpondeo; ad peculiarem promotionem ideo non tenemur, ſed communem charitatem. Nam quoad ſpecialem fauorem, ob cautelam & vitandas conſuetas fraudes, recte, quaſi ex tacita ſuppoſitione ſupponitur pars deterior; donec probetur contrarium, vt generatim dictum dub. 3. Dici etiam poteſt, credi quidem priuatim tali narrationi; ſed non in ordine ad extraordinariam promotionem: ſic enim ob cautelam recte ſupponitur pars deterior, vt dictum.

65 Assertio III. Per ſe loquendo, non eſt opus, eiuſmodi dubia, ſeu ex grauibus indicijs, ſeu ex leuibus orta, idq; ſiue de homine noto, ſiue ignoto, explicito & formali actu, in meliorem partem interpretari; ſed ſatis eſt, quocunque demum modo, exortam animi dubitationem ita compeſcere, vt animus æque ac antea paratus & recte diſpoſitus ſit, ad bonam de proximo opinionem, vbi & quando opus eſt, reipſa & formaliter concipiendam. Hæc eſt ſententia Caietani, Aragonij, & ſane veriſſima. Tum quia ſi nullum dubiũ fuiſſet ortum, non debuiſſem elicere actum eiuſmodi poſitiuum. Tum quia per ſe loquendo, ſatis eſt bonam de proximo exiſtimationem nullatenus lædi; ſed patet non lædi, etiam ſine formali eiuſmodi actu, reijciendo videlicet & improbando dubitationem: Ergo &c.

Verum tamen eſt, ſemper debere interuenire 66
aliquem actum poſitiuum, exorta dubitatione, tum intellectus, ſeu apprehendentis practica illa principia, quibus dubia de proximo in meliorem partem interpretari docemur, ſeu demum aliud quiddam cogitantis, quo dubitatio compeſcenda ſeu reijcienda iudicetur: tum voluntatis approbantis practice eiuſmodi intellectus decretũ, adeoque etiam aliquo modo reſpuentis priorem dubitationem; quia ſi voluntas dubitationem nulla ratione improbet, tunc animus ſemper manebit habitualiter, ſeu virtualiter in concepta dubitatione, & ſic non erit promptus, vt antea, ad rectam de proximo æſtimationem concipiendã; ſed potius ipſa dubitationis continuatione proximo iniuriam inferet, &c.

Dixi tamen per ſe. Quia per accidens aliquando fieri poterit, vt bona de proximo exiſtimatio formaliter etiam elicienda ſit; ſi nimirum alioqn dubitatio compeſci non poſſet, aut ob aliam cauſam extrinſecam, vt per ſe manifeſtum eſt. Neque ſane aliud videtur voluiſſe Sotus. Ex quibus 67

Colligitur I. S. Thomæ & Caietani ſententiam 68
eſſe generatim & vniuerſaliter accipiendam, prætermiſſa illa diſtinctione de indicijs grauibus & leuibus; item de proximo noto & incognito. Quia tametſi aliunde in his ſit diſcrimen, nimirũ quia dubitatio ex leuibus indicijs nec concipienda quidem vllo modo eſt, nedum emendanda meliori iudicio; item quod de viro noto ſæpius vſus & occaſio eſt, concipiendi bonam exiſtimationem; adde etiam maior ratio; tamen in propoſito, per ſe loquendo, non eſt aliqua differentia, vt oſtendimus.

Colligitur II. Caietanum & Sotum, inter ſe 69
reipſa non diſſentire: aliter enim hic accepit hoc, quod eſt, dubia in meliorem partem interpretari negatiue, aliter ille. Hic enim pro eo accepit nude, quod eſt animum in æquilibrio dubitationis ſuſpenſum tenere, non concipiendo, nec vniuerſaliter quidem vllam de proximo opinionem bonam; quo in dubio nec reſpectu noti, nec reſpectu ignoti ſufficit, vt ex dictis patet. Ille vero pro eo, quod eſt, priorem opinionem bonam de proximo ita retinere, vt tamen interim caſus dubius, explicito & formali iudicio, nec virtuti tribuatur, nec vitio; quod per ſe in omni caſu ſufficit, vt dictum eſt. Atque hæc de iudicio priuato.

QVÆSTIO IV.

De processu Iuridico in criminibus ordinarijs; adeoque de iustitia & iniustitia iudicis, rei, accusatoris, testium, aduocati.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 67. 68. 69. 70. & 71.

NOn coniungit quidem Sanctus Thomas tractationem de iudicio, & processu iuridico; sed interponit tractationem de Restitutione, & vitijs quibusdam iustitiæ oppositis; inter quæ etiam recenset, quæ ad iudicialem processum pertinent: sed quia totus processus iuridicus, ex parte omnium earum personarum, quæ ad eundem processum pertinent, vt sunt iudex, accusator, reus, testis, aduocatus, per se potius continet actus iustitiæ, quam vitia seu peccata eidem opposita, simulque cum iudicio (de quo velut actu iustitiæ iam antea egerat Sanctus Thomas) magnam affinitatem habet; idcirco de his omnibus, velut actibus iustitiæ, consequenter hoc loco agemus; ita quidem vt hac quæstione de processu iuridico in criminibus ordinarijs; sequenti vero de processu in criminibus exceptis tractemus.

Absoluetur autem hæc quæstio sex dubitationibus. I. De iustitia & iniustitia iudicis; speciatim an & qua ratione iudicium publicum sit licitum, ex parte ipsius iudicis. II. Vtrum Iudex semper secundum leges, aut allegata & probata iudicare, & sententiam ferre debeat; etiam condemnando innocentem. III. An & quando sententia iudicis ob iniustitiam sit irrita; præsertim in causis beneficiorum. IV. Quis processus generatim à iudice in iudicando sit seruandus. V. De iustitia & iniustitia rei. VI. De iustitia & iniustitia accusatoris, testium, aduocati.

DVBIVM I.

De iustitia & iniustitia iudicis; speciatim an, & qua ratione publicum iudicium sit licitum; idque etiam si iudex sit in peccato mortali, vel excommunicatus: deque Iurisdictione eidem necessaria.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 60. a. 2. 5. 6. & q. 67. a. 1.

DE hac re ex mente Sancti Thomæ loc. cit. statuimus sequentes assertiones. ASSERTIO I. Iudicium iudicis, seruatis debitis circumstantijs, est licitum. Ita Sanctus Thomas quæst. 60. art. 2. & est de fide contra Waldenses apud Castro V. *Iudex*, & contra Anabaptistas apud Bellarminum lib. 3. de membris Ecclesiæ militantis cap. 9. qui negant, fas esse Christianis exercere iudicia. Sed refelluntur aperte. Tum quia licitum est Christianis è suo numero habere reges, Principes, duces, quorum præcipua functio est rectum iudicium, ex psalm. 2. Isaiæ 33, Ioann. 13. Tum quia Christianis licet leges ferre; Ergo & tueri, contra iniquos, auctoritate iudiciaria. Tum quia alioquin pax & tranquillitas in Republica conseruari non posset. Vnde sapienter S. Augustinus epist. 54. ad Macedonium; *Non est iniquitatis, sed potius humanitatis societate deuinctus, qui propterea est criminis persecutor, vt sit hominis liberator.* Et inferius: *Non inutiliter metu etiam legum humana coercetur audacia, & vt tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, dum formidato supplicio frænatur facultas, inuocato Deo, sanetur voluntas.* Et infra: *Sicut est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens.*

Illud autem Matthæi 5. vers. 40. *Et ei, qui voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Solum intelligitur quoad animi dispositionem seu præparationem, si quo casu id necessarium foret, ad diuinam offensam vitandam, ex Augustino epist. 5. ad Marcellum.

Alius locus ex 1. Corinth. 6. solum reprehendit lites scandalosas Christianorum, apud iudices infideles; & simul perstringit eos, qui iniuste causam præbent litibus: alioquin ibidem officium iudicis inter Christianos expresse approbatur. Vide Bellarminum loc. cit. & Valentia q. 4. punct. 2.

ASSER-

3 Assertio II. Ad rectum iudicium iudicis requiruntur quatuor conditiones. I. legitima authoritas ex parte iudicantis, siue hæc sit ordinaria, siue delegata; aut etiam arbitri, vel arbitratoris. II. iustitia ex parte rei iudicatæ, ne scilicet fiat contra ius alterius. III. debitus processus, seu ordo Iuris; quo spectant circumstantiæ loci, temporis, modi iudicandi, citatio & audientia rei, certaque probationum momenta. IV. rectus affectus & intentio iustitiæ, sine odio & priuatæ vindictæ cupiditate. Est communis interpretum hic q. 60. a. 2. & apud Aragonium art. 5. Suarez 3. p. tom. 5. d. 4. sect. 7. n. 2. & colligitur ex S. Thoma a. 2. Ratio est; quia plura in iudicio spectari non possunt, quam quatuor illa requisita: & sine aliquo illorum continuo violatur in publico iudicio ius naturale, vt patebit assert. seq.

4 Assertio III. Differentia tamen inter eas conditiones est, quod ob defectum solius vltimæ conditionis, nunquam inualidum est iudicium; ob defectum autem duarum priorum, per se quidem & in conscientia semper est inualidum: ob defectum vero tertiæ conditionis, quandoq; inualidum; si nempe ordo iuris quasi substantialis prætermittatur; secus, si tantum accidentalis. Ita Aragonius & Suarez loc. cit. ac fere Sotus lib. 3. de Iust. quæst. 4. Bannes hic art. 5. Valentia quæst. 4. punct. 2. saltem extra causas beneficiorum de quibus infra; & videtur communis Theologorum; quicquid in secundo casu, cum agitur de iniustitia rei iudicatæ, præter Iuristas, repugnet Sa V. *Iudiciales actus*, tit. de sententia & citatione n. 5. vbi ait, *sententia iniusta, seu data secundum allegata & probata, & non continens intolerabilem errorem, valida est in vtroque foro.*

5 Vocatur autem *substantialis ordo* iuris, qui seu ex naturali ratione, seu peculiari legum dispositione, ad valorem & substantiam sententiæ necessarius est: cuius generis casus refert Aragonius: Si sententia fuerit lata in die feriato seu festo, ex cap. finali de ferijs: item si in Ecclesia, per iudicem secularem, ex cap. *Decet*, de Immunitate Ecclesiarum, nisi detur, inquit Sa loc. cit. nu. 1. per modum *voluntariæ iurisdictionis*; vbi scilicet nemo se opponit. Addit merito Sa etiã duos istos casus. 1. Si sententia lata sit sine citatione rei, & copia se defendendi, vt omnes consentiunt, & constat ex Instit. l. 4. tit. 16. §. 2. & leg. 1. ff. Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur: nisi euidens sit, nullam esse defensionem. II. Si interueniente pecunica lata sit sententia; nisi sit arbitri. Plures referunt Abbas in cap. 1. de sententia & re iudicata & Sayrus l. 1. c. 12.

Prior autem pars assertionis probatur. Quia talis sententia, secundũ rem, & prout in actum externum transit, nullam infert iniuriam proximo, sed per omnia conformis est iustitiæ.

6 Secunda pars assertionis, quoad primam conditionẽ probatur. Quia sententia Iudicis est quasi lex quædã particularis, quæ nisi à superiore ferri nullo modo potest. Vnde leg. 4. Cod. Si à non competente, vniuersim sancitur, *ne quenquam litigatorem, sententia non à suo iudice dicta constringat.*

Quantũ vero ad secundam conditionem, eadem secunda pars probatur ex ipsa ratione iudicij; quia iudicium ex parte rei iudicatæ iniustum, non est iudicium, quod vt supra vidimus, nil aliud est, quam dictum iuris seu iusti. Vnde etiam leg. 1. ff. Quæ sententiæ sine appellat. rescindantur, dicitur, sentẽtiam etiam sine appellatione irritam esse, *quando contra sacras constitutiones iudicatur.*

7 Nec refert, quod sententia talis possit esse formaliter iusta, vtpote lata secundum allegata & probata; id enim non sufficit: quia valor humanarum actionum, à parte rei, & in foro conscientiæ non pendet præcise à probationibus seu præsumptionib⁹ externis, sed à rebus ipsis. Aliud est, si loquamur de foro externo, in quo quia solum ad probationes & præsumptiones externas attenditur, sententia formaliter iusta, hoc est, ex allegatis & probatis legitime lata, etsi materialiter & secundum rem iniusta, valida habetur.

8 Vnde fit etiam, vt Iurisperiti in suo quidem foro, eam tantum sententiam inualidam dicant, quæ continet *intolerabilem errorem*; vt quæ præcipit aliquid manifeste impossibile; vel aperte malum; vel prohibet aliquid aperte bonum & faciendum; aut condemnat innocentem, sine vlla probatione, vt recte etiam Sayrus libro 1. cap. 12. Theologi vero communiter, attendentes ad forũ conscientiæ, & ipsam rei veritatem secundum se, omnem sententiam iniustam, quæ aduersatur iustitiæ & veritati à parte rei, siue error ipsius sit manifestus & intolerabilis, siue non, iudicant nullam & inualidam, vt recte Salon.

Dixi tamen, *per se*; quia per accidens, si vel de iniustitia non satis constet, vel ratione scandali, nonnunquam etiam in conscientia obtemperandum erit tali sententiæ; cum in dubio melior censeatur conditio possidentis Superioris; cui proinde inferior suum iudicium submittere, & obtemperare debẽt.

9 Atq; hæc est etiã sententia S. Thomæ hic q. 60. art. 5. ad 1. & infra quæstio. 70. art. 4. ad 2. Caietani ibidem, & in opusculo 16. respons. 14. Syluestri V. *Sententia*, q. 11. post Innocentium & Panormitanum in cap. *Quia plerique*, de immunitate Ecclesiæ; & habetur etiam ex l. *Iulianus* ff. de condictione indebiti.

10 Tertia pars assertionis declaratur; quia in omni materia, defectus quidam ceremoniarum accidentalium, ad substantiam rei non pertinentium, valorem actionis non impedit, secus si deficiat aliquis modus substantialis. Vnde etiam in priori casu, talis sententia absolute dicitur iusta cap. *Sacro*, de sentent. excommun. E contrario de posteriori casu loquuntur iura, cum dicunt, sententiam contra leges, aut canones prolatam, esse nullam, vt habetur cap. 1. & cap. *Cum inter*, de re iudicata, & leg. *Præses* l. *Cum prolatis*. ff. eod. tit. & l. *Prolatam* C. de sentent. & interlocut. vt optime notauit Suarez loc. cit.

Addit Aragonius, idipsum procedere non solũ de iudicio inferiore, sed etiam de supremo, si quidem sententia iniusta ex parte processus, lata

sit in fauorem vnius, cum damno alterius: quia in tali casu Princeps valide quidem dispensare potest in legibus, etiam à se conditis, vt suo loco de legibus dictum.

Quod tamen ad dies feriatos attinet, in ipsomet illo cit. cap. finali de ferijs, limitatio adijcitur ab omnibus recepta; nisi videlicet necessitas vrgeat, aut pietas suadeat.

11 Ex quibus colligitur, I. eum, cui per sententiam ex parte rei iudicatæ iniustam, etiam secluſa mala fide res obtigit, quamdiu legitime non præscripsit, teneri in conscientia, etiam citra iudicis sententiam, aut læsæ partis appellationem, seu postulationem, rem inique obtentam (posteaquam de sententiæ iniustitia certior factus est) restituere, vt recte cum Soto docent citati.

Alia ratio est; si sententia ex defectu iudiciariæ authoritatis tantum, vel processus iuridici fuerit nulla. Quia si interim res ipsa huic reuera debita sit, isque tali sententia mediante, in eius rei possessionem bona fide peruenerit, poterit quidem alter de sententiæ iniustitia conqueri, sed hic, vtpote rem suam bona fide possidens, non tenetur in conscientia, ante sententiam iudicis, alterum in eiusdem rei possessione iterato statuere, non quidem quasi sententia fuerit in re valida, sed quia, si qualicunque etiam alia ratione, præsertim cum bona fide, rem suam recuperasset, non teneretur eam alteri cedere, vt colligitur etiam ex citata l. *Iulianus*.

Atque hæc forte causa est, cur Valentia, & alij nonnulli absolute dicant, sententiam ratione solius processus (sub quo videntur etiã comprehendere authoritatem iudicantis) iniustam, non esse nullam.

12 Colligitur II. Qua ratione intelligendum sit celebre illud dictum S. Gregorij, quod refertur 11. quæst. 3. *Sententia pastoris siue iusta sit, siue iniusta, timenda est.* Procedit enim tum de sententia dubia, in qua Superiori obtemperandum; tum de iniusta, quoad modum accidentalem, qualem etiam in conscientia validam dixi; tum de iniusta in re, sed iusta in foro exteriori, quæ saltem etiam in eodem foro executioni mandari solet, & ex parte etiam in foro conscientiæ, quoad ratione scandali opus est, seruari debet. Sic enim etiam innocens excommunicatus publice (secundum allegata & probata) debet propter scandalum à communione aliorum abstinere, vt bene declarat Suarez cit. num. 41. & suo loco tom. 4. pluribus dicetur.

Colligitur III. Tyranno Rempublicam iniuste inuadenti, adeoque à Republica nondum 13 recepto, etiamsi iustum aliquid præcipiat vel decernat, per se quidem in conscientia obtemperandum necessario non esse, vt habet communis sententia, tam Canonistarum in cap. *Accusatores* causa 3. quæst. 8. & cap. *Infames* 3. quæst. 7. quam Theologorum, cum S. Thoma in 1. 2. quæst. 96. art. 4. speciatim Soti lib. 3. de iustitia q. 4. artic. 6. & Sumistarum V. *Iudex*, V. *Sententia*, V. *Tyrannus*. Etsi Victoria relectione de potestate ciuili n. 23. Bannes & Aragonius hic quæstione 60. art. 6. & Lessius lib. 2. cap. 23. du. 9. sentiant, per se etiam aliquam in conscientia vim habere posse eiusmodi præcepta.

Quanquam per accidens non nunquam ob scandalum, aut Reipublicæ perturbationem vitandam, id necessarium sit; si nempe frustra, nec sine scandalo, vel damno Reipublicæ Tyranni iugum & obedientia detractetur. Quod tunc quidem communiter accidit, quando iam depositis armis, in pacificam Reipublicę possessionem Tyrannus venit. Quo casu etiam ex ipsa tacita voluntate Reipublicæ, vim habere eius mandata ac iudicia, vt citati sentiunt, probabile est. 14

Quod si quis Tyrannus est, solum quoad modum administrandi Rempublicam, aut etiam à Republica pro domino est legitime receptus, tum eius quidem tanquam veri domini iudicijs ac præceptis vtiq; obtemperandum erit, etiam in conscientia.

Cum vero hæc generatim de honestate iudicij certa sint; quædam tamen supersunt dubia speciatim declaranda. Primo enim quæritur, quid 15 sentiendum sit de iudice in peccato mortali sententiam proferente. De qua re breuiter statuimus sequentia. I. Ratione peccati mortalis præcise, nõ amittitur iurisdictio, nec irrita adeo redditur sententia. Est de fide, contra Wicleffum & Hussium damnatos in Concilio Constantiensi sess. 8. a. 15. & sess. 15. a. 30. Et patet Matthæi 22. versu 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari* (quamuis impio) Matth. 23. v. 2. 3. *Super Cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.* Ad Rom. 13. v. 1. & 2. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* 1. Petri 2. v. 13. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ.* Et ib, v. 18. *Non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*

II. Iudiciũ seu ciuile, seu Ecclesiasticũ proferre in peccato mortali, per se non est peccatum. Ita 16 cum S. Thoma hic q. 60. art. 2. ex cõmuni docent Caietanus, Salon, Bañes, Aragonius ibidẽ, & Nauarr9 in comment. de iudicijs, Valentia q. 4. pu. 2. licet olim contrarium dixerit Alensis 3. p. q. 40. mem. 3. apud Sylueſtrum V. *Iudex* §. 12. & quoad Ecclesiasticũ iudicẽ S. Thomas 4. d. 9. q. 2. a. 2. Paludanus ibid. q. 3. Sylueſter V. *Correctio fraterna* q. 16. Ratio est. Tum quia alias pariter p̃cipere quicquã in peccato mortali, esset peccatũ, quod nemo dixerit. Tum quia iurisdictionis vsus, nec certam quandã consecrationẽ in subiecto supponit, nec ad eã per se ordinatur. Alia ratio est vsus ordinis, ad quem peculiaris consecratio & gratia diuina conceditur.

III. Proferre iudiciũ in peccato mortali occulto, etiam absolute ac simpliciter loquendo, nullum est peccatum, nec mortale, ex communi, nec veniale. Ita contra Sotum libro 3. de iustit. quæstio. 4. art. 2. Bannes, alijque citati, iuxta S. Thomam loc. cit. qui absolute dicit in peccato occulto existentẽ, posse cum humilitate & timore arguere. Quod intelligendũ nõ est, de positiuo 17

aliquo

aliquo humilitatis vel timoris affectu, quasi alioquin venialiter peccetur, vt indicant Caietanus & Valentia, sed ne per superbiam & hypocrisin ipso iudicio se quasi innocentem velit ostentare, sed potius ita agat, vt ex officio rem agere videatur. Idem in simili dictum de correctione fraterna.

18 IV. Idem pariter dicendum de peccato publico non scandaloso, si prædicta moderatio adhibeatur; quicquid de veniali peccato in hoc casu dicat etiam Bannes l. c. Ratio enim est eadem. Quod autem in cap. vltim. de temporibus ordinandorum dicitur, Prælatum in peccato mortali esse *suspensum quoad se*, intelligendum est de vsu ordinum, non solius Iurisdictionis, vt recte Caietanus, Valentia, & alij.

19 V. Iudiciũ proferre in peccato publico & scandaloso, sępe quidem esse potest mortale per accidens, & ratione scandali, vt habet communis apud S. Thomã, & citatos; quandoquidẽ inde facile etiam à non pessimis contemnitur iustitia; & indignatio pernicios ã etiã contra ipsum officium iudicis concipitur; dum vident, non seruari æqualitatem in iudicijs, sed viliores quidẽ puniri, ipsum vero iudicem in eodem scelere impune viuere. Attamen si ex eiusmodi iudicio nullum nouum oriatur scandalũ, tum etiã nullũ nouũ peccatum eo iudicio committetur, vt indicant etiã Salon & Bannes loc. cit. Non est tamen ideo necesse, iudicẽ prius de peccato pœnitentiã agere, sed satis est, signa pœnitẽtiæ ostendere, aut alio quouis modo scandalum amoliri.

20 Secundo quæritur, quid sentiendum sit de iudice excommunicato. Respondetur, si nominatim denunciatus sit, aut notorius percussor Clerici, certum est, eum peccare ex suo genere mortaliter vsurpatione iudicij, actaque eius esse irrita, cum talis iurisdictione careat, iuxta cap. *Ad probandum*, de sentent. & re iudic. cap. *Audiuimus*, & cap. *Miramur* 24. q. 1. & cap. *Nos sanctorum* 15. q. 6. idq; etiam de seculari iudice procedere, ex comuni Doctorum recte asserit Lessius l. 2. c. 29. n. 61. iuxta cap. *Exceptionem*, de Exceptionibus, & cit. cap. *Nos sanctorum*.

21 Nisi forte iudex in tali casu aut ad alium locum commigret, aut in loco suæ iurisdictionis non habeatur pro denunciato, vel publico Clerici percussore. Tum enim acta quidẽ eius erunt valida, licet ipse ingerendo se in officium quasi alienum, à quo nempe est ex sua parte suspensus, ex suo genere mortaliter peccet, vt docet Lessius numero 62. qui dub. 8. recte etiam vniuersim notat, acta iudicis, qui habet titulum saltem coloratum, seu communi errore putatur legitimus Superior, esse valida, ex communi Doctorum in cap. *Nihil*, de electionibus, & l. *Barbarius* ff. de officio prætoris, consentientibus etiam Theologis in materia de pœnitentia. Addit etiam, nec teneri officium aut beneficium ante sententiam iudicis resignare, aut ab administratione desistere, etiamsi quis ipso iure sit priuatus titulo, vt etiam tom. 2. de legibus quæstione 6. dub. 4. numero 66. dictum, & patebit infra.

At vero si quis solum occulte sit excomunicatus; aut notorie quidem, sed extra duos casus supradictos; tunc verius est, post Concilium Constantiense cap. *Ad euitandum*, talem quamdiu ab Ecclesia toleratur, non peccare vsurpatione iudicij; nec adeo acta eius esse irrita. 22

Licet verius sit, eũ nihilominus aliunde ex suo genere peccare mortaliter iudicando, saltem si notorie excommunicatus sit, vt docet Nauarrus c. 27. n. 7. Sotus in 4. d. 22. q. 2. a. 1. Lessius n. 57. & 59. quamuis Henriquez de excomunicatione c. 7. cum Bartolo & Ledesma, fauente etiam Caietano V. *Excommunicato vetita*, satis probabiliter asserant, id solum esse veniale. Ratio est. Quia cum tali excommunicato non interdicitur alijs comunicatio post Concilii Cõstantiense; quamuis interim ipse ex sua parte nil releuetur.

Si quo tamen casu, ex officio cogatur iudex procedere ad iudicandum, & non sit occasio liberandi se prius ab excomunicatione, nil peccabit, ne reddatur vtrinq; perplexus, vt in simili de ministro Sacramentorum dicetur tom. 4. 23

Nemo tamen tenetur interim admittere vllum iudicem excommunicatum; sed potest excipere contra illum, quod sit excommunicatus; modo tamen hoc possit probare, iuxta cap. *Exceptionem*, de exceptionibus. Si tamen partes in talem iudicem consenserint, & sententia alioquin rite lata fuerit, non potest propter excommunicationem rescindi, sicut nec etiam cum partes alieno iudici, iure permittente, se subijciunt, vt recte Lessius n. 58. & 59.

Tertio quæritur, An & quomodo obtineatur Iurisdictio ad iudicandum necessaria. Respondetur, eam haberi quatuor modis, vt notat Sanctus Thomas quæst. 67. art. 1. Nimirum 1. ex officio, quoad subditos, & vocatur *ordinaria*. 2. ex commissione; & vocatur *delegata*. 3. ex propria subiectione litigantium, & dicitur *arbitraria*, tam arbitrum complectens, qui formam iuris sequi debet, quam arbitratorem, qui ad hoc non tenetur. 24

Atque hoc modo Pontifex, in omnibus & solis causis illis, atq; eo duntaxat modo, alteri se iudicandum potest subijcere, in quibus, & quo modo seipsum potest iudicare: nisi quod in confessione se subijcere alteri potest, in qua tamen seipsum iudicare non potest, vt post Caietanum habet communis. 25

Qua etiam ratione iuxta eundẽ conciliari potest S. Thomas cit. art. 1. generatim significans, Papam se alteri iudicio subijcere posse cum ijs, quæ & ipse & alij communiter, vt Albertus Magnus, Richardus, Bonauentura, Paludanus 4. dist. 18. vel 19. docent, Pontificem se alteri subijcere non posse.

Et quamuis Pontifex peccet contra iustitiã, sine causa rationabili agẽdo cõtra sententiã ita legitime semel pronunciatã; nec vero iure possit suo arbitratu reuocare datam semel potestatem; tamen & reuocatio valida est, & ex causa rationabili & vrgente potestatem datam etiam licite reuocare potest, ipsis læsis aliter satisfaciendo, vt docet Caietanus citatus.

26 Quarto acquiritur iurisdictio ratione loci in quo quis domicilium habet, vel in quo commissum est delictũ, vel contractus initus, vel res, de qua contra possessorem lis mouetur, sita, ex cap. *Postulasti*, & cap. finali de foro competenti: nisi forte quis sit specialiter, non tantum ratione loci sed etiam ratione personæ exemptus à iudice eius loci, in quo patratum est delictum. Qua ratione quidam Religiosi exempti sunt à iurisdictione Ordinarij, de quo vide cap. 1. de priuilegijs in 6. & Concilium Tridentinum sess. 7. capit. 14. de reformat. Sylvestrum V. *Exemptio*, Angelum V. *Exemptus*, & Henriquez lib. 2. c. 24. & seqq.

27 Alias vero (vbi eiusmodi specialia priuilegia non obstant, vt recte Caietanus) Episcopus, in cuius diœcesi aliquis deliquit, efficitur superior eius, ratione delicti, *etiamsi sit exemptus; nisi forte delinquat in re aliqua exempta, puta in administratione bonorum alicuius monasterij exempti. Sed si aliquis exemptus* (talis) *committat furtum, vel homicidium, vel aliquid huiusmodi, potest per ordinarium iuste condemnari.* Ita Sanctus Thomas cit. artic. 1. ad 3.

28 Quarto quæritur, an, & quomodo iudex secularis habeat ius dicendi in Ecclesia, vel personis Ecclesiasticis. Respondetur; Iudex secularis ius dicendi in Ecclesia nullam habet authoritatem, ex cap. *Decet*, de immunitate Ecclesiarum in 6. sicut nec in Clericos vllam habet potestatem; nisi ex commissione, vt patet tota dist. 96. & 11. quæstione 1. & extra de immunitate Ecclesiarum, & ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 23. de reformat. & in iure ciuili, authentica, *Vt Clerici proprios iudices conueniant*, collat. 6.

Nec omnino possunt Clerici huic exemptioni renunciare, ex cap. *Si diligenti*, de foro competenti. Quod si Laicus iudicium tale sibi vsurpet, siue in ciuilibus, siue in criminalibus, est excommunicatus in bulla cœnæ, de qua Toletus excommunicatione 9.

29 In tribus tamen casibus licet Laico iudicare Clericum. 1. Si Clericus degradatus tradatur brachio seculari. 2. ex Episcopi consensu, in causa tantum ciuili; quod passim obtinet. 3. probabiliter titulo reconuentionis; ita vt si Clericus Laicum citarit coram iudice seculari, possit is coram eodem iudice vicissim reconueniri, non tamen criminaliter, vt docet Carbo quæstione 51. de restitut. Toletus citatus, Lessius cap. 29. dub. 6. post expressam, & communiter receptam Glossam in cap. *Secundum*, de mutuis petitionibus, & colligitur ex eodem cap. & can. 1. causa 3. quæstione 8. Etsi Panormitanus, & quidam alij, non improbabiliter contrarium sentiant.

Potest etiam Clericus in ciuilibus se subijcere iudici seculari, vt arbitro, qui tamen nolentem sententiæ acquiescere, non potest per se cogere, iuxta Lessium ibid.

30 Adde si Clerici aperte in perniciem boni communis ferantur, pacemque Reipublicæ perturbent, nec ab Episcopis, vel Pontifice, licet requisitis, adhibeatur remedium, aut alioquin in mora sit periculum, vt requiri non possint, poterit secularis princeps, & quiuis supremus Magistratus (non autem inferiores iudices, seu præfecti, nisi quantum precise necessitas presens exigit ad moderatam defensionem) suam Rempublicam tuendo, eiusmodi licentiam compescere, iuxta Victoriam relect. de potestate Ecclesiastica q. vlt. n. 3. Sotum in 4. d. 25. q. 2. a. 2. & Molinã tract. 2. de iustitia disput. 31. Sicut etiam licet cuiuis priuato, cum moderamine inculpatæ tutelæ, contra vim iniustam Clericorum, etiam vi se defendere.

E contra possunt etiam viduæ & pupilli trahere suos reos ad iudicem Ecclesiasticum, vt docet Couarruuias in epitom. 4. part. 2. §. 12. Sa. V. *Iudiciales actus*, de confugientibus ad asylum Ecclesiæ, in quantum gaudeant immunitate, iuxta cap. *Inter alia*, de immunitate Ecclesiarum, & alios canones 17. quæstione 4. vide Salonem quæst. 60. art. 4. controuersia 2. & Clarum practicæ criminalis q. 30. Plura de hac re scripsi lib. 1. defensionis Eccles. libert. & suo loco de exemptione Clericorum tom. 4. 31

Quinto quæritur, An, & quando Prælati Ecclesiastici licite causas temporales diiudicent. 32

Respondetur, Ecclesiasticos Prælatos in duobus casibus, absque peccato vsurpati iudicij, posse causas temporales diiudicare, vt optime docet S. Thomas hic quæstio. 60. art. 6. Primus, quando, & quatenus aliqua ratio & necessitas boni spiritualis id exigit; sicut enim bonum temporale, bono spirituali tanquam fini naturæ suæ subordinatur & cedit, ita etiam potestas secularis spirituali. Et talem potestatem, quoad temporalia, indirectam habet Pontifex in vniuersa Ecclesia, Episcopus vero in sua diœcesi

Secundus casus est. Si vel per iustum contractum, aut liberali donatione, aut peculiari commissione Principũ, seu dominorũ secularium eiusmodi potestas ad Ecclesiæ prælatos deuenerit. Quo modo Episcopi in Germania, tanquã Principes etiã temporales, causas temporales iudicant. Inter quos tamen casus est hoc discrimen, quod in priori, potestas eiusmodi per se & ex natura rei cũ potestate Ecclesiastica & spirituali coniuncta est, imo nec a bea omnino diuersa, nisi ratione materialis obiecti: in posteriori autem casu potestas illa mere temporalis est, & solum per accidens conueniens Ecclesiasticis Prælatis, vt optime notat Caietanus cit. a. 6. 33

Vt plane videas, longe abesse S. Thomã ab ea quorundam Canonistarum sententia, qui dicunt, Pontificem esse directum dominum, etiam in temporalibus, totius mundi, vel Ecclesiæ, de qua re nonnihil etiam libro 2. de fensionis Eccles. libert. c. 8. & pluribus tomo 4. de Incarnat. q. 7. dub. 4.

In particulari autem, hæc quatuor insuper de iudice, ad præxin spectantia, nota ex Sa V. *Iudiciales actus*, I. Iudicem esse in propria causa, licitum esse superiorem non habenti; vt etiam in materia de bello dictum. 34

II. Quæ-

II. Quæstione orta, inter iudicem Ecclesiasticum & secularem, super iurisdictione, (in causa scilicet, de qua dubium est, an sit Ecclesiastica) ad Ecclesiasticum spectare iudicium, ad quem pertineat; is enim superior est: alias ad quemuis iudicem ordinarie pertinet cognoscere in dubio, an sit sua iurisdictio.

35 III. Malefactores posse à personis miserabilibus, vt viduis, & pupillis, si Actores sint, trahi ad iudicem Ecclesiasticum, de quo supra.

IV. Ad eundem Ecclesiasticum Iudicem etiam pertinere causas matrimoniales, & an contractus sit vsurarius, & an iuramentum liget; & an aliquid sit peccatum mortale. Quanquam inter seculares, possit etiam iudex secularis iudicare de vsuræ iure & facto, vt docet etiam Couarruuias l. 3. variar. cap. 3. n. 1. etsi quoad quæstionem iuris, contra communem Canonistarum ibidem.

His adde ex communi apud Azor tom. 1. lib. 7. cap. 36. causas quoque decimarum Ecclesiasticarum (quicquid sit de ijs, quæ Laicis concessæ sunt) pertinere ad iudicem Ecclesiasticum, vt pluribus dicetur infra disp. 5. quæst. 3. dub. 2. vbi de decimis agitur.

DVBIVM II.

Vtrum Iudex semper secundum leges; aut allegata & probata iudicare debeat; etiam condemnãdo innocentem.

S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 5. & q. 67. a. 2.

36 QVod ad primum attinet, vtrũ Iudex semper secundum leges iudicare debeat; recte respondet S. Thomas q. 60. a. 5. leges scriptas in duplici esse differentia; quibusdam enim solũmodo continetur, seu declaratur ius, quod dicitur naturale; alijs vero etiam instituitur primum, & conditur ius; quod idcirco *positiuum* dicitur. Et à prioribus quidem legibus, cum ius immutabile contineant, nunquam est recedendum: à scriptura seu litera posteriorum, si alioquin iustæ sint, regulariter quidem etiam non est recedendum: in aliquo tamen casu; quia vel iuri naturali repugnant, aut iam à mente legislatoris recedunt, non est secundum literam legis iudicandum; sed per epijkiæ interpretationem, recurrendum ad intentionem legislatoris, iuxta l. 24. lib. 1. ff. tit. 3. vbi dicitur; *Nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione, contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem.*

37 Et ratio omnium est. Quia cum iudicium rectum, sit determinatio iusti, seu naturalis, seu positini, quod, vt dictum est, ipsis quoque legibus scriptis sic declaratur & sancitur, vt tamen leges positiuæ in aliquo particulari casu nonnunquam deficiant; hinc fit, vt ordinarie quidem sit secundum leges scriptas iudicandum: Secus in casu, in quo ob peculiares circumstantias, vel iustum ipsum, vel mentem legislatoris non exprimunt; à quibus nimirum duabus conditionibus pendet legis humanæ semel legitime constitutæ, & acceptatę valor & obligatio.

Quibus consentit etiam S. Augustinus in lib. de vera religione cap. 31. vbi dicitur: *In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, cũ eas instituerint; cum tamen fuerint institutæ & firmatæ, non licebit iudicibus de eis iudicare, sed secundum ipsas.*

38 Notandum I. Doctrinam illam S. Thomæ certã & cõmuniter receptam, pertinere non solũ ad Iudices inferiores, sed etiam ad supremos; cũ aliquo tamen discrimine. Quia supremus potest ex iusta causa, bonum cõmune concernente, dispensare in legibus positiuis, atq; ita etiam per modum dispensationis, in sententia pronuncianda, à positiuæ legis litera recedere, quando nullum hinc præiudicium alteri creatur; nempe circa leges, quibus nullum alteri ius acquisitum est: in alijs autem non potest dispensare, ex communi & certa, apud Aragonium & Bannem cit. q. 60. a. 5. Qui tamen recte limitant; nisi plane boni communis ratio id exigat; vt bona alicuius ciuis propria, in alterum transferantur: tunc enim id licite facere poterit Princeps, iuxta dicta superius q. 1. dub. 5. n. 63.

Quo fit, vt in causis ciuilibus, rarissime possit Princeps, à legis præscripto recedere; sæpius vero in criminalibus, liberando videlicet à morte eum, qui alioquin secundum legem erat morte plectendus, modo id ex causa iusta, & sine Reipublicæ, ac alterius præiudicio, & nocumento fiat. Alias enim peccabit non solum mortaliter (ex genere suo) sed etiam tenebitur ad restitutionem illi, qui ob ignauiam, seu indulgentiam Principis iniquè læsus est, iuxta dicta q. 1. dub. 5. n. 76. Atque ita sentiunt ijdem post Caietanum V. *Iudex*, & Nauarrum in manuali cap. 23. & colligitur ex S. Gregorio, prout refertur in cap. *Summopere* 11. q. 3.

39 Notandum II. Etsi à quibusdam plures casus numerentur, in quibus iudex inferior, potest à litera legis recedere, quam quos S. Thomas recensuit; attamen ad hos duos reuocari alios omnes, vt patet enumeratione eorundem, quos Salon cit. q. 60. a. 5. ex alijs n. 5. recenset. Primus est, quando lex aut simpliciter, aut ex circumstantia, in aliquo particulari casu est iniqua, iuxta S. Thomam tum hic q. 60. a. 5. tum in 1. 2. quæst. 96. art. 4. & 6.

Secundus, quando obseruatio legis in aliquo particulari casu aduersatur bono cõmuni. Et recte notat Aragonius, etiam quoad hoc esse discrimen aliquod inter principem & inferiorem iudicem, quod illi sufficiat huius rei probabilis coniectura, huic vero necessaria sit moraliter certa eiusdem rei cognitio; quia in dubio, superioris mandato & iudicio standum; & nec illic quidem à verbis legis potest recedere inconsulto Principe, nisi aut periculum adeo præsens sit, vt consulendi Principis non detur locus, aut certe iam aliunde de mente Legislatoris seu Principis constet, iuxta inferius dicenda.

40 Tertius casus. Quando prudẽter & certo iudicatur Legislatoris intentionem non esse, vt lex hoc

casu seruetur; sic enim vniuersim leges humanæ, per se quidem, cum vitæ periculo obligare non censentur, vt etiam in materia de legibus tomo 2. disp. 5. q. 6. dub. 5. dictum; & vniuersim lex positiua non aliter obligat, quam obligare voluerit legislator.

Quartus, si seruata litera legis, mens & intentio legislatoris corrumpatur; ob eandem causam; & quia vt optime dixit Iurisconsultus, *in fraudem facit legis, qui saluis verbis, eius sententiã circumuenit.*

Quintus, si princeps ipse in particulari casu legitime in lege dispenset; aut saltem ita, vt valeat dispensatio, iuxta dicta superius num. 38.

41 Quocirca extra duos casus, quos S. Thomas refert, seu quinque illos, qui à Salone relati, ad duos illos reuocantur, tenetur plane iudex inferior secundum ipsius scriptæ legis literam iudicare; etiamsi oppositum videatur ipsi magis consonum rationi, vt post Augustinum, Gregorium, S. Thomã citatos, recte docent Salon, & alij hic. Ratio est. Tum quia cum lex sit iudici præfixa vt regula, certe ab eo seruanda erit, nisi vel ipsa in aliquo casu, iusta esse desinat, vel certe aliam esse legislatoris mentem constet, sub quibus prædicti quinq; casus continentur, vt dictum. Tum quia alioquin frustra lex esset posita; imo tot essent leges, quot iudicum capita, affirmante vnoquoq; iudice, æquius esse, quod sibi videtur, quã quod lex scripta constituit, nõ sine magna Reipublicæ perturbatione, ac damno, vt recte Salon. Plura de hac re tomo 2. disp. 5. q. 7. dub. 2.

42 Quod vero ad secundum attinet, vtrum Iudex semper secundum allegata & probata iudicare debeat, sunt hac de re sex doctorum sententiæ. Prima vniuersim asserit, Iudicem debere sententiam ferre secundum veritatem, quam ipse nouit; siue priuatã, siue publica scientia. Ita Panormitanus in cap. *Pastoralis*, §. *quia vero*, tit. de officio delegati, Sumã Rosella, Angelus V. *Iudicare* q. 7. Lyranus Exod. 23. in illa verba, *Insontem & iustum non occides.* Petrus Nauarrus lib. 2. de Restitut. c. 3. n. 153. Sa, V. *Iudex*, & alij apud Couarruuiam lib. 1. variar. cap. 1. n. 3. & 6.

43 Fundamenta præcipua sunt. I. quia occidere innocentem videtur intrinsece malum. II. quia cum medium aliquod noscitur esse contrarium fini intento, non debet eligi à prudente; etiamsi communiter soleat esse conueniens ad talem finem, vt patet in medico præscribente medicinam: sed allegata & probata tantum sunt media veritatis cognoscendæ: Ergo &c. III. Accedit, quod etiam Papa definiens, Episcopus & Capitularis ad beneficium eligens, vel in eo confirmans; imo & Iudex in quæstione iuris, sequi potest & debet priuatam scientiam. Ergo &c. IV. Tandem Epijkia in casibus extraordinarijs, cum deficiunt verba legis, sequitur intentionem legislatoris; in hoc autem casu intentio legislatoris esse videtur, sequi veritatem.

44 Secunda sententia est, iudicem in publico iudicio semper procedere debere secundum allegata & probata; etiam damnando innocentem, qui probatur nocens, si aliud medium non occurrat. Ita S. Thomas q. 67. a. 2. & q. 64. a. 6. ad 3. Alensis 3. p. q. 40. mem. 6. a. 2. Richardus quodl. 3. q. 25. Antoninus 3. p. tit. 9. c. 2. §. 6. Maior 4. dist. 33. q. 4. Valentia q. 11. p. 2. Caietanus, Bañes q. 67. a. 2. Azor tom. 1. l. 2. c. 17. q. 8. Nec dissentit Syluester V. *Iudex* 2. §. 5. male à Valentia in cõtrarium citatus. Ratio[illegible] patebunt inferius.

Tertia sententia est, iudicẽ in causis criminalibus sequi debere priuatam scientiam, non obstantibus allegatis & probatis contrarijs; non autem in ciuilibus. Ita Adrianus quodlib. 6. a. 3. & alij apud Couarruuiam; quod tamen aliqui limitant, nisi etiam causæ ciuiles sint graues. 45

Quarto, Alij apud Couarruuiam loc. cit. aiunt Iudicem ex priuata scientia veritatis absoluere posse Reum; non autem damnare; hoc enim videtur intrinsece malum; illud non item.

Quinto, Alij ibidem docent, iudicẽ supremũ, & qui eius locum tenent, posse sequi scientiã priuatam; non autem inferiores: hi enim astringuntur legibus; nec in illis possunt dispensare; alia ratio est supremi iudicis. 46

Sexto Lessius l. 2. c. 29. dub. 10. ait, iudicem in criminalibus, nunquam posse ad mortis, vel mutilationis pœnam damnare innocentẽ cognitum, quamuis probetur vtcunq; nocens; eo quod hoc sit intrinsece malum; sed potius debere dimittere officium suum, etiamsi id nihil sit profuturum innocenti: posse tamen in ciuilibus, & criminalibus minoribus, ex allegatis & probatis cõtra priuatam scientiam sententiã ferre; eo quod res eiusmodi temporales Reipublicæ potestati dispositionique subiectæ sint: quæ sententia non multum differt à sententia Adriani.

Assertio I. Non potest iudex ex scientia priuata damnare eum, qui legitimis allegatis & probatis innocens probatur. Ita ex cõmuni Sylueſter, & Couarruuias l. c. Et hanc probant à fortiori rationes pro assertione tertia afferendæ. Addunt Nauarrus manual. c. 25. n. 10. Caietanus l. cit. Sotus lib. 5. de Iust. q. 4. a. 2. id esse intrinsece malum, adeoq; nullo casu licitum, si crimen sit omnino occultũ, & soli principi notũ, nec aperte in perniciem boni cõmunis vergens, inauditũ & indefensum damnare. Secus est, si crimen & citatio criminosi in perniciem boni cõmunis, seu alterius innocentis vergat, vt fusius Aragonius. Idem colligitur ex cap. *Si Sacerdos.* 6. q. 1. 47

Assertio II. Cum de innocente ex allegatis & probatis damnando agitur, iudex debet aut omnino, si quo potest conuenienti modo, à morte eripere innocentem, aut saltem iudicij functionem defugere. Ita fere S. Thomas loc. cit. & apertius cæteri, vt dicetur, & patet ex lege charitatis, & iustitiæ, de auertendo graui damno proximi, præsertim iniusto. Adde illud, *Nolite iudicare & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini.* Luc. 6. v. 37. Quod præcipue ad innocentes pertinet. 48

Media autem talia sunt. I. Accuratum, & sæpius repetitum examen accusatoris, & testium. Quo spectat, vt aduocatione aliorum testium, protestatione etiam publica, eaque etiam iurata repertæ innocentiæ, alijsque modis similibus, falsi testes repellantur, aut conuincantur,

popu-

populusque capax veritatis reddatur, vt factum etiam à Daniele, & notat S. Thomas citatus ad 3. & post eum Caietanus, Sotus, Aragonius, Valentia, Azor tom. 3. lib. 2. c. 2. q. 11. & seq. Idem colligitur ex cap. *Deus omnipotens* 2. q. 1. & cap. *Iudicantem* 30. q. vlt.

49 II. Optima est cautela Iudicis, inquit Caietanus hic, antequam perueniatur ad vlteriora, vel repellere ex officio accusationem, vel ita præueniendo operari, vt non procedatur in causa; quod multis potest vijs fieri.

III. Potest etiam vinctus ex carcere occulte dimitti; modo id in nullius alterius, v. g. custodum, aut communitatis graue damnum, vel scandalum vergat, vt recte docent Aragonius & Azor citati.

50 IV. Iudex inferior debet, quæsito aliquo titulo, nisi magna alioquin turbatio Reipublicæ timeatur, reum supremo Iudici iudicandum relinquere, rogando, vt hoc onere subleuetur; imo & testis officium obeundo, vt recte post S. Thomam ad 3. Caietanus hic, Aragonius, & Azor citati; quicquid negarit Sotus. Neque id limitandum censeo, vt existimat Valentia, si talis remissio ad superiorem sit vtilis futura accusato: secus, si vtilis futura non speretur; nihilominus enim hoc officium iudex, quoad potest, declinare debet, ne vel materiale iniustum sciens committat.

Ob quam causam putarim etiam vere dixisse Syluestrum verbo *Iudex* 2. §. 5. & Azorium citatum, debere iudicem inferiorem, si aliud medium non suppetat, etiam dimittere suum officium, nempe si id absque magno suo incommodo possit, iuxta dicta suo loco de ordine charitatis, & de eleemosyna: etsi contrarium doceant Caietanus, Sotus, Valentia, Bannes locis citatis.

51 Assertio III. Index in iudicando, nec ad effectum quidem absoluendi, vti potest, aut debet scientia priuata; sed semper secundum allegata & probata ferre sententiam; etiam condemnando innocentem; si aliud medium conueniens eũ liberandi, aut functionem refugiendi non suppetat. Prima pars, quæ certior est, probatur ratione S. Thomæ; quam aliqui sic formant. Iudex in iudicando publicam personam, & quidem ipsius communitatis sustinet: Ergo debet vti scientia tantum publica, quæ ipsi cõunitati probabilis reddatur. Quam rationem vocat Bannes moralem demonstrationem. Sed patitur instantiam in Deo, qui semper in iudicando rei veritatem consectatur. Vnde probatur potius ex ratione humani Iudicis. Quia homo in iudicando nõ debet vnquã vti ea scientia, cuius vsu, iuxta mores hominum, aperiretur via infinitis fraudibus: talis est priuata scientia: Ergo. &c.

52 Idem significant Ambrosius & Gregorius relati cap. *Iudicet* 3. q. 7. & cap. *Summopere* 10. q. 3. Item Augustinus in psal. 57. & lib. de vera Religione cap. 31. Idem habent Iura Canonica & ciuilia cap. *Dilectus*, & cap. *Accepimus* & cap. *Contingit*, de fide instrumentorũ, & cap. *Pastoralis*, de officio delegati, & lex *Adoptio*, Cod. de adoptionibus, & lex, *Illicitas*, ff. de officio Præsidis §. *Veritas*. Et fauet scriptura Deut. 17. Matth. 18. 2. Corinth. 13. præcipiens, *vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

Secunda pars assertionis probatur. Quia Iudex, post adhibita omnia media moraliter possibilia, quibus iñocens liberari possit, condemnans innocentem, etsi materialiter iniustum cõmittat, tamen secundum eam scientiã, qua in iudicando vti debet, formaliter iustum agit; ac proinde iure suo vtens, nulli facit iniuriam. Dices; Impossibile est, vt quis scienter faciat iniustum materiale, quin etiam formaliter iniustum cõmittat, adeoq; peccet. Respondetur cum distinctione. Nam si 53
quis scienter id faciat ea scientia, qua præsens negotium regulari debet, concedo. Secus, si ea cognitio ad talẽ actionẽ sit impertinens, vt in proposito accidit. Exemplum est in Sacerdote, qui occulto peccatori, quem ex confessione talem nouit, publice petenti Eucharistiam præbet.

Addo tamen, hanc partem esse minus certam; quia fieri posset, vt iudex ex hypothesi, si iudicet, nunquam quidem vti possit, nisi publica scientia; attamen in nostro casu aliunde iudicare non possit, nec absoluendo reum, quia probatur nocens; nec damnando, quia innocens est; sed debeat potius omnino etiam cum periculo vitæ iudicium detrectare, vt volunt authores tertiæ & quartæ sententiæ.

Assertio IV. Idem, quod de iudice dictum, 54
seruata proportione, dicendum etiam de ministro publicæ iustitiæ. Ita S. Thomas q. 67. a. 2. ad 3. & Caietanus ibidem, qui proinde docet, ministrum publicum, si priuatim norit iñocentiam dãnati, debere testimonio suo infirmare sententiam iniquam; & si hoc non prodest, petere, vt subleuetur ab hac executione.

Addo ego, iuxta dicta, debere eũ, si absq; suo incoñodo possit, etiam relinquere officiũ. Quod si moraliter aliud mediũ non suppetat, nõ peccat exequendo materialiter iniustã sententiam; quia & ipse persona publica est, & velut instrumentũ iudicis quoad hanc actionẽ; quæ proinde publica etiam scientia regulari postulat, non priuata.

Ad argumenta primæ sententiæ facile ex dictis 55
Respondetur. Ad I. negando assumptũ, si sermo sit de iñocente, qui legitime probatur nocens.

Ad II. Respondetur. Si medium sit quidẽ inutile ad finem iñediatum & minus principalem, sed vtile, imo necessarium ad finem principalem (qui in proposito est publica conseruatio iustitię in humanis iudicijs) non imprudenter adhiberi. Accedit, quod finis publici processus non est veritas facti absolute, sed cognitio veritatis publica, vt cum S. Thoma a. 7. ad 3. notat Caietanus.

Ad III. Respondetur, talem vsum priuatæ 56
scientiæ, in cõmemoratis casibus, nec repugnare dispositioni humani iuris, nec etiam fini principali, ad quem eiusmodi actiones referuntur, vt consideranti patet. Quare etiam Syluester cit. V. *Iudex* 2. §. 5. tanquam certũ ex cõmuni asserit, si Iudex procedat extra iudicium, vt in dandis officijs, & alijs, quæ illius arbitrio cõmittuntur, teneri propriam conscientiam sequi, & non allegata, & per falsos testes probata, ff. de Iurisd. om. iud. l. 1. & 2. Et similiter in dispensationibus. &c.

Ad IV. Epijkia locum non habet, vbi contrarium patet, tam ex verbis legis, quam ex naturali ratione, etiam iuxta præsentes rerum circumstantias.

DVBIVM III.

An, & quando sententia Iudicis ob iniustitiam sit irrita; speciatim in causis beneficiorum.

S. Thomas q. 60. a. 2. & 5.

57 QVandonam generatim, & extra causas beneficiorum sententia iudicis ob iniustitiam sit irrita, dictum est supra dub. 1. Sed peculiaris difficultas est, de valore, aut inualiditate sententiæ iniustæ, seu errantis, in causis beneficiorum. Sunt enim multi, qui putant, aliam esse rationem harum causarum, quam cæterarum.

Ac primo quidem Canonistæ apud citandos generatim asserunt, collationem beneficij in re iniustam, factam quidem per sententiam declaratoriam (quia videlicet beneficiū à neutra parte litigante possessum, alteri earum adiudicatur) esse nullam, adeoque ius & titulum beneficij non conferre; etiamsi pars litigans non appellet. At vero factam per sententiam priuatiuam (qua videlicet beneficium vni ademptum, in alterum transfertur) esse validam; nisi pars altera tempestiue appellet. Sed hæc sententia, præterquam quod in iure non est fundata, tanquam ipsi rationi aduersa, merito à Theologis reijcitur; cur enim hac in re maior sit vis sententiæ priuatiuæ, quam declaratoriæ?

58 Secundo Valentia q. 4. pun. 2. & Aragonius hic q. 60. a. 5. priorem quidem partem relatæ opinionis vniuersim approbant: sed posteriorem cum Soto l. 3. de Iust. q. 4. a. 2. & ex parte etiā cum Syluestro V. *Sententia* q. 11. restringunt ad beneficia, quæ pro arbitrio Prælati conferri solent, & cum bona fide tam litigantium, quam ipsius Iudicis, secundum allegata & probata iudicantis, collata sunt. Sed non probatur, ob eandem causam.

59 Tertio Salon cit. q. 60. a. 5. aliter distinguens dicit, primo collationem beneficiorum, quæ ab authoritate solius Episcopi pendent, bona fide, tā ex parte collatoris, secundum allegata & probata iudicantis, quam ex parte litigantium interuenientе, factā (secus si mala fide litigantis acciderit) esse validam; etiamsi à parte rei iniusta sit. Quam dicit esse communem sententiam omnium Doctorum, tam Theologorum, quam iuris Canonici; ac pro ea citat Panormitanum idipsum probare nitentem ex Cap. *Cum dilectus*, extra de electione, & Glossam in cap. primum, de concessione præbendæ, adducentem pro eadem re cap. *Quoad consultationem*, de sent. & re iudic. vbi tamen de foro solum externo sermo est.

Secundo dicit, collationem beneficij pro meritis & dignitate litigantium conferendi, si aut per quancunque sententiam penitus indigno facta sit, aut per priuatiuam sententiam beneficium alteri à parte rei inique ademptum sit, non obstante bona fide, tam litigantium, quam iudicis, esse nullam & inualidam. Secus si per sententiam declaratoriā collatio facta sit digno, etsi prætermisso digniori. Hæc sententia satis rationabilis est.

Quarto tamen Bannes eadem q. 60. a. 5. vniuersim ait, in causis beneficiorum, omnem sententiam iniustam, propter errorem tolerabilem siue illa sit declaratiua, siue priuatiua, dummodo pronunciata sit secundum allegata & probata, & inter partes bona fide litigantes; conferre ius in foro conscientiæ ei, in cuius fauorem pronunciatur; ac simul reuera exspoliare alterum iure, quod habebat. Atque in hoc differre has causas à cæteris, de quibus dub. 1. dictum est. 60

Præcipuum fundamentum est. Quia alioquin in Ecclesia magnus relinqueretur locus scrupulis & dubitationibus, si ab ipsa rei iudicatæ iustitia valor collationis beneficiorum dependeret. Cum ergo sit in Ecclesia potestas conferendi beneficia, eo modo, quem Ecclesiæ vtilitas, & animarum salus, ac conscientiarū tranquillitas postulat, dicendum est, eam collationē semper valere, nisi per intolerabilem errorē sit iniusta. &c.

Sed hæc sententia, nisi restringatur ad capaces alioquin talium beneficiorum, nō solum est noua, & quoad sententiam declaratiuam, vt ipsemet fatetur, contra omnes fere Iuristas; sed videtur etiam plane falsa, & contra canones, ex quibus satis constat, excomunicatum, etsi propriam excomunicationē ignoret, non esse capacē alicuius beneficij denuo conferēdi, vt ex comuni & certa docet & probat Suarez tom. 5. disp. 13. sect. 1.

Omnibus ergo in re tam lubrica & intricata 61
consideratis, dicendum videtur, collationem beneficij tam illius, quod à sola patroni electione, & Episcopi collatione pendet, quam quod pro meritis, & dignitate litigantium conferendum est, in foro conscientię inualidam esse, ac proinde ius & titulum non conferre in quatuor casibus. Primus est si prouisus quomodocunq; etiam ob occultum impedimentum ad illud sit inhabilis, vt infra fusius ex communi dicetur. Cuius ratio est per se manifesta: Nec quoad hoc potest esse discrimen inter hæc, & illa beneficia; nisi quod non par vtrobique dignitas, & personarum conditio ac habilitas requiritur; cum in vnoquoque beneficiorum genere aliæ atq; aliæ conditiones, ex parte promouendorum, requirantur, vt suo loco dicetur. Secus est, cum inhabilitas primum superuenit adepto iam beneficio; tunc enim beneficium non statim eo ipso perditur, vt etiam notat Sa V. *Beneficium* n. 13. 62

Secundus casus est, si alter mala fide litigans, 63
ob suas malæ fidei allegationes beneficium obtinuerit, iuxta citatos; non solum quia ex regula iuris, fraus nemini patrocinari debet, sed etiam quia tunc ex parte collatoris, abest voluntas & intentio conferendi beneficium huiusmodi litigatori. Secus esset, si collator beneficij, ex eius solum arbitrio dependentis, tribuat mala fide litiganti, non ob eius allegata, sed motu proprio;

tunc

tunc enim non obstante mala fide, valere poterit collatio, ob contrariam rationem.

64 Tertius casus est, si quomodocunque propter falsò allegata & probata, ei qui vere ius & titulũ eius beneficij obtinuerit, adimatur beneficium, alterique, nulla cessione facta à præcedenti beneficiario, conferatur. Ita quoad beneficia curata, recte Salon, loc. citat. cum authoribus secundæ sententiæ. Et probatur generatim. Quia talis sententia in re est iniqua, & contra ius proximi, iustitiamque commutatiuam: Ergo nulla, ex communi regula dub. 1. posita; vtpote cui etiam in hac materia beneficiorum, nec ratio, nec ius positiuum, nec constans aliqua Doctorum authoritas quicquam derogat, vt ex dictis colligitur.

65 Et confirmatur. Quia communis sententia Canonistarum asserit, collationem beneficij, etiã simplicis, factam per sententiam declaratoriam in re iniustam, esse nullam. Alij vero plerique Theologi recentiores non immerito addunt, sententiam priuatiuam nullo maiori, sed potius minori iure gaudere debere.

Nec ideo sequitur aliqua perturbatio in Ecclesia; quia nihilominus acta beneficiarij ita promoti, habentis titulum saltem coloratum, sunt valida, vt dictum supra dub. 1. n. 21. & recte etiam asserunt Salon loc. cit. & Aragonius q. 60. a. 6. post Glossam, & Abbatẽ in cap. *Nihil*, de electione & electi potestate. Et colligitur ex cap. *Infamis* 3. q. 7.

66 Probabilis tamen nihilominus est etiam contraria sententia; quam sequitur quoque Sa V. *Beneficium*. n. 18. vbi ait, obtinentem beneficium condamnati per errorem, sed secundum allegata & probata, iuste possidere.

67 Quartus casus est. Si in electione aliquid prætermittatur, ob quod in iure expresse statuitur, eam non valere; quo modo Sa V. *Electio* num. 6. ex communi docet, electionem noctu factam, secundum iura non valere. Eadem ratione, institutio sine præsentatione patroni, non negligentis in præsentando, est nulla. Quod si Laicus non præsentet intra quatuor, aut sex mẽses à vacatione, Episcopus prouidet, vt notat etiam ex communi Sa V. *Ius patronatus* n. 7.

Eodem pertinet casus ille, assignatus quoque à Salone loc. cit. & peculiariter spectans ad beneficia illa, quæ pro meritis litigantium conferenda sunt; si nimirum Iudex mala fide, adeoque contra allegata & probata, etiam per sententiam declaratoriam, alicui beneficium eiusmodi conferat. Cum enim in his beneficijs seruare teneatur substantialem ordinem iuris, plane sequitur, sententiam præter allegata & probata latam, validam non esse.

68 Alia ratio videtur beneficiorum aliorum simplicium; hoc ipso enim quod eorum collatio ab Episcopi arbitrio pendet, iam quidem is ad eiusmodi processum iuris non videtur obligari, nisi forte iam altera pars litigans aliquod ius iustitiæ commutatiuæ ad tale beneficium acquisierit. Quod tamen extra casum possessionis superius dictum, vix aut nunquam potest accidere; saluo interim semper in his ipsis etiam beneficijs iure patroni, de quo dictum.

Quod si aliqui non sint vocati ad electionem cum deberent, possunt eam & irritare, & ratam habere: at si vocati non veniant intra terminum competentem, non sunt exspectandi, vt notat Sa V. *Electio* n. 4. ex communi.

Extra hos casus, valet beneficij collatio, licet 69
vtcunque secundum rem iustitię distributiuæ aliquo modo aduersa, vt quia v.g. per sentẽtiam declaratoriam, beneficium, quamuis curatum, prætermisso digniore, collatum est minus digno, iuxta auctores 3. & 4. sententiæ. In quem sensum etiam Sa V. *Electio* n. 5. ait, electionem, si adsit eligentium consensus; etiamsi desint iuris positiui solennitates, tenere in conscientia, nisi lex expresse dicat, ne valeat.

Et ratio est. Quia in cæteris casibus, nec ipsa collatio ita in re est iniusta, vt sit contra ius proximi, cui tale beneficium abiudicatur, vt magis suo loco patebit. Nec ipsemet prouisus, seu ex natura rei, seu ex aliqua dispositione iuris positiui, est inhabilis ad beneficium; nec ex parte collatoris deest vel auctoritas, vel sufficiens voluntas illud conferendi; nec vllus etiam modus ad substantiam rei necessarius, ex dictis.

Quo fit, vt hæc, quæ modo de causis beneficiorum dixi, nõ tam contineant exceptionem 70
aliquam à communibus regulis dub. 1. & 2. expositis, de inualiditate iniustæ sententiæ, quam specialem earundem ad has beneficiorum causas applicationem.

Quomodo autem peccet Iudex, & an ad restitutionem teneatur, si pro sententia vel iusta, vel iniusta pretium accipiat, dicetur infra q. 6. du. 10. Optime Augustinus epist. 54. ad Macedonium: *Cum autem iudicia & testimonia, quæ nec iusta, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius vtiq; pecunia sumitur, quia scelerate etiam quamuis à volentibus datur. Ille tamen solet tanquam male sibi ablatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit, quoniam venale esse non debuit. Qui vero pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret vel puderet emisse.* Vbi indicat eum qui iustum iudicium vendit, teneri ad restitutionum accepti pretij; non autem qui iniustum: quamuis & hic vtique teneatur ad restitutionem parti læsæ faciendam, vt pluribus dicetur loco citat.

DVBIVM IV.

Quis processus à iudice in iudicando seruandus.

S. Thomas 2. 2. q. 67. a. 3. & 4.

SVppono duo I. Iudicem triplici via procedere ad iudicandum posse, ex cap. *Qualiter* & *quando* 2. de accusationibus. Primo, viâ accusationis; cum adest accusator, qui ad probandum tenetur. Secundo via denunciationis Iuridicæ; in qua denuncianti onus probandi non incumbit. Tertio, via inquisitionis.

II. Inqui-

II. Inquisitionem esse quadruplicem. 1. est generalis, qua Iudex in specie nec personam exprimit, nec crimen; sed generatim tantum inquirit, an sint aliqui in communitate pœna digni. 2. specialis simpliciter dicta, qua nempe aliquis & de crimine, & de persona in specie interrogatur. 3. specialis quoad crimen, vtpote euidens & notum; generalis quoad personam, vtpote ignotam, quæ multum conuenit cum prima. 4. specialis quoad personam, vtpote iam generatim de scelere diffamatam, & generalis quoad crimen, vtpote ignotum; quæ quidem magis conuenit cum secunda.

72 Assertio I. Vt iudex via accusationis procedere possit, ad interrogandos productos testes, sufficit ipsa accusatio: ad interrogandum vero iuridice Reum, requiritur semiplena probatio, (qualē facit vnus testis omni exceptione maior;) nisi crimen sit exceptum. Ita communis; & colligitur ex S. Thoma hic q. 67. a. 3. & q. 69. a. 2. Ratio petitur, tū ex dispositione iuris, locis citandis: tum ex æquitate naturali; hoc enim velut æquilibrio optime, & Rei simul, & communitatis iura seruantur. Debet autem is testis ab Accusatore distinctus esse, vt bene docent Caietanus q. 69. a. 2. & Valentia quæst. 13. pun. 2. cum glossa super cap. *In omni*, de testibus. Quicquid dicant Sotus 5. de iustitia q. 6. a. 2. & Carbo quæst. 21. de restitut.

73 Assertio II. In via iuridicæ denuntiationis, quando nullus testis est productus, institui quidem potest generalis inquisitio; sed nec ipse Reus, nec alij de Reo interrogari speciatim possunt: nisi forte loco accusationis, indicia, vel infamia, aut quid simile occurrat, vt inquiri possit etiam speciatim. Ita ex cōmuni docent Caietanus, loc. cit. & Valentia q. 13. pun. 2. Delrius lib. 5. disquisit. sect. 1. Sa V. *Iudiciales actus*; licet Sotus citatus asserat, propter solam denunciationem, speciatim interrogari posse Reum.

Sed contrarium ex eo probatur; nam si Accusator solus non sufficit, ad iuridice interrogandum Reum, cur solus denunciator? cum testis, qui facit semiplenam probationem, æque debeat esse distinctus à denunciante iuridice, atque ab accusante, vt colligitur ex citat. glossa cap. *In omni*, de testibus. Secus est, quando proceditur via denunciationis, non iuridicæ, sed fraternæ, vt recte Valentia citatus, & dictum supra disp. 2. q. 5. dub. 5. Vbi tamen nihilominus charitatis, & existimationis fratri debitæ ratio habenda est, vt ibidem pluribus dictum.

74 Assertio III. Ad generalem Inquisitionem instituendam, aut specialem, solum quoad crimen notorium, sufficit ipsum per se officium Iudicis. Ita ex communi docent Sylvester V. *Correctio* n. 6. Nauarrus manual. cap. 18. num. 58. & cap. 25. n. 33. Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 3. à. n. 157. Valentia q. 14. pun. 1. Lessius cap. 29. dub. 3. post Angelum, Paludanum, Ioannem Medinam & alios. Primum patet ex cap. *Sicut olim*, de accusationibus, & cap. *Romana*, de censibus in 6. Secundum, ex cap. *Quidam maligni*, causa 5. q. 1. quicquid in contrarium dixerint Sotus & Caietanus loc. cit. Ratio est. Quia hæc est tacita volūtas Reipublicæ, quæ offenderetur, nisi id fieret.

Nec tamen ideo statim tenentur interrogati, aut reus ipse etiam sub excomunicationis comminatione vel iuramento postulati, pandere occultum malefactorem, iuxta cōmunem, & cap. *Qualiter*. 1. de accusationibus; etsi contrarium olim, alijs Magistris repugnantibus, respondisse S. Thomam, cum adhuc Baccalaureus esset, refert Sylvester V. *Correptio* n. 6. 75

Idipsum etiam interrogatis esse significandum à Iudice, tradunt Nauarrus, Sotus citati, Salon quæst. 67. a. 2. controuersia 3. & Petrus Nauarrus num. 154. Sed hoc non probatur. Et contrarium verius docent Caietanus tom. 1. opusc. vlt. responsione ad 5. Lessius loc. cit. & Henriquez lib. 3. de pœnitentia cap. 25. n. 9. qui etiam addit, posse à Iudice alios induci, vt pandant authorem criminis manifesti, etiamsi persona sit occulta; licet hoc multi negent. Ratio est; quia affectu iustitiæ, seu publici boni, licite malefactores Iudici manifestantur, quamuis occulti.

Assertio IV. In speciali inquisitione criminis non excepti; sicut etiam in quarta illa, vt iuridice interrogari, & in testem vocari possit persona à Reo distincta, requiritur communi iure, personæ & criminis, aut saltem ipsius personæ, in posteriore casu, publica infamia. Ita cum Sancto Thoma quæstio. 70. articulo 1. Valentia quæstione 14. pun. 2. alijque communiter omnes. Et habetur ex cap. *Inquisitionis*, & cap. *Cum oporteat*, & cap. Qualiter 2. de accusationibus. 76

Intelligitur autem per infamiam rumor proborum, & quidem maioris partis, siue populi, siue parochiæ, siue viciniæ de commisso crimine, à tali persona, vt colligunt Doctores ex cit. cap. Inquisitionis.

Addit Beia casu 32. & vtriusque iuris peritorum testimonijs probat communi iure requiri, vt talis infamia probetur minimum per duos iuratos testes, qui scilicet testentur, non quidem se à maiore parte populi audisse, vt vult Glossa in l. 3. ff. de probationibus, id enim fere impossibile est; sed qui testentur, se ita publice audiuisse, vel ita passim dici, vt ex Baldo notat Lessius cap. 29. dub. 16. Quin etiam multas alias conditiones, ad probandam famam requisitas, recensēt Delrius lib. 5. sect. 3. adducens Clarum, & alios Iuristas asserentes, nunquam se vidisse processum, in quo repererint famam publicam legitime fuisse probatam. 77

Intelligitur vero assertio prædicta, nisi in casu aliquo adsit notorium iuris, aut facti, de crimine à tali persona perpetrato; id enim plus est, quam infamia; vnde si præcedente infamia licet iure inquirere, licebit etiam cum res est notoria, vt cum Reus confessus est crimen occultum in iudicio, etiam coram paucis, & ex occasione, vt coram suo iudice & notario, iuxta cap. 1. de accusationibus in 6. & communem: id enim vocatur *notorium iuris*; secus, si confessio 78

facta

querer communem illam sententiam; adeo vt sim talem non legitime confessum aut conuictum iudex sæuiens, eum non patiatur Ecclesiasticæ tradi sepulturæ, peccet mortaliter, & actione iniuriarum conueniri à propinquis defuncti possit, iuxta capit. Placuit, & capit. ex parte, de sepulturis. Neque hac in re, inquit, praxin contrariam proferunt Doctores, sed omnes volunt vnanimiter, quoad hos iura seruari.

111 ASSERTIO IV. Licitum tamen est iudici, protestationem interponere, & litem cœptam contra mortuum prosequi; seu agendo in locis, vbi bona confiscantur, ad bonorum confiscationem, aut saltem ad memoriæ damnationem, & vt corpus sepultum post condemnationem possit exhumari, & ossa comburi. Ita ex communi Delrius lib. 5. sect. 19. post Gomezium tom. 3. casu 1. num. 80. Clarum q. 51. num. 14. & Simancham in praxi tit. 62. & 56. *Poterit tamen*, inquit Delrius, *Iudex sinere corpus sepeliri, cum protestatione, & litem cæptam contra mortuum prosequi, citatis ad defensionem ijs, quorum interest, vt in hæresis crimine seruatur.* Nimirum, quia huius, (vt & hæresis) excepti criminis natura est, vt morte non finiatur, sed contra mortuum procedi in eo possit.

Sed quot annorum spatio curritius contra mortuum agendi? *Putarem*, inquit Delrius, *in hoc crimine, quoad bonorum confiscationem, non posse agi post annum quadragesimum; ad memoriam tamen damnandam adhuc agi posse, iuxta ius canonicum, docent etiam Brunus de hæresibus lib. 5. cap. 17. & Simancha tit. 62. num 7. ex capit. vlt. de præscriptionibus in 6. Sed ius ciuile videtur quinquennij tantum spatium exigere, iuxta legem 2. Cod. de apost. & glossam in legem Manichæi cod. de hæreticis; cui in foro ciuili standum, vt ex communi tradunt etiam Gomez num. 81. & Clarus §. fin. q. 51. num. 24.* & colligitur ex dictis supra quæst. 1. dub. 6. n. 99.

DVBIVM V.

Qua ratione, quibusue medijs Veneficia auertenda, aut extirpanda sint.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 67. a. 3.

112 NOn contentus esse Theologus debet criminis veneficij malitiam ac pernitiem intelligere, & ob oculos ponere; sed necesse est etiam, modum ac rationem ostendere, qua aduersus illud pugnandum sit. Vbi quidem duplex quæstio explicanda occurrit; prima, qua ratione veneficia seu maleficia auertenda sint, ne cui noceant; altera, qua ratione hoc crimen, quod diaboli tyrannide & hominum malitia adeo inualuit, è communitate extirpandum sit.

113 Quod ad prius quæsitum attinet, reuocandum est in mentem, quod tom. 1. disp. 5. de Angelis q. 6. dub. 7. docuimus, diabolum per se quidem immediatè ac directè non posse vlli damnum corporale inferre, nisi speciali Dei permissione interueniente; sed nec per sagas etiam, nisi Deo ob bonum finem permittente. Quare cum omnis hæc res à diuina prouidentia pendeat, optimum medium ad auertenda & euadenda maleficiorum damna, est spes & singularis fiducia in Deo, tum quotidianis precibus, tum vitæ honestate conscientiæque puritate comparata, iuxta illud psalm 90. v. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*; & illud Apostoli Rom. 8. v. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quod si nihilominus Deus aliquando etiam bonis, & in ipso confidentibus, mali quidpiam à maleficis obuenire permittit, id dubitandum non est, ad maius eorum bonum, siue in hac, siue in altera vita cessurum; vt cum S. Iob accidit, qui post diaboli afflictionem, longè maiori postea, quam vnquam antea felicitate & prosperitate recreatus fuit.

Atque cum hac præsertim moderatione accipio illud, quod scripsit Aureolus in 4. dist. 34. q. vn. a. 2. *Difficile quidem esse loqui de diuina potestate; sed de congruentia videri dicendum, quod cum diuinæ iustitiæ semper admisceatur misericordia, etiam vltra condignum, ex parte hominis; non puto*, inquit, *quod hominem existentem in gratia Deus permittat, de communi lege, deduci virtute maleficij vsque ad mortem; sed loquendo de homine existente, vel qui præfuit in culpa, quæ mereatur mortem; ac per hoc fiat excæcatio tam agentis, quam patientis, quam etiam circumstantium, non video, cur sit irrationale.* Ita Aureolus.

Præter hoc generale medium, sunt hæc specialia. 114 I. Confessio peccatorum & expiatio conscientiæ. Sicut enim peccata mortalia singularem Dei protectionem auferunt, ita eorumdem expiatio per pœnitentiã eandem restituit: & ex historijs notum est, nonnunquam domorum infestationes diabolicas per sacram confessionem totius familiæ fuisse sublatas.

II. Missæ celebratio in locis, quæ nocturnis 115 spectris infestantur; cuius rei luculentum exemplum, præter alia recentiora, extat apud Augustinum lib. 22. de ciuit. cap 8.

III. Exorcismi Ecclesiæ, qui vim habent, tum 116 ex Christi institutione, qua Deus hanc potestatem Apostolis, alijsque Ecclesiæ ministris consignauit; tum ex persona Ecclesiæ, cuius nomine recitantur; tum inprimis ex Christi nomine, morte, ac meritis, quæ in eiusmodi exorcismis aduersus diabolicas infestationes veluti antidoti loco obijciuntur.

IV. Imago S. Crucis domorum, cubiculorum, 117 vel thalamorum ianuis inscripta. Quem vetustum fidelium vsum testantur Cyrillus lib. 6. in Iulianum, Ruffinus lib. 2. hist. cap. 29. & Ephrem serm. in S. Crucem vbi ait: *Coronemus portarum frontes vt Christiani; & non vt gentiles atque pagani lauris, aut frondibus, alijsque herbarum generibus. Error Idolorum destructus est: mors spoliata est: inferorum captiuitas reuocata est: imperium errans multorum Deorum confractum est: homo liberatus est: Dominus regnauit à ligno: creatura lætatur: Crux dominatur: quam omnes adorant Gentes & populi, tribus & lingua. Crucem depingamus & insculpamus in ianuis nostris.* Vnde est illud Ecclesiæ: *Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ; vicit leo de tribu Iuda.*

V. Signum S. Crucis, eiusque frequens vsus, 118 Hoc scuto aduersus diabolum, eiusque infestationes, vsi sunt Sancti, Antonius teste Hieronymo in

vita S. Pauli, Hilarion eodem teste in vita S. Hilarionis, Martinus teste Sulpitio & Paulino lib. 3 in eius vita. Optimè Antonius apud Athanasium in vita eiusdem : *Cum videritis* (dæmones noctu venientes) *tam vos, quam domos vestras Crucis armate signaculo; & confestim soluuntur in nihilum, quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator æreas expolians potestates, eas fecit ostentui.*

Bene tamen Chrysostomus homil. 55. in Matthæum: *Crucem*, inquit, *non simpliciter digito in corpore, sed magna profecto fide in mente prius formare oportet. Nam si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cum hastam videat, qua lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit.* Plura Iacobus Gretserus lib. 4. de Cruce cap. 36. & seqq.

119 VI. Nomen IESV, B. Virginis, Angeli Custodis, aliorumque Sanctorum pie inuocatum. De qua re Chrysostomus homil. 4. de laudibus S. Pauli: *Si* IESVM *inuocaueris Nazarenum, velut ab igne dæmon repente diffugiet.* Et Antoniu apud Athanasium in eius vita : *Crucifixum nominamus; & uniuersi dæmones ad primum dominicæ Crucis signum fugantur.* Et Arnobius 1. cont. Gent. IESV *nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, vt dicitis nominis, sed maioris licentia potestatis.*

120 VII. Vsus rerum sacrarum, & precibus Ecclesiæ ad hunc vsum consecratarum, vt sunt Agni cerei, aqua benedicta, itemque cerei, panes, palmarum, aliarumue arborum rami benedicti &c. Habent enim hæc vim ex precatione S. Matris Ecclesiæ Sponsæ Christi; de quibus varia extant exempla. De qua re bene etiam monet Gregorius de Valentia disp. 6. q. 13. pun. 4. §. 5. Vt dum maleficæ personæ in carcere detinentur, adsint in promptu remedia spiritualia, ad propulsandam vim & iniurias dæmonis; vt aqua benedicta, agnus Dei, cruces & sacræ imagines, exorcismi &c. Item vt præsto sint sacerdotes, qui reos de ratione officij sui, tum in ipso iudicio, tum placando & propitiando sibi Deo diligenter & maturè admoneant. De quo tamen vide etiam dicta superius n. 84.

121 VIII. Supplicatio sanctis facta; itemque Reliquiæ & Imagines Sanctorum; speciatim etiam S. P. N. Ignatij; qui vt in vita singularis dæmonum hostis, & Victor extitit, ita experientia compertum est, etiam post mortem, eius imagines ad infestationes & terriculamenta diaboli auertenda, magnam vim habere.

IX. Oratio cum ieiunio, iuxta illud Christi Matthæi 17. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi in oratione & ieiunio.*

122 X. Opera misericordiæ propter Christum. *Nam qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Prouerb. 22. v. 9. & Tob. 12. v. 9. *Eleemosyna à morte* (etiam corporali) *liberat.* Et oratio Tobiæ misericordiæ iuncta impetrauit, & curationem cæcitatis, & liberationem Saræ à dæmonio.

Adde postremo etiam destructionem symbolorum maleficij: hæc enim, si inueniantur, destruere licitum esse, alibi de Relig. & de Matrim. docemus. Nullo verò modo committendum, aut concedendum, vt maleficium maleficio soluatur, vt dictum etiam tom. 1. disput. 5. quæst. 6. dub. 7. & fusius tom. 4. de imped. matrim. vbi de impotentia agitur. His ergo modis incantationes & maleficia tum auertuntur ne noceant; tum etiam aliquando immissa sanantur, & irrita redduntur.

123 Quod vero ad secundum attinet, qua ratione crimen maleficij è communitate extirpandum sit, duo ad hanc rem adhibenda occurrunt remediorum genera. Quædam sunt politica, alia sunt spiritualia. Politica sunt duo. Primum est, ablatio occasionum & incitamentorum, quibus plerunq; miseri homines ad commercium & consuetudinem cum dæmone contrahendam alliciuntur; & quibus adeo ipsi etiam dæmoni via aperitur, vt liberum ad homines seducendos accessum habeat. Talia sunt primò turpia & obscæna conuenticula, tum diurna, tum nocturna, quibus petulantissimi vtriusque sexus, præcipuè rusticani homines, ad omnem immundæ voluptatis experientiam, tum in diuerso, tum in eodem etiam sexu, sæpe ad multas horas sese exercent; quæque licet nonnunquam latenter fiant, non ita tamen latent, quin patribus & matribus familias sint cognita, aut saltem ab ijs deprehendi facile possint. 124 Hæc ergo dixerim vera diaboli gymnasia, & strigum vtriusque sexus seminaria; quæ eo nocentiora sunt, quod à nemine improbantur, neque culpæ aut crimini dantur; adeo vt si forsan etiam ab aliquo deprehensa reprehendantur, tamen propter impunitatem & licentiam in externo foro, reprehensio vix fidem inueniat. Exempla huius rei recentia habemus ex vicinia, vbi cum post festa paschalia fœdissimis amplexibus & tactibus in publico campo, cuiusdam lusus modo, serui & ancillę iuxta pagum quendam inter se colluctarentur, ibique casu quidam è nostris Sacerdos cum socio iter illac faciens, interuenisset, fœditatemque tam apertam reprehendisset, parum abfuit, quin à lasciuientibus seruis pro verbis verbera retulisset. Non multo post, cum in alio vicino oppido simílem lasciuiam, apud eius loci parochum, alius quidam sacerdos noster reprehenderet, & maiori studio abolendam suaderet, aliud responsum non tulit, quam hunc esse antiquum ac gentilitium patriæ norem &c.

125 Secundo huc proinde etiam spectat fœdissima petulantia per turpes contactus, complexus, denudationes, quæ in choreis, in ludis, & recreationibus, imo inter ipsos etiam laborosagrestes, ac ciuiles conuentus, domi forisque, priuatim ac publicè in oculos occurrunt; quibus adiunge obscænum fœminas in die Innocentum virgis cædendi morem, itemque genus quoddam turpe chorearum agrestium, quod sua natura ac tota corporis agitatione apertæ libidinis irritamentum est. De qua re pluribus differui tom. 2. disp. 4. quæstione 8. dub. 5.

Hæc sunt quæ diabolo viam sternunt ad seducendum; hæc sunt, quæ contempto timore Dei, infelices homines impellunt ad ipsum etiam diaboli commercium non detrectandum, vt fædæ voluptatis libidinem, tantis incitamentis effrænem in modum concitatam, quouis modo exsaturarre possint. Quæ si Magistratus vtriusque vigilantia, constitutis ad hanc rem peculiaribus morum Cen-

soribus

soribus & Syndicis, corrigerentur, nihil dubito, quin pestis illa Veneficij, magna ex parte, breui è Repub extirpanda foret.

126 Alterum medium politicum, est legitimus & accuratus processus Iuris, aduersus hoc crimen; isque non vno solum in loco, sed communi principum consensu vniuerso orbe Christiano instituendus. Quamuis enim, vt superius dictum, facile sperari non possit, hoc crimen sola iudicij seueritate exterminatum iri, est ea tamen necessaria, tum ob vitandum scandalum, ne simplices putent, crimen non esse; tum ob honorem Dei vindicandum, & grauissimas eius iniurias debita animaduersione castigandas. Ad eum verò processum ego, saluo Sapientiorum iudicio, præter notata dubijs præcedentibus, requirerem ista. I. Vt iudices sint non solum egregie docti, & prudentes, sed etiam optimi & egregie pij. Alias enim cum pugna hæc suscipiatur aduersus diabolum, & causa per se obscurissima & intricatissima sit, non sine periculo suo, & aliorum, imo & ipsius Communitatis, hoc officium sustinebunt.

127 II. Vt Iudicibus attribuatur etiam aliquis pius & eruditus Theologus, ob varias causas. 1. Vt in rebus dubijs præcipue ijs, quæ forum internum, & crimina quædam merè spiritualia concernunt, vt sunt hæresis, abnegatio fidei &c. itemque in alijs perplexis & obscuris tam facti, quam iuris quæstionibus, ex Philosophiæ & Theologiæ principijs potissimum resoluendis, quoad opus erit, consuli possit. 2. Vt prudenter aduertat, quibus rationibus hoc vel illo loco homines ad eiusmodi sacrilegam cum diabolo consuetudinem inducantur. 3. Vt si qui ex reis prudentiores, & seriò ad Deum conuersi videantur, ex illis exploret, quænam existiment ipsi efficaciora esse media, ad hoc crimen extirpandum. 4. Vt subinde aliquod spirituale auxilium reis adferat. 5. Vt cum hoc crimen sit mixti fori, vt tradunt Panormitanus & alij, in cap. 1. de sacrileg. imò verò maiori ex parte spirituale, securius in eo à iudicibus secularibus procedatur. Qua de causa etiam video Gregorium de Valentia iam olim tom. 3. disp. 6. q. 13. pun. 4. expedire iudicasse, vt in his causis, vnus saltem Theologus iudicibus secularibus adiungatur.

128 Nec idcirco communiter necesse erit, aut in loco torturæ, aut ipsa tortura durante adesse; hoc enim prohibitum est in Concilio Antisiodorensi Can. 33. vbi dicitur: *Non licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium, vbi rei torquentur, stare.* Et cap. 34. *Non licet Presbytero in iudicio illo sedere, vnde homo ad mortem tradatur.* Satis erit, cum eo acta communicari, & ad maleficas accessum habere, eiusque, vbi opus erit consilium audiri. De qua re nonnihil etiam egi tom. 1. disp. 5. q. 5. dub. 3.

129 III. Vt in quauis ciuitate, oppido, & pago, constituantur Syndici & Exploratores, qui ad omnia indicia huius criminis diligenter attendant, seruato interim silentio, eaque ad constitutos iudices deferant; ab ijsdem notanda, vt si vel per se sola, vel alijs accedentibus, tanti momenti esse videantur, inquisitio institui possit.

130 IV. Vt iuxta leg. vlt. Cod. de malef. & Mathem. seuere præcipiatur omnibus, vt qui aliquam personam hoc crimine infectam, vel de eo merito ac grauiter suspectam neque emendatam hactenus norint, occultè ad iudices constitutos deferant; data interim silentij ac impunitatis fide. Eæ vero denuntiationes etsi non continuo sufficere soleant ad capiendas & torquendas personas denuntiatas, annotandæ tamen erunt, vna cum personis denuntiantibus, alijsque circumstantijs, vt suo tempore vsui esse possint. Proderit etiam ad hunc finem, pro concione moneri omnes, vt norint se teneri, ad personas eiusmodi, quas nondum emendatas sciunt, denuntiandas, vt dictum supra disput. 2. q. 5. dub. 4. & hac disp. q. 4. dub. 6. n. 110. Eodem spectat etiam illud, quod monet Valentia disp. 6. q. 13. punct. §. vt instituta generali inquisitione, imperetur omnibus aliquo publico edicto, vr sub certa pœna intra certum tempus per viam accusationis vel denuntiationis iuridicæ, deferant si quid sciant, aut viderint, aut audiuerint, &c. Oportebit autem, vt idem monet §. 4. delationes fideliter & diligenter, ad acta referri, seruato silentio, &c.

V. Vt processus non nimis diu prorogentur, sed 131
seruata iuris forma maturius expediantur, vel damnatis reis & confessis, vel dimissis, si qui per torturas indicia purgarint.

VI. Vt sagæ de complicibus non examinentur, nisi post acceptam mortis sententiam, & præuiam pœnitentiam criminis, ac præparationem ad bene moriendum à Confessario procurandam: impœnitentibus verò parua, aut nulla fides habeatur, vt dub. 2. dictum.

VII. Vt verè resipiscentibus extra iudicium, 132
promittatur venia & impunitas commissi criminis, si verè & serio pij & prudentis Confessarij iudicio, pœniteant: quo casu, si Confessarius norit, iam antea fuisse denuntiatas, curabit, accepta à pœnitente facultate, vt sub fide secreti ex Catalogo denuntiatarum deleantur. Estque hoc medium conforme S Inquisitionis officio, & processui in foro Ecclesiæ, de quo Farinacius part. 7. oper. tract. de hæret. q. 181. §. 1. num. 48. *Quod si lamiæ*, inquit, *pœnitentes veniam petunt, & ad Ecclesiam ex corde redire volunt, sunt admittendæ ad pœnitentiam, ac etiam reconciliandæ; nec vllo pacto curiæ sæculari tradendæ; etiam quod infantes occiderint, seu alia atrociora & nefanda crimina perpetrauerint*, iuxta Simancham Cathol. Instit. tit. 37. rub. de Lam. n. 17.

Et audio, quibusdam in locis, hoc medium ad 133
salutem plurium feliciter cessisse. Forsan aliquando expediret, etiam aduersus damnatas vti eiusmodi benignitate Ecclesiastici fori, vt nimirum iuxta Can. *Episcopi* 26. q. 5. à fidelium communione separatæ, certis aliquot diebus, ante fores Ecclesiæ, habitu pœnitentis stantes, & ad certas abstinentias &c. obligatæ, publicam, v. g. vnius anni spatio, pœnitentiam subire cogerentur. Equidem non dubito, plus diabolum hac humiliatione confusum & repressum iri, quam mille mortis supplicijs.

VIII. Denique ad processum in hoc iudicio generatim seruandum quod attinet, obseruanda est generalis doctrina superius quæst. 4. dub. 4. & seqq. tradita, quam ad hanc ipsam quoque materiam speciatim applicat Valentia disp 6. q 13. pun. 4. §. 1.

Nempe vt quis iure interrogetur de se ipso, necesse esse, vt is sit suspectus de hoc crimine, vel propter publicâ infamiam, vel propter grauia indicia duorum saltem testimonio comperta, iuxta Syluestrum V. *Indicium* q. 2. & Constit. crim. Caroli V. art. 23. vel propter semiplenam probationem, vt si præter actorem vel denuntiatorem, accedat vnius testimonium omni exceptione maius, vel indicia tali testimonio æquiualentia, vt notat Caietanus q. 69. a 2. & indicat Nauarrus man. cap. 18 n. 57.

Idque ipsum etiam reo cum interrogatur significandum erit, eum scilicet merito suspectum esse, ob aliquam ex prædictis causis, vt intelligat se legitimè interrogari, & obligatum esse ad respondendum, vt iuxta cap. *Qualiter & quando* 2. de accusat. notant etiam Sotus lib. 5. de Iustit. q. 6. a. 2. Caietanus q. 69. a. 2. & Nauarrus man. cap. 18. n. 57.

Addit Valentia ibidem, vt non solum ipse reus de se, sed etiam alij de illo, per specialem inquisitionem interrogentur, tanquam testes, non sufficere qualemcunque suspicionem, nisi determinate fuerit orta ex infamia publica, qua reus laborauerit circa crimen, quod inquiritur, vt patet, ex cap. *Inquisitionis*, & cap. *Qualiter & quando* 2. & cap. *Cum oporteat* de accusationibus.

Sed hoc patitur aliquam limitationem, præsertim in criminibus exceptis, vt dictum q. 4. dub. 4. n. 78. Alioqui nunquam liceret sagas iam de se confessas interrogare de complicibus in particulari, puta hac vel illa, quantumuis iam ab alijs sæpius denuntiatâ, alijsque indicijs merito suspectâ, nisi de eadem iam antea præcessisset infamia: cuius contrarium habet praxis, vt superius dub. 3. n. 82. ex Lessio retulimus, & re ipsa agnoscit Valentia loc. cit. §. 3. & 4 dum propter denuntiationem complicis in tormentis seu metu tormentorum confirmatam, concedit denuntiatam personam capi posse; item probationem per coniecturas & indicia, & denuntiationes complicum, etiam sine propria rei confessione sufficere ad condemnandâ pœna mitiori & extraordinaria, quæ tamen superius improbauimus.

Neque ego improbare ausim, si post duas tresue denuntiationes à reis iam pœnitentibus proprio motu factas, accedentibus simul alijs quibusdam adminiculis seu indicijs, etiam apud plures alias, itidem per pœnitentiam crimen suum exosas, specialis de personis denuntiatis fiat inquisitio; modo alioquin & secreti fides inuiolata seruetur, & in vsu talium denuntiationum debita moderatio adhibeatur, vt dictum dub. 2.

134 Quod verò ad media spiritualia attinet, certum est, ea multo maioris esse momenti, ad hoc vitium exterminandum, quam vlla humana & naturalia media. Quandoquidem enim hîc *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates &c. & contra spiritualia nequitiæ*, vt loquitur Apostolus Ephes. 6. v. 12. non est dubium, plus hic valere arma spiritualia, quam corporalia. Talia sunt I. omnia illa, quibus quisque sigillatim se à diaboli infestatione immunem acillæsum præstare potest, quæ superius commemorauimus. Si enim quisque sibi ipsi satis à dæmone cauet, continuo etiam toti communitati satis ab eo cautum erit.

II. Solemnis & publica abrenuntiatio diabolo facta, post conciones toti populo prælegi solita. 135
Multum enim valet hæc protestatio aduersus diaboli machinationes. Vnde Chrysostomus hom. 21. ad populum Antiochenum: *Cum es ianuæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum: Abrenuntio tibi Satana. Cum hoc verbo & crucem in fronte imprime.* Quæ causa est, cur optem etiam in Confessionali, præsertim à fœminis, eam abrenuntiationem, vti quædam formulæ confessionum habent, præmitti. Nam experientia didici, eas ad hoc non facile adduci, quæ de veneficij crimine suspectæ sunt &c.

III. Publica protestatio fidei Catholicæ, iuxta formulam Pij V. aut breuiorem ex ea desumptam 136
sæpius repetita: plerunque enim defectu fidei accidit hoc stri_gum cum diabolo pactum & commercium.

IV. Officium & Missa de S. Michaele Luciferi debellatore, & Ecclesiæ Patrono, deque Angelo loci custode, quot hebdomadibus, aut saltem singulis mensibus solemniter celebranda, pro huius criminis extirpatione.

V. Bona institutio liberorum ac familiæ, maxime vt sublata praua iurandi, imprecandi, maledicendi, blasphemandi, turpiumue iocorum consuetudine, ad preces quotidianas diligenter assuescant, & sacro Missæ officio, & Catechismo, vel concioni diebus festis reuerenter interfint. 137

VI. Supplicationes & preces publicæ, pro eodem crimine extirpando & diaboli studijs frangendis. Si enim contra pestem, bellum, tempestates, supplicationes & preces indicuntur, cur non multo magis contra hanc animarum pestem, contra hanc diaboli tyrannidem &c. Hæc vt opinor sufficient.

Reliqua verò, quæ ad hunc processum aduersus striges pertinent, videri possunt apud citatos, qui de hac re fusius scripserunt, in quibus præcipuè sunt Delrius in suis libris disquisitionum & hoc antiquiores, Malleus maleficarum part. 2. & 3. & Petrus Binsfeldius tract. de Confess. maleficorum.

***

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

De Restitutione.

S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 8.

EGimus hactenus de ijs iustitiæ actibus, qui in iudicijs versantur: nunc de alio eius actu, nimirum restitutione agendum, qui extra iudicium etiam locum habet. Absoluetur autem hæc quæstio, prolixa quidem admodum, quindecim dubitationibus. I. *Quæ sit ratio & necessitas Restitutionis, & ex cuius virtutis violatione oriatur, an etiam ob distributionem beneficiorum non recte factam.* II. *De communibus titulis & causis ad restitutionem obligantibus; vt sunt damnificatio non deliberata; impeditum, vel non procuratum bonum alterius; & possessio rei alienæ, cum bona fide.* III. *Quid restituendum ab eo, qui alium quoad bona animi seu naturalia, seu supernaturalia iniquè læsit.* IV. *An & qualis restitutio facienda ab eo, qui bona corporis læsit, occidendo, vel mutilando.* V. *An & qualis restitutio facienda ab eo, qui virginem, aut etiam innuptam violauit.* VI. *An, & quomodo fama & honor, per detractionem, vel contumeliam læsus restituendus.* VII. *De restitutione bonorum Ecclesiasticorum, speciatim propter beneficia inualidè acquisita, priuationem beneficij, neglectam residentiam, pluralitatem beneficiorum.* VIII. *Quid restituendum à beneficiarijs, propter bona Ecclesiastica male administrata, vel expensa.* IX. *De restitutione bonorum fortunæ, ac primum eorum quæ furto sunt ablata.* X. *An & quomodo restituenda, quæ accepta sunt propter rem alias debitam, aut turpem seu illicitam.* XI. *An & quomodo soluenda seu restituenda sint amissa vel acquisita per ludum, vel extorta per metum danti iniectum; siue in contractu & promissione, siue extra.* XII. *Quid restituendum ob falsatam monetam, aut defraudatam gabellam, aut illicitam lignationem, pabulationem, venationem, piscationem, aucupium.* XIII. *Quid restituendum ob contractum illegitimè peractum, speciatim ex defectu solemnitatum iuris; & quid de testamentis minus solemnibus sentiendum.* XIV. *De circumstantijs restitutionis: nimirum quid seu quantum; cui & quo loco; à quibus; quo ordine; & quando restituendum.* XV. *De causis à Restitutione excusantibus.*

Cuius dispositionis hæc ratio est: aut enim consideratur restitutio quoad substantiam, aut secundum accidentia, siue circumstantias: de adiunctis, & circumstantijs agitur dub. 14. & 15. Restitutio secundum substantiam, vel consideratur in genere, idque vel secundum se, prout certæ virtutis actus est; aut secundum generales titulos & causas, è quibus oritur restitutionis obligatio. Prior consideratio absoluitur dubio primo, posterior secundo. Vel consideratur in particulari, prout certam materiam, seu bonorum genus respicit, in quibus iniusta læsio accidit; & in his alia sunt bona animi, alia corporis, alia externa; seu quæ virtutem consequuntur, vt sunt fama & honor; seu quæ dicuntur bona fortunæ; hæcq; rursum vel sunt bona Ecclesiæ; vel sunt bona qualibet profana, De bonis animi agitur dub. 3. de bonis corporis dub. 4. & 5. de bonis Ecclesiasticis dub. 6. 7. & 8. de cæteris bonis fortunæ fusius agitur dub. 9. 10 11. 12. & 13.

DVBIVM I.

Quæ sit ratio & necessitas restitutionis; & ex cuiusnam virtutis violatione oriatur: an etiam ob distributionem beneficiorum non recte factam.

S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 1. & 2.

QVæritur primò, quid sit restitutio? cuius virtutis actus? & quæ eius necessitas?

ASSERTIO I. Restitutio, ex vi nominis, significat actionem, qua quis iterato statuitur in pos-

sessione, vel dominio rei suæ, aut sibi debitæ, qua ratione duplex eius nominis vsus apud authores reperitur. Primo enim late significat omnem actum, quo cuique redditur, quod ab eo ablatum vel acceptum est siue iure, siue iniuria. Quo loquendi modo vtitur S. Thomas hic q. 62. a. 1. vbi etiam redditionem mutui, pignoris, depositi &c. aperte actum restitutionis vocat. Eundem loquendi modū sequuntur Caietanus eadem q. 62. a. 2. Sotus lib. 4. de iustitia q. 6. a. 1, Nauarrus Manual. cap. 17. n. 7. Valentia hic. q. 6. pun. 1. & Salon a. 1.

Secundo stricte quandoq; accipitur restitutio pro eo solum actu, quo damnum proximo iniuste datum reficitur, quo modo hoc nomen vsurpant Aragonius, & Bannes q. 62. a. 1. Petrus Nauarrus lib. 1. de restitut. cap. 2. Ioannes Medina initio Codicis de restitutione, eundemque nominis vsum magis etiam probant Sotus & Salon. Eoque vtitur S. Thomas q. 62, a. 2. Certe vtraque restitutionis acceptio propria est, sed posterior illa magis pressa ac huius loci propria. Quanquam eadem doctrina etiam priori acceptioni facile possit accommodari. Atque hæc ad nominis quæstionem pertinent. Iam vero de re ipsa agendum.

2 Assertio II. Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, & quidem solius. Ita communis & certa, cum S. Thoma cit. q. 62. a. 1. Ratio est. Quia per eam alteri redditur ius suum secundum æqualitatem rei ad rem, quod est proprium Iustitiæ commutatiuæ.

Contrarium tamen ex parte sentit Petrus Nauarrus loc. cit. vbi significat restitutionem, qua iniqua distributio compensatur, non esse actum iustitiæ commutatiuæ, sed distributiuæ; contra S. Thomam q. 62. art 1. ad 3. & communem, tam recentiorum Theologorum, quam veterum 4. dist. 15. Ratio eiusdem rectè soluitur à S. Thoma ibidem; quamuis enim talis restitutio per accidens commensuretur etiam personæ recipientis dignitati, per se tamen in ea attenditur æqualitas rei ad rem iniustè subtractam: præterquam quod iam non amplius datur bonum commune, sed priuatum, & ex priuato debito, in quod præcedens debitum fuit commutatum, vt recte notauit Caietanus cit. q 62. a. 1.

3 Assertio III. Restitutio & satisfactio, licet sæpe inter se confundantur, proprie tamen differunt. Ita communis apud citatos. Primum patet ex cap. *Si culpa*, de iniurijs & damno dato.

Secundum cum S. Thoma 3. part. quæstione 85. articulo 3. docent communiter omnes. Consistit autem hæc differentia non in eo præcise, quod satisfactio propriè sit læsi honoris compensatio, restitutio vero aliorum duntaxat bonorum fortunæ, vt quidam dixerunt; nam & honoris damnum proprie sub restitutionem cadit: sed quia satisfactio proprie est compensatio iniuriæ & offensæ, in hoc consistens, vt sicut alterum offendimus, ei contra suam voluntatem inique molestiam exhibendo, ita nos quoque aliquid molestum contra propriam voluntatem, seu animi propensionem patiamur.

4 Restitutio autem est compensatio illati damni, seu quoad bona externa, seu quoad bona animi, aut famam, honorem &c. siue accepti redditio. Vnde fit, vt ea inter se differant, tum ex parte obiecti, quod illa proprie respicit iniuriam, hæc damnum; tum ratione formali, quod per illam re ipsa nihil conferatur, per se loquendo, in eum, qui offensus est; per hanc autem conferatur, quod ablatum est. Tum ex parte finis, quod illa per se reconciliationem cum altero, seu culpæ & offensæ remissionem, hæc æqualitatem rei ad rem acceptam, seu damnum illatum attendat.

Quo fit vlterius, vt Deo quidem satisfacere possimus ob illatam iniuriam; at proprie restituere non item: siue quod ab eo nihil ita auferre possumus, quin ablatum maneat in eius potestate; siue quod nullum ipse damnum proprie à nobis accipit, compensationis indigum; siue quod omnia, quæ ei quoquo modo restituendo exhibere possumus, iam antea plenissimo iure sunt illius.

Addunt alij plures differentias, vt videre est 6 apud Sotum lib. 4. quæstione 16. articulo 1. de iustitia, Salonem, & Aragonium cit. a. 1. Sed quæ non tam satisfactionem generatim acceptam, quam specialem illam quæ Deo ipsi pro peccatis offertur, à restitutione distinguunt. An autem satisfatio sit actus iustitiæ vindicatiuæ, vt putat Scotus 4. distinct. 4. quæstione 2. an commutatiuæ, vt significat & tribuitur S. Thomæ 3. part. cit. an potius specialis virtutis, nimirum pœnitentiæ, in materia de pœnitentia disputatur.

Assertio IV. Restitutionis actus est quidem necessarius, necessitate præcepti; non tamen 7 necessitate medij. Ita communis & certa, cum S. Thoma quæstione 62. articulo 2. & quodlib. 6. articulo 13. Primum contra quosdam Græcos schismaticos apud Castro V. *Restitutio*, & apud Valentiam quæstione 6. pun. 2. patet ex Augustino epist. 54. ad Macedonium, vbi ait; *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui potest.* Quod refertur etiam Regula *Peccatum*, de Regulis Iuris in 6. & in cap. *Cum tu*, extra de vsuris, & causa 14. quæstione 6. can. 1. Ratio est. Quia eiusdem malitiæ est, alienum retinere & accipere.

Secundum, contra quendam vulgi errorem, probatur ex eo; quod si per impotentiam, aut ignorantiam restitutio omittatur, id veram ac salutarem pœnitentiam non impedit, iuxta Augustinum loc. cit. Nec verò necessitatis medij vllum reperitur fundamentum. Nec contrarium etiam docet Gabriel 4. dist. 15. quæstione 2. articulo 2. conclusione 1. loquitur enim solum de necessitate præcepti, quod ait esse continuum, sicut, *Non adulterabis*. Exempla quædam in contrarium adferri solita de ijs, qui in purgatorio detinerentur, vsque ad restitutionem factam, iuxta analogiam fidei accommodè explicanda sunt. Deus enim norat, quo tandem tempore facienda esset restitutio, atque ita decreta & debita peccatis pœna penitus exoluenda.

Assertio V. Restitutionis præceptum etsi 8 verbo quidem tenus sit affirmatiuum, reipsa tamen ac simpliciter loquendo, potius est negatiuum. Significat S. Thom. q. 62. a. 8. ad 1. vbi ait, *licet præceptio restitutionis secundum formam sit affirmatiuum, tamen*

includit negatiuum; & ita ad ſtatim obligat; ſicut omnia negatiua præcepta. Idem expreſſe docent Scotus 4. diſt. 15. q. 2. Paludanus q. 2. a. 6. Gabriel a. 2. Adrianus 4. de reſtitut. Ioan. Medina Cod. de reſtit. q. 2. Petrus Nauarrus lib. 1. c. 1. & ſignificat Suarez 3. p. tom. 4. diſp. 15. ſect. 5. n. 10. Eidemque loquendi modo fauet non ſolum ius ciuile, Inſtitut. de obligationibus, quæ naſcuntur ex delicto §. *Furtum*, & l. *qui inuenta* ff. de furtis, ſed etiam ſcriptura Leuit. 19. v. 13. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane.* Ad Roman. 13. v. 18. *Nemini quidquam debeatis.*

Etſi non improbabiliter alij ſimpliciter aſſerant, reſtitutionis præceptum eſſe affirmatiuum, in quibus Sotus lib. 4. de iuſtitia q. 6. art. 2. & quæſt. 7. a. 4. Caietanus q. 66. a. 3. ad 2. & 1. tom. opuſc. tract. 17. & V. *Reſtitutio* c. 6. Nauarrus cap. 17. Manual. n. 54. Salon & Bannes hic q. 62. a. 2. Leſſius lib. 2. cap. 17.

9 Ratio aſſertionis eſt. Quia cum in hoc præcepto duo includantur, vt ex S. Thoma dictum eſt, vnum negatiuum, ne videlicet res aliena apud nos, Domino rationabiliter inuito, detineatur; quæ ipſa etiam detentio, quædam moralis & poſitiua actio eſt, vt recte etiam aduertit Vaſquez 1. 2. q. 75. & diſp. 179. & q. 100. a. 9. n. 8. alterum affirmatiuum, de poſitiuo actu reſtitutionis exercendo; illud tamen eſt magis principale, & per ſe, hoc vero ſecundarium, & quaſi per accidens; quod ex eo probatur. Nam ſi quocunque caſu alter rurſus veniat in poſſeſſionem rei ſuæ, iam non ſolum deſinit obligare præceptum reſtitutionis; ſed etiam iuſtum, in quo conſiſtit propria reſtitutio, & intrinſecus finis huius præcepti, reuera iam reipſa eſt conſtitutum, ad eoque finis ipſius intrinſecus obtentus.

10 Secus ſit in eleemoſyna v. g. cuius finis intrinſecus eſt ſubleuatio ex compaſſione ipſius operantis, ſeu potius ipſa voluntas ſubleuandi, ſine qua propria eius virtutis rectitudo & honeſtas nunquã obtinetur. Et ratio differentiæ eſt. Quia formalis rectitudo iuſtitiæ conſiſtit in æqualitate rei ad rem abſque reſpectu ad operantem, miſericordia non item. Interim in re certum eſt, vtrumque illud præceptum nempe & affirmatiuum, & negatiuum conſtituere vnum quaſi reſtitutionis præceptum, & obligare, ſed diuerſimode: nam affirmatiuũ non obligat pro ſemper, negatiuum autem ſemper & pro ſemper, vt generatim dictum tom. 2. diſp. 5. q. 1. dub. 2. à. n. 19. vbi de hac re plura.

Quæritur II. Ex cuiuſnam virtutis violatione oriatur obligatio reſtituendi.

11 Assertio I. Obligatio reſtitutionis oritur ex violatione ſolius iuſtitiæ. Ita communis, & certa doctorum ſententia apud Valentiam q. 7. p. 2. §. 6. & Petrum Nauarrum lib. 2. cap. 2. difficultate 3. quicquid apud eundem in contrarium ſenſerint Richardus 4. diſt. 15. Angelus, Tabienſis, & Caietanus *Reſtitutio* cap. 1. quaſi ad reſtitutionem obligetur omnis ille, qui proximi damnum commode auertere potuit, & non auertit. Quod tamen Caietanus loc. cit. ſolum aſſerit de eo, qui id ex officio debuerat auertere.

Ratio aſſertionis eſt. Quia per violationem aliarum virtutum, aut non læditur ius alterius, proprie & ſimpliciter loquendo; aut certe ſuum alteri non adimitur. Exemplum eſt in filio, qui cum negligit ſubuenire parenti in neceſſitate, ad nil tenetur, etiamſi pietatem violet; ſecus, ſi etiam contra iuſtitiam, v. g. per furtum &c. bona parentis lædat.

12 Assertio II. Ex violatione quoque iuſtitiæ legalis non oritur obligatio reſtitutionis; niſi quandoque per accidens, ob violatam ſimul iuſtitiam commutatiuam, ſeu diſtributiuam. Ita ex communi docent Salon q. 58. a. 5. Bannes ibidem a. 7. Et ſecunda pars patet; quia multi non ſolum ex imperio iuſtitiæ legalis, ſed etiam ex officio, adeoque præſcripto iuſtitiæ commutatiuæ tenentur bonum commune procurare.

Prima pars aſſertionis probatur. Tum quia reſtitutionis obligatio locum habere non poteſt, vbi nulli ſuum, quod nimirum ipſi iam aliquo modo appropriatum erat, adimitur, vt patet ex communi acceptione reſtitutionis ſupra; atqui violatione ſolius iuſtitiæ legalis non adimitur Reipublicæ ſuum, quod ſcilicet ei iam eſſet appropriatum; ſed ſolum denegatur, quod ei erat appropriandum: Ergo, &c. Tum quia cum alicui denegatur quidpiam, quod ei non abſolute, ſed in caſu tantum neceſſitatis; & nec tunc quidem per ſe loquendo, niſi oblata condigna compenſatione debetur, id non eſt alio tempore reſtituendum, vtpote ſolum in neceſſitate debitum: atqui bona priuata ciuium non debentur communitati abſolutè, ſed tantum in caſu neceſſitatis; & quidem ſub conditione etiam reciprocæ reſtitutionis, ſi præſtari poſſit: Ergo, &c. Accedit, quod null9 titulus faciendæ reſtitutionis in propoſito locum habet, vt ex ſequentibus patebit. 13

14 Assertio III. Ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ ſemper oritur obligatio reſtitutionis ſeu compenſationis damni illati. Eſt communis & certa apud citatos. Ratio eſt. Quia tali caſu ſemper detrahitur alicui, quod iam ſuum, eique appropriatũ erat; ſeu quod idem eſt, læditur alterius ius in re, ſeu ius ad rem, ipſi iuri in re, ſaltem ſecundum quandã proportionem æquiualens. Idem confirmatur inductione, vt conſideranti patebit.

15 Assertio IV. Ex violatione quoque Iuſtitię diſtributiuæ tunc oritur obligatio reſtitutionis, cum bona communia ſingulis partibus communitatis, eo quod partes ſunt, & quidem proprie ac principaliter, in commodum earundem partiũ communitatis erant diſtribuenda. Ita S. Thomas q. 62. a. 2. ad 4. Caietanus ibidem, item Sotus lib. 3. de iuſtitia q. 6. a. 2. & lib. 4. q. 6. a. 3. Syluester V. *Reſtitutio* 3. §. 12. Nauarrus Manual. cap. 17. n. 10. 69. & 73. Couarruuias in regulam *peccatum* p. 2. §. 7. Bannes q. 63. a. 4. Denique conſentiunt Richardus, Paludanus 4. diſt. 15.

16 Ratio aſſertionis eſt. Quia omnis iniqua ſubtractio rei alicuius, ad quam quis iam habebat ius in re, eſt obnoxia reſtitutioni ſeu compenſationi: ſiue quod idem eſt, omnis defraudans alterũ re non ſolũ ipſi quomodolibet debita, ſed etiã aliquo modo iam appropriata, tenetur ad reſtitutionẽ: per violationem autem iuſtitiæ diſtributiuæ, in ſupradicto caſu, defraudatur alter re ſua, ſibique iam aliquo

modo appropriata: Ergo &c. Minor probatur. Quia illa bona communia, vt supponitur, iam antea erant appropriata ipsi communitati, quatenus hæc constat ex omnibus suis partibus; ac proinde etiam in confuso ac indeterminatè erant appropriata partibus ipsius communitatis; quibus proindè si non detur, quod iuxta proportionem dignitatis singulis debetur, facienda erit ab iniquo distributore, aut alijs iniustæ distributionis consortibus, restitutio.

17 Et confirmatur. Tum quia in simili auferens hæreditatem adhuc indiuisam, aut partem eius, tenetur pro rata singulis hæredibus ad restitutionem. Tum quia illa bona communia, ex consensu ciuium eà conditione ad communitatem peruenerunt, vt cum redundantia fuerint, rursum ad ipsos redeant, secundum proportionem dignitatis.

Secus se res habet cum bonis priuatis ciuium respectu communitatis; quia hæc non sunt communitatis directe; sed solum ipsi debita; & nec id quidem absolute, sed solum ex certa quadam hypothesi, vt dictum.

18 Assertio V. Quando bona communia non singulis de communitate distribuenda, sed aliquibus solum dignioribus conferenda sunt, tam ex iustitiâ distributiua, ob dignitatem scilicet, & commodum accipientium; quam ex commutatiuâ, tanquam stipendia laborum in bonum communitatis vtiliter impendendorum, vt accidit, in beneficijs Ecclesiasticis; tunc modo vtiles, atque adeo absolute digni tali stipendio operarij conducantur, non est facienda vlla restitutio, nec dignioribus prætermissis, nec Reipublicæ. Ita docet Valentia q. 7. p. 2. § 6 post Adrianum, Sotum, Nauarrum, Couaruuiam locis citatis: etsi contrarium sentiant Richardus, Paludanus, Caietanus, Syluester locis citatis; & quoad beneficia, quæ per oppositionem conferenda sunt, Salon, Bannes, Aragonius locis citatis, & vt apparet Lessius l. 2. cap. 34. dub. 15. quæ sententia est valde probabilis.

19 Supponimus autem in assertione, beneficia Ecclesiastica, sicut & dignitates seculares primario ac principaliter instituta esse in vtilitatem ipsius Ecclesiæ, siue Reipublicæ, vt ijs velut stipendijs mediantibus, habeat Ecclesia aptos & vtiles operarios; secundariò autem solum, & cum subordinatione ad priorem finem, in vtilitatem ipsarum partium Communitatis, Quo fit, vt potius tanquam stipendia laborum, per iustitiam commutatiuam, quam velut præmia meritorum ac dignitatis, ipsis partibus comunitatis distribuantur: quod non solũ docent Sotus, Valentia, & alij, qui hanc assertionem tuentur, sed etiam Salon, & plerique authores contrariæ sententiæ, & pluribus dicetur disp. 5. q. 1. dub. 6. à num. 193. & 200.

20 Vnde probatur iam assertio. Quia hoc casu nulla fit iniuria, nec comunitati, nec prætermissis dignioribus: Ergo. &c. Non primum; quia dignos adeoque vtiles habet stipendiarios: & licet voluerit eligi ex omnibus digniſſimos, non tamen censendum est, ad hoc voluisse obligare distributorem ex debito iustitiæ, sed fidelitatis tantum, & obedientiæ: iuxta ea, quæ de hac re generatim tradit Lessius lib. 2. cap. 32. dub. 3. numero 16. non solum quia difficile est inter dignos discernere digniores, sed etiam, quia si collatio talis esset ex obiecto iniusta, tunc per consequens etiam esset in re nulla, ex dictis in simili de sententia Iudicis; quod tamen nemo dixerit.

Nec etiam fit iniuria prætermissis dignioribus: quia digniores illi prætermissi nullum reuera ius habent ad beneficium, nec in re, nec ad rem: quia ius ad rem, in tali casu, non acquiritur absolute ex dignitate, aut maiori dignitate; sicut nec ius ad stipendium laboris, ex aptitudine seu habilitate laborandi; sed ex electione seu titulo, præsuppositа obligatione laborandi, quæ minus dignis in nostro casu imposita est, non dignioribus.

Et confirmatur assertio. Tum quia nulla actio datur dignioribus prætermissis in foro exteriori; 21
nec etiam in foro conscientiæ vspiam imponitur obligatio dignis beneficium resignandi. Tum quia dignitatis excessus valde est occultus, à quo proinde rationabile non erat, dependere iustitiam collationis beneficiorum. Tum quia reuera hæc bona non erant proprie & per se conferenda dignioribus, ex obligatione erga illos, seu ad ipsorum ius tuendum, vt ex fundamento superius allato colligitur.

Quod fit etiam, vt hoc casu non violetur proprie iustitia distributiua; cum hæc quæcunque necessitas seruandi ordinem dignitatis, non oriatur ex precepto iustitiæ distributiuæ, sed simplici præcepto superioris; aut etiam ex fidelitate, ratione officij, vt suo loco declarabo. 22

Assertio VI. Quod si in eadem materia 23
beneficiorum, inepti & indigni eligantur, facienda quidem erit restitutio, non dignis, aut dignioribus prætermissis; sed communitati, cui damnum datur. Primum & tertium fatenturomnes, & patet ex eo, quod tali casu per violationem iustitiæ commutatiuæ, Reipublicæ damnum datur ab iniquo collatore; qui ex officio erga communitatem eidem dignum operarium præficere debebat.

Secundum probatur ex præcedente assertione; quia prætermissis non fit proprie iniuria, cum necdum fuerint conducti: nec ex ipsa obligatione iustitiæ distributiuæ erga partes communitatis, sed solum commutatiuæ iustitiæ erga communitatem, aliter facienda erat distributio.

In quem sensum rectè etiam dixit Sotus lib. 3. quæstione vlt, articulo 2. in beneficiorum distributione rationem iustitiæ distributiuæ habere se materialiter ratione commutatiuæ; id est, non ex obligatione iustitiæ distributiuæ, sed commutatiuæ erga Ecclesiam, vel Rempublicam, distributionis actum rite esse exercendum.

Quæres quantum collator Communitati re- 24
stituere in hoc casu debeat? Respondetur quantum electus indigne recipere censetur de stipendio; & quantum etiam sufficit ad compensandum damnum, quod Respublica patitur ob indignitatem talis ministri, vt recte docet Valentia, quæstione 8. punct. 2. iuxta ea, quæ generatim dicemus dub. 2.

Assertio VII. Quando Princeps aliquis non 25
comunia, sed sua quædã bona propria Comunitati,

secun-

secundum formam distributiuæ iustitiæ, liberaliter distribuens (nulla stipulatione præuia interueniente) quosdam excludit, peccare quidem ille potest contra charitatem; sed restituere tamen prætermissis nihil tenetur. Ita quoad rem omnes. Et primum patet ex dictis de Charitate q. 6. dub. 1. Potest enim ea res esse causa & occasio scandali ac odij. Secundum probatur. Quia tali casu nullius ius violatur, nec vlla iustitia: non commutatiua, quia nulli adhuc ius acquisitum erat, vt supponitur: nec distributiua; cum hæc non versetur nisi in distribuendis bonis communibus, vt suo loco dictum quæst. 2. dub. 4.

26 ASSERTIO VIII. Distributor tamen in tali casu, à Principe designatus, si quosdam excludat, aut contra præscriptum Principis alijs plus det, alijs minus, tenetur ad restitutionem, non quidem per se ipsis partibus communitatis faciendam, sed domino. Ita communis. Et secunda pars colligitur ex dictis; quia prætermissi non habebant ius ad eiusmodi bona, ac proinde nullã passi sunt iniuriam.

Prima & tertia pars probatur. Quia talis violat iustitiam commutatiuam erga suum dominum; cum ex officio teneretur ad præscriptam distributionem; nec omnino de pecunijs domini disponere potuerit, nisi ex eius voluntate: Ergo tenetur ad restitutionem faciendam ipsi domino per se.

27 Quod si constet, dominum suam voluntatem non mutasse, sed potius manente voluntate pristina, velle adhuc, vt neglectis partibus fiat distributio (quod tamdiu præsumitur, quamdiu de voluntate mutata non constat) tum vtique, ex voluntate ipsius domini pauperibus, per accidens facienda erit restitutio. Quod etiam pariter dicendum, si interueniente stipulatione, dominus iam se communitati ad eiusmodi distributionem obstrinxisset; tunc enim, quia partes ratione stipulationis, ius saltem ad rem acquisiuissent, iuxta dicta q. 1. dub. 1. illis esset restitutio facienda. Plura inferius quæst. 8. dub. 2.

DVBIVM II.

De communibus titulis, & causis, ad restitutionem obligantibus; vt sunt damnificatio non deliberata; bonum alterius impeditum, vel non procuratum; & possessio rei cum bona fide.

S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 4. 6. 7.

QVæritur I. Ex quibusnam titulis generatim nascatur obligatio restituendi.

28 ASSERTIO I. Restitutionis strictè acceptæ, pro compensatione damni iniustè illati, duo generatim sunt tituli, seu fontes; videlicet res aceepta, & iniusta acceptio, siue damnum iniustè illatum. Ita cum S. Thoma q. 62. art. 6. Caietanus ibidem Sotus 4. de iustitia q. 2. art. 2. Couarruuias in regulam *Peccatum* part. 2. initio, Carbo quæst. 7. de restitutione, & alij recentiores. Ratio est. Quia duobus tantum modis contingit iniustè damnum proximo dari; aut quia possidetur res ipsius contra eius iustam voluntatem; aut quia iniustè accepta, seu destructa est res ipsius. Ratione prioris tituli, ad restitutionem tenetur omnis ille, qui rem alienam habet, domino rationabiliter inuito, quamuis eam ipse non abstulerit; vt si quis seu dono, seu emptione, adeoq; bona etiam fide acquisiuerit equum alteri furto sublatum. Ratione secundi tituli ad restitutionem tenetur omnis ille, qui proximo nocumentum aliquod per propriam & formalem iniuriam intulit; siue quia bonum alterius ex officio procurandum, aut damnum ex officio auertendum, neglexit &c. vt inferius declarabitur. Vbi etiam explicabimus, an & quid restituere teneatur ille, qui solum per materialem iniuriam res alterius læsit.

ASSERTIO II. Isti tituli aliquando sunt coniuncti; aliquando separati. Ita communis. Primum patet exemplo furis, qui & accepit, & possidet rem alienam. Secundum patet ex dictis. 29

ASSERTIO III. Inter hos titulos magna est differentia; nempe quod obligatus ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis, teneatur etiam ad restitutionem, quamuis res perierit, absque omni eius vtilitate; alter autem non, nisi de facto alienum habeat, aut ex alieno factus sit ditior; quod ipsum etiam aliquo modo alienum censetur. Ita omnes. Ratio patet. Quia hic ideò solum tenetur ad restitutionem, quod alienum habeat; ille verò, quia iniustè accepit seu læsit, siue inde aliquam vtilitatem perceperit, siue non. 30

ASSERTIO IV. Si de restitutione latè accepta loquamur, videlicet pro redditione alieni quocunque titulo debiti, tum prioribus duobus titulis adijcienda erit acceptio alieni etiam iusta, seu debitum ex contractu, vt accidit in mutuo, pignore, commodato, depositò &c. quibus casibus sæpe etiam res præter culpam habentis destructa restitutioni obnoxia esse potest, vt docet S. Thomas loc. cit. & patebit infrà. Debitum autem ex stipulatione non restituitur, sed soluitur, vt rectè etiam notauit Lessius cap. 7. dub. 5. Sententiæ autem iudicis restitutionem imperantis nullam hic mentionem faciunt authores, quia loquuntur de restitutione facienda ex ipsa rei natura, ac citra Iudicis sententiam. 31

Quæritur II. Quid restituendum à damnificante bona aliena præter intentionem, aut siue culpa graui? 32

Antequam respondeatur, supponẽdum primò; Bona aliena lædi posse dupliciter; primò commissione; vt cum quis domum alterius accendit. Secundò, pura omissione, vt cum quis negligit incendium extinguere. Et vtrunq; rursus fieri potest, aut cum culpa, aut sine culpa, saltem graui.

Supponendum secundò. Etsi Theologi duas tãtum culpas distinguant, mortalem & venialem; à Iuristis tamen, qui nomine culpæ in proposito generatim intelligunt defectum diligentiæ, ob quam damnum aliquod sequitur, quadruplicem distingui, apud Sylvestrum V. *Culpa*, Nauarrum Manual. cap. 7, num. 177. Petrum Nauarrum lib. 2 de restitut. cap. 1, n. 51. & alios. Primam vocant *dolum*, 33

siue

siue culpam *latissimam*, quæ videlicet ex intentione committitur, vel certe committi præsumitur. Vnde rursum dolus alius est verus, alius præsumptus; quem nonnulli, ad distinctionem prioris, vocant culpam *latiorem*, apud Lessium lib. 2. cap. 7. dub. 6. n. 23. Secunda culpa dicitur *lata*, quæ est omissio eius diligentiæ, quam in simili negotio, homines eiusdem conditionis communiter adhibere
34 solent. Tertia *Leuis*, quæ est omissio eius diligentiæ, quam solum diligentiores eiusdem notæ homines adhibere solent, in simili negotio. Quarta *leuissima*, cum omittitur diligentia, quam non nisi diligentissimi & prudentissimi adhiberent.

Quæ quidem culparũ acceptio ad externum forum pertinens, adeo à veræ culpæ ratione in foro conscientiæ discrepat, vt sæpe quod apud Iuristas, modo explicato, est lata, aut etiam latissima culpa; apud Theologos, in foro conscientiæ, ob indeliberationem seu inaduertentiam, sit nulla: & rursum quæ apud Iuristas dicitur leuis, aut leuissima, ob peruersum affectum delinquentis, in conscientia sit grauis & mortalis, vt consideranti patebit.

35 Supponendum tertio, ex Syluestro, & alijs citatis, tripliciter aliquem obligari posse ad compensationem damnorum alienis bonis illatorum. Primo ratione delicti præcise, secluso omni officio & contractu. Secundo ratione contractus, v. g. depositi, commodati, locati, &c. Tertio ratione officij, quale habent Prælati, Confessarij, custodes, pastores, respectu personarum, aut rerum ipsis commissarum.

36 His positis, quatuor sunt certa. I. Ex sola intentione lædendi, si ipsa actione exteriori contra ius suum nemo lædatur, non oriri obligationem restituendi; ex communi apud Adrianum de restitut. §. *Consequenter quæres*, Caietanum q. 26. a. 2. Petrũ Nauarrum lib. 2. cap. 2. n. 241. Molinam tract. 2. disp. 725. & tract. 4. disp. 51. Vnde lucrum ex contractu reipsa iusto obtentum, iure retinetur; etiamsi contrahens putarit esse iniustum.

37 II. Ad nihil etiam teneri, qui omni diligentia adhibita, ne noceret, adeoque sine omni culpa, etiam ciuili, nocuit, seu omittendo, seu committendo: nec ratione solius delicti, nec ratione contractus, aut officij; nisi expressum pactũ assecurationis intercesserit. Patet ex cap. finali & cap. *Si quis*. de iniurijs, & cap. vnico de commodato. Et docet aperte Augustinus epist. 154. Ratio est. Quia nullus titulus restitutionis hoc casu locum habere potest: nec rei videlicet acceptæ; nec iniustæ, aut iustæ acceptionis.

38 III. Eum, qui alterum in suis bonis ex intentione, adeoque scienter, & contra ius suum, per commissionem damnificauit, eiue rem suam abstulit, teneri ad compensationem omnium damnorum, quocunq; tandem casu res ablata perierit, vt ex communi docet S. Thomas q. 62. a. 6. & patet ex cap. *Si culpa tua*, de iniurijs. Ratio est. Quia contra iustitiam cõmutatiuam, ac per formalem iniuriam, in proprijs bonis, alteri damnum datum est.

Huc verò non spectat ille, qui aliena læsit, vt sua, quibus illa nocebant præter ius, quæque aliter seruare non poterat, tueretur, v. g. destruendo domum vicinam incendio correptam, iuxta Sa. V. *Restitutio*; quia iure suo vtens, aut seipsum cum debito moderamine defendens, nulli facit iniuriam.

IV. Eum qui etiam ex intentione damnificauit proximum sola omissione, non teneri ad restitutionem, nisi ex iustitia erga damnificatum, debuerit damnum impedire; ex dictis dub. 1. 39

Difficultas autem manet de positiuè damnificante, per aliquam culpam saltem ciuilem, etsi præter intentionem: aut negatiuè quidem solum, sed cum ex iustitia damnum fuisset depellendum; an & quo modo ij teneantur ad restitutionem, siue, vt dictum, ratione solius delicti, siue etiam ratione contractus, aut officij.

De qua re sunt variæ, & quidem vniuersim tres Doctorum sententiæ; duæ extremæ, & vna media. Nimirum 1. eademque communis, damnificantem, ratione delicti præcise, solum ad restitutionem teneri ex culpa crassa. 2. ad restitutionem teneri ex omni culpa, etiam leuissima. 3. ad restitutionem tam ratione delicti, quam ratione contractus, aut officij, teneri solum ex culpa crassa, & quæ simul etiam in foro conscientiæ sit mortalis. Hanc sententiam primus docuisse videtur Sotus lib. 4. de Iustit. q. 7. a. 2. cuius proinde sententiam nouam esse notarunt Bannes & Salon. hic q 62. art. 6. sed quam hodie non pauci recentiores sequuntur, vt dicemus.

ASSERTIO I. Etsi speculatiuè probabilius videatur, ratione nudi delicti, in conscientia ad restitutionem teneri (idq; sub peccato mortali, aut veniali, pro ratione materiæ) qui alterum quacunq; culpa etiam ciuili, etsi præter intentionem damnificauit: practicè tamen satis probabile & tutum est, ratione solius delicti, in foro quidem conscientiæ, & ante sententiam Iudicis, neminem teneri ad restitutionem sub peccato mortali faciendam, etiamsi damnum graue præter intentionem sit illatum, nisi ex culpa lata, & quæ in foro conscientiæ etiam fuerit mortalis. Prima pars traditur ab Adriano in 4. materia de restitut. Angelo V. *Culpa*, & satis apertè asseritur cap. finali, *si culpa tua*, de iniurijs & damno dato, & cap. Consuluisti 2. q. 4. 40

Ratio potissima est; quia ipsa naturalis æquitas postulare videtur, vt damnum potius luat nocens, seu is, à quo damnũ datum & profectum est, quam alius penitus innocens; ac proinde vt ipsius etiam inaduertentię seu inconsiderationis nocumentum ferat ille, qui inaduertentiam seu inconsiderationẽ illam, quacunq; demum ratione admisit; non alius, in quo nulla penitus est culpa, seu defectus. Esto interim ille ipse, in foro conscientiæ, nullam penitus culpam admiserit; immò fortassis nec maiorem etiam diligẽtiam adhibere absolutè potuerit, quam eam ipsam, quam adhibuit. Oritur enim hæc restitutionis obligatio, nõ per modum pœnæ ex culpa, sed ex ipsa inæqualitate, seu acceptione secundum rem iustitiæ opposita, & ab altero quomodocunq; causata. Fauentque eidem sententiæ multa iura, Institut. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. §. *Iniuria*, & l. *Qui occidit*, §. *In hac quoq; actione*, ff. Ad legem Aquiliam. 41

Idemque in casu, quo quis dando operam rei illicitæ, ita inconsultò nocuit, sentiunt Abbas 42

in caput finale de iniurijs, Medina de restitutione q. 9. Couarruuias in epitome part. 2. cap. 6. §. 8. num. 12. post Gabrielem in 4. d. 15. etsi eam distinctionem in proposito non immerito repudiet Petrus Nauarrus lib. 2. de restit. cap. 1. cum illa diuersa conditio operis nihil per se ad iustitiam vel iniustitiam operis, seu operantis conferat.

43 Nihilominus posterior pars assertionis, quoad prius illud dictum, requiri ad eam obligationem culpam latam, est communis Doctorum sententia, vt testatur Sylvester V. *Culpa*, q. 4 vbi vniuersim docet, neminem ratione delicti ad restitutionem in conscientia teneri, nisi ex dolo, aut culpa lata: *quod*, inquit, *multi Doctores habent pro dicto singulari. Sed*, vt infra ait, *est opinio communior, quam sequuntur Ioannes Anagnia, Panormitanus, Rosella.* Idq; ipsum extra casum, de animalibus damnificantibus, sentit etiam Carbo q. 7. de restit.

44 Ratio est; quia secluso peculiari pacto, aut titulo, nemo tenetur ad maiorem diligentiam adhibendam, quam quæ communiter ab alijs eiusdem conditionis hominibus, in simili materia, solet adhiberi: Ergo eo ipso, quod talis, vitando culpam latam, debitam eiusmodi diligentiam adhibuit, nō videtur obnoxius restitutioni.

45 Requiri verò etiam culpam in conscientia mortalem, tradunt non solum Sotus loc. cit. sed etiam Petrus Nauarrus lib. 2. de Restit. cap. 1. num. 46. 48. 51. & 61. Henriquez de irregularit. cap. 15. Toletus edit. ant. lib. 5. cap. 18. Sa V. *Culpa*, & V. *Restitutio*, quos etiam sequitur Lessius cit. cap. 7. num. 24. & 27. & fauet Azor tom. 3. l. 3. cap. 17. & 18.

Ratio eiusdem partis est; quia quando culpa solum venialis est, tum non est perfecta in ratione iniuriæ: Ergo ipsa per se sola non videtur posse perfectam, adeoque grauem restitutionis obligationem inducere, quandoquidem obligatio compensandi non potest esse maior in suo genere, quam iniuria, ex qua nascitur.

46 Ad leges autem, & canones in contrarium adductos, commodè potest dici, esse pœnales; ac proinde non obligare ante sententiam iudicis; præterquam quod Lessius existimat, Canones non loqui de culpa solum leui, sed lata & mortali; aut certè in foro externo niti præsumptione culpæ latæ & mortalis: quæ præsumptio cessat in foro conscientiæ, vbi veritas stat contra præsumptionem.

Atque eadem est ratio *quasi delicti*; quando quis videlicet, secundum imputationem legum, *quasi reus* censetur ob delictum, vel factum alterius suæ potestati subiecti, vt videre est ff. de ijs, qui deiecerunt vel effuderunt aliquid; Item ff. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur; item Instit. Cod. & ff. de noxalibus actionibus, item ff. tit. Si familia furtum fecisse dicatur. Item Instit. de actionibus & obligationibus, quæ ex delicto nascuntur. Satis enim probabile est, has leges in conscientia per se non obligare, ante sententiam Iudicis, si quando citra culpam latam & mortalem damnum datum sit, vt præter alios Doctores citatos tradit etiam Azor lib. 3. cap. 8. etsi de animalibus nocumentum inferentibus, præter Iuristas & Canonistas, aliter etiam sentiat Carbo q. 7. de Restitut. propter cap. vlt. de iniur. quod tamen etiam solum in foro externo receptum esse putat Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 17. num. 119.

Assertio II. Probabile est, ratione solius delicti, nec sub veniali quidem obligari ad restitutionem, qui nocendo, ex imperfectione actus solum venialiter peccauit. Ita cum Sylvestro Lessius num. 28. idemque significat Azor cit. cap. 8. etsi Pet. Nauarrus, alijque nonnulli etiam pro secunda parte prioris assertionis citati aliter sentiant. Probatur. Tum quia isti iuxta mores humanos, & respectu quidem hominum, qui ita lædunt, fortuito potius, quam humano modo læsisse censentur. Tum quia obligatio restituendi, in materia alioquin graui, non potest esse venialis. Cum ergo in præsenti non obligentur ante sententiam sub mortali, vt dictum, non obligabuntur etiam sub veniali. 47

Assertio III. Idem sentiendum, tametsi ex ignorantia comitante, maior illa, & indebita diligentia & circumspectio fuerit omissa; seu quod idem est, si quis omnem diligentiam debitam præstet, ne noceat, optet tamen casu obuenire alteri damnum, vel mortem: talis enim similiter immunis erit à restitutionis obligatione. Ita Lessius loc. cit. Exemplum est; si quis diligenti consideratione adhibita, quam prudens adhiberet, putet esse feram, & in mentem veniat fieri posse, vt sit hostis, ideoque telo petat; aut si quis iaculetur in altum eo voto, vt cadat in caput inimici, eo quod cogitet id esse possibile, quamuis prudenter credat, inimicum longe abesse. Idem fieri potest in Medico, vel Chirurgo respectu ægri, quem curant. Ratio est; quia nihilominus respectu tam actus externi, quam absoluti propositi, damnum illud consequēs est fortuitum, iuxta ea, quæ de ea ignorātia generatim diximus tomo 2. disp. 4. q. 9. dub. 1. 48

Assertio IV. Ratione contractus, damna inconsulto illata, in foro conscientiæ, sub peccato mortali compensanda sunt; si vel pactum assecurationis interuenerit; vel res aliena perierit, dum quis ea ad vsus non concessos vtitur; vel dum est in mora eam restituendi. Ita ex communi docent citati, speciatim Sylvester V. *Culpa*, & V. *Commodatum*, Nauarrus cap. 17. num. 181. & 184. & 199 Salon & Aragonius quæst. 62 art. 6. Lessius cit. cap. 7 num. 37. qui tamen posteriores duos casus limitat, nisi id fiat, domino vsum illum, aut retentionem ratam habente; quod satis per se intelligitur. 49

Colligitur assertio ex citatis capitulis de iniurijs, & cap vnico de commodato, & Institutionibus, quibus modis re contrahatur obligatio §. *Item is.* Ratio est. Quia primus tenetur titulo iustæ acceptionis; alij ratione acceptionis iniquæ. Nam vti re commodata v. g. ad inconcessos vsus, aut per moram diutius retinere, quā conuentū sit, æquiualet iniustæ acceptioni etiam directè voluntariæ.

Assertio V. Probabilius est, rem alienam præter intentionem damnificantem, ex contractu quidem solius domini vtilitatem spectante, vt est nudum depositum, teneri solum de culpâ latâ; 50

ex con-

ex contractu vero vtriusque commodũ spectante, vt est pignus, conductũ, & locatum, teneri de culpâ leui: ex contractu demùm solùm in accipientis vtilitatem inito, vt est commodatum (excepto precario, iuxta legem, *Quæsitum*, & l. *Contractus*, ff. de regulis Iuris) teneri etiam de leuissima; idq; etiamsi coram Deo nec mortalis, nec venialis culpa fuerit commissa: licet interim simul probabile sit, citra culpam mortalem damnificantis, aut pactum assecurationis, nec ex contractu quidẽ in conscientia, ante sententiam Iudicis, contrahi obligationem sub mortali restituendi damnum, præter intentionem illatum.

51 Priorem partem tradit communis sententia, tam Theologorum, quam Iurisconsultorum; ac speciatim S. Thomas q. 62. a. 6. quem sequuntur Caietanus, Aragonius, Bannes, alijq; Theologi ibidem. Item Nauarrus man. cap. 17. à n. 181. & 199. Syluester V. *commodatum*, & apud eundem communis sententia Canonistarum, item Molina disp. 245, Azor tom. 3. lib. 4. cap. 6. Rebellus lib. 1. de contractibus q. 10 à n. 7. Lessius loc. cit.

Probatur tum ex dispositione Iuris, tàm Canonici, quàm ciuilis cap. vnico de commodato, & cap. 2. de deposito. Institut. cit. §. *Item is*, & §. *Interea is*, & §. *Creditor* & l. *Contractus* ff. de Regulis Iuris, & l. *In rebus commodatis*, & l. *Sin certi* ff. depositi vel contra. Tum ex ipsa æquitate naturali, quam rectè etiam declarauit S. Thomas loc. cit.

52 Nam si quis per contractum rem alienam in suâ solum vtilitatem accepit, æquum nullo modo est, vt dominus ex beneficio damnum sentiat, saltem si vel minima culpa ex parte vtentis interuenerit, vt rectè S. Thomam limitârunt Caietanus & Bannes. Quod si in vtilitatem solius domini cedat contractus, vt sit in nudo deposito, æquum nullo modo est, vt ratione talis contractus maiori onere grauetur possessor, quàm alius quispiam, qui extra contractũ rem alienam damnificauit. Imò vero par est, vt non nisi de maiori culpa teneatur, quàm alius, ex quo dominus rei nullam vtilitatem percipiebat. Quis enim aliàs vellet depositum gratis recipere? Deniq; quando contractus in vtriusq; parem vtilitatem cedit, æquum est, vt aliquo saltem modo damnum seu damni periculum diuidatur; ita videlicet, vt saltem damnum ex leuissimâ culpâ secutum dominus ferat, non possessor.

53 Notandum tamen, cum quis seipsum ad seruandum depositum obtulisset, aut aliquid pro custodiâ accepisset, teneri etiam de leui culpâ, vt habetur in cap. *Bona fides*, de deposito; & est hęc vniuersalis regula Syluestri V. locatio q. 17. quam probat etiam Salon hic q. 62. a. 7. controuersia 3. eum, qui iam aliunde tenebatur de graui culpa, si accipiat pretiũ, teneri etiam de leui; & qui antea tenebatur de leui, teneri de leuissima

54 Secundam partem tradit Sotus lib. 4. de iustitia q. 7. a. 2. qui vniuersim requirit culpã mortiferam. Idem sequuntur Sa V. *Commodatum* & V. *Culpa*, Henriquez de irregularitate cap. 15. Toletus loc. cit. eandemque sententiam probabilem censet Lessius n. 43. Ratio est. Quia stando præcisè iure naturali, ex probabili, nemo tenetur nisi ob culpam latam, eamque mortiferam, vt fusius probat Lessius; & leges illæ humanæ in foro quidem conscientiæ non videntur vsu receptæ: & præterea existimari possunt pœnales; ac proinde ante sententiam iudicis non obligantes.

Addit tamen limitationem Sa V. *Culpa*, nisi aliud fit conuentum (de quo suprà) aut res esset eiusmodi, quæ exactam requireret diligentiam, & per negligentiam læsa esset: *quanquam in ijs*, inquit, *multum potest prudentia & æquitatis ratio, quid sit agẽdum decernere*, de quo infrà.

Assertio VI. Etsi quidem similiter probabile sit, secluso peculiari pacto, ratione officij neminem sub mortali teneri ad compensanda damna inconsulto illata, nisi culpa lata & mortalis interuenerit: multo tamen probabilior & certior est communis sententia, asserens, nulla habita ratione peccati in foro conscientiæ, pro varia conditione tam officij, quam culpæ ciuilis, restitutionis obligationem, modo superius explicato, varie contrahi. 55

Prima pars, quam expresse tradit Sotus loco cit. cum alijs recentioribus assertione prima pro secunda eiusdem parte citatis, probatur ex dictis; est enim inter Doctores communiter receptum, per se loquendo, minus aliquem teneri de culpa, ratione officij, quam Commodatarium ratione commodati. vt videre est apud Petrum Nauarrum n. 5. & 6. Salonem q. 62. a. 7. controuersia 3.

Quin etiam Panormitanus in cap. *Cum causam*, de testamentis, docet, Iudicem (eadem est ratio aliorum officiorum) solum teneri de dolo & lata culpa, non autem de leui & leuissima; quod etiam generatim asserit Carbo q. 71. de damnificante indirectè, & exemplum affert de medico & chirurgo. Lessius quoque dub. 7. similiter ait, neminem teneri in foro conscientiæ ex culpa leui, vel leuissima in officio, sed solum ex graui, seu ex lata, saltem respectiuè, hoc est, quæ ratione officium gerentis lata sit; esto ratione aliarum personarum foret leuis; idque in specie etiam contra Sylueſtrum asserit de tutore & curatore ibidem n. 31. item de consulente n. 33. 56

Secunda pars assertionis probatur ex dictis pro priore parte assertionis quintæ, ob paritatem rationis: Sicut enim contractus, ita & officia quædam in vtilitatem solum aliorum suscipiuntur; vt quæ gratis, & ex sola charitate præstantur; alia in vtilitatem vtrorumque tam fungentium, quam recipientium; qualia sunt, vt rectè Salon q. 62. a. 6. cõtrouersia 5. notauit, omnia officia Principum, Iudicum, Gubernatorum, & eorum qui ex officio stipendium recipiunt. 57

Quare etiam apud omnes certum videtur, eos qui ex sola charitate officium aliquod obeunt, per se non teneri nisi de culpa lata; quia æquum est, vt isti non ita facilè damnum sentiant ex gratuita charitate. De leui autem, & leuissima, eos qui se tanquam peritos & certos damni propulsandi, aut etiam peritiores vltro obtrudunt; hi enim hoc ipso recipiunt in se, quod alterum velint indemnem seruare; qui se illis etiam hoc tacito pacto committit, vt rectè etiam cum Sylueſtro V. *Culpa* q. 4. docet Lessius n. 32. 58

Qua

Qua ratione, si chirurgus probè gnarus se non posse curare, vel etiam dubius, num possit, nihilominus se obtrudat, tanquam curaturum, planè manifesti doli reus tenetur, ratione cuius ad restitutionem eum teneri, dubitari nullo modo debet. De consulente verò plura inferius.

59 ASSERTIO VII. Per Iudicis sententiam, ex illato damno, iuxta iuris dispositionem, ad restitutionem damnatus, tenetur planè etiam in conscientiâ tali sententiæ parere. Ita omnes. Et patet, Quia iustæ Iudicis sententiæ parendum est: est autem iusta sententia, quæ secundum leges fertur.

60 ASSERTIO VIII. Interim quando sententia non profertur, cum res hæc omnis non satis certa sit & liquida, vt ex dictis colligitur, tutissimum quidem erit, & consultissimum, vt damnificantes, iuxta declaratam superius iuris dispositionē, restitutionem faciant, aut certè alioquin cum læso amica compositione transigant, plus minsue pro ratione culpæ restituendo: attamen in foro conscientiæ confitentes, ante sententiam Iudicis, si citra peccatum mortale læsio indirecta acciderit, non sunt facilè cogendi ad restitutionem, secluso peculiari pacto assecurationis. Primum per se patet.

Secundum probatur. Quia Confessarius, ordinarie saltem, vbi non agitur de satisfactione, aut cautela pœnitentis, non debet adigere pœnitentē, ad quod ex probabili sententia alias sub mortali non tenetur; sed pœnitens, ex probabili sententia hoc casu sub mortali non obligatur, ad restitutionem, ex dictis: Ergo, &c.

61 Et sanè tam Confessarius, quam pœnitens, dum tantorum authorum opinionem probabilem iudicant, sine periculo ei se possunt conformare; esto ex proprijs principijs contrariam ipsi probabiliorem iudicent, vt partim patet ex generali doctrina, tradita tomo 2. disp. 2. q. 6. dub. 2. & 3. & disp. 2. de bello q. 6. dub. 4. partim suo loco de pœnit. tom. 4. dicetur. Idem docet Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 4. cum alijs.

Accedit, quod nec in foro quidem externo Iudices semper, ob eiusmodi damnificationem indirectam ad totius damni compensationem adigunt; quandoquidem nonnunquam, cum ex vna parte de culpa sufficienti satis certò non constat, & ex altera parte suppetunt indicia valde vrgentia, reus solummodo damnatur in partem damni, vt notat Salon controuersia 5. Quanquam meo quidem iudicio, in tali dubio, potius omnino reus foret, absoluendus, quotiescunque videlicet culpa proportionata iuridicè non satis probatur: quia tunc in fauorem rei & possessoris potius, quam alterius læsi, videtur declinandum. Vnde est.

62 ASSERTIO IX. Quoties dubium est, an res per culpam sufficientem in externo foro, pro ratione materiæ & casus; an potius fortuito, aliterue perierit: tunc longè probabilius est, neminem vel ex delicto, vel ex contractu, aut officio teneri ad restitutionem, secluso pacto assecurationis. Ita rectè Sa V. *Restitutio*, vniuersim asserens, neminem teneri ad restitutionem, qui dubitat (videlicet prudenter) an fuerit damni causa, vel an teneatur restituere. Quod etiam colligitur ex Sylue stro V. *Restitutio*, 3. §. 6. & Valentia q. 6. pun. 7. Etsi Salon, in dubio, potius in fauorem læsi declinandum dixerit; quod non probatur. Ratio est. Quia in dubio melior est conditio possidentis; atqui reus ratione rei restituendæ, est in possessione eiusdem: Ergo.

Quæritur III. An & quid restituendū ab eo, qui 63
alium à consecutione boni impedit. Pertinet etiā hæc quæstio ad titulū iniustę acceptionis, sed habet specialem difficultatem. Et quidē S. Thomas hic q. 62. a. 2. ad 4. speciatim agens de beneficijs Ecclesiasticis ait, iustè impedientē, ad nihil teneri; at vero iniustè impedientē *puta*, inquit, *si intendat eius nocumentum, quem odit, aut propter vindictam, aut aliud huiusmodi, teneri, non tamen semper in solidum.*

Clarius eandem sententiam traduntScotus in 4. d. 15. q. 6. a. 3. Richardus a. 5. q. 4. ad 7. Paludanus q. 2. a. 2. Item Antoninus, Angelus, Syluester, & vt apparet Caietanus hic cit. q. 62. a. 2. itemque alij, asserentes, eum qui impedit alterum à consecutione beneficij. si id fecit intendens commodum suum, vel amici, non teneri ad restitutionem: si autem fecerit in odium impediti, vt ei noceret, teneri.

ASSERTIO I. Qui sine vi & fraude aliquem 64
impedit à consecutione alicuius boni, ad quod absolutè nec ius in re, nec ad rem habebat, non tenetur ad vllam restitutionem; quantumuis malo animo impediat. Ita post Adrianum 4. de restitut. ex communi recentiores ferè omnes, Scotus 4. q. 6. a. 3. Couarruuias epit. 4. part. 2. c. 6. §. 7. num. 8. Nauarrus man. cap. 17. n. 69. Valentia q. 5. pun. 5. Pet. Nauarrus lib. 3. c. 5. n. 7. probatur. Quia tali casu, non infertur damnum per iniuriam: nec ex violatione charitatis, sed solius Iustitiæ oritur obligatio restitutionis, vt dictum dub. 1. Sed & S. Thomas, cum expresse locutus sit, de impediente iniustè, contrarium non sentit.

ASSERTIO II. Qui inuitum ab obtinendo 65
quocunque bono, quod licitè obtinere potuisset, impedit per vim aut fraudem, aut etiam sine hac à bono, ad quod alter habebat ius; tenetur ad restitutionem aliquam impedito faciendam. Ita omnes citati, & consentit Vasquez 1. 2. disp. 175. n. 13, & videtur certa; quicquid nonnulli apud Sa. V. *Restitutio* negent, teneri ad restitutionem, etiamsi dolo quis testamentum mutari curarit.

Probatur. Quia talibus per veram iniuriam nocumentū infertur; posterioribus quidē hoc ipso, quod habebant ius ad eam rem: prioribus vero, quia quisque habet ius, nemine per modos iustitiæ oppositos obstante, procurandi & acquirendi rem, quam alioquin licite poterat obtinere; estque hoc ius, pro ratione ipsius etiam rei, vel spei magis vel minus pretio æstimabile.

Dixi tamen, quod *licitè* potuisset obtinere; quia si licitè obtinere non potuit, etsi quidem pro iniuria seu nocumento violentiæ, seu fraudis illatæ, impedito satisfaciendum sit; hoc ipso tamen, quod is ad rem sibi procurandam ius siue accessum honestum nullum habebat, non est intuitu ipsius impediti, quicquam illi restituendum; vt si quis furem vi aut fraude à furto impediat; aut indignum à consecutione beneficij, vt rectè etiam docet Lessius dub. 18.

66 ASSERTIO III. Probabilius videtur, bonum impeditum in solidum esse compensandum, si quidem collatoris animus iam certo firmatus ac determinatus erat ad beneficium, nec aliunde, moraliter loquendo impediri posse collatio prudenter existimabatur. Ita expresse docet S. Thomas cit q. 62. a. 2. ad 4. Sotus, Valentia loc. cit. etsi Nauarrus in Manuali cap. 17. n. 73. Carbo q. 29. de restitut. Lessius dub. 18. & quoad impeditum per vim aut fraudem, à re, ad quam nullum ius habebat, Petrus Nauarrus loc. cit. non improbabiliter contrarium sentiant, rati non in solidum esse faciendam compensationem, sed pro ratione iniuriæ, boni impediti, spei ac certitudinis acquirendi, iuxta arbitrium boni viri.

67 Sed probatur assertio; quia si certo iam erat obuenturum tale bonum, tum perinde est iniuste impedire à tali bono obtinendo, atque obtentum adimere, vt rectè dixit S. Thomas; sicut etiam idem est pecuniam à creditore certo recipiendam habere: & in loculis repositam habere.

68 ASSERTIO IV. Si futura consecutio boni, non erat omnino certa & constituta, tum ab impediente restituendum erit plus vel minus, pro conditione negotij, & ipsius boni, ac propinquitatis seu certitudinis, atque etiam iuris eiusmodi bonum obtinendi, Ita omnes. Ratio est, quia bonum illud tali casu tantum non valet quantum bonum obtentum.

69 Ex his colligitur, impeditis sine vi & fraude à consecutione beneficij nondum collati, aut legati, ad quod nullum adhuc ius erat acquisitum, aut eleemosynæ &c. nil restituendum ab impedientibus, vt docent Nauarrus, Couarruuias, Petrus Nauarrus loc. cit. licet multi quoad beneficia contrarium sentiant, ij videlicet, qui etiam à collatore prætermissis dignis, aut dignioribus putant esse faciendam restitutionem, de qua re supra dub. 1. n. 18. Impeditis autem iniuste, adeoque per vim aut fraudem, dignis seu dignioribus, non autem indignis restituendum esse, secundum ea, quæ diximus n. 65.

70 Quæritur IV. An & quid restituendum ab eo, qui alterius bonũ, cum possit, ac debeat, procurare negligit? Et hæc etiam quæstio concernit iniustã acceptionẽ, locumque habet in confessarijs, parochis, iudicibus, reis, testibus, fiscalibus, curatoribus, custodibus, & alijs q vel cõmunitatis, vel priuatarũ personarũ bonũ procurare debent, docendo, iudicando, fatendo, testificando, accusando &c.

71 Et suppono ex hoc, quod cum reus, testis, iudex, &c. suum officium non faciunt, triplex damnum consequi posse & solere. Primum est alterius partis litigantis, seu læsæ damnum, quod item triplex est, nimirum probrum quoddam seu infamia, dum in accusando calumniam fecisse putatur; deinde noui sumptus, quos in probando crimine facere cogitur; demum carentia eius boni, pro quo litigatur. Secundum est damnum totius Cõmunitatis, in qua ex incuria seu indulgentia officialium, nascitur impunitas & licentia peccandi, & ex hac rursus alia mala. Tertium est lucrum illud cessans, quod ex punitione seu delatione legitimè facta ad fiscum peruenisset; & quamuis de hoc tertio potissimum sit quæstio, consequenter tamen etiam de alijs duobus agendum est.

Hoc posito, hanc vnicam & generalem de hac omni re assertionem & veluti regulam statuo: nimirum omnem & solum illum hoc titulo ad restitutionem obligari, in quo tres sequentes conditiones simul concurrunt. Prima est, quod debuerit tale bonum alteri procurare ex iustitia, non legali tantum, iuxta dicta dub. 1 num. 12. consentiente etiam Vasquez 1. 2. d. 175. c. 1. Lessio lib. 2. cap. 12. dub. 18. sed vel commutatiuâ, ratione officij, stipendij vel contractus; vel distributiua, propriè in vtilitatem partium distribuente bona communia. 72

Patet hæc conditio ex dictis dub. 1. Quia ex sola violatione iustitiæ commutatiuæ, aut distributiuæ modo explicato, oritur obligatio restitutionis; quicquid nonnulli ibidem in contrarium dixerint.

Secunda conditio est vt quis tale bonum procurare debuerit propriè ac per se, ex iustitia vel officio erga illum ipsum, qui ob bonum non procuratum damnum patitur; adeoque in gratiam & commodum ipsius damnificati, cuius nimirum caussam ea in re propriè agere debuerat, vt Valentia q. 6. pun. 4. Conclusione 3. bene & breuiter attigit & consentit Sa V. *Restitutio.* Quibus accedit Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 175. cap 1. n. 9. Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 10. etsi id multi non videantur animaduertisse. 73

Ratio est. Quia in hac materiâ non potest oriri obligatio restitutionis, nisi ratione iniustæ acceptionis, adeoque ob damnum per iniuriam illatum illi, cuius bonum procuratum non est: at quotiescunque ego, non ex iustitiâ erga illum, ad eiusmodi boni procurationem directè ac per se tenebar, tunc omissa procuratione, nullam tali facio iniuriam, vtpote qui nullum ius habebat ad eiusmodi procurationem per me faciendam: Ergo. &c. Exemplo sunt illi, qui captis & excisis publicis latronibus & grassatoribus, tutas tenentur præstare vias publicas; hi enim si negligentes sint in eo munere, tenentur quidem de damnis subditis, ac in ditione sui Principis illatis, sed non item de alijs, qui in alterius Principis ditione spoliantur; quantumuis præstitum officium etiam illis profuturũ erat.

Tertia conditio est, vt vel deliberate fuerit omissa talis boni procuratio; vel certe cum tali culpâ, quæ damnificantem ratione officij, vel contractus, obnoxium reddat restitutioni, iuxta dicta quæstio. 2. Cum enim hæc obligatio non oriatur ex re acceptâ, nec iusta acceptione, sed iniusta, necesse est culpam interuenisse huic obligationi proportionatam, vt ibidem dixi. His igitur tribus circumstantijs concurrentibus, quia omittendo procurationem boni ex iustitiâ debitam, per veram iniuriam proximo damnũ datur, oritur planè obligatio restitutionis. Si autem vel vna deficiat, non oritur. 74

Ex qua doctrina innumeri casus resolui possunt, & in specie Colligitur. I. non teneri Confessarium ad vllam restitutionem creditori pœnitentis faciendam, tametsi pœnitentem de restitutione monere culpabiliter etiam negligat, vt recte docent Valentia q. 6. pun. 3. Sa V. *Restitutio*, Suarez 3. p. tom. 4. disp. 32. Sect. 6. &. fere Lessius lib. 2. cap. 13. n. 77. licet Nauarrus in Manuali cap. 17. n. 22. 75

Summa Rosella, & Angelica V. restitutio, Petrus Nauarrus, alijque contrarium sentiant. Ratio est. Quia Confessarius ex officio non agit causam Creditoris, sed pœnitentis, quoad bonum spirituale.

76 Colligitur II. Reum iniustè crimen in iudicio negantem, ante sententiam, non teneri ad luendam corporalem pœnam, vt fatentur omnes; nec etiam ad pecuniariam multam fisco soluendam, quæ nimirum ad fiscum ex veri confessione peruenisset, vt rectè docent Adrianus quod lib. 6. Nauarrus man. c. 18. n. 49. Couarruuias in epitome 4. p. 2. c. 6. §. 8. n. 10 Azor l. 5. c. 8. q. 5. Vasquez d. 175. c. 5. etsi contrarium sentiant Sotus l. 1. q. 6. a. 6. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 95 Ratio est. Quia Reus, etsi obiigatus sit, ad confitendum crimen, vt supponimus, propriè tamen ex officio, aut ex iustitia, non tenetur sua confessione procurare bonum fisci; nec etiam fiscus aliquod ius iustitiæ commutatiuæ acquisiuit ad multam pecuniariam, ante sententiam. Idem ob eandem causam dicendum videtur de testibus, si non testentur, cum debent: immò etiamsi falsum testentur, vt expresè docent Sa V. Restitutio, & Azor loc. cit.

77 Colligitur III. Tam reum iniustè negantem, quam testem falso testificantem, aut etiam legitime interrogatum non testificantem, teneri ad compensanda damna & expensas, quæ altera pars, ob negatam, seu tacitam veritatem patitur, vt ex communi docet Carbo quæst. 31. Sa citatus, post Sotum lib. 4. quæst 7. art. 3. Medinam Cod. de restit. quæst. 9. Nauarrum man. cap. 17. num. 21. Ratio est. Tum quia reus falso & inique negans, positiua actione ius alterius partis lædit; perinde ac si aperto mendacio diceret, alteram partem ius nullum habere: Et testis legitimè interrogatus, tenebatur quoque ex officio & iustitia, ad partem læsam sua testificatione indemnem seruandam.

78 Potest tamen hic, ob incommodum, quod sibi ex testificatione timet euenturum, excusari quandoque ab hoc onere, vt rectè etiam notarunt Sa & Lessius infra ex communi. Quod idem aliquis de reo non omninò improbabiliter dixerit, si ex veri confessione, præter damni & expensarum compensationem alteri parti faciendam, grauissimam pœnam mortis aut mutilationis timeat, iuxta ea, quæ de reo suo loco dicta sunt supra q. 9. dub. 5. num 97. modo interim illa, quæ ante iudicium reus debebat creditori, aut illi quem læsit, legitimè persoluat, aut compenset; nam de hac obligatione nulla est quæstio.

79 Imò non improbabile est, etiam per se loquendo, testem quantumuis citatum, præcisè ob denegatam testificationem, non teneri de tali damno partis vt cum Molina disp. 83. & Sylueſtro V. testis, docet Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 8. Idem de reo indicat Vasquez loc. cit. cap. 2. Ratio est; quia non ita liquidè constat, tales ex officio siue ex iustitia erga alteram partem actricem teneri ad bonum eius procurandum, vel eiusmodi damnum eius impediendum.

80 Colligitur IV. Iudicem in proferenda sententia negligentem, non solum teneri ad compensanda damna, quæ partibus eius officium requirentibus, aut Reipublicæ inde consequuntur; sed probabiliter etiam ad multam illam pecuniariam fisco aut læsæ parti soluendam, quam Reus soluisset, si iure cum eo processum fuisset: quod pariter etiam de fiscali suum officium negligente dicendum. Ita docent Sylueſter V. Pœna quæst. 28. Salon art. 7. controuersia 5. Carbo quæst. 31. qui dicit, eam esse communem omnium sententiam; & quoad fiscalem consentit Vasquez loc. cit. Nec est dubium de prima assertionis parte, quæ constat ex dictis quæst. 4. dub. 1. Fundamentum sumitur ex dictis: quia constat, Iudicem ex officio & iustitia teneri ad iustitiam administrandam, ob bonum Reipublicæ & partis eius officium requirentis: ideò enim à Repub. stipendium recipit.

Secundum de multa ad fiscum spectante probatur. Quia Iudex & fiscalis ex officio & iustitia, adde etiam ratione stipendij, non solum bonum partium, & communitatis, sed, vt apparet, etiam fisci procurare debent, secundum leges sibi præscriptas.

Contrarium tamen de Iudice, quoad pœnam pecuniariam fisco soluendam, docent Azor citatus ad 4. Sa V. *Restitutio*; Vasquez citatus, & de Fiscali Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 10. & alij quidam apud Salonem. Nec omninò improbabiliter; non solum quod ad eiusmodi mulctam nondum est acquisitum ius fisco & partibus; sed etiam quia non satis constat, Iudicem & fiscalem debere propriè ex officio & iustitia eiusmodi fortuita fisci emolumenta procurare. Quâ de causa etiam non facile ad eiusmodi restitutionem erunt in confessione cogendi, ante sententiam Iudicis. 81

Colligitur V. Telonarios omnino teneri ad restitutionem neglecti vectigalis, si vectigalia iusta à viatoribus aut non exigant, aut in fiscum non conferant; cum ex proprio officio teneantur in hoc genere bonum fisci absque controuersia procurare. Secus dicendum de multa pecuniaria, ad fiscum peruentura, si eam procurare negligant, vt patebit. 82

Colligitur VI. Custodes ciuitatum, siluarum, fluminum, licet transgressores ad Magistratum deferre negligant, non teneri ad soluendam illam pecuniariam multam, quæ alioquin ad fiscum peruenisset. Ita cum Bernardo quodam Canonista docent Sylueſter V. *Restitutio* 3. quæstione. 5. §. 7. Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 10. etsi contrarium sentiant Carbo, Salon. Ratio est. Quia illorum officium per se non videtur spectare bonum fisci, sed securitatem & defensionem boni publici. 83

Idem ob eandem causam etiam de telonarijs docet Lessius loc. cit. Quia nec ipsi tenentur bonum fisci, talis multæ procuratione, ex officio promouere.

Eadem ratione existimauerim, publicos æstimatores rerum venalium, non teneri ad pecuniariam illam multam soluendam, quam soluissent denunciati rei, etiamsi eos deferre negligant.

Sicut tamen isti procul dubio tenentur ad compensanda damna communitatis, ex eorum negli- 84

negligentia consecuta; ita etiam Custodes illi ad damna illicitæ lignationis, venationis, piscationis, &c. vt docent omnes, & fatetur Sylvester loc. cit. ob rationem contrariam; idque etiamsi fortè ipsimet venatores, lignorum cæsores, ad hoc non teneantur, vt docent Carbo & Salon. Cæterum quantitas restitutionis ex damno dato boni viri arbitrio taxabitur, vt inferius dicetur dub. 10.

85 Addo tamen, ab hoc onere excusari posse custodes, non solum si lignatio, pabulatio talis &c. iniustè prohibita sit; sed etiam si dissimulent cum ijs, qui ex graui necessitate, in communibus locis ac saltibus, moderate lignantur, pabulantur, quantum sufficit ad suam necessitatem subleuandam, vt ex quadam æquitate docent Carbo & Salon locit citatis.

DVBIVM III.

Quid restituendum ab eo, qui alii quoad bona animi, seu naturalia, seu supernaturalia inique læsit.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 62.

86 QVæritur primo, An & quid restituere teneatur ille, qui alterum in bonis animi naturalibus iniuste læsit; puta per veneficium, philtrum, venenum, aut falsi persuasionem. Vbi notandum, naturalia bona animi esse, perspicacitatem ingenij, memoriæ, intellectus; item scientiam, & veri cognitionem.

87 Respondetur. Talis tenetur primo amoliri vim, fraudem, atque etiam veneficium, si qua licita ratione potest: quo spectat etiam, vt qui errorem pernicioſum docuit, eum seducto detegat; quin etiam veritatem doceat, si alioquin ex officio docere debuit; alias non, iuxta dicta dub. præced. num. 72. Secundo, tenetur talis etiam adhibitis licitis & possibilibus medijs curare, vt pristina vis animi ac mentis redeat. Tertio tenetur subsecuta damna compensare, ad arbitrium prudentis viri. Ita ex communi docent Caietanus in summa V. *Restitutio*, Valentia quæst. 6. pun. 5. §. 1. Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 2. Ratio per se patet; quia hæc omnia spectant vel ad iniuriam auferendam; vel ad damnum iniuste illatum compensandum.

Qui tamen bona fide falsum docuit, si ex officio verum docere non debuit, probabiliter non tenetur de damno, vt notat Caietanus citatus; quia credens id sibi imputare debet: præterquam quod tale damnum quasi fortuito obueniens non est obnoxium restitutioni, iuxta dicta dub. præced. num. 40.

88 An vero præterea pro ipso quoq; naturæ bono, si reduci amplius non possit, aliquid in alio bonorum genere restituendum sit, saltem iuxta arbitrium boni viri, dubium est. Et respondetur, speculatiue quidem probabiliorem videri sententiam affirmatiuam, verum in praxi ad hoc neminem esse rigide cogendum, iuxta ea, quæ de restitutione ab homicida facienda dicentur. Est enim quoad hoc eadem ratio bonorum animi & corporis.

Quæritur II. An & quid restituere teneatur, qui alium ad peccatum induxit.

ASSERTIO I. Tenetur ex charitate ad procurandam seducti conuersionem, suasione, consilio, precibus, & quidem arctius, quam alius, qui non induxit. Ita omnes. Ratio est. Quia talis duplici titulo ad hoc tenetur, & quia proximus est læsi, & quia author est læsionis; quod intelligitur de eo, qui vere inductus est; nam antea ad delinquendum paratum, maiore obligatione charitatis corripiendum non putat Salon quæst. 62. art. 2. controuersia. 2. 89

ASSERTIO II. Qui absque vi & fraude alium ad peccatum induxit, suasione videlicet, precibus, blanditijs, non tenetur idcirco ex iustitia ad emendationem lapsi procurandam. Ita ex communi docent Sotus lib. 4. de iustitia quæst. 6. art. 3. Sylvester V. *Restitutio* quæst. 1. Nauarrus Manual. cap 14. num. 45. Valentia q. 6 pun. 5. §. 1. Lessius lib. 2. cap 8. dub. 2. Petrus Nauarrus lib 2. cap. 2. n 5. & apud eundem Ledesma & Corduba. Ratio. Quia scienti & volenti nulla fit iniuria: talis autem sciens & volens peccauit. Accedit regula Iuris: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit obligatur*, de reg. iur. in 6. 90

Contrarium tamen apud citatos pleriq; veteres docent, vt Scotus, Richardus, Paludanus, Gabriel, Maior in 3. d. 15. Adrianus in 4. de Restit. Antoninus 2. p. tit. 2. cap. 2. Angelus, Rosella, quos sequitur Caietanus: sed parum probabiliter, ob dictam rationem.

ASSERTIO III. Qui per vim, siue metum, aut fraudem alium ad peccatum induxit, tenetur quidem ex iustitia ad vim & fraudem amoliendam: sed ad procurandam tamen seducti emendationem ex iustitia non teneri probabilius videtur. Primum docent omnes, & per se patet. 91

Secundum docent Sotus, Salon, Petrus Nauarrus, Lessius locis citatis: etsi contrariũ præter antiquos illos citatos nõ improbabiliter sentiant Sylvester, Nauarrus, Valentia, Ledesma, Corduba citati.

Ratio est. Tum quia peccati damnum ex sua natura tale est, vt non possit nisi volenti irrogari, & omnis metus respectu huius mali incurrendi, quasi leuis est. Tum quia is, qui iam antea remota vi & fraude, in peccato vltro permanet, tacitè cedit iuri suo, alterique remittit obligationem restituendi; perinde ac si quis ablatum à fure pallium quasi in manu sua habeat, nec tamen acceptare velit.

Etsi vero is, qui ex odio Dei aut proximi aliquem ad peccatum inducit, grauius peccet, quam quiuis homicida; tamen qui ex voluptate, vtilitate, vel alia de causa id facit, non grauius peccat, quam homicida; nec si inducat paratum, grauius, quam fur aut prædo: Secus si personam virtuti deditam seducat, vt colligitur ex cap. Merito 15. q. 1 & cap. *Deteriores* causa 6. q. 1.

Quæritur III. An & quid restituere teneatur, qui aliquem à Religionis ingressu vel professione malè abduxit? Suppono, ad nihil teneri, q alicui nondũ 92

ingresso

ingresso religionem prudenter dissuasit, vt quia aptus non erat, aut parentum inopia impeditus, ex dictis in materia de charitate, & infra de statu Religionis.

ASSERTIO I. Qui per vim & fraudem aliquem seduxit, tenetur ante omnia vim & fraudem amoliri, religionem v.g. quam iniqua detractione læsit, rursus collaudando, &c. Ita omnes. Patet; quia iniuria vbique amolienda est, quoad fieri potest.

93 ASSERTIO II. Qui per vim & fraudem aliquem seduxit, tenetur quoq; ad compensationem damni temporalis, quod incurrit tam ipse seductus, quam Conuentus seu Religio. Ita Bannes q. 62. a. 2. dub. 3. Aragonius difficultate 1. ad 4. & quoad Monasteriũ consentit Lessius lib. 2. cap. 8. dub. 3. & videtur communis; quam ex professo etiam Sotus lib. 4. q. 6. a 6. licet ex parte dubitans, sequitur. Probatur. Quia damna per iniuriam, & contra commutatiuam iustitiam scienter illata, compensenda sunt, ex dictis dub. 2. n. 38. Accedit, quod iniuria Religionem ingresso illata, cẽseatur quodã modo fieri toti corpori.

94 Fateor tamen, quod ad Religionem attinet, longè certiorem restitutionis obligationem fore, si vis vel fraus non ipsi tantum seducto, sed directè etiam Religioni fuerit illata, ipsam nimirum infamando, aut clausturm eius perfringendo &c. aut saltem hac directa intentione, vt Religio damnum incurreret, Religiosus seductus fuerit: nam si præcise ipsi solum seducto, præsertim nondum Religionem ingresso, vis aut fraus illata fuerit, tum sane ita manifestum non est vllam religioni iniuriam illatam. Qua de causa etiam Salon. in simili censet, nullam esse restitutionem faciendam.

Sed nihilominus probabilius videtur, etiam sic restitutionis obligationẽ contrahi, vt citati sentiunt. Quia vt per exemplum rem declarans Lessius ait n. 15. etsi tu ius non habeas ad beneficium, vel legatum aliquod, habes tamen ius, ne alteri vis aut fraus fiat in tuum detrimentum; quod ipsum tamen non est omnino liquidum.

95 ASSERTIO III. Talis tenetur quoque ex iustitia, consilio, admonitione, precibus ad Deum fusis inducere ad Religionis ingressum, vel ipsum seductum, quamuis iam non amplius ad Religionem propensum; vel eius loco alium, si quem aptum, & à Religionis professione non alienum norit, aut nosse moraliter potest. Ita post Scotum, Richardũ, Paludanum, Maiorem, in 4. d. 15. docent Sylvester l. c. Nauarrus cap. 12. n. 44. Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 2 n. 18. Valentia, Aragonius citati. Ratio est, Quia Religioni non solum damnum temporale per iniuriam datum est, sed etiam spirituale, dum sui quasi spiritualis membri accessione per iniuriam fuit priuata: Ergo & hoc compensandum.

96 Cæterum non debet ideo quisquam, adhuc sui iuris, importune & molestè ad tale consilium capiendum compelli; eo quod Religionis professio liberrima esse debet, vt recte notant citati.

Imo non improbabile est, quod Sotus loc. citat. Carbo q. 10. Salon controuersia 3. & Lessius n. 14. docent, si seductus redire nolit, alium ad hoc ex iustitia induci non debere, sed solum ex æquitate. Quod regulariter in praxi ideò minus improbabile est: Tum quia Religio hoc vix solet exigere. Tum quia communiter facile est, aliud spirituale membrum seducti loco acquirere; præterquam quod etiam pro membro corporis nil restituendum multi existimant.

97 ASSERTIO IV. Seductor talis, licet nec seductum reducere, nec alium ad Religionis ingressum adducere possit, non tenetur ideo seipsum Religioni tradere: etsi per vim & fraudem etiam professum seduxerit. Ita Nauarrus n. 45. Sotus, Petrus Nauarrus, Valentia, Carbo, Salon, Bannes, Aragonius, Lessius citati: quicquid in contrarium dixerit Antoninus, Paludanus, Richardus, Sylvester; & in casu, quo quis malo animo seduxerit Religiosum, Scotus, Gabriel, Adrianus, summa Rosella, Angelus apud citatos.

Ratio est; non solum quia seductor multis modis ineptus esse potest ad Religionem, propter coniugium, ætatem, &c. sed etiam quia ipsa religio sua natura consilij est, non necessitatis, iuxta illud, *Si vis &c.* Vnde etiam secundum Canones, omnibus datur annus liberæ probationis, ne vllus nisi volens profiteatur; nec vlli vnquam pro pœnitentia Religio iure imponitur.

98 ASSERTIO V. Qui absque vi & fraude nouitium, aut etiam num secularem à Religione abduxit, non tenetur ad vllam restitutionem nec religioni, nec seducto faciendam. Ita Sotus, Valentia, Bannes, Aragonius, Salon, Lessius locis cit. contra Paludanum, Antoninum, Adrianum, Maiorem. Probatur ex dictis superius dub. 2. n. 64. Quia tunc nec seducto fit iniuria, nec Religioni; vt quæ nullum adhuc ius ad seductum habebat.

99 ASSERTIO VI. Idem probabilius videtur, quamuis seductus iam fuerit religionem professus. Ita Sotus, Petrus Nauarrus, Salon, Aragonius, Bannes, Lessius; etsi non solum veteres illi, sed etiam Sylvester, Nauarrus, Valentia contrarium sentiant.

Ratio est. Quia Religiosus non ita se habet ad Religionem, eiusue Prælatos, vt seruus ad dominum; sed sicut ciuis ad Rempublicam, filius ad parentem; quandoquidem Religiosi, vt patet non se tradunt Religioni, aut Prælatis, ob eorum præcipuè vtilitatem, sed inprimis ob suum spirituale bonum: ac proinde nec Prælatus, nec Religio habet vllum ius iustitiæ in illum Religiosum, sed obedientiæ solum; nec in vlla ipsius bona de facto nondum existentia, & Religioni non transcripta, nisi interueniente & supposita illius voluntate: Ergo si quocunque casu hic aut se, aut emolumenta ex sua voluntate adhuc pendentia, voluntarie subtrahat, nulla videlicet interueniente vi aut fraude, tenebitur quidem ex Religione & obedientia redire, sed ex iustitia nec ab ipso, nec ab alijs erit vlla facienda restitutio, iuxta dicta dub. præced. loc. cit. numero 64. & 72. Ex quibus etiam fundamentum contrariæ sententiæ soluitur.

DVBIVM IV.

An, & qualis restitutio facienda ab eo, qui bona corporis læsit, occidendo, vel mutilando.

Ad 2. Thomæ 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2.

QVæritur I. An & quis homicida, mutilator &c. ad restitutionem teneatur?

ASSERTIO I. Ille solus hoc titulo tenetur
100 ad restitutionem, qui ipso opere externo per iniuriam alterum læsit; non autem is, qui quoad ipsum opus externum iustè occidit, aut mutilauit, esto affectus occidentis fuerit malus. Ita communis; & patet tum ex dictis q. 4. dub. 1. vbi de iudice actum; tum ex dictis in simili dub. 2. numero 64. Ratio est; quia alias damnum illud non est iustè illatum.

Ad nihil ergo tenetur is, qui in bello iusto publicum hostem ex priuato odio occidit; nec qui quomodocunque inuasus læsit, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

101 ASSERTIO II. Nihil etiam restituendum est ei, qui vel expresse, vel tacite vltro consensit in damnum. Ita omnes. Quia volenti nulla fit iniuria; neque damnum sine iniuria illatum compensandum. Itaque si inter pugnantes prius expresse fuerit conuentum, vt suum quisque damnũ ferat, nil restituendum.

Ob eandem causam ad pugnam siue duellum prouocatus, si prouocantem lædat, esto mortaliter peccet, nil ipsi restituere tenetur; nec etiam prouocans prouocato, si hic vltro, non inuasus pugnam suscipiat. Quod si duo se mutuo prouocent, neuter alteri quidquam tenetur, etiamsi nulla alia expressa condonatio interueniat. Ita Carbo de restit. quæstione 14. Bannes quæstione 62. articulo 2. dub. 5. Rebellus lib. 5. quæstione 12. Azor tom. 3. lib. 5. cap. 3. quæst. 7 Lessius cap. 9. numero 133. & contra quosdam recentiores Salon q. 62. a. 2. controuersia 11. addens, nec in iudicio quidem hoc casu à prouocante peti, vel accipi posse compensationem.

102 ASSERTIO III. Quod si vir nobilis, aut militaris, contumelioſis verbis prouocatus, vltro quidem in loco pugnæ destinato compareat; sed illic tamen pugnam non suscipiat, nisi post actualem inuasionem alterius, idque seruato debito moderamine; de damno quidem ipse non tenebitur inuadenti, sed inuadens ipsi. Ita Bannes cit. dub. 5. & alij. Ratio. Quia prouocatus tali casu iniuste non lædit, sed prouocans. Secus si quis etiam contumelioſis verbis prouocatus, sponte duellum seu pugnam suscipiat; talis enim iam consentit in damnum, hoc ipso, quod sponte, & quidem illicite pugnam, ac periculum pugnæ adiunctum suscipit; iuxta dicta in 2. assertione; etsi contrarium de hoc significet Bannes: quod iuxta quosdam verum habere potest, si contumelijs affectus honoris sui defendendi causa, absque pugnæ seu duelli susceptione, intentato aduersus iniuriantem licito, vt nonnulli existimant, verbere ab eodem reciproca percussione lædatur; talis enim non consentit nec in pugnam, nec in pugnæ periculum & damnum. Verum de hac re pluribus ago quæst. 8. dub. 4. à num. 73.

ASSERTIO IV. Is qui moderamen inculpatæ tutelæ notabiliter transgressus occidit, aut lædit illos, qui contumelijs, alijsue iniurijs (citra prouocationem, de qua supra) pugnæ causam dederunt, vel priores inuaserunt, tenetur ad restitutionem: secus si quis limites iustæ defensionis aliquantum quidem, sed non notabiliter excessit. Ita Nauarrus Manual. cap. 21. numero 25. Carbo quæstione 14. & videtur communis. Ratio. Quia in priori casu iniustè fit læsio; in posteriori non item; aut saltem non cum culpa proportionata, iuxta dicta dub. 2. numero 40. Accedit difficultas & fere moralis impossibilitas ad unguem seruandi id moderamen, sine omni excessu etiam minimo. 103

ASSERTIO V. Nil restituendum ab ijs, qui illicitè pugnantes, pari clade & damno se mutuo affecerint: aut si læsus absque iniuria tertij debitum remiserit. Ita communis, & certa. Ratio; quia inter istos nulla est inæqualitas iustitiæ oppositæ. 104

Quæritur II. Ad qualem restitutionem teneatur iniustus homicida, vel mutilator.

ASSERTIO I. Iniustè occidens, mutilans &c. tenetur primo de damnis emergentibus, iuxta cap. 1. de iniurijs & damno dato, ex communi & certa Doctorum sententia superius declarata dub. 2. n. 38. 105

Tales sunt expensæ in medicos & chirurgos, secundum omnes, non autem impensæ funeris, saltem ordinarię, quales nimirum etiam alias faciendæ erant, vt rectè docent Carbo q. 15. & Azor loc. cit. & alij ex communi, contra Nauarrum Manual. cap. 15. n. 32.

Talis est etiam iactura conuenientis matrimonij, quam incurret mutilata seu deformata fœmina, propter contractam deformitatem corporis, vt ex communi & certa docent Aragonius hic q. 62. a. 2. & Azor citatus.

ASSERTIO II. Etiam lucra cessantia, quæ nimirum læsus, vel occisus sibi suisque probabiliter acquisiuisset, compensanda; non quidem ad æqualitatem, perinde ac si fuissent iam acquisita; cum ea multis modis possint impediri, sed iuxta arbitrium prudentis viri. Ita ex certa & communi docet S. Thomas q. 62. a. 2. ad 2, Caietanus V. *Restitutio* cap. 3. Ratio est; quia hæc commoda per iniuriam interuersa & impedita fuerunt, iuxta dicta dub. 2. n. 65. 106

In æstimatione autem diligenter considerari debent, tum persona occisi, non solum quoad ætatem, vires, artem, industriam, opportunitatem adeoque facultatem; sed etiam voluntatem lucrandi: Tum persona lædentis, an diues, an pauper; vt & æqualitas, quantum fieri potest, seruetur, & restituens supra vires non grauetur. Vide Caietanum loco citato, Couarruuiam lib. 2. Var. cap. 10. num. 7. & Sotum 4. de iustitia quæstione 6. art. 3. ad 2.

Neq;

Neque dubium est detrahenda esse ea, quæ occisus inter laborandum consumpturus erat; hæc enim in lucris computari non possunt, vt rectè notauit Lessius lib. 2. capit. 9. dub. 19. num. 124.

107 Et quanquam hæc generatim procedant de lucris, tam quæ post mortem læsi, quàm quæ eodem adhuc viuente cessant; multo tamen certius est, hæc in reale debitum incurrere, quam illa, vt patebit infrà. Nihilominus tamen & illa posse in pactum deduci, & lædentem recipere debere, æquam prudentis arbitrio transactionem, non dubitandum est; cum authores sine distinctione, imo plærique cum inclusione loquantur; & ratio sit generalis. Quod si lædens recuset, nihilominus læsi iusta petitio, pacti instar ius conferet.

Labor autem in æstimatione subducendus non est, (secus de expensis,) non solum quia tunc nil foret restituendum; sed etiam quia ipsemet vtilis labor iniustè impeditus restitutioni obnoxius est, vt contra Maiorem in 4. distinct. 15. quæstione 19. docent communiter omnes. Quod tamen probabiliter limitant Molina tract. 3. disp. 87. & Lessius libro 2. cap. 9. numero 126. vt liceat tantum detrahere lucro, quàtum ille artifex libenter pro laboris redemptione daturus fuisset; cum ita nulla videatur fieri inæqualitas: Secus, si ille laborem nullo modo voluisset redimi, cum lucri imminutione; tunc enim integra restitutio facienda erit, iuxta communem.

108 Assertio III. Etiam pro contumelia seu honoris læsione, si quæ percusso illata est, veniæ petitione, aut alio conuenienti modo satisfaciendum. Ita Carbo quæstione 14. de restitutione, & patebit inferius de restitutione honoris. Iniuria autem ipsa per se non ad restitutionē sed ad satisfactionem spectat, de qua infra.

109 Assertio IV. An etiam pro ipso damno naturali, puta ipsius vitę, aut membri priuatione, deformitate, seu cicatrice permanente, aliquid in alio bonorum genere ex iustitiâ restituendum sit, incertum est, probabilius tamen videtur, esse. Negatiuâ sententiam defendunt multi Theologi, vt Nauarrus manual. cap. 15. numero 22. Couarruuias lib. 2. var. cap. 10. numero 7. Petrus Nauarrus lib. 4. cap. 1. numero 80. Gomez lib. 3. variarum Resol. cap 6. Lessius cap. 9. numero 141. Ratio est. Tum quia nec Iure Canonico, nec Ciuili, reus ad talem restitutionem obligatur, vt patet cit. cap. 1. de iniurijs & l. final. ff. de his, qui deiecerint vel effuderint, & l. *Qua actione* ff. Ad l. Aquiliam. Tum quia hæc bona nullam recipiunt æstimationem, vt etiam citatæ leges asserunt.

110 Affirmatiuam autem tuentur plerique Theologi antiquiores, & recentiores. Aperte S. Thomas hic quæstione 62. articulo 2. ad 1. vbi ait: *Cum aliquis alicui abstulit membrum, debet illi recompensare, vel in pecunia, vel in honore aliquo, consideratâ conditione vtriusq; personæ, ad arbitrium boni viri.* Scotus, Richardus, Gabriel, Maior. 4. dist. 15. Adrianus 4. de restitut. quæstione vlt. Caietanus locis citatis. Syluester V. *Restitutio 3.* §. 2. Carbo quæstione 12. & seqq. Lopez. 1. part. cap. 47. Angles 4. de restitut. Valentia hic quæst. 6. pun. 5. §. 1. Salon quæstione 62. art. 2. controuersia 4. Aragonius eodem articulo 2. Molina tractat. 3. disput. 88. Azor. tom. 3. lib. 3. cap. 3. quæst. 4. & significat Sotus 4. de iustitia quæst. 6. art. 3. ad 3.

Ratio est. Tum quia damnum hoc per veriſſimam iniuriam illatum est. Tum quia, vt notauit S. Thomas citatus, quandocunque non potest reddi æquiualens, reddi debet possibile; quia impossibilitas, *excusat à tanto, non excusat à toto.* Tum quia absurdum videtur, bouē aut seruū alterius occidentē, teneri de damno vitæ, bouis autē dominum occidentem non item. Tum quia in omni sententia, licet de tali damno transigere, atque ita ex pacto saltem aliquid pro ipso accipere. Tum quia in lege Moysis simile damnum erat compensandum Exodi 23. vbi pro anima iubetur dari pretium; pro oculo aut dente seruo libertas. 111

Discrepant tamen citati in modo restitutionis. Adrianus, ait reum, si in iudicio non puniatur, debere vitam exponere pro republica in aliquo bello; quod tamen communiter ab alijs, & rectè reijcitur, quia hæc restitutio per se læso nihil prodest. 112

Sotus ait, satisfaciendum esse petendo veniam vel à læso, vel ab hæredibus; (nisi cum his aliter transigatur) aut alia arbitraria satisfactione: determinate autem ad suffragia spiritualia pro occiso offerenda, non putat ex iustitia teneri lædentem; licet hæc commoda satisfactio esse queat.

Salon itidem totum hoc relinquit arbitrio prudentis Confessarij, vt reus satisfaciat, aut per suffragia, & officia spiritualia ipsi defuncto, aut per veniæ petitionem; aut aliquam compensam pecuniariam ipsis hæredibus.

Conueniunt tamen fere omnes in eo, si reus in iudicio iusta pœna talionis afficiatur, pro naturali damno ad nihil aliud teneri. Ita post Scotum, Gabrielem, & veteres citatos docet Salon; Sed magis consequenter negat Aragonius, iuxta Nauarrum man. cap. 15. num. 25. quia per publicam pœnam non tollitur priuatū interesse, vt alibi dictum: nisi forte, vt limitat loc. cit. Molina, ad instantiam partis læsæ talis pœna infligatur; quam si postulet ipsa, vt hac ratione sibi etiam pro alijs damnis satisfiat, nil aliud erit restituendum, vt patet. 113

Et certè quidem honestiores, pro eiusmodi damno naturali, pecuniariam compensationem exigere non solent. Et quia debitum per se satis liquidum non est, non debet facile Confessarius pœnitentem ad eam compensationem compellere, vt in simili sæpius dictum. Optimum communiter erit, imperare veniæ petitionem à læso superstite; & pro defuncto aliqua suffragia, si capax existimetur, vt etiam indicat S. Thomas hic citat. quæstione 62. articulo 2. ad 2.

Quæritur III. Quibus, & à quibus facienda sit supradicta restitutio?

Assertio I. Omnis restitutio superius exposita per se facienda est læso, si superstes sit. Probatur. Quia huic soli per se facta est iniuria; alijs tantum per accidens, & in illo. 114

115 ASSERTIO II. Restitutio honoris soli læso facienda est; nisi fortè per accidens ignominia in totam familiam redundet. Ita ex communi docet Carbo loc. cit. quæst. 15. Ratio est. Quia honor est bonum personale. Quia tamen ex venia ab hæredibus petita, ipsi etiam defuncto honor quandoq; potest accidere, ideò etiam illa subinde, vt dictum, necessaria videri potest.

116 ASSERTIO III. Si læso, cum viueret, aut iuxta debiti rationem, aut interueniente eius liberali condonatione nemini iniuriosa, satisfactum sit, nulla est facienda hæredibus, aut alijs restitutio. Colligitur ex prima assertione. Dixi autem *condonatione nemini iniuriosa*; quia si læsus filios aut creditores habeat, non potest aut ab illis partem legitimam, quæ pro varietate municipalium legum varia, aut his suum debitum donando interuertere, vt rectè notarunt Salon, & alij.

117 ASSERTIO IV. Idem est, si hæredes pecuniariam compensationem condonêt, vt quidem condonare censentur propinqui nobiles & opulenti; ne vitam defuncti quasi pretio venalem habere videantur. Ita Lopez 1. part. cap. 42. Valentia quæstione 6. pun. 5. § 1. Salon, Aragonius, Bannes hic quæst 62. art. 2. Non ita vulgares & plebeij, à quibus proinde remissionem debiti ex toto, aut ex parte lædentem inopem petere expetit.

118 ASSERTIO V. Si mortuo læso, nec restitutio, nec condonatio facta sit, tenetur homicida hæredibus indifferenter soluere 1. expensas ratione vulneris. 2. id, de quo cum læso, cum viueret, conuentum. 3. si quid soluendum per Iudicem, lata sententia fuerit iniunctum. 4. lucra cessantia, quæ dum læsus ex vulnere decumberet, perdidit. Ita Salon quæst. 62. art. 2. controuersia 7. Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. Aragonius, Bannes locis citatis; quorum licet singuli singulos tantum ferè casus enumerent, tamen alios non negant, sed potius innuunt; & est omnium eadem ac certa ratio: quia omnia iura actualia & realia testatoris, seu defuncti, transeunt ad hæredes.

Addi potest ex Salone infra, & Lessio cap. 9. num. 14. quintus casus vt compensentur etiam ea bona & commoda, quæ ad hæredes aut alios peruentura erant ab occiso, saltem si quis expressa hac intentione læserit, vt hæredibus, aut alijs bona & commoda eiusmodi obuentura interuerteret; tunc enim directa fraus erga tales interuenisse videtur.

Nec obstat huic, vel etiam primæ & quartæ parti huius assertionis, lex ex iudiciorum ff. de accusat. vbi dicitur, pœnam pecuniariam, quæ descendit à delicto, non transire ad hæredes, lite non contestata. Hoc enim vel intelligitur de multa, adeoque pœna pecuniaria propriè dicta, per sententiam scilicet iudicis inferenda, vt intelligit Couarruuias; vel certè solum negat actionem in foro externo; manente tamen interim obligatione in foro conscientiæ, vt cum Gomezio tom. 3. cap. 3. num. 37. notauit Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 19. num. 127.

119 ASSERTIO VI. Homicida quoque alere debet eos, quos occisus ex lucris cessantibus, cum legali debito, aluisset, nempe filios, parentes, vxorem, si egeant. Ita omnes. Ratio est. Quia isti & habent verum ius ad alimenta, in necessitate: & sunt personæ adeò coniunctæ læso, vt vis huic illata, etiam illis illata quodammodò videatur. Tenetur autem illos alere tamdiu, quamdiu illi ex cessantibus occisi lucris fuissent aliti ex legali debito; quod pendet ex particularibus circumstantijs personarum.

Si verò occisus iam grandæuus fuit, aut morbis subiectus, moraliter loquendo, non diuturnam admodum alimoniam propinquis ex nouo lucro comparasset; nisi fortè adeò lucrosum exercuerit officium, vt vnius anni lucrum ad multorum annorum alimenta posset sufficere. 120

Quod si filij iam puberes, sibique ad alimenta paranda propè sufficientes erant, tunc eos non diu ex debito legali alere debuisset, in quos proinde hoc titulo tanto minus ab homicida impendendum erit; de quo plura Beia cas. 43.

ASSERTIO VII. Etiam necessaria ad decentiam status ab homicida, iuxta arbitrium boni viri, filijs occisi compensanda, si & ipsi his egeant, & parens ea filijs sua industria comparasset. Ita Sotus, Carbo, Lopez, Aragonius, Salon locis cit. Ratio est: quia isti ius habent non solum ad alimenta, sed etiam ad decentem statum. 121

Secus videtur de parentibus & vxore; quia parens filijs thesaurizare debet; non filij parentibus. Imò etiam de filijs, non obstantibus ijs, quæ diximus, putat Lessius capit. 9. num. 159. validam esse in foro conscientiæ condonationem omnis debiti, à læso factam; quod alij tamen rectius negant, ex dictis num. 116.

ASSERTIO VIII. Si occisus de pretion non conuenerit, dum viueret, & parentes ac vxor non egeant alimentis, nec filij necessarijs ad vitam, aut statum; satis probabile est, ante Iudicis sententiam, non teneri homicidam nec ipsis, nec alijs hæredibus (non necessarijs) nec creditoribus, nisi eis nocere directè intenderit, quicquam soluere, seu ratione lucrorum cessantium post mortem occisi, seu ratione damni naturalis ipsius læsi. Ita Maior 4. distinct. 15. quæstione 19. & quoad hæredes non necessarios, Sotus lib. 4. quæstione 6. articulo 3. Salon, Aragonius, Bannes locis citatis, Molina tractat. 3. disput. 83. 122

De creditoribus idem sentiunt Bannes, Lessius cap. 9. num. 151. & hodie communis apud Molinam; etsi de vtrisque contrarium asserant Carbo; & quoad lucra cessantia, Lopez post Scotum. De damno verò naturali est communis, apud omnes citatos.

Ratio generalis est. Quia istis propriè respectu talium bonorum, non est facta iniuria ab ipso homicida. Accedit, quod plerique ius nullum habebat, ad eiusmodi vtilitatem ipsis ademptam: nec satis liquidum est, occisum verum & absolutum ius, ante Iudicis sententiam, acquisiuisse ad lucra post mortem cessantia. Ius enim absolutum requirit titulum sufficientem, qui possit viuenti aduenire. Debitum verò propter damnum naturale, ideò solum personale est, quia ipsemet læsus tali iactura non poterat suos hæredes ditare; 123

præter-

præterquam quod ea determinatè pecuniâ compensanda non est, ex dictis.

124 Assertio IX. Possunt tamen hæredes occisi, absq; controuersia, aliquid accipere ab occisore, vt remittant actionem, quam habent contra ipsum apud Iudicem, imo valde probabile est, etiam omni transactione secluſa in foro conscientiæ satisfaciendum esse omnibus hæredibus, & creditoribus, pro toto detrimento, quod ex homicidio, ratione damni emergentis, aut lucri etiam post mortẽ læsi cessantis, capiunt. Primum patet apud Salonem q. 62. a. 2. controuersiâ 9 Lopez cap. 42. post Sotum quia talis actio est pretio æstimabilis.

125 Secundam tradunt Carbo, Lopez, & alij apud eosdem. Ratio est. Quia valde probabile est omnia hæc debita in absolutis & realibus debitis ipsius occisi numerari debere; cum ante sententiam Iudicis sint læso restituenda, vt etiam superius diximus, ex plurium Doctorum sententiâ; qui communiter quoad læsum nihil distinguunt de lucris cessantibus ante, vel post mortẽ; & quoad titulum satis est, quod viuenti necessitas ineuitabilis eiusmodi cessationis lucrorum per iniuriam illata est; hoc ipso enim viuenti damnum datur. Cæterum in praxi quoad hanc rem seruanda nihilominus erit moderatio ante sæpius præscripta, vt re dubia pœnitentes non compellantur rigide ad restitutionem cuius obligatio liquida non est.

126 Assertio X. Satisfactio personalis quæ facienda erat per veniæ petitionem, famæ restitutionem &c. hæredes homicidæ facere non tenentur; realem autem satisfactionem, quæ per pecunias pro damnis illatis facienda est, tenentur hæredes (singuli pro rata parte) si quid ex hæreditate acceperint, præstare, sicut ipsemet occisor. Ita ex communi Salon q. 62. a. 2. controuersia 7. Ratio primæ partis est; quia nullus alterius pœnas & onera personalia luere debet, saltem ante sententiam; iuxta illud Ezechielis 18. v. 20. *Filius non portabit iniquitatem Patris.*

Ratio Secundæ partis est, quia hæreditas transit cum oneribus realibus. Quia tamen compensatio pro damno naturali per se, pecuniâ fieri non debet; idcirco probabilius est, hanc obligationem ad hæredes non transire; nisi postquam transijt in rem iudicatam, aut si lædens ante mortem cum læso transegerit, vt rectè Sotus loco citato.

127 Assertio XI. Parentes de damno, absque sua culpa à filijs dato, non tenentur. Ita rectè Salon ex communi, iuxta §. vlt. Instit. de noxalibus actionibus. Ratio est. Quia ipsi non sunt hæredes filiorum, sed sua tantum bona recuperant.

Secùs esset, si ex filiorum hæreditate, parens noua bona acquireret.

DVBIVM V.

An, & qualis restitutio facienda ab eo, qui seu virginem, seu aliam innuptam violauit.

Ad S. Thomæ 2. 2. q. 62.

128 Assertio I. Sponte consentientem virginem, quamuis sub patria potestate constitutam violans, per se non tenetur quicquam restituere, sed solum promissa implere. Ita ex communi Salon q. 62. a. 2. controuersiâ 5. Bannes dub. 7. Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 3. n. 438. Binsfeldius in cap. 1. deiniurijs. Sayrus lib. 11. cap. 2. Azor lib. 5. cap. 5. contra Caietanum q. 154. a. 6. Paludanum, Bartholomæum Medinam, & quosdam alios, apud Syluestrum V. *Luxuria.* Ratio est, quia ipsi volenti nulla fit iniuria, nec ipsamet violata ad vllam parentibus tenetur restitutionem.

Prolem tamen ex violata susceptam tenetur violator nutrire; non quidem proprie ex iustitiâ commutatiua, nisi per vim vel fraudem imprægnauerit; sed ex pietate naturali, vt rectè Bannes, & pluribus dicetur q. 7. dub. 11. a. n. 311.

129 Assertio II. Si tamen flagitium innotescat, tenetur vterque parentibus, aut tutoribus, sub quorum potestate læsa existebat, pro læso honore facere satisfactionem, aut veniæ petitione, aut simili honoris exhibitione. Ita Valentia disput. 8. quæstione 3. punct. 3. Salon quæstione 62. articulo 2. controuersia 2. Angles 2. part. de restitut. Lopez 1. part. cap. 78. post S. Thomam quæst. 154. articulo 6. Est enim quoddam genus contumeliæ, re aliena, aut alterius fidei commissa turpiter abuti.

130 Assertio III. At pro violata integritate virginali, & grauata dote, alijsque similibus damnis inde consecutis, nihil parentibus restituendum. Ita Sotus 4. de iustitia quæstione 7. articulo 1. ad 2 Petrus Nauarrus, Salon, & plerique citati, licet aliter sentiant Carbo quæstione 16. de restit. Valentia l. c. Ratio est. Tum quia ipsa filia ad hoc non tenetur, iuxta omnes. Tum quia parens, si patiatur damnum augendo dotem, volens patitur, non enim tenetur augere.

131 Assertio IV. Qui per vim, fraudem vel metum, adeoque per iniuriam Virginem violauit, non tenetur quidem, secluſa speciali promissione, eam ante sententiam ducere, aut integre dotare (quod enim iure Canonico statutum cap. 1. & 2. de adulteris, pœnale est, & ante sententiã non obligat:) Sed tenetur tamen in conscientia, ad compensationem omnium damnorum, adeoque talem restitutionem, qua iuxta arbitrium prudentis viri, & damnum corporis (ex sententia probabiliori, non certa, iuxta dicta in simili dub. 4. numero 109.) & illata contumelia, & insequentia tam ipsi, quam parentibus damna, scilicet grauatæ dotis, infamiæ seu probri, iactura conuenientis & quietimatrimonij, si quam idcirco violata incurrit, compensentur. Ita ex cõmuni docent Nauar. Manual. c. 16. n. 16. Carbo de rest. q. 16.

Salon

Salon, Valentia locis citatis. Patet ratio: quia in his omnibus per iniuriam nocuit violator.

132 Assertio V. Imo poterunt etiam quandoq; tales esse rerum, & personarum circumstantiæ, vt corruptor non possit censeri facere sufficientem compensationem, nisi vel corruptam ducat; vel ei integram dotem persoluat. Ita rectè Valentia, ex communi, iuxta capitula citata: Idque potissimũ locum habet si personæ sint honoratæ; nec omnino disparis conditionis, &c.

133 Assertio VI. Quod si violata nec infamiam, nec alia damna incurrit, quia videlicet æquè bene nupsit, marito corruptionem non percipiente, vel non curante; nihil pro illis damnis, quæ iam nulla sunt, restituendum; nisi fortè ex pacto, si cum violatore de aliqua pecunia in omnem euentum fuerit transactum. Ita vterque Nauarrus, Carbo, & alij; quidquid nonnulli in contrarium dixerint. Ratio est, quia per se, & secluso pacto, non periculum damni, sed ipsa solum damna compensanda sunt; quæ tamen hic nulla sunt.

Qua de causa etiam nonnulli iudices in foro quoque externo, eiusmodi restitutionis dilationem concedunt, apud Baiardum in additionibus ad Iulium Clarum §. *stuprum.* num. 24. Nec verò peccat fœmina, eiusmodi corruptionem occultans, vt rectè Sanchez de matrim. lib. 6. disput. 37. quia ea occultatio nec sibi, nec alijs est noxia, sed potius vtrisque commoda, ad vitandas rixas & fastidia matrimonij.

134 Assertio VII. Importunis precibus & blanditijs (sine tamen alia vi, vel fraude) vel timore solum reuerentiali adductam violans, ad nullam itidem restitutionem tenetur; nec violatæ, nec parentibus eius, nisi pro contumelia, vt supra dictum. Ita Carbo, Petrus Nauarrus, & apud eundem Syluester & Ledesma. Probatur. Quia talis nullâ iniuriâ adacta, sed sponte & libens consentit.

Contrarium tamen docet Nauarrus, Bartholomæus Medina, Corduba, Salon, Bannes, Valentia, rati hunc modum inducendi esse violentum, adeoque iustitiæ oppositum. Quod non satis probatur; nisi fortè planè tollatur libertas etiam in conscientia requisita ad validam donationem; quod rarum est, vt etiam notat Lessius. cap. 10. num. 14.

135 Assertio VIII. Violans puellam ante quidem corruptam, sed vulgo pro virgine habitam, tenetur ad damna compensanda, si eius culpa crimen euulgetur; secus, si puellæ, vel alterius vitio & garrulitate. Ita ex communi Petrus Nauarrus cap. 16. num. 19. Ratio est, Quia priori casu iniustè datur causa damni, posteriori non item.

136 Assertio IX. Qui virginiâ se violatæ, seu vere, seu falso, promisit matrimonium, illaque non nisi sub hac spe & conditione consensit, tenetur promissum implere, non solum iuramento firmatum, sed etiam simplex. Ita ex communi vterque Nauarrus, Syluester, Carbo, Sotus, Valentia, Lessius cap. 10. n. 20. quamuis enim ficta promissio per se non obliget, hic tamen obligat per accidens; quia alioquin puellæ grauis fit iniuria. Nec par est, vt fictè promittenti fraus & dolus patrocinetur.

Excipiuntur tamen hic duo casus. Primus, si puella erat multo inferioris conditionis, sicque adeo facile fraudem animaduertere potuit; quamuis etiam ita ex simplicitate deceptæ in foro conscientiæ damna compensanda sint, vt recte Nauarrus num. cap. 16. n. 18. 137

Secundus, quando promittens licite stare non potest promissione, vt si obstet ordo lacer, aut votum Castitatis, aut alioquin grauia timeantur incommoda, vel scandala ex matrimonio; tunc enim alia ratione compensanda sunt damna vt docent Nauarrus & Valentia ibidem.

Quanquam Lessius n. 32. existimat, nec votum Castitatis, nec religionis ingrediendæ, si id violata in promittente ignorauerit, obstare, quo minus talis teneatur ducere violatam, aitque hoc passim tradere Doctores. Quod saltem post impetratam dispensationem, verum existimo, licet ipse eam necessariam non existimet, extendens id vlterius etiam, tam ad honestam viduam, quam ad casum, in quo post contracta sponsalia, nulla quidem vsura corporis reipsa consecuta est, tamen saltem per suspicionem vulgo præsumitur, ob magnam familiaritatem & consuetudinem mutuam. Vide Sanchez lib. 8. disp. 36. Plura suo loco de matrimonio 138

Assertio X. Si puella remittat explicatam superius obligationem, liber erit violans à restitutione facienda, est communis. Si enim ante factũ sponte consentiendo, facere potuit, ne violator incurreret obligationem; poterit etiam post factum ab ea liberare, quamuis parentes non consentiant; cum hæc puellæ commoda alioquin parentibus nullo iure sint addicta. Atque ex his etiam fere constat, quid dicendum de restitutione ex adulterio, de quo infra q. 8. 139

DVBIVM IV.

An, & quomodo fama vel honor per detractionem aut contumeliam læsus, restituendus.

Ad s. Thomæ 2. 2. q. 62. a. 2.

QVæritur I. An, & quo modo fama sit restituenda?

Assertio I. Fama iniustè ablata (etsi materialis solum fuerit iniuria) est restituenda; nisi infamatus iam ante famam recuperauerit, siue per sententiam Iudicis, siue suis rectè factis, aut sui purgatione; seu etiam ipsius temporis interlapsu, quo sparsum crimen iam penitus obliuioni traditum videatur. Ita communis S. Thomæ hic q. 62. art. 2. ad 2. Ratio patet; quia damnum iniustum illatum compensandum. In dubio vero, an crimen obliuioni traditum, existimatio audientium cautè exploranda erit, vt recte Valentia q. 6. pun. 5. quicquid Aragonius cit. a. 2. indistincte dixerit. 140

ASSERTIO II. Qui falsum dicendo alterum
141 infamauit, tenetur, si alia via commodiori fama restitui non possit, fateri falsitatem, & cum id scienter fecit, mendacium; ac si opus sit, etiam iuramento retractationem suam confirmare; non tamen adhibere testes. Primum & secundum cum S. Thoma loco citato docent Caietanus, Bannes, Aragonius ibidem, Sotus lib. 4. q. 6. art. 3. Syluester V. *Detractio*, Nauarrus man. cap. 18. n. 45. Angles 2. part. de restitut. famę, Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 4. n. 375. Salon q. 62. a. 2. controuersia 13. Carbo q. 18. de restitut. Ratio est. Quia dicere se materialiter falsum dixisse, nullum est incommodum: fateri mendacium est quidem; sed quia talis in culpa fuit, sibi imputare debet probrum, quod ex debita restitutione incurrit.

Excipiuntur tamen viri magnæ authoritatis in Republica, v. g. Episcopi &c. qui si hominem infimæ sortis infamarunt, tenentur quidem dicere, se errore deceptos falsum dixisse, cum id absque magno incommodo possint; non autem se mentitos: non enim tenentur suæ famæ iacturam, cum Reipublicæ detrimento facere, ob tenuem alterius famam, pro qua potius alia ratione satisfacere debent, vt recte Nauarrus, Salon, Valentia, loc cit.

142 Tertium tradunt Sotus, Salon, Carbo, Angles, Bannes, Aragonius, vterque Nauarrus. Ratio est. Quia cum homines propensiores sint ad credenda mala, quam bona, debet in his maior fides fieri, quam in illis, si præsertim facilè possit, vt hic accidit.

Quartum contra Sotum, Aragonium, Salonem, docet vterque Nauarrus; quia si iuranti non credant, ipsis iam imputari debet iniuria vanæ credulitatis, etiamsi hic sit paruæ fidei homo; nam eo minus credere debebant infamanti.

143 ASSERTIO III. Qui verum dicendo iniustè infamauit, tenetur 1. planè fateri, se perperam locutum, fecisse iniuriam, fuisse deceptum nimirum practice saltem, contra prudentiam & bonos mores: quod si nihil prosit, tenetur 2. etiam laudando & honorando infamatum, ac amicè cum illo versando satagere, vt infamiam abstergat. Quod si nec id quidem videatur efficaciter profuisse, esto possit quidem dicere, se falsum dixisse, mentitum fuisse, (loquendo nimirum contra eam scientiam practicam, qua in loquendo dirigi debuerat,) ex probabiliori tamen non tenetur. Primum modum tradunt ferè omnes antiqui, S. Thomas hic q. 62. a. 2. ad 2. Scotus, Gabriel, Maior 4. dist. 15. Secundum modum tradunt Caietanus, Sotus, Nauarrus, nec habent difficultatem.

144 Tertium modum & licitum, & necessarium esse tradunt Bannes, Petrus Nauarrus n. 379. & apud eundem Bartholomæus Medina, item Salon q. 62. a. 2. controuersia 15. & apud eundem Victoria. Licitum fatetur Lessius cap. 11. n. 110. etsi neget necessarium, vt etiam negant Valentia, Aragonius, iuxta S. Thomam l. c. Scotum, & alios, qui etiam significant, eum non esse licitum, quod expresse tradit Azor tom. 3. lib. 5. cap. 9. q. 7. aitque contrariam esse singularem, & contra communem Theologorum & Canonistarum opinionem.

Ratio eiusdem partis est. Quia hic modus restituendi famam difficilior est, quam vt à tali persona iure possit exigi; quamuis illicitus non sit, si absit mendacium: aberit autem, si infamator mentitum se intelligat, non quasi simpliciter falsum, sed quia rem publice veram non dixerit, hoc est talem, quæ palam iure alijs publicari non posset. 145

Quo modo etiam crimen non legitime inquisitum, recte negatur à reo, & peccatum solum in confessione, aut secreto cognitum. Quomodo etiam ex multorum sententia Christus dixisse intelligitur; de die illa nec filium hominis scire: vt taceam omne dictum seu factum practicè falsum recte dici, quod cum recto appetitu, seu ratione recta non consentit; iuxta S. Thomam q. 17. a. 1.

Rebellus autem lib. 4. q. 10. concedit, talem dicere posse se mentitum, intelligendo alio tempore, aut fuisse mendacem, non illo dicto, sed iuxta illud psal. Omnis homo mendax. De qua re pluribus ago disp. 6. q. 2. dub. 1.

ASSERTIO IV. Probabile est, infamatorem 146
non teneri ad famam restituendam, nisi apud suos auditores, quantumuis hi ipsi auditum crimen etiam alijs notum fecerint; modo consilio, iussione, aut simili modo eos ad hoc faciendum non mouerit; neque hac directa intentione crimen patefecerit, vt id alijs innotesceret. Ratio est. Quia posterior infamia fortuito quasi sequitur, & ex propria malitia audientium, qui proinde vtique tenentur ad restitutionem. Accedit, quod indirecte scandalum præbens, non contrahit specialem illam malitiam, cui per accidens causam dedit, vt suo loco dictum de scandalo.

Si quis tamen sciret, ex sua priori infamatione, de crimine præsertim falso & conficto, aliquem palam traduci, auditoribus suis restitutionem negligentibus, talis vtique saltem ex charitate tenebitur ad hoc malum auertendum, curando v. g. si commodum videbitur, vt per præconem, aut concionatorem, suo etiam nomine suppresso, crimen reuocetur. 147

Imò non improbabile est, eum ad hoc etiam ex iustitia teneri; quia certè à parte rei, quomodocunque causam dedit iniustæ infamationi, vt indicat Bannes, & docet Bartholomæus Medina apud Petrum Nauarrum numero 447. idque cum limitatione etiam approbat ipse Petrus Nauarrus, & ex eo Lessius numero 110. si nimirum leuiculis & garrulis hominibus (sine præuia stipulatione, de non detegendo) detectum fuerit crimen; quia tunc futurum damnum præuideri poterat, & debebat.

ASSERTIO V. Fama quidem ordinariè cum 148
periculo vitæ restituenda non est, etiam si non sit alius modus restituendi; attamen si per formalè iniuriam ablata sit, aliquando per accidens debet. Primum fatentur omnes; non solum quia tanto suo damno nemo regulariter tenetur ad restitutionem, sed etiam quia vita est bonum multo excellentioris ordinis, quam fama, vt proinde cum illius iactura, inferius hoc bonum communiter non sit restituendum, vt pluribus dicetur dub. 13.

Secun-

Secundum docent Sotus lib. 4. de iustitia q. 6. a. 3. ad 4. Salon, Angles citati, Aragonius dub. 8. Azor lib. 5. cap. 9. q. 12. & apud vtrumque Nauarrum, Adrianus, Gabriel, Maior, Ledesma, Bartholomæus Medina, & alij. Ratio est. Quia tenetur quisque damnum, proximo per formalem iniuriam datum, suo æquali, aut minori damno amoliri: atqui subinde maius, aut æquale damnum est, quod infamia læsus incurrit, quã sit mors lædẽtis &c. Exemplũ est, si quis de hæresi falso infamarit aliquem, vnde igni adiudicandus sit; quod est exemplum Anglis & Salonis: aut si amplissima familia alioquin, perpetua infamiæ nota aspersa maneat, malitia iniusti detractoris &c.

149 Contrarium tamen docet Caietanus quæstione 62. art. 6. Syluester V. *Detractio* quæst. 4. Nauarrus cap. 17. num. 89. Petrus Nauarrus num. 402. qui tamen id in casu prioris exempli admittit: nec vt opinor negaretur ab alijs, eo quod illic non de fama læsi præcise, sed etiam de vita agitur. Quo modo etiam apertè docet Lessius cap. 11. dub. 15.

Alioquin si de fama solum agatur, est ea sententia valdè probabilis, iuxta regulam multorum; non esse bona inferioris ordinis restituenda, cum detrimento boni superioris ordinis, vt dicetur cit. dub. 13.

150 Assertio VI. Fama, si dictis modis compensari nequeat, vtrum pecunia, vel alio bonorum genere compensanda sit, dubium est: Vtraque pars probabilis; sed affirmatiua probabilior. Declaratur assertio. Negatiuam enim tuentur Syluester lib. 1. Nauarrus man. cap. 17. num. 19. Petrus Nauarrus num. 416. Bannes q. 62. art. 2. Lessius dub. 16. eamque probabilem censet Salon cit. art. 2. eo quod vicissim pecunia non compensetur honore, precibus; idque communi hominum iudicio & praxi.

Affirmatiuam sententiam post Glossam in cap. *Ecclesiæ sanctæ*, tit. Vt nihil innouetur lite pendente, tradunt post Scotum, Richardum, Antoninum, Adrianum, Caietanus, Sotus, Carbo, Salon, Valentia, & ipse S. Thomas hic quæst. 62. art. 2. Et probabilem censent Bannes, Lessius; & colligitur ex dictis in simili supra dub. 4. num. 109. eadem enim vtrobique est ratio. Vnde etiam concedit Lessius dub. 16. & 25. posse infamatum sibi ipsi satisfacere ex debito pecuniario infamantis, si is alia ratione satisfacere nolit, aut non possit, quod etiam tradit Aragonius dub. 9.

151 Assertio VII. Compensanda etiam sunt damna ex infamia consecuta, tam in rebus obtentis; quam obtinendis, hocque iuxta arbitrium prudentis viri. Ita ex communi vterque Nauarrus, Salon controuersia 20. Lessius dub. 19. licet Sotus lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad 4. in casu, quo verum crimen patefactum, existimet, non totum damnum, sed solum partem damni compensandam; quam sententiam etiam Lessius censet probabilem. Sed probatur communis ex cap. *si culpa tua*, de iniurijs, & dictis supra dub. 2. de restitutione in genere, n. 38.

152 Assertio VIII. Restitutio famæ facienda est infamato tantum, seu viuo, seu mortuo; idque ab infamante tantum, non autem ab eius hæredibus: damnorum autem consequentium compensatio etiam facienda est hæredibus infamati, & ab hæredibus infamantis. Ita ferè Nauarrus man. cap. 18. n. 46. Salon controuersia 21. Petrus Nauarrus n. 146. Et colligitur ex dictis supra dub. 4. in simili. Realia enim debita & commoda, quæ scilicet circa res ipsas externas versantur, transeunt ad hæredes, non merè personalia, seu quæ in rebus externis non consistunt.

Assertio IX. Qui ita aures præbet infamanti, 153
vt eum etiam ad detrahendum coram alijs inducat, vel eidem cooperetur iuuando, incitando, interrogando; aut ita laudando, vel approbando, vt hæc laus sit iniustæ infamationis causa; non solum peccat mortaliter ex suo genere, sed etiam tenetur ad restitutionem. Secus est, si quis merè negatiuè se habeat, aut certè nullo modo cooperetur; tunc enim ad restitutionem non tenetur; nisi ex iustitia erga infamatum debuerit eius infamiam propulsare. Colligitur ex Aragonio quæst. 62. art. 2. dub. 7. post S. Thomam 4. dist. 15. quæst. 1. Adrianum, quodlib. 11. Caietanum quæst. 73. art. 2. Ratio patet ex dictis suprà dub. 2. num. 72. Postremam verò partem distinctius declarans Lessius dub. 23. ait, tales esse Prælatos, & superiores infamantis; & nonnunquam etiam prælatos infamati; etsi isti per se alioquin famam subditorum procurare non teneantur.

Assertio X. Si infamatus citra cuiusquam 154
iniuriam condonet restitutionem, *im*munis erit infamator à restitutione, saltem ex iustitia facienda. Ita communis, & patet; quia licet cuique remittere debitum, vbi id sine alterius iniuria fieri potest.

Possunt autem citra iniuriam condonare, qui ita sunt domini suæ famæ, vt iactura eiusdem famæ non cedat etiam in aliorum infamiam, aut præiudicium; sicut cedit infamia parentis in filiorum infamiam, iuxta Salonem controuersia 13. & Nauarrum citatum. Licet etiam in hoc casu validam esse condonationem existimet Sotus: ego verò necessario saltem retractandam condonationem existimo. Item Prælati & Religiosi infamia cedit in probrum totius Religionis, iuxta Azorium & Lessium.

Quod si Episcopi, aut secularis Magistratus fama ita læsa sit, vt is in sui muneris fructuosa executione impediatur, nec ille quidem sine iniuria subditorum, poterit famam condonare; nisi fortè velit & possit officium resignare, iuxta Salonem, & Bannem q. 62. a. 2. dub. 2. vel potius 11.

Assertio XI. Mutua infamatio, quamuis 155
æqualis, per se non excusat à restitutione, sed per accidens. Ita Maior 4. dist. 15. q. 16. Nauarrus man. cap. 18. n. 47. Caietanus q. 62. a. 2. & in summa V. *Detractio*, Petrus Nauarrus n. 347. Carbo q. 24. Azor cit. q. 16. licet absolutè affirment Sotus, Adrianus, Ledesma apud Azorium; item Angles, & Toletus apud Lessium dub. 25. qui idem videtur sentire.

Probatur: Nam vnum damnum infamiæ alterum non tollit; nec adeo inæqualitatem per alterum factam corrigit; sicut duo debita pecuniaria, aut duo damna in bonis fortunæ per se pretio æstimabilia se mutuò compensant.

Secus

Secus est, si ex mutuo consensu, alter alteri suam obligationem condonet, ex communi apud citatos; aut si infamantem infamet per modum iustæ defensionis, cum alia via non suppetit; quod licitum esse docent Sotus, Salon, Bannes, Lessius locis citatis; ita nimirum vt non obijciatur falsum, aut quoduis occultum crimen; sed tale, quo infamia retundatur & aboleatur, infamantis fide eleuata.

Item ex probabili, si alius te æqualiter infamauerit, quem noris nolle tibi famam restituere, iuxta illud; *Frangenti fidem &c.* vt post Adrianum, Sotum, Anglem, Toletum docet Lessius n. 133.

Quæritur II. An & quo modo honor læsus sit restituendus.

156 Respondetur; cum honor sit verum aliquod bonum hominis, omnino restituendus est; etiamsi omnino priuatim & secretè sit læsus; ex certa & communi: idque siue læsus sit per subtractionem debiti honoris, cum quodam tamen interpretatiuo contemptu alterius: quo casu, quæsita occasione, ipse honor iniustè detractus læso exhibendus est; siue per apertam contumeliam verbis aut factis irrogatam: quo casu, spectata quidem ipsa rei natura, conuenientissime restituitur honor petitione veniæ: quæ proinde inter personas æquales, & ab inferioribus erga superiores regulariter adhibenda est, vt habet communis. iuxta illud Matth. 5. v. 24. *vade prius reconciliari fratri tuo &c.* & S. Augustinum in regula: *Frater qui non vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in Monasterio, etiamsi inde non ejiciatur.*

157 Attamen in particularibus casibus, pro varietate personarum & rerum, fieri potest, vt ea sola quandoque non sufficiat, vt si quis virum nobilem aut honestum alapa aut baculo percusserit, vt notant Angles, Aragonius, Couarruuias lib. 2 lib. 2. variarum cap. 10. n 5. Azor lib. 5. cap. 3 Lessius cap. 11. dub. 27. qui tamen addit, moribus gentium receptũ esse, vt ante sententiam Iudicis, non teneatur quis maiorem satisfactionem exhibere, quam humilem veniæ petitionem, cum signis doloris.

158 Aliquando fieri potest, vt veniæ petitio nec sit necessaria quidem, quia Parens, Princeps, Prælatus, vel Superior, tenentur quidem ad satisfaciendum aliquo modo subdito pro contumelioſa iniuria irrogata, aut exhibendo honorem, aut laudando culpamque agnoscendo; sed ad petendam ab eo veniam communiter non tenentur, vt habet communis ex citata regula Augustini.

Imò quoties honor alia via sufficienter restituitur, non est cur determinatus ille restitutionis modus necessario sit adhibendus, vt recte Aragonius, Lessius, Azor cit. q. 1. Qua in re pius vir & prudens arbitrabitur. Atque ita conciliari possunt Sotus lib. 4. de iustitia. q. 6. a. 3. ad 5. Salon controuersia 4. Sylvester V. *Contumelia* q. 4. Carbo q. 52. qui simpliciter docent, petendam veniam, & Caietanus q. 62. a. 3. Petrus Nauarrus n. 76. qui negant.

159 Quamuis autem etiam honoris restitutio condonari possit, prout de fama dictum ex communi, quicquid Caietanus neget; non tamen censendum est, eum, qui familiariter cum contumelioſo versatur, hoc ipso statim restitutionem condonare; id enim alijs de causis fieri, & aliquando necessarium esse potest, vt recte notauit Petrus Nauarrus n. 92.

Quæres, an etiam pro ipsa præcisè iniuria (secluso omni damno) aliquid restituendum vel satisfaciendum, ante Iudicis sententiam? Respondetur negatiue; restitutio enim non nisi damnum respicit: satisfactio autem pro iniuria proprie pœnalis est, & ex sua natura ab inuito melius exigitur. 160

Alias sequeretur, furem etiam ante sententiam ad amplius quiddam teneri, quam rei acceptæ restitutionem. Item sequeretur, tanto plus restituendum, quanto maior iniuria in modo lædendi interuenit. Quod tamen contra Sotum merito negat Azor lib. 6. cap. 3. qui dum nihilominus paulo ante asserit, aliquid restituendum pro iniuria accipit iniuriam simul cum damno coniuncto. Quo modo etiam accipiendus Lessius dub. 27. n. 140. & 145. Vid. q. 1. dub. 1. à n. 3.

DVBIVM VII.

De restitutione bonorum Ecclesiasticorum; speciatim propter Beneficia inualide acquisita; priuationem Beneficij; neglectam residentiam; pluralitatem Beneficiorum.

Ad s. Thomæ 2. 2. q. 62.

QVæritur I. An & quid restituendum ab ijs qui beneficia inualide acquisiuerunt, vtpote in excommunicatione?

ASSERTIO I. Beneficium irrita collatione obtinens, tenetur non solum Beneficium resignare, sed etiam fructus perceptos restituere, nisi titulus reualidetur. Ita ex certa & communi docent Antoninus 3. part. tit. 15. n. 2. Sylvester V. *Beneficium* 3. n. 20. Nauarrus cap. 25. n. 114. Lopez 2. part. c. 103. & supponunt Henriquez lib. 13. cap. 3. n. 3. & cap. 14. n. 3. Sa. V. *Beneficium*. Ratio est. Quia talis iniuste ac sine titulo possidet alienum; esto per ignorantiam ita fuerit promotus: nisi forsan iste interim beneficium præscripserit vt inferius dicetur n. 168. & constat ex dictis quæst. 1. dub. 6. num. 92. 161

ASSERTIO II. Si tamen inualide prouisus per se, aut vicarium vtiliter præstitit debitum officium, excusari potest à restitutione fructuum consumptorum in vitæ sustentationen, si pauper est, & potest ex ijsdem fructibus impenso labori respondentibus, accedente etiam præsertim Confessarij consilio, accipere, siue retinere ea, quæ stricte sunt necessaria ad vitam; imo & alios fructus suo seruitio respondentes, adque honestam sustentationem pertinentes. Ita ex quadam epijkia priorem assertionem moderantur graues Doctores: Et primum ac secundum docet Angelus V. *Beneficium* numero 44. cum Ostiensi, Sylvester V. *Beneficium* 3. numero 20. cum Innocentio, Henriquez lib. 13. 162

cap. 14 n. 3. & cap. 3. n. 3, citans etiam Antoninum, Gabrielem, Armillam. Idem sentit Lopez locis citatis. Et consentit Nauarrus lib. 1. Consiliorum, consilio 5. de filijs presbyterorum. Tertium peculiariter docent Henriquez & Lopez citati.

163 Et procedit assertio, etiamsi quis mala fide acquisiuerit, & possederit Beneficium; nec excipiunt etiam excommunicatum, de quo infra.

Ratio est. Quia labores in Ecclesiam vtiliter collatos, congruum est, vt Ecclesia pro sua benignitate, in homine præsertim pœnitente, non velit esse irremuneratos; quandoquidem etiam Apostolus ad Philipp. 1. v. 18 gaudet, *siue per occasionem, siue veritatem, Christus annuncietur.* Ergo inualide prouisus, etsi non ratione tituli, tamen certè ratione laborum, ex tacito Ecclesiæ consensu, poterit fructus laboribus respondentes percipere, præsertim Confessario, quasi instar villici, sic piæ matris sententiam interpretante.

Etsi Couarruuias part. 2. *Alma* cap. 6. §. 8 n. 7. & Suarez 3. p. tom. 5. d. 13. sec. 1. n. 3. ex his, qui ita inualidè promoti sunt, solum bona fide ministrantibus hunc fauorem concedant.

164 Assertio III. Qui verò inualidè prouisus, bona fide fructus percepit, tenetur solum restituere fructus extantes, siue eos, in quibus est factus ditior, salua portione officio peracto respondente, Ita ex communi Henriquez cit. cap. 3. n. 3. & in simili Sotus lib. 9. de iustitia q. 8. art. 1. ad 3. Ratio sumitur tum ex dictis, tum ex communi doctrina de possessore bonæ fidei tradita dub. 2.

165 Assertio IV. Fructus, ob inualidam prouisionem restitutioni obnoxij, pro diuersa eorundem conditione, restituendi sunt vel Ecclesiæ, vel Successori Ita Nauarrus cap. 25. man. n. 123. Sa citatus. Et iuxta hoc limitandum est, quod dicit Henriquez cit. cap. 3. & 14. vbi absolutè asserit, dandos successori; hoc enim, vt recte notat Nauarrus loc. cit. non procedit de illis fructibus, qui successori de iure non reseruantur; sed vel præsentibus accrescunt, vt sunt distributiones; & quoad Canonicos (qui regulariter non habent successorem) ea, quam vocant grossam, siue corpus Canonicatuum; vel in alios vsus ex peculiari Ecclesiæ constitutione applicantur.

Iis ergo vniuersim restituendi, ad quos de iure peruenissent, nisi ab iniusto possessore fuissent intercepti, vel quibus iam, ex peculiari dispositione, talis Ecclesiæ, post iniquâ possessionē applicantur.

166 Assertio V. Cui titulus Beneficij inualidè acquisiti reualidatur, potest retinere non solum beneficium, sed etiam fructus male perceptos. Ita Sa, & Henriquez locis cit. citans etiam Syluestrum, Nauarrum. Sed videtur tamen restringenda assertio ex assertione precedente, ad fructus pertinentes ad successorem: nisi quis forte dicat, ipsamet dispensatione subsequente, etiam elapsi temporis inhabilitatem dispensari, quoad fructuum perceptionem: Certè quidem Henriquez & Sa absolutè loquuntur.

167 Assertio VI. Inualidè promotus potest quidem interim, dum sine mora procurat dispensationem & reualidationem tituli, licite detinere, & tanquam depositarius conseruare fructus Beneficij: sed ne in vitium intrusionis, adeoque inhabilitatem ad id beneficium Pontifici reseruatam incurrat, vel in eo vitio persistat, non potest per se officium beneficio annexum exercere, (nisi forte ad tempus cogat scandali periculum;) sed solum per vicarium, ab Episcopo designatum; curando interim, vt, si fieri potest, per Episcopum absoluatur ab excommunicatione, & dispensetur in Irregularitate, vt saltem tanquam alius Sacerdos celebrare interea possit, dum exspectat reualidationem tituli. Ita Henriquez lib. 13. cap. 14. n. 2. citans etiam Antoninum, Tabienam, Armillam, Syluestrum, Medinam. Ratio est. Quia talis non est in mora resignandi vel restituendi; quandoquidem ex causa rationabili differt.

Quod si quis alius, præter Episcopum, positum impedimentum auferre possit, ad hunc finem, vt Beneficiarius interim celebrare possit, non est cur hac de causa Episcopus adeatur, vt per se patet. 168

Qui autem vitium intrusionis incurrit, debet idipsum quoque in literis ad Papam, quibus dispensationem petit exprimere; aut certe alioqui à Papa impetrare habilitatem ad tale beneficium; & postea clam ab Ordinario collationem, si hæc ad illum pertinet, petere. Ita Nauarrus cap. 27. manual. numero 194. & lib. 1. Consil. tit. de ætate ordin. cons. 2. & à fortiori Syluester V. *Beneficium* 3. quæst. 18. per cap. *Postulasti*, de rescriptis. Alias collatio seu dispensatio foret nulla; cum per intrusionis vitium prouisus peculiariter sit inhabilis ad hoc beneficium, quamuis non ad alia.

Quas vero alias ob causas in specie hoc vitium incurratur, videri potest apud Zerulam 1. part. prax. Episc. V. *Intrusus*. Nauarrus quidem loc. cit. man. ex Felino etiam adfert illum casum, si quis in irregularitate scienter beneficij possessionem accepit. Sed quod admodum certum non est, vt inferius dicetur.

Quæres an non etiam alia via possit reualidari titulus, vt per possessionem triennalem saltem bonæ fidei, cum titulo colorato; aut per solam amotionem impedimenti, non accedente nouo consensu prouisionis. Respondetur ad primum affirmatiue, iuxta dicta de præscript. quæst. 1. dub. 6. n. 92. vbi vide limitationes. 169

Ad secundum negatiuè Respondetur. Requiritur enim noua collatio, aut noua dispensatio, quæ illi æquiualeat; vt ex communi & certa tradunt Syluester V. *Beneficium* 3. quæstione 19. & 20. Nauarrus Manual. cap. 27. numero 21. Couarruuias in caput *Alma mater* part. 1. §. 7. num. 2. Suarez tom. 5. disput. 13. sect. 1. numero 2. Henriquez lib. 13. cap. 14. numero 1. Ratio est; quia alias nulla adest voluntas collatoris, per quam in talem beneficium conferatur; prima enim ob defectum conditionis irrita fuit; & posterior omnis solum fundatur in valore primæ; cum noua collatio, adeoque etiam reualidatio iure fieri non possit, nisi causa cognita, & perspecta habilitate prouisi. Et confirmat hoc ipsum Couarruuias ex cap. *Non firmatur*, de reg. Iur. in 6. 170

Etsi

171 Etsi nihilominus contrarium probabile censeat Lessius cap. 34. num. 119. cum Sanchez lib. 8. de dispensatione disp. 7. num. 12. post Speculatorem, Innocentium, Ostiensem, Felinum, & alios; additis tamen his limitationibus. 1. vt impedimentum sit occultum. 2. vt id in nullius cedat præiudicium. 3. vt si quis sciens impedimentum acceptauerit collationem, non solum impetret dispensationem illius impedimenti prioris, sed etiam illius, quod incurrit p talem acceptationē, nempe ipsius intrusionis, qua fit inhabilis ad idem beneficium. Refert eandem sententiam Sayrus lib. 2. thesauri cap 5. num. 33. & pro ea citat etiam Hugolinum, quamuis interim ipse communem sequatur.

Pro qua nota etiam, dispensationem ad reualidandum titulum, seu ipsam tituli reualidationem, generatim ac per se loquendo, ad eum pertinere, ad quem spectat ipsa collatio, vt excommuni docent Nauarrus cap. 27. num. 194. Suarez cit. disp. 13. sect. 1. n 34. Henriquez cap. 14 n. 2. & 3.

172 Assertio VII. Quæ hactenus generatim de inualidè promotis diximus, ex communi sententia, speciatim intelligenda sunt etiam de eo, qui sciens, aut scire debens, se irregularem, suspensum, excommunicatum (maiori excommunicatione) aut interdictum, beneficium accipit. Ita ex communi docent Nauarrus cap. 25. num. 133. Couarruuias in cap. *Alma* mater part. 1. §. 7. Henriquez lib. 13. cap. 3. num. 3. & cap. 32. n. 3. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 2. Sayrus lib. 2. thesauri cap. 22. num. 23. Lessius cit. num. 116. & 20. qui hoc ipsum ferè asserunt etiam de excommunicato occulto, suamq; excommunicationem ignorante: etsi cum probabilis ignorantia interuenit, probabile sit, eo casu non esse inualidam collationem, vt ex Nauarro in cap. *Fratres* de pœnit. dist. 5. num. 45. censet Lessius num. 117. quod multo magis dicendum de suspenso & interdicto, licet de irregulari aliud significet Nauarrus cap. 27. num. 194.

173 Probatur assertio ex iure Canonico; nam de excommunicatione id apertè constat ex cap. *Postulâstis*, de Clerico excommunicato; quam proinde velut certam sententiam fusè etiam tuetur & explicat Suarez 3. p. tom. 5. disp. 13. sect. 1. n. 2. & 3. De suspenso probant id ex cap. *cum dilectus*, de consuetudine, cap. *Cum inter*, de electione, & cap. *Cum bonæ*, de ætate & æqualitate. De Interdicto ex cap 1. de postulatione prælatorum. De Irregularitate ex cap. 2. de Clerico pugnante in duello, & canone Studia, dist. 50. quæ tamen Iura ad propositum non sunt liquida, vt mox dicemus.

174 Intelligitur autem assertio de irregulari & suspenso, respectu eius ordinis, aut vsus ordinis, qui ad beneficium requiritur. Vnde etiam ratio sumitur; quia qui inhabilis ad officium, videtur etiam inhabilis ad beneficium, quod datur propter officium.

Minori autem excommunicatione excommunicati est irritanda electio, non ipso iure irrita, vt ex cap. *Si celebrat*, de Clerico excommunicato, & communi tradit Sylvester V. *Electio*, 1. num. 16. Lessius, Sayrus, & alij, quicquid dixerint Henriquez & glossa.

175 Assertio VIII. Nihilominus tamen satis probabile est, suspensi, irregularis, & interdicti electionem nō esse ipso iure irritam, sed irritandam; adeoque has personas non esse inhabiles, sed prohibitas. Ita de suspensione Suarez disp. 26. sect. 3. num. 8. & disp. 27. sect. 1. n. 26. Lessius num. 116. De irregularitate idem Suarez disp. 40. sect. 2. n. 35. Sylvester V. *Episcopus* 4. num. 4. & verbo *Excommunicatio* 4. num. 4. Lessius n. 120. post alios. De interdicto Suarez num. 35. Lessius num. 116. Ratio generalis est; quia de his personis non satis in iure exprimitur, eas esse inhabiles, aut collationem esse ipso iure irritam: Sunt autem odia restringenda. De qua re plura tomo 4. disp. de pœnit. vbi de Clauibus seu censuris agitur.

176 Alioquin procedunt hæc, quæ dixi, de omnibus beneficijs, excepto Summo Pontifice; cuius electionem alioquin legitimè factam, nulla irritat inhabilitas, aut impedimentum, nec ex parte electi, nec eligentium, vt iuxta cap. *Licet*, de electione, & Clementinam *Ne Romani*, §. *Cæterum*, vt dictum disp. 1. quæstione 4. dub. 4. & notat Lessius num. 116. addens, in electo Papa cessare excommunicationem per seipsam; quia ad eam potestatem electus, non potest amplius teneri censuris, ab inferioribus, aut paribus illatis.

De dispensatione vero & absolutione, quæ in collatione Beneficiorum à Pontifice præmitti solet ad cautelam, & valet quidem ad effectum præsentem; præterquam si quis per annum insorduerit in excommunicatione; vel etiam in aliquibus casibus, solum per quatuor menses, vide Nauarrum man. cap. 25. num 74. Couarruuiam §. 7. num. 2. Henriquez lib. 13. cap. 13. num. 1. & 3. De alijs vero conditionibus ad Beneficia requisitis, particulatim Azor tomo 2. lib. 6. & Lessius à dub. 17.

177 Quæritur II. Quid restituendum ab eo, qui post validam collationem beneficij, inhabilitatem seu priuationem beneficij, seu fructuum beneficij incurrit?

Assertio I. Beneficium, per se loquendo, non perditur per excommunicationem, aut aliam inhabilitatem subsequentem, ac proinde ex hoc capite nihil est restituendum. Ita ex communi & certa Henriquez lib. 13. cap. 56. Suarez cit. tom. 5. disp. 13. sect. 1. num. 1. Sa V. *Beneficium*. Ratio est, Quia nullo iure hoc exprimitur

178 Assertio II. Quando iure statuitur, vt quis beneficio priuatus sit ipso facto, sine alia monitione, aut declaratione, idque in pœnam criminis; tunc etsi quidem talis, cognitâ causâ, per Iudicis sententiam, à tempore commissi criminis, possit fructibus beneficij spoliari; tamen ante sententiam ipsa beneficij possessione & administratione non spoliatur; nisi forte in casu aliquo particulari id speciatim lex expresserit. Secus si quis non in pœnam criminis beneficio priuetur, sed ob defectum conditionis requisitæ. Ita Couarruuias in Epitome 4. siue de Sponsalibus part. 2. cap. 6. §. 8. num. 6. & 10. Sotus lib. 1. de iustitia quæst. 6. num. 6. ad vltimum, Henriquez lib. 13. cap. 56. num. 2. & 3. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 96. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 8. Lessius cap. 29. dub. 8.

post Sylvestrum, Angelum, Tabienam, Armillam; etsi Nauarrus cap. 25. n. 118. & Carbo q. 61. de restitutione aliter sentiant.

179 Probatur assertio. Quia odia Iuris sunt restringenda: Ergo quamdiu lex ipsa non exprimit, talem ante Iudicis sententiam debere beneficium resignare, prouisus ad hoc non tenebitur. Atqui verba illa; sit *ipso iure priuatus*, hoc non significant; sed solum ipsius tituli priuationem (iuxta Sotum, Azorium, Lessium citatos; licet hoc ipsum quidam negent) cum qua stare potest possessio & administratio ipsius beneficij, saltem per modum delegationis. Accedit quod leges statuentes pœnam, requirentem executionem, non obligant ante sententiam Iudicis; nisi aliud exprimatur, vt dictum tom. 2. disp. 5. quæst. 6. dub. 4. Denique idem in simili supra disp. 1. quæst. 8. dub. 6. ex communi dictum de hæretico, cuius bona fisco sunt obligata.

180 Dixi, *secus si quis non in pœnam*, &c. vt si beneficiarius in minoribus existens, post adeptum beneficium, vxorem ducat, aut religionem profiteatur; aut si Parochus institutus, intra annum ad Sacerdotium non promoueatur; & in alijs similibus casibus, in quibus cum aliquis beneficio non excidat in pœnam criminis; sed quia hac tacita conditione beneficium accepit, ne aliquid illorum faceret, idcirco plane ante omnem sententiam, beneficium resignandum, & fructus postea percepti restituendi sunt, secundum communem regulam, qua sub conditione datum, non impleta conditione, ipso iure naturali restituendum venit, vt ex communi Nauarrus cap. 21. num. 120. Lopez 2. part. cap. 206. Azor loc. cit. cum glossa in cap. 1. de clericis coniugatis.

181 Assertio III. Similiter etiam quando lex statuit, vt beneficiarius fructus suos non faciat: aut ipso facto fructib⁹, aut fructuum parte sit priuatus; aut eos ipso facto amittat; aut ab eis ipso facto sit suspensus; probabilius videtur, ante Iudicis sententiam, non esse faciendam restitutionem; nisi aut iure naturæ propter omissa officia facienda sit, aut fortè contrarium lex ipsa apertè declaret, vt de omittente horas suo loco dicetur. Ita Nauarrus cap. 25. num. 121. Henriquez lib. 13. cap. 56. num. 2. & 3. Zerula part. 1. Praxis Episcopalis, V. *Priuatio*, Azor, Lessius locis citatis; etsi contrarium asserant Carbo quæst. 61. de restitutione, & Suarez tom. 5. disp. 13. sect. 1. num. 12.

182 Ratio sumitur ex dictis; nec enim hæc etiam verba aut apertè significant, aut necessariò inferunt obligationem restitutionis, ante sententiam; quandoquidem potest quis fructus etiam non suos, & tanquam depositarius conseruare, & tanquam vsuarius consumere, domino siue Ecclesia saltem tacitè consentiente; cum & in his rebus vsum à dominio separari posse superius dictum sit quæst. 1. dub. 2.

183 Assertio IV. Immò etiam probabilius videtur, nec post sententiam quidem criminis declaratoriam, debere Reum beneficium & administrationem eius deponere, fructusque à tempore criminis perceptos restituere, ante peculiare mandatum & executionem Iudicis. Ita Couarruuias de matrimonio part. 2. cap. 6. §. 8. num. 10. Azor cap. 8. quæst. 4. & Lessius loc. cit. post Caietanum, Adrianum, Decium, & consentit Vasquez 1. 2. disp. 170. num. 13. & 14. etsi contrarium generatim asserant Sotus & Valentia in materia de legibus, ac Suarez cit. sect. 2. num. 8. post Abbatem, Felinum, & alios in cap. 1. de constitutionibus.

Ratio colligitur ex dictis; quia nec vllo iure expresse statutum est, vt post sententiam declaratoriam criminis, Reus in conscientia id facere teneatur; nec ipsa etiam talis sententia per se talem executionem exigit. Ad prælatum potius pertinet, ipsam pœnam iuris exequi, & bona sic prouisi, quæ in commissum ceciderunt, per expressam sententiam, ac reali executione, Ecclesiæ vendicare, adimendo Reo beneficium vna cum fructibus &c. Cui sententiæ adeo etiam obtemperare Reus tenetur, vt nec retinere quicquam, aut occultare, nec alteri possit dare. Immò si quis alius eiusmodi bona Ecclesiæ obligata possideat, restituere etiam ipse in conscientia tenetur, vt fusius persequitur Couarruuias loc. cit.

184 Ex quibus colligitur I. Beneficiarium excommunicatum, vel suspensum, etiam per hominem, vt & quemuis alium, qui fructuum priuationem ipso iure incurrit, posse nihilominus interim, quamdiu per Iudicis sententiam restitutio ab eo non exigitur, dum absolutionem procurat, percipere fructus, ad suam, & suorum honestam sustentationem necessarios, si alia bona non habeat, vt docet Sylvester V. *Clericus* 4 quæst. 24. Nauarrus man. cap. 21. num. 128. cum glossa, Lopez 2. part. c. 97. Sa V. *Beneficium*. Imò idem licebit, quâuis absolutionem non procuret, sed contumax maneat; modo interim horas recitet, & officium Parochi seu beneficij sui vtiliter exequatur; potest enim percipere fructus seruitio respondentes, vt asserit Nauarrus citatus quoque ab Azorio, qui tamen id superius negat: idque etiam verum puto, quamuis bona alia habeat, vt significant Henriquez, & Lessius, & superius in simili de inualide promoto dictum quæsito 1. assert. 2. n. 162.

185 Quin imò sicut ex probabiliori quam fuse defendit Azor cap. 7. quæst. 7. post Victoriam relectione de Indis sect. 1. à num. 14. fauente etiam Sylvestro V. *Hæresis* 1. quæst. 8. Couarruuia loc. cit. num. 8. hæreticus, non obstante bonorum priuatione, potest vt dictum disp. 1. quæst. 8. dub. 6. sua bona alienare, non solum ad necessarios vitæ vsus, sed etiam donando, aut alijs modis, dummodò caueat, ne alteri contrahenti inuito nocumentum sequatur ex contractu, cuius valor non irreuocabiliter firmus, sed quodammodo à subsecuta Iudicis definitione dependens est: ita etiam in proposito idem probabile putarim; quod etiam indicasse videtur Sa, absolutè asserens, eum fructibus posse gaudere; idemque significat Lessius citatus. Ratio ex dictis colligitur.

186 Colligitur II. Concubinariũ clericũ (quem nisi Episcopus sit, iam à Synodo Prouinciali monitus,) nõ esse ipso facto suspẽsum probabilius est, ex Cõcil. Tridentino sess. 25. de Reformat. cap. 14.) quamuis eiusdem Concilij decreto post primã monitionẽ,

nisi

nisi resipiscat, incurrat ipso facto priuationem tertiæ partis fructuum; post secundam, omnium fructuum priuationem, qui arbitrio Episcopi fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco applicandi sunt; non esse tamen, ante Iudicis sententiam & executionem, ad eiusmodi restitutionem faciendam obligatum propter dicta superius. Quod etiam ante concilium Tridentinum, tanquam probabile, ex Rosellâ docuit Sylvester V. *Clericus* 4. numero 24. tametsi ex iure antiquo supponat, eum esse suspensum.

Idem existimo de eo quod in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. de reformat dicitur, vt habentes curatum beneficium, Canonicatum, vel dignitatem in Ecclesia Cathedrali, si intra bimestre à possessione beneficij, professionē fidei, & obedientiæ erga sedem Apostolicam negligant, *fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur*, iuxta dicta art. 3. & 4.

Secus loquitur idem Concilium sess. 23. cap. 2. de Reform. vbi dicitur: *Ecclesijs Cathedralibus, seu superioribus, quocunque nomine ac titulo præfecti, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructum perceptorum restitutionem teneantur.* Vbi plane videtur restitutio sine alia executione præcipi, iuxta limitationem assert. 3. adiectam. Ita etiam quod in Concilio eodem loco additur: *Si intra totidem menses postea id facere neglexerint; ecclesijs ipso iure sint priuati*, intelligendum est, iuxta dicta assert. 2. part. vlt. Alios particulares casus, in quibus beneficium amittitur, vide apud Lessium cit. cap. 34. dub. 34.

187 Quæritur III. An & quid restituendum à beneficiarijs non residentibus. Antequam respondeatur, notandum est, residere in Ecclesiâ idem esse, quod in ea seruire beneficio, & eius curam habere personaliter. Quo posito, est

Assertio I. Beneficiarij curati, secluſa legitimâ causa, tenentur iure diuino ad Residentiam. Ita ex communi Sylvester V. *Residentia*, Nauarrus Manual. cap. 25. à numero 121. Valentia disp. 10. quæstione 3. punct. 5. Lopez part. 2. cap. 98. Sotus lib 10. de iustitia quæstione 3. Caietanus 2. 2. quæstione 185. articulo 5. Turrianus in tract. de Residentiâ, Couarruuias lib. 3. Variar. cap. 13. Azor tom. 2. lib. 7. cap. 4. quæstione 2. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 29. Et patet aperte ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de Reformat. quicquid in contrarium dixerit Catharinus in proprio tractatu de Residentia. Ratio est. Quia pastoris est, per seipsum vultum pecoris cognoscere, pascere, regere &c. Idemque patet in officijs quibuslibet ciuilibus.

188 Assertio II. Idem probabilius videtur de beneficijs simplicibus, quæ seruitium aliquod loco affixum requirunt; nisi forte in ipsa fundatione quandoque contrarium significetur. Interim hoc tamen certum est, iure positiuo communi omne tale beneficium, quantumuis tenue, requirere residentiam.

Primum tradit Azor loc. cit. Ratio est. Tum quia accipiens aliquid sub onere, iure naturali tenetur ad illud onus. Tum quia regulariter etiam in cæteris rebus, Officialis conductus per se tenetur præstare officium. Vide Suarium tom. 3. disp. 86. sect. 1.

Secundam partem, qua exceptio continetur, ex communi tradit Nauarrus c. 25. n. 121. & patet ex cap. *Quia nonnulli*, cap. *Conquerente*, de Clericis non residentibus.

Assertio III. Etsi iure positiuo antiquo nun- 189
quam generatim statuatur, vt beneficiarij non residentes, ante sententiam restituant fructus, tamen iure nouo Concilij Tridentini, Episcopi. si vltra duos, vel summum tres menses, Parochi vero, & alij Curati, si vltra duos menses, seu continuo, seu interrupto spatio, sine legitima approbatione absint, nulla alia declaratione secuta, tenentur ad restituendos fructus sui beneficij, pro rata temporis absentiæ, eos aut fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogando, nullâ obstante compositione: sicut & Canonici non assistentes horis in choro distributiones quotidianas amittunt, & ante sententiam restituere tenentur, quauis collusione, aut remissione excluſa.

Primum constat ex cap. *Ex parte* 1. cap. *Clericus*, 190
cap. *Cum ad hoc*, de Clericis non residentibus.

Secundum patet ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de Reformat. adiuncta simul probabili interpretatione Nauarri cap. 25. n. 101. & Lessij cit. dub. 29. cum alioquin de Parochis possit esse dubium, an iuxta Concilium Tridentinum absque facultate, etiam per duos menses abesse possint. Atque eo ipso etiam Concilij loco auctum est id, quod in eodem Concilio supra sess. 6. cap. 1. de Reformatione statutum erat, vt recte aduertit Lessius n. 157.

Tertium patet ex cap. vnico de clericis non re- 191
sidentibus in 6. & Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. vbi etiam cauetur, ne Canonici vltra tres menses quolibet anno ab Ecclesijs absint. Quibus autem casibus absens distributiones lucretur, præter ea, quæ dicuntur in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 3. & sess. 24. cap. 4. & 12. & cit. cap. vnico, potissimum ex consuetudine discendum erit. Plura disp. 5. q. 1. dub. 5. & 6.

Assertio IV. Sed & Beneficiarij iure natu- 192
rali, siue per duos tantum, tresue menses prædictos, siue diutius, sine causa rationabili absint, peccant mortaliter contra præceptum de residendo; & tenentur tum ad compensationem damnorum, si quæ secuta sunt Ecclesiæ, tum ad restituendos fructus, qui prætermisso forsan officio respondent. Primum patet ex Concilio Tridentino loc. citato, quod ius naturale non mutauit, sed magis determinauit, vt non nisi certo tempore, idque ex rationabili causa possint abesse.

Secundum ex communi tradunt Valentia disp. 10. q. 3. & Lopez 2. part. cap. 98. Ratio est. Quia datum propter officium iure naturali restitutioni obnoxium est, si negligatur officium. Vbi etiam supponitur, beneficia eorumque fructus proprie conferri tanquam stipendia laborum, vt pluribus dicetur disp. 5. q. 1. dub. 6.

Secus est loquendo de iure naturali, si quis vno v. g. aut altero die, sine causa rationabili non resideat; quia in longissimi temporis seruitio, censentur Domini talia condonare, vt cum Soto notat Lo-

pez; qui tamen existimat cap. 107. & 108. stando præcisè iure naturali, posse à beneficiario, ratione tituli, retineri, quod vltra condignum stipendium personalis officij in pinguibus beneficijs obtingit: quanquam hoc si superfluum sit sustentationi, aliunde pauperibus, alijsque pijs causis addictum est, vt exterius dicetur.

193 Assertio V. Qui vero nihilominus per se aut per alium officio satisfecit, eum probabile est, secluso speciali damno, iure naturali ad nullam restitutionem teneri Ita post Panormitanum in cap. 1. de celebrat. missar. docent Sylvester V. Clericus, Nauarrus cap. 25. Manual. n. 131 Azor tom. 2. lib. 7. cap. 6. Lessius n. 163. etsi Valentia disp. 10. q. 3. pun. 5. omnes fructus, pro rata absentiæ, restituendos putet, quantumuis per alium sit satisfactum. Lopez vero cap. 97. & 98. saltem aliquid pro ipsa non residentia, vtpote quæ per se etiam pretio æstimabilis sit; quod est valde probabile.

194 Ratio assertionis est. Tum quia restitutio ex delicto solum respicit damnum. Tum quia ipsa personalis residentia, esto per se pretio æstimabilis sit, nisi tamen in factum deducatur, secluso damno, non constat per se restitutionis onus inducere.

De causis autem excusantibus à residentia, & modo probationis accipiendæ, vltra præstitutum in singulos annos tempus, vide Concilium Tridentinum, Nauarrum, Lessium locis citatis, qui etiam notant audire Theologiam, vel Ius Canonicum excusare à Residentia per quinque annos, docere autem Theologiam vel Ius Canonicum, excusare quantumuis longo tempore, etiam secluſa alia licentia, iuxta cap. *super specula*, de Magistris, addita extensione Doctorum. Ad literas autem humaniores, & Philosophiam, requiritur licentia Episcopi; nisi vbi contraria consuetudo viget, iuxta Nauarrum & Lessium citatos,

Quæritur IV. An & quid restituendum ob pluralitatem beneficiorum.

195 Suppono I. Pluralitatem beneficiorum, etsi non sit intrinsece mala, vt furari, mentiri &c. habere tamen speciem mali, vt occidere, nisi circumstantijs & iusta causa honestetur: detrahitur enim alioquin honor Deo debitus, vtilitas Ecclesijs, pia Fundatorum voluntas defraudatur, aperitur via auaritiæ, luxui, & ambitioni, bona studia negliguntur, quæ & plura alia incommoda recensentur etiam à Ioanne XXII. In Extrauag *Execrabilis*. Quocirca etiam recte dixit Caietanus V. *Beneficiū* pluralitatē beneficiorū sine rationabili causa repugnare iuri naturali.

196 Suppono II. Etsi iure antiquo sex casus numerari soleant, in quibus beneficiorū pluralitas sit concessa, vt videre est apud Toletum lib. 5. c. 81. & Valentiam disp. 7. q. 7. p. 2. iure tamen nouo Concilij Tridentini, solum licitam esse in his casibus. I. Cum alterū habetur in commendam, sed non perpetuam, idque in necessitate, si non sit facilis recursus ad Papam, vt ex eodem Tridentino sess. 7. cap. 4. & sess. 24. cap. 17. tradunt Lopez 2. part. cap. 101. & 102. Toletus, & Valentia citati.

II. Per viam legitimæ vnionis, quæ tamen fieri non debet, nisi propter paupertatem Ecclesiarū, & communē earum vtilitatem, de qua multa in specie Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 6 sess. 21. cap. 5. sess. 23. cap. 18. sess. 24. cap. 13. & 15. & sess. 25. cap. 9. de reformat. quanquam vtroque hoc casu potius vnum, quam plura obtineri beneficia, recte notant Lopez, Valentia, Toletus citat.

III. Propter tenuitatem vnius, non sufficientis 197
ad vitam honeste sustentandam, licet habere plura simplicia, quorum singula personalem residentiam non requirant, vel quæ certe incompatibilia non sint, aut vnum curatum cum simplici, etiam sine dispensatione, vt ijdem notant post Nauarrum cap. 25. n. 127,

De qua re Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 17. de Reformat. ita loquitur & statuit, vt in 198
posterum vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrunque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Et licet à Ioanne de Gallemart referatur quædam declaratio Cardinalium; *Episcopum posse quidem conferre secundum beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem: Sed si duo non sufficerent, non posse conferre tertium absque dispensatione Apostolica*; tamen vi consuetudinis id licite fieri posse, recte tradit Azor tom. 2. lib. 6. cap. 11. quæstione 8. Nam *vbique* inquit, *consuetudo viget, vt si multa beneficia vitæ Clerici sufficientia non sunt, aliud conferatur etiam Episcopi authoritate.* De qua re plura tom. 4. de Ordine q. vlt.

Et quamuis alias ad Episcopatum (non titulare) electus, obtenta bonorum administratione, & confecratione. vel saltem elapso tempore consecrationi præfixo amittat ipso iure cætera omnia beneficia, iuxta cap. *Cum in cunctis*, de electione: tamen probabile est, si Episcopus sit pauper, posse ei beneficium simplex conferri, quo iuuetur. iuxta Nauarrum lib. 3. consilio 3. de concessione præbendæ, & Lessium lib. 2. cap. 34. dub. 27.

IV. Ex dispensatione Pontificis, licebit etiam 199
aliquando habere plura curata, etiam Episcopalia, non obstante Tridentino sess. 7. cap. 2. Sed nisi Pontifex ex iusta & rationabili causa, spectante bonum Ecclesiæ dispenset, accipiens non est securus in conscientia, vt ex communi docent Valentia, Toletus, Lopez citati, Sa V. beneficium; esto valida sit nihilominus collatio, vt notat Lessius dub. 28. Ratio est. Quia Papa non potest proprie dispensare in iure diuino; nec est Dominus beneficiorum; sed dispensator, iuxta rationabilem Fundatorum voluntatem,

Quâ de causa idem etiam dicendum de bene- 200
ficijs simplicibus præsertim incompatibilibus, vt generatim etiam docent Caietanus V. *beneficium*, Salon quæst. 63. controuersia 5. conuenienter S. Thomæ quodlibet. 6. a. 15. quicquid aliqui Canonistæ dixerint.

Neque valet impetratio beneficij posterioris à Papa, vel eius Legato, nisi omnia prius obtenta in petitione explicentur, ex cap. 6. de præbendis; secus si in casu concesso impetretur ab Ordinario, vt notat Sa V. *Beneficium*. Quia iste censetur scire; sed quoad curata non potest Episcopus dispensare.

An

An ex causa rationabili possit dispensare in simplicibus, præsertim incompatibilibus, dubium est. Negat Lessius, cum id repugnet communi ordinationi Concilij generalis Affirmat ex probabili Salon quæst. 62. art. 2. controuersia 6. post Sotum: quia in cap. *Dudum*, de curatis solum agitur, inquit, & in Tridentino nullo verbo hæc ei potestas adimitur; & sic habet praxis, quæ si contraria alicubi vigeat, seruanda erit.

201 His positis, quod ad resignationem beneficij, & restitutionem fructuum attinet, est

ASSERTIO I. Etsi quidem probabilius videatur, beneficij secundi collationem, etsi contra iura factam, per se loquendo (secluso nimirum alia fraude & inhabilitate) esse validam quoad titulum; nisi in aliquo casu particulari aliter iura disponant: nihilominus tamen is, qui beneficium cum cura animarum, vel dignitatem, vel personatum, vel officium obtinet, si secundum huius generis acceperit, (sine iusta dispensatione) obtenta pacifica possessione secundi, priuatus est, & resignare tenetur prius: quod si vtrumque præsumat retinere, perdit vtrumque, fitque incapax ad ordines, & aliud quodlibet beneficium, & ipso iure beneficia illa sunt dispensationi sedis Apostolicæ reseruata.

202 Primum tradit Lopez cap. 102. & 103. etsi quoad dispensatum sine causa rationabili aliter sentiat Angles. Ratio est. Quia canones nusquam exprimunt, beneficij eiusmodi collationem esse nullam; & iure naturæ bene potest ad tempus cum possessione prioris, stare alterius beneficij incompatibilis susceptio, modo prius sine mora resignetur.

203 Accedit, quod iura hoc ipsum significant, dum (vt in posteriori assertionis parte dictum) statuunt, collato secundo incompossibili, vacare prius. Idemque habet communis DD. sententia apud Nauarrum Manual. cap. 25. numero 115. & Lessium loc. cit. qui etiam addit, hæc beneficia vocari incompatibilia primi generis, siue per excellentiam, quia videlicet ipso iure vnum excludit alterum: cuius etiam generis sunt, præbendæ vniformes sub eodem tecto ex cap. *literam*, de concessione præbendæ, vt duo Canonicatus, & duæ Sacellariæ ad eandem functionem concurrentes in eadem Ecclesia. Secus est de alijs beneficijs: quæ ipso iure se mutuo non excludunt, licet simul retineri non possint, quod eorum inter se administratio pugnet.

204 Probatur verò hæc posterior assertionis pars ex cap. *de multa*, de præbendis, & cap. *Quia nonnulli*, de Cler. non resid. & cit. Extrauag. *Execrabilis*. Sa tamen V. *Beneficium*. numero 5. docet, eam priuationem tantum intelligi, per sententiam Iudicis; nec enim se debet, inquit, ipse Beneficiarius priuare; imo nec prius beneficium vacat secundum Innocentium; nisi beneficiatus à Iudice moneatur. Sed etsi id verum sit quoad secundum beneficium, vt notauit Lessius, conuenienter verbis Canonis; quoad prius tamen contrarium est verius, ex communi apud Nauarrum loc. cit. propter verba satis expressa Canonum.

Secus est, si præcise loquamur iuxta decretum Concilij Tridentini sess. 7. cap. 4. de quibuscunq; obtinentibus plura incompatibilia &c. vt de habentibus plures Parochiales, aut vnam Cathedralem, & vnam Parochialem; vbi tamen antiquo iuri, de quo dictum, nihil derogatur.

205 Dixi vero in assertione; Nisi in aliquo particulari casu, &c. Quia is, qui accepto secundo curato beneficio, vt supra, prius non resignat, intra sex menses fit inhabilis ad executionem ordinum, & obtinendum aliud quoduis beneficium, reseruata dispensatione ipsi Papæ, vt per dictam Extrauag. *Execrabilis* docet Lopez cap. 103.

206 ASSERTIO II. Quoad cæterà beneficia incompatibilia, etsi sit quidem valida collatio, siue acquisitio plurium, ex dictis; nihilominus tamen ad resignationem tenetur, qui plura obtinet: nisi dispensatio vna cum iusta causa interueniat. Ita communis Theologorum, & Canonistarum, apud Caietanum, Lopez, & Anglem locis citatis, & Lessium dub. 17. numero 144. & dub. 18. numero 151. post S. Thomam citatum numero 200. Quia tamen collatio secundi non est irrita, potest aliquis resignare ex pluribus, quod, & quæ ipse velit; modo plura incompatibilia sine rationabili causa & dispensatione non retineantur. Atque hæc ipsa vocantur incompatibilia secundi generis.

207 ASSERTIO III. Is vero qui ex causa rationabili & legitima, etiam absque dispensatione, plura obtinet beneficia simplicia & compatibilia, non tenetur ad resignationem, modo collatio libere facta fuerit ab habente auctoritatem. Ita post Sotum lib. 3. de iustitia q. 6. a. 3. & Nauarrum loc. cit. docet Salon loc. cit. Ratio est. Quia nullo iure oppositum constituitur. Sed aduertendum est, post Tridentinum, sess. 24. cap. 17. de Reform. causam legitimam sine dispensatione obtinendi plura eiusmodi beneficia, solum esse, cum vel vnum non sufficit ad honestam sustentationem ipsius Beneficiarij, pro ratione status, aut cum alterum datur ad commendam in tempus ex dictis. Vnde extra hos casus procurari debet dispensatio.

208 ASSERTIO IV. Illicitè obtinentes plura beneficia, tenentur etiam ad compensationem damnorum, si quæ secuta sunt Ecclesijs, & ad restitutionem fructuũ, prætermisso forsitan officio respondentium. Patet ex dictis in simili n. 192. Alias plurium beneficiorum titulum quamuis illicitè retinentem per se nullos fructus amittere tradit Lessius cap. 34. n. 132.

209 Atque ex his etiam colligitur, qua ratione Confessarius gerere se debeat cum obtinentibus plura Beneficia; si enim quis absque dispensatione plura beneficia etiam simplicia tantum in titulũ habeat, quorum singula ad decentem Beneficiarij statum sufficiant, talis non est absoluendus, nisi resignet, aut dispensationem impetret, vt ex communi recte docent Nauarrus cap. 26. n. 129. Lopez c. 122.

Quod si quis dicat, se à Pontifice dispensatum esse circa plura etiam curata, tunc poterit talis in bona fide relinqui & absolui, etiamsi iusta causa dispensationis non sit manifesta, quamdiu apertè non constat, dispensationem fuisse subreptitiam, aut alioquin nullam: modo interim beneficia saltem per idoneos vicarios, ac sine

notabili damno Ecclesiarum administrentur, & superflua à Beneficiario impendantur, non in luxum, & vsus superfluos, sed ad pias causas, prout sub mortali tenetur, vt dicemus. Atque ita etiam in specie notarunt Nauarrus, Caietanus, Angles, Lopez, Salocis citatis. Plura post S. Thomam cit. quodlib. 9. a. 15. Gabriel 4 dist. 15. q. 8. Maior dist. 34. q. 4. Adrianus, Lopez, & citati.

210 De pensionibus autem, quæ sunt iura percipiendi fructus ex alieno beneficio, videri potest Toletus lib. 5. cap. 82. & 83. Azor tom. 2. lib. 8. à cap. 5. vsque ad 13. inclusiuè, Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 37. & 38. qui ait vniuersum penè ius pensionum constare consuetudine. Et quamuis iure communi pensionem constituere, ex veriori, ad solum Pontificem spectet; ex aliquorum tamen sententia, supposita rationabili causa, conceditur hoc ius etiam Episcopis. De qua re consulenda est praxis. Plura de hac materia dicemus tom. 4. de Ordine. De restitutione autem facienda propter Simoniam, & omissas horas Canonicas, dicetur infra commodius de Simonia, & horis.

DVBIVM VIII.

Quid restituendum à Beneficiarijs propter beneficiorum bona male administrata, vel expensa, donatione, testamento &c. & an sint Domini omnium redituum Ecclesiasticorum.

Ad s. Thomas 2. 2. q. 62.

211 ASSERTIO I. Beneficiarius bona Ecclesiastica immobilia damnificans, aut destruens, vel male dissipans, tenetur ad restitutionem. Ita Nauarrus cap. 25. n. 124. ex communi. Probatur Quia satis constat, eiusmodi bonorum dominium non esse penes Beneficiarium, quicquid dixerit Sarmientus part. 4. de redditibus Ecclesiast. cap. 7. Sed aut penes ipsam cuiusque Ecclesiæ communitatem, siue cœtum Ecclesiasticorum, iuxta Caietanum q. 43. a. 8. Lessium cap. 4. dub. 7. aut potius penes solum Deum, & Christum Dominum, iuxta Maiorem 4. dist. 14. q. 16. Nauarrum q. 1. de redditibus Ecclesiast. monit. 40. & in cap. Non liceat §. 9. n. 8. Azorium tom. 2. lib. 6. cap. 1. q. 4. conformiter Institutionibus, de rerum diuisione §. *Vniuersitatis*, & l. ff. eodem, vt etiam docuimus supra q. 1. dub. 3. n. 49.

212 ASSERTIO II. Idem sentiendum est, de vasis, seu vtensilibus Ecclesiæ; quæ videlicet aut Ecclesiæ, aut domui, seu ipsi beneficio, bonisue immobilibus eiusdem annexa sunt; non quæ ipse Beneficiarius sibi ex proprio stipendio comparauit. Ita ex communi Syluester V. *Alienatio*, iuxta authenticam *præterea*, de sacrosanctis Ecclesijs, Valentia q. 3. punct. 7. alijque. Quia & hæc accensentur quasi immobilibus. Vnde neutra possunt, nisi certis de causis, certaque forma alienari. De quo Syluester loco cit. & Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 11. de Reform.

ASSERTIO III. Tametsi Clerici etiam in vsu bonorum patrimonialium, aut quasi patrimonialium; sicut & alij seculares in vsu rerum suarum, variè peccare possint, vt per prodigalitatem, immisericordiam, iuxta S. Thomam quæstione 85. art. 7. tamen quia eorum veri sunt domini, non tenentur ratione talis abusus ad vllam restitutionem. Ita ex communi Maior 4. distinct. 24. quæstione 17. Nauarrus cap. 17. Manual. numero 94. & quæstione 1. de redditibus Ecclesiast. monit. 29. & 32. Couarruuias in cap. *Cum in officijs* numero 2 Molina tract. 2. disput. 144. Suarez tom. 3. disput. 86. sect. 3. Lessius cap. 4. numero 39. etsi nonnulli antiquiores inferius citandi absolutè negent, Ecclesiasticos esse dominos bonorum & prouentuum Ecclesiasticorum. 213

Eiusmodi verò bona, præter ea, quæ Clerici 214
seculari titulo acquisiuerunt, sunt illa, quæ dantur particulatim propter certa ministeria etiam Ecclesiastica, v. g. pro missa celebranda, pro administrandis Sacramentis. Item, quæ ex sua conuenienti alioquin sustentatione sibi subtrahunt, vt ex communi Nauarrus, & alij citati. Et generatim omnia, quæ ad suam sustentationem necessaria, Clericus propriè accipit ratione officij, per modum debiti stipendij: dignus est enim operarius mercede sua, eiusque vtique dominium acquirit, vt rectè Valentia, & alij, & satis aperte tradit S. Thomas citatus, & colligitur ex causa 12. quæst. 2.

ASSERTIO IV. Etsi multo probabilius, imò speculatiue, & ex proprijs principijs rem diiudicando, vnicè verum videtur, beneficiarios non habere dominium prouentuum Ecclesiasticorum, qui ipsis tam ad statum, quam ad sustentationem, omnibus spectatis, superflui sunt; adeoque teneri ea ex iustitia pauperibus, alijsue pijs operibus applicare, & cum in vsus malos, vanos, aut superfluos eiusmodi bona expenderint, obligari ad restitutionem pauperibus, aut in alias pias causas faciendam: practicè tamen, & ex principijs saltem extrinsecis probabile est, eos hac obligatione non teneri. 215

Secunda pars assertionis satis patet ex eo, quod non pauci Doctores ita sentiunt, vt Adrianus in 4. quæstione 12. Gerson in moralibus tit. de auarit. Sotus lib. 1. quæstione 4. art. 3. Driedo lib. 2. de libertate Christiana cap. 4. Couarruuias in cap. Cum in officijs numero 3. Ioannes Arboreus in Theosophia part. 1. cap. 25. Aragonius quæstione 86. art. 2 Valentia disp. 10. quæstione 3. punct. 7. Azor tom. 2. lib. 7. cap. 8. quæstione 1. Henriquez lib. 10. cap. 33. Molina disput. 144. Lessius cap. 4. dub. 6. pluresque alij. Et fauet nonnihil Ius canonicum, cum ait, Clericos, si non resideant, aut officia non obeant, fructus suos non facere, eorum dominium non acquirere &c. vt videre est cap. vnic. de Clerico non residente, & in Tridentino sess. 22. cap. 3. de reformat. & sess. 23. cap. 1. Significant ergo Canones, si officium faciant, fieri Dominos &c. Sed hæc facile explicantur iuxta priorem assertionem, de fructibus officio respondentibus.

216 Prima pars assertionis probatur primo authoritate Doctorum, tam Canonistarum, quam Theologorum antiquorum fere omnium, præter recentiores non paucos. Etenim hanc sententiam esse communem Canonistarum, fatetur Valentia, & Nauarrus lib. de redditibus q. 1. n. 3. asserit, nullum antiquorum Canonistarum, etiam aduersario fatente, contrarium audire voluisse. Lessius quoque n. 42. fatetur, esse omnium penè Canonistarum. E quibus etiam in specie à Nauarro p. 2. monit. 7. n. 1. citantur Innocentius, Felinus, Ioannes Andreæ, Ancharanus, Archidiaconus, & alij.

217 Ex Theologis idem docent & à Nauarro in eandem sententiam citantur Alensis 3. p. q. 36. memb. 5. a. 2. Richardus 4. dist. 45. art. 3. q. 1 Paludanus 4. dist. 24. q. 3. a. 3. Antoninus 3. part. tit. 15. cap. 1. §. 19. & 2. part, tit. 2. cap. 2. §. vltimo, Gabriel 4. dist. 15. q. 8. Maior dist. 24. q. 17. Petrus Sotus Instit. sacerdotum part. 2. lect. 3. Michaël Medina lib. 7. de recta fide cap. 21. Quos omnes etiam citat Valentia, & citatos sequitur Nauarrus ibidem n. 8. & q. 2. monit. 7. n. 1 & apud eundem Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 28. Summa Angelica & Pisana, item Franciscus Turrianus in epist. ad Episcopum Laodicensem, quam recitat idem Nauarrus in fine tractat. de reddit. Eccles. quibus adde Gandauensem quodlib. 8. q. 15. citatum à Maiore ibid.

218 Vbi addit (& meo quidem iudicio minimè deceptus, vt putat Nauarrus quæst. 2. monit. 7. n. 1. & Lessius loc. cit.) *se Theologorum mortuorum neminem inuenisse, qui diceret categorice, prælatos Ecclesiæ non obligatos restituere prodige expensa.* Etenim Adrianus, qui contrarium sensit, fuit æqualis, aut iunior Maiore.

Gerson antiquior quidem est, sed non Categorice aut constanter id docuit, vt ipse Maior notat ex eius tract. de temperantia Prælatorum sub finem, vbi ait, *Quod si Ecclesiasticus prodige dispergat bona huiusmodi in alios vsus, aut quare retineat, ipse vltra scandalum, quod alijs dat, profecto peccat grauiter, & non minus sæpe, quam sacrilegus; sed quod ad restitutionem teneatur, non auderem definire.* Quo modo etiam loquitur de Ecclesiasticis non exhibentibus seruitium, propter quod datur beneficium: mox tamen subiungens: *Tene certum, & dimitte incertum.* Vbi proinde Maior vult Gersonem suam priorem sententiam retractasse: quod tamen multo verius dici potest de alio loco paulo superiore ibidem part. 2. *Quid sunt*, inquit, *viri Ecclesiastici, nisi quidam eelemosynarij Ecclesiasticorum bonorum, & ipsorum quidem non domini, sed dispensatores, in quibus hoc solum pro se & suis habent, quo contentari eos mandat Apostolus, alimenta scilicet, & quibus tegantur.* Ita Gerson.

Antoninum pro nostra sententia stare, fatetur etiam Valentia: nec immerito Sylvestrum reprehendit Nauarrus quæst. 2. monit. 7. num. 1. quod eum ipse pro contraria sententia citarit. Paludanus loc. cit. apertè est in hac sententia; etsi contrarium quoque iudicet probabile. Audi Antoninum 3. parte loc. cit. ita cum Paludano concludentem: *Cui* (sententiæ asserenti restitutionem inutilium expensarum, faciendam) *concordat ipse Petrus dicens, quod Prælati sunt domini sub certa lege, scilicet si bene vtantur, alias restituere teneantur, sicut in his quæ dantur ob certam causam in legatis relictis sub certo modo; quibus deficientibus, licet dominium translatum fuerit repetuntur.*

219 S. Thomam (cuius quidem ætate reditus Episcopatuum & Beneficiorum, in Italia, & Gallia non valde opulenti erant, vt notat Nauarrus q. 1. monit. 40. n. 5.) etsi Sotus, Couarruuias, Valentia, Molina, Lessius, & alij quidam contrariæ sententiæ authores pro se allegare soleant; multo tamen rectius eum nostræ sententiæ vendicant Antoninus, Petrus Sotus loc. cit. Caietanus, Sylvester infra, & Maior loc. cit. vbi dicit, *nullum formaliorem pro nostra sententia stare. Et est totus*, inquit, *pro conclusione, quam teneo; sed priorem solutionem dedi propter aliquos dyscolos, qui simplices fortassis fallere conarentur per verba S. Thomæ, & non eius mentem &c. Mediocriter intelligens videt, quod omnia dicta eius quadrant & tendunt ad conclusionem quam tenemus.* Item Nauarrus q. 2. monit. 7. num. 2. *Atque etiam D. Thomas*, inquit, *cuius authoritate nituntur contrarium affirmantes, si eius sententia & verba satis perpendantur, pro nostra parte est, vt præfatus Petrus Sotus indicat, allegando eum pro sua parte, & Ioannes Maior, vbi supra.* Et q. 1. monit. 40. & 38. n. 8. fere in simili ait; *indignissimum* esse, quod sanctissimo illi, & Canonum Ecclesiæ obseruantissimo S. Thomæ aliud tribuatur, & planè contrarium Tridentino. Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 86 a. 6. & q. 87. a. 3. ad 1 & quæst. 100. art. 1. & quæst. 185. a. 7. & quodlib. 6. a. 12. quem tamen postremum locum potissimum alij pro se citant.

220 Caietanus quoque cit. q. 185. a. 7. etsi nonnihil etiam obscurè loquatur, tamen quoad Episcopos habentes opulentos reditus, apertè nobiscum sentit: de alijs Clericis aliam rationem esse indicat, sine ratione quidem, si verba spectentur, vt etiam alij communiter notant, sed si mentem (supponendo quod, vt in Italia potissimum fieri solet, paruos habeant reditus) fortè non item; quem proinde etiam pro nostra sententia meritò adducunt Sotus lib. 10 de Iust. quæst 4. a. 3. Nauarrus quæst. 2. monit. 7. n. 1. Sed & Sylvester V. *Restitutio* 3. quæst. 5. §. Primum, ita loquitur: [Clericus administrat quatuor genera bonorum; quædam sua propria, hoc est, patrimonialia & industrialia; & quædam Ecclesiastica ad mensam suam seu vsum specialiter deputata ab alijs distincta; & de his duobus nunquam tenetur restituere, &c. Et quædam Ecclesiastica communia mensæ suæ, & alijs Clericis vel pauperibus, & huiusmodi; & de istis tenetur, si det turpibus personis, vel consumat voluptuose eo modo, quo vbi supra dictum est.] Eodemque sensu S. Thomam intelligit & citat: Sed & idem Sylvester V. Clericus 4. n. 4. q. 6. ait: *Quarto* (tenetur Clericus restituere) *si reditus conuertit in vsus inhonestos*, 12. q. 4. cap. 2. Quem proinde merito etiam pro hac sententia citat Nauarrus q. 2. Apolog. de redit. monit. 7.

221 Cæterum ex his ipsis authoribus quidam, præsertim antiquiores (vt ante etiam de Gersone vidimus) etiam absolutè docent, Ecclesiasticos non esse dominos reddituũ. Quidam etiam sententiã nostræ

contra-

contrariam graui censura notant loc.cit. Archidiaconus dicit, esse *Iurù hæresin*. Maior dicit esse *falsam & animarum deceptricem*. Petrus Sotus, esse *grauissimum errorem*, saltem contra bonos mores, & iustitiam; & quid ni contra scripturam? Medina contrariam opinionem vocat *sacrilegam*, *vt Ecclesiæ ac toti Clero magni thesauri inuiderentur*, *& vt in electione Episcoporum non gregi*, *sed Episcopis prouideatur*, *multique hæretici bona Ecclesiastica violenter inuaserint*.

Quod vero Antonius Marsilius Columnensis, siue Columna, Sarmienti contra Nauarrum propugnator in tract. de reditib. Ecclesiast. pro contraria sententia, quadraginta quinque authores allegat, id ipse etiam Azor loc. cit. *sine delectu* ab eo factũ fuisse testatur. Hactenus de autoritate Doctorũ.

222 Secundò probatur eadem assertio ex scriptura, quæ non obscurè huic sententiæ fauet; dum & ipsum Pontificem, & cæteros Episcopos *dispensatores & Oeconomos Dei*, super eius bona constitutos dicit Luc. 11. ad Tit. 1. dum vniuersim cauet, ne Apostoli, eorumque successores velut *reges gentium dominentur*, Luc. 22. dum asserit, dominum *ordinasse ijs*, *qui Euangelium annunciant*, *de Euangelio viuere*, non ditari 1. Corinth. 9. *cibum* velut mercedem accipere, non diuitias. Matth. 12. Luc. 12. Denique 1. Timoth. 6. Apostolus aperte reprehendit, *existimantes quæstum esse pietatem*, & addit: *Habentes autem alimenta*, *& quibus tegamur*, *his contenti simus*: quæ proinde forma omnibus Ecclesiæ ministris præscripta est.

Tertiò probatur assertio, tam ex Iure Canonico,
223 quam ciuili. In constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 24. dicitur: *Nos Episcopos oportet non magnas impensas facere*; *nec donis Dei tanquam alienis*, *sed tanquam proprijs Dei vti*, *vt bonos Oeconomos siue dispensatores decet*.

Canon. 39. Apostolorum ita habet: *Omnium negotiorum* (bonorum) *Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat*; *& ea velut Deo contemplante dispenset*; *nec ei liceat ex eis aliquid omnino contingere*, *aut parentibus propris*, *quæ Dei sunt*, *condonare*. *Quod si pauperes sunt*, *tanquam pauperibus subministret*, *nec eorum occasione Ecclesiæ negotia deprædentur*.

Vrbanus Papa epist. 1. *Res Ecclesiæ*, inquit, *fide-*
224 *lium oblationes appellantur*, *quia domino offeruntur*: *non ergo debent in alios vsus*, *quam in Ecclesiasticos*, *& prædictorum Christianorũ fratrum indigentiam conuerti*; *quia vota sunt fidelium*, *& pretia peccatorũ*, *atq; ad prædictũ opus explendum traditæ*. *Si quis autem*, *quod absit*, *secus egerit*, *videat*, *ne damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat*, *& reus sacrilegij efficiatur*, *sicut illi effecti sunt*, *quia pretia prædictarum rerum fraudati sunt*.

Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. de Re-
225 format. *Omnino interdicitur*, *ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresue suos* (Episcopi) *augere studeat*; *cum & Apostolorũ canones prohibeant*, *ne res Ecclesiasticas*, *quæ Dei sunt*, *consanguineis donent*. Et infrà: *Quæ vero de Episcopis dicta sunt*, *eadem non solum in quibuscunq; Ecclesiastica beneficia tam sæcularia*, *quam regularia obtinentibus*, *pro gradu suæ conditionis obseruari*, *sed etiam ad S. Ecclesiæ Romanæ Cardinales pertinere decernit*.

Ex Iure ciuili Iustinianus, in authentica, vt deter-
226 minatus sit numerus Clericorum, decretis Canonũ insistens, iuxta versionem Haliandri ita loquitur: *Quemadmodum autem ad ea pertinentes sumptus certa fine descripsimus*, *ita conuenit*, *vt sanctissimus pro tempore Patriarcha*, *& reuerendissimi Clerici circumspiciant*, *ne reliqui sumptus*, *qui ex Ecclesiasticis redditibus fiunt*, *aliter quam in pias*, *& Deo placitas causas insumantur*; *& vt in illos conferantur*, *qui & reuera egent*, *nec aliunde habent*, *vnde viuant*, (*hæc enim Dominum Deum conciliare solent*;) *non vero per patrocinia*, *& hominum studia in locupletes distribuant*, *ea quæ ad Ecclesiasticos sumptus suppetunt*, *vt exinde egentes vitæ necessarijs defraudentur*. *Nouerint enim Dei amantissimi Oeconomi*, *tam qui nunc*, *quam qui olim pro temporibus futuri sunt*, *quod si quid in his deliquerint*, *non tantum pœnis cœlestibus erunt obnoxij*, *sed etiam de substantia sua sacrosanctæ Ecclesiæ indemnitatem præstabunt*. Ita Iustinianus, cuius constitutionis meminit etiam Balsamon in Nomocan. tit. 10. cap. 1.

In quibus omnibus notandum, cum de scriptis agatur, non concionatorijs, sed didacticis & do- 227
ctrinalibus, frustra eis opponi dicta quædam impropria ex SS. Patribus, in quibus consimilia quædam, de quorumlibet diuitum bonis superfluis quandoque dicuntur &c. Præterquam quod SS. Patres quoad hoc inter Clericos & laicos satis apertè distinguunt.

Optimè Bernardus serm. in illud: *Ecce nos reliquimus omnia*, ante med. *Sed esto*, inquit, *studiosè quis & fructuosè laboret*: *dignus plane est operarius mercede sua*, *vt qui altario seruit*, *de altario viuat*. *Viuat inquam*, *de altario*, *vt iuxta eundem Apostolum alimenta*, *& quibus tegatur habens*, *his contentus sit*. *Tertium ei hoc periculum est*. *De altario*, inquit, *viuat*; *non superbiat*, *non luxurietur*, *denique non ditetur*, *nec contra sancti cuiusdam planè dignam omni acceptione sententiam*, *ex Clericatu ditior fiat*. *Non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet*, *mutans quadrata rotundis*; *nec loculos inde congreget*, *nec in vanitate aut superfluitate dispergat*; *non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos*, *aut neptes* (*ne filias dixerim*) *nuptui tradat*. *Res pauperum non pauperibus dare*, *par sacrilegij crimen esse cognoscitur*. *Sane patrimonia pauperum*, *facultates Ecclesiarum*: *& sacrilega eas crudelitate subripitur*, *quicquid sibi ministri & dispensatores*, *non vtique domini vel possessores*, *vltra victum accipiunt & vestitum &c.* Hæc & plura S. Bernardus; quibus dicit luculentius nihil potuisset, Plura apud Nauarrũ loc. cit.

Quartò probatur assertio ratione. Quia qui accipit 228
aliquid, cum onere dandi illud, vel aliquã eius partẽ alteri, si in alios vsus impendat, tenetur ad restitutionem, vt per l. 1. 2. & 3. C. de donationibus probat Nauarrus q. 12. monit. 7. n. 4. Et colligitur ex Clement. *Quia contingit*, de religiosis domibus: atqui bona eiusmodi superflua collata sunt in Ecclesiasticos, cum onere, & ad certam duntaxat causam; vt ea nempe in pauperes, aliosue pios vsus distribuantur; vt colligitur tum ex dictis Canonibus, tum ex ipsa voluntate Fundatorum, etiam sub anathematis eomminatione firmatis; quia volunt, *vt ex Ecclesiæ bonis & milites Christi alantur*, *& Ecclesiæ exornentur*, *pauperes recreentur*, *& captiui pro temporum opportunitate redimantur*, vt videre est in Capitularibus Francorum lib. 6. cap. 285. & 286. Similia habentur in Concilio Aquisgranensi cap. 116. Ergo &c.

Deinde

229 Deinde bona, quæ propriè solius Dei sunt, si in vsus alienos conuertantur, sunt obnoxia restitutioni: hæc bona propriè sunt solius Dei, vt ex citatis canonibus & quidem ex ipso etiam Concilio Tridentino loc. cit. colligitur. Ergo &c.

Denique hæc sententia non solum est tutior, & magis pia, vtpote defendens causam Christi & pauperum; sed etiam licet prima fronte durior videatur, reuera tamen magis fauet non solum Ecclesiæ, sed etiam Ecclesiasticis ipsis, vt rectè notat Medina & Nauarrus locis citatis: sic enim magis illiciuntur fideles ad sua bona in Ecclesiam conferenda; atque ad Ecclesias & Ecclesiastica beneficia erigenda, dotanda: sic propensius decimæ, & alia debita iura Clericis præstantur; sic minus eadem iura & bona, olim in Ecclesiam collata, violantur & arroduntur: sic denique bona ipsorum Beneficiariorum firmius defenduntur, & ab inutilibus, ipsisque Clericis non parum oneros is sumptibus certius vindicantur.

230 Et certè in illa controuersia Anni 607. Paulus Venetus, hoc ipso argumento, inter cætera, communem Ecclesiæ, ac Ecclesiasticorum causam non parum odiosam reddere conatus est, quod diceret; *nunc tandem extitisse quosdam, exortamque opinionem esse, ab omnibus bonis Theologis, Canonumque consultis improbatam; Clericos esse Dominos fructuum; quamuis Canonibus & Patribus constanter clamantibus, bona Ecclesiastica esse pauperum*, vt retuli lib. 1. Eccl. libertatis cap. 18.

231 Neque hæc sententia adeo est à praxi aliena, vt indicant nonnulli contrariæ sententiæ authores. Certè nos ipsi Deo gratias agimus, quod ex omni Clericorum ordine hodie, etiam non raro tales videamus, qui secundum hanc sententiam, Deo se rationem reddituros, plane sibi persuasum habere videantur; exemplo eorum, qui ante annos non multos ex hac ipsa ferè vicinia nostra, non absque singulari probæ & fidelis œconomiæ laude, ex hac vita decesserunt, vti Ioannis Conradi Episcopi Eistadiensis & Ingolstadiensis Academiæ Cancellarij, &c. Iacobi Christophori Episcopi Basileensis &c. Georgij Lauterij Præpositi Monacensis, & Alberti Hungeri huius Academiæ Procancellarij &c. (vt de viuis taceam,) quorum nonnullis, post mortem, ipse etiam coram Academico consessu Ingolstadij, oratione encomiastica eò libentius parentaui.

232 Quod autem bona Ecclesiæ, semel vtcunq; prodigè expensa non restituantur, nec ab ijs, qui expenderunt, nec ab alijs, qui acceperunt; quid mirum? quando & per apertam rapinam possessa vix vnquam redeunt: præterquam quod sæpe facultas restituendi abest; nec satis bonorum superfluorum ab alijs distinctio liquida est; & obligatio quoque ipsa restituendi opposito contrariæ sententiæ in praxi magna ex parte eneruatur, vt in simili sæpius dixi.

233 Assertio V. Quicquid sit de obligatione restitutionis, illud tamen omnino certum est, Clericos mortaliter peccare (ex suo genere) si superflua ad vitam & statum in vsus vanos, seculares, & inutiles, non in pauperes, aliàsue pias causas erogent: ac proinde siue in foro externo testari possint, siue non possint; certè tamen in conscientia, ex eiusmodi bonis, non nisi ad pias causas testari posse; ac proinde debere non solum impia, sed etiam (saltem communi iure) profana, & ad alias, quàm pias causas instituta legata, ante mortem, in conscientia, sub peccato mortali reuocare; adeo vt nisi forte ignorantia & bona fides excuset, non possit alioqui beneficiarius verè pœnitens & contritus mori, imò nec omnino per Confessarium absolui; quia seruat affectum vigentem ad peccatum mortale, prodigæ scilicet effusionis bonorum Ecclesiasticorum, quam dum non reuocat, probat.

Ita non solum docet Nauarrus quæst. 1. Monit. 31. & 38. (in hac re negans, aliquem antiquorum Canonistarum contrarium sensisse;) item in propugnaculo Apologiæ num. 2. ac insuper à fortiori omnes, tam Theologi, quam Canonistæ, pro prima parte præcedentis assertionis à nobis relati; sed etiam contrariæ sententiæ authores, quicquid Nauarrus quæst. 1. Manual. 38. num. 1 & 3. in contrarium referat suum aduersarium Sarmientum & Sotum, quasi senserint, Clericum superflua sibi, non maiori obligatione teneri in pauperes, aliosue pios vsus expendere, quam Laicum sua bona itidem superflua: quod tamen Sarmientum ipse postea negauit sentire, vt videre est apud Nauarrum in propugnat. Apolog. n. 3. de Soto verò infrà dicetur. 234

Etenim quia res hæc magni momenti est, operæ precium est, singulos authores ad præcedentem assertionem in contrarium relatos breuiter percurrere. S. Thomas quæst. 85. art. 7. ait: *Sicubi bona pauperum & ministrorum sunt indistincta*, (vti quidem esse, cum sunt amplissimi reditus, rectè præsumunt Caietanus, Ledesma, Petrus Sotus part. 4. Valentia, Lessius, infrà) *eorum distributio fidei ipsius committitur; & si quidem in modico deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absq; bonæ fidei detrimento; quia non potest homo in talibus particulariter accipere illud, quod fieri oportet: si verò sit multus excessus, non potest latere. Vnde videtur bonæ fidei repugnare; & ideò non est absq; peccato mortali*, &c. qui in hunc sensum etiam benè adducit illud Matth. 24. v. 48. *Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis; illic erit fletus & stridor dentium.* Similia habet idem S. Thomas quodlib. 6. a. 12. 235

Adrianus loc. cit. concluf. 3. ait; *non licere Sacerdoti, aut alij præbendato de bonis Ecclesiæ vltra victum sobrium & decentem sibi vsurpare, vel ex eisdem agnatos diuites facere.* Et paulò infrà §. *Ex quibus infero*, ait, *Ecclesiasticus de bonis Ecclesiæ prodigè & inutiliter exponens, sententia Sanctorum, rapinam committit & sacrilegium; sed restituere non tenetur.* 236

Idem habet Gerson non solum in loco pro nobis citato, sed etiam in contrario de auaritiâ; *Si certa*, inquit, *bona beneficiatus habet instituta pro pauperibus, & illa consumit ad alios vsus, ipse ad restitutionem obligatur; secus si solum sit commissum fidei suæ; vbi etsi peccet grauiter & sacrilegè abutendo bonis illis luxuriose; tamen restituere non tenetur.*

Sylue-

Sylvester V. *Clericus* q. 20. apertè approbat dictũ Canonistarum; *esse peccatum mortale, dare bona Ecclesiastica consanguineis, vltra statum suum, & non vt pauperibus, si magnus sit excessus.*

Sotus lib. 10. q. 4. a. 2. etsi de cætero nonnihil laxior, approbat tamen supradictam doctrinam S. Thomæ. Et a. 4. conclus. 2. ait; *Episcopos omnium arctissimè* (adeoque arctius, quam Laicos) *teneri præcepto eleemosynæ, ad superflua in pauperes, aliosq; vsus pios eroganda.* Et subdit; *eos debere frugalius viuere, multoq; cum minori pompa, quam diuites huius mundi; neq; conuiuiorum splendorem & lautitiam illis esse licitam, neq; alium domesticum apparatum. Nam, vt Hieronymus ait, de illis viuere fas est, non luxuriari.* Addit; *eosdem non alios habere debere filios, quam pauperes; neq; consanguineis aliter prouidere, quam pauperibus; vt Episcopus, qui pingui Ecclesiæ præfectus est, consanguineos ante indigos quadam victus mediocritate sustentet, non pro sua tantum vita, sed pro suis successoribus in perpetuum.* Et eodem art. 4. requirit, vt qui Episcopus (in Italia v. g.) duo triaue millia ducatorum, & eo amplius habet, vel quintam, vel sextam partem distribuat in pauperes ex præcepto misericordiæ.

238 Driedo, & Couarruuias locis citatis approbant Adriani, & aliorum sententiam, peccare mortaliter; etsi restituere non teneantur.

Valentia loc. cit. itidem tanquam certum tradit, Ecclesiasticos strictissimo præcepto misericordiæ esse obligatos, præ alijs, ad eleemosynas faciendas pauperibus de superfluis; atque adeo grauissimè peccare, si donatione, vel testamento, vel aliter in alios vsus non pertinentes ad decentiam status id superfluum conferant, siue eius sint domini, siue non.

239 Molina cit. disp. 144. expresè cum alijs asserit, *lethaliter* nihilominus *peccare contra charitatem, si quod vltra suam congruam sustentationem in profanos vsus insumunt, notabile quidpiam fuerit.* Ibidem etiam ait: [Quando reditus Episcopatus notabiliter superant competẽtem Episcopis pro Episcopatus ratione, sustentationem, vt frequentissimè in Hispanijs (adde, & in Germania) superant, neque in Episcopatu aut alibi comperiuntur hospitalia, collegia, aut alia pia opera perpetua, de bonis immobilib⁹ ab Episcopali mensa præcisis erecta, multum verisimile est, quartam illam cum Episcopi reditibus esse permixtam: tenerique proinde Episcopum de iustitia insumere in pauperum eleemosynis, alijsq; operibus pijs partem suorum redituum prudentis arbitrio maiorem.] In quam sententiam etiam superius citat Caietanum, Driedonem, Ledesmium, ac Petrum Sotum. Quo spectat etiam animaduersio Valentiæ tom. 3. disp. 10. quæst. 3. pun. 7. cum ait: [Ex hac varietate (portiones redituum diuidendi) factum est, vt iam vix in aliqua Ecclesia reperiatur illa quarta pars pauperibus deputata; sed videntur omnia bona in tres alias partes duntaxat distributa: pars autem pauperum non est ab alijs sequestrata, &c.] & infra in specie negat, hospitalibus seu præstimonialibus beneficijs erigendis fuisse destinatam. Idem Molin. etiam disput. 147. non patitur, testamenta Clericorum extendi, nisi ad pios vsus, vt magis patebit assertione sequenti.

Azor cit. quæst. 4. non solum idem docet, sed etiam Soti opinionem, quod non satis distinxisse videatur inter Clericum & Laicum, vocat *liberiorem & laxiorem*; additque, beneficiarios *non solum communi lege charitatis; sed etiam ex peculiari præcepto Ecclesiæ, teneri ad superflua in pauperes, aut Ecclesias eroganda*; adeoque in multis casibus peccare mortaliter superflua retinendo, &c. cum Laici ita non peccarent; *Vt si*, inquit, *beneficiarius, quod ex fructibus sibi redundat, insumat in venationibus, canibus, vel equis nutriendis; in ludis, parasitis, scurris, & alijs vitiosis hominibus sustentandis; in pompa, fastu, luxu, epulis & conuiuijs, voluptatibus & delicijs, alijsque huiusmodi rebus inanibus: item si suorum, alioquin non indigentium, fortunas amplificet; si primigenia constituat; si amicis & notis nihil indigentibus donet, vt eorum rem familiarem augeat, & ad altiorem vitæ conditionem prouehat; ac in honorum & dignitatum gradibus collocet.*

Idem etiam Azor infrà S. Thomam, quæst. 185. 240
asserentem, Beneficiarium esse dominum portionis sibi ob laborem operum & ministerium debitæ, aut deputatæ, interpreteatur *de portione, quæ est ad vitæ vsus necessaria*, vtpote quæ sola Clericis iure naturali & diuino debetur: *& de hac*, inquit S. Thomas, *potest statuere beneficiarius idem quod de patrimonio: alios verò fructus, qui excedunt portionem Clericis ad vsus vitæ debitam, ex peculiari Ecclesiæ præcepto, in pauperes, aliosque pios vsus erogare tenetur.* Ita Azor. Quæ tamen, vt 241
verum fatear, non satis video, quomodo cohæreant cum ijs, quæ idem author in eadem, & præcedenti quæstione, de dominio Clericorum contra Nauarrum disseruerat.

Idem denique addit, nil interesse, siue bona Ecclesiæ sint diuisa, siue non; quin etiam Canones & iura loqui de omnibus bonis, quæ Clerici ex Ecclesijs & Beneficijs acquirunt, siue ante, siue post beneficiorum diuisionem factam. *Et ita eos Canones*, inquit, *intellexisse videntur, etiam predicta beneficiorum facta diuisione S. Bernardus, Gratianus, Prosper, Synodus Tridentina, Glossa, & omnes Iuris Canonici Doctores, & supra citati Theologi; quibus puto magis in hac parte fidem habendam, quam Soto, & quibusdam alijs Theologis iunioribus.* Ita Azor.

Imo Gregorius de Valentia loc. cit. asserit, vix 242
in vlla Ecclesia reperiri vllam quartam partem, antiquo iure pauperibus deputatam, sed videri omnia bona in tres alias partes, fabricæ nimirum, ministrorum, & Episcopi distributam; partem autem pauperum non esse ab alijs sequestratam, vt etiam Lessius num. 45. asserit, qui demum num. 43. & 47. apertè docet, mortaliter peccare Beneficiarios, si expendant illam portionem redundantem in vsus profanos, vel ad ditandos amicos; nec posse testari licitè nisi ad pias causas, vt infra magis patebit.

Nec his repugnãt Henriquez & Arboreus: adeo, vt nec vnum authorem sciam, qui loquendo saltem de cõmuni iure, huic assertioni aduersetur. Nec omnino puto (quo dNauarr⁹ velut indignissimũ refert)

à quoquam contrarium S. Thomæ tribui; licet reuera is, in citatis locis, non magis contra præcedentem, quam hanc assertionem adduci possit, vt consideranti apparebit.

243 Probatur autem assertio, tum ex dictis pro præcedenti assertione, quæ inprimis hanc etiã comprobant à fortiori; tum ex alijs etiam scripturis ac sacris canonibus, in quibus speciatim Episcopis benignitas & hospitalitas in egentes magnopere commendatur, 1. ad Tim. 3. & 5. & ad Tit. 1. Optimum est decretum Concilij Tridentini loc. cit. quod vel solum ad hoc propositum sufficere potest.

244 ASSERTIO VI. Non solum reipsa ac de facto nusquam, aut communi iure, aut priuilegio, siue consuetudine introductum est, vt Beneficiarij, siue Episcopi, siue Episcopis inferiores, seu suis, inter viuos donationibus, seu testamentis erigendis, ab obligatione in præcedente assertione explicata, in conscientia liberi sint; sed nec fieri omnino potest, vt ab ea liberentur; nisi forte in casu particulari, ex causa rationabili, per specialem summi Pontificis dispensationem. Hæc assertio quoad singulas partes ita declaratur.

Primo enim reipsa ac de facto nulla consuetudine, aut priuilegio obstante, donatione inter viuos, Beneficiarios quoscunque sine peccato mortali (ex suo genere) de fructibus superfluis beneficiorum disponere non posse, nisi ad pios vsus, est communis omnium sententia, quos præcedenti assertione retulimus, vtpote qui hac de re absolute, sine exceptione, ipsisque rebus, prout de facto se habent, spectatis, loquuntur, vt ibidem vidimus. Ratio patebit ex dicendis.

245 Secundo quod ad testamenta attinet, etsi quidem Clericis Beneficiarijs quibuslibet, communi iure, testari liceat de bonis secularibus, ex cap. *Quia nos*, de testamentis; vel iuxta Nauarrum q. 1. monit. 22. & q. 3. monit. 1. Molinam tom. 1. disp. 147. & Lessium cit. cap. 19. dub. 4. n. 41. de ijs etiam, quæ sustentationi subtraxerunt, aut suo labore ac ministerijs sunt promeriti, iuxta assertionem 3. & ex consuetudine (sicubi est) ipso communi iure approbata, etiam de fructibus beneficiorum, ad pias causas, & ad remunerationem seruitiorum sibi impensorum, ex cap. *Relatum* 2. de Testament. iuxta Couarruuiam in cap. *Cum in officijs*, de testament. num. 9. Valentiam loc. cit. & Molinam cit. disp. 147.

246 Nihilominus tamen inter omnes constat, de facto quidem Episcopos (nulla consuetudine, vel priuilegio obstante) de superfluis prouentibus testari nullo modo posse, nisi ad pios vsus; imo nec omnino testari posse de suis prouentibus, nisi ex speciali facultate Summi Pontificis, vt docent Couarruuias, Molina, Azor infra; etsi Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 4. numero 42. dicat, Episcopos in multis locis testari, non ignorante Pontifice; quod tamen ipse concedit solum fieri posse ad pias causas, vt dicemus.

247 Tertio quod ad aliorum Clericorum testamenta spectat præter ea, quæ diximus, constat itidem inter omnes, secluso speciali priuilegio, & consuetudine legitime præscripta (de qua quidem hic in Germania nihil constat) Clericos nullo modo, etiam testamento, disponere posse de superfluis prouentibus, nisi ad pias causas; multo vero minus propinquos ab intestato, quoad eiusmodi bona, ijs licite & absque peccato mortali succedere, vt patet ex cit. cap. *Quia nos*, & cap. *Relatum* 2. de testament.

Et confirmatur; quia Episcopi propterea libere testari ad profanos vsus non possunt, quia præsumuntur habere reditus amplos ac suæ sustentationi superfluos: sed multi Parochi vel etiam Canonici in Germania non minus amplos reditus habent, quam nonnulli Episcopi Italiæ, puta in singulos annos duo vel tria aureorum millia; & quibus proinde etiam multo plus residui manet, si habita personarum conditione, portio conuenienti sustentationi respondens subtrahatur. Quæ igitur obsecro ratio patitur, vt Episcopis ea facultas adempta censeatur, Parochis autem cæterisque Clericis Episcopo inferioribus vniuersim ea facultas concessa existimetur?

Sed & quod in assertione dictum, nusquam consuetudine obtentum, vt Beneficiarij in conscientia licite, & absque mortali peccato, de superfluis eiusmodi testari possint ad vsus profanos, seu non pios; multo minus vt propinqui in his ab intestato licite succedant, vt præter Nauarrum quæstione 1. monit. 48. & 50. quæstione 3. monit. 3. 4. 5. & alios pro sequenti parte assertionis citandos, expresse etiam tradunt Molina cit. disputatione 147. conclus. 11. & Lessius cit. dub. 4. numero 44. quantumuis Couarruuias, Azor, & Valentia putent in Hispania & Gallia, Clericos Episcopis inferiores, vi præscriptæ consuetudinis, licite etiam in conscientia testari posse ad vsus profanos, ac non pios (v. g. ad ditandos amicos &c.) modo non vanos & inutiles: quin & propinquos eis ab intestato licite succedere; quod certe non probatur, vt mox patebit. 248

Quarto enim, nec posse quidem consuetudine, aut priuilegio, saltem communi, vllo modo induci, vt licitum sit beneficiarijs vllis, superflua ad profanos vsus testamento, seu quauis dispositione applicare, tradit inprimis Petrus Sotus citat. part. 2. lib. 3. vbi ait: *Constat ex decursu totius Ecclesiæ ab Apostolis, & ipso iure diuino, bona omnium Ecclesiarum, cum CHRISTI sint, merito etiam pauperum esse; nec vlla ratione, aut potestate humana fieri posse, vt licite in alios vsus, quam Ecclesiasticos & pauperum expendi possint.* Et infra: *Contrarium credimus errorem esse grauissimum &c.* Idem non solum tradit Nauarrus quæstione 1. monit. 84. & 50. & quæstione 3. monit. 3. 4. 5. item Maior, Aluarus Pelagius, Syluester, Angelus, Archidiaconus, Franciscus apud Couarruuiam, & Azor infra, alijque authores communiter pro prima parte quartæ assertionis citati, sed etiam Molina cit. disputatio. 147. conclus. 13. 249

Ratio huius doctrinæ est. Quia supposita & semel acceptata pia voluntate Testatorũ, non solum humano, sed etiam diuino & naturali iuri repugnat

repugnat, vt Ecclesiastici eiusmodi prouentus ad alios quam pios vsus applicentur; sicut eidem iuri repugnat, vt etiam alia iusta legata, vel testamenta, præsertim pia, interuertantur: contra ius autem, seu legem naturalem & diuinam, nulla est præscriptio, nec alia legis humanæ dispositio, vt suo loco dictum tom. 2. disp. 5. q. 2. du. 3. & 4. Accedit, quod alioquin pariter etiam fieri posset, vt beneficia omnia ab Ecclesia alienata, in seculares vsus conuerterentur; & sic omnes piæ fundationes prorsus euerterentur: quod nemo dixerit.

Vnde optime etiam Nauarrus q. 3. monit. 6. Molina cit. disp. 147. concluſ. 14. & Lessius n. 15. notant, facultatem testandi, etiam à summo Pontifice concessam Clericis, solum intelligendam, ad pios vsus; nisi forte in aliquo casu contrarium diserte exprimat, de quo infra.

251 Quinta vero & vltima pars non solum asseritur à Couarruuia & Azorio, sed etiam Molina locis citatis; quia summus Pontifex est œconomus & dispensator bonorum Ecclesiæ, iuxta beneplacitum Dei: potest ergo ex causa rationabili, secundum prudentis viri arbitrium, bonum Ecclesiæ concernente, in casu particulari, aliquam eorum partem à primario suo vsu, ad alium per se licitum & honestum transferre. Alias vero talis concessio nec licita erit, nec vllius valoris, vt expresse etiam tradit Molina. Quia *Summus Pontifex*, inquit, *non est dominus horum bonorum, sed dispensator; neq; illi concessa est facultas ad ea dissipanda, sed solum ad vtiliter & rationabiliter ea moderanda atq; expendenda.*

Quod si neque Pontificis quidem indulto, vniuersim ac indeterminate obtineri potest facultas dispensandi de eiusmodi bonis superfluis ad vsus profanos, multo minus id consuetudine, aut alia induci poterit ratione, vt antea dictum ex communi.

252 Sed contra tertiam, & quartam partem obijcitur à Couarruuia, Azorio, & Valentia locis citatis consuetudo in Hispania & Gallia palam recepta, qua Clerici Episcopis inferiores libere testantur de suis prouentibus, etiam in vsus profanos; quaque etiam eorum propinqui ipsis ab intestato succedunt.

Fatemur nos quidem, quod etiam Nauarrus cit. q. 3. Molina & Lessius locis citatis tradunt, in Hispania, Lusitania, Gallia, & forte etiam alijs quibusdam locis, apud Clericos Episcopis inferiores vigere consuetudinē libere testandi (quam etiam licitam esse posse, tradunt apud Paludanum Ostiensis, & alij apud citatos) eamque approbatam non solum forensi vsu, & ipsius Regni legibus (quæ in hac re fere nullam authoritatem habent) sed etiam tacito, vt apparet, Summi Pontificis consensu.

Verum hinc minime colligitur, ipsos beneficiarios de superfluis prouentibus in foro quoque
353 conscientiæ, vi talis consuetudinis, ad vsus etiam profanos testari, aut ipsos consanguineos ab intestato eis succedere vniuersim posse; tum quia id diuino iuri repugnat, vt dictum; tum quia alias valide inde colligi posset, etiam testamenta ad quoslibet vsus inutiles & vanos, non esse mortaliter illicita; cum vniuersim forum externum talibus testamentis assistat: tum quia omnes fatentur, donatione inter viuos, de superfluis disponere non posse, nisi ad pios vsus, vt dictum; cum tamen dispositio per testamentū, in Clericis, multo magis sit odiosa, secundum canones, ex dictis. Tum quia optime potuit, in foro externo, libera illa potestas testandi cum onere illo conscientiæ relinqui; non solum quia idem aliquo modo in Laicorum testamentis accidit; sed etiam quia in Clericis Episcopo inferioribus ijs locis recte præsumi potuit, id; quod à toto genere, ac vt plurimum accidere solet, saltem in Gallia & Hispania, vbi fere tenuiores sunt redditus, nec tam frequēs beneficiorum pluralitas, eos vix habere bona, præterquam patrimonialia, vel quasi patrimonialia, seu quæ suo labore, aut non debita parsimonia acquisiuerunt, de quibus eos liberam testandi habere facultatem, etiam in conscientia, superius diximus; alioquin nulla esset causa, cur hæc facultas Clericis potius, quam Episcopis concederetur, vt dictum n. 248.

Quæres I. Quonam modo sint intelligenda necessaria ad vitam & statum? Respondetur, ea 254
habere magnam latitudinem, vt etiam supra de eleemosyna dictum, disp. 2. q. 5. du. 2. & vero in ijs etiam comprehendi moderatas, & pro ratione status conuenientes donationes, obsequiorum & beneficiorum remunerationes, aliaque liberalitatis, gratitudinis, & beneuolentiæ moderata officia. Nec vero ea præcise desumenda sunt, ex ipsius Clerici beneficio & titulo, sed etiam ex dignitate, si quam forte aliunde habet Beneficiarius, sui tamen muneris interim non negligens, vt notat Nauarrus q. 1. monit. 21. 36. & 37.

Qui etiam monit. 27. n. 4. concedit, ipsamet Beneficiarij alicuius promotionem ad sublimem in Ecclesia dignitatem, facere quandoque posse, vt consanguinei, qui alioquin necessarijs non egerent, iam ratione sui cognati, ne alioquin eo penitus indigni, aut alieni, & præ illo contempti quodammodo videantur, necessarijs ad statum indigeant. Quibus proinde iam titulo paupertatis, merito aliquo modo subueniri à Beneficiario possit: quod tamen non omnibus æque probatur.

Quæres II. An in bonis quasi patrimonialibus Clerici, computentur etiam distributiones 255
quotidianæ? Affirmat cum Couarruuia in citat. cap. *Cum in officijs*, de testamentis n. 4. Valentia loc. cit. Negat Nauarrus cap. 17. Manual. n. 94. & q. 1. de reditibus Ecclesiæ monit. 30. quod per se loquendo verius videtur, cum distributiones sint aliquota pars totius corporis, & quidem in varijs Ecclesijs admodum diuersæ. Quæ proinde aliquando possunt esse maiores, quam vt adæquate sint stipendia præsentis officij, aliquando etiam forte minores.

DVBIVM

DVBIVM IX.

De restitutione bonorum fortuna; ac primum quidem eorum, quæ furto sunt ablata.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 62.

256 QVæritur I. Quomodo generatim restituendæ sint res furto ablatæ? ASSERTIO I. Sicut notabilem quantitatem furatus, tenetur sub peccato mortali ad restitutionem: ita qui furando propter paruitatem materiæ tantum venialiter peccauit, non tenetur ad restitutionem, nisi sub veniali. Ita omnes. Ratio est. Quia cæteris paribus, nō est maius peccatum retinere, quā auferre alienū; nec per se loquendo, minus peccatum, retinere rem alienam, quam auferre. Quæ sit autem notabilis quantitas, dicetur de furto quæstion. 8. dub. 4.

257 ASSERTIO II. Auferens quantitatem notabilem, restituere sub peccato mortali tenetur solū excessum illum, quo ex non notabili quantitate fit notabilis; vt si tres bazij sint notabilis quantitas, non vnus; sufficiet ad peccatum mortale vitandum, restituere duos; quamuis etiam tertius, sub peccato saltem veniali, vtique etiam sit restituendus. Ita ex communi docent Petrus Nauarrus lib. 3. de Restitut. cap. 1. num. 53. Aragonius a. 6. & sequentibus. Ratio sumitur ex dictis; quicquid in contrarium dixerit Ioan. Medina, Codice de restitutione q. 10.

258 ASSERTIO III. Res inique ablata non solum restituenda est, si etiamnum integra extet, quamuis forte apud dominum peritura fuisset; sed etiam si quocunque modo perierit aut vitiata sit apud malæ fidei possessorem, integre restituenda seu compensanda est. Ita ex communi Ioannes Medina quæst. 3. de restitutione, Petrus Nauarrus lib. 4. cap. 1. num. 12. Ratio est. Quia talis tenetur non solum ratione rei acceptæ, sed etiam ratione iniustæ acceptionis; vt is, qui segetes vel domum alienam combussit. An vero semper res eadem numero restituenda sit, dicetur de circumstantijs restitutionis.

Excipiuntur tamen duo casus. Primus sit si fur purgauit moram, rem opportune domino offerendo; tunc enim si absque noua eius culpa perit, domino perit, vt recte post Paludanum, Medina, Petrus Nauarrus locis citatis, & Sa V. *Furtum*. Secundus, si res similiter apud dominum, sine eius voluntate & incuria, prius peritura, aut vitianda fuisset, quam eam alienaturus, aut consumpturus erat, vt docent Sylvester V. *Furtum* quæst. 16. Couarruuias in regulam Peccatum part. 2. num. 1. Carbo de restitut. quæst. 28. Medina & Petrus Nauarrus locis citatis post Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 16. contra Paludanum. Ratio est. Quia tunc re uera nullum dominus patitur damnum ex furto.

Addit vero Petrus Nauarrus, si res apud furem (dum est in mora restituendi) quomodocunque pereat, post illud tempus, quo apud dominum fuisset peritura, tunc teneri furem ad restitutionem. Quia iniusta acceptio, & detentio, æquiualent: Si autem post illud tempus, res quocunque casu extans domino fuisset ablata, restituenda vtique esset; ergo etiam inique post illud tempus detenta restituenda erit. 259

In contrarium tamen est, quod etiam hoc casu, domino nullum damnum datur per furtum; nec posterior illa retentio ita nociua est domino, sicut noua post superatum periculi tempus, acceptio nociua fuisset. Respondeo, dari damnum, si vti fieri oportebat, res fuisset restituta. Et domino, non furi commodare debet, quod res priori periculo fuerit subtracta.

ASSERTIO IV. Restituenda est res ablata, si extet, secundum statum, quem habet, 260
etiamsi apud furem meliorata sit; subductis tamen in foro conscientiæ expensis, quas fecit cum domini vtilitate. Ita docent Sylvester V. *Expensæ* quæst. 4. Medina quæst. 6. Couarruuias num. 2. Carbo quæst. 27. de Restit. post Gabrielem, & colligitur ex cap. *Ad nostram*, de iureiurando; quamuis Sylvester V. *Furtum* quæst. 16. probabiliter dicat, nihil furi compensandum, si res ita meliorata, legitime venerit ad manus domini. Certe quidem in foro externo, fur iuste damnari poterit ad iacturam expēsi: in foro quoque conscientiæ tenetur dominum prorsus indemnem præstare.

ASSERTIO V. Si res amplius non extet, 261
aut vitiata sit, vel pretium eius imminutum, restituenda, siue compensanda est secundum optimum statum, in quo dominus illam consumpturus, aut alienaturus fuisset. Ita Sylvester V. *Furtum* quæst. 16. Couarruuias & Medina locis citatis, V. *Furtum*. Ratio est. Cum enim fur in proposito non teneatur ad restitutionem, nisi ratione iniustæ acceptionis; satis est tantum domino prodesse restituendo, quantum ei accipiendo incommodi datum est; etsi Nauarrus cap. 17. num. 26. Sylvester V. *Restitutio* 7. quæst. 7. post Gabrielem, doceant, rem eiusmodi destructam à fure restituendam, quanto maioris valuit à tempore, quo male accepit, & in mora fuit; quod non probatur.

ASSERTIO VI. Tenetur etiam fur, & alius 262
quicunque malæ fidei possessor, domino compensare, tam damna ex furto emergentia, quam lucra cessantia, iuxta prudentis viri arbitrium. Ita ex communi post Paludanum, Nauarrus man. cap. 17. num. 25. Petrus Nauarrus de Rest. lib. 4. cap. 1. Ratio patet; quia fur omnium horum damnorum per iniuriam causa est.

ASSERTIO VII. Quin etiam omnes fru- 263
ctus, tam mixti (subductis expensis, quas dominus erat facturus in re ipsa colenda;) quam naturales, quos fur ex re ablata percepit, restituendi sunt; ij videlicet, qui aut solum, aut potissimum ex ipsa re fructuosa proueniunt, non ex industria potissimum humana. Ita post Scotum, Antoninum, Paludanum, Gabrielem, Sylvester

V. *Restitutio* quæst. 7. & Medina quæst. 6. Salon. quæst. 66. art. 6. concluſ. 3. Nauarrus, Petrus Nauarrus, Carbo, locis citatis. Et probatur ex cap. *Grauis*, de reſtitutione ſpoliorum. Ratio eſt, quia ſecluſo pacto, ad eundem dominum pertinent res, & fructus eius naturalis.

264 Et quidem naturales fructus videntur etiam eſſe reditus ex locatione rei alienæ percepti, vt expreſſe docent Paludanus, & Petrus Nauarrus, etſi contrarium ſentiat Syluester V. *Fructus*, & Nauarrus locis citatis. Imo ad hunc effectum idem videtur eſſe, ſi fur rem ablatam, ob dilationem temporis, etiam carius vendidit, quam ipſemet dominus rem eam vendidiſſet, vt ex communi docet Salon quæſt. 62. art. 6. controuerſ. 4.

265 Secus eſt de fructib⁹, qui potiſſimum ex induſtria, non ex re ablata proueniunt: quales ſunt vſuræ & lucra ex vſu furtiuæ pecuniæ acquiſita, vt poſt Scotum, Gabrielem, Maiorem docet Medina quæſt. 4. de vſura, Petrus Nauarrus num. 59. Nauarrus & Carbo locis citatis; hi enim non ſunt reſtituendi, niſi forte ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, de quibus aſſert. præced. actum: quicquid in contrarium dixerint Altiſiodorenſis, & alij apud Medinam citati.

Imo ſi res, apud dominum, nec naturales quidem illos, ſeu mixtos fructus tuliſſet, eoſdemque fur abſque vtilitate ſua conſumpſiſſet, probabile videtur, reſtitutioinem non eſſe faciendam, iuxta fundamentum in 5. aſſertione poſitum, & à pleriſque approbatum.

266 Assertio VIII. Res ablata reſtituenda eſt à fure ei, à quo iniuſte accepta fuit, ſi eam iuſte poſſidebat; alias domino. Ita communis. Et colligitur ex dictis dub. 1. de bonæ fidei poſſeſſore. Intellige vero, niſi peculiaris ratio ſuadeat, priori poſſeſſori, quamuis iniuſto reſtituendam, vt dicetur dub. 12. de circumſtant. reſtit.

267 Assertio IX. Facienda eſt reſtitutio non ſolum ab ipſo fure, ſed etiam ab eius hæredibus; eſto fur ipſe pœnam forte corporis in externo foro iam luerit. Ita habet communis Doctorum ſententia, vt videre eſt apud Rebellum 2. parte de iuſtitia lib. 8. quæſtione 16. ſect. 2. & Leſſium lib. 2. de iuſtit. cap. 20. dub. 20. Et patet ex cap. *Tua nos*, de vſuris, & gloſſa ibidem, & leg. 9. §. de condict. furt. Ratio eſt, quia onera debitorum teſtatoris, ſaltem quæ directe pecunias, aliaſue res pretio æſtimabiles concernunt, tranſeunt ad hæredes; ſiquidem hoc ipſa ratio hæreditatis poſtulat: hæres enim dicitur, qui ſuccedit in vniuerſum ius defuncti leg. *Hereditas*. §. de regulis Iuris; ac proinde etiam in onera eiuſdem hæreditati quaſi annexa; ſubſtituitur enim in locum defuncti. Vnde etiam in quodam reſcripto Gregorij (XI.) Pontif. ad Carolum Imperatorem, inter alios etiam damnatur articulus 12. Iuris quondam Saxonici: *Quod hæres non tenetur de furto, vel ſpolio perpetrato per illum, cui ſuccedit in hæreditate, reſpondere; quod erroneum eſt, ſaltem in foro conſcientiæ.*

Neque de hac re, videtur inter Doctores vlla eſſe controuerſia; ſaltem in quantum ad ipſos hæredes de re furtiua, aut ſimili modo à præcedenti poſſeſſore inique acquiſita peruenit. Illud ſolum dubitatur, an hæredes furis teneantur in ſolidum, aut ſupra vires hæreditatis. De qua re probabilius eſt, ſingulos hæredes in foro conſcientiæ non teneri in ſolidum, ſed pro rata hæreditatis, eſto alij deficiant pro ſua parte, vt ſpeciatim de hæredibus vſurarij, docent etiam Caietanus tomo ſecundo opuſcul. 8. quæſtion. 5. Syluester V. *Vſura* 6. quæſtion. 10. Sotus libro 6. quæſtion. 1. art. 4. Medina quæſtion. 4. de vſuris, Couarruuias libro 3. var. cap. 3. Rebellus loc. citat. Leſſius loc. citat. etſi contrarium aſſerat gloſſa communiter à Iuriſperitis recepta, in citatum cap. *Tua nos*, quam ſequitur Nauarrus in Manuali cap. 17. num. 278. Par enim eſt, vt ſicut bona defuncti diuiduntur in hæredes, ita etiam obligationes eiuſdem & onera.

Addit Rebellus: ſi ad hæredes nihil ex bonis defuncti peruueniret, tunc vt nullius forent hæredes, ſic etiam ad nullam reſtitutionem teneri: licet aliqui Iurisperiti in eo etiam euentu, eos teneri ex delicto defuncti aſtruant; quod tamen non placet, inquit, cum obligatio ex delicto non poſſit nocere hæredi, niſi quoad ea bona, in quibus defuncto ſuccedit, &c. Niſi forte omiſerit inuentarij confectionem iuxta Couarruuiam reſol. cap. 3. & Molinam diſp. 216. & 33. de Iuſtit. quod ipſum tamen Rebellus rectius exiſtimat, ad forum ſolum externum, non conſcientiæ ſpectare. 268

Atque hanc ſententiam memini etiam Anno 1615. die 14. Martij in diſputatione quadam Iuridica fuiſſe defenſam Theſi 35. his verbis: *Quomodo tranſeat ad hæredes hæc actio, an in ſolidum, an vero in tantum, quantum ad eos de re furtiua peruenit, diſſentiunt Doctores. Contra communem tamen ſententiam, arridet mihi ſententia Cuiacy, qui hæredes in tantum teneri ait, quantum ad ipſos de re furtiua peruenit; exceptis duobus caſibus. 1. ſi lis cum defuncto fuerit conteſtata. 2. ſi hæres ipſe rem furtiuam contrectarit.*

Et quidem licet Cuiacius lib. 7. obſeru. 37. de hac re ſit dubius, in neutram partem quicquam aſſerens; lib. vero 13. obſeru. 37. plus etiam videatur dicere his verbis: *Non datur in hæredem condictio rerum furtiuarum, vel condictio rerum amotarum, niſi fuerit lis conteſtata &c.* tamen idem Cuiacius in ſuis recitationibus ſeu commentarijs in tit. 17. lib. 4. Cod. de hæredit. actionibus, cum dixiſſet, in hæredem non dari actionem ex delicto, niſi in id, quod ad eum peruenit, addit; *Sola condictio furtiua datur in ſolidũ in hæredẽ, etiamſi nihil peruenit ad hæredem, infra leg. in condict. de cõdictione furtiua §. vltimo, Inſtit. de obligat. ex delicto. Igitur eſt grauior furti executio, quam doli, vel amotionis rerum, cum hæres furis teneatur in ſolidum, etſi rem non teneat, nec tenuerit.* Et idem Cuiacius cit. lib. 7. obſeru. cap. 37. fatetur eam eſſe omnium Iuriſtarum ſententiam: *Videamus*, inquit, *an verum ſit, condictionem furtiuam in hæredem in ſolidum dari. Omnibus placet dari, ſecundum leg. 9. ff. de Condict. furtiua; quæ ſi deeſſet,*

omnibus

omnibus placeret non dari. &c. Ita Cuiacius sed in foro conscientiæ standum est ijs, quæ diximus.

Quæritur II. An eodem modo ad restitutionẽ teneatur, qui ab eodem, vel pluribus, succes- 269
siue modica furando, tandem peruenit ad notabilem quantitatem? De hac re, siue loquamur de ipsa commissæ culpę grauitate, siue de restitutionis obligatione per eam contracta, varię sunt sententiæ Doctorum.

Prima est eorum, qui sine discrimine asserunt, peccare mortaliter (nisi forte inaduertentia excuset, aut probabilis præsumptio, de condonatione, ex peculiari quadam causa) & teneri ad restitutionem sub mortali. Ita Sotus libro 5. de iustitia quæst. 3. art. 3. ad 3. Couarruuias lib. 1. variar. resolut. cap. 3. n. 12. Petrus Nauarrus l. 3. cap. 1. à nu. 5. Lopez 1. part. cap. 99. Conradus q. 166. Aragonius post Cordubam, & videntur consentire Bannes hic q. 66. a. 6. & Salon ibidem controuersia 3. qui dicit, ita sentire omnes recentiores. Ratio est. Quia vltimum furtum attingit notabilem quantitatem, & infert notabile damnum proximis, sicut vltimus ictus inferre potest mortem.

Patitur tamen difficultatem. Tum quia difficilis est in praxi; nec enim pœnitentes de minimis 270
furtis aut seipsos accusant; nec à Confessario interrogantur, an similia prius furati. Tum quia vltimum furtum reuera pro obiecto non habet furta præcedentia. Tum quia nemo dixerit, sæpius in horis, seu officio diuersorum dierum, omittentem vnum versiculum, aut Alleluia &c. tandem peccaturum mortaliter.

Secunda sententia est, non peccari mortaliter, 271
nisi quando ex proposito ad eiusmodi notabilem quantitatem peruenitur; restituendum tamen etiam sub peccato mortali: nisi quando minima illa, maximo temporis interuallo interposito (v. g. trium vel quatuor annorum) accipiuntur etiam ab eodem. Ita Nauarrus cap. 17. num. 139. Graffius 1. part. lib. 2. cap. 93. n. 18. & 19. Et fere Rebellus libro 3. quæst. 15. sect. 5. & 5. & consentiunt quoad duo priora Carbo q. 2. de restitut. Toletus edit. ant. l. 5. cap. 16.

Probatur hęc sententia quoad primam partem, ex obiectis contra primam sententiam: quoad secundam ex eo, quia alias sequeretur, posse citra mortale hospites, institores, mercatores, nummularios &c. ditescere ex rebus solo furto acceptis; quod nemo dixerit; nec absque magno damno Reipublicæ dici aut fieri potest. Quoad tertiam probari potest. Quia talis saltem tenetur ad restitutionem, ratione ipsius rei acceptæ. Quoad quartam probatur. Tum quia quæ tanto post interuallo accepta sunt, censeri possunt à dominis condonari. Tum quia moraliter non videntur coalescere posse in vnam actionem. &c.

Patitur tamen difficultatem quoad primum 272
& tertium. Quia cæteris paribus, non est maius peccatum retinere, quam accipere: præterquam quod sæpe fieri potest, vt res accepta plane inutiliter fuerit consumpta; quo casu non potest locum habere obligatio restituendi ratione rei acceptæ. Item quoad secundum: quia si per se non est mortale, furari per interualla minima, vsque ad notabilem quantitatem, non erit etiam mortale facere idipsum ex proposito. Item quia vel iste committendo vltimum furtum recordatur aliorum furtorum, vel non &c. si non; tunc omnes facile concedent, illum per inaduertentiam excusari posse à mortali: Si sic; tunc voluntarie & ex proposito peruenit ad notabilem quantitatem. Quartum vero præterquam quod secundo non satis cohæret, magna ex parte fundatur in præsumptione incerta, quæ sæpe fallere potest.

Cum hac autem sententia fere etiam conuenit 273
Lessius libro 2. cap. 12. dub. 7. & 8. qui docet, non ipsum quidem postremum furtum, (vbi propositum directum notabilem quantitatem auferendi abest) sed detentionem voluntariam rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoatur, esse peccatum mortale; ac proinde nec mortaliter quidem peccari, cum adest propositũ, furta eiusmodi parua, antequã compleatur summa notabilis, restituendi.

Quod etiam docet Rebellus; qui cum Lessio itidem asserit, in eiusmodi minutis & successiuis furtis, maiorem quantitatem requiri ad peccatum mortale, quam in alijs, de quo q. 8. dub. 3.

Azor vero tom. 3. l. 5. c. 13. licet illam Nauarri sententiam refellat, non satis tamen de cætero explicat, quid ipse vniuersim sentiat, etsi significet, se primæ sententiæ adhærere.

Tertia sententia est Ioannis Medinæ quæst. 10. 274
de restitut. vbi aliter distinguit: diuitem enim, aut ex proposito ditescendi ita furantem, peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem sub mortali (nisi aliunde constet de condonatione) non autem pauperem, qui aliunde non habet necessaria. Ratio esse potest. Quia præsumi potest, huic fieri condonationem, non autem illi.

Et vocatur hæc sententia pia à Lopez; quam etiam Lessius censet probabilem, si vel hominis illius conditio talis sit, vt alij teneantur ei succurrere, aut quando constat, illos, quibus accepit, non fore inuitos circa rei acceptæ substantiam; etsi circa modum accipiendi inuiti sint; alias non esse tutam. Et certe hæc sententia patitur eandem difficultatem quoad primam partem, quam prima in simili, quoad alteram vero, quam secunda quoad quartum.

Interim non dubito, Iudicibus in foro externo circumspectione vtendum, ne pro minimis 275
furtis, etsi frequentatis, & miseros & vere egenos homines mortis supplicio afficiant, in quibus Theologi quidam sentiunt, eos nec mortaliter quidam peccasse, vt dictum

Quarta sententia est Angesti apud Lopez & Aragonium; qui dicit, talem nec peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, si à pluribus acceperit, secus si ab eodem. Sed contra hanc sententiam, nisi limitetur, valide pugnat, quod contra primam quoad secundum adductum est. Omnibus igitur spectatis, sit

276 ASSERTIO I. Speculatiue quidem loquendo, probabilissima videtur sententia prima, quam præter citatos sequitur etiam Vasquez 1. 2. disp. 146 c. 2. & colligitur ex adductis, & collatis rationibus.

Ad primum in contrarium patebit responsio ex sequenti assertione. Ad secundum Respondetur, eam non esse rationem; sed quia per vltimum furtum damnum notabile datur, non
277 minus ipsa acceptione, quam retentione. Ad tertium respondetur, disparitatem esse; quia neglecti versiculi diuersorum officiorum, hoc ipso, quod hæc diuersorum dierum pensum proprie concernunt, non continuantur inter se; nec possunt adeo (saltem secluso formali proposito) esse materia vnius moralis actionis. Atqui debitum euitandi notabile damnum proximi, in eodem bonorum genere, nullo certo termino constrictum, omnia tempora sine discrimine complectitur: Quo fit, vt damna etiam interrupte data, inter se quasi continuentur & vniantur: Eandem solutionem indicat Vasquez.

278 Et simile censetur esse, saltem regulariter loquendo, si quis absolute paruam quandam eleemosynam quolibet die faciendam voueat; censetur enim talis in eiusmodi voto proprie & principaliter non distinctum singulorum dierum seruitium, sed pauperum inprimis vtilitatem, quasi per modum vnius moralis debiti spectasse; ita vt si vno die intermittat, teneatur altero compensare. Quod in oratione, quæ non ita commode & æque vtiliter vno die coniunctim persoluitur, secus accidere creditur, vt docent, non solum Sotus libro 7. de Iustitia quæstione 2. articulo 1. sed etiam Arragonius quæstione 88. articulo 3. itemque Angles, Berarducius &c. idque respiciendo communem vouentium intentionem prout eam ex ipsa natura rei interpretari licet: de qua si aliunde aliud constaret, secus iudicandum foret, vt recte citati, quicquid Vasquez citatus in contrarium sentiat.

279 ASSERTIO II. Etsi communiter expedit, in his furtis etiam aliquam restitutionem pœnitenti iniungere, vt monet etiam Lessius, non ideo tamen facile pœnitentibus mouendi sunt scrupuli de peccato mortali; cum facile bona fides, vel ignorantia, in re tam perplexa possit excusare: nisi quis aut expresso proposito notabilem quantitatem auferendi, aut alias, in aliquo officij vel opificij genere, quasi perpetuo vsu eiusmodi furta continuaret: tales enim nisi desistant, nec absolui quidem debent; vt si quis diminutis mensuris, aut ponderibus, merces distrahat.

Hos enim execrantur omnes; & grauiter reprehendit Scriptura Prouerbiorum 11. versu 1. *statera dolosa abominatio est apud Dominum.* Deuteronom. 25. vers. 13. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus.* Et vers. 16. *Abominatur enim Dominus DEVS tuus eum qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam.* Vbi satis significatur, id esse mortale. Et merito; quia tales graviter sunt pernitiosi, saltem communitati, si non singulis. Et si nunquam de superfluis, etiam in leui necessitate, dans eleemosynam, mortaliter peccat; quanto magis aliena rapiens? Nec vllus est ex Theologis, qui istis falsatoribus patrocinetur. Cætera patent ex dictis.

ASSERTIO III. In particulari, præter inaduertentiam & bonam fidem, diligenter 280
etiam ex alijs circumstantijs considerandum, an & quatenus dominis, non solum quoad modum acceptionis, sed etiam quoad ipsam rei acceptæ substantiam, rationabiliter inuitis, eiusmodi res accipiantur, vel retineantur. Et hoc sensu, ratio quoque habenda est illarum circumstantiarum, an post longa temporum interualla, non continue accepta; an res sint minimæ; an à pauperibus, vel propinquis, aut domesticis; an fraudulenta intentione acceptæ &c. maximè vero, an vnquam alicui graue nocumentum illatum.

Hocque modo sepe excusari famulos, aut ancillas, qui modica esculenta, vel poculenta, pro suo vsu, diuersis temporibus suffurantur suis dominis, ex Nauarro c. 17. n. 138. & Caietano V. *Furtum* notant Rebellus 1. 3. q. 15. sect. 4. & 5. & Lessius n. 48.

ASSERTIO IV. Quin etiam omni inaduertentia & condonatione secluſa, probabile est, eiusmodi minutis furtis nunquam mortale peccatum patrari, nec obligationem restituendi sub peccato mortali contrahi: nisi quando inter se comparata, peculiari ratione, modum vnius aliqua ratione habuerint; vt si non per magna interualla fiant in eodem genere negotij; sicut solet fieri ab ijs, qui vinum aqua mixtum vendunt, aut merces diminuto pondere, aut falsata mensura, vel qui animo congregandi notabilem quantitatem, à multis aliquid furantur; & in alijs similibus casibus: secus, si non habeant modum vnius. Ita Rebellus numero 44. Et ratio pro posteriori parte satis patet ex dictis. Ratio prioris partis est: Quia contrarium videtur non parum obnoxium scrupulis; & contra communem sensum & praxin. 281

Sed quid si plures simul ingrediantur vineam, & dum singuli modicum quid accipiunt, notabile damnum, iudicio prudentis, domino inferant. Respondent Couarruuias, Medina, Lopez, Conradus, Azor, Rebellus, & alij citati, communiter, distinguendo: nam si communicato inter se consilio & opera, ita vt vnus sine alio non furaretur, hoc faciant, peccant mortaliter, & ad restitutionem in solidum tenentur singuli. Quæ pars certa est, & magis patebit infra de circumstantijs restitutionis. 282

Quod si consilia ac operas inter se non communicarint, norint tamen, notabile damnum domino vineæ inferri, tum iuxta citatos, omnes & singuli peccant mortaliter, & tenentur sub mortali ad restitutionem quisque suæ partis; quia pro sua quisque parte scienter cooperatus est ad notabile damnum: sicut qui sciens aliquem ad mortem fere percussum, eidem vltimum ictum, quo peraccidens moritur, infligit. 283

Tandem

Tandem si nec id quidem sciuerint, mortaliter quidem non peccasse accipiendo aiunt, propter ignorantiam; postea tamen re comperta, sub mortali teneri ad restitutionem pro rata parte: Quæ duo postrema etiam docet Vasquez citatus, addens, eum, qui cum alio, vel alijs, singulis, notabilem quantitatem auferentibus, esto furti sit conscius, non minus, imo plus, quam in priori casu (citra tamen notabilem quantitatem) accipiat, non peccare mortaliter.

285 Sed vt verbo dicam, hæc mihi videntur incredibilia. Nec video, cur aliorum furta, mihi nullo modo voluntaria, imputentur, ita vt qui alioquin furando minima, non nisi venialiter peccarem, accedentibus aliorum consimilibus furtis, peccē mortaliter, aut sub mortali restituere tenear; cū actiones singulorum plane sint distinctæ, nec vllo modo aliorum alijs communes aut voluntariæ, vt suppono; quantumuis interim materialiter concurrant. Et si mortale non est, alijs singulis notabilem quantitatem auferentibus, accipere modicum aliquid, cur obsecro mortale erit, aliquanto minus accipere cum alijs notabilem quantitatem non auferentibus?

286 Nec est par horum ratio cum eo, qui leui ictu iam ante quasi moribundum volens occidit; aut qui vna cum alijs itidem leues per se ictus eo vsque infligit, dum percussus omnino occumbat. Quia in vtroque casu ictus illi, licet alioquin leues, hic tamen etiam per se singuli, ob dispositionem subiecti, graue damnum inferunt; cum in priori quidem casu vltimus ictus vitam auferat, cuius nullam partem alij abstulerant: in posteriori autem, vnus & idem indiuisibilis effectus, qui est vitæ ablatio, omnibus & singulis, per modum vnius cooperantibus iure attribuatur: esto seorsim alioquin non nisi leue damnum intulissent.

287 Quare semper probabilius existimaui (quod vt video etiam sentit Lessius dub. 9. n. 52.) eos, de quibus agimus, in postremis illis duobus casibus, nec peccasse mortaliter; nec ad restitutionem sub mortali teneri: quia reuera dici non potest, absolute loquendo, tales voluntarie sua actione graue damnum dedisse. Quod ex parte etiam sentit Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 1. numer. 4. dum ait, venialiter tantum ad restitutionem teneri, qui postremo casu rem bona fide consumpsit.

Cæterum ob neglectam restitutionem, etiam sub excommunicatione imperatam, censura non incurritur; nisi furtum sit rei notabilis, & quod ex se esset mortale, vt recte Sa V. *Furtum*, Carbo, & citati. & dicetur tom. 4. de censuris.

DVBIVM X.

An & quo modo restituenda, quæ accepta sunt propter rem alias debitam, aut turpem, seu illicitam.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 62.

QVod ad primum attinet, esto ASSERTIO I. 288
Accipiens aliquid tanquam mercedem, vt aliquid faciat, vel non faciat, quod iam alias simpliciter ex iustitia facere, vel non facere tenetur (v.g. Iudex, vt iuste iudicet, vel ne iniuste iudicet;) & mortaliter peccat; & tenetur ad accepti restitutionem. Ita ex communi & certa Sotus lib. 4. q. 7. a. 2. Nauarrus cap. 17. n. 33. Salon q. 62. a. 5. controuers. 3. Ioan. Medina q. 27. de restitut. Valentia q. 6. pun. 5. Petrus Nauarrus de rest. lib. 4. cap. 2 à n. 88. Couarruuias in regulā *Peccatum* part. 2. §. 2. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 9. Nec dissentit Carbo q. 50.

Ratio est; quia talis labor inuendibilis est, vtpote iam alteri ex iustitia debitus; perinde ac si cuipiam rem suam venderes. Quod multo clarius est, si is ipse, cui venditur, iam antea alio quodam titulo, v. g. stipendij, contractus, vel officij, ius habeat ad illud, velut ad rem suam.

Quod si is ipse ius ad eam rem non habeat, tum admittit quidem Sotus, posse citra iniustitiam aliquid pro eodem accipi; sed cum communi rectius negat Lessius n. 67. Quia hoc ipso, quod actio talis ex iustitia alteri cuipiam debita est, non est in potestate operantis, vt eam denuo possit diuendere. 289

Quod si forte circa litem aliquam, ea est varietas sententiarum, vt iudici liberum sit, vtramlibet partem in iudicando sequi (de quo infra;) putat quidem Lessius, iure naturali non esse contra iustitiam, si iudex aliquid ab vna parte accipiat, vt in eius potius fauorem iudicet. Sed contrarium videtur verius; quia videtur iuri naturali repugnare, vt sententia iusta, in alterius partis præiudicium, vllo modo pretio ematur: præsertim quia id sua natura tendit ad peruertenda iudicia, iudicumque affectus. Hoc certum, id legibus esse prohibitum. Et vero tenetur iudex habenti ius probabilius causam adiudicare; aut in pari probabilitate, seu casu ancipiti, ad transactionē cogere; adeoq; curare, vt res diuidatur, aut certe alteri parti aliūde fiat compensatio, vt suo loco de iudice dictum q. 4. dub. 1. 290

ASSERTIO II. Acceptū pro eo, quod ex charitate solum, aut alterius virtutis obligatione erat debitum, non est ex iustitia restituendum. Ita Sotus, Valentia, & ex parte Petrus Nauarrus n. 100. etsi contrarium sentiant Medina, Couarruuias, Nauarrus, Salon, Carbo. Ratio est. Quia talis vēdit rem suam; & alioquin, vt suppono, saltem ratione cuiusdam difficultatis, aut molestiæ, pretio æstimabilem. Lessius tamen cit. dub. 9. excipit ea, quæ nullam habent difficultatem v.g. vt odium 291

deponatur. &c. Sed nec istud caret difficultate, & voluntatis mortificatione.

292 Assertio III. Quin etiam propter rem ex iustitia debitam, licet quandoq; aliquid accipere, vt fatentur omnes. Et primo quidem etiam publici iustitiæ ministri, si iustum sui laboris stipendium non habeant, possunt aliquid accipere vsque ad iustum præcise stipendium, idque in foro conscientiæ, ex probabili sententia etiam cum forte lex, quæ obligare non censetur, id prohibet, vt docet Molina tract. 2. disp. 83. licet quoad legis positiuæ obligationem, saltem de Iudice Ecclesiastico neget Azor tom. 3. lib. 13. cap. 16. dub. 1.

293 Secundo, si quis in aliqua re adhibeat extraordinariam operam vel industriam, ratione materiæ, loci, temporis, modi, ad quam alias non teneretur: modo caueatur scandalum, vt docent Carbo, Molina locis citatis, Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 3. n. 18. & sequentibus, post Nauarrum opusc. de datis & acceptis pro iustitia nu. 47. & 48. nec id per se videtur lege prohibitum.

294 Tertio gratis & libere donatum; quamuis ob leges ciuiles, & præcipue etiam ob iuramentum à Ministris hac de re præstari consuetum, communiter sit illicitum iudicibus, à partibus litigantibus munera accipere, præcipue lite adhuc pendente, vt peculiariter etiam in Bauaricis statutis habetur. Restitui tamen acceptum non debet ante sententiam; quia leges translationem dominij non impediunt, vt recte Petrus Nauarrus num. 15. & Molina disputatione 18. quamuis Ioannes Medina quæst. 11. & Lessius numero 72. ex l. *Plebiscito* 18. ff. de officio Præsidis, & l. *Solent* §. finali ff. de officio Proconsulis, contrarium sentiant.

295 Imo Nauarrus putat, non obstantibus legibus, posse etiam licite eiusmodi munera accipi, si non dentur ratione officij, vel impensi laboris; sed alio titulo, vt ratione amicitiæ, nobilitatis, vel alterius causæ, siue ex parte dantis, siue accipientis. Sed hoc in praxi non vacat periculo; & in foro externo facile præsumitur cõtrarium; ac in particulari statuta prouincialia consulenda sunt; quibus si forte alicubi dominij translatio impediatur (vt quidem fit in muneribus acceptis pro iustitia, aut gratia, apud Sedem Apostolicam obtinenda, iuxta Extrauagantẽ, quandam apud Azorium, & Bullam 28. Gregorij XIII.) tunc etiam restituendum erit acceptum, secundum omnes.

296 Quarto, vi consuetudinis toleratæ & præscriptæ, vt notat Molina disputatione 84. & Azor citatus.

Et quidem aliquo, ex prædictis modis excusari subinde possunt parochi, qui præter suum stipendiũ, nihilominus aliquid accipiunt pro particularibus ministerijs, alioquin debitis, vt pro auditione confessionum, pro exequijs defunctorum. Illud tamen excusari nullo modo potest, quod hæc nonnulli quandoq; adeo sordide exigũt, etiã diuites ipsi à pauperrimis, vt absq; pecunia, quam illi sæpe dare non possunt, nec præstare quidẽ eiusmodi iã alioquin debita officia velint.

Præter hos modos, potest etiam licite aliquid dari; etsi nec valide, nec licite accipi, ad redimendam iniustam vexationem: quod quidem nõ obstante lege positiua, licitum esse docent cum Corduba Petrus Nauarrus loc. citat. & Molina disp. 18. contra Sotum, ex communi. 297

Plura de muneribus & xenijs in specie Azor tom. 3. lib. 13. cap. 16. vbi ex communi asserit, *xenia*, hoc est esculenta & poculenta, posse recipi à qoocunque iudice, siue seculari, siue Ecclesiastico, siue ordinario, siue delegato; cum etiam communi iure sint excepta. Sed nihilominus hac in re etiam consuetudo probata, & statuta particularia attendenda erunt.

Bene etiam de hac re Augustinus epist. 54. ad Macedonium: *Sunt*, inquit, *aliæ personæ inferioris loci, quæ ab vtraq; parte non insolenter accipiunt, sicut officialis, & à quo amouetur, & cui admouetur, officiũ: ab his exorta per immoderatã improbitatẽ repetu solent, data per tolerabilem consuetudinẽ non solent: magisque reprehendimus, qui talia inusitate repetuerunt; quã qui ea de more sumpserunt: quoniam multæ necessariæ personæ rebus humanis vel inuitãtur huiusmodi commodis, vel tenentur.* Vbi vel de redemptione iniustæ vexationis loquitur, vel de muneribus gratuitis. Vid. supra de Iudice & aduocato q. 4. dub. 4. in fin. & dub. 6. in fine.

Quod ad secundũ quæsitum attinet, An & quo modo soluendũ, aut restituendũ, promissum, vel acceptum propter rem turpẽ seu illicitam? esto

Assertio I. Acceptũ pro actione mala quacunque, licet iniusta, non est restituendum in foro conscientiæ, ante Iudicis sententiam, vel confessarij præceptum; idque siue dono datum sit, siue vt merces laboris: modo dans ad alienandũ, & accipiens ad recipiendum non sit incapax; nec aliunde translatio dominij per legem irritetur, vt fit de acceptis per simoniam. Ita Sylvester V. *Restitutio* 2. 4. 8. quæstione 2. & V. *Eleemosyna* quæstione 4. Nauarrus man. cap. 17. numero 36. Petrus Nauarrus lib. 4. cap. 2. numero 130. Ratio est. Quia opus etiam iniustum, vt est laboriosum ac periculosum operanti, in alterius gratiam ex pacto susceptum, pretio æstimabile est; etiamsi nullam aliam conductori vtilitatem adferat &c. 298

Contrarium tamen quoad iniustam actionem sentiunt Valentia q. 6. punct. 5. & Caietanus V. *Restitutio* cap. 4. qui in casu homicidij, putat, occiso pecuniam restituendam; item Sotus & Salon citati, qui putant danti restituendum; sed sine firma ratione. Vnde

Colligitur I. Etiam Assassinos, seu homicidas, siue in bello, seu extra bellum mercede conductos, liberos esse à restitutione acceptæ mercedis, vt docet etiam Nauarrus citatus; quamuis vtique tam ipsi, quam conductores teneantur de damnis occisi & hæredum, vt suo loco dictum dub. 4. 299

Colligitur II. Meretrices, seu publicas, seu occultas, licite retinere turpem mercedem, vt teste Valentia, omnes fere Theologi & Iuristæ communiter sentiunt, cum S. Thoma quæst. 32. art. 7. & quæstione 62. art. 5. quicquid Baldus, 300

Angelus

Angelus, & alij quidam in contrarium dixerint: idque etiam si blanditijs quædam elicuerint, iuxta Nauarrum cap. 16. n. 16. & Petrum Nauarrum n. 124. contra Medinam & Caietanum: modo duo obseruent.

301 Primum, vt nil accipiant ab ijs qui alienandi potestatem non habent, vt sunt Religiosi, minorennes; nisi forte quoad hos, parua sit pecunia, iuxta dicenda de ludo. Secus est de milite, qui licet iuxta leges in foro externo mercedem turpem soluere non teneatur, tamen solutam ab eo, in foro conscientiæ, licite retinet meretrix, vt recte Petrus Nauarrus n. 123. cum Soto & Adriano; etsi contrarium (quod satis ex iure non probatur) sentiat Valentia cum Medina.

Secunda conditio est, vt absit vis & fraus, vt præter Sanctum Thomam ibidem, & citatos, notat Molina tom. 1. tract. 2. disputatione 94. quamuis Sa V. *Restitutio* eam etiam liberat à restituendi obligatione, quæ consuetis mendacijs multa extorserit: nempe quia hæc nota solent esse omnibus, nec adeo ijs quisquam inuitus decipitur.

302 Colligitur III. Etiam à virginibus, coniugatis, monialibus turpi quæstu acceptum, non magis dantibus restituendum, quam ab alijs solutis, vt recte docent Couarruuias, Valentia citati, Petrus Nauarrus numero 121. Molina disputatione 94. Nauarrus numero 34. Sotus, Caietanus, Syluester, Medina, & alij; quicquid nonnulli in contrarium dixerint. At vero quia sui iuris non sunt, ideo sic acceptum non minus parentibus, marito, religioni, siue Superiori dare debent, quam quod labore manuum acquisiuerunt: occulte tamen, ne damna inde consequantur, vt recte Molina cum Soto.

303 Assertio II. Pretium ob turpem actionem ex pacto promissum, in foro conscientiæ (quantumuis in foro externo negetur actio;) necessario est persoluendum; non quidem ante actionem peractam; tunc enim licite dari, & accipi non potest, eo quod ad malum opus perpetrandum referatur, nec detur sine approbatione sceleris: sed post peractum opus; quando iam & datio, & acceptio per se licita est: modo absit, quæ per accidens interuenire potest, approbatio sceleris. Ita Sotus, Couarruuias, Valentia cum S. Thoma loc. citatis; quicquid in contrarium dicat Nauarrus n. 78. & Medina. Ratio, quia ex iustitia debetur; nec vlla causa est, cur non soluatur.

304 Assertio III. Acceptum propter turpem causam, si quando restitutioni obnoxium est, restitui debet ante Iudicis sententiam danti. Ita Medina, Petrus Nauarrus, Couarruuias. Colligitur ex communibus principijs de restitutione explicandis dub. 12. nisi forsan ipsa lex eum fecerit inhabilem ad recipiendum; tunc enim Ecclesiæ, vel pauperibus, iuxta dispensationem iuris dandum est, vt de acceptis per simoniam ex communi sentit Valentia quæst. 9. puu. 5. cum Medina.

305 Sed id quidem verum habere certum est, post sententiam à Iudice latam; sed ante sententiam danti restituendum putant Sotus lib. 9. q. 9. a. 1. Petrus Nauarrus lib. 4. cap. 2. n. 147. Bannes 2. 2. q. 32. a. 7. Aragonius q. 6. a. 6. Binsfeldius in cap. 46. de simonia q. 6. Quam sententiam refert, nec improbat Valentia q. 16. punct. 5. ego vero vt probabilem existimo; ita contrariam censeo probabiliorem infra disputat. 5. quæst. 8. dub. 4. num. 90.

Nec obstat illud Vlpiani l. 2. de condictis ob turpem causam; *qui dedit Iudici ad dicendam iniustã sententiam, recipere non potest, quia male dedit*; procedit enim in foro externo, in quo non datur ei actio, ob præsumptam fraudem, vt docent citati.

DVBIVM XI.

An & quo modo restituenda, aut soluenda sint acquisita vel amissa per ludum; vel extorta per metum danti iniectum, siue in contractu & promissione, siue extra.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 62.

306 DE ludo sequentes assertiones statuimus. Assertio I. Ludo, etiam iure prohibito, citra vim, fraudem, aut aliam iniuriam acquisita, ante sententiam Iudicis restitutioni obnoxia nõ sunt. Ita ex communi Iurisperitorum Caietanus V. *Ludus*, Sotus de iustitia lib. 4. q. 5. a. 2. Couarruuias in regulam *Peccatum*, part. 2. §. 4. Carbo q. 41. & sequentibus, Nauarrus man. c. 20. n. 19. Salon q. 5. de dominio a. 6. Valentia q. 6. pun. 5. Lessius lib. 2. c. 26. dub. 3. quicquid Paludanus, Richardus, Angelus, Turrecremata putent, talis lucri dominiũ non acquiri. Ratio est. Quia nullum ius impedit acquisitionẽ dominij; quamuis amittenti detur actio ad repetendum in iudicio, qnod perdidit, per authenticam *Alearum vsus* C. de Religiosis: quanquam hoc ipsum ius Carbo q. 38. putet, per non vsum esse abrogatum.

307 Assertio II. Non potest proinde is, qui perdidit, furtiua compensatione amissum recuperare; sed in iudicio, si velit repetere potest; nisi iurauerit, se non repetiturum. Ita Carbo, Salon, alij; & colligitur ex dictis; quicquid Adrianus de furtiua compensatione dixerit.

308 Assertio III. Oppignorata fide ludens, si quid perdidit, in conscientia soluere tenetur; nisi coram Iudice condonationem impetret; aut nisi forte alicubi extet peculiare ius promissionem talem irritans; quod de Hispania referunt Couarruuias, & Sotus. Ita Valentia, Salon, post Medinam & Castro. Et colligitur ex dictis: quicquid Couarruuias, Sotus, Carbo, Angles, Lessius dub 4. & apud Salonem plerique ex discipulis S. Thomæ in contrarium dixerint; quorum sententia probabilis est. Tum quia id citata l. significatur. Tum ob hoc ipsum, quod repeti potest.

309 Assertio IV. In quibusdam casibus restituendum, quod ludo acquisitum est. Ita ex communi S. Thomas q. 32. art. 7. ad 2. & primo quidem quod à perdente alienari non potuit, sicut quidem stulti, infantes, & qui septennium non excesserunt, vt & Religiosi, sua authoritate alienare nihil possunt, nec pupilli, vel minores tutorem vel curatorem habentes, sine eorundem authoritate: nisi sint bona minorum Castrensia vel quasi, apud Lessium infra. Quædam etiam non sine authoritate Iudicis, vt immobilia & mobilia pretiosa, quæ seruando (id est, quæ diu) seruari possunt.

Interim tamen etiam pupilli (qui tales dicuntur vsque ad inchoatam pubertatem) & minores, atque monachi, ex superiorum consensu, in Academijs, aulis, seu curijs morantes, minutulum quid in ludo honesto exponere possunt, (nisi forte aliunde contrariam esse Superiorum voluntatem constet,) secundum Sotum, Nauarrũ, Valentiam locis citatis; qui permittunt quinque de centum.

310 Imo Molina tom. 1. disp. 242. Sanchez lib. 6. disp. 38. n. 2. & 30. Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 8. & cap. 26. dub. 5. ex probabiliori, post Glossam, Decium, Nauarrum, Lopez, Cordubam & alios à Sanchez citatos, docent, impuberes & pupillos pubertati proximos, (vti est in puero decennium, cum anno dimidio; in puellis nouennium cum anno dimidio) aut minores iam puberes, etiamsi Curatorem habeant, contrahendo aut paciscendo circa res suas (non tamen immobiles, aut quæ seruando seruari possunt,) contractu oneroso, per ludum scilicet, emptionẽ, venditionem, locationem, etiam absq; tutoris aut curatoris authoritate, obligatos manere naturaliter; ac proinde in foro conscientiæ, contractui stare debere; nisi forte cum ipso tutore (certis casibus apud Sanchez recensitis exceptis) contraxerint: quãuis postea beneficio restitutionis in integrũ, eiusmodi contractus si velint, per Iudicem irritos reddere possint. Idq; non obscure probatur ex l. *Cum illud* §. *hæres* ff. Quando dies legati cedat, l. *Si eius pupili*, in princip. ff. Ad Trebellianum, l. 1. §. vlt. ff. de minorennibus.

311 Quæ doctrina magna molestia liberat Confessarios, ne cogere teneantur ad restitutionem tam eos, qui à minoribus per ludum, aut similem cõtractum aliquid acquisiuerũt, quamdiu in iudicio non repetitur; tum ipsos minores, si per ludum, aut similes contract⁹ aliquid etiam sine Curatoris authoritate lucrati sint: quamuis Couarruuias in cap. *Quamuis pactum*, par. 2. §. 4. n. 10. cum plerisq; Iurisconsultis contrarium sentiat.

312 Secundo restituendum est, quod lucrando acquisiuit, qui perdere nil potuit, aut tantum non potuit, quantum vno iactu seu commissu lucratus est, secundum Couarruuiam, Valentiam, Salonem, & alios ex communi. Imo Sotus & Castro negant, in toto lusu aliquem lucrari posse plus, quam perdere initio de suo potuerit. Sed contrarium est probabilius vt docent Nauarrus numero 14. Valentia, Carbo, Salon loc. cit.

Tertio, quod fraude acquisitum, v. g. sine voluntate soluendi, simulata imperitia, per falsa 313
instrumenta lusoria &c. Nihil autem restituendum, eo quod quis certus de victoria, peculiarem cum altero compromissionem seu sponsionem fecit; nam hoc fit communi & recepta quasi colludentium lege; quod etiam in similibus obseruandũ est, ex cõmuni sententia, quam habet Valentia, Lessius c. 26. n. 30.

Imo satis probabile videtur, nec eo casu restituendũ, quo quis lucratus est quidpiam, quod iam antea certus erat, ratione peritiæ, se lucraturum, secluſa fraude & simulatione, quæ ludo aut sponsioni causam præbuerit, vt de sponsione vniuersim sentiunt Toletus lib. 5. cap. 6. Couarruuias in regulam *peccatum* par. 2. §. 4. n. 6. post Decium: etsi contrarium tam de ludo, quam de sponsione ex communi docet Lessius lib. 2. cap. 26. dub. 5. Rebellus part. 2. lib. 12. q. 3. n. 3. & quoad ludum Azor tom. 3. l. 5. c. 25. q. 4.

Quarto, quod quis lucratus est ab inducto 314
ad ludendum vi, metu, aut conuitio; puta obiecto inurbanitatis, egestatis, tenacitatis probro, ni ludat, iuxta Sanctum Thomam, Caietanum, Nauarrum, Couarruuiam, Sotum, Salonem citatos, restitutioni obnoxium est, quia per iniuriam acquisitum est: etsi contrarium, saltem si abfuit vis & metus cadens in constantem virũ, non omnino improbabiliter sentiat Molina disputatione 506. & Franciscus Garzia de contractibus apud Lessium cap. 26. dub. 2. & Azorium tom. 3. lib. 5. c. 25. q. 1. de qua re plura, mox infra quæsito seq.

Solis vero precibus inducto, nihil restituendum est, quicquid dixerit Adrianus, nisi forte importunissimis, quæ ipsæ alioquin si repudientur, probrum aut dedecus incutiant, vt notat Valentia.

Quæritur secundo, An & quo modo restituendum, quod ab altero ob iniectum metum datum fuit. 315

Assertio I. Stando præcisè iure naturali, nullus actus, siue contractus, irritus est, eo præcisè quod per metum factus sit. Ita ex communiori Carbo q. 46. Valentia tom. 4. disp. 10. quæst. 3. punct. 2. Henriquez lib. 11. cap. 9. Petrus Ledesma q. 47. a. 3. Vasquez 1. 2. disp. 27. à n. 17. post Paludanum 4. dist. 15. q. 2. a. 5. quamuis alij aliter sentiant. Ratio est. Quia quod per metum fit, simpliciter voluntarium est; id autem per se sufficit ad valorem contractuum.

Assertio II. Imo etiam absolute loquendo, contractus mere ciuiles, initi per metum iniuste non incussum ab altero contrahente, validi sunt; quamdiu non irritantur per sententiam Iudicis. Est communis; & colligitur ex dictis; cum enim contractus metu initus, per se loquendo, iure naturali non sit nullus, & tali casu per leges humanas ipso facto non irritetur, consequens est, eum ante sententiam validum esse. 316

Et confirmatur. Quia & metum patiens, ex sua parte satis voluntatis habet, & contrahens alter vt suppono, metum non incutit, nec

aliunde

aliunde vllam iniuriam facit ei, qui metum patitur: Ergo. &c. Eexemplum est, si quis iniusto metu à principe adigatur, vt equum suum vendat Ioanni, qui nullo modo fuit causa iniusti metus. Dixi tamen *mere ciuilis*; quia de matrimonio alia est ratio, vt suo loco docetur.

317 ASSERTIO III. Ob iuris tamen dispositionem, donatio, aut contractus ex metu cadente in virum constantem, ab extrinseco iniuste incusso, rescinditur in foro externo per Iudicis sententiam. Est certa & communis, & clara in iure, apud Carbonem, & alios, vt infra patebit. Secus si sit metus iustus, aut leuis, vt habet communis vtriusque Iurisperitorum sententia, apud eundem.

318 ASSERTIO IV. In foro conscientiæ, quocunque metu iniusto, etiam leui, extortum ab accipiente, restituendum est, seu per donationem, seu per alium contractum acceptum sit: modo vere coram Deo principalis causa, aut saltem conditio sine qua non talis contractus fuerit metus; ita vt, nisi tali metu iniecto, initus non fuisset. Ita ex communi Sylvester V. *Metus* in fine. Nauarrus cap. 17. n. 15. Couarruuias in regulam *Peccatum* part. 2. §. 3. Carbo citatus, Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 46. post Ostiensem, Ioannem Andreæ, & alios. Ratio; quia siue validus sit talis contractus, siue non sit, quod sic obtentum est, iniuste obtentum est: Ergo restituendum.

319 ASSERTIO V. Imo probabilius videtur, contractum tali metu initum, ipso facto nullum esse in foro conscientiæ. Est multorum Theologorum, vt dicemus. Probatur. Quia ille contractus, quo contrahens alter in conscientia nullum plane ius acquirit, vel ad rem accipiendam, vel ad rem retinendam seu vsurpandam, non est validus in foro conscientiæ: at in nostro casu, contractus metu extortus, ex parte alterius contrahentis, qui metum iniecit, est talis; quandoquidem iniuste ac per iniuriam, adeoque nullo iure accipit & retinet, quod tali contractu acquirit, vt manifestum est: Ergo &c.

Et confirmatur. Quia sententia, ex parte rei iudicatæ iniusta, nulla est, ex dictis supra de Iudice q. 4. dub. 3. Ergo etiam contractus, ex parte rei acceptæ iniustus, nullus erit: hic est talis: ergo &c.

320 Idem satis colligitur ex vtroque iure. Nam l. *Metum* 9. ff. quod metus causa, per metum coacto conceditur actio, non solum in personam, quæ metum incussit, sed etiam in rem. Item l. *Similiter* 21. ibidem dicitur, *quod metus causa gestum erit nullo tempore Prætor ratum habebit*: at si aliquo tempore ratum fuisset, non posset nullo tempore ratum haberi. Et l. *Qui in carcerem* 22. ibidem expresse dicitur; *Qui in carcerem quem detruserit, vt aliquid ei extorqueret; quicquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.* Similiter l. 1. C. de rescindenda venditione habetur; emptionem per vim extortam, tanquam malæ fidei emptionem irritam esse.

321 Ex Iure Canonico habemus cap. *Ad audientiã*, de ijs, quæ vi metusue causa fiunt; vbi aperte etiam habetur, ea *quæ vi metusue causa fiunt, carere debere robore firmitatis*. Et in communi vtriusque Iuris regula habetur; *Vim & fraudem nemini patrocinari debere.*

Accedit authoritas Doctorum. Nam ita hanc sententiam ex Canonistis, præter alios, tradunt Panormitanus cit. cap. *Ad audientiam* n. 1. apud Molinam tom. 2. de iustitia disp. 326. ex Legistis Bartolus in cit. l. *Metum*, alijq; plures apud eundem. Ex Theologis ita docet Sotus lib. 6. de Iustitia q. 1. a. 4. & lib. 8. q. 1. a. 7. ad 3. etsi postea in 4. dist. 29. quæst. art. 3. mutarit sententiam. Idem constanter docent Molina citatus, Sa V. *Contractus* n. 7. Carbo q. 46. de restitut. Palatius lib. 4. de contractibus cap. 9.

322 Contrarium tamen sentiunt Azor tom. 1. lib. 1. c. 11. q. 15. Lessius cit. dub. 6. & plerique Canonistæ ac Legistæ apud Sanchez de matrimonio lib. 4. disp. 8. à n. 9. quorum sententiam etiam ipse, & quidem expresse in hoc nostro casu, multis defendit; & pro eadem citat complures Theologos, tum antiquiores, tum recentiores: sed qui speciatim in casu nostræ assertionis nihil fere docuerunt, procedentes tantum generatim, iuxta sensum primæ & secundæ assertionis; cum tamen necessario videatur facienda distinctio inter illum, & hunc casũ, vt satis ex allatis rationibus colligitur.

323 Ad iura cõcedentia exceptionem & actionem, ad rescindendos tales contractus, & similia, quæ congerit Sanchez, facile Respondetur. primo, pauca imo fere nulla agere determinate de casu nostræ assertionis; sed vel indefinite, vel iuxta sensum secundæ assertionis: etsi quidem ad eum finem, vt in foro externo rescindatur, siue inualidus pronuncietur talis contractus, l. *Si cum exceptione* 14. ff. de eo, quod metus causa, nihil referre dicatur; vtrum is qui conuenitur, an alius metũ fecerit; modo rem possidens lucrum senserit.

Secundo Respondetur, in iure quandoquẽ tales contractus quasi validos reputari, fictione quadam; siue quia etsi non de iure, de facto tamen subsistunt; & quosdam effectus habent, quos dum Iudex rescindit, dicitur ipsum contractum rescindere: tum quia eum in foro externo non omnis metus iniustus, sed grauis tantum irritet contractum; cuius proinde diiudicatio ad Iudicem pertinet; idcirco ante sententiam à Iudice latam, ità de eo loquuntur iura, tanquam si alioquin rata fuissent, quæ per talem metum gesta sunt, vt recte etiam Molina notauit.

324 Addi potest tertio, quod in iure dicitur; *Irritetur & rescindatur*, non semper accipi stricte, pro eo, quod est ex valido inualidum reddere: sed aliquando etiam pro eo, quod est inualidum declarare, vt patet l. 1. ff. Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur; & in iure Canonico nonnunquam ab excommunicatione aliquis absolui dicitur, qui nullo vnquam iure ea fuit ligatus, vt patet ex cap. *Audiuimus*, causa 22. quæstione 1. ex communi; iuxta Glossam ibidem. Item redire ad communionem dicitur, qui nunquam excommunicatus fuit, can. *De illicita* 24. q. 1. & plura in hunc sensum refert Suarez tom. 5. disp. 7. sect. 4. n. 5.

Vnde

325 Vnde negandum est, exceptionē in iure nunquam dari, nisi vt elidatur actio, quę alioquin reipsa valida erat, & iure subsistebat. Nec id probatur l. 2. ff. de exceptionibus; etsi regulariter id verum sit.

Tandem si vel maxime in Iure Ciuili, talis contractus validus censeretur, id tamen nostræ sententiæ nil præiudicaret; quandoquidem in eodē iure sine controuersia validus habetur contractus, leui metu extortus, ita vt in foro externo non detur actio, quod metus causa, ad vitandas scilicet lites. Esto forte damnum graue passo ex tali metu, succurratur officio Iudicis, & rescindatur cōtractus, vt dicit idē Sanchez d. 9. n. 5. & Lessius citatus: cum tamen ipse Sanchez n. 4. ex cōmuni Theologorū sententia vniuersim doceat, acceptū per talē metū, qui est causa sine qua non, in foro conscientiæ esse restituendum. Pro qua sententia citat etiam Syluestrum, Nauarrum, Couarruuiam, Ledesmam, Veracruciū, Petrum Nauarrum, Lopez, Molinam, & plures; quod nos itidem superius asseruimus, si contrahens ipse alteri iniuste metum incusserit.

326 Addit vero Sanchez n. 11. & Lessius citatus, ea quæ dicta sunt de metu, restitutionis obligationem inducente, spectari etiā ad metum reuerentialem, qui fuit conditio sine qua non contractus: quod verum est, si talis metus fuerit iniuste incussus; quod rarius videtur accidere.

Postremo Sanchez circa finem citat. q. reipsa tandem videtur nostram sententiam amplecti, cum ait: *Quia ius humanum non irritauit votum, metu leui emissum, id vtique firmum est: at vero circa promissiones & contractus humanos leui metu extortos, non disposuit obligationem inde nasci; nec iure naturæ, ratione iniuriæ illatæ oriebatur; sed tantum denegauit actionem in foro externo, & inde est, vt talis promissio relicta suæ naturæ minime obliget.* Certe si contractus iniusto metu etiam leui extorti, nec dispositione iuris humani, nec iure naturæ obligationem inducunt, qua nihilominus ratione validi sint, non videtur posse intelligi, cum validum esse non possit, quod obligationem nullam habet. Atque hactenus dicta ad contractus mere ciuiles pertinent; nam quæ sit matrimonij ratio, suo loco dicetur.

327 Assertio VI. Promissio iniusto metu extorta non obligat, nisi iuramento firmata sit. Ita ex communi post S. Thomam 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. Molina, Sanchez, Carbo citati. Obligat vero non per modum contractus ex iustitia, sed præcise ratione iuramēti ex religione, vt colligitur etiam ex S. Thoma loc. cit. Et prima pars habetur etiam cap. *Debitores*, de iureiurando.

328 Dubium manet, an etiam irrita sit promissio iniusto metu extorta, quando ille, cui promissio facta est, non fuit causa metus. Et similis quæstio est, an acquisita per per contract⁹ metu extortos, nulla culpa ipsius contrahentis, esto contractus iuxta assertionem secundam sint validi, restituēda sint. Asserunt citatus Sanchez num. 7. Molina disp. 267. n. 5. Syluester V. *Restitutio* 2. dicto 7. & est sententia probabilis. In qua tamen magis consequenter loquetur, qui negarit, eiusmodi contractus fuisse validos; cum vix intelligi possit, quo modo, si contractus valeat, alter è vestigio teneatur, rem per contractum acceptam restituere.

Sarmientus vero l. 2. selectarum c. 11. à n. 6. vsq; ad 11. negat, hac vniuersali vsus distinctione, contractus metu iniusto extortos & validos esse, & à restitutionis obligatione liberos, si cōtrahens alteri non fuit causa metus. Quam distinctionem etiam indicat S Thomas citatus. Et hæc sententia videtur probabilior, quia, vt ex dictis colligi potest, obligatio restituendi, adeoq; etiam nullitas contractus, oritur hoc casu, non ex defectu voluntarij, sed ex iniuria illata: nullam autem intulit iniuriam possessor, culpæ metus iniecti expers. Ergo. &c.

Nec verum est, quod alij dicunt, rem tali casu 329
vitio affectam esse, vndecunq; iniustus metus oriatur, & ita cum vitio transire: id enim nulla ratione probatur, & est petitio principij. Fateor tamen, si res initio ab eo, qui metum iniuste incussit, fuerit inualide acquisita, tunc iam rem vtpote vitio plane affectam, ad quemcunq; deinde possessorē, sine voluntate prioris domini transeat, esse restitutioni obnoxiam, vt habet cōmunis sententia, & ex dictis colligitur.

Similiter certum est, si contrahens per metum, non habuerit vere voluntatem contrahendi, tum & contractū ipsum in conscientia inualidum esse, & quod ita acceptum à quocunque, etiam ante omnem Iudicis sententiam, postquam satis resciuerit, esse restituendum; quandoquidem in iure substantia quasi contractus consistere dicitur in consensu & voluntate, leg. *obligationum substantia*, ff. de actionibus & obligationibus. Atq; hanc sententiam & doctrinam Ingolstadij cum docerem, tum priuatim, tum publice non semel defendi.

DVBIVM XII.

Quid restituendum ob falsatam monetam; aut defraudatam gabellam; aut illicitam lignationē, pabulationem, venationem, piscationem, aucupium.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 62.

QVæritur I. Quid restituere teneantur falsantes monetas aut literas.

Assertio I. Falsantes monetam (quod crimen est læsæ maiestatis) omnium sententia te- 330
nentur ad compensanda omnia damna, si quæ alijs inde sunt consecuta; vt quidem accidit, si materia vitietur, viliorq; pro nobiliori sumatur; si moneta aut iusto pondere non cudatur, aut cusa minuatur. Ratio sumitur ex generali fundamento sæpius declarato, ad compensationem teneri, qui sciens & volens alteri iniuste damnum, seu causam damni dedit, vt dictum dub. 2.

Regula-

Regulariter autem nulli tenetur de damno, qui eo solum falsauit, quod sine authoritate legitima, aut non debita forma pecuniam procudit; nisi forte ea banniretur, aut alioquin inutilis redderetur, vt sæpe accidit, vt recte Nauarrus Man. cap. 17. n. 167. & Sylvester V. *Falsarius* n. 9. licet aliter sentiat Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 1. à n. 310. Quod si etiam monetario damnum aliquod datum est, id compensandum erit, iuxta prudentis arbitrium. De ipsa vero per se iniuria dictum supra dub. 6.

331 Dices; quid ergo sentiendum de ijs, qui annis superioribus 22. 23. &c. contra leges monetarias Imperij in ipso Imperio, vilioris materiæ monetam cuderunt. Respondeo, eos, qui absque Imperij ac Imperatoris consensu, primi eam ataxiâ induxerunt, vel promouerunt, ex qua ingentia quam plurimis damna illata, multique suis sedibus relictis exulare, nec pauci fame emori coacti fuerunt; cum iniusta causa eiusmodi damnorum fuerint, à restitutione excusari non posse: at vero eos, qui necessitate quodammodo coacti, ad auertenda propria damna, inualescentem iam vsum, ex tacito quodam totius Imperij consensu, secuti sunt, à restitutionis obligatione ac iniustitia excusandos esse: quandoquidem modus & ratio monetæ cudendæ in Imperio, pendet ab eiusdem Imperij consensu, quo potest prioribus legibus derogari, & necessitatis publicæ causa, monetæ valor & ratio mutari.

Quanquam multi viri prudentes & graues existimarunt, multo rectius publico bono consultum futurum fuisse, si monetâ ipsa in se non mutata, solus valor eiusdem auctus fuisset, vt tempore Caroli V. accidit: nec id forte initio difficile fuisset statuere, si non priuati quidam ea in re priuatam potius, quam publicum commodum spectassent; qui qua ratione suam conscientiam velint exonerare, Deoque rationem

332 reddere, ipsi viderint.

Assertio II. Ad eandem restitutionem tenentur falsantes litteras, aut instrumenta publica; idque siue apponendo adulterina signa, siue scripturam mutando. Eadem ratio est, si qui testamenta, instrumenta, rationum libros iniuste lacerent, comburant; nam & isti grauiter iniqui sunt, & sæpe etiam periuri; etsi forte, saltem in foro conscientiæ, proprie falsarij non sint; cuius tamen contrarium asserunt Sylvester & alij.

Amissâ vero scriptura de hæreditate, nobilitate, &c. aliam similem facere, nec falsare, nec peccatum mortale esse, asserit Sa verbo *Falsarius*; cum nemini fiat iniuria: quod ego tamen non facile dixerim; quia graue est, publicorum instrumentorum conficiendorum, etiam alio quouis damno secluso, ius sibi vendicare.

333 Assertio III. Restituendum his casibus ijs ipsis, quibus damnum datum est, si cognoscantur; alias vero pauperibus, vt sentiunt communiter omnes. Abradens vero exuberans pondus quod proprie non esse falsare monetam, notat Sa loc. cit.) monetario restituere debet; aut pauperibus, si ille ignoretur, secundum Petrum Nauarrum, & alios.

Quod forte tamen certum alicui non videatur: cum enim talis possit talem monetam in massam redactam alijs vsibus applicare; cur non possit exuberans pondus suo etiam vsui applicare, relicto interim iusto pondere monetæ? Certe pauxillos eiusmodi excessus condonare censetur monetarius: sicut vicissim etiam pauxillus defectus eidē condonatur: cum moraliter impossibile sit, ad infimas vsque minutias punctum æqualitatis tangere. Secus est; Siquis etiam de iusto pondere diminuat, vt Iudæi faciunt.

Verum Respondetur, ob hoc ipsum, quod in cudenda moneta sigillatim non potest semper punctum attingi; ideo hic videtur tam Reipubl. quam Monetarij tacitus consensus & pactio, vt excessus ille sit quædam compensatio defectus quandoque interuenientis; vt ita saltem in tota aliqua summa pecuniæ null⁹ sit notabilis defectus; quod non fiet, si priuatis liceat exuberans monetæ particularis pondus abradere.

Assertio IV. Ad similem compensationem 334
tenetur etiam, qui falsam, siue adulterinam monetam, sciens cum altero, pro alia re commutauit, vt omnes docent. Quod si quis id nescius & bona fide fecerit, putant Nauarrus & Petrus Nauarrus citati, nihilominus postquam resciuerit, restituere debere damnificato; saltem vt limitat Nauarrus, si ipse fuit in culpa, accipiendo eiusmodi falsam monetam pro vera.

Sed non minus probabile existimo, absolute 335
loquendo, non teneri, vt significat Sylvester V. *Falsarius* n. 8. nisi res pro pecunia falsa accepta, eademque numero restituenda extet, aut alioqn factus sit ex contractu ditior; vel certe ipse nulla simili fraude deceptus, verus fuerit pecuniæ dominus; alioquin satis erit, cedere actionem decepto in primum deceptorem, vt de bonæ fidei possessore dictum in simili superius dub. 2.

Ratio est. Quia extra illos casus, nec ratione rei acceptæ, nec ratione iniustæ acceptionis, aut etiā ipsius contractus, vlla hic oriri potest obligatio restitutionis; & in pari innocentiæ causa, melior est conditio possidentis. Plura apud Couarruuiā de collatione veterum numismatum.

Quæritur II. Quid restituendum, ob gabel- 336
las, iniuste exactas, vel defraudatas? Intelligitur vero hoc nomine, omne publicæ pensionis, siue exactionis genus; siue sit *vectigal*, quod pro rebus auectis vel aduectis soluitur, siue *tributum*, quod ex proprio cuiusque subditi solo Principi in subsidium necessitatis tribuitur, siua *Tallia*, quæ secundum proportionem totius substantię, quam quisque habet, à subditis exigitur, iuxta Sylvestrum V. *Gabella* 1. n. 1.

Assertio I. Gabellæ aperte iustæ in con- 337
scientia persoluendæ sunt; ac proinde si defraudentur, restituendæ. Ita ex communi Sylvester V. *Gabella* 3. quæst. 8. Caietanus in summa V. *Vectigalia*, Ioannes Medina quæst. 13. de restitut. Sotus lib. 4. de iustitia quæst. 6. a. 4. Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 11. Couarruuias in regulā *Peccatum* par. 2. §. 5. Petrus Nauarrus l. 3. c. 1. n. 129.

Nauarrus man. c. 17. n. 201. de tributis loquens, Valentia q. 6. pun. 5. Vasquez 1. 2. tom. 2. disp. 159. n. 14. post Panormitanum, & alios.

338 Probatur tum ex illo ad Romanos 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributũ, tributũ: cui vectigal, vectigal: cui timorẽ, timorem: cui honorem, honorẽ.* Tum quia hæc partim spectant ad stipendium, iure naturali principi debitum: partim ex tacito consensu, & quasi contractu debita sunt ad communia onera æqualiter perferenda. Accedit ipsa communis existimatio hominum.

339 Contrarium tamen docet Angelus V. *Pedagiũ* quæst. 6. cui fauet Nauarrus man. cap. 13. n. 55. & 60. asserens, per se nullam legem, quæ statuit pœnam temporalem, obligare transgressores ad peccatum mortale; eiusque exemplum adducit legem de vectigalibus soluendis; refutatus idcirco à Vasquez citato.

Caietanus vero loc. cit. cap. 3. ait, vix vllam gabellam esse iustam, Fumus V. *Gabella* n. 18. dicit, omnes fere esse dubias. Vnde Sa V. *Gabella*, edit. ant. ad restitutionem non vult obligare eos, qui fraudarunt; in tanto enim dubio, inquit, ob grauium Doctorum opiniones, melior est conditio possidentis: sed in particulari circumstantiæ considerandæ, & vbi gabellas manifeste iustas esse constiterit, tutum non existimo negare: neque est sufficiens fundamentum, cur omnes gabellæ aut iniustæ, aut dubiæ existimentur.

340 Illud crediderim, si à vectoribus, aut venditoribus nulla fraude vsis, nihil exigatur, non magnopere à Confessario cogendos, vt inquirant exactores; sufficere enim, si petitum vectigal soluant, docent Carbo q. 33. Sotus loc. cit. & lib. 3. q. 6. art. 7. in fine, & fauet Nauarrus citatus cap. 23. n. 55. & 60. nisi forte aliud habeat communis vsus Reipub. & persuasio: alias sensus legis, & mens tacite pacisscentis populi in mitiorem partem accipi poterit; etsi contrarium sentiant Petrus Nauarrus, & alij.

341 Assertio II. Gabellæ iniustæ, si defraudẽtur, restituendę non sunt, qn potius in his tã Princeps imponẽs, quã ministri exigentes, obnoxij sunt restitutioni. Ita omnes. Patet; quia pretiũ inique extortũ vel acceptum obnoxium est restitutioni.

Assertio III. An gabellæ dubiæ sint in conscientia soluendæ, dubium est: siquidem Valentia cum Soto putat, in dubio præsumendũ pro Principe, Carbo q. 33. ex communi dicit, persoluendas, si antiquæ sint, secus si nouæ. Quod etiam docent Sylueſter V. *Gabellæ* 4. n. 7. & Caietanus citatus, post Angelum, Gabrielem, &c. Equidem in dubio probabili, nec exigentẽ, nec defraudantem peccati mortalis damnauerim, vel ad restitutionẽ coëgerim, cum Petro Nauarro & Sa: idque ipsum indicat Sylueſter V. *Gabellæ*. n. 6. Nã ex vna parte melior est in dubio cõditio superioris præcipiẽtis; ex altera subditi possidẽtis, in his videlicet rebus quæ supioris arbitrio nõ p oña subsunt.

342 Assertio IV. Ad iustas gabellas quatuor cõditiones requiruntur. Prima est, legitima authoritas in parte imponẽtis, qualis est Imperatoria, Regia, & aliorũ Principũ, qui in sua administratione Superiorẽ non agnoscunt. Hic accedit auctoritas Pontificis, & cõcilij generalis in ordine ad finem spiritualem: & denique aliorum, quibus hoc ius consuetudine præscripta cõuenit; alias incurritur excomunicatio bullę, vt recte notarũt Caietanus, Sylueſter, Medin. Couarruuias, Valẽtia, alij citati.

Secunda conditio est legitima causa, qualis est, 343
vel principis iuxta suũ statũ competens sustentatio, excluso immoderato luxu; vel necessitas, aut manifesta vtilitas boni communis. Quod si causa veteris gabellæ penitus desijt, nec alia noua sufficiens succesſit, tũ iniuste gabellæ exactio ꝓducitur secundũ omnes: nisi forte excuset imemorialis consuetudo; vt quidẽ excusare posse sentiunt Carbo & Medina: etsi negent Sylueſter, Caietanus, Petr⁹ Nauarr⁹, & apud eundẽ Angelus, Gabriel, Corduba, quod vtiq; veri⁹ est, si ea ipsa cõsuetudo semp fuerit in prima illa causa fundata.

Hoc certum est, datũ pro certa causa v. g. pro assecurandis, siue sternendis vijs publicis, causa non secuta, obnoxium esse restitutioni; vel certe vt minimum damna subsecuta à Principe cõpensanda, vt docent Medina & Carbo: quamuis Petrus Nauarrus ex Sylueſtro, & Caietano non male asserat, vtrumque restituendum.

Tertia cõditio est legitim⁹ modus seu forma, vt 344
videlicet secundũ proportionẽ bonorũ ęqualiter omnes grauentur; & non magis illi, qui plus indigent. Vnde comuniter iniustũ est, gabellas imponere ijs rebus, quas quis ad suã, aut suorũ sustẽtationẽ & vsum acquirit; cum etiã in iure non concedantur, nisi super ijs rebus, quæ negotiationis causa transportantur, aut venduntur, vt ex Cod. de vectigalibus l. *Vniuersim* & l. *Omnium* recte docent Caietanus, Valentia loc. citatis.

Addit Angelus, non posse contrariũ consuetu- 345
dine introduci: Sed vniuersim talis consuetudo reprehendi non debet; saltẽ cum aliæ gabellæ ad propositos fines non sufficiũt; modo interim prouideatur, ne imoderate grauentur pauperes, aut certe ijsdem alia ratione fiat compensatio, vt docent Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 14. Nauarrus man. cap. 17. num. 203. Sylueſter V. *Gabella* 3. n. 14. Valentia citatus, & Azor tom. 3. lib. 5. cap. 21.

Ob eandem causam, non potest princeps suo arbitrio, & absque iusta causa, publicum bonum concernente, subditos quosdam eximere ab eiusmodi publicis oneribus; ne hoc ipso alij plus iusto grauentur, iuxta citatam l. *Omnium*. Qua tamen suppetente, potest, vt docent Sylueſter V. *Priuilegium* q. 9. Azor tom. 1. l. 5. q. 10. ex Bartolo.

Quarta conditio est, vt non petatur, nisi à qui- 346
bus iure potest. Ab Ecclesiasticis autẽ non potest, vi vllius consuetudinis, sine expressa licentia Papæ, nisi quoad ea, quæ deferunt causa negotiationis; aliàs exigentes, si quidem sit communitas, incurrunt interdictum; si autem personæ singulares, excommunicationem, ex cap. *Quanquam* de censibus in 6. De qua re iusta seueritate censet Nauarrus cap. 17. n. 203. & est excommunicatio hodie reseruata in bulla cœnæ, vt recte Toletus in eadem bulla.

Excipiuntur tamen casus quidam, in quibus etiam licite à Clericis eiusmodi pensiones

exigun-

exiguntur, de quibus Toletus ibidem, & Azor tom. 3. lib. 5. cap. 19. & sequentibus; vbi etiam in specie de studiosis agit; in quibus quidē standum est communi consuetudine: quod etiam nonnulli de Clericis sentiunt, apud eundem cap. 19. q. 3. Sed obstat cit. cap. *Quanquam*, & bulla cœnæ; de qua re plura de Ordine.

Quæritur III. Quid restituendum, ob illicitam lignationem, pabulationem?

347 Assertio I. Ligna cædens, aut pabula carpens in silua, aut pascuis alterius priuati, vel eius communitatis, ad quam ipse non spectat, sine explicito, aut rationabiliter præsumpto consensu domini, illiusue communitatis, perinde peccat, & ad restitutionem obligatur, vt in alijs rebus furto sublatis accidit: nisi quis forte extreme, vel saltem grauiter indigens, moderate quippiam ex aliena sylua, sine damno notabili, acceperit; tunc enim probabile est, accipientem non peccasse saltem mortaliter, nec ad restitutionem teneri. Ita Medina q. 102. Sotus 4. de Iustitia, Nauarrus manual. cap. 17. n. 122. Valentia q. 6. pun. 5. Aragonius q. 62. a. 3. Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 14. Ratio est. Quia moderata acceptio bonorum eiusmodi non ita solet ægreferri; nec tam est pernitiosa domino, quam vtilis accipienti; & communi gentium vsu, tales non perinde habentur fures, acsi alienam domum ingressi, pecunias surripuissent, inquit Aragonius citatus.

Idem est de eo, qui pabulatur in alienis pascuis, ne greges fame pereant; modo tamen hic, si extra necessitatem extremam alicui damnum notabile inferat, compenset, secundum Carbonem quæst. 36.

348 Assertio II. Lignans aut pabulans in sylua, seu prato eius communitatis, ad quam ipse pertinet, peccat quidem venialiter, si tempore iure prohibito, aut supra mensuram iure taxatam accipiat; ac post Iudicis sententiam tenetur ad soluendam pœnam statutam: at vero mortaliter non peccat, nec ante sententiam ad restitutionē accepti tenetur; nisi damnum notabile communitati intulerit; hoc enim iuxta viri prudentis arbitrium compensare debet. Nec vero id communiter pluris æstimari debet, quam ligna cæsa; nisi forte multæ nouæ plantæ vtiles exciſæ sint.

Ita præter citatos Molina tom. 1. tract. 2. disp. 58. Salon q. 62. a. 3. controuersia 2. Lessius citatus; & habet communis praxis, & persuasio hominum; quæ optima legum interpres est; quicquid Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 10. corollario 1. absolute dicat, eiusmodi cæsores, si notabilem quantitatem cædant, peccare mortaliter, contra Molinam, Salonem, Lessium, & mox ad restitutionem teneri, contra alios omnes.

Addit Lessius idem dicendum de incolis duorum oppidorum, vel pagorum, habentium loca compascua, vel sylvas cæduas; si alteri in alterorū sylvis hinc inde lignentur. Censentur enim tunc communitates condonare vicissim, quod oblatum fuerit, contentæ multâ, si qui in furto deprehendantur. Sed in particulari leges etiam municipales & consuetudo attendenda sunt.

Quæritur IV. Quid restituendum ob illicitam venationem, piscationem, aut pium. 349

Assertio I. Animalia domestica, quantumuis à stabulo procul aberrantia, auferens, restituere debet, vt ex l. *Pomponius* ff. de acquirendo rerum dominio, docent omnes; nisi forte sint à domino penitus derelicta; quod item de alijs rebus incendio, aut naufragio periclitantibus dicendum, vt recte docent Nauarrus cap. 17. n. 98. & Caietanus opusculo de vsura cap. 1. Ratio. Quia hæc semel sub dominium redacta, seipsa nō possunt in libertatem vendicare.

Assertio II. Idem dicendum de feris mansuefactis, captis, aut inclusis, aut alioquin solitis redire ad consueta domini septa; quamdiu consuetudinem redeundi non amittunt. Secus est de feris, quæ retenta feritate, quocunque casu custodiam euaserint. Ita ex Institut. § *Pauonum* de rerum diuisione, docent Ioannes Medina q. 12. de restitut. Sotus l. 4. de iustitia q. 6. Couarruuias in regulam peccatum part. 2. §. 8. n. 14. Valentia q. 6. pun. 5. 350

Nec tamen putarim, vt absolute docent Nauarrus citatus & Syluester V *Iuramentum* q. 1. §. *Tertium*, statim amittere consuetudinem redeundi, si bis, terue non redeant; nisi plane ad pristinam feritatem redeant, atque ita in libertatem se vindicent; quod prudentis arbitrio diiudicandū est, vt recte Lessius 2. lib. n. 30. cap. 2.

Nec etiam captæ, aut in dominium alicuius redactæ censeri debent feræ illæ, quæ in vasta aliqua sylua, seu saltu, aut magno lacu, arte, vel natura circumseptæ sunt; sed illæ solum, quæ in piscinis, hortis, viuarijs ita occlusæ tenentur, vt eas dominus arbitratu suo possit capere & vsurpare, si velit, vt recte ex Couarruuia n. 15. notat Valentia citatus, Petrus Nauarrus num. 296. Lessius n. 46. quicquid dicat Iosephus Angles in flor. 4. & alij. 351

Assertio III. Idem in specie sentiendum de columbis, sub tectum redire consuetis; iuxta Nauarrum cap. 107. n. 127. & communem. In quibus tamen videndum, an recepta consuetudine, & tacita quasi conuentione licitum sit, vt habentes columbaria eas sibi mutuo capiant. Item vtrum, cum in agris alienis pascuntur, impune à domino agri occidātur, vt notat Aragonius. 352

Certe Nauarrus, Sotus, Valentia, Molina disp. 48. Lessius n. 39. putant non admodum nocere agris, ac proinde, sicubi moris est, licite haberi; præsertim si dominus etiam agros habeat, aut saltem in columbario eis alimenta præbeat.

Addit Lessius n. 28. columbas appositis illecebris suo columbario capientes, communi iure obligari ad restitutionem. Secus, inquit, si id sine fraude accidat, v. g. quia melius eas alit, vel commodiorem stationem aptauit. Sed, vt dictum, in his attendendum ad consuetudinem communem, & in Repub. probatam. 353

Assertio IV. Ad animalia non mansuefacta pertinet etiam examen apum; quod proinde si ita euolet, vt aspectum fugiat, ac difficilis sit eius persecutio, potest à quolibet capi; etiamsi ex arbore aliena dependeat. Etsi re integra 354

prohibere possis, ne alius fundum tuum ingrediatur, aut arborem conscendat, vt docent Azor tom. 3. lib. 1. cap. 13. q. 1. & Lessius loc. cit. ex l. *Naturaliter* ff. de acquirendo rerum dominio.

355 Assertio V. Venantes aut piscantes contra iustam prohibitionem, feras seu pisces adhuc liberos, & sub nullius dominium redactos, vtpote in syluis, aut fluminibus existentes, peccant quidem contra iustitiam, cum ius alterius violent; atque ideo etiam debent compensare damna insecuta ei, qui ius venandi habet; si nimirum notabiliter imminuantur feræ; & post sententiam Iudicis iustam pœnam soluere debent: Attamen nisi Princeps in aliquo particulari casu, seu loco, iustas ob causas, ferarum dominium acquiri prohibuerit, feræ captæ restitui non debent; cum à capientibus earum acquiratur dominium. Ita Sotus, Medina, Carbo, vterque Nauarrus, Valentia citatus, Sylvester V. *Venatio*, Molina disp. 81. alijque communiter omnes; ita vt neget Petrus Nauarrus, sibi visum esse, qui contrarium sentiret. Ratio est; quia communi iure res sub nullius adhuc dominiũ redactæ, fiunt primo apprehendentis seu occupantis, vt dictum q. 1. dub. 5. esto apprehensio illa ob prohibitionem illicita sit.

Quam proinde doctrinam citati authores etiam recte extendunt ad eos qui in alienis, etiam priuatis fundis, aut syluis vel fluminibus ab alio conductis venantur, piscantur. Quo fit, vt per se loquendo, qui in eiusmodi locis vnã aut duas feras capit, parum, aut nihil restituere teneatur; quia vix vllum ideo damnum dedisse censetur.

356 Sed quid sentiendum de piscibus nassa conclusis; aut feris, seu auibus laqueo tentis? Couarruuias in regulam *Peccatum* n. 13. Nauarrus c. 17. n. 176. Azor tom. 3. lib. 1. cap. 13. ex communi iuxta l. *In laqueum*, de acquirendo dominio, adiudicant illas eximenti; nisi contraria alicubi sit consuetudo.

Sed contrarium videtur verius cum Molina d. 42. Sayro c. 9. n. 6. & Lessio n. 48. nisi forte fera se extricatura fuerit, priusquam ab eo, qui laqueum aut nassam posuerit, apprehenderetur. Nec sane in alio casu videtur lex illa recepta: præsertim quia alias vix negari posse videtur, eum, qui laqueum tetendit, saltem ius ad rem acquisiuisse; cui proinde iniuria infertur; esto non ideo quod acceptum est, restitutioni obnoxium sit, vt in simili dictum n. 355.

Alia ratio est feræ, quæ cum ab vno vulnerata fuisset, nunc ab altero capitur; pertinet enim hæc ad capientem, vt ex communi docent citati ex §. *Illud quæsitum*, Instit. de rerum diuisione: nisi ita vulnerata fuerit, vt percussor insequens eam certo esset capturus, vt recte Lessius n. 47.

Quod si fera, quam ego persequor, incidat in alienum laqueum, tum is qui prior occupauerit, dominus efficietur, vt docet idem Lessius n. 50. Etsi Sayrus, Molina, Rebellus quæst. 14. n. 16. diuidendam prædam existiment. Plura de his rebus in ff. l. 3. 4. 5. de acquirendo rerum dominio & l. 3. ff. de acquirenda possessione, & Instit. de rerum diuisione.

Vt autem sciatur, quando venatio iuste prohibeatur, sit 357

Assertio VI. Ad hoc duo requiruntur. I. authoritas legitima, qualis est in eo, qui Superiorem in suo regimine non agnoscit, aut certe hoc ius aliunde legitime præscripsit: alias liberum videtur, etiam in alieno agro aucupari, vel venari, saltem ex communi consuetudine; licet ius Ciuile aliter disponere videatur, vt notat Azor tom. 3. lib. 3. cap. 3. q. 3.

Secundo requiritur iusta causa, videlicet ne aut feræ pereant, vel notabiliter deficiant; aut ne Principi honesta recreatio desit; aut ne agricultura, aliaue necessaria Reipublicæ negotia à priuatis deserantur, litesue & rixæ multiplicentur; vt habet communis apud Carbonem q. 34. Molinam disp. 46. Aragonium, Valentiam loc. citatis: quicquid Ostiensis, Ioannes Andreæ, & plures alij Iurisconsulti, apud Couarruuiam, & Carbonem dixerint, simpliciter illicitam esse talem prohibitionem.

Præter hæc autem, quæ ad validam prohibitionem sunt necessaria, etiam in ipsa prohibitione modus seruandus est. Primo enim etsi Principes possint prohibere, tamen nisi ex magna aliqua publicæ necessitatis causa, impedire captarum ferarum dominium nõ possunt, vt ex communi docent Caietanus, Couarruuias, Petrus Nauarrus, Lessius n. 46. 358

Secundo æquum non esse omnium omnino animalium, piscium, auium venationem, omni tempore prohibere, notat Carbo quæst. 34. nisi idipsum forte etiam specialis aliqua ratio requirat.

Tertio Principes qui pœnis atrocioribus, vt mortis, mutilationis, publicorum flagellorum, venantes in loco publico afficiunt, Sylvester V. *Restitutio* 3. & V. *Venatio*, Nauarrus, Couarruuias, Molina citati, Lessius n. 45. alijque communiter omnes, grauiter damnant: nisi forte id fiat, ob peculiarem contumaciam & contemptum Principis; aut quia tales ferarũ indagatores etiam alias nocturnas prædas agunt aut latrocinia exercent, vt sæpe accidit. 359

Quarto grauiter etiam peccant, si, quantum in se est, damnum ferarum non auertant; & multo magis, si feras ab agris efficaciter arceri non permittant; itemque si damna illata non compensent, vt docent Carbo q. 34. Lessius, alij.

Quod limitandũ censeo, modo subditus damnum patiens, ipse sibi per suam negligentiã causa damni non extiterit. Vbi diligenter prudentis iudicio expendendum, an & quantum diligentiæ onus, in custodiendis, contra feras, prædijs, iure imponere subditis Princeps potuerit. 360

Excipit Lessius n. 37. alios etiam duos casus. Primus, si communitas sponte videatur in hæc onera consensisse. Secundus, si Princeps in terra hostili à se occupata, tale ius in aliquo saltu instituat, priusquam agri vicini diuidantur. Plura apud citatos.

DVBIVM XIII.

Quid restituendum, ob contractũ illegitime peractum; speciatim ex defectu solennitatum; & quid de testamentis minus solennibus sentiendum?

Ad S. Thomam 2. 2. q. 62.

361 QVæritur I. An & quando generatim restitutio facienda sit propter contractum illegitime peractum.

Respondeo breuiter, generatim loquendo, ex triplici capite fieri posse, vt contractus sit nullus, aut alioquin id, quod per eum acquisitum est, restituendum. Primo; Si ipso iure naturali sit irritus, aut saltem ita iniquus, vt retractandus sit à contrahente, etiam citra Iudicis sententiam, prout ex parte dictum dub 11. & in particulari melius constabit infra de contractibus quæst. 7.

Recte tamen notat Sa V. *Contractus* & V. *Respublica*, cum Caietano, contractum, qui cõuniter in vsu, & Reipublicæ vtilis est, non debere facile condemnari, nisi aperte constet esse illicitum; cum possit Respublica supplere, quod contractui deest. Nec etiam facile damnanda statuta, quæ videntur iniqua, vel vsuraria; cum Respublica ob bonum commune rem vnius transferre possit in alterum, vt dictum etiam superius quæst. 1. dub. 5. & in materia de legibus.

Quod si contractus non aduersetur iustitiæ, licet aliunde sit illicitus v.g. ex parte loci, temporis, &c. tum per se, & secluso iure positiuo, ipsiusque iudicis sententia, non est irritus.

362 Secundo irritus est contractus; si lex non solũ prohibeat contractum, sed etiam simpliciter & absolute dominij, omnisque Iuris translationem impediat, vt ex communi recte docent Sa loc. citat. & Angles in 4. part. 2. de dominio, alijque infra citandi. Qua ratione, nec Testatores suos necessarios hæredes defraudare sua legitima possunt; nec Clerici inferiores, sua auctoritate, bona Ecclesiæ alienare, vt habetur extra de alienatione rerum Ecclesiasticarum. Simile est, ne valeat donatio inter maritum & vxorem; inter patrem & filium non emancipatum; nisi in quibusdam casibus, apud Syluestrum V. *Donatio* 2. & Medinam Cod. de restitut. q. 23. & 24. Ex parte etiam, ne pupilli absque tutoris auctoritate contrahant, iuxta dicta dubio 9.

Quod si lex in præsumptione fraudis & doli fundetur, adeoque contractum irritet, non absolute, sed propter dolum, quem subesse præsumit, tunc si absit fraus & dolus, veritasque stet contra præsumptionem, in conscientia non est irritus contractus, ante sententiam iudicis, vt ex communi docent Syluester V. *Lex* q. 9. Nauarrus c. 17. n. 83. vel 301. & c. 23. n. 62. Valentia q. 6. pun. 5.

363 Tertio irritus redditur contractus, si, quamuis non sit ipso iure in conscientia nullus & irritus, à iudice tamen legitime irritetur, vt ex communi docet Valentia alijque citati. Exemplum esse potest, si contractus ex graui metu, vndecunque tandem iniecto, sit irritus, iuxta dicta dub. 11. aut si ob præsumptionem fraudis sit prohibitus: quo casu putat Valentia, talem contractum semper à iudice rescindendum; quod tamen per Epijkiam limitat Molina disp. 224. in causa pupilli, vt diximus dub. 11. n. 310. Imo de testamento minus solenni contrarium colligitur ex iure, saltem in casu, vt mox dicam.

364 Quæritur II. An contractus mere ciuiles, ob defectum solennitatum iure requisitarum, sint in foro conscientiæ irriti. In controuersia hac grauissima quinque sunt sententiæ. Primo enim Couaruuias in regulam *Peccatum* part. 2. §. 3. num. 8. & lib. 3. variar. resolut. cap. 2. num. 5. Carbo de restitut. quæst. 46. Beia casu 53. Salon quæst. de dominio artic. 4. Aragonius tract. de dominio ad quæst. 62. Azor tomo 3. lib. 6. cap. 9. & apud eosdem Baldus, Ledesma, & alij, absolute docent, tam testamenta, quam alios contractus, iurris solennitate destitutos nullos esse etiam in foro conscientiæ; quandoquidem absolute in iure irriti decernuntur. Excipiuntur tamen semper legata pia, etiam testamento minus solenni coram duobus testibus relicta, quæ valere docent ijdem, ex cap. *Relatum* 1. de testamentis, de quo infra.

Secundo Syluester V. *Alienatio* §. 12. & V. *Testamentum*. §. 5. Angles part. 2. de dominio, Panormitanus, Adrianus, Medina, Tabiena, Armilla apud Carbonem, & alij quidam absolute putant, tales contractus in conscientia, si fraus absit validos esse; adeo vt nec apud iudicem quidem eorum rescissio postulari possit. Fundamentum est; quia putant eiusmodi solennitates solum pertinere ad forum externum, vt acta iudicis auctoritate rata habeantur; non ad forum internum conscientiæ, seu obligationem naturalem.

365 Tertio Sotus lib. 4. de iustitia quæst. 5. artic. 3. Sa V. *Contractus*, Lopez 2. part. cap. 14. item Victoria, Paulus de Castro apud Carbonem & Molinam, putant, tales contractus in foro quidẽ externo irritos haberi; at in foro conscientiæ esse validos: & nihilominus per iudicem irritari posse; idque ipsum alteram partem licite procurare, quamuis ei de contraria voluntate, Testatoris v.g constet. Idem docet Bannes hac q. 62. de dominio, excipiens tamen matrimonialem contractum (qui semel validus irritari non potest;) & electionem Ecclesiasticam, quam iure irritam, nec in conscientia quidem transferre titulum probabilius putat, quicquid dixerint Panormitanus & alij, &c. Sed de his non est quæstio.

366 Quarto, Valentia disputat. 5. quæstione 6. punct. 5. docet, contractus absolute propter bonum commune prohibitos, etiam in conscientia irritos esse: at vero qui solum ob præsumptionem fraudis prohibiti sunt, inter quos numerat etiam ipse testamenta minus solennia (quamuis Sot⁹, Couarruuias, Molina de his aliter loquãtur)

non esse irritos in conscientia, donec per Iudicem irritentur, vt supra dictum.

367 Quinto Molina tom. 1. disputatione 81. docet, testamenta quidem minus solennia in conscientia rata esse, nec irritari posse per Iudicem, si aliunde, nimirum ex confessione hæredis, cui testamentum aduersatur, constet, eam esse voluntatem testatoris. Id quod firmis argumentis ex iure probat idem Molina, præcipue ex leg. *Etsi inutiliter*, & l. vltim. C. de Fideicommissis. Item l. *Non dubium* C. de testamentis. Additque nec apud Iudicem quidem talis testamenti irritationem exigere posse hæredem, qui compertam habeat eam testatoris voluntatem: at vero alios contractus destitutos debita iuris solennitate, non solum in foro externo, sed etiam in conscientia irritos esse; ac proinde quæ per eos acquisita, etiam ante sententiam restituenda, cum in iure absolute irriti decernantur, nec alibi declaretur, solum in externo foro irritos esse. Eandem sententiam & distinctionem tanquam probabiliorem sequitur Lessius lib. 2. c. 19. dub. 3.

368 Assertio I. Testamenta minus solennia ad causas pias, tam in foro externo, etiam extra terras Romanæ Ecclesiæ, quam in foro conscientiæ valida sunt; modo adsint duo testes iure gentium requisiti. Ita communis omnium Theologorum, & Iuristarum sententia, nominatim Valentiæ quæstione 14. punct. 3. Azor libro 5. cap. 21. tom. 1. Lessij libro 2. cap. 19. dub. 2. Molinæ tom. 1. disputatione 134. qui dicit, hoc seruare praxin vtriusque fori. Ex Iuristis idem docent Couarruuias in capit. 11. de testamentis numero 9. Iulius Clarus §. *testamentum* numero 1. Tiraquellus in tract. de priuilegijs causæ piæ, priuilegio 1. vbi cum sex sententias de valore testamenti, seu legati minus solennis in genere retulisset, denique concludit, *Non tamen mihi est animus*, inquit, *omnium omnia adducere, satis est, quantum ad hunc locum pertinet, quod omnes in hoc conueniant, quod in relictis ad pias causas vbique sufficiant duo testes, iuxta cap. cit. de testamentis.*

369 Quibus postremo adiungo Iasonem male à nonnullis in contrarium citatum. Is enim in l. 1. numero 21. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs sic ait: *De Iure Canonico clarum est, quod cessant solennitates iuris ciuilis in testamento condito ad quamcunque causam piam, cap. Cum esset, & cap. Relatum de testamentis: quæ iura procedunt non solum in foro Canonico, sed etiam in foro ciuili, & in terris non subiectis Ecclesiæ, secundum glossam, & magis communem opinionem.* Ita Iason, nec vnum quidem referens, qui contrarium senserit, vt proinde iam dudum etiam libro 2. defens. Eccles. libert. c. 8. contrariam sententiam, velut in re graui, & cum Ecclesiæ præiudicio coniuncta, non satis tutam putarim: Nec his repugnat Henricus Canisius Ingolstadiensis Academiæ vna mecum olim Professor, qui & se ad eosdem authores refert lib. 3. summæ iuris Canonici cit. tit. & eandem sententiam suamet Testamenti factione cõprobauit, multis pijs legatis testamento minus solenni relictis.

Ratio est, Quia cum ad summum Pontificem spectet, ordinare hominum actiones ad finem supernaturalem, & pia eorundem studia fouere, submotis etiam quibuslibet impedimentis contrarijs; ideo potuit is quidem, hac in re, legibus derogare: voluisse autem derogare, satis aperte colligitur ex cit. cap. *Relatum*, de testamentis. 370

Addit Lessius primo, idem dicendum esse de legatis pijs, in profano testamento contentis, iuxta citat. capit. *Relatum*, & Couarruuiam citatum. Secundo, etiam legata profana posita in testamento ad pias causas minus solenni valere, ex communi apud Clarum. Tertio, nec duos quidem testes ad pia testamenta & legata in foro conscientiæ necessarios esse, sed solum probationis causa in foro externo. De quo loquitur citat. cap. *Relatum.* Quod etiam cum Molina doceo inferius quæstio. 7. dub. 11. num. 307.

Quod vero ad cætera testamenta, aliosq; contractus mere ciuiles attinet, sit,

Assertio II. Nulla sententia ex citatis aperte fala videtur; minus tamen est cæteris probabilis prima, quoad testamenta minus solennia; quæ in conscientia irrita non esse, eo præcise, quod debita solennitate destituantur, ex iure efficaciter probare videntur Molina, & Lessius. Eademq; etiam communis est sententia Theologorum, vt ex dictis constat. 371

Et rursum ex eo etiam confirmatur, quia communis sententia Doctorum vtriusque iuris est, ex testamento minus solenni oriri obligationem naturalem, vt testatur Iulius Clarus §. *testamentum* quæstione 90. numero 1. & Iason. l. *Cunctis* 10. C. de Iuris & facti ignorantia numero 13. & fatetur Couarruuias numero 10. atqui hoc nihil aliud est, quam testamentum tale in foro conscientiæ esse validum; ita vt hæres ab intestato teneatur ei satisfacere; quamuis Ius ciuile actionem ex eo non concedat; sicut etiam accidit in simplici promissione: quandoquidem naturalis obligatio nihil aliud est, quam quæ præciso omni iure positiuo, oritur ex natura actus, & à iure positiuo superueniente non irritatur.

Assertio III. Probabilissima tamen videtur tertia illa Soti, Victoriæ, Lopez, Bannis & Sa sententia, nisi forte in aliquo particulari casu, ius, aut consuetudo recepta, aperte impediat omnem dominij, iurisque translationem; aut etiam ante sententiam præcipiat restitutionem, vt supra dictum; & modo etiam hæres ab intestato, qui legatum sibi commissum testamento minus solenni irritari procurat, fraude non agat, sed totam Iuris & facti controuersiam, iudici ita candide dirimendam proponat, voluntatemque testatoris, si scit, patefaciat, ad quod etiam sub iuramento cogendum à Iudice, ex l. vlt. C. de Fideicommissis, valide probat Molina. 372

Hanc sententiam ideo mihi præ cæteris persuadeo. Tum quod in foro conscientiæ apud Theologos magis practicatur, vt notant Bannes &

Lessius;

Lessius; sicut etiam ad praxin facilior & accommodatior est. Tum quia cum iura eodem modo de Testamentis, & alijs contractibus minus solennibus loquantur; & tamen ex iure satis constet, testamenta minus solennia non esse in foro conscientiæ irrita vt dictum, recte ob paritatem rationis, idem de alijs contractibus dicendum erit.

DVBIVM XIV.

De Circumstantijs Restitutionis; nimirum quid seu quantum; cui, & quo loco; à quibus; quo ordine; & quando, restituendum.

S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 3. 5. 6. 7. 8.

373 QVæritur primo; Quid & quantum restituendum? Quatuor præcipuas circumstantias restitutionis q. 62. a. 3. 4. 5. 6. 7. & 8 hoc ordine persequitur Sanctus Thomas, vt art. 3. & 4. agat de circumstantia *Quid*. artic. 5. de circumstantia *Cui*. art. 6. & 7. de circumstantia *Quis*. art. 8. de circumstantia *Quando*. De quibus ordine agemus. Quod vero ad præsentem quæstionem attinet, sit

374 Assertio I. Idipsum (in specie, vel indiuiduo) per se loquendo est restituendum, quod ab altero ablatum est, siue reipsa iam ab altero possessum fuerit, siue ex spe probabili possidendum; quanquam hoc casu, bonum ablatum, seu potius impeditum, ad æqualitatem compensandum non sit, sed iuxta arbitrium boni viri. Ita S. Thomas a. 4. & patet ex dictis supra dub. 2.

375 Assertio II. Si res ablata vsu consumptibilis non est, tum eadem numero restituenda est; secus, si sit vsu consumptibilis, vt pecunia, frumentum &c. tunc enim regulariter satis est æquivalens restituere; nisi ex rationabili causa constet, aliam esse domini voluntatem. Ita communis apud Valentiam q. 6. pun. 6. quicquid Petrus Nauarrus lib. 4. cap. 1. num. 5. vniuersim dicat, eum qui rem æque præstantem restituisset, sine omni iniustitia, rem ipsam ablatam, quamuis postulanti domino, negare: quod non probatur; potuit enim ob quandam circumstantiam extrinsecam vt quia à maioribus accepta, vel magno principe donata, res in indiuiduo rationabiliter & iure exigi.

376 Assertio III. Nunquam etiam plus restituendum, quam ablatum fuerat; nisi vel post sententiam iudicis, in pœnam; aut per accidens, cum res restitutioni obnoxia forte meliorata fuit, iuxta dicta superius dub. 9. Atque ita ex communi Sanctus Thomas hic artic. 3. Ratio patet; quia restitutio æqualitatem spectat, non excessum: & pœna ante sententiam Iudicis non est soluenda vt dictum tomo secundo, disputatione quinta, quæstione 6. dub. 4.

Quæritur secundo; Cui & quo loco, restituenda res accepta.

377 Assertio I. Regulariter restituenda est ei, à quo accepta est, si quidem is ad eam vel tanquam dominus, vel saltem tanquam custos, aut depositarius ius aliquod habebat. Ita Sanctus Thomas quæst. 62. art. 5. ex communi, idque Caietanus ibidem & in summa V. *Restitutio* & Nauarrus cap. 17. Manual. nu. 29. etiam extendunt ad furem & prædonem; tanquam si ipsis quoque immediate res restituenda sit, non domino ex l. 1. §. *Prædo* ff. depositi; saltem vbi non constet, furem domino restituturum.

Sed hoc improbabile videtur, nec rationabiliter præsumi potest, esse domini voluntatem, sine qua fur nullum ius ad rem illam acquirendam, nec restituendi quidem gratia habere potest, vt recte Salon, Aragonius, Bannes, hic loc. cit. Valentia quæst. 6. punct. 4. & plane indicat Sanctus Thomas citatus. Et lex illa intelligitur, si de vero domino non constet; aut cum res in iudicium deducta est, vt per authoritatem iudicis, nomine prædonis, sit restituenda; aut cum forte dubium est, num fur ille habeat ius ad eam rem. An vero liceat quandoque restituere furi, dictum est supra, tam de bonæ, quam malæ fidei possessore dub. 2. & 9.

378 Assertio II. In quibusdam tamen casibus, non est restituenda res iusto possessori, à quo accepta erat. Ita omnes cum Sancto Thoma cit. art. 5. Primus casus est; si talis restitutio sit nociua ei, cui fieri deberet; aut alteri, præsertim ipsi domino: tunc enim aut restitutio differenda aut res apud alterum tutiore loco deponenda est, vt de gladio furiosi dicit S. Thomas art. 5. ad 1. Id vero etiam necessario faciendum esse, si dominus aut possessor antiquus re illa abuti velit in aliorum iniuriam, aut etiam in suum ipsius nocumentum, per eius rei læsionem, quæ ipsius dominio subest, vt vitæ, membrorum, &c. communis est sententia.

379 At si solum per prodigalitatem, vel intemperantiam re sua abusurus est, putant quidem nihilominus Molina tom. 1. tractat. 2. disputat. 755. Angles art. 1. de restitut. difficultate 2. & Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 4. (citanturque in eandem sententiam Sotus lib. 4. quæst. 7. artic. 1. Nauarrus cap. 17. num. 62. & 63.) posse, & quandoque etiam debere differri restitutionem. Sed si dominus exigat rem suam, verius existimo, debitum hic nullum esse; posse quidem differri restitutionem concessero, si dominus non nimium vrgeat: at si fortiter instet, videtur iuste negari non posse, vt vniuersim docet Azor tom. 8. lib. 3. cap. 39. & de re deposita ex communi Aragonius art. 5. post Adrianum, Sotum, &c. etsi negare videatur Caietanus hic. Eadem videtur ratio rei mutuatæ.

Imo Sotus, Salon, Petrus Nauarrus, putant, etiam domino restituendum, si plane vrgeat, quomodocunque in eius nocumentum restitutio vergat, quod non credo: & recte negant Angelus, & alij citati, cum S. Thoma; nisi forte adeo importune vrgeat, vt sine proprio debitoris in-

commodo detrectari restitutio non possit: in quo charitatis ordinis habenda est ratio.

380 Eadem de causa bona Ecclesiastica, restitutioni obnoxia, non Prælato dissipanti; sed Ecclesiæ restituenda, docent Caietanus, & Valentia citati; licet aliter sentiat Nauarrus manual. cap. 17. numero 29. cui ex parte fauet S. Thomas articulo 5. ad 5. vbi docet, Episcopum si bona Capituli sibi vsurparit iniuste, debere restituere Capitulo; si bona Ecclesiæ suæ custodiæ deputata, in alterius dominium transferat, puta consanguinei, vel amici, restituere debere Ecclesiæ, & sub sua cura habere, vt ad successorem perueniant; quod si bona Ecclesiæ animo solum surripuerit ea nempe possidendo vt sua, tum animum solum iniquum deponendum.

381 Secundus casus est, si plane ignoretur dominus, etiam facta sufficiente inquisitione; tunc enim seu viuus sit, seu mortuus, id quod debitū est, pauperibus, vel in pios vsus distribuendum esse docet Sanctus Thomas articulo 5. ad 3. ex communi, & cum eo Aragonius, Bannes ibidem, Valentia q. 6. pu. 4. aliíq; omnes, iuxta cap. *Cum tu*, de vsuris.

Addit Aragonius ex Couarruuia in regulam *Peccatum* part. 3. §. 1. id etiam iure naturæ faciendum esse; quia debitor debet restituere domino meliori modo, quo potest; etsi Sotus libro 4. de iustitia quæstione 7. articulo 1. ad 3. Medina quæstione 3. Petrus Nauarrus numero 44. Lessius cap. 14. dub. 6. contrarium sentiant; præsertim cum creditor per mortem videatur amisisse ius & dominium rerum temporalium.

382 Quocirca etiam nonnulli putant, habentem bona aliena contractu iusto, eorumque dominum penitus ignorantem, posse illa sibi retinere, cum cit. cap. *Cum tu*, de vsuris, vt & cap. *Cum sit*, de Iudæis, solum de bonis illicite obtentis loquantur; de quibus id merito cautum, ne ex iniuria ditescere quis possit. Eandemque sententiam probabilem censet Lessius citatus. Sed contrarium vti communius, ita verius est.

383 Interim si Domino, aut hæredibus nihil prodesse pium hoc opus existimetur, nec eam domini fuisse voluntatem præsumatur, tunc iure quidem naturæ restitutio talis facienda pauperibus non erit; & potest restituens, si vere pauper est, etiam sibiipsi restitutionem facere; ex communi.

384 Quod si Creditor non est omnino ignotus, sed potius indeterminate cognitus; quod tunc accidit, quando debitor certo scit, se debere vni ex duobus, aut tribus, vel pluribus; sed ignorat tamen in particulari, quis ille sit, tunc res aut inter hos diuidenda erit æqualiter, vel inæqualiter, pro ratione dubij, aut certe ex eorum voluntate aliter cum illis transigendum, v. g. per sortes, vt recte Aragonius cit. q. 62. a. 5. ex communi.

385 Quæres, an etiam res casu inuentæ si Dominus etiam diligenter inquisitus ignoretur sint pauperibus distribuendæ. Affirmant Caietanus, Syluester, Nauarrus, Couarruuias, Valentia & Summistæ omnes; estq; communis Theologorum & Iurisperitorum sententia.

Sed satis probabilis videtur sententia Soti libro 5. de Iustit. quæstione 3. articulo 3. Aragonij hic artic. 5. Petri Nauarri libro 4. cap. 2. numero 75. & apud eosdem Sarmientæ, Ledesmæ, Bartholomæi Medinæ, & aliorum, quos non reijciunt Sa V. *Thesaurus*, & Lessius capit. 14. dub. 7. posse licite seruari ab inuentore, tanquam res derelictas, donec prodeat verus Dominus; eo quod talis res merito habeatur pro derelicta & perdita, saltem donec proprius dominus occurrat.

Nec obstat cap. *Si quid inueniſti*, & cap. *Multi*, causa 14. q. 5. quia loquuntur in casu, quo dominus noscitur.

Tertius casus est, si dominus sit mortuus, tunc 386
enim res debita restituenda est hæredibus, ad quos realia iura defuncti transeunt; vt ex communi docet Sanctus Thomas quæstione 62. articulo 5. Quod si nec hæredes supersint, danda est pauperibus, iuxta dicta: nec ad eiusmodi restitutionem pauperibus faciendam, opus est Episcopi authoritatem accedere, saltem per se, & communi iure, vt recte cum Soto, docent, Nauarrus cap. 17. numero 91. Medina, Petrus Nauarrus, Aragonius ex communi. Et colligitur ex cap. *Cum tu*, de vsuris; quicquid in contrarium aliqui dixerint per cap. *Cum sit*, de Iudæis. Quod in particulari solum casu, nempe de Iudæis loquitur; vt & cap. *Quanquam*, de vsuris in 6. agit solum de manifesto vsurario, nec tamen absolute & vniuersim ea in re Episcopi authoritatem requirit, vt ibidem videre est.

Quartus casus est, si dominus forte absens, 387
alium suo loco constituat acceptatorem debiti; alias vtcunque dominus multum distet, transmittendū est ei, quod debetur, si quidem hæc putetur voluntas domini; idque præcipue si res magni valoris, & possit commode transmitti: estque hoc faciendum sumptibus debitoris, si is iniuste rem acceperit, vt patet ex cap. *Redintegranda* 3. quæst. 1. & l. *Si vero*, ff. de rei vendicatione: nisi forte dominus interim sedem mutauerit, nec sine sumptu eam illuc fuisset translaturus; tunc enim fur eum deducere poterit, vt recte Lessius du. 15. cap. 18.

Quod si debitor iuste rem obtinuit, satis est, eam illic restituere, vbi accepit; nec tenetur suis sumptibus rem ad dominum transmittere; nisi vel de hoc ipso, pro varia contractus ratione, saltem tacite fuerit conuentum; vel debitor ipse, non dominus sedem mutarit.

Transmissa autem per nuncium res, si pe- 388
reat, antequam à Creditore accipiatur, debitori perit; quia dominus est, ex dictis de dominio: nisi forte Creditor ipse nuncium misisset; vel aliter eum transmissionis modum determinasset; tunc enim ipsi periret, & non debitori transmittenti, vt cum Panormitano, Medina, Ledesma, ex communi recte notat Aragonius q. 62. artic. 5.

Quod si ob difficultatem & incommoditatem

transf-

transmittendi, excusetur forte debitor à transmissione, iuxta dicenda de causis excusantibus; tunc differenda erit restitutio: quod si impedimentum sit perpetuum, pauperibus erit restituenda, aut pijs causis, ex Nauarro man. cap. 27. n. 29. & dictis in simili n. 381. & 386.

389 Quintus casus est; Si lex in pœnam peccati priuet eum, qui dedit, iure recipiendi. Quo modo Sanctus Thomas quæstio. 62. articulo 5. ad 2. tradit, id quod per Simoniam acceptum est, nec danti restituendū, nec ab accipiente retinendum, sed pauperibus dandum. De quo infra de Simonia disp. 5. q. 8. dub. 4.

390 Quæres, an sufficiat id, quod tibi debeo, soluere Creditori tuo? Lessius cap. 16. dub. 5. cum Angelo V. *Solutio* numero 13. & Syluestro eodem V. numero 4. quæstio. 3. causa 5. & glossa Institut. Quibus modis soluatur, putat id satis esse in foro conscientiæ, licet in foro externo ordinariè cogar meo creditori restituere, iuxta Bartolum l. *Solutum* de pignoratitia.

Ego nec in conscientia id existimo sufficere, nisi in vtroque debitore, par plane per omnia fuerit obligationis æqualitas, non tantum secundum quantitatem, sed etiam quoad debiti liquiditatem, obligationis magnitudinem, secundum omnes præsentes circumstantias, ita vt proprius creditor tunc non possit esse rationabiliter inuitus, vt bene etiam docet Valentia q. 6. punct. 7.

391 Quæritur III. A quibusnam restituenda sit res accepta?

Assertio I. Omnis, qui vel rem alienam habet, vel iniuste, aut etiam iuste titulo oneroso accepit, ad restitutionem tenetur; ille quidem ratione rei acceptæ, hic ratione ipsius acceptionis, vt docet S. Thomas quæst. 62. a. 6. & dictum supra dub. 2.

392 Assertio II. Ad idem tenentur etiam cooperatores iniustæ acceptionis, his versibus comprehensi à S. Thoma q. 62. a. 7.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quorum sex priores positiua & directa causa iniustæ acceptionis esse intelliguntur, tres postremi indirecta, iuxta Sanctum Thomam locis citatis.

Intelligitur autem hoc loco *palpo* is, qui laudando, vel adulando, ad iniustam acceptionem inducit. Verbo *Recursus*, receptator furis, nempe qui eum vt furem recipit, ei ad hoc ipsum cooperando; nō qui materialiter & solius amicitiæ causa eum recipit, vt recte Aragonius cit. a. 7. Verbo *Participans* intelligitur qualiscunq; socio criminis, siue vt excusator, siue vt mediator, siue vt explorator. Verbo *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*; is, qui ex officio & obligatione erga læsum, tenebatur impedire eius damnū verbis, siue præcepto, aut consilio erga male factorē; vt Superior, Consultor, Custos; aut factis, vt Princeps, Iudex, apparitor &c. aut verbis apud Superiorem manifestando, vt testis. Qui qua ratione in particulari teneantur ad restitutionem diximus supra du. 2. & q. 4. dub. 6.

Assertio III. Nemo tamen ex prædictis ad restitutionem tenetur, nisi eius generis cooperatio fuerit iniusta; & acceptio seu damnificatio propter ipsam talem cooperationem fuerit consecuta. Ita aperte S. Thomas quæst. 62. a. 7. ad 3. Item Nauarrus, Couarruuias, Medina, Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 10. ex communi, contra Richardum, Angelum, Caietanum, qui de indirecte cooperantibus aliter docuerunt. Patet ex ijs, quæ in genere dixi de restit. supra dub. 2. 393

Id vero procedit, siue interim acceptio iniqua reuera sine tali cooperatore facta non fuisset, siue secus, vt recte cum Sancto Thoma docent Caietanus ibidem, & V. *Restitutio*, Salon hic, Ioannes Medina quæstione 7. de restitut. Sotus libro 4. quæstion. 7. articulo 3. Couarruuias super regulam *Peccatum* part. 2. §. vel quæstione 6. part. 3. Petrus Nauarrus libro 3. initio 3. capitis, & alij, quicquid Innocentius, Ostiensis, Altisiodorensis, Richardus, Antoninus, Gabriel, Adrianus apud citatos, & Syluester V. *Restitutio* 3. in contrarium dixerint.

Inde autem fit, vt ad restitutionem non teneatur, nec iubens, nec consulens, si ante factum & ille iussionem, & hic consilium reuocet, quia reuera tales non cooperantur, quando operam à se collatam prius irritam faciunt, quam in opus prodeat, vt recte Sa V. *Restitutio*, Petrus Nauarrus cap. 14. numero 27. post Medinam; quicquid nonnulli dixerint. Nec etiam suadens, nisi persuaserit; nec consentiens, si aut primum post factum consenserit, resque sine fiducia futuræ approbationis facta est, aut etiam ante factum, sed res ob talem consensum facta non est, vt docent omnes, & S. Thomas locis citatis. 394

Exemplum est in eo, qui suffragium dat indigno, postquam videt per priora suffragia beneficium illi iam adiudicatum esse, secundum Caietanum V. *Restitutio*, Nauarrum cap. 17. numero 21. Salonem quæstione 62. articulo 7. controuersia 1. Medinam, & alios, nisi forte talis ex officio debuerit & potuerit electioni efficaciter obsistere, eamque irritam reddere. Nec etiam in dubio an reuera cooperatus fuerit, vel an ad restitutionem teneatur, ad eam tenetur quisquam, vt ex probabili docet Syluester V. *Restitutio* quæstione 3. dub. 2. Petrus Nauarrus libro 3. cap. 4. à n. 58. Sa citatus, & dictum supra dub. 2. 395

Assertio IV. Omnes aliquo ex prædictis modis efficaciter inferentes damnum, tenentur in solidum, ita vt si cæteri non restituant, totum quisque restituere teneatur; esto fuerit causa minus principalis. Ita ex communi & certa docent Caietanus, Sotus loc. cit. Valentia q. 6. pu. 3. Petrus Nauarrus n. 49. post Antoninum, & patet ex cap. finali de iniurijs & damno dato. Ratio. quia sunt causa totius damni, etsi non totalis. 396

Vnde si exercitus, ex consensu ducis coniunctisque operis & animis vrbem aliquam iniuste deprædetur, non solum Capitaneus, sed etiam singuli gregarij milites in vrbe prædantes,

aut

aut pro securitate facinoris excubantes, in solidum de damno tenentur, vt recte Lopez 1. part. cap. 98. Sotus 4. de iustitia part. 7. articulo 3. Couarruuias §. 12. numero 2. quia singuli, vt dictum, efficaciter, etiamsi non totaliter, ad totum damnum concurrunt; cum vnus alteri præstet fiduciam, authoritatem, aut qualemcunque opem, nec vnus sine alijs facinus aggredi ausus fuisset; quicquid in contrarium senserit Nauarrus cap. 17. numero 21. Syluester V. *Bellum* q. 7. concluſ. 6. & Petrus Nauarrus nu. 53. quasi singuli milites teneantur solum de suo quisque damno.

397 Secus est de latronibus, qui non communicato consilio & ope, suo quisq; arbitrio, vrbem vel domum deprædantur, vt dictum supra dub. 9. sicut & de remigantibus Christianis in nauibus Turcarũ, qui qua ratione ab onere restitutionis & peccato probabiliter excusentur, dictum est du. 2. & in materia de scandalo.

398 Assertio V. Est tamen inter istos cooperatores aliquis ordo, ita vt vnus ante alterum ad restitutionem teneatur. Ita cum Sancto Thoma citat. quæstione 62. articulo 7. ad 2. omnes. Et quidem loquendo de titulo restitutionis ex iniusta acceptione præcise, iuxta Sanctum Thomam ibidem; Primus est *iubens*, quo etiam pertinet vi cogens, aut fraude consulens aut quolibet modo inducens, vt suo nomine damnum inferatur. Imo etiam vniuersim scienter malum *consulens*, vt insinuat Sanctus Thomas, & aperte docet Caietanus articulo 6. & Bannes articulo 7. consulentem executori anteponentes, & merito: licet aliter Lessius cap. 13. dub. 5. Ratio est. Quia hoc ipso, quod isti executorem determinarunt ad damnum inferendum, par est, vt primi damnum sentiant, & in se principaliter contrahant omnem obligationem, quam ab eis inductus incurrit. Hos igitur deinde sequitur *exequens*, vt habet communis, quicquid Nauarrus, & quidam alij executorem etiam iubenti anteferre videantur.

399 Inter alios autem eum esse ordinem, indicat Sanctus Thomas ad 2. qui in ipsis versiculis citatis seruatur: sed reuera quoad directe concurrentes inter seipsos comparatos, res admodum dubia est, & videtur parua inter eos esse differentia. Nec vero vnus se habet velut instrumentum respectu alterius, vt videre est apud Petrum Nauarrum numero 74. Quocirca iudicio boni viri res in particulari diiudicanda erit, & æquissimum videtur, vt quisq; conferat aliquid pro rata parte, siue plus, siue minus, vt etiam docet Lessius citat. cap. 13. dub. 6. numero 49.

400 Paulo diuersa ratio est causarum non impedientium, quas probabile est, non nisi post omnes causas positiuas teneri, iuxta Lessium dub. 11. numero 81. quicquid sit de ordine earundem inter se. Quod si absolute loquamur, de ordine restitutionis quocunque titulo faciendæ, ante omnes vtique tenetur ille, qui rem alienam eandem numero restituendam adhuc possidet, aut certe ex ea ditior est factus, ex communi, apud Couarruuiam, Valentiam, Petrum Nauarum. &c.

Quod si res non eadem numero restituenda, à damnificantibus alicui donata fuerit, tunc si donator restituere possit, donatarius non tenetur; saltem si donans per commixtionem, aut simili modo, acceptæ rei dominium acquisierit: etsi Lessius libro 2. cap. 13. dub. 5. vniuersim asserat, primo loco, & ante omnes teneri, eum ad quem res furtiua peruenit, siue extet in specie, siue non extet; si tamen inde factus sit ditior. 401

Assertio VI. Vno ex prædictis restituente, non est damnificato ipsi vlla restitutio facienda, vt omnes docent, & per se patet; nec etiam illi ipsi, qui restitutionem fecit, ab ijs qui minus principaliter tenebantur; secus est de principalioribus, qui pro sua singuli parte, vel etiam iuxta dicta, in solidum restituere tenentur in conscientia ei, qui minus principaliter tenebatur, si hic priori forte restituit. Ita expresse Sanctus Thomas quæstione 62. articulo 7. ad 2. & communis. Antoninus, Syluester, Couarruuias, Ioannes & Bartholomæus Medinæ apud Petrum Nauarrum nu. 97. & Lessium loc. cit. quicquid in contrarium dixerit Angelus V. *Furtum* q. 16. 402

Nec quoad hanc vniuersalem doctrinam dissentiunt Caietanus, Sotus, Iosephus Angles, Valentia. Quia respectu ipsius damnificati, nulla restat inæqualitas; sed solum respectu socij minus principalis; licet in foro externo socijs criminis non detur actio in principalem, iuxta l. *Si plures* 16. ff. de dolo. 403

Interim tamen etiam probabile est, quocunque ex principalioribus in solidum restituente, alios omnes teneri, non quidem secundum æquales partes, sed pro rata singulos. Pro qua sententia, tanquam valde probabili, citat etiam Petrus Nauarrus, Scotum, Gabrielem, Paludanum, & quosdam alios. 404

Hoc certum, si principalis auhor aut nolit, aut non possit restituere, eum qui succedit, teneri; quod si plures æqualiter fuerint cooperati, ad totum damnum, teneri quidem singulos in solidum in defectũ aliorum. At si alij etiam faciant, quod debent, pro sua rata tantum, & æqua parte, vt supra dictum.

Assertio VII. Si principali fiat condonatio, alij sunt liberi; secus, si fiat minus principali. Ita communis apud Lessium citatum cap. 13. dub. 3. & Petrum Nauarrum n. 112. qui addit, si damnificatus minus principali omne suum ius actionemq, concedat, alios principaliores non minus teneri ei de damno, quam prius tenebantur ipsi damnificato. 405

Quæritur IV. An etiam quis sibi ipsi restitutionem facere possit clandestina compensatione.

Respondetur, id licitum esse his circumstantijs concurrentibus. Prima, vt, quod accipitur, debitum sit ex iustitia, hic & nunc; nam ex sola charitate debitum, aut ex iustitia quidem, sed non statim, & hoc tempore restituendum 406

(si mo-

(si modo sit spes, te rem tuam iure alterius finito, commode recuperaturum) accipi non potest. Ita ex communi Caietanus hic quæst. 62. art. 7. Sotus lib. 5. quæst. 3. art. 4. Couarruuias in regulam *Peccatum* part. 2. §. 1. n. 3. Ratio est; quia restitutionis debitum solum oritur ex violatione iustitiæ.

407 Etsi Petrus Nauarrus lib. 3. de restitut. cap. 1. à numero 192. extendat hoc ad quodcunque debitum, cuius solutio sine peccato prætermitti ab altero non possit: ratus proinde, pauperem graui necessitate pressum, posse etiam eleemosynam negatam à diuite clam surripere, quod etiam docet Sa V. *Furtum*, & Lessius cap. 7. dub. 12. citans etiam *Angelum* & Syluestrum V. *Furtum*, Nauarrum cap. 17. num. 5. Ioannem Medinam Cod. de eleemosyna q. 7.

Sed contrarium est verius. Quia in graui solum necessitate alter retinendo, imo etiam tuendo rem suam, nulli facit iniuriam; secus in extrema, vbi omnia fiunt communia. Idem colligitur ex cap. *Si quis*, de furtis. Verosimilius id esset, si ex pietate, vel simili virtute debitum esset.

Secunda conditio est, vt debitum sit liquidum, ex cap. *Bona fides*, de deposito: acceptum enim in dubio, cum sit melior conditio possidentis, restituendum est, nisi postea compereris rem esse tuam; secus si bona fide acceptum sit, & postea superueniat dubium, vt recte Petrus Nauarrus & constat, ex quæstione prima, dub. 6.

408 Tertia conditio, vt plus non accipiatur, quam debitum sit; alioquin excessus restituendus erit, vt patet.

Quarta. Vt sit actu debitum, non potestate; vnde pro pœna, nondum latæ, sed ferendæ sententiæ, nil clam accipi potest; & acceptum restituendum. Secus esse iudicat Petrus Nauarrus, de pœna ipso iure statuta, v. g de bonis hæreticorum ipso iure fisco applicatis. Sed neque in his priuata authoritate accipi quicquam posse verius est; quia quamdiu leges vsum & administrationem permittunt (quod fit ante sententiam, ex dictis alibi) non potest possessor suo iure & facultate spoliari à priuatis.

409 Quinta. Vt debitum non possit saltem consueta litigantium facilitate, adeoque absque notabili molestia, vel amissione beneuolentiæ & fauoris, vt ait Lessius cap. 12. dub. 10. alia via recuperari, siue in iudicio, siue extra; siue interim id fiat propter alterius partis nequitiam, potentiam &c. siue propter defectum probationis, expensas. Colligitur ex Can. *Lator*, causa 2. q. 7.

Excipitur tamen, vi receptæ consuetudinis, debitum ex delicto ortum, quod idem numero reddendum sit, & facile recuperari possit, v. g. si abductum pecus in via publica reperiatur. &c. Ob defectum tamen huius conditionis, non oritur restituendi obligatio. Quia ex parte rei acceptæ nulla fuit iniustitia.

410 Sexta; Vt vis abfit, quæ non licet, nisi cui licet bellum vindicatiuum; alioquin satisfaciendum pro iniuria, etsi res accepta propterea restituenda non sit: imo quamdiu vis iniusti inuasoris durat, saltem moraliter, vt quando res ablata nondum est in locum tutum recepta, etiam per modum iustæ defensionis repeti potest acceptum: secus si res in locum tutum iam sit recepta; nisi forte vis sit moderata, atque interim ita perturbata sit Respublica, vt res recuperari aliter non possit, resque tua apud alterum extet in sua specie, vt cum Soto lib. 5. q. 3. a. 3. notat Lessius cap. 12. dub. 11.

Septima. Vt res, ex qua fit priuata compensatio, non sit depositum, ex cap. *Bona fides*, de depositis & l. *Si quis vel pecunias*, & l. vlt. C. de depositis, & in ff. l. 1. §. *Si prædo vel fur* eod. tit. iuxta communem, apud Ioannem Medinam q. 3. de restitut. Couarruuiam Relect. in caput. *Quamuis pactum* 1. part. §. 4. n. 5. etsi Petrus Nauarrus à n. 389. Lessius citatus n. 60. non improbabiliter existiment, eas leges spectare solum ad forum externum; vel certe intelligendas, si aliter obtineri possit compensatio; ac proinde in foro conscientiæ, seruatis alijs conditionibus, secus facientem non esse damnandum. 411

Quæritur V. Quo ordine Creditoribus satisfaciendum, quando omnibus satisfieri non potest. 412

Assertio I. Iure naturali, tam ex certis, quam incertis debitis, ante omnia prius restituendæ sunt suis dominis res alienæ, quæ eædem numero restituendæ extant; seu quarum dominium in debitorem non fuit translatum, vt sunt deposita, pignora, commodata, locata; & communi iure, extra certos casus, empta nondum soluto pretio. Ita ex communi, & certa sententia docent Caietanus V. *Restitutio*, Valentia q. 6. punct. 10. Lessius cap. 15. dub. 1. Ratio. Quæ hæc non nisi suis dominis, aut qui ipsis succedunt (hæredibus, vel pauperibus, si ignoretur dominus) sunt obligata.

Assertio II. Ex rebus in simili specie solum restituendis, non alienis, iure naturæ, prius satisfaciendum est debitis certis, quam incertis. Ita ex communi Syluester V. *Restitutio* 6. quæst. 2. dub. 5. Nauarrus cap. 17. numero 49. Valentia, Lessius citati. Ratio. Quia incerti debitores tantum, & tam strictum ius non habent, quam certi & determinati. Quo fit, vt inique faciant, qui impetrata remissione incertorum debitorum, per compositionem cum Pontifice, pecuniam incertis debitis respondentem, sibi tanquam propriam retinent; nec de illa certis etiam creditoribus satisfaciunt, vt recte notarunt Caietanus & Valentia. 413

Assertio III. Ex ijsdem certis debitis, postpositis debitis personalibus, prius soluenda sunt debita, quæ stricte vocantur *Realia*, vt sunt omnia, pro quibus certa quædam, aut omnia bona debitoris, expresse vel tacite, sunt hypothecata: ita tamen vt ante omnia soluantur moderatæ expensæ factæ pro funere debitoris; item pro scribendo testamento, faciendo inuentario, custodia supellectilis, & similibus 414

oppor-

opportunis, vt fiat restitutio. Ita quoad priorem partem, habet communis Theologorum & Iuristarum sententia, ex C. & ff. Qui potiores in pignore, & C. In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur, & authentica, de collatione dotis. Speciales casus refert Aragonius hic q. 62. a. 8. Ratio est. Quia ob hanc causam datur hypotheca, siue ex iuris dispositione siue ex conuentione contrahentium, vt assecuretur debitum; & eo ipso, quod creditoribus hypothecarijs bona debitoris sunt obligata, chirographarijs autem non item, habent illi ius ad bona debitoris, ante istos.

415 Secundam partem ex communi tradit Lessius capit. 15. dub. 4. & quoad expensas funeris, sumitur ex leg. penultim. ff. de religiosis & sumptibus funeris. Idem à simili est, si quis expensas fecerit pro funere eius, quem debitor sepelire debuisset, vt pro funere vxoris, filij &c. De reliquis habetur ex vsu & consensu Doctorum. Ratio. Quia expensæ priores, ob singularem pietatem, merito præ reliquis fauorem habent; hæ vero ad hoc ipsum conducunt, vt aliqua fieri possit restitutio.

416 Assertio IV. Inter hypothecarios Creditores, prius satisfaciendum ijs, qui tempore sunt priores; exceptis quibusdam casibus seu debitis priuilegiatis. Ita communis Theologorum & Iuristarum apud Syluestrum V. *Restitutio*, 6 quæst. 5. Couarruuiam libro 1. variarum resolut. capit. 7. num. 2. Medinam, Valentiam citatos, Lessium cap. 15. dub. 4. Et habetur ex leg. 2. 4. 5. 6. 7. 8. C. Qui potior in pignore: siue interim hypotheca prior, sit tacita, siue expressa; siue specialis, siue generalis, vt ex communi iuxta ll. citatas recte Lessius; quicquid Sylvester V. *Restitutio* 6. q. 5. & Nauarrus cap. 17. num. 50. & 51. dixerint, eos, qui expressas habent hypothecas, præferri ijs, qui habent tacitas, siue legitimas; aut vt speciatim etiam asserit Sylvester, speciales generalibus præferri.

Ratio sumitur tum ex regula iuris; *Qui prior est tempore, potior est iure.* Tum quia in hoc casu, cum bona ipsa debitoris creditoribus obligentur, idcirco per priora debita iam obstricta, & quasi onerata, transeunt ad posteriores creditores, qui proinde prioribus nihil præiudicare possunt.

417 Hic tamen excipiuntur septem casus, quos partim ex citatis iuribus, partim ex communi Doctorum sententia refert Lessius citatus. In quibus est & dos vxoris, quæ tamen non præfertur hypothecæ expressæ priori, sed tantum tacitæ, ex recepto vsu, & communi Doctorum, apud eundē. Eodem modo qui mutuauit pecuniam ad refectionem vel conseruationem domus, vel etiam alterius rei, præfertur cæteris, quibus eadem res fuerat ante obligata, iuxta l. 5. ff. Qui potiores in pignore; quia videlicet sine eo res illa nulli prorsus commodo futura erat.

418 Huc etiam refertur ille casus, si pro re empta, quæ etiamnum apud debitorem extat, nondum fuerit solutum pretium, nec interim etiam pignus, aut fideiussio, aut pretij exhibitio interuenerit; esto cum venditor fidem Emptoris sit secutus, pretium quasi pro soluto habens, translatum fuerit rei venditæ dominium, ex Institut. de rerum diuisione §. *venditæ*, tunc enim venditor præferendus est cæteris hypothecarijs, saltem non priuilegiatis, vt ex probabiliori docent Ioannes Medina, Caietanus, Nauarrus, Valentia citati, Salon hic a. 8. in fine, Lessius c. 15. du. 2. post Baldum, conuenienter l. 2. ff. Qui potiores in pignore, & citatæ superius authenticæ de collatione dotis.

Etsi contrarium non improbabiliter sentiant Couarruuias lib. 1. variarum capit. 7. numero 3. Petrus Nauarrus lib. 4. cap. 4. numero 39. Molina disp. 536. rati vniuersim, talem venditorem nullo peculiari priuilegio gaudere; nisi forte sit res Ecclesiæ, vel Fisci, vel minoris, vt videre est apud Lessium citatum.

Ratio tamen nostræ sententiæ est. Quia etsi quidem hoc casu, res talis proprie ac formaliter, nec expresse, nec tacite sit hypothecata venditori, tamen ipsa æquitate naturali, venditor sibi merito hoc ius reseruare voluisse censetur, vt res vendita, vsq; ad solutionem præstitam, sibi ante omnes maneat obligata.

419 Assertio V. Eadem antiquitatis prærogatiua, ex probabili, habet quidem etiam locum in debitis personalibus, seu chirographarijs: sed contrarium probabilius est. Primam partem tradunt Medina, Valentia, Salon loc. citat. Toletus l. 5. c. 25. Sa V. *Restitutio* n. 63. Ratio est. Quia videtur eadem ratio istorum, cum creditoribus hypothecarijs; cum præsertim contrarium in iure non sit adeo clare expressum.

Secundam partem tradunt Aragonius (asserens esse communem Doctorum) & Lessius cap. 15. dub. 6. citans Sylvestrum, Antoninum, & Baldum. Eadem est communis Iuristarum sententia quam ex vsu fori tradunt Andreas Gail l. 2. obseruatione 25. n. 2. & Matthæus Wesenbecius in paratitlis ff. de priuilegijs creditoris num. 6. & colligitur ex l. *Pro debito*, C. de bonis authoritate Iudicis possidendis & l. 1. ff. de separationibus.

Ratio est. Quia vbi de personalibus debitis agitur, cum bona ipsius debitoris non sint obligata creditoribus, idcirco non obstantibus prioribus debitis, libera, & sine onere transeunt, & relinquuntur omnibus creditoribus etiam subsequentibus; secus quam in priori casu. Quocirca etiam omnes isti simul concurrunt, & omnibus simul soluitur vel totum debitum, si ad hoc bona Creditoris sufficiant; vel nihil, si pignoratitij Creditores reliquum nihil fecerunt, nisi forte ratione causæ quispiam cæteris præferatur, quod plurimum ex consuetudine, aut particularibus statutis pendet.

420 Assertio VI. Inter Creditores tamen personales, nullum alioquin priuilegium habentes, iure à debitore cæteris præferuntur ij, qui in debito exigendo fuerunt diligentiores, adeo, vt si talis creditor, siue extra, siue in iudicio exigat solutionem, possit & debeat illi satisfieri integre; etiamsi tempore sit posterior. Ita Nauarrus c. 17. num. 52. Sylvester V. *Restitutio*,

Valentia,

Valentia, Aragonius citati, Lessius c. 15. dub. 5. & colligitur ex l. *Pupillus* 24. ff. Quæ in fraudem Creditorum. Ratio est. Quia de tali euidentius constat, eum iuri suo non cedere &c.

Secus si debitor, vel eius hæres soluat posteriori, omisso eo, qui habet hypothecam priorem, priuilegiatam, sciens id fieri cum damno prioris; tunc enim tenetur priori de damno, & potest prior, quod solutum est recuperare à posteriori, vt recte Lessius ex l. *Scimus* §. *etsi præuentam* C. de iure deliberandi.

421 Assertio VII. Alias inter debita personalia, quæ ex delicto, & quæ ex iusto contractu, per se nulla videtur differentia. Ita Syluester V. *Restitutio* 6. Aragonius citatus, Petrus Nauarrus libro 4. cap. 4. Lessius cap. 15. dub. 3. iuxta l. 6. C. de bonis authoritate Iudicis &c. Quicquid Valentia, & Caietanus citati, Nauarrus num. 52. Carbo quæstione 92. Sa V. *Restitutio*, post Antoninum, præferant debita ex iusto contractu oneroso: contra vero Salon quæstione 62. articulo 8. Medina quæstione 2. de restitut. dub. 5. consentiente etiam Sancto Thoma opusc. 73. cap. 18. præferant debita ex delicto, & in his ea, quæ cum maiori iniuria fuerunt coniuncta: quæ ipsi etiam praxi aduersantur, nec aliqua firma ratione nituntur.

422 Assertio VIII. Etsi quidem paupertatis conditio, per se non faciat meliusius Creditoris, tamen cæteris paribus, aut in dubio rationabili, aliquando etiam præceptum esse potest, in foro conscientiæ, vt quis ratione paupertatis, saltem cum grauis est necessitas, cæteris præferatur. Ita Syluester, Medina, Aragoni⁹, Valentia, Salon, citati. Nec dissentit Lessius c. 15. dub. 7. Idem expresse tradit S. Thomas opusc. 73. cap. 18. qui docent, debitorem, si ex pietate soluat Creditori valde egenti, etiamsi ille non peteret, non peccaturū; esto talis solutio in foro externo reuocaretur, vt ait Aragonius.

Imo etiam ad hoc teneri sub mortali, ex charitatis lege, cui nil præiudicet iustitia, putauit Valentia, & significant citati. Quod clarius est, si probabile sit, etiam titulo pauperis conditionem esse meliorem. Hoc satis certum, etiam coniunctissimis, & maxime indigentibus impendi non posse, quod idem numero alijs restituendum sit, nisi in extrema necessitate, aut ex consensu Domini saltem rationabiliter præsumpto, iuxta ea, quæ superius dixi.

423 Assertio IX. Ea quæ dixi procedunt communi iure: quod si quæ peculiares alicubi hac de re vigeant leges, aut cōsuetudines rationi consentaneæ, eæ etiam in foro conscientiæ seruandæ erunt: alias neglecto præscripto ordine, peccant non solū soluentes debita, sed etiam solutionem mala fide procurantes, vel accipientes; & tenētur ad restitutionem ijs, qui læsi sunt, faciendam. Ita cōmunis apud Lessium cap. 15. dub. 4. contra Gabrielem 4. dist. 15. q. 2. dub. vlt. vbi dicit, quæ Canonistæ disputant, quinam iure potiores sint in restitutione, potius ad Iudicis, quam ad conscientiæ forum spectare. Ratio est. Quia istæ leges non nituntur præsumptione, sed æquitate naturali, & versantur circa res temporales dispositioni legum subiectas, vt patet in vsucapione. Quocirca etiam ex statutis Bauaricis, Creditores hypothecarij cæteris præferuntur quidem, etiam quoad interesse, sed vnius anni duntaxat.

Aragonius tamen in fine, ob violationem huius ordinis, non putat restitutionem faciendam, quando bona eadem numero alijs obligata non sunt: quod eatenus potest admitti, quatenus prærogatiua personalium debitorum aut nulla, aut non satis liquida est.

Quæritur VI. Quando restituendum? 424

Assertio I. Statim est restituendum; ita vt domino rationabiliter inuito, res debita non retineatur. Ita cum S. Thoma q. 62. a. 8. cōmunis. Ratio est. Quia præceptum hoc magna ex parte negatiuum est, adeoque semper ac pro semper obligat, ex dictis dub. 1.

Assertio II. Probabile tamen est, per se loquendo, non ideo plura numero peccata committi, sed tantum continuari antiquū, quamuis, non interrupto proposito, vno mense vel anno iniuste retineatur res aliena, etiamsi forte sæpius interim offeratur occasio restituendi, aut etiam sæpius renouetur propositum non restituendi. Ita docent Petrus Nauarrus l. 4. c. 4. n. 9. Aragonius hic q. 62. a. 8. & fere Carbo quæst. 7. de rest. post Adrianum: etsi contrarium doceat Sotus l. 4. q. 7. a. 4. Nauarrus c. 17. n. 55. Salon hic a. 8. controuersia 2. Bannes eod. a. 8. 425

Ratio est. Quia omnes isti actus, seu omissiones particulares, ordinantur & tendunt ad vnū peccatum externum omissionis quasi continuatum, eiusq; ratione etiam ipsi inter se quadam subordinatione continuantur, vt generatim dictum tomo 2. disp. 4. q. 2. dub. 4.

Assertio III. Secus iudicandum, si post mutatum in melius animum, adeoq; post pœnitentiā interruptum prioris mali propositi actum, nouum denuo propositum non restituendi concipiatur vel prioris propositi; vis, ob nimiam distantiam, seu interuallū temporis, ad sequens propositum, seu omissionē ex ea secutam, nullo modo extendatur; vt si quis nec formaliter, nec virtualiter diutius retinere rem alienā proposuerit, quā per vnius anni spatiū; ipse vero postea, mutato proposito, alium annum superaddat. Ita Sotus, Nauarrus, Salon, Bannes citati. 426

Prima pars est communis omnium, quicquid dubie loquatur Lessius libro 2. cap. 12. num. 24. Ratio est. Quia isti actus inter se non sunt subordinati, nec aut physice, aut moraliter continuantur, vt de distinctione peccatorum numerica fusius dictum loco cit.

Assertio IV. Nihilominus tamen diuturnitas voluntariæ retentionis in Confessione explicanda est. Ita Bannes & Aragonius, & consentit Lessius cit. numero 24. Ratio est, quia esto, peccata ideo non semper multiplicentur, aggrauantur tamen notabiliter, iuxta ea, quæ de circumstantijs aggrauantibus ex probabiliori doceo in materia de pœnitentia tom. 4. disp. 6. q. 7. dub. 3. 427

DVBIVM XV.

Quænam causæ à restitutione excusent.

S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 8.

428 REspondetur esse sequentes; quas alij in plures, alij in pauciores tribuũt. Prima est ignorantia probabilis, seu iuris seu facti, quod res sit aliena, vel alteri debita: imo etiam dubitatio rationabilis, num sit aliena, post factã debitam inquisitionem, vt docent cõmuniter omnes, apud Valentiam q. 6. du. 7. Quia *in dubio melior est conditio possidentis*. Excusat autẽ hæc causa per accidens, quamdiu durat. Plura hac de re supra dub. 2.

429 Secunda causa est impotentia restituendi, quæ etiam tamdiu excusat, quamdiu durat, & varijs modis accidit. Primo, ob inopiam, si quis non habeat, nec acquirere moraliter possit, vnde restituat, vt ex communi docent Joannes Medina q. 3. de restitut. Couarruuias in regulam *Peccatum* part. 1. n. 2.

Secundo, ob necessitatem, si quamuis habeas, vnde restituas, ipse tamen iam eo indigeas, vel extrema necessitate, quod omnes fatentur, etiamsi ipse Creditor aliunde (non ob tuam subtractionem) sit quoque in extrema necessitate, vt recte Sotus lib. 4. de iustitia q. 7. a. 4. Nauarrus man. c. 17. n. 60. Valentia q. 6. pun. 7. contra Tabienam; quandoquidem in ea fiunt omnia communia: vel etiam graui necessitate, ita vt alioquin grauem in statu iacturam patiaris, vt recte cum Antonino part. 2. tit. 2. cap. 8. docent Caietanus in summa V. *Restitutio*, Nauarrus n. 63. Sotus, Couarruuias, Valentia citati, Aragonius q. 62. a. 8. quicquid Medina dixerit; seruatis tamen & concurrentib⁹ quatuor circumstantijs.

430 I. Vt res eadem numero restituenda non sit; tunc enim differri quidem potest ad tempus eius restitutio, sed non omnino retineri; nisi in extrema necessitate, vt habet communior & probabilior apud citatos. II. Vt creditor non sit in pari necessitate, vt limitant Sotus, Valentia, Aragonius, & alij; etsi Carbo q. 77. & Sa V. *Restitutio* non omnino improbabiliter dicant, debitorem bonæ fidei non teneri cum mutatione sui status restituere; etiamsi creditor ex dilatione cogatur statum mutare; quia in pari casu melior est conditio possidentis. Quod etiam vniuersim de graui necessitate asserit Lessius cap. 16. n. 19.

431 III. Vt in eas angustias amittendi status non sis tua culpa redactus, v. g. ludis, symposijs &c. vt ex Soto lib. 4. quæst. 7. a. 4. & Petro Nauarro lib. 4. cap. 4. num. 44. docet Lessius ibid. num. 28. IV. Vt is ipse status iuste fuerit obtentus, ex communi apud citatos. Quod est valde notandum, inquit Lessius nu. 29. pro multis hoc tempore, qui magnis fraudibus repẽte diuites & magni euadunt: &c. nisi forte in occulto crimine hic rursum excuset periculum infamiæ incurrendæ.

432 Cæterum ea necessitas licet extrema, retinendi & consumendi rem alioquin debitoris propriã, (de re aliena dicetur num. 439.) differt quidem sed non tollit iam aliunde contractam restituendi obligationem, ex communi; licet nonnihil dubie loquatur Lessius lib. 2. cap. 16. n. 18. post Syluestrum, & Petrum Nauarrum: nisi forte res bona fide restituta Creditori, mox, incidente præter opinionem extrema necessitate, recipiatur. Quia acceptum & consumptum in extrema necessitate, per se loquendo, non est obnoxium restitutioni, vt cum Scoto, Richardo, Gabriele, Angelo, Caietano, Syluestro recte docet Valentia loc. cit, quicquid dixerint Adrianus apud eundem, Medina q. 3. Nauarrus num. 61. item Panormitanus, Couarruuias, & alij apud Carbonem. Secus si dolo ita fuisset restituta; quia vis & fraus nemini patrocinari debet.

Quæ omnia procedunt, siue alioquin, quod restituendum est, fuerit iuste acquisitum, siue iniuste; modo status ipse honeste partus fuerit, vt dictum, & cum Antonino citato recte docent Nauarrus n. 57. Couarruuias num. 4. Valentia contra Caietanum in summa. 433

Tertio, excusat impotentia, propter damnum graue in rebus proprijs perferendum à debitore, vt est magnum periculum salutis animæ suæ, vel suorum; item iactura vitæ, incolumitatis, libertatis, famæ, necessariorũ instrumentorũ artis, aut possessionis propriæ vili pretio vendendæ, vt notant Ioannes Medina, Sotus, Valentia citati, Nauarrus n. 56. Couarruuias num. 3. modo rursus tamen creditor simile damnum non incurrat, vt limitat Valentia.

Imo probabilius videtur, quandoque famam alicuius vilis personæ, moraliter rem æstimando, tam paruam esse posse, vt non obstante eius iactura, ingens aliquod debitum pecuniarium compensandum sit, vt recte docent Couarruuias n. 8. Sotus, Valentia citati; etsi non improbabiliter Syluester V. *Detractio* q. 4. casu 2. Nauarrus c. 17. n. 89. 90. 91. & cap. 18 n. 47. Caietanus hic q. 62. a. 3. & opusc. 31. responsione 14. Petrus Nauarrus l. 2. c. 4. n. 405. Corduba l. 1. q. 31. Lesius lib. 2. cap. 11. n. 86. vniuersim negent, bonum inferioris ordinis esse restituendum, cum iactura boni superioris ordinis. 434

Cæterum nemo damnum incurrere in proprijs censetur, eo præcise, quod re aliena, eiusue commodis carere cogitur; adeo, vt quamuis alioquin magna pecuniæ summa restituenda sit, si nullum aliunde damnum immineat, procul dubio sine mora restitui debeat, vt omnes docent. 435

Quin etiam restitutionem ex iniusta acceptione debitam, æqualibus, imo etiã maioribus sumptibus, quam res ipsa restituenda valeat, faciendã esse, modo grauis, aut extrema necessitas ideo nõ incurratur, ex communi docent Sotus, Medina citati, Salon hic q. 62. a. 8. ex dictis supra dub. 2. quamuis ob eiusmodi incommodum ad tempus differri possit restitutio, vt recte Carbo q. 87.

Quod si quis nihil nisi alienum habeat, idque iniuste partum, adeo vt sine malis artibus nec honestum quidem vllum statum antea habuerit, is iuxta dicta num. 431. restituere tenetur totum, 436

quo

quo citra extremam necessitatem carere potest, etiam vsq; ad mendicitatem, nisi forte alia causa v. g. infamiæ periculum excuset, vt ex cap. *Cum tu*, de vsuris, & cap. *Si quis*, de furtis. & cap. *Ex ijs*, de verborum significatione in 6. cum Richardo, Innocentio, Ostiensi ex communi docent Medina quæstione 5. de restitut. Petrus Nauarrus lib. 4. cap. 4. n. 42. Aragonius hic, Carbo q. 88. & Lessius c. 16. num. 29. Qui tamen duo notant, talem retinere posse saltem artis suæ instrumenta: quod ideo non improbo, quia poterit ita lucrando plus restituere, quam artis instrumenta per se valeant.

At si quis antea habuit aliquem statum honeste acquisitum, potest seruare id, quod præcise ad illum statum est necessarium, dum fiat ditior ad restituendum, vt recte Salon hic artic. 8. Nauarrus & Sylvester V. *Restitutio*, 15. quæstione 1. 3. & 4. nisi quis forte temere & sua culpa in eas angustias se coniecerit, vt cum Soto libro 4. quæstione 7. articulo 4. & Petro Nauarro supra num. 44. notat Lessius cit. c. 16. n. 28. & dictum etiam cit. n. 431.

437 Tertia causa à restitutione excusans est, si restitutio sit noxia Creditori, vel alijs, iuxta dicta supra, dub. præced. n. 378. De quare S. Ambrosius l. 1. officior. cap. vlt.

Quarta causa est consensus & voluntas domini; si ipse dilationem concedat, aut omnino restitutionem condonet; modo libera sit condonatio, & ab eo facta, qui potestatē donandi habet. Nec opus est ad hunc effectū, debitum Creditori reipsa fuisse oblatum, seu repræsentatum, aut certe voluntatem restituendi adfuisse, vt ex communi recte Valentia, quicquid nonnulli apud eundem dixerint.

438 Sunt tamen aliqui casus iure expressi, quibus condonatio eius, à quo iniuste res accepta, nihil prodest: vt accidit I. in Episcopo vel Archiepiscopo visitante Ecclesias, si præter necessaria ad victum aliquid acceperint, iuxta c. 5. & 6. de cens. & exact. in 6. II. In iudice delegato aliquid accipiente à partibus contra præscriptum, cap. *Statutum*, de rescriptis in 6. III. In inquisitoribus, si prætextu officij pecunias extorserint. iuxta Clem. *Nolentes* de hæred. Quid de Simonia sentiendum, dicetur suo loco de simonia, præter ea, quæ dicta sunt dub. 2.

439 Quinta causa est, sufficiens compensatio, creditori iam aliunde præstita, siue officij cuiusdam collatione oneroso titulo, ex consensu Creditoris facta, siue æqualis debiti vel remissione, vel compensatione, etiam erga Creditoris Creditorem, vt notarunt Medina & Valentia ex communi. Vbi tamen curandum, vt dominus talem compensationem rationabiliter respuere non possit, de quo supra dub. præc. n. 390.

Addit Petrus Nauarrus num. 34. eum qui nihil aliud habens, quam alienum idem numero alioqui restituendum, seu furto, seu pignore, commodato &c. acceptum, si id in extrema necessitate, vel ipse consumat, vel alteri indigenti distribuat, non teneri ad restitutionem, quod probabile est, etsi contrarium cum Scoto, Richardo, Valentia videatur probabilius; saltem si debitor, seu de iure, seu de facto, rem eiusmodi domino restitutam, tali casu, rursus ab eo accipere non potuit: alioqui enim necessitas & indigentia rei extra necessitatem acceptæ restitutionem solum differt, non tollit. ex dictis in simili n. 432. Hoc certum, rem propriā in extrema necessitate consumptā, à restitutione prioris debiti non liberare, vt ibidem diximus.

Sexta causa est, dispositio supremæ potestatis, 440
non permittentis tantū retentionem alieni, sed ius facientis, vt ex alieno proprium fiat. Quod accidit primo, si alicui per sententiam Iudicis, res aliqua legitime, atque adeo sine errore & iniustitia ex parte rei iudicatæ adiudicetur.

Secundo, si Summus Pontifex (aut etiam Episcopus secundum Sa) ei, qui multa incerta debita habet (qualia censentur, quorum nullus certus est dominus, aut certe ignoratur) parte tantum aliqua debiti pijs vsibus applicata, reliquum condonet, vt docet Ioannes Medina quæstione 3. Sotus 4. de iustitia q. 7. a. 1. ad 3. Nauarrus c. 27. n. 93. Valentia citatus.

Quod qua ratione fiat, speciatim per bullam Cruciatæ, & quo modo idem possit facere Papa, de fructibus beneficiorum male acceptis vel impensis, fuse declarat Henriquez libro 7. cap. 33. & seqq. Certe quidem si Pontifex talem condonationem incertorum debitorum faciat, absque rationabili causa, dispensatus in conscientia tutus non erit, iuxta eam sententiam, quæ iure naturali pauperibus talem restitutionem faciendam asserit, vt supra dictum, & recte notat Aragonius citatus.

Tertio si lege publica, res aliena ab antiquo 441
domino in possessorem transferatur, vt per præscriptionem seu vsucapionem accidit, de qua dictum q. 1. dub. 6.

Ex his colligitur. I. Cessionem bonorum, quæ iure permittitur, per se non tollere obligationem restituendi, semper enim manet hæc obligatio, si pinguior fortuna obuenerit, etsi ad tempus excuset impotentia, vt ex communi docent Couarruuias, Valentia locis citatis & Lessius cap. 16. dub. 3.

Qui numero 45. ex Sylvestro V. *Restitutio* 7. quæstione 6. Petro Nauarro lib. 4. cap. 4. numero 60. notat, eum qui absque culpa cogitur cedere bonis, si fiat executio in bona eius per Creditores, posse abscondere, quantum necessarium est, vt tenuiter viuat iuxta suum statum: id quod colligitur ex dictis supra à n. 429.

Colligitur II. A restitutione excusari adulte- 442
ram, quæ spurium in hæreditate paterna successurum genuit, & restituere non potest, nisi crimen pandat, cum mortis, vel grauis infamiæ periculo, vt ex communi recte contra Maiorem, Paludanum, & Adrianum docent Valentia, & alij omnes, ex cap. *Officij*, de pœnitentijs & remissionibus. Secus si absque tali periculo compensare vel auertere possit incommodum interuersæ hæreditatis; vt si filio commode persuadere possit, vt aliquam conuenientem sibi religionem professus, hæreditate se abdicet:

dicet: si ex bonis paraphernalibus restituere alijs possit, &c.

443 Nec tamen spurius filius, etsi nôrit matrem adulteram fuisse, credere tenetur ipsi etiam iuranti, se ex adulterio natum. Quia ex regulis Iuris, alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides, saltem cum tanto præiudicio: imo si bona fide adeptus est hæreditatem, forte non tenetur ex statu decidere, quamuis postea rescisat factum; satis est, si restituat, quantum saluo statu potest, vt docet Salon, & colligitur ex dictis n. 429.

444 Colligitur III. Quid sentiendum sit de ingressu Religionis; nam si quis breui & facili via creditoribus ante ingressum satisfacere possit, peccat ingrediendo, vt recte Medina quæstion. 3. Carbo quæst. 85. Valentia citatus, Petrus Nauarrus libro 4. cap. 4. numero 94. Lopez 1. part. cap. 129. Lessius lib. 2. cap. 16. numero 72. quamuis professio valeat, cum persona sit libera, iuxta Sanctum Thomam infra. Quod si quis vero breuiter & commode satisfacere non possit, probabile est, posse facta bonorum cessione, religionem intrare, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. vltim. art. 6. ad 3. Caietanus ibidem, Petrus Nauarrus citat. numero 94. Syluester V. *Religio* 2. quæstione 4. & apud eundem Ostiensis, Innocentius, Raimundus, & alij. Quia nemo tanto suo incommodo obligatus est ad restitutionem, vt pluribus dicetur disp. 6. q. 3. dub. 5.

Colligitur IV. Ob excommunicationem creditoris, nou nominatim excommunicati, neque notorij percussoris Clericorum, non licite differri restitutionem, ex communi: etsi contrarium velut probabile generatim asserat Lessius cap. 16. dub. 9. post Adrianum, Panormitanum, & glossam. 445

Idem ex probabiliori dicendum, etsi quis nominatim sit denuntiatus (vtcumque interim in foro externo tali non detur actio, iuxta cap. *Pia.* de exceptionibus in 6.) vt recte Maior, Medina, Couarruuias, Valentia citati. Carbo quæstione 85. Lessius ibidem, & alij communiter: nisi forsan debitum non sit ex re, sed ex nuda promissione contractum; tunc enim probabile est, aliquem liberari ab obligatione, quamdiu durat talis excommunicatio creditoris, iuxta cap. *Nos Sanctorum* & seq. causa 15. quæst. 6. vt etiam cum Medina sentit Carbo & Lessius; etsi contrarium non sit minus probabile, apud eundem. Hæc de restitutione satis.

QVÆSTIO VII.

De varijs contractibus Iustitiæ.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 77. & 78.

POst tractationem de Restitutione agit S. Thomas de vitijs & peccatis iustitiæ oppositis; hacque occasione etiam de contractibus: sed quia ipsi etiam contractus per se actus quidam proprij sunt iustitiæ, prius de his, quam de vitijs Iustitiæ oppositis agemus. Absoluetur autem hæc quæstio vndecim dubitationibus. I. Quid, & quotuplex sit contractus in genere; & quomodo vel perficiatur, ac iuramento roboretur; vel etiam metu, dolo, aut errore irritus reddatur; deque restitutione in integrum, si ex aliquo contractu damnum notabile acceptum sit. II. De iustitia emptionis & venditionis, tam ex parte pretij, quam rei venditæ, & aliarum circumstantiarum. III. De Contractu mutui; eiusque vitio, nempe vsura. IV. De Censibus, seu contractu censuali; eiusque iustitia & iniustitia. V. De Cambijs eorumque iustitia & iniustitia. VI. De locatione, conductione, emphyteusi & feudo. VII. De alienatione bonorum Ecclesiæ, præcipue per feudum & emphyteusin; deque speciali quodam contractu Bauariæ, quem dominicum fauorem appellitant. VIII. De contractu Societatis; & quodam innominato soluendi quinque in centum. IX. Quidnam in particulari iudicandum, de varijs contractibus, his proximis annis, vbi monetæ valor adeo excreuerat, vsticatis. X. De quodam quasi contractu; nempe de Tutela; speciatim ad quid obligentur tutores & curatores. XI. De Testamentis, alijsque vltimis voluntatibus.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit contractus in genere; & quomodo vel perficiatur, & iuramento roboretur; vel etiam metu, dolo, aut errore irritus reddatur; deq; restitutione in integrum, si ex aliquo contractu damnum notabile acceptum sit.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 77.

SAnctus Thomas acturus de contractibus volũtarijs, & iniustitia, quæ in ijs potest interuenire, incipit ab emptione velut notiori, de qua nos dub. sequenti agemus; acturi prius de contractibus in genere hoc dubio: in fine etiam subiungemus quosdam contractus à S. Thoma prætermissos.

Quæritur igitur primo, quid & quotuplex sit contractus in genere; & quo modo perficiatur.

1 ASSERTIO I. Contractus late nil aliud est, quam pactum, adeoque mutuus consensus & conuentio duorum; stricte autem & proprie est vltro citroque obligatio, seu potius conuentio mutua, quæ vltro citroque obligationem pariat. Ita habetur ex l. *Contractus* 16. C. de fide instrumentorum, & l. *Labeo.* 16. ff. de verborum significatione; Prioris generis sunt donatio & promissio acceptata, ex citat. l. *Contractus*; quia ex vna tantum parte obligationem pariunt. Posterioris, emptio, venditio, mutuum, &c. Promissio vero non acceptata, nullo modo est contractus, vel pactum, quia nullam inducit obligationem.

2 ASSERTIO II. Cum ad omnes quidem contractus requirantur consensus ac verba, vel certe signa quædam externa; alij tamen speciatim dicuntur re, alij scriptura seu litteris, alij verbis, alij consensu perfici. Ita ex communi Syluester V. *Contractus*, Molina tom. 2. disp. 254. & seqq. & Lessius lib. 2. cap. 16. dub. 2. & habetur expresse Instit. de obligationibus. lib. 3. tit. 14.

Declaratur ibidem titulis sequentibus; *Re* enim perficiuntur, qui requirunt rei traditionem, vt depositum, commodatum, mutuum, permutatio, pignus, donatio, quæ secluſa traditione dicuntur nuda pacta.

Scripturâ perficiuntur, qui sine scriptura non habent robur, vt emphyteusis alijque contractus, quos ipsimet contrahentes, nolunt absque scriptura esse ratos.

Verbis perficiuntur stipulationes, quæ constãt interrogatione vnius, & responsione alterius, vt Facies? Faciã. Dabis? dabo. Promittis? promitto &c. vt videre est instit. de verborũ obligationibus.

Consensu perfici dicuntur, qui nõ requrũt certam verborũ formulã, sed contenti sunt sensu vtcũque verbis aut signis vtrinque explicato.

3 ASSERTIO III. Pactum siue Contractus varie diuiditur: primo diuiditur in explicatum & implicitũ, seu formalem & virtualem, qui etiã *quasi contractus* dicitur, vt tutela, & quoduis aliud officium mandatum.

Secundo in *nominatum*, vt est emptio, venditio, mutuũ, conductio, locatio, societas, cõmodatum, pignus, depositum &c. & innominatum, qui non habet nomen speciale, sed generale tantum, cuius quatuor sunt species: Do vt des; non pretium pro re, seu rem pro pretio, quia tunc esset emptio; sed rem aliã pro alia, seu alterius speciei, &c. Do (non pretium, quia tunc esset conductio sed rem aliam, vt panem, vestem) vt facias. Facio vt des (non pretium, sed quid aliud, vt dictum) Facio vt facias.

Ex quibus contractibus etsi quidem statim oriatur obligatio naturalis, adeoque in foro conscientiæ, non tamen ciuilis, nisi ex altera parte sit impletus, vel nisi vestiatur formula stipulationis, aut iuramento, aut alia ratione, vt videre est apud Sylueſtrum V. *Pactum* quæstion. 5. & 8.

4 Tertio alij contractus dicuntur *Bonæ fidei*; in quibus nempe iudex multa potest ex æquo & bono arbitrari; vt sunt emptio, locatio, societas, commodatum, depositum, pignus, permutatio, & similes. Alij sunt *stricti iuris*, in quibus Judex ad verba astringitur, vt in stipulationibus, contractu feudali, & emphyteutico, in promissione liberali, & donatione, vt pluribus Couarruuias ad regulam *Possessor* part. 2. §. 6.

Quarto, alij contractus sunt *onerosi*, ex parte scilicet vtriusque partis. Alij dicuntur *lucratiui* seu *gratuiti*, ex parte nempe vnius, à quo nihil rependitur, vt est promissio, donatio, commodatũ, precarium; item testamentum & legatum.

5 Quinto, Contractus seu pactum aliud dicitur nudum, vt est contractus innominatus, secluso alio firmamento, vt dictum; item omnis contractus, qui re perficitur, ante rei traditionem, vt donatio, mutuum. Aliud pactum dicitur *vestitum*; quod habet aliquid amplius, vnde etiam iure ciuili robur obtineat, quales sunt omnes contract⁹ nominati, atque etiam innominati, si aliquo extrinseco firmentur, vt stipulatione, iuramento, vel alio modo, de quibus plura Sylueſter V. *Pactũ*, n. 2. Lessius dub. 3. & 4.

6 Contractus vero seu pactum nudum parit quidem obligationem naturalẽ, ac in foro conscientiæ; sed non ciuilem, nisi in quibusdã casibus, vt donatione verbali acceptata, promissione dotis, &c. iuramento autem confirmatum ex suo genere parit obligationem in vtroque foro, vt ex communi docent Couarruuias in cap. *Quamuis pactum*; par. 2. §. 4. Molina tom. 2. d. 256. & post Gomeziũ tom. 2. c. 9. Lessius du. 4 qui id ex iure plurib⁹ cõfirmãt, & de iuramento mox pluribus dicetur.

Vnde quæritur secundo, an & qua ratione cõtractus per se inualidi iuramento confirmentur. De hac re magna est inter Doctores disputatio, vt videre est apud Couarruuiã loc. cit. Azoriũ tom. 1. lib. 11. c. 7. q. 1. & Sanchez l. 1. de matrim. disp. 32. alioſque citandos. Quidã enim sentiũt, nullũ

contractũ iure prohibitũ, confirmari iuramento, nisi forte in casibus à iure expressis. Alij confirmari omnes, si iure humano solum sint irriti, vt cum alijs docet Azor. Alij rectius distinguunt, vt videbimus.

7 Vnde supponendũ primo ex Sanchez cit. d. 32. n. 6. & Lessio l. 2. c. 17. du. 7. n. 50. aliud esse, iuramentũ contractui additũ esse validũ & obligare dum relaxetur; aliud, iuramentum confirmare contractũ. Primum enim fit, quotiescunq; iuramentũ est de re licita, etiamsi alteri, cui fit, nullũ ius interim accedat, adeoq; contractus, nõ minus quã antea, sit irritus. Altero autẽ casu, ius etiã ad hæredes peruenturũ tribuitur ei, in cui⁹ fauorem contractus est iuramento firmatus. Vnde fit, vt quamuis iuramentũ relaxetur, maneat tamẽ obligatio iustitiæ ex contractu, quæ transit ad hęredes. Exemplum primi casus est, pollicitatio nuda, seu nõ acceptata, quę etiamsi iuramento firmetur non tamen tribuit ius vel actionem alteri: vt contra Couarruuiã loc. cit. recte docet Lessius c. 17. dub. 4. etsi circa rem lege non prohibitã, vi ipsius iuramenti seruanda sit; nisi alter etiã cognitã nolit acceptare, aut remittat, vt patebit disp. seq. de iuramento, & dictum etiam supra q. 1. n. 62. & q. 6. num. 327.

Supponendum secundo, iuramentũ, per quod firmand⁹ est contract⁹, debere esse tale, quo contrahens iuret, se contractũ semper ratũ habiturũ, nec vnquã reuocaturũ. Si enim iuret tantũ, se ꝓmittere, donare, vendere, nõ firmabitur cõtract⁹, vtpote qui nõ minus quam antea potest reuocari.

His positis statuuntur duæ regulæ, à Iurisperitis cõmuniter receptę apud Couarruuiã in cit. cap. *Quamuis pactũ*, par. 2. Azoriũ, Sanchez loc. cit. & Sa V. *Iuramentum* n. 19. Prima est: Contractũ irritum seu prohibitũ, principaliter in fauorem publicum, non confirmari iuramento; imo ipsum etiã iuramentũ esse inualidũ. Hanc regulã sequũtur etiã Sa & Sanchez loc. cit. Probatur ex cap. *Si diligenti*, de foro competenti, vbi dicitur, irritum esse pactũ iuratũ, quo Clericus fori priuilegio renũtiat; eo quod illud in fauorẽ totius status Clericalis sit concessũ. Ratio est: quia tale iuramentũ, etiã ex parte rei iuratæ, est contra bonos mores, & in præiudicium tertij, ac proinde irritum, ex cap. *Cum contingat*, de Iureiurando.

8 Secunda regula est; contractum iure positiuo prohibitũ, aut irritũ, principaliter ob fauorẽ priuatum contrahentis, firmari iuramento, sine vi, doloq; interposito: nisi reprobatus sit odio, & ob turpitudinẽ creditoris, in cuius fauorem iuratur. Ita etiã Sanchez & Sa loc. cit. Prior pars probatur ex c. 2. de pactis in 6 & authent. *Sacramenta puberũ*, Cod. Si aduersus venditorẽ; vbi contractus, minorum fauore nulli, confirmantur iuramento. Et cap. *Cum contingat*, de iureiurando, & c. 2. eod. tit. alienatio fundi dotalis, mulierum fauore nulla, firmatur iuramento. Ratio est: quia pactũ priuatorũ potest derogare iuri priuato, non autem publico, cap. *Si diligenti*, de foro competenti, & leg. *Iuris gentium*, §. *Si promissus*. ff. de pactis.

Posterior pars regulæ probatur ex cap. *Debitores*, de Iureiurando, vbi licet iuramentũ soluendi vsuras præcipiatur seruari, statim tamen conceditur repetitio: quod est signum, solutionem non ex vi contractus, sed solum vi iuramenti fuisse exhibendam. Eadem est ratio, quotiescunq; iuramentum vi aut dolo extorum est: imo quoties iure naturali nullum est.

Cæterum Lessius l. 2. c. 17. du. 7. etsi has regulas nõ improbet; quia tamen eas nõ satis putauit expeditas, ad particulares casus diiudicandos; cum in particulari sæpe valde ambiguũ sit apud Doctores, quandonã contractus ob fauorẽ priuatũ, quãdo ob publicũ fauorẽ seu bonũ sit prohibitus, idcirco ipse duas alias statuit. Prima. contractũ iure naturæ irritũ non firmari iuramento, etsi hoc seruandũ sit, dũ relaxetur, si non sit de re illicita. Exẽplum retulimus antea, in ꝓmissione nõ acceptata. 9

Secunda. Quando actus talis est, vt ipse, vel promissio illius ratificandi, vel nõ reuocandi, inducat obligationẽ naturalẽ, confirmatur iuramento; etiamsi alias iure ciuili sit irritus, vel in irritũ reuocabilis; modo vis & fraus non interceserit: si vero nec ipse, nec promissio illius inducat vllam obligationẽ, ne naturalẽ quidẽ; vel si vis & fraus interceserit, nõ confirmatur iuramento, etsi hoc casu seruandũ sit iuramentum, dum relaxetur. Ita Lessius cit. du. 7. nu. 55. & 56. ex Bartolo in l. *Si quis pro eo* ff. de fideiussoribus & mandatoribus, alijsq; Doctoribus, iuxta authenticam *Sacramenta puberum* Cod. Si aduersus venditorem, & citat. cap. *Quamuis pactum*, de pactis in 6.

Sed certe non minor sæpe solet esse quæstio, q nam contractus iure ꝓhibiti, naturalẽ inducant obligationem, qui non, vt colligitur ex dictis q. 6. dub. 13. quã qui ob fauorẽ publicũ, aut priuatum sint ꝓhibiti. Quocirca nec istæ regulæ omnẽ difficultatẽ tollunt: eas tamẽ equidẽ ita accipio, quat⁹ conducere possunt ad priores duas receptas regulas explicandas, non autẽ destruendas. Ad quarũ sensũ etiã accipiendũ videtur illud, quod idẽ Lessius du. 4. n. 25. vniuersim ꝓnuntiat, contractũ qui iure ciuili est irritus, si iuramento confirmetur, tribuere actionem etiam iure ciuili, modo non sit contra bonos mores.

Exempla vero, in quibus contractus alias inualidi iuramento confirmantur, ex veriori sententia, iuxta supra dictas regulas, sunt; cõtractus minoris de re mobili, sine authoritate tutoris, aut de re imobili, sine autoritate iudicis; donatio inter Patrem & filiũ nondũ emancipatũ; itẽ inter maritũ & vxorẽ; ꝓmissio soluendi & nõ repetendi, quod credito vel ludo vetito amiseris; fideiussio mulieris facta sine iuris solemnitate, quamuis publico instrumento; renuntiatio futuræ successionis in paterna hæreditate, de qua c. 2. de pactis in 6. alienatio fundi dotalis, aut rei donatæ ꝓpter nuptias, facta sine auctoritate iudicis, de quo cap. *Cum contingat*, de iureiurando; item promissio instituendi hunc hæredẽ, aut nõ reuocandi testamentũ; donatio facta absq; insinuatione vltra 500. solidos, & plura similia, de quibus Lessius dub. 7. n. 56. 10

Quæritur II. An & quo modo contractus metu, vel dolo, seu errore irritus reddatur? De metu dictum supra de restitutione q. præced. du. 11. quæ hic suppono. De dolo & errore sit

11 Assertio I. Error in altero contrahentium, circa substantiam rei, facit contractum iure naturæ irritum, saltem ex parte decepti. Ita ex communi omnium Molina disp. 340. & Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 5. numero 27. Ratio est. Quia deest substantialis consensus; vt si vitrum pro gemma vendatur; aut gemma pro vitro ematur. Idem patet in matrimonio.

Vnde procedit ista assertio, siue id per dolum alterius contrahentis acciderit, siue vtriusq; bona fide, nihilominus enim alter contrahens est indemnis seruandus, vt cum S Thoma hic quæstione 77. a. 2. docent communiter omnes: quia ex quo contractus nullus fuit, damnũ ex vitio rei consequens ad venditorẽ pertinet; sub hac enim tacita conditione fuit initus.

12 Assertio II. Si non sit error circa substantiam rei, contractus est validus; modo dolus & error non det causam contractui. Ita ex communi post Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 17. §. 6. Caietanus hic quæstione 77. articulo 3. Sotus libro 6. quæstione 3. articulo 2. Lessius n. 28. Idem sub alijs terminis docet Molina disput. 259. & disputation. 352. numero 13. cum ait: Dolus incidens in contractum, non irritat contractum. Ratio. Quia iste vere consentit in emptionem istius rei, sciens & prudens, absque metu & fraude, & quamuis errauerit circa qualitatẽ aliquam, voluit tamen nihilominus contrahere: propterea enim dicitur dolus causam contractui non dedisse. Neq; vero opus est, omnes qualitates scire. Idẽ patet in matrimonio, cum quis ducit pauperem, quam diuitem existimat, quicquid sit interim de conditione seruitutis, de qua suo loco. &c.

13 Quo fit, vt contractus sit validus, etiamsi quis deceptus sit in pretio vltra dimidium; quia iste dolus non dedit causam contractui, sed tantum auctiori pretio: ad æqualitatem ergo reduci debet; sed sine consensu emptoris rescindi non potest, vt patet ex cap. *Cum dilecti*, de emptione & venditione, & glossa ibidem & l. 2. C. de rescindenda venditione.

14 Assertio III. Quandocunque latens defectus expresse & positiue aduersatur voluntati emptoris, habentis videlicet hanc positiuam & actualem voluntatem, volo emere, si res tali defectu caret; si autem secus, nolo emere, ita vt proinde formale & primarium obiectum sit, res carens eo defectu, aut saltem carentia illius defectus sit conditio sine qua non vult emere, contractus in cõscientia est null⁹. Videtur certa & communis Theologorum, & aperte traditur post Panormitanũ in cap. *Iniustum*, de rer. permut. Conradum de contractibus q. 54. à Ioanne Medina Cod. de restit. q. 34. Gabriele 4. d. 15. q. 10. art. 3. Sylvestro V. *Emptio* q. 20. Nauarro Man. c. 23. n. 87. Valentia q. 20. pu. 4. Petro Nauarro lib. 3. c. 2. n. 54. Ratio. Quia omnibus his casibus, emptio est simpliciter inuoluntaria.

15 Quo fit, vt assertio procedat, etiamsi dolus ex parte venditoris non interceserit, & licet vitium fuerit alioquin manifestum, vt recte docent Petrus Nauarrus, Medina, & Valentia; quicquid dixerit Sotus, idq; siue emptor laboret ignorantia inuincibili, siue vincibili, vt recte cum Medina docat Valentia; quicquid dixerit Nauarr⁹.

Verum est tamen, in foro externo, emptorem suam causam non euicturum, si vitium per se fuit manifestum; nisi aperte cauerit sibi, cum altero contractum celebrans, suamq; intentionẽ aperte declarauerit. Idẽ patet in cõtractu matrimoniali.

Assertio IV. Imo in foro conscientiæ, quotiescunq; dolus alterius contrahentis dat causam contractui; ita vt alter non contraxisset, si à contrahente deceptus non fuisset, contractus ex parte decepti non est firmus, à quo proinde licite recedere potest, siue error fuerit in qualitate, siue in substantia. Ita Molina d. 259. nu. 5. & d. 35. cum Conrado in summario operis, de contractibus ad q. 57. Couarruuia in regulam *Possessor*, par. 2. §. 16. n. 6. & alij. Et consentit in re Lessius cit. du. 5. n. 31. asserens, eiusmodi contractum, ante omnem sententiam Iudicis, esse rescindendum à decipiente, nisi libere ratificetur à decepto: licet sit valid⁹ secundũ quid, in fauorẽ decepti, si ratificetur; quod etiam in simili de contractu per metum inito docet, & magis patebit n. 20. 16

Ratio est, non quod in tali contractu sufficiens voluntariũ absolute non adsit, vt nonnulli dicunt; sed quia res per iniuriã extorta est; atqui substantiale contractus per iniuriã extortũ ab altero contrahente, nil potest eum iuuare; quia vis & fraus nemini patrocinari debent. Accedit quod metus & dolus in iure censentur paria l. *Si dolo*, de inutilibus stipulationibus, & cap. *Cum contingat*, de iureiurando: cum ergo contractus per metum iniustum ab altero contrahente iniectum sit nullus, ita saltẽ, vt vim passus eo non teneatur, nisi forte postea sponte ratificet, vt dictum q. 6 du. 11. idem etiam in proposito dicendum erit. 17

Et optime hoc etiã loco notat Molina d. 353. n. 6. cũ glossa in l. *Et eleganter* ff. de dolo, rescissionem contractus non semper arguere valorẽ contractus in foro exteriori, sed quandoq; tantũ eo spectare, vt ipso facto contractus reuocetur, etiã compellente Iudice; de quo plura supra de metu cit. quæst. præced. dub. 11.

Excipit tamen recte Molina loc. cit. ex cõmuni, contra Medinã q. 33. contractũ matrimonialem, qui ob peculiarẽ fauorẽ & priuilegiũ validus est, tametsi per fraudem alterius contrahentis error acciderit circa qualitatẽ, v. g. nobilitatẽ, diuitias &c. nisi sub hac tantũ conditione præstitus fuerit consensus, vt in præcedente assertione dictum, Quo modo autẽ hoc verum sit, an etiam iure naturali, an vero ex dispositione tantum iuris positiui, adeoq; in foro externo tantum, non interno, alibi dicendum. 18

Dixi vero, *in foro conscientiæ*; quia in foro externo aliter est sentiendum, & cõmuniter quidẽ Iuristæ distinguunt inter contractus; etenim contractũ bonæ fidei irritũ esse, si dolus partis causã dederit, eos autem, qui vocantur stricti iuris, esse validos, donec actione doli mali elidantur, vt post Couarruuiam in regulam *Possessor* 2. par. §. 6. nu. 6. docet etiam Molina loc. cit. & tanquam probabilem refert Lessius n. 31. 19

Alij vero quidam Iuristæ apud Couarruuiam

citatum, putant, eiusmodi distinctionem parum in iure fundatam; & vtrosque contractus in foro externo esse validos, donec elidantur, saltem ipsa voluntate decepti contrahentis. Quam sententiam probabilem dicit Lessius n. 31. ex l. *Si dolo* C. de rescindenda venditione.

20 Dixi secundo, *ex parte decepti*; quia quod attinet ad deceptorem, multo probabilius est, eum debere implere contractum, si deceptus velit; nō tantum post, sed etiam ante sententiam Iudicis, ex cap. 1. de eo qui duxit, &c. vt docet Molina citat. disp. 352. n. 8. post Richardum in 4. dist. 36. q. 1. Sylvestrum V. *Matrimonium* 8. quæst. 2. Nauarrum cap. 22. n. 31. Etsi negent Conradus de contractibus q. 57. Ioannes Medina de restit. q. 33. Sotus 4. dist. 35. q. 1. a. 2. apud Lessium n. 32. qui vtramque sententiam censet probabilem.

Sed prima est probabilior; non solum quod alter contrahens, saltem vi promissionis manet obligatus; item quod ex dispositione legis positiuæ debet stare contractui, quem fecit; sed etiam quia cū ex sua parte, & quātū in se erat, sufficienter ac libere consenserit in contractū, si modo alter cōtrahens etiam consentiret; certe si hic postea libere velit contractui stare, naturalis æquitas postulat, vt alter maneat obligatus; præsertim cum vis & dolus nemini debeat patrocinari

21 Assertio V. Quando dolus non alterius contrahentis, sed cuiusdā tertij, absque culpa contrahentis, causam dedit contractui; tunc contractus extra casum primæ & tertiæ assertionis non est irritus. Ita ex cōmuni docent Molina n. 11. & Lessius n. 33 post glossam in cap. *Cum dilecti*, de emptione & venditione, Bartolum in l. *Et eleganter* ff. de dolo, in principio, Couarruuiiā in regulā *Possessor*, par. 2. §. 2. n. 6. Ratio, quia adest hīc sufficiens voluntariū, nec per iniuriā ab altero contrahente extortū. Idē in simili q. 6. dub. 11. de metu dictum. Confirmatur. Nā inuoluntariū ortum ex errore causæ, seu motiui, quo quis inducitur ad contrahendum, aut aliarum circumstantiarum, non vitiat contractus onerosos: Secus de donatione. &c.

Lessius tamen n. 33. probabile putat, in cōscientia posse irritari à decepto, si per ignorantiam inuincibilem erroris contraxit, post Conradū & Medinam citatos à Molina disp. 352 n. 12. Qui tamen rectius contrarium sentit, ratus solummodo dari actionem contra deceptorem.

22 Assertio VI. Dolus causam contractui non præbens, sed incidens in contractum, non irritat contractum, tametsi ab ipso contrahente altero causatus. Ita Molina disp. 259. & disp. 352. n. 13. & colligitur ex secunda assertione; hoc ipso enim quod non est circa substantiam, nec alioquin causam dedit contractui, vocatur dolus incidens. Atque hæc omnia etiam Molina disp. 352. n 18.

23 Quæritur tertio, an, quando, & quibus concedatur restitutio in integrum, si ex aliquo contractu notabile damnum senserint.

Respondetur breuiter sequētibus pronūciatis. I. Restitutionem in integrum non habere locum, vbi contractus omnino fuit irritus. Constat ex l. *In causæ*, ff. de minoribus.

II. Id beneficium concedi minoribus, (nempe annis 25. expletis) etiamsi in contractu authoritas Tutoris, Curatoris, vel Iudicis intercesserit, ex l. 1. & sequentibus, ff. de minoribus, & ff. de in integrum restit. Et durat hoc priuilegium vsque ad annum 29. completum, seu quatuor annis integris, post expletū annum 25. ætatis, ex l. fin. Cod. de temp. restit. in integrum.

III. Cōcedi 2. etiā Ecclesiæ, alijsq; pijs locis, ex cōmuni DD. itē 3. supremis principibus, si bona Reipub. alienata, & Reipub. cuiusuis oppidi, ex l. 4. C. Quib⁹ ex causis maiores. 4. Vniuersitati studiorū, iuxta Panormitanū in ca. de in int. restit. 5. Interdum etiam rudibus, vt mulieribus & rusticis qui iura ignorant, apud Molinam disp. 574. 24

IV. Etsi nōnulli existimēt, posse etiā repeti fructus ex re perceptos, deductis expensis, verius tamen esse, in foro conscientiæ non posse; nisi res minoris contractu gratuito sit alienata, vt docent Molina 575. & Lessius l. 2. c. 17. du. 10. Aut nisi res iusto pretio vendita non sit; tunc enim eā fructuum pars repeti potest, quæ respondit rei inquantum hæc excedit pretiū, vt bene Lessius ibidem. Plura hac de re supra q. 1. dub. 6.

DVBIVM II.

De Iustitia Emptionis ac Venditionis, tam ex parte pretij, quam rei venditæ, & aliarum circumstantiarum.

S. Thomas 2. 2. q. 77. aa. 4.

QVæritur primo, circa primam huius dubitationis partem, an & qua ratione vitietur emptio aut venditio ex parte pretij.

Assertio I. Contractus hic, si quæ circa pretium iustum fraudatio acciderit, vitiatur, ac ad restitutionem obligat fraudati pretij; tametsi in externo foro fraudantes infra dimidium iusti pretij ad nullam restitutionem cogantur, iuxta cap. *Cum dilecti*, & cap. *Cum causa*, de emptione & venditione & l. 2. & 8. C. de rescindenda venditione. Ita communis & certa apud S. Thomam hic q. 77. a. 1. Bartolum in citatis ll. Valentiam q. 20. punct. 2. Couarruuiam lib. 2. variarum cap. 3. & 4. Quicquid fraudantes infra dimidium iusti pretij aut non peccare dixerit quidam Durandus Minorita apud Antoninum 3. par. tit. 1. cap. 16. aut ad restitutionem non teneri putarit Gerson opusc. de contractibus, part. 2. propositione 11. Ratio patet; quia res iniuste acquisita obnoxia est restitutioni: nec leges eam obligationem sustulerunt, sed solum in minore fraude negarunt actionem, ne nimiū multiplicentur contentiones forenses. 25

Assertio II. Iustum rei pretium est, quod æquale est rei vendēdæ, habito respectu ad id tēpus quo ea traditur emptori. Ita ex cōmuni Azor tō. 3. l. 8. c. 10. q. 1. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 7. n. 63. Ratio est. Quia pro eo primum tempore acquiritur dominium mercis. Excipit tamen Lessius ibidem, nisi ex causis extrinsecis tempore contractus minoris æstimetur. De quo infra. 26

Assertio

27 Assertio III. Iustum rei pretium duplex est; vnum legitimum, quod à lege seu publica potestate taxatur, & in indiuisibili consistit, atque sine iniustitia excedi nõ potest, nec à Clericis quidem & externis mercatoribus; nisi forte in taxatione manifestus error interuenerit: Alterum naturale, siue arbitrarium, quod communi prudentum & bonorũ virorum arbitrio taxandum, in indiuisibili non consistit, sed latitudinem habet; ac in genere triplex est, videlicet rigidum siue summum, medium siue moderatum, infimum: pro quibus nempe singulis, eodem tempore, ac ijsdem etiam circumstantijs, res aliqua iuste potest distrahi; si modo alias legitimum pretium non habet. Qua ratione etiam Molina disp. 346. & Lessius lib. 2. c. 21. dub. 4. n. 300. excusant, quod subinde indigenis minori pretio merces quædam venduntur, quam externis.

28 Assertio IV. In taxando rerũ pretio & valore, non tam consideranda est præstantia rei naturalis, quam aliæ conditiones & circumstantiæ: quarum prima est cõmunis vsus & necessitas rei; propter particularem autem & propriam aliquã cõmoditatem vendentis, aut ementis, per se loquendo, minuere vel augere pretium non licet, vt cum S. Thoma hic q. 77. a. 1. docent omnes.

Secunda est mercium copia vel inopia; sicut enim hæc auget, ita illa minuit pretium. Eodem spectat multitudo & paucitas ementium & vendentiũ. Hinc Sotus l. 6. q. 2. a. 2. ad restitutionẽ obligat eum, qui in fine nundinarũ tanti merces vendit, quãti in principio, nisi id fiat intra limites iusti pretij naturalis. Sed nec illud est perpetuũ; cum pleriq; in finem emptionẽ soleant differre.

29 Tertia est modus vendendi; res enim precario obtrusæ vilescunt. Hinc quæ sub hasta venduntur, aut alioquin cogente necessitate, etiã à pauperibus multis precibus obtruduntur, iuste vilius emuntur, vt ex cõmuni Ioannes Medina q. 31. de restitut. Caietanus V. *Emptio* Nauarrus c. 23. n. 78. Petrus Nauarrus l. 3. c. 22. n. 34. Valentia q. 20. pun. 2. Lessius dub. 4. n. 30. & 31. Ratio. Tũ quia hoc ipso res quodammodo fit abiectior. Tum quia id est signum & paucitatis emptorũ, & quod res non sit necessaria, aut valde vtilis. Erga pauperes tamẽ etiam misericordiæ habenda est ratio. Nec vniuersim placet, quod ex Caietano refert Lessi9, merces vltroneas vilescere ꝑ tertia parte.

30 Eodẽ modo si res publica auctione vendatur, tũc sicut ordinarie minoris emi licite potest, quã alioquin valeat; ita etiam carius vendita, ob emptorum contralicitationẽ, ex probabili sententia, ad restitutionem non obligat, vt ex Petro Nauarro & Mercatore notat Lessius n. 35. quia iustũ, inquit, pretiũ illius fori est, quod absq; fraude potest illo modo vendendi obtineri; sic enim passim habere hominum piorũ & doctorum vsum.

31 Quarto, facit etiam ad augendum pretiũ negotiandi officium, siue à Republica iniunctum, siue sponte susceptum; & quæcunq; alia vendentis industria, labor, periculum, in mercibus comparandis, cõuehendis, & seruandis &c. suscepta: dummodo ea non inutiliter, nec solum fortuito & per accidens (in particulari tantũ hoc venditore, alijs hoc labore seu periculo communiter vacuis) interuenerint, vt recte contra Scotum 4. dist. 15. q. 2. a. 2. Sotus lib. 2. q. 2. a. 3. Ioannes Medina de restitu. q. 31. Couarruuias 2. variarum cap. 3. num. 4. Conradus q. 56. apud Molinam disp. 348. nec ideo currens pretium excedatur; quia nimirum in eo taxando, eiusmodi laboris, officij, periculi &c. iam habita fuerit ratio, vt recte cum Medina Lessius n. 25. & 29.

Constituto autẽ semel rerum pretio, etiam ille, qui mercator non est, aut nullum laborem in re comparanda posuit, licite potest eodem pretio rem suam vendere, ex communi; etsi de naturali pretio aliud cum Medina dicat Aragonius hic q. 77. a. 1. in fine.

32 Addit quinto Nauarrus cap. 23. n. 84. etiam ob affectum, quem quis habet ad rem, posse eam carius vendere; quod alij limitant, si affectus nõ sit leuis seu vanus, & res ad alterius instantiam vendatur, & de hoc ipso moneatur emptor. Sed vt videre est apud Molinam disput. 351. n. 3. res non caret periculo, & speciem mali habet, ac noñihil fauet vsuræ; dissuadenda proinde potius, quam probanda.

33 Assertio V. Sunt tamen generales quidam tituli, ob quos tam in emptionibus, quam alijs contractibus aliquid vltra consuetum pretium accipi potest. Et primus est donatio, quæ tamen inter extraneos, sine peculiaribus indicijs raro, vel nunquam est præsumenda, vt communiter notant Doctores: nec vero emptor ignorans rei pretiũ, censetur donare datum excessum; vt nec venditor defectum condonare, ex communi, apud Valentiam q. 20. pun. 2. §. 2.

34 Hoc tamen titulo, pro quibusdam rebus raris, curiosis, & pretiosis, quæ solum ad splendorem pertinent, v. g. pro gemmis, aut equis insolitæ cuiusdam virtutis, vel pulchritudinis, antiquis statuis, quæ nullum certum pretium, nec legale, nec naturale habent, communiter licitum est accipere tantum, quantum sine vi & fraude ab emptore potest obtineri, vt cum Soto, Medina, Victoria, censent Valentia citatus, Toletus tract. de peccatis mortalibus cap. 48.

35 Sed verius est, per se loquendo, etiam has merces iudicio prudenti, aut aliorum, aut ipsius venditoris, iuxta conditiones, ex quibus pretium rerum æstimandum est, esse taxandas, vt recte Aragonius q. 77. a. 1. Lessius cap. 21. dub. 3.

Sicut nec etiam peculiari condonatione secluſa, potest iure retineri illud, quod ex rei alienę venditione mandata, supra taxatum à domino pretium obtentum est, vt recte Sylvester V. *Emptio* q. 24. & Lessius dub. 18.

36 Secundus titulus est, detrimentum alteri contrahentiũ obueniens ex contractu; siue sit damnum emergens, quod quis videlicet in re iam sua patitur; siue lucrum cessans, quod quis patitur in re, quam certo vel probabiliter erat habiturus, vt recte Valentia; licet aliqui aliter hæc nomina explicent. Sed res eodem redit. Et quidem damnum emergens licite in pactum deduci cum S. Thoma q. 77. a. 2. docent communiter omnes apud Valentiam cit. q. 20. pun. 2.

De iu-

37 De lucro vero cessante, patet ex cap. *In ciuitate*, & cap. *Nauiganti*, de vsuris.

Et tametsi quidam antiquiores cum S. Thoma q. 78. a. 2. ad 1. negare videantur, id in pactum deduci posse, reuera tamen non negant, nec negari potest, vt recte ibidem ostendit Valentia ex communi recentiorum; quia damnum quodlibet pretio æstimabile, in alterius gratiam susceptum, sua compensatione dignum est.

Requiritur tamen ad hunc titulum tam lucri cessantis, quam damni emergentis, vt contrahens alter de tali incommodo in eius gratiam suscipiendo moneatur, saltem generatim; ne putet, rem per se tanti valere: & quia forte non cupiet incommodum illud redimere, vt ex communi Valentia citatus, Lessius dub. 4. num. 27. Accedit quod omnis materia contractus debet contrahentibus esse perspecta & in pactum deducta: atqui damnum hoc est velut partialis materia contractus: Ergo. &c.

38 Deinde peculiariter ad titulum lucri cessantis plures aliæ conditiones requiruntur, nempe secundo, vt reuera aliquod lucrum certo, vel probabiliter consequendum, ratione præsentis contractus cesset, iuxta ea, quæ de hac re fusius agit Valentia citato pun. 2. §. 5.

Quo fit, vt in contractu mutui v. g. non liceat hoc titulo quidquam accipere, si præsentem pecuniam (saltem secundum speciem & quantitatem) nullo modo eras ad negotiationem expositurus: neque etiam hoc titulo mercem vllam in præsenti carius vendere potes, quantumuis alio tempore plus valitura existimetur, si eam non eras in tempus illud auctioris pretij seruaturus, vt recte Valentia & Lessius citati, Molina disputatione 155.

Nam & huius conditionis sit expressa mentio in cit. cap. *Nauiganti*.

Et quamquam omittatur in cap. *In ciuitate*, tamen etiam illic subintelligenda est, vt recte Valentia ibidem, Sotus lib. 6. q. 4. art. 2. Medina q. 38. de restitut. Couarruuias lib. 2. variarum cap. 3. n. 6. contra Caietanum q. 78. art. 2. qui male distinguens casum vtriusq; capituli, putauit etiam secluſa illa conditione, posse eiusmodi mercem carius vendi, si pretium tempore solutionis probabiliter futurum sit auctius. Quam sententiam sequi etiam videtur Sa V. *Emptio*. Sed non videtur tuta & probabilis, vt recte ostendunt citati, & ex dictis colligitur.

39 Tertia conditio est, vt iusto pretio lucrum hoc cessans taxetur, seruatis nempe duabus conditionibus, quas recte notat Lessius dub. 4. Prima, vt totius lucri cessantis compensatio non petatur, si lucrum certum non est, sed partis tantum alicuius; pro maiori vel minori probabilitate eiusmodi lucrum obtinendi, iuxta prudentis viri arbitrium, vt de bonis primum obtinendis cum S. Thoma quæstio. 62. art. 4. ad 2. ex communi suo loco dictum quæst. præced. dub. 2. Nec aliud videtur voluisse Sanctus Thomas quæstione 78. art. 2. ad 1.

Secunda conditio est, vt subducantur subducenda, nimirum pericula & expensæ, quæ in re seruanda aut lucro procurando fieri aut subiri debebant. Ac speciatim in mutuo, si statim & in præsenti percipiatur interesse lucri cessantis, subtrahatur lucrum, quod Creditor, iuxta habitam prius voluntatem lucrandi, ex soluto interesse percipere potest; hoc enim ex contractu mutui non cessat, vt recte Valentia post Medinam, Conradum, & alios.

Aliæ vero conditiones, quas alij præterea accumulant, vt siue in mutuo, siue in alio contractu, aliquid hoc titulo accipiatur, non sunt necessariæ, vt recte ostendit Valentia q. 20. pun. 2. §. 5. nisi intelligantur iuxta aliquam ex prædictis. Talis est prima, vt quis ad instantiam alterius cesset à lucro; tanquam si vendens aut mutuans se prius offerre non possit ad vendendum vel mutuandum hac lege, quam ab alio fuerit requisitus. 40

Secunda, vt mutuans malit negotiari cum spe incerti lucri, quam cum pacto, de soluendo interesse lucri cessantis, vendere vel mutuare.

Tertia Soti, vt inuitus impediatur à lucro per alium negotiandi modum acquirendo; quæ cum priore videtur coincidere.

Quarta Conradi & Medinæ, vt Creditor seu mutuans nõ habeat aliam pecuniam in arca, qua, si vellet, posset idem lucrum facere, quod eo nunc cessat ex credita pecunia. Sed quæ conditiones firma aliqua ratione non probantur: sufficiunt ergo priores.

Quibus stantibus, potest quis dupliciter de damno emergente, vel lucro cessante pacisci. Primo certi quiddam determinando, quo iuxta prudens iudicium, eiusmodi incommodum probabiliter secuturum compensetur. Secundo generatim petendo, vt qualecunque incommodum ex contractu euenturum sit, id alter teneatur compensare; & per se vtrumque licet. 41

Sed nihilominus tamen, quia illæ ipsæ conditiones superius requisitæ, quantum spectat ad titulum lucri cessantis, facile deficiunt, præsertim vero secunda, & tertia; idcirco recte monuit Valentia cit. §. 5. dissuadendos potius esse communiter tales contractus, quam suadendos; eo quod talis contrahendi modus, de compensando lucro cessante, habẽd⁹ sit potius loco exceptionis, quã regulæ generalis, ex Caietano q. 78. a. 2. quod satis etiam colligitur ex cap. *In ciuitate*.

Tertius titulus plus accipiendi, est grauamen aliquod pretio æstimabile, alteri ab altero contrahentium impositum, vt est labor & molestia in comparanda re, vel pretio &c. item periculũ peculiare & probabile amittendi rem suam, ex cõmuni Ioannis Medinæ q. 38. Carbonis q. 32. de restitut. Couarruuiæ 3. variarum c. 2. n. 5. & 6. Petri Nauarri l. 3. c. 2. n. 110. Valentiæ loc. cit. Concluſ. 4. post Maiorem, Gabrielem &c. quicquid in contrarium nitantur Conradus q. 50. de contractibus, Sotus lib. 6. q. 4. a. 1. Nauarrus c. 13. num. 78. Ratio est, quia eiusmodi grauamen in alterius contrahentis gratiam susceptum, est pretio æstimabile: sed quod eodem tamen modo in pactum est deducendum, vt de præcedenti titulo dictum, ob eandem causam. 42

Nec

Nec obstat cap. *Nauiganti*, de vsuris; quia illic mutuans obligabat mutuatarium, ratione mutui, ad contractum societatis, vel assecurationis secum ineundum; quod est vsurarium. Et forte etiam reuera nullum suberat periculum, vt recte notarunt Sotus & Valentia.

Tale grauamen etiam est fideiiussio, & assecuratio, secundum omnes, apud Binsfeldium supra citatum in cap. *Nauiganti* q. 2. & 3. item obligatio ad mutuandum secundum S. Thomam q. 78. a. 2. ad 4.

44 Quartus, est pœna conuentionalis; de qua scilicet soluenda, etiam ante sententiam, ab eo, qui sua culpa pactum violat, inter partes conuentum est. Hæc pœna, nisi vtrobique sit par ratio eam incurrendi, moderata esse debet, & culpæ proportionata, nec exigi sine cúlpa; nisi aliunde constet de libera donatione. Vide Molinã disp. 317. Lessium dub. 15. qui etiam cum Sanchez probabile asserit, eiusmodi pœnas ante sententiam Iudicis non esse soluendas, vt nos etiam docuimus tom 2. disputat. 5. quæstione 6. dub. 4. num. 67.

45 Assertio VI. Propter ipsam vero præcise dilationem, aut anticipationem solutionis, seclusa aliquo titulo ex prædictis, non potest iustum & consuetum rei pretium augeri vel minui. Ita cum S. Thoma q. 78. a. 2. ad 7. docent communiter omnes, apud Molinam disp. 355. Valentiam cit. §. 4. Lessium cap. 21. dub. 6. & 7. conformiter cap. *Consuluit*, de vsuris. Et in Constitutionibus imperialibus Comitiorum Augustanorum Anno 1548. vocantur à Carolo V. *frumentarij prædones* illi, qui frumenta anticipata solutione circa messem coëmunt vilissimo pretio, minori scilicet, quam valebit tempore traditionis, vt recte Binsfeldius in cap. *Nauiganti*, de vsuris quæst. 4.

46 Assertio VII. Nec debita licitum est vilius emere, nisi ratione periculi probabilis, vel molestiæ obtinendi debitum, vel similis tituli, ex quatuor recensitis. Ita ex communi Angelus & Syluester V. *Vsura*, Sotus lib. 6. q. 4. a. 1. Valentia cit. q. 20. p. 2. §. 7. Conclus. 5. Medina q. 38. Molina disp. 361. Lessius dub. 8. post Gabrielem, Antoninum. &c. contra Panormitanum & Innocentium in cap. *In ciuitate* de vsuris, Caietanum V. *Vsura* in fin. & Nauarrum c. 17. Manual. n. 231. qui docent, etiam absque alio titulo, licite vilius emi debita. Tum quod ius ad rem minus valeat, quam res possessa. Tum ob adiunctã eo casu paucitatem ementium, & multitudinem vendentium. Vnde eandem sententiam etiam olim docuisse Bellarminum Louanij, & Petrum Parram Romæ, testatur Lessius.

47 Sed non probatur. Tum quia hæc sententia fauet vsuris; posset enim hac ratione vsurarius dicere, se pro pecunia præsente emere debitum; atque ita si debitum rei, minoris pretij est, se merito in mutuo petere auctarium. Tum quia, vt recte Bartolus l. *Per diuersas* C. Mandati, & Baldus l. 2. C. Ne lite pendente, tantum valet actio seu ius ad rem aliquam, quantum res ipsa, deductis laboribus & expensis, adde etiam periculo: & paucitas ementium non minuit rei pretium, si res aliunde iam habet certum & determinatum pretium.

Assertio VIII. Venditor rei fructiferæ, 48
ante solutionẽ pretij non potest, per se loquendo, ita percipere fructus, eorumue pretium, vt in sortem nõ computet; saltem quoties res vendita in dominium emptoris transit. Ita ex communi Theologorum, post S. Bernardinum Senensem, Gabrielem, Rosellam, Archidiaconum, docent Syluester V. *Vsura* 2. q. 11. Petrus Nauarrus lib. 3. c. 2. n. 156. Lessius dub. 13. n. 108. & 109. Azor tom. 3. lib. 8. cap. 15. licet aliter sentiant Couarruuias lib. 1. variarum cap. 15. Molina disp. 368. Binsfeldius q. 6. Conclus. 3. Sa V. *Venditio*, & plures Iuristæ; qui etiam vsuras eiusmodi ad distinctionem lucratiuarum, quas reprobant, vocant compensatorias; iuxta l. *Curauit*, C. de actione empti. l. *Iulianus*, & l. *Si sterilis*, ff. de actione empti.

Sed has leges, Azor, cum plerisque Iuristis, 49
solum intelligit & admittit in casu, quo dominium non transijt ad emptorem: Lessius vero ait, qua parte concedunt vsuras pretij nõ soluti, posse videri abrogatas iure Canonico; esto, particularibus statutis seclusis, probabilis videatur contraria illa sententia.

Ratio est. Quia peracto venditionis contractu (qui consensu perficitur, sicut & Conductio, Societas, & Mandatum ex l. *Consensu* ff. de actionibus & obligationibus, & Institut. de obligationibus ex consensu, & communi apud Azor tom. 3. initio libri 8.) & translato dominio, tam res ipsa, quam fructus eius, pertinent ad emptorem; quibus proinde emptor spoliari non potest, ob solam dilationem solutionis; esset enim hæc palliata vsura.

Alia ratio est, cum dominium rei non transijt 50
ad emptorem, vt quia vel res traditionem postulans nondum tradita; vel pretium nec dum solutum; nec fides data & accepta de pretio soluendo, nec fideiussor, aut pignus datum; nec alio modo creditori satisfactum, vt notat Azor ibidem; qui etiam hac ratione Theologos cum plerisque Iuristis conciliat; licet eos aliter intelligant Lessius citatus, & alij. Quo modo vero per modum locationis, non emptionis, similes contractus possint iustificari, vide Azorium citatũ.

Assertio IX. In contractu conuentionali, 51
seu pacto de retrouendendo in gratiam venditoris, inito (de quo Leuit. 25.) minui debet pretium rei venditæ; idq; ipsum in redemptione non est augendum. Primum docent ex communi Gerson, Maior, Gabriel, Couarruuias 3. variarum. cap. 10. n. 1. Ratio est. Quia in gratiam venditoris nouo onere oneratur emptor; quod remissione pretij compensandum.

Secundum docent Syluester V. *Vsura* 2. q. 15. Nauarrus c. 17. n. 248. post Antoninum. Ratio: Quia posterior venditio nõ est nouus contractus; sed dissolutio prioris; nec rem maioris pretij reuendit, quam acceperit. Excipiunt Lessius dub. 14. n. 115. & Sa V. *Emptio*; nisi rei pretium futurum sit auctius; tunc enim posse, interueniente

nouo

nouo pacto, maiori pretio rem reuendi. De qua re plura citati.

52 Assertio X. Ob dilationem solutionis, vendere merces magno pretio, easque statim denuo parata pecunia viliori pretio reemere; esto id fiat intra latitudinem iusti pretij, speciem mali habet, & moraliter vix vnquam caret culpa venditoris; imo etiam iniustitiam continet, si primus venditor cogat alterum ad reuendendum. Ita Nauarrus cap. 33. num. 51. Petrus Nauarrus num. 169. Carbo q. 52. Lessius dub. 16. Ratio est. Quia eo ipso, quod primus venditor grauat emptorē, adiecto illo onere, debet potius minuere pretiū, non augere, vt dictum.

53 Assertio XI. Licitum est, per se loquendo, & secluſa fraude, currenti pretio rem vendere, etiamsi priuatim scias, eius pretium paulo post diminutum iri; seu ob futuram copiam rei, paucitatemue ementium; seu etiam publicæ potestatis taxationem. Ita quoad priorem partem S. Thomas q. 77. a. 3. ad 4. Sotus l. 3. q. 4. a. 2. ad 3. Couarruuias in regulam *Peccatum*, part. 2. §. 4. n. 5. & 6. Valentia punct. 3. Lessius dub. 5. contra Medinam de restitut. quæstio. 45. & Conradum quæstione 62. & 63. post Ciceronem lib. 3. Officiorum.

54 Vltimam partem tradit speciatim Lessius, & colligitur fere ex citatis; etsi contrarium sentiat Molina disp. 354.

Ratio est. Quia iustum rei pretium non nisi secundum præsentes circumstantias moraliter notas taxatur. Secus est, si quis debitum aliquod vendat pretio ordinario, sciens occulte, debitorem non esse soluendo; quia debiti valor ex hac circumstantia vel maxime pendet, vt pluribus Lessius dub. 10. n. 81. Plura apud Azorium, & citatos.

Quæritur II. An & quomodo vitietur venditio ex parte rei venditæ. Respondetur sequentibus assertionibus.

55 Assertio I. Ex parte rei venditæ, seu materiæ duobus modis illicita fieri potest venditio, & quæuis alia commutatio. Primo ex ipso genere rei, seu materiæ, quæ commutatur. Secundo ob vitium eiusdem rei. Prius accidit, si vendatur aut commutetur res, quæ vendi aut commutari non potest, aut ob legis prohibitionem, vt venenum, (nisi in casu & cū debita circumspectione &c.) homo liber. &c. aut natura sua, vt res spiritualis, de quo infra de Simonia; vel sacra: quanquam ratione materiæ hæc vendi possint aut Ecclesijs, aut etiam Laicis ad sacrum ministerium, vt recte Azor tom. 3. lib. 8. cap. 5. quæst. 1. iuxta cap. *Ligna*, de consecratione dist. 1. can. *Aurum*, & can. *Apostolicus*, & can. *Et sacrorum*, 12. quæst. 2. & glossam ibidem. Eodem modo, sicut in extrema necessitate quisque seipsum, ita etiam Pater Filium vendere potest, iuxta Syluestrum V. *Negotiatio*, Nauarrum citatum, Medinam de restitutione quæst. 21. Carbonem q. 53. Azorium citatum.

Vt autem intelligatur, quo modo ratione vitij ipsius rei, quæ venditur aut commutatur, vitietur etiam venditio, esto

Assertio II. Venditor sciens vitium occultum notabile, & non pandens emptori scire cupienti, tenetur ad resarcienda omnia damna. Ita ex communi Molina disp. 353. post Ambrosium lib. 1. officiorum, & S. Thomam q. 77. a. 3. & l. *si Iulianus*. ff. de actionibus empti. Ratio. Quia venditor ex iustitia tenetur pādere occultos eiusmodi defectus mercis, ex S. Thoma citato. 56

Assertio III. Si emptor hoc casu non erat mercem empturus, agnito vitio, in foro conscientiæ, contractus est nullus: in exteriori autem datur actio redhibitoria: Si vero erat empturus, sed pretio minori, contractus est in vtroque foro validus; sed venditor restituere tenetur emptori excessum pretij, quando minoris erat empturus. Ita Molina ibidem, & Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 11. ex communi. Et primum ac tertium patet ex dictis dub. 1. Secundum ex l. 1. & l. *Sciendum*, & l. *Statumen*. ff. de ædil. edicto. 1. & l. *Cum proponas*, C. de ædil. actionibus. Addit Molina, aduersus venditorem dari actionem quanto minoris, etiamsi ignorauerit vitium. 57

Si tamen reipsa nulla fuerit inæqualitas in contractu, regulariter non censetur culpa mortalis, se ad rescindendum contractum non vltro offerre. Ita Molina disp. 352. n. 18. Ratio esse debet. Quia cum quoad rem nulla interuenerit inæqualitas, deceptus, post factum, videri potest non admodū curare. Quod si is, re adhuc integra, vrgeat reuocationem contractus, non erit minor iniuria in re retinenda, quam initio per fraudem accipienda. 58

Assertio IV. Imo si emptor suo iudicio fidens, rem aliquam ex multis seligat, nihil interrogans præterquam de pretio, non peccat venditor contra iustitiam, etiamsi occultum & quidem notabile vitium non aperiat, modo iusto pretio vendat, nec dolo vitium contegat, nec adeo cum alijs mercibus quasi non vitiosam posuerit. Ita Lessius num. 91. idem indicat Molina disp. 352. n. 12. Et colligitur plane ex S. Thoma q. 77. a. 3. Solum enim requirit, vt defectus indicetur, ne emptor inde periculum aut damnum incurrat; quod satis, inquit Lessius, post contractū præstari potest. Idem apertius docet S. Thomas quodlib. 2. a. 10. & consentiunt Sotus lib. 6. q. 3. a. 3. & Antoninus 2 part. tit. 1. cap. 17 §. 6. 59

Quæ sententia saltē tunc locū habere debet, quādo emptor nullo indicio' pdit, se habere volūtatē pśenti defectui repugnantē; tunc enim putare potest venditor, eū nihiominus empturū fuisse; nec ei postea contrariū asserenti credere tenetur. Ratio autem quare prodere nō teneatur, est, quia forte, vt ait S. Thomas, *propter huiusmodi vitium, emptor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum; vnde potest*, inquit, *venditor licite indemnitati suæ consulere, vitium rei reticendo.* 60

Assertio V. Multo minus tenetur venditor de vitio occulto, sibique incomperto, si in celebratione contractus dicat, se nolle teneri de occulto vitio; sed emptorem suo periculo debere emere rem; vt ex communi Molina disputation. 353. num. 15. Ratio est; quia tunc emptor damnum sibi imputare debet, non venditori. 61

Asser-

62 Assertio VI. Si vitium sit patens, in foro exteriori non datur actio, nisi supra dimidium iusti pretij deceptus sit emptor: in interiori valet emptio; & si pretium sit æquale, ad nihil tenetur venditor; iuxta S. Thomam q. 77. a. 3. Si tamen venditor pro tempore contractus aperte vidit, emptorem ignorare vitium, tenetur monere, ex communi apud Molinam n. 16. quanquam nihilominus probabile est, nunquam hoc casu à venditore ex iustitia monendum emptorem, vt quidem absolute docet S. Thomas & Sotus supra assertione 4. 5. & Sa V. *Venditio.*

63 Assertio VII. Quando vitia non reddunt rem notabiliter minus vtilem ad id, pro quo emitur, non tenetur venditor illa manifestare; esto præsumat, si emptor ea cognosceret, empturum non esse; nisi emptor interroget de vitio rei; tunc enim nullus est contractus, si emptor alias non erat empturus; quia dolus dedit causam contractui. Ita Molina disp. 353. num. 20. & habetur ex generali doctrina tradita dub. 1. Primum vero speciatim docet S. Thomas q. 77. a. 3. Caietanus ibidem, Sotus lib. 6. q. 3. a. 2. qui absolute docent, secluso damno & periculo emptoris, posse taceri vitium. Ratio colligitur ex assertione 5.

64 Secundum docent Conradus de cõtractibus q. 54. Ioannes Medina de restitut. quæst. 34. Panormitanus in cap. *Iniustum*, de rerum permutatione, Gabriel 4. dist. 15. quæst. 10. a. 3. Sylvester V. *Emptio*, q. 20. Nauarrus manual. cap. 23. num. 89. qui absolute docent, emptionem esse nullam, si taceatur vitium, quo cum emptor non emisset. Sed limitandi sunt, si vitium sit notabile, & emptor de eo certior fieri voluerit. Ratio. Quia alius contrahendi modus nec reciperetur à negotiatioribus, nec esset vtilis bono cõmuni; cum facile alias contractus omnes rederentur irriti.

65 Quocirca etiam absolute docet Valentia q. 20. punct. 4. cum Soto, contra Sylvestrum, Medinam, Nauarrum, si defectus mercis nec absolutæ, nec conditionatæ intentioni emptoris aduersetur; sed perfectioni cuipiam solum materialiter & concomitanter ab emptore volitæ, tunc venditionem non esse iniustam, nec illicitam; esto emptor, si vitium rei sciuisset, eam non emisset; modo iusto alioquin pretio res vendatur, & emptor postea moneatur de defectu; nec ipse velalij, quib⁹ forte rem vendet, damnũ aliquod sustineant; quod tamen ex assertione 2. & sequentibus est limitandum.

Assertio VIII. Eadem quæ de venditore dicta, secundum proportionem etiam de emptore accipienda sunt; nisi quod multo rarius hoc casu contractus sit irritus; eo quod venditor non intendat, nisi æquale pretium.

66 Quod si in agro lateat thesaurus ignotus domino, tunc poterit is ager etiam communi pretio emi, non patefacta occulta rei excellentia, vt docent cum S. Thoma q. 66. a. 5. ad 2. Valentia citatus, Sa V. *Emptio*, alijque citati; seu quia dominus agri non habet dominium thesauri; cum is iure naturali fiat primo inuenientis, vt supra dictum q. 1. dub. 5. seu quia non venditur ager, nisi secundum superficiem. Idem similiter dicendum, si in fasce herbarum, aut in domo præstans quidpiam lateret, in cuius nimirum possessionem dominus nunquam censeretur venisse, vt docet Sa, Lessius citati, Molina n. 13.

67 At à rustico gemmam pretiosam pro vili emens, non excusatur à restitutione; etsi moneat rusticum, num condonare velit, isque ignorans condonet. Quia hæc condonatio non est sufficienter voluntaria ob ignorantiam, vt recte Molina num. 12. contra Caietanum. Secus si tam emptor, quam venditor pretium ignorent, & pari fortunæ se committentes, bona fide, certum pretium determinent, vt ibidem cum Caietano docet Molina.

68 Quæritur tertio, quomodo ratione aliarum circumstantiarum vitiari possit contractus. Respondetur vitiari varijs modis. I. Ratione personæ mentis, quæ abusura putetur re empta; dari enim huic fine causa non debet, vt habet cõmunis Medinæ, Carbonis, Sylvestri, Beiæ casu 48. Valentiæ q. 20. pun. 5. quicquid Sa V. *Venditio*, absolute dixerit, vendere rem, qua quis potest bene vti, etiamsi talem sciam male vsurum, non esse mortale; vt arma tempore belli iniusti; vel cœnã die ieiunij: modo non credas, illum emere ad nocendum alteri, vel sibi corporaliter. Ratio est; quia quisque tenetur non cooperari malo alieno sed potius id cauere, saltem ex charitate. De qua re plura supra disp. 2. q. 6. dub. 8.

69 II. Ratione personæ vendentis, negotiatio proprie dicta, qua quis nimirum rem aliquam comparat eo animo, vt integram, & non mutatam vendendo lucretur, ex Chrysostomo homil. 28. in Matthæum & cap. *Ejiciens* dist. 88. illicita est Clericis in maioribus constitutis, & monachis cap. *Peruenit* dist. 86. & tota fere distinct. 88. idque ex suo genere sub peccato mortali, vt ex magnis pœnis annexis colligitur. Quinimo nec conducere aliena prædia, aut similes res fructiferas possunt, vt fructus vendant, & ita quæstum faciant 21. quæst. 3. cap. 1. 2. & 3. secus pro sua sustentatione.

Per alios tamen possunt negotiari, iuxta Medinam, Valentiam, Lessium dub. 1. n. 6. etsi neget Carbo. Certe decens non est, vt faciant; quod fatetur Lessius, nisi causa excuset; v. g. ob propriam vitæ necessitatem, vel nomine viduarum, orphanorum, & pupillorum; ad quorum tutelas quandoque iure compelluntur. Quibus casibus quidã absolute Clericis negotiationẽ concedunt; sed in posteriori nõ videtur absolute cõcedenda; quia fieri potest, vt pupilli non egeant; neq; officium obligat vltra vires & conditionem personæ, cui imponitur.

70 III. Ratione loci sacri negotiatio illicita est sub mortali, vt cõuniter docent omnes, ex cap. *Decet domum*, de immunitatibus Ecclesiarum in 6. idque etiam dum ibi diuina non celebrantur, vt recte Sotus lib. 6. q. 6. a. 2. Valentia, Medina, Carbo contra Caietanum, licet mortale non videatur extra tempus celebrationis diuinorum, colloquendo duntaxat in Ecclesia, non autẽ expositis, vel tra-

vel traditis mercibus negotiari, vt ex Soto quoque notat Valentia.

71 IV. Ratione temporis, illicita est diebus festis, nisi quoad res paruas aut necessarias; licet vniuersim neget Sotus, accidere peccatum mortale ex hoc præcise capite, secluso scandalo. Certe quidē cōmunis consuetudo spectanda est, quæ positiuæ legi derogare potest, vt pluribus dicetur disp. 5. q. 6. dub. 1.

72 V. Ratione modi, videlicet periuriorū, blasphemiarum &c. ipsiusq; finis, si nimirum in lucro cōstituatur vltimus finis: alioquin ex fine lucri est indifferens, etiamsi speciem mali habeat, iuxta S. Thomam a. 4. vnde Eccles. 26. v. 28. *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt; difficile exuitur negotians à negligentia: & non iustificabitur caupo à peccatis labiorum.* Et 1. Tim. 6. v. 9. *Qui volunt diuites fieri, incidūt in tentationē, & in laqueū diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionē.* Plura apud Azoriū loc. cit.

DVBIVM III.

De contractu mutui; eiusq; vitio, nempe vsura.

S. Thomas 2. 2. q. 78. aa. 4.

73 MVtuum est contractus, in quo pecuniæ vel alteri9 rei mobilis & vsu cōsumptibilis dominium transfertur in alterū; cū obligatione eidē iniecta, vt eandem secundum speciē, seruata debita æqualitate, denuo restituat. Quē contractū esse licitum, per se patet; nec à quoquam negatur; imo etiam in scriptura asseritur. Matth. 5. v. 42. Luc. 6. v 35.

Differt à cōmodato, & precario; qa per vtrūq; hoc vsus solū rei imōbilis, aut certe vt sic vsu non consumptibilis alteri cōceditur; manēte dominio penes priorē dominū, cui, inde eadē numero restituēda est. Cōmodatū vero & precariū inter se differunt; quod cū vtrumq; sit concessio gratuita rei, illud tamen ante condictū tempus nō potest repeti; hoc vero ad nutū cōcedētis est reuocabile.

Mutui vitiū est vsura, qua vltra sortem aliquid à mutuatario accipitur: de qua

74 Quæritur I. An & qua ratione vsura sit illicita? Supponendum I. vsuram seu fœnus sæpe quidem pro lucro vsurario, hic vero pro contractu accipi, vnde prouenit illa vsura.

Supponendum II. vsuram pro contractu duobus modis accipi; primo late, prout dicit omnem contractū, quo ratione mutui, siue in mutuo, seu explicito, seu implicito (vt fit in emptione, venditione & locatione, pretio non simul cū merce soluto) vltra sortē aliqd percipitur. Quo modo sæpe Iuristæ alias vsuras vocant *lucratiuas*, seu *lucratorias*, alias *compensatiuas*, vt diximus etiam n. 48.

Secundo stricte accipitur pro contractu, quo ex vi mutui præcise, auctarium vltra sortem, velut ex iustitia, propter vsum rei mutuatæ debitū exigitur, iuxta S. Thomam q. 78. a. 1. & 2. siue id fiat cum expresso pacto; quo casu dicitur vsura exterior: siue absq; vllo pacto expresso vel implicito; quo casu dicitur vsura mentalis: & rursum, siue auctarium principaliter eo modo per mutuum intendatur, siue minus principaliter, vt recte contra quendam modum loquendi Sylvestri, & Nauarri, notauit Valentia q. 21. pun. 1.

Assertio I. Vsura stricte accepta, est intrinsece mala ac prohibita, iure non solum positiuo, 75
sed etiam diuino & naturali. Ita contra Carolum Molinæum approbantem vsuras moderatas tract. de commerc. & contra Abulensem in cap. 25. Matth. q. 171. & seq. cum S. Thoma cit. q. 78. a. 1. habet cōmunis Theologorum & Canonistarum sententia apud Couarruuiam lib. 3. variarum q. cap. 1. Valentiam q. 21. pun. 1. & Molinam tom. 2. disp. 304. Probatur. Quia Ius positiuum habetur in Iure Canonico, causs. 14. q. 3. & 4. & in Decretalibus, & Clementina titulo de vsuris; & in Iure Ciuili, seu Cæsareo nouo, in Constitut. Carolinis, tit. de contractibus vsurarijs, sicut & in iure municipali Bauarico: quicquid sit de Iure Ciuili antiquo l. 1. C. de vsuris, cui per canones derogatum est: quanquam etiam in illo non approbatam, sed toleratam fuisse vsuram, existimet S. Thomas hic q. 78. a. 1. Atque hoc eodem sensu Iuristæ reijciunt vsuras *lucratorias*.

Jus diuinum sumitur ex psalm. 14. v. 5. *Domine* 76
quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Ezech. 18. v. 10. *Quod si genuerit filium latronem &c. ad vsuram dantem, & amplius accipientem: nunquid viuet? non viuet, &c.* Luc. 6. v. 35. *Benefacite, & mutuum date; nihil inde sperantes.*

Ratio Iuris naturalis est. Quia sicut in omni alio contractu oneroso, ita etiam in mutuo, ex vi ipsius præcise contractus plus accipere, quam datum est, non licet: id autem facit vsuratius eo ipso, quod vltra sortem æqualem eiusdem valoris & vsus, ex vi mutui præcise, auctarium accipit.

Accedit, quod mutuans rem aliquam, transfert eius rei dominiū (sic enim mutuum à commodato, & locato distinguitur.) Ergo iniustitia cōmittitur si pro vsu rei iam non suæ, sed in alium translatæ, & iam aliunde ad æqualitatem compēsatæ nouam compensationem accipiat.

Deniq; nullus titulus in ipso per se mutuo assignari potest, propter quem auctarium illud accipiatur, vt fusius videre est apud Valentiā loc. cit. & inferius patebit. Quocirca etiā in Concilio Viennensi definitur, tanquam hæreticos puniendos, qui vsuras pertinaciter defendunt, vt habetur in cap. vn. §. *Sane*, citata Clement. de vsuris.

Assertio II. Vsura late ac vniuersim accepta, seu acceptio auctarij vltra sortem in mutuo, 77
non est intrinsece mala. Ita non solum Iuristæ communiter, approbantes vsuras *compensatorias* aut *punitorias*, reiectis lucratiuis, sed etiam S. Thomas hic quæst. 78. a. 1. ad 2. vbi ita interpretatur illud Deuteronomij 28. v. 12. *Fœnerabis gentibus multis; & ipse à nullo fœnus accipies.* Et Ecclesiastici 29. v. 10. *Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.* Et sæpius ibidem fœnerari in bonam partem accipitur. Ratio & declaratio patebit ex sequentibus.

Assertio

78 ASSERTIO III. Varij sunt modi & tituli, ob quos in mutuo vltra sortem auctarium peti & accipi potest. Ita omnes cum S. Thoma quæstio. 78. a. 2. Et primo quidem accipi auctariũ in mutuo, potest ob omnes & singulos illos titulos, ob quos in omni contractu pretium augeri posse diximus præced. dubio, præter ea, quæ speciatim de titulo donationis dicemus inferẽ. Atq; hoc ipso etiam sensu, ratione lucri cessantis, & damni emergentis, admittuntur illæ, quas Iuristæ vocant vsuras *compensatorias*, siue *restauratorias*; sicut & *punitoriæ*, quæ pœnam conuentionalem respiciunt, vt recte etiam notauit Azor to. 3. l. 5. cap. 3, de vsuris.

Secundo possunt etiam ob dilationem solutionis, rei venditæ fructus à venditore percipi, absque eo quod in sortem computentur, si modo dominium rei ad emptorem non transierit, alias non item, iuxta dicta dub. præced. quæsito 1. assert. 8.

79 Tertio ex decreto quoque rationabili superioris potestatis, seu consuetudinis æquiualentis (non vi mutui præcise) fieri nonnunquam potest, vt aliquid in mutuo vltra sortem licite accipiatur; cum translatio dominiorum potestati superiori ipsius etiam Reipublicæ, ex iusta causa, subsit, vt suo loco dictum. Atque hoc modo Scholastici multi, speciatim Maior in 4. dist. 15. quæstio. 29. Gabriel q. 11. articulo 1. Antoninus par. 2. tit. 1. c. 67. §. 2. Conradus de contract. q. 24. Molina de restit. ex vsura q. 2. & Couaruuias l. 3. variar. cap. 1. numero 7. cum Ambrosio lib. de Tobia cap. 15. asserunt, Israelitis olim (diuina condonatione) concessum fuisse, à gentilibus vsuras exigere, Deut. 23. v. 19. & seq. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno:* licet S. Thomas cum suis hic quæstione 78. art. 1. ad 2. Caietanus ibidem, Sotus lib. 6. de Iust. q. 1. a. 1. ad 2. & Canonistæ pleriq; id solum à Deo permissum fuisse asserant: quæ vtraq; sententia probabilis est. Vide Azor tom. 3. lib. 5. de vsuris cap. 2.

80 Eodem modo; quamuis in pignore, pactum legis commissoriæ (vt nimirum pignus, nisi certo tẽpore redimatur, in mutuantẽ transeat &c.) per se iustum non sit, sed nullum, ex cap. *Significante*, de pignoribus; nisi forte quandoq; per modum iustæ pœnæ conuentionalis, seruato iustæ emptionis pretio, iuxta Nauarrum cap. 17. num. 217. & Molinam disp. 324. nec omnino, per se loquendo, liceat fructus pignoris in sortem non computare, ex communi S. Thomæ hic q. 78. artic. 2. idque etiamsi ager fuerit alioquin sterilis, iuxta Nauarrum cap. 17. n. 216. & Lessium dub. 16. contra Sotum, nisi vsus eiusmodi pignoris gratis inter amicos soleat concedi, vt est vsus libri, iuxta eundem S. Thomam: in quibusdam tamen casibus, ob supradictum titulum, dispositionis potestatis superioris, pignoris fructus licite in sortem non computantur, vt post Gabrielem 4. dist. 5. q. 11. a. 2. & Nauarrum man. cap. 17. n. 217. docet Lessius dub. 16.

81 Primus casus est, si feudatarius Domino directo in pignus tradat feudum; huius enim fructus potest percipere dominus sorte integra ex cap. 1. de feudis, & cap. *Conquestus*, de vsuris, & glossa ibidem. Idque iure concessum, in fauorem liberalis feudi cõcessionis, vt recte etiam post Sotum, & Medinam docet Valentia q. 21. pu. 1. quicquid Petrus Nauarrus l. 3. c. 2. n. 373. & alij complures apud eundem negent.

Secundus; si Emphyteuta similiter oppignoret 82
domino directo rem Emphyteuticã; tunc enim dominus directus, etiam Laicus potest fructus illius percipere; cum hac etiam tacita conditione celebrari censeatur emphyteusis, nisi aliud exprimatur.

Requiruntur tamen in vtroque casu istæ conditiones. Prima, vt dominus interim non exigat obsequiũ & pensionem solitam. Secunda, vt non percipiat eos fructus, quos res producit, per melioratione Emphyteutæ. Tertia, vt feudum vel Emphyteusis nõ sint antea sufficienter compensata pecunijs, vel obsequijs, sed bona ex parte gratis concessa, vt bene docet Lessius ibidem post Gabrielem, Sylvestrum, Nauarrum.

Tertio, eodẽ iure ac titulo, potest gener percipere fructus pignoris dotalis, eos itidem in sortem non computando, iuxta receptam consuetudinem, & l. *Pater* ff. doli mali & metus except. & cap. *Salubriter*. de vsuris, consentiente Petro Nauarro nu. 361. & Azorio tom. 3. lib. 7. cap. 9. q. 1. 83

Tametsi Nauarrus man. n. 213. pro titulo eius rei assignet donationẽ. Alij, in quibus Adrianus, Medina, Couarruuias id solũ concedant, ratione lucri cessantis, & iuxta eius mensuram: alij solũ, vt Molina d. 321. & Lessius du. 16. si pignus à socero datũ sit, non solũ ad debiti securitatem, sed etiã vt gener eo interim fruatur loco rei debitæ; alias secus: cum tamen res hæc iuris potius dispositione, quam liberalitate soceri nitatur, nec is suo arbitratu possit aliter disponere.

Atq; in eundem sensum generatim etiam Sa V. *Contractus* n. 4. ait non facile damnandũ *Contractũ, qui communiter fit, & est Reipublicæ vtilis, non causa damnorum; nisi aperte constet, esse illicitum: cum Respublica possit defectum supplere.*

Quarto, vltra sortem etiam aliquod auctariũ 84
in mutuo accipi potest ratione eorũ, quæ per accidens mutuo adiunguntur, ex communi. Talia sunt labor mutuandi, scribendi, numerandi &c. vt post Ostiensem, recte Sylvester, V. *Vsura* Nauarrus man. c. 17. n. 209. Lessius n. 28. quicquid negare videatur Azor tom. 3. libro 5. de vsura cap. 2. q. 4. modo id, quod accipitur, modicũ sit, & labori commensuratum.

Qua ex causa etiã recte defenditur negotiatio illa, quæ *Mons Pietatis* dicitur apud Valentiam q. 23. pu. 4. Molinam disp. 322. & Lessium dub. 23. ex Concilio Lateran. sess. 10. & Tridentino sess. 22. cap. 8. 9. & 11. contra Sotum, & Caietanum. Fit autẽ ea hoc modo. Respub. certã pecuniæ sumam destinat necessitatibus pauperũ, per certos ministros & factores super hac re cõstitutos, cuiq; petenti mutuo dandã; ea solũ conditione, vt exiguũ aliquod auctariũ soluatur in ministrorũ, qui eidẽ pecuniæ, acceptisq; pignoribꝰ custodiendis, conseruandis, expendendisq; occupantur, stipendiũ.

Talis est etiam obligatio mutuandi, vt recte cum Soto lib. 6. de Iustitia q. 1. a. 2. docet Azor eod. c. 2. fin. quicquid dixerint Bannes & Aragonius hic q. 78. a. 2.

85 Difficultas est primo, an idem dici possit de obligatione non reuocandi pecuniã ante certum & condictũ tempus. Affirmant, secluso scandali & infamię periculo, quidã recentiores apud Molinam disp. 308. n. 8. & innuit Ioannes Medina Cod. de restit. q. 32. Lessius quoq; n. 126. tametsi eam sententiam ipse non sequatur, ait tamen eam videri posse probabilem; & iuxta eam, consuetudinem Burſæ Antuerpiensis excusabilem; tametsi eam ipse non sequatur. Et ratio esse potest: tum quia obligatio illa & per se onerosa est; nec videtur intrinseca mutuo. Tum quia nulla idcirco committitur vsura, vtpote in eo posita, vt aliquid accipiatur vltra sortem ratione vsus pecuniæ, vt aperte docet Sanctus Thomas quæstione 78. articulo 1. Et confirmatur: quia ratione eius obligationis mutuans abdicat se iure in re, & pro eo solum accipit ius ad rem; quod iuri in re non æquiualet: ac proinde merito postea auctarium vltra sortem accipit.

86 At vero eam sententiam simpliciter reijciunt Aragonius & Bannes quæstione 78. articulo 1. item Molina loco citat. vbi eam etiam damnat, non solum vt nouam & inauditam, sed etiam vt valde periculosam in fide, & quæ viam aperiat vsuris.

Mihi quidem obligatio carendi pecunia, & non reuocandi ad aliquod breue tempus, per se non videtur pretio æstimabilis, quia mutuo, prout à precario distinguitur, intrinseca est; & per se sufficienter compensatur reciproca, nec min⁹ onerosa obligatione mutuatarij, ad sortem eidem restituendam. Idem in simili videre est in venditione, vbi obligatio re vendita carendi, non est peculiari aliquo pretio æstimabilis.

87 Secundo quæri etiam potest, an si quis pecuniam ad vsum alteri concedat, non translato pecuniæ dominio (vt fieri posse supponimus ex dictis quæstione 1. dub. 2.) possit aliquis præter summam ipsam auctarium aliquod pro ipso vsu pecuniæ mutuatæ exigere.

Respondetur, si vsus ille talis sit, vt eo pecunia non consumatur, tunc posse aliquid proportionatum accipi; ex communi: si autem sit talis, quo res ipsa consumitur, non posse aliquid peculiare pro illo exigi. Quia vsus talis non habet æstimationem distinctam ab ipsa substantia rei; vnde qui hanc compensat, etiam illam compensare censetur: nec est conueniens rationi, vt talis vsuarius plus teneatur domino soluere, quam is qui absolutum dominium eiusdem rei à mutuante accepit.

88 Assertio IV. Non solum pretium, seu auctarium eiusdem generis cum sorte; sed & quidquis aliud pretio æstimabile, ex vi mutui exigere illicitum est. Ita ex communi S. Thomas qu. 78. a. 2. Ratio patet; quia eiusdem rationis est, accipere pretium, & rem pretio æstimabilem; quando hæc ipsa in pretium redigi potest.

Vnde colligitur vsuram esse, alterum vi mutui obligare, vt is alio tempore vicissim mutuet, iuxta S. Thomam ibid. ad 4. & per consequens etiam, vt in tuo molendino molat, aut ex tua officina emat, licet iusto pretio interueniente, vt recte Valentia, Molina loc. cit. Aragonius, Bannes cit. a. 2. post Antoninum, Gabrielem, Sotum, Caietanum hic, conuenienter cap. *Nauiganti*, de vsuris; quicquid dicat Adrianus, Angelus, Maior, & Rosella, quibus fere consentit Lessius du. 8. Ratio est. Quia etiam illic est obligatio pretio æstimabilis, vt recte S. Thomas, quicquid negent Bannes & Aragonius.

Secus est, si mutues pecuniam ea lege, vt alter etiam ex pari beneuolentia nunc vicissim frumentum, vel vinum mutuet, iuxta Lessium ibid. n. 53.

Talis est etiam obligatio illa, vt mutuatarius 89
procuret, mutuanti beneficium Ecclesiasticum. vt recte docent Medina, q. 4. de vsuris, Nauarrus super cap. *Si fœneratoris*, causa 14. quæst. 15. n. 17. Binsfeldius quæst. 4. super cap. *Consuluit*, Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 2. nu. 273. quicquid aliqui dixerint Secus est, si cum solus ad beneficium ius habeas, solum petas, vt tibi debita promotio non denegetur.

Talis est etiam obligatio, vt mutuatarius pœnam tibi debitam, vel famæ, honorisue violati restitutionem condonet. Secus si quis exigat rem, aut promissionem rei, alioquin ex iustitia debitę; nam sic iam ante debitum exigitur.

Assertio V. Tametsi mutuans ratione be- 90
neficij, ex beneuolentia præstiti, titulo gratitudinis, auctarium etiam aliud quoppiam, & pretio æstimabile, à mutuatorio libere donatũ accipere possit, quin etiã per se loquendo petere, saltem post mutuationem: moraliter tamen loquendo, non licet eam donationem deducere in pactum, nisi forte cuiusdam amicitiæ, cum res talis est, quæ communi vsu ac more, à talibus gratuito ac facile solet præstari. Ita iuxta S Thomam hic quęstione 78. a. 2. Valentia loc. cit. Lessius cap. 20. n. 58. quicquid de obligatione ciuili absolute dixerint Adrianus 4. de restit. & Antoninus par. 2. tit. 1. cap. 7. §. 10. Ratio est. Quia alias talia moraliter dantur ab inuitis, ac proinde iniuste extorquentur.

Qua de causa etiam non multum in ijs rebus, quæ difficulter gratis præstantur, distinguendum censeo, inter obligationem naturalẽ gratitudinis, seu amicitiæ, & obligationem ciuilem, sicubi pactum seu promissio ante mutuationem exigitur, cum alioquin ipsa per se etiam promissio acceptata & stipulatione confirmata obligationem ciuilem inducat, vt dictum dub. 1.

Atq; ex his colligitur primo, posse mutuãtem 91
certam frumenti mensuram ad certum terminũ, exigere æqualem mensuram, si vel dubium sit, an pretium rei sit minuendum, an augendum; vel etiamsi putetur res plus valitura; modo in id vsque tempus fuisset reseruata, detracta tamen æstimatione custodiæ, & relicta libera potestate mutuatario, vt quamprimum restituat. Secus si in id tempus non fuisset reseruata, vt recte Lessius numero 184. contra So-

tum

tum lib. 6. q. 1. a. 2. & Molinam disp. 311. quia tunc titulus lucri cessantis non habet locum, vt dictum dub. 2. n. 38.

92 Colligitur secundo; Si certum, vel probabile sit, rem postea minus valituram, posse mutuantem maiorem, quam dederit, mensuram, exigere; prout videlicet id magis vel minus certum fuerit; idque siue rem eam alioquin in id vsque tempus seruaturus fuisset, siue iam consumpturus; vt recte Lessius dub. 17. n. 146. quia potest pro re præsenti quam alteri tradit, non modo secundum se æqualem, sed etiam (quadam implicita venditione interueniente) in ratione pretij æqualem exigere, secundum eum statum, quem res mutuata modo habet. Quod si nihil de augenda mensura fuerit expressum, sufficiet dari æqualem, vt praxis habet, iuxta Lessium n. 148. etsi contrarium non improbabiliter dicat Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 2. n. 252.

93 Quæritur II. quidnam sentiendum sit de dominio vsuræ. Præter ea, quæ superius de restitutione à fure facienda, q. 6. dub. 9. huc æque pertinentia, diximus; sit hæc

Assertio Tametsi vsurarius vsuræ dominium non acquirat, nisi quandoque per accidens, ob commixtionem; res tamen pecuniâ vsuraria comparatas suas facit vsurarius; sicut & pecuniam, quam ex rebus vsurarijs lucratus est: licet ipse vicissim rerum eiusmodi venditarum dominium in alium non transferat. Ita Molina disp. 326. Lessius dub. 18. & prima ac vltima pars sumitur ex l. *Ex empto*, ff. de actionibus empti, & S. Thoma hic q. 78. a. 3. Caietano tom. 2. opusc. 8. cap. 1. Medina q. 4. de vsura, Soto lib. 6. quæst. 1. a. 4. Couarruuia lib. 3. variarum, cap. 3. n. 6. quicquid in contrarium dixerint Sotus 4. dist. 15. quæstione 2. articulo 3. Paludanus ibidem, quæstione 2. articulo 5. Nauarrus cap. 17. num. 265. Adrianus, Henricus, & alij apud Molinam disput. 326. Ratio. Quia sine iusto titulo non transfertur dominium, l. *Nunquam* ff. de acquirendo rerum dominio.

94 Secunda pars est communis; & patet ex dictis de dominio supra q. 1. dub. 5. Quanquam nihilominus alter, quamdiu cumulus ex tali commixtione extat, habeat adhuc ius in re, iuxta Molinam, & Lessium.

Tertia vero pars patet ex l. 1. C. si quis alteri, & l. 8. ibidem. Quarta ex l. *Qui res*, ff. de furto. Requiritur tamen semper vt alter rem bona fide emerit; alioquin contractus est irritus, ex l. *Si in emptione*, ff. de contrahenda emptione.

95 Vnde colligitur etiam, quænam res ab vsurario datæ, licite accipiantur. Illæ enim, quarum dominium vsurarius non habet, per se licite ab eo non accipiuntur; pecuniæ vero, & aliæ res, quarum dominium, ratione saltem commixtionis acquisiuit, licite ab eo accipiuntur; nisi per talem acceptionem fiat impotens ad restituendũ suis creditoribus, vt pluribus persequitur Molina tom. 2. disp. 330. & Lessius dub. 19.

Vxor tamen, liberi, & reliqua familia vsurarij, licite accipiunt ea, quæ pro ratione status, ad decentem sustentationem & victum pertinent; etiamsi vsurarius non habeat aliunde, vnde restituat; modo alioquin status ipse fuerit honeste acquisitus, neque interim creditores multo grauiorem necessitatem patiantur. Excusat enim à restitutione impotentia, ex dictis de restitutione quæst. 6. dub. 15.

Quæritur III. An, quando, & à quibus restituendum sit acceptum per vsuras.

Assertio I. Vsurarius seu realis, seu mentalis, si vi mutui præcise datum sciens acceperit, etiam secluso alio pacto, non minus tenetur ad restitutionem, tum acceptæ vsuræ, tum damni emergentis & lucri cessantis, ac fructuum, quos ex re vsurarie accepta acquisiuit, quam fur ad restitutionem rei furto ablatæ, eorundemq; damnorum & fructuũ, de quo actum supra q. 6. dub. 9. Ita communis apud S. Thomam hic q. 78. a. 3. Valentiam q. 21. pun. 3. Molinam tom. 2. disp. 327. & seqq. Lessium dub. 6. 96

Patet ex cap. *Consuluit*, de vsuris; quicquid aliqui de mentali excipiant, rati non teneri nisi eum, qui aliquo signo exteriori suam voluntatem expresserit. Ratio. Quia iniuste acceptum, iure restituendum: atqui vsurarius non minus quam fur iniuste accepit vsuras: Ergo. &c. De qua etiam re Augustinus epist. 54. ad Macedonium: *Quid dicam de vsuris, quas etiam ipsæ leges & iudices reddi iubent? An crudelior est, qui subtrahit aliquid vel eripit diuiti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atq; huiusmodi male vtiq; possidentur; & vellem vt restituerentur: sed non est, quo iudice repetantur?* Vbi Augustinus defectũ quendam hac in re sui temporis reprehendit.

Assertio II. Si vsurarius mentalis mala fide (vi mutui scilicet) accepit auctarium, quod tamen reipsa à mutuatario donatum est, tenebitur is quidem ad restitutionem, quamdiu durabit mala fides, ob erroneam conscientiam; sed ea tamen cessante, non tenetur. Ita ex communi Couarruuias super regulam *Peccatum* part. 2. num. 4. Syluester V. *Vsura* 6. q. 3. Petrus Nauarrus num. 222. Valentia & Lessius loc. citat post Scotum, Gabrielem, Richardum, Angelũ, Armillam &c. quicquid in contrarium dixerint Medina q. 4. de vsuris, Adrianus, Caietanus, Nauarrus. Ratio est. Quia in re nulla est inæqualitas. Eadam ratione restituendum, si dubitans vsurarius, qua mente alter dederit, auctarium accipiat, iuxta Lessium n 45. Male enim aditur possessio rei, cuius accipiendæ nullus probabiliter titulus cognoscitur. 97

Assertio III. Mutuans, si auctarium quidẽ bona fide, tanquam sponte donatum, acceperit, postea vero resciat, vi mutui datum, tenebitur ad restitutionem rei extantis, si eadem alioquin numero reddenda sit; aut eius, in quo factus est ditior, iuxta regulam possessoris bonæ fidei, de quo dub. 2. de restit. q. 6. 98

Assertio IV. Qui contractum vsurariũ bona fide iniuit, ratus esse iustum, ex probabili sententia, potest tantũ lucrum seruare, quantũ alioquin per contractum iustum acquisiuisset; nisi aperte cõstet, mutuatariũ nõ nisi vi mutui, secluso omni alio iusto titulo, qui reipsa ad petendũ auctarium interuenisset, dare auctariũ voluisse. Ita 99

Sa V. *Vsura*. idemq; sentire viros doctissimos asserit Lessius dub. 12. qui tamen ipse non audet id probare; sed forte cum annexa limitatione non admodum improbaret.

100 Ratio est: quia hoc ipso, quod mutuans beneuolo affectu, & bona fide, in gratiã mutuatarij suam pecuniam exponit, probabiliter censeri potest, & ipse omni, quo poterat, modo licito, auctarium lucri accepisse, & contra etiam mutuatarius, etsi expresse non monitus, saltem implicite consensisse, ad mutuantem in contractu indemnem seruandum, adeoq; ad præstandum interesse, saltẽ consuetum illud, quod auctario respondebat, nisi aliunde contrariũ constet: licite ergo mutuans saltẽ ratione lucri cessantis, retinet quod accepit: modo alioquin cæteræ conditiones ad hunc titulum requisitæ, dum contraheretur, adfuerint.

Accedit, quod talis non tenetur, nisi iuxta leges possessoris bonæ fidei, ad restituendum id, quo ex contractu ditior est factus: non videtur autem ex contractu absolute ditior factus secundũ id, quod secluso tali cõtractu, erat lucraturus; quia hoc potius ad eum indemnẽ seruandum pertinet: merito enim alioquin diceret, se ex tali contractu damnum sensisse: Ergo. &c.

101 Assertio V. Non solũ ipse vsurarius, sed etiã omnes illi, qui agunt partes vsurarij, & sunt causa efficax, cur vsuræ soluantur, vel solutæ non repetantur, tenentur ad restitutionem in solidum. Patet ex dictis de restitutione q. 6. dub. 14.

Tales autẽ sunt I. Principes & Iudices, qui vsurarijs vsuras (quas constet esse tales) adiudicant; suntq; excomunicati excõmunicatione speciali Clem. vnic. de vsuris, vt præter alios etiam notauit Toletus l. 5. c. 36. Quo tamen non obstante, si necessitas boni cõmunis id postulare videretur, possunt domini temporales cogere, vt soluantur promissæ vsuræ, vt notat Sa V. *Vsura*. Sed hoc moraliter vix accidet: nisi forte per dispositionẽ supremę potestatis acquisitio talis auctarij, in mutuo, iam licita fuerit effecta, iuxta dicta n. 79. De qua re vide etiam tom. 2. d. 5. q. 1. du. 3. n. 46.

Quod si ijdẽ domini vsurarijs solũ permittant vsuras, ad maiora incõmoda vitanda, nullũ eis auxilium præbentes, nec in peccato participantes, nullũ vsurariæ rei peccatũ incurrunt, vt notant Bannes, Aragonius hic q. 78. a. 3. Molina tom. 2. disp. 331. Lessius dub. 21. n 179.

102 II. Vsurarij procuratores, & aduocati, in causa vsuraria apud citatos.

III. Tabelliones siue notarij, si scriptis instrumentis vsuras, sub specie liciti cõtractus, pallient, (secus si cõtractũ vsurariũ, qualis reipsa est, conscribant:) nisi idipsũ faciant in fauorẽ mutuatarij, vt mutuũ obtineatur, nõ mutuantis, vt docent citati; quanquã & tunc mortaliter peccant, contra suum iuramentum, vt notat Lessius n. 180.

IV. Tutores pro pupillo vsuras exercentes, quicquid leges ciuiles à Canonibus correctæ permittant. V. Proxenetæ seu conciliatores ac mediatores ex parte vsurarij, moraliter ad contractũ vsurarum concurrentes. Quæ omnia ex communi docent Sotus l. 6. de iustitia q. 1. a. 4. & 5. Nauarrus c. 17. à n. 275. Valentia q. 21. pu. 3. Molina tom. 2. disp. 331.

Famulos vero vsurarij absolute à restitutione absoluit Sotus; obligat Medina, & fere etiam Nauarrus. Sed rectius Binsfeldius, Petrus Nauarrus, Sa, Toletus, Valentia, Molina distinguunt, obligantq; eos, qui pecunijs ad vsuram exponendis, & conficiendis vsurarijs cõtractibus, lucrisq; vsurarijs extorquendis, propinquè domino in vsura accipienda cooperantur, & factores seu procuratores apothecæ appellantur: reliquos vero, mutuatarium ad soluendas vsuras non permouentes, sed remote solũ vsurario cooperantes, scribendo rationes dati & accepti, portando & reportando, vel etiam accipiendo & conseruando pecuniam, absoluunt: nisi etiam isti intelligentes domini iniquitatẽ, id facere pergant, vt limitauit Valentia cum Nauarro, & Syluestro, quam tamen limitationem Sotus, Toletus, Sa, Molina, Lessius non minus probabiliter prætermittunt. 103

Assertio VI. Hæredes vsurarij singuli non tenentur ad restitutionẽ vsurarum in solidũ, sed tantum pro rata parte. Ita Caietanus in opusc. de vsura quæst. 5. Couarruuias 3. variarum. cap. 3. numero 7. Sotus lib. 6. q. 1. a. 4. Ioannes Medina de vsura q. 4. Syluester V. *Vsura*. q. 10. Petrus Nauarrus n. 414. Carbo q. 57 de vsuris. Sa V. *Vsura*. Lessius dub. 20. Molina d. 332. n. 3. diuiduntur enim cum bonis onera, & debita bonis annexa ex l. 2. C. de hæreditat. action. vt etiam in simili de furto dictum q. 6. dub. 9. licet contrarium dixerit Nauarrus cap. 17. n. 268. ratus omnia bona vsurarij esse tacite hypothecata creditorib⁹; quod tamen non satis ex iure probatur, de quo fuse Molina disp. 329. 104

Quæritur IV. Quænam sit pœna vsuriorum. Respondetur. In vsurarios manifestos, qui scilicet sunt tales, aut notorietate facti, quod nulla tergiuersatione possit celari; aut notorietate iuris, ita scilicet, vt in iudicio sint aut legitime conuicti, aut sponte confessi, aut legitime damnati, variæ sunt pœnæ constitutæ, vt patet ex cap. *Quanquam*, de vsuris in 6. & apud Syluestrum V. *Vsura* 9. quæstio. 4. Couarruuiam libro 3. variarum cap. 3. 105

Prima est infamia iuris ex l. *Improbum* C. ex quibus causis irrogetur infamia; & per consequens irregularitas.

Secunda pœna est exclusio ab altari, quod scilicet nõ sint admittendi ad cõmunionẽ altaris, siue perceptionem Eucharistiæ, cap. *Quia in omnibus*, de vsuris, nec ad oblationes offerẽdas, sub pœna suspensionis ibidem.

Tertia, exclusio ab absolutione & confessione peccatorũ; donec reipsa satisfaciãt; aut si nõ possũt, dent idoneã cautionẽ, pignoratitiã nẽpe, aut fideiussoriã; vel ipsis creditorib⁹, si sint pẽsentes, vel ordinario loci, aut ei⁹ vicario, vel Parocho, coram testib⁹ fide dignis, aut Notario publico, habente mãdatũ ab Ordinario, ex dicto c. Quãquã. Id vero si pẽs periculũ nõ patiatur, præstito si fieri possit, iuramento de restituendo cum primum poterit, absoluendi sunt, & postea cautio prædicta exigenda erit. Instante verò morte si aliud fieri non 106

possit,

possit, præuia promissione, de stando Ecclesiæ mandatis, petatur etiam facultas, eum pœnitentis animum Episcopo, alijsque ad quos spectat aperiendi, vt sepulturæ Ecclesiasticæ particeps esse possit. Quod si moriens iam obmutuit, poterit etiam cum solis contritionis signis (si alia haberi non possint) absolui, vt suo loco de pœnitentia dicetur, & pluribus prosequuntur, Sylvester V. *Restitutio* 6. §. 1, Nauarrus man. c. 17. n. 281. & Toletus lib. 5. cap. 36.

107 Quarto. Nec admittendi sunt ad sepulturam Ecclesiasticam ex cit. cap. *Quia in omnibus*; alioquin scienter sepelire præsumentes, ipso facto sunt excõmunicati; nec absoluendi, donec arbitrio Episcopi satisfecerint Clement. 1. de sepultur. Quod restringendum videtur, iuxta tenorem Bullæ *Ad euitanda*, si nominatim sint denuntiati, vt notat Lessius n. 188.

Quinto. Testamenta ipsorum sunt inania; nisi ante mortem soluerint, aut legitimam cautionẽ præstiterint, ex cit. cap. *Quamquam*.

108 Denique Ecclesiastici non possunt vsurarijs elocare domos; sed tenẽtur è suis terris eos expellere; alioquin ipso facto sunt suspensi, si sint Episcopi, excõmunicati, si minores Episcopis; Interdicti, si sit collegium, vel vniuersitas, ex cap. 1. de vsuris. Ipse tamen vsurarius non est excõmunicatus, vt ex Sylvestro & Soto notat Toletus lib. 5. c. 36. & consentit Lessius dub. 22.

109 Quod si vsurarius non est notorius, perinde cũ illo agẽdum erit, ac cũ alio quouis ad restitutionẽ siue satisfactionẽ obligato. Itaq; si videatur obtẽperaturus, potest absolui prima vice: si semel ita absolutus redeat, nondũ facta restitutione; idque sine rationabili causa, ordinarie nõ est absoluendus, nisi prius restituat. Sed & in articulo mortis absolui potest, dumodo testamẽto, vel alio modo caueat, si potest, vt hæredes restituãt, vt bene Tolet⁹ loc. cit. & plurib⁹ dicetur suo loco de pœnitẽtia.

Quæritur quinto, an & quomodo mutuũ sub
110 vsura peti possit, neglecto vsurarij peccato. Respondeo; id constare ex dictis de fide disp. 1. q. 9. du. 5. & de charitate disp. 2. q. 6. d. 8 & 9. Summa est, peti posse, causa necessitatis, vel cõueniẽtis vtilitatis; nõ autẽ absq; omni causa; fore enim id peccatum mortale existimat Valentia q. 24. punct. 4. quamuis neget Sa V. *Vsura*.

Certe quidem S. Thomas q. 73. a. 4. vniuersim pronuntiat, licitum esse ab eo, *qui hoc paratus est facere, & vsuras exercet, mutuũ accipere sub vsuris, propter aliquod bonum; quod est subuentio suæ necessitatis, vel alterius. Sicut etiã licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona quæ habet, ne occidatur, exemplo decẽ virorum, qui dixerunt ad Ismael; Noli occidere nos; quia thesauros habemus in agro*, vt dicitur Ieremiæ 41. Id enim non esse inducere hominem ad peccandum, sed *vti peccato alterius ad bonum*; neque ita mutuum accipientem *dare occasionem vsurario vsuras accipiendi, sed mutuandi; ipse autem vsurarius*, inquit, *sumit occasionem peccandi, ex malitia cordis sui*; ita vt sit scandalum *passiuum ex ipsius parte, non autem actiuum ex parte petentis mutuum*.

111 Et ibidem respõsione ad 3. *Si quis committeret pecuniam suã vsurario, non habenti alias, vnde vsuras exerceret; vel hac intentione committeret, vt inde copiosius vsuram lucraretur, daret materiam peccandi; vnde & ipse esset particeps culpæ. Si autem aliquis vsurario alias habenti, vnde vsuras exerceat, pecuniam suam committat, vt tutius seruetur, non peccat, sed vtitur homine peccatore ad bonum.* Ita S. Thomas. Plura locis citatis.

DVBIVM IV.

De Censibus, seu contractu Censuali; eiusque iustitia & iniustitia.

Ad S. Thomam 2. 2. q. 77.

QVamuis S. Thomas solum de contractu emptionis, ac mutui agat; quia tamen contractus humani plures sunt; de ijs etiam breuiter agendum est; ac primum de Censu, seu contractu censuali; qui tametsi quidem etiam emptio quædam & venditio sit, vt dicetur, specialem tamen difficultatem habet. 112

Primo igitur quæritur; Quid, & quotuplex sit Census. Respondetur ad 1. Etsi quidem Census sæpe ipsam pensionem censualem, nonnunquam etiam contractum censualem significet; in proposito tamen accipi, pro iure ad eam pensionem accipiendam. Qua proinde notione Census ita definitur. Est ius percipiendi aliquam pensionẽ (hoc est vtilitatẽ, seu pecuniariã, seu fructuariã) ex re, vel persona alterius vtili, v. g. ex agro, ex domo &c. soluens pensionem dicitur *Censuarius*, percipiens *Censualista*. Eiusdem vero Iuris emptio & venditio vocatur contractus censualis.

Ad 2. Census multiplex est. Primo enim ex parte modi, quo cõstituitur, Census alius dicitur 113
reseruatiuus; cum quis fundi sui dominiũ transfert in alterum, reseruata sibi certa pensione; qui tamen census huc proprie non spectat; licet hic etiã intercedat virtualis emptio & venditio Census; alius dicitur *consignatiuus*; cum quis retento rei dominio, consignat alteri certum ius pensionis; qui census huius loci proprius est.

Secundo ex parte rei censualis, in qua fundatur census, quidam est *personalis*, in persona scilicet, eiusq; industria fundatus; alius *realis*; qui fundatur in re aliqua fructifera.

Tertio ex parte rei, quæ percipitur, alius fructuarius est, cum fructus percipiuntur; alius pecuniarius, cum pecunia; & vterque rursus certus vel incertus, prout certa vel incerta portio percipitur.

Quarto ex parte temporis, alius est temporalis; isque vel ad vnius, aut plurium vitam; vel solum ad certos annos: alius est perpetuus, saltem quamdiu à venditore non redimitur.

Quinto ratione pacti superuenientis, alius di- 114
citur redimibilis; idque vel ex vtraque parte, tam emptoris, quam venditoris; vel ex vna tantum, seu venditoris; quod ordinarium est; seu solius emptoris; quod rarum: alius irredimibilis, qui ex neutra parte redimi potest.

Vterque vero census tam reseruatiuus, quam consignatiuus differt ab emphyteusi, quod per hanc rei nostræ dominiũ vtile alteri traditur pro

certo pretio (quod laudemium dicitur;) & certa pẽsione añuatim soluẽda; siue ad vitã, & dicitur vitalitium; siue ad certos años, siue in perpetuũ; cũ tamen in censu reseruatiuo tam directũ, quam vtile dominium rei nostræ in alterum transferatur; in censu vero consignatiuo, neutrum.

115 Ab vtroq; tam censu, quam Emphyteusi, differt feudum, quod est concessio rei imobilis fructiferæ, quoad dominiũ vtile, reseruato directo, pro homagio seu obligatione quadam personali fidelitatis ad seruiendum. In dubio vero, an contractus sit censualis, an emphyteuticus, iudicatur censualis, ita vt dominium rei, tam directum, quam vtile pertineat ad possessorem, qui pensionem soluit, non ad eum cui pensio soluitur, nisi contrariũ probetur, vt ex cõmuni docent Couarruuias l. 3. var. c. 7. n. 1. Molina disp. 381. n. 6. & Azor tom. 3. l. 10. c. 3. de censibus.

116 Quæritur secundo, an & qua ratione contractus censualis sit iustus.

Assertio I. Emptio & venditio census tam noui, quam veteris, est contractus sua natura licitus & iustus. Ita cõmunis & certa Doctorum sententia; contra Gandauensem quodl. 8. q. 23. qui negat, emptionem noui census esse licitam, quod significant etiam Innocentius & Ioañes Andreas in cap. *In Ciuitate*, de vsuris.

Probatur auctoritate Principum vtriusq; Reipublicæ, nempe Sumorum Pontificum, & Regũ ac Imperatorum, qui in suis constitutionibus, sine discrimine temporis census approbant, vt speciatim videre est in Extrauagantibus communibus Martini V. & Calisti III. tit. de Emptione & venditione. Ratio est; quia eadem est ratio census noui & veteris, & qui nunc vetus est, olim nouus fuit. Deinde sicut res ipsa tota, ita & ius aliquod certum in rem licite venditur. Nec verum est, in censu etiam pecuniario, solum emi pecunias, vt existimauit Gandauensis, cum potius ematur ius ad pecunias ex re fructifera percipiendas.

117 Assertio II. Vt contractus hic licitus sit, iure naturæ quatuor conditiones requiruntur. Prima, vt census fundetur in re fructifera, quæ suo tempore debitam pensionem, seu imediate, seu mediate (vt fit, cum pecunia ex agro soluenda) reddat etiamsi non annuatim: siue ea res sit persona, modo possit ac velit sua industria tantam pensionem lucrari: siue res alia, seu mobilis, vt est pecunia, modo hæc sit in statu fructificandi, atque adeo negotiationi exposita, seu immobilis, vt est ager, domus, redditus annui, & census ipse, vtpote in quo nouus adhuc census fundari potest: & siue demum res aliqua certa determinetur, siue res omnes indifferenter censui subijciantur; quia hæc omnia vtcunque se habeant, ad ius naturæ nihil refert, vti inferius magis patebit, & recte docent Medina q. 11. de vsura, & Valentia q. 22. pu. 2. qui addit, cum Soto lib. 6. q. 5. art. 1. ex communi, ad eiusmodi pensionem soluendam, omnia bona censuarij & ipsius quoq; personam obligata esse.

118 Secunda conditio est, vt census ematur iusto pretio. Censetur autem iustum, quod vel lege, vel iudicio prudentum & bonorum virorum taxatum fuerit; spectata conditione rei, ex qua census emitur, & temporis ad quod emitur, ac simul quantitate pensionis, & alijs rationibus generalibus, in taxando mercium pretio spectandis, de quibus supra dub. 2.

Et quidem in Imperio in censu perpetuo, siue ex parte solũ venditoris redimibili, iustũ & legale pretium est viginti aureorum pro vno, adeoque centum pro quinq;, vt ex constitutionibus Imperialibus, & imemoriali consuetudine probat Binsfeldius q. 14. in cap. *In ciuitate*, de vsuris.

Quanquam secluſa hac lege, quandoq; etiam iustũ censeri posset pretiũ, centum pro septem, vt notauit Valentia q. 25. pu. 2. Quod autem pro censu reali redimibili, pretium lege taxatũ esse in singula, dixit Lessius cap. 22. dub. 14. numero 104. intellexisse videtur, de censu redimibili solum ex parte venditoris: quod ipsum tamẽ in Imperio locum non habet, vt dictum. Alioqui maius pretium natura sua requiri in censu vtrinque redimibili, omnes notant, quia tunc maius, ac speciale onus imponitur venditori. 119

Quanquã sicubi lex illa Imperialis promulgata, vel recepta non est, & cõmuni consuetudine, etiam quinq; pro cẽtum in censu vtrinq; redimibili soluuntur, fieri potest, vt iuste vtrumque pretium pro vtroque censu accipiatur, cum pretia naturalia inindiuisibili non consistant, & id iustum sit pretiũ, secluſa lege positiua, quod communi prudentum existimatione taxatur, vt notauit Valentia loco cit.

Certe quidem regulariter necesse non est, tantum esse pretiũ, quanti sunt ipsæ pensiones oñes suo tempore percipiendæ, sed communiter multo minus: idque varijs de causis, tum quod proprie & immediate non emuntur pensiones, sed ius ad pensiones: tum quod ipsæ pensiones varijs periculis ac labori acquirendi successu temporis expositæ esse solent. Sicut etiã ob eandẽ causam, longe minori pretio emitur ager, quam sit omnis ille fructus, qui successu temporis ex eo speratur, vt optime dixit Valentia q. 22. pu. 5. 120

Quandoq; tamen, si census solum ad breue aliquod tempus ematur, (v. g. ad annum, quo singulis mensibus pensio aliqua soluenda sit) nec vllũ appareat periculũ, vel difficultas, in acquirẽda pensione, per se loquendo, iuste non poterit census minoris æstimari, quam pensiones ipsæ valeant, vt docent Gabriel in 4. d. 15. q. 12. Ioannes Medina de vsur. q. 3. de censibus, Sotus lib. 6. de Iustitia, q. 5. a. 2. & Valentia q. 22. pu. 5. quicquid Conradus q. 80. de contractibus, & fere Nauarrus in comment. c. 14. q. 3. n. 71. Couarruuias 3. var. c. 7. n. 4. in contrariũ dixerint, quibus quoad censum realem consentit etiam Molina to. 2. d. 386.

Tertia conditio est, vt si res censualis pereat, aut penitus sterilescat, non amplius apta tanto fructui ferendo, (citra Censuarij culpam,) censualistæ pereat & sterilescat, secluso speciali pacto assecurationis, vt ex cõmuni docent Valentia loco cit. quæst. 22. pun. 2. & Molina tom. 2. disputatio. 390. num. 6. & colligitur ex bulla Pij V. de censibus, quicquid indiscriminatim dixerit Sotus libro 6. de Iustitia quæstione 5. articulo 1. 121

quasi

quasi nihilominus maneat obligatio soluendi pensionem.

Ratio est; nam quælibet res, per se loquendo, domino suo perit; cũ ergo Censualista sit dominus iuris ad pensionẽ ex re percipiendã, quod re pereunte, vtiq; simul perit, Censualistæ peribit.

Si tamẽ res censualis vno vel altero anno solũ sterilis sit, nõ ideo liberatur Censuarius à soluenda pensione; modo reliquis annis tantum ferat, quantum ad pensionem soluendam sufficit, vt docent Sa etiam in edit. recognita V. *Census* & Valentia q. 22. pu. 2. etsi Molina in casu fortuitę sterilitatis neget tom. 2. disp. 390. n. 6. & disp. 386. n. 4. vbi ait; In censu reali, si res, in qua census est collocatus, casu fortuito, vno aut pluribus annis, fructus non ferat, non deberi eo año, aut annis, censum, quantum est ex natura contractus, nisi peculiare aliud pactũ ei addatur. Nimirum quia existimat, emptionem census mere realis non aliud esse, quam emptionem iuris, ad recipiendũ partem fructuum; quos res censui subiecta quotannis reddiderit. Quod tamen non probatur; & satis refellitur ipsa praxi, qua ex agris quotannis constitutus census soluitur, etiamsi agri secundo aut tertio quolibet anno quiescant. Accedit quod ita etiam consuetudo locum specialis pacti supplere potest.

122 Quarta cõditio est, vt res censualis inscio Censualista, non transferatur in alium, à quo soluenda pensio ægre, minusque secure obtineatur, vt bene docent Sotus l. 6. q. 5. a. 3. & Valentia q. 22. pun. 7. Ratio est; quia cũ Censualista ius habeat ad rem censualem, non debet illud tali venditione reddi deterius.

123 Assertio III. Iure vero humano, plures aliæ cõditiones requiruntur ad iustitiã contractus censualis. Probatur & declaratur. Etenim hac de re variæ inueniũtur Bullæ, & cõstitutiones Pontificũ; nimirũ primo duæ Extrauagantes Martini V. & Callixti III. inter cõmunes de emptione & venditione, quarum etiam mentionem faciunt Sotus loc. cit a. 1. Couarruuias l. 3. variarum c. 7. n. 6. Carbo q. 58. de Restit. & Valentia q. 32. pun. 7. Sed qui tamen Pontifices census quidem certis cõditionibus initos approbarunt, sed alios non improbarunt, vt recte notarunt ijdem.

Secũdo reperiũtur duæ speciales constitutiones pro regno Sicilię editę à Nicolao V. & Gregorio XIII. qui eidem regno concessit, vt cũ tribus conditionibus possint census emi. 1. vt census constituatur super aliqua re certa vna, vel pluribus; esto simul addatur obligatio generalis omnium bonorum. 2. vt venditor possit redimere quando placuerit. 3. vt census non excedat tertiam partem sortis, seu pretij. Quæ tamen Bulla, quia particularis est, per se ad reliquam Ecclesiam non pertinet.

124 Tertio vero huc potissimum spectat Bulla Pij V. edita anno 1569. quam refert Nauarrus Manual. c. 17. n. 234. Molina à disp. 389. & Valentia q. 22. pun. 7. sequentes conditiones requirens. 1. Vt census non instituatur, nisi in re immobili, certa, & natura sua fructifera: vbi proinde vetatur census personalis. 2. Vt pretiũ census statim soluatur coram Notario & testibus. 3. Ne anticipatæ solutiones pensionũ deducantur in pactũ.

4. Ne vel directe vel indirecte obligetur Censuarius, ad præstandos casus fortuitos, ad quos alias ex natura contractus nõ tenetur. Vbi prohibetur pactum assecurationis, alias iure naturæ, tam in hoc, quam in quouis alio contractu licitum, vt ex quadam consultatione Romanorum Theologorum recte notauit Valentia q. 22. pun. 6. illud tamen simul addens, nulli suadendum hoc pactum, sed tolerandum, sicubi lex humana non obstet, & intentio vsuraria absit.

5. Vt libera, nec vllo pacto grauatã maneat 125
facultas censuario, alienandi rem censualem. 6. Vt non fiant pacta, quibus censuarius si in mora sit soluendi pensionem, obligetur ad vllam pœnam: quamuis iure naturali teneatur compensare damna Censualistæ inde reuera emergentia, vt
recte Carbo loco citato. 7. Ne vnquam augeatur 126
census institutus; nec nouus fundetur super eadẽ re; nisi vt recte notauit Nauarrus loco cit. noua pecunia soluatur. 8. Ne fiat pactum, vt solutio onerum pertineat ad venditorem, quæ ex natura contractus ad eum non spectabant.

9. Vt pereunte re censuali, vel ex toto, vel ex parte, census quoque vel ex toto, vel ex parte pereat; quæ cõditio iuris naturalis est, si res ita pereat, vt censum totum ferre amplius nunquam possit; secus si ad vnum solum annum sit sterilis, vt supra dictum.

10. Vt census semper sit redimibilis ex parte 127
venditoris, reddito eodem pretio, & censualista bimestri prius ea de re præmonito, quam census redimatur; quo facto, cogi quoque intra annum poterit censuarius ad redimendum.

11. Ne fiat vllum pactum, obligans venditorẽ ad redimendũ census. Vbi damnatur census ex vtraq; parte redimibilis: vt etiã factũ esse in quadã Constitutione Imperiali Augustanorum Comitiorum notat Valentia cit. q. 22. pun. 6.

Cæterũ circa hanc bullã, & cõditionẽ postremã dubiũ est primo, an ea conditio necessaria sit 128
iure naturæ. Respondeo breuiter, verosimillimum videri, non esse necessariam iure naturali, saltem in censu reali; adeo vt etsi quidem census vtrinq; redimibiles suaderi non debeant, ob speciem mali, & periculum vsuræ; attamen vbi lex positiua non obstat, tolerari possint, vtpote naturali iuri nõ repugnantes. Ita docẽt Maior 4. dist. 15. q. 43. & 44. Gabriel q. 12. Conradus q. 84. Medina q. 15. de vsura, Valentia q. 22. pun. 6. cũ Theologis Romanis. Toletus l. 5. c. 45. Aragonius q. 78 a. 4. Lessius c. 22. dub. 10. Azorto. 3. l. 10. c. 17. q. 4. Ratio est; tum quia hoc pactum redimendi in omni alia venditione licite potest interponi, vt superius diximus dubio 2. Tum quia simile pactum in gratiam censuarij additũ, licitum est, secundum omnes. Neq; vero ideo census in mutuũ transit; licet enim capitale recipiatur, nõ tamẽ recipitur pro capitali prius dato, eiusue vsu; sed pro restituendo seu remittendo censu.

Nihilominus contrarium docent Sotus lib. 6. 129
de Iustitia, q. 5. a. 3. (pactũ hoc in omni venditione reprobãs) Couarruuias c. 9. variar. n. 4. Nauarrus com-

rus commentario de vsura n. 78. Binsfeldius loco cit. Sa V. *Census*, Rebellus lib. 10. de Iustitia, q. 7. n. 1, & alij; existimantes, tale pactum tollere naturam census, atque adeo esse contra ius naturæ.

Rationem adducunt. Talis enim censualista, aut voluit emere censum perpetuum, aut solum temporalem, ad aliquot scilicet annos, aut quamdiu ipsi placuerit. Si primum; cur ergo obligauit Censuarium ad redimendum? Si secundum; cur ergo dedit centum pro viginti quinque, vel quinquaginta: & quod plus est, quo iure post elapsos illos annos reuendit, in quod nullum amplus ius habet? Solum enim emit ad tres annos, nec post tres annos amplius ius habet; cur ergo reuendit, quod suum non est?

Sed facile respondetur, emisse censum perpetuum; ita scilicet vt eo perpetuo frui possit, nisi à censuario redimatur; quemadmodum etiã accidit in emptione domus, seu alterius rei. Emitur enim domus, siue ius in domum, perpetuum; & tamen nihilominus redimi potest.

230 Molina vero disp. 377. tametsi hunc contractum ex rei natura licitum esse asserat, putat tamen cõmuniter esse iniustum, eo quod debitum pretium in redemptione non exigatur, sed iusto maius; putat enim iuste non posse tantum pretium accipi in redemptione, quantum fuerat datũ in prima emptione; eo quod in hac duplici onere (tum assecurandi scilicet pensionẽ; tũ redimẽdi censum) fuerit grauatus primus venditor, quo caret secundus venditor. Verum Valentia q. 22. pun. 2. ex consultatione prædictorũ Theologorũ Romanorũ rectius sentit, id quãtũ est ex iure naturæ, nõ esse illicitũ; eo quod tametsi venditor in secunda emptione non ita grauetur, liberatur tamen eodẽ duplici onere venditori vtili, emptor; quod tantundem est.

231 Secundo dubiũ est, an Bulla Pij V. quoad prædictas conditiones, iure naturali non necessarias, in conscientia obliget. Respondeo sequentibus pronuntiatis. I. Non obligare vbi recepta nõ est; quia leges humanæ cõmuniter pendent ab acceptatione, vt suo loco de legibus dictum tom. 2. disp. 5. q. 5. du. 3. Neq, vero voluit Sapientissimus Pontifex, alios Principes alium contrahendi modum, naturali iuri alioquin non repugnantẽ, secutos, in sua temporali iurisdictione perturbare; quando re ipsa Gregorius XIII. in Siciliæ regno alium contrahendi modũ approbauit, vt dictum.

232 Respondetur II. Probabilissimum videri, eam constitutionẽ fundari in præsumptione fraudis & intentionis vsurariæ; ac proinde si veritas stet contra præsumptionem, frausq; & mala intentio absint, adsintq; conditiones iure naturali in hoc contractu requisitæ, sine peccato prætermitti cæteras conditiones, iure tantum humano præscriptas; quales sunt omnes, præter nonam, vt dictũ est. Ita docent Nauarrus in Cõmentario de vsura, n. 96. Valentia q. 22. pun. 2. qui puncto 6. hoc idem recte quoque asserit de Constitutione prædicta Imperiali. Ratio est; quia principalis intentio videtur fuisse, homines metu forensis iudicij ac præsumptionis, auocare ab vsuræ periculis & vsuraria cupiditate; non autem probas conscientias, & extra peccati periculum positas, onerare tot nouis ac per se non necessarijs legibus ac conditionibus.

Respondetur III. Obligari nihilominus Iudices per supradictas constitutiones, sicubi receptæ sunt, vt nõ admittant contractus censuales, absq; eiusmodi requisitis conditionibus celebratos. Ita Valentia q. 22. pun. 2. & 6. Ratio est; quia hoc minimum intendit Pontifex; id quod etiam ad eius intentionem sufficiebat, vt dictum. 233

Neque vero dici potest, eiusmodi leges, vtpote Ecclesiasticas & Pontificias, solum spectare vel ad forum Ecclesiasticum, vel ad proprias ditiones Ecclesiæ Romanæ; siquidem contrarium constat ex verbis Bullæ; neq; negari potest, Pontificem in ordine ad bonum spirituale animarum, habere potestatem ferendi leges etiam de rebus temporalibus, in vniuersa Ecclesia, vt generatim de fide dictum, disp. 1. q. 4. dub. 7. & pluribus dicetur tomo 4. de Exempt. Clericorum.

Respondetur IV. Eam constitutionem Pij V. quoad aliquas saltem conditiones, in Germania, alijsq; locis re ipsa nõ videri receptam. Ita quidẽ de Belgio absolute pronuntiat Lessius c. 22. dub. 13. idemq; se credere ait, de Gallia & Germania. Certe quidem contractus censuales in Germania passim, nemine prohibẽte, celebrari videtur, sine plerisq; eiusmodi cõditionibus; nec in celebrandis cõtractibus mentio, aut ratio haberi solet supradictæ constitutionis Pij V. Plura apud citatos. 234

DVBIVM V.

De Cambijs, eorumque iustitia & iniustitia.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 77.

QVæritur primo, Quid sit Cambiũ. Respondetur; Cambium quidẽ generatim loquendo, nihil aliud est, quam permutatio; cambire enim permutare est: at vero in proposito significat cõmutationem lucrosam pecuniarũ aliquo modo diuersarum, videlicet aut secundum speciem, aut secundum locũ; ita quidem vt vicissim transferatur dominium eiusdem pecuniæ. 235

Differt à mutuo; tum quia hoc proprie non est permutatio, seu vltro citroq; datio rei pro re, vel pecuniæ pro pecunia; tum quia mutuum ex sua natura postulat dilationem solutionis, siue vt interuallum temporis intercedat inter dationem & redditionem; quod cambio per accidens est. Et quamuis etiam res existens permutari possit cum futura; nempe triticum præsens cum eo, quod fuerit collectũ in messe, vt contra Sotum l. 6. q. 12. art. 2. recte dixit Nauarrus Man. c. 17. n. 287. contractus tamen permutationis nõ est in sua ratione completus, nisi res re ipsa sit tradita. Qui in alterius gratiam pecuniã mutat, vocatur *Campsor*; qui mutatam accipit *Campsuarius*, siue *Campsarius*.

Quæritur secũdo, quotuplex sit, seu quot modis accidat cambiũ. Respondetur esse multiplex. Nam primo cambiũ aliquod dicitur *minutũ* siue *simplex*; cum quis in eodem loco monetam cũ alia diuersi generis cõmutat; argenteã pro aurea; magnã pro parua; detritã p nouã; abrasã seu minoris ponderis, p moneta maioris põderis, seu integra. 236

Secundo

137 Secundo aliud est Cambium *locale*, per translationem realem pecuniæ; cum scilicet pecuniæ ex loco, vbi minus valent, exportantur in alium, vbi plus valent, & sic cum lucro expenduntur; quod quidē, per se loquendo, licitum esse nemo dubitat; modo nec pretium vtrobiq; currens negligatur; nec contra Principis decretum pecuniæ exportentur: quamuis ex hoc capite nullū peccatū agnoscere videatur Nauarrus Manuali c. 23. n. 60. & 61. nisi expresse sub peccato phiberetur. De qua re ex materia de legibus iudicandum est.

138 Tertio aliud est Cambium locale, per virtualē translationem pecuniæ à Campsore faciendam; quando scilicet in præsenti loco Campsor accipit à Campsuario certam pecuniæ summam, vt eandē in alio loco refundat, subducto sibi conuenienti lucro. Quod vocatur etiam *cambium translationis*, siue *per literas*; quia scilicet Campsor literas dat Campsuario, quarum vi Campsuarius in alio loco, vbi Campsor itidem mensam, vel socios cambij habet, tantundem recipiat.

139 Quarto aliud est Cambiū *ratione absentiæ*; quando scilicet è contrario Campsor in præsenti loco dat certā pecuniæ summam Campsuario, vt ab eo vicissim in alio loco tantundem recipiat, cū lucro conuenienti. Et plures modos huius generis refert Toletus l. 5. c. 54. Quæ omnia etiā vocantur cambia realia & proprie dicta.

Quinto vero aliud est *cambium custodiæ*, improprie dictum; quo scilicet apud Campsorem certa pecuniæ summa custodienda deponitur, eiq; ratione custodiæ conueniens lucrum tribuitur; etiamsi interim Campsor non prohibeatur deposita pecunia suo commodo vti.

140 Sexto deniq; aliud est *Cambium siccum*, vel potius fictū, quo Campsor pecuniā Campsuario ita tradit, tanquā si foret recipienda in loco distanti; cū reuera tamen in eodem loco, vbi traditur, persoluenda sit: siue quia Campsor alibi mensā aut correspondentē non habet; siue quia campsuarius alibi pecuniā non habet: idq; facit campsor ea de causa, vt honesto prextu cambij, sub specie trāslationis pecuniæ, vberi⁹ aut securius lucrū faciat. Simili ratione vocatur etiā *recambiū siccū*, si rursus campsor ex illo loco fictitie recambiat in locum priorem, vbi contractus initus, cum iterato lucro. Alios cambij sicci modos refert Toletus cap. 52.

141 Atq; hæ sunt magis propriæ species cambij: quas autem alij species dicunt, potius sunt tituli varij, quibus tum in eodē, tum in diuersis cambijs, lucrum accipi potest, de quibus infra.

Diuisio autē ordinata, earundē specierum ita facile iniri potest; vt nimirū primo cambiū aliud sit propriū, aliud impropriū: hoc rursum aut siccum; aut quod diximus cambium custodiæ. Secūdo prium aliud est minutū seu simplex; aliud locale; hoc rursum duplex; aut per translationem realem pecuniæ; aut per translationem virtualē: hoc deniq; iterum duplex, nimirum aut cambium translationis, aut cambium ratione absentiæ.

142 Quæritur tertio, an prędicta cambia sint licita. Respondetur, reliqua oña, postremo excepto, per se loquēdo, esse licita, si tres circūstantiæ siue cōditiones cōcurrāt: Prima, vt suppetat & spectetur iustus aliqs titulus recipiendi lucrū ex tali cōmutatione: nisi enim in cōmutatione aliqua, specialis eiusmodi titulus interueniat, non potest summa æqualis, nisi pro æquali commutari, vt patet ex mutuo. Talem autem titulum in omni eiusmodi cambio interuenire solere, inferius patebit. Secunda, vt lucrū non sit iusto maius, spectato cōmuni virorum bonorum ac prudentum iudicio, ac probato contrahentiū vsu. Tertia, vt 143
fraus & dolus absint; quæ tum alium quemlibet contractū, tum præsertim cambia facile inficere ac deprauare possunt; vt si pecuniæ adulteræ pro veris obtrudantur; si pecuniæ non cōmutentur secundum valorē, quē in eo loco habent; si pacta non seruentur. &c. Atque ita ex cōmuni docent Sylvester V. *Vsura* 4. Caietanus opusculo de Cambijs, Nauarrus Manuali c. 17. n. 288. & sequentibus, Valentia q. 23. de Iust. Molina de Contractibus disp. 338. & sequentibus, Toletus l. 5. c. 50. & sequentibus, Sa V. *Cambiū*. Ratio patet; quia in ōni vero contractu, ex se non iniusto, licet vltra fortē auctarium accipere, si iustus titulus supperat.

Sed difficultas est, de specie quadam Cambij & 144
recambij, à cambio sicco nō multum abludentis; quod à nonnullis *Besuntinum* seu *Placentinū* dicitur, eo quod ad eas vrbes frequentari soleat; & est illud, quod dirigitur ad locū, vbi Campsarius, nec vllā pecuniam, nec vllum respondentē, nec fidē habet; sed rogat Campsorē à quo pecuniā in præsenti accipit, vt ipse eius nomine aliquē, qui respōdeat, procuret, vel vt ipse per suū factorē, quē alibi habet, respondeat; qui qdē postea eandē pecuniā per recambiū & literas remittit, vt ita fiat solutio Cambij & recambij, in loco, vbi pecunia fuit primo recepta; non sine graui incommodo ipsius campsarij, qui in eodem loco, vbi pecuniam accepit, cogitur soluere pretiū cambij & recambij, duplicato campsoris lucro.

Et quidē tale Cambiū nō esse contra iustitiā, si bona fide iustū pretiū, quantū fieri potest, cōstituatur, censuisse in quadā cōsultatione sex viros doctissimos in Lusitania, & sentire Sylvestrū verbo *Vsura* 4. q. 9. dicto. 6. & Nauarrū l. 5. consil. 1. tit. de vsuris & Man. c. 17. n. 289. & 301. & Thomā Boninsignū c. 7. de Cambijs, n. 7. 8. & 9. refert Lessius l. 2. c. 23. dub. 7. qui & ipse multa pro eius sententiæ probabilitate disputat.

Tandē tamen in hunc modū concludit. I. Si is, 145
qui petit à Campsore, nō sit habiturus pecunias alibi (eo scilicet loco, ad quē dirigitur Cambiū) actu vel potestate, seu in credito, idque Campsor norit, contra iustitiam peccare Campsorem, si ei ad illum locum cambiat. Hanc ait esse communem Doctorum sententiam, speciatim Sylvestri, Nauarri, Boninsignij locis citatis.

Ratio est; quia dare ad cambium (in præsenti) vel est permutare pecuniam præsentem cum absente, vel est pecuniam absentē emere aut transferre: atqui hic non est vlla res, quæ possit emi vel transferri à campsore, vel permutari, cum pecunia præsente: ergo est emptio & permutatio ficta; ac proinde lucrum inde proueniens caret iusto titulo. Sicut si quis emeret boues ab aliquo, qui nullos habet, eosque illi certo

pretio

pretio locaret, lucrum iniustum faceret; quia nulla est hic locatio, sed solum fictio locationis, vt etiam notauit Sylvester loc. cit.

146 II. Si is qui petit, possit alibi habere pecuniam per amicũ, vel aliũ, qui nõ sit in ministerio, vel societate campsoris, non peccare contra iustitiã campsorẽ, si nolit ei dare, nisi ad cambiũ in talem locum: etsi fieri possit, vt peccet contra charitatem proximi.

147 III. Si is, qui petit à campsore, non possit habere aliũ, qui ipsi⁹ nomine satisfaciat in loco cõdicto, quam ipsũ campsorem, vel sociũ eius, cui pecunia in loco illo est numeranda, probabile esse, contra iustitiã esse, tunc ad cambiũ dare: contrariã tamẽ sententiam non esse improbabilẽ, & speculatiue veriorem; tamen omnino dissuadendam, nec facile permittendam.

Prior pars ꝓbatur; quia ita tenent multi Doctores; videtur enim esse mutuũ palliatũ: intentio enim nõ videtur alia, quã dare pecuniã, cum obligatione, vt in eodẽ loco restituatur: cętera videntur agi non serio, sed tegendi mutui causa.

148 Secunda pars ꝓbatur, quia nihil obstat, quo min⁹ campsor duas ꝑsonas sustineat, siue per se, siue per suos famulos; & tantundem esse videtur, ac si campsuarius in loco condicto alium haberet amicũ, qui nomine ipsius reciperet debitum, & denuo recambium institueret, in locum primi contractus.

Tertia pars probatur; tum quia sæpe est cõtra charitatẽ; tum quia inducit præsumptionẽ iuris, & de iure, vsurarum, vt patet ex Bulla Pij V. de Cambijs: Vnde talis in foro externo posset plecti tanquam vsurarius.

149 Ex his primũ dictũ mihi videtur certũ, & extra controuersiã; quia si vllũ est cambiũ siccũ, illud est, de quo in eo pronuntiato sermo est; siccũ autem cambiũ seu fictũ, tanquam ipso iure naturali illicitum ab omnibus damnatur. Posterior etiam pars secundi & tertij dicti, sicut & prima tertij, itidem certa est, & difficultatem non habet.

150 Sed prior pars secundi dicti, & secunda pars tertij dicti videntur habere difficultatẽ, & meo iudicio oppositũ videtur verius. Quia iniustũ & iniquũ est, vi alicuius contractus, ꝓpriã suã æqualitatẽ habentis & poscentis, velle alterũ cõtrahentem obligare ad aliũ contractũ eidẽ contrahenti onerosum & incommodũ, vt de mutuo seu vsura dictũ dubio 2. Ergo etiã iniquũ est, vi vnius cambij, campsuariũ obligare ad aliud recambium, sibi adeo incommodum ac perniciosum.

Accedit quod vtcunq; quasi secundũ rationes Metaphysicas circul⁹ quidã instituatur, ne pecunia vnius speciei permutari videatur in eodẽ loco cum simili pecunia addito auctario, re ipsa tamẽ & moraliter hic aliud fieri nõ videtur, quã vt eodẽ loco pecunia ꝑsens ꝓmutetur cum absente, seu in futuro soluenda, addito simul ex vi ipsius per se contractus non leui auctario; quod est vsurarium.

Neq; Sylvester loquitur in hoc casu, quando Campsor cogit campsariũ ad tale recambium, sed quando campsarius sponte ac per se ex distanti loco recambium procurat, vt hic per cambium pecuniam comparet.

Quæritur quarto, quinã sint iusti tituli in cæteris cambijs, percipiendi lucrum vltra sortem. 151

Respondetur primo, esse in primis generales illos quatuor titulos, ob quos etiã in mutuo, vltra sortẽ auctariũ accipi posse dictũ est dub. 2. Et quidem prætermissa donatione, & pœna conuentionali, titulus talis est damnũ emergens, & lucrum cessans: sæpe enim cum aurea moneta plus lucrari potest mercator, quam cum argentea: quamuis prohibuerit Pius V. propria Bulla de Cambijs, paciscì de certo interesse lucri cessantis, quod tamẽ, secluſa fraude, in foro conscientiæ non obligat, vt cum Nauarro n. 283. docet Valentia pu. 4. nec dissentit Lessius c. 23. du. 11. eo quod talis prohibitio solum fundetur in præsumptione fraudis vsurariæ, vt in simili de censibus dictũ dub. præc.

Deinde alter titulus, & quidẽ cõmunissimus, qui in omni specie cambij ex se non illicita reperitur, est onus campsori impositũ: quale in proposito est primo obligatio, vel certe labor, periculum, & onus acquirendi, custodiendi, & expendendi varia monetæ genera, non sine iactura temporis. Qua quidem de causa, non solum in cambio, quod ratione officij dicitur, & ex officio exercetur, sed etiam in alio quouis, ex supradictis, quamuis ex obligatione & officio non exerceatur, licite competens lucrũ accipitur, iuxta cõmuniorem sententiã apud citatos, quicquid in contrariũ dixerit Sotus l. 6. de Iust. q. 10. a. 2. 152

Ratio est; quia suppositã semel cõmuni ęstimatione lucri iusti, vnicuiq; cambio respondentis, potest illud indifferenter à quolibet accipi: Sicut etiã in mercibus patet; quarũ pretiũ taxatur quidem ex onerib⁹ venditorũ, sed eâ taxa semel suppositã, licite id à quolibet emptore accipitur, etiamsi in ea merce exponenda nullum onus subierit, vt suo loco dictum dub. 2.

Tertio accedunt etiã specialia onera, eaq; diuersa, pro vniuscuiusq; cambij diuersitate, quale est in secunda specie cambij, onus realiter transferendi pecuniã, accedente simul mutatione valoris monetæ: in tertia, & quarta specie cambij, onus virtualiter transferendi monetã: idq; eo maius, quo maior est loci distantia, siue cãbiatur ad locũ intra prouinciã, siue extra prouinciã, vt contra Sotũ recte notarunt Valentia loc. cit. & Toletus c. 54. Præterquã quod plus valet pecunia præsens, quam absens, cæteris paribus, quicquid dixerit Sotus ibidem. 153

In quinta specie, est onus custodiendi depositã pecuniã: in qua tamẽ specie peccat campsor, si destinatos ad se creditores campsuarij fallaciter eludat, & vel absq; solutione dimittat, vel certe propter solutionẽ, nouũ aliquod ab eis lucellũ expiscetur, vt cũ Nauarro notauit Valentia q. 23. pu. 3. & Toletus c. 54. quamuis contrarium arbitretur Sot⁹, ꝓpter receptã cõsuetudinẽ, quã nõ omnino im, ꝓbare videtur Less⁹ c. 23. du. 8. sic tamẽ, vt debitor ac depositor ipse damnũ luat, nõ Creditor.

Quarto in ipsa quoq; pecuniæ abdicatione, nouum quandoq; onus subit campsor, si videlicet pecuniam det, quæ vndecunq; tandem maiorem æstimationem habet, quam pecunia campsuarij. Quamuis enim pecunia, vt pretiũ est, imutabilem 154

valorem

valorem habeat, tamen vt merx etiam quædam est, potest vna sæpe pluris æstimari, quam alia, quamuis alioquin secundum rationem pretij æqualis valoris; vt quia integrioris figuræ, grauioris ponderis, minus rasa & detrita est; vel etiam quia rarior est, antiqua, pulchra; aut alioqui iustas ob causas ita grata campsori, vt eam nollet mutare, nisi ob importunitatem campsuarij.

155 Imo etiam valde probabile est, ob ipsam quoque per se monetæ præstantiam, si videlicet aurea detur pro argentea, auctarium aliquod à campsore accipi posse; si nimirum eam vendat vt mercem, considerando varias eiusdem rei vtilitates, verbi gratia, ad inaurandum, vel ad medicamenta, aut faciliorem transportationem &c. quas argentea moneta non habet; esto campsor monetam auream ad istos vsus non adhibuisset, vt pluribus docent Sotus quæst. 9. art. vnico. Syluester v. *Vsura* 4. quæst. 3. Caietanus opusculo de Cambijs cap. 6. Nauarrus num. 258. Couarruuias de collatione veter. numis. Carbo quæst. 59 de Restitut. Sa V. *Cambium*, Toletus lib. 5. cap 51. & Lessius cap. 23. dub. 2. quamuis non improbabiliter negent Medina quæst. 2. de Cambijs, & Valentia quæstione 23. punct. 2.

156 Quæritur quintò, qua ratione censendum, vel taxandum sit iustum cambij lucrum.

Respondetur, lucrum iustum esse, quod vel lege, vel recepta consuetudine, à bonis non improbata, vel prudentum iudicio taxatum est. Considerandi autem sunt in ea re, supradicti tituli, præsertim autem in tertia, quarta, & quinta specie, distantia locorum; itemque copia vel inopia pecuniarum; paucitas vel multitudo campsorum & campsariorum. Hinc enim fit, vt longe plus petatur pro cambio, ex Germania in Hispaniam, quam ex Hispania in Germaniam; eo quod hic minor sit copia campsorum & pecuniarum, quam in Hispania.

Labor vero campsorum non ex defatigatione corporis, sicut aliorum mercenariorum, sed ex dignitate quoque & gradu, quem in Republica campsores habent, æstimandus est, vt recte notauit Valentia cit. quæst. 23. punct. 5.

DVBIVM VI.

De Locatione, Conductione, Emphyteusi, & Feudo.

Ads. Thom. 22. q. 77.

157 QVæritur primo: Quid sit locatio & conductio; quaue ratione speciales quædam difficultates circa eã occurrentes sint explicandæ: nimirum 1. Si conductor impediatur ab vsu rei, absque sua culpa, teneaturne soluere pensionem. 2. an locator rei fructi feræ teneatur remittere de pensione condicta, si sterilitas sine culpa conductoris obuenerit. 3. Vtrum is, qui eãdem opera pluribus seruit, possit ab ijsdem plura stipendia integra accipere. 4. An, & qua ratione operarij & famuli possint vti compensatione, ob paruitatem stipendij. 5. Quibus ex causis liceat conductorem expellere.

Respondetur sequentibus pronunciatis. I. Locatio & conductio est vnus & idem contractus, quo persona, vel res aliqua alteri ad vsum pro pretio conceditur, & ab eodem accipitur: ex parte enim concedentis, est locatio; ex parte accipientis, est conductio. Quem contractum, si debita seruetur æqualitas, per se licitum esse constat.

II. Si impedimentum superueniat ex parte 158
rei conductæ, quod vsum eius impediat, sine culpa conductoris, pro eo tempore, non tenetur ad pensionem: secus si impedimentum se teneat ex parte conductoris, vel ab illo originem trahat. Ita Syluester v. *Locatio*. Nauarrus Manuali cap. 17. num. 187. & 197. Couarruuias lib. 4. Variar. cap. 13. num. 8. & quæstionum practicarum quæst. 30. num. 3. Lessius cap. 24. dub. 2. Et colligitur ex lege *Habitatores*, & l. *Qui operas*, & l. *Si vno*, ff. locati. Ratio sumitur ex æquitate rei. Si tamen ea res alioqui alteri locanda non fuisset, eadem æquitatis ratio dictare videtur, vt non tota merces soluatur, vt post Syluestrum V. *Locatio* quæst. 12. notauit Lessius ibidem.

III. Si ob sterilitatem, aut calamitatem, citra 159
culpam conductoris, anno aliquo nihil ex re conducta percipiatur, tota pensio remittenda est: alias si sterilitas sit magna, secundum proportionem illati damni, pro rata: nisi aliter sit conuentum, aut nisi præcedentium vel subsequentium annorum fertilitas compenset præsentem sterilitatem. Ita communis Doctorum iuxta l. *Ex conducto*, & l. *Si merces* ff. locati, & cap. *Propter sterilitatem*, de locato & conducto.

Et intelligitur hoc pronuntiatum, vbi certa & stabilis pensio conductori imposita est; secus quando pensio consistit in parte aliquota fructuum, puta dimidia, vel tertia, vt ex communi docet Nauarrus cap. 17. num. 290. iuxta l. *si merces* ff. locati.

Idemque extendit Lessius cap. 24. dub. 3. si fruges in horreo conditæ, fulmine, vel hostis superuentu pereant; quod videtur pium; sed nescio an vsu receptum.

Censetur autem ex veriori & communiori sen- 160
tentia, sterilitas *magna*, quando detracto semine, & expensarum æstimatione, non supereſt, quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni; etsi ea res alioqui à varijs variè explicetur, vt videre est apud Syluestrum V. *Emphyt.* q 1.

Quod si anni sequentes compensent præteritam sterilitatem, tunc si quid remissum est annis præcedentibns, potest inde repeti: sicut etiam augeri potest pensio, si aliquo anno extraordinaria sit vbertas, proueniens ex casu fortuito, non ex sola coloni industria, vt post Gomezium & Syluestrũ, ex communi docet Lessius ibidem, iuxta l. *Ex conducto* & l. *si merces*, ff. locati & cit. cap. *Propter sterilitatem*.

IV. Putat quidem Lessius lib. 2. cap. 24. dub. 5. 161
quando quis pluribus obligat operam suam singulis in solidum, & illa æque commoda est singulis, ac si pro illis solis fuisset exhibita, posse à singulis tantum exigere, quantum ab vno posset, si pro eo solo præstitisset; ac proinde commissarium causarum, cui pro vnius causæ expeditione, dum foras proficiscitur, permissum est in singulos dies accipere duos aureos ab eo, cuius negotia gerit; posse accipere quatuor aureos, si agat negotia duorũ; sex si triũ.

Idemque significat esse, si quis alicui locet equum reductitium; posse enim tantundē accipere pro ea reductione, quantum pro alio quouis equo ex instituto ad illud iter conducto. Idemque pari ratione dicendum foret, de proprio ac speciali nuntio; qui iam ab aliquo conductus integro stipendio, ad certum iter peragendum, posset nihilominus, noua conductione interueniente, etiam ab alio nouum & integrum stipendium accipere.

162 Verum hæc mihi non probantur; quia vt dictum quæstione 6. dub. 10. res vel opera iam vni ex iustitia debita, non potest denuo alteri nouo pretio vēdi; quia sua nō est, sed alterius. Et ipsa cōmunis persuasio vulgi talem nuntium, qui dissimulanter à duobus integra stipendia acciperet, pœna dignū iudicaret.

Multo minus potest pro equo reductitio tantum accipi, quantum pro equo nouiter conducto; non solum quia talis equus dimidio minus spacij conficiendū habet, quam equus nouiter conductus; cui scilicet eundum & redeundum est; sed etiā quia locator in prima conductione equi, sufficiens stipendium etiam pro reductione accepit; quam proinde non potest adæquato pretio alteri vendere; etsi possit aliquid accipere; eo quod alioqui posset equum sine onere reducere.

163 Aliud est; si quis proprij negotij causa velit aut etiam debeat (citra iustitiæ obligationem) Romam proficisci; talis enim potest tantum pacisci ab alio, qui eum suo nomine cupit ire, quantum si propria causa iturus fuisset, vt omnes cōcedunt: quia nempe talis labor nulli ex iustitia debitus & addictus est, sed subest libero dominio ac dispositioni operantis, vt loc. cit. dictum.

164 V. Nunquam potest famulus, vel operarius, seu alius quiuis officialis vti tacita compensatione, nisi constet eidem, stipendium seu pensionem condictā, esse infra infimum iustæ mercedis gradum. Quod ipsum tamen non licebit, si conductor opera famuli non indigens, solum ex misericordia, ob ipsius preces, illum conduxit: tunc enim satis erit, ei dare alimenta; nisi manifestè multo maiorem vtilitatē domino præstaret: sicut etiam vbi de certo stipendio nihil alioqui conuentum, & res tota relicta est in arbitrio domini, nihilominus tenetur dominus saltem ad infimum mercedis.

Prima pars constat ex dictis quæst. 6. dub. 14. n. 406. vbi de clandestina compensatione egimus; ea enim locum non habet, vbi debitum nō est certum ac liquidum; cum in dubio melior sit conditio possidentis. Reliqua ex naturali æquitate rectè docet Lessius cap. 24. dub. 4.

165 VI. Causæ expellendi conductorem exponuntur l. *Æde*, Codice de locato. his verbis. *Æde quam te conductam habere dicis, si pensionem in solidum soluisti, inuitum te expelli non oportet: nisi propriis vsibus dominus eam necessariam esse probauerit, aut corrigere (seu reficere) domū maluerit, aut tu malèin re locata versatus es.*

Et in eundem sensum Gregorius IX. cap. Propter sterilitatem, de locato & conducto, quasi magis explicans ius ciuile statuit his verbis: *Verum inuito inquilino domum inhabitare, vel reficere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id exposcat; remissa sibi pro residuo temporis pensione: qui etiā inde rationabiliter amouetur, si peruerse ibi fuerit conuersatus; vel cum canonem per biennium non soluisset, sibi satisfactione celeri non prouidit.*

Vnde existimat Lessius, etiam in locatione ciuili expectandum esse biennij tempus, vti etiam insinuatur l. *Quæro*, ff. locati. Sed glossa in citatum cap. & Nauarrus cap. 17. n. 193. putant, in breui locatione trium vel quatuor annorum, illud biennij tēpus non esse necessarium; sed sufficere, si conductor tempore constituto pensionem non soluerit; vti etiam Iuristæ communiter sentiunt.

Quæritur secundò. Quid sit emphyteusis; quasue conditiones requirat. Respondeo sequentibus pronuntiatis. 166 I Emphyteusis (iuxta Græcum etymon, quasi *implantatio* seu insitio) in proposito est concessio rei immobilis, cum translatione dominij vtilis, retento directo, pro certa pecuniæ summa, quæ *laudemium* dicitur; ac onere certæ pensionis proprietario soluendæ; idque vel in perpetuum; vel ad vitam vnius, vel plurium (quo casu *vitalitium* dicitur:) vel ad certos annos; non tamen pauciores decennio. Qui vendit dominus directus; qui emit, seu accipit, *Emphyteuta* dicitur.

Differt à locatione: 1. quia solum in re immobili, quæ cultura melior effici potest, constituitur. 2. quia per eam transfertur dominium vtile. 3. quod propriè dicta locatio nō potest fieri ad decennium, vel supra; quia tunc communi iure transfertur dominium vtile in conductorē; ac proinde desinit esse propria locatio, & fit emphyteusis, vt colligitur ex l. 1. ff. de superficiebus, & ex communi docet Couarruuias lib. 2. Variar. cap. 16.

II Ad iustitiam eius contractus, communi & Cæsareo iure, iuxta l. 1. 2. & 3. Cod. de iure Emphyteutico, 167 sequentes conditiones requiruntur; nisi subinde aliter sit conuentum. I. Vt constituatur in rebus immobilibus & fructiferis.

II. Vt dominium vtile sit penes Emphyteutam; qui proinde tenetur ad omnia onera & tributa, quę alioqui ratione eius dominij solui solent; etiamsi bona alioqui sint Ecclesiæ: dominium verò directū & possessio ciuilis eius rei maneat apud priorem dominum: contra quem proinde non potest ab Emphyteuta præscribi, iuxta l. *Male*, Cod. de præscriptione trig. an.

III. Vt Emphyteuta teneatur ad certam pensionem quotannis soluendam; quæ quidem tametsi absolutè posset adæquata esse ipsis fructibus, detractis expensis, & simul habita ratione laudemij, cōmuniter tamen solet esse minor.

IV. Vt si Emphyteuta intra certum tempus (nempe intra triennium, si Emphyteusis sit sæcularis, vel intra biennium, secluſa celeri satisfactione; si sit Ecclesiastica, iuxta cap. *Potuit*, de locato & conducto) 168 pensionem constitutam non soluerit, ab ea excidat, etiam citra sententiam Iudicis; ita vt teneatur cedere, si modo dominus directus declaret, se velle pœnam illam commissi executioni mandare.

V. Vt si res sine culpa Emphyteutæ omnino pereat, vel in hostium manus redacta sit, Emphyteuta liberetur à pensionis solutione, iuxta l. 1. Cod. de iure Emphyteutico, vt in simili de censu & locatione dictum, secluso speciali pacto assecurationis.

VI. Vt si rem notabiliter deteriorem reddat,

eidem

eidem possit aufferri, iuxta authent. *Quia rem*, Cod. de Sacrosanct. Eccles.

169 VII. Vt Emphyteuta ius Emphyteuticum non vendat, nisi Domino directo prius oblatum; alias cadit in commissum, & redit ad dominum directũ, iuxta cõmunem, & l. 3. Cod. de iure Emphyteutico & cap. *Potuit*, de locato: etsi possit rem donare, legare, permutare, saltem domino ante concessionẽ possessionis consentiente; eodemque modo oppignorare, nisi res sit Ecclesiæ, iuxta authent. *Hoc ius*, & *Qui rem*, Cod. de Sacrosanct. Eccles.

VIII. Vt quoties res venditur, vel donatione, aut permutatione alienatur, is qui eam accipit, domino directo pro inuestitura, seu possessione, soluat laudemium, iuxta l. 3. Cod. de iure Emphyteutico.

170 Est vero *laudemium* certa pars pretij, seu æstimationis rei venditæ, quæ quidem iure communi est quinquagesima, consuetudine vero trigesima, vt ex Syluestro V. *Emphyteusis* num. 28. & Ostiensi docet Lessius cap. 24. dub. 9.

Interim in hac re omni cum pacta contrahentium huic contractui dent legem, magis quam vlli alteri, iuxta l. 1. & 3. Cod. de iure Emphyteutico, consulendæ etiam sunt receptæ consuetudines, ac iura municipalia, ac præsertim, an post obitum directi domini, siue eius, qui locũ ipsius repræsentat, debeat nonnunquam, perinde vt in feudo, denuo accipi inuestitura, ideoq; solui nouum laudemium & quantum.

171 In praxi autem duo sunt obseruanda: primum, vt eiusmodi consuetudines, cũ grauamine Emphyteutæ vltra consuetos terminos non extendantur. Cum enim alioquin sint præter ius cõmune, & onerosæ Emphyteutis, non sunt extendendæ, sed potiꝰ in dubio restringendæ. Alterum est, vt habeatur ratio æquitatis naturalis, ne spectata vtilitate, quam Emphyteuta ex re Emphyteutica percipit, magnitudo laudemij, & pensionis, onusque laudemium sæpius persoluendi superet.

Qua in re etiam considerandum, an noua seu singulari consuetudine, in quibusdam locis, eo vsque recte extendatur laudemium, vt non tantũ sit pars quinquagesima, aut trigesima (quod iuris esse superius diximus) sed etiam vigesima pars rei venditæ, ita vt iure quinq; pro centum exigantur; quod hactenus à nullo doctore traditum reperi.

In iure tamen municipali Bauarico p. 4. tit. 21. pag. 299. ita statutum video: *Laudemium quoties possessor mutatur, ita accipiendum & soluendum erit, vt ex centum non soluantur vltra quinque; & vbi minus hactenus consuetũ, id etiam post hac obseruetur. Quod si alicubi etiam ratione decessus consuetum fuit, solnere aliquid, id vbi notorie constat, etiam deinceps accipi poterit.* Plura apud Syluestrum loco cit.

172 Quæritur tertio, quid & quotuplex sit feudum; & quænam conditiones ad hoc requirantur. Respondetur I. Feudum à fide, seu fidelitate dictum, etsi quoque rem ipsam feudalem significet; in præsenti tamen pro contractu accipitur; qui nihil aliud est, quam concessio rei imobilis, cum translatione vtilis dominij, proprietate retenta, sub onere fidelitatis & obsequij personalis exhibendi; qua ratione ab emphyteusi differt.

Is qui feudum concedit, *Dominus feudi:* qui accipit, *feudatarius*, seu *Vasallus*: plures vero ab vno, eodemq; domino accipientes, *pares Curiæ*, vel etiam *Conuasalli*, *pares curtis*, *pares domus*, *pares de domo*, modo absolute *pares*, passim in textu feud nũcupãtur.

II. Feuda varijs modis diuiduntur; primo enim 173 aliud est proprium, aliud improprium. *Proprium* est quod consuetas feudi leges vbiq; seruat. *Improprium* in quo substantialibus ac naturalibus feudi, pacto, statuto, vel consuetudine speciali derogatum est.

Secundo aliud est *nouum*, quod quis de nouo primum acquisiuit; aliud *vetus*, quod ab aliquo ex maioribus acceptum est, siue cuius causam & titulum ab alio priori Vasallo quis habet.

Tertio, aliud feudum dicitur *nobile*, quod possessorem suum nobilitat; aliud *ignobile*; quod nec dignitatem annexam habet, nec etiam tribuit nobilitatem; ideoq; etiam *plebeium* seu *Burgense* dicitur. Nobile rursus, vel est *regale*, quod regalem dignitatem annexam habet; vel *non regale*, quod eiusmodi dignitatem annexam non habet. Vbi aduertendum, Imperatorem, vel alium ab ipso potestatem nobilitandi habentem, etiamsi feudum concedant, non hoc ipso statim nobilitare, sed tunc, cum simul animum ac voluntatem nobilitandi adiungunt. 174

Quarto aliud vocatur *ligium*, in quo iuratur fidelitas, contra omnem hominem; aliud *non ligium*, in quo prior dominus excipitur.

Quinto aliud *francum*, siue liberum à seruitijs seu oneribus exhibendis; aliud *non francum*, aliud Ecclesiasticum, aliud seculare, &c.

III. Ad feudum eædem fere conditiones requiruntur, quæ in Emphyteusi: nisi quod Vasallus, vbi 175 feudum est purum, non tenetur ad vllam pensionẽ, sed loco pensionis, ad obsequium, idque solum, quando à domino de eo interpellabitur. Quod si Vasallus obsequium constitutum non præstiterit, amittit feudũ; sicut Emphyteuta nõ soluta pensione.

Sed nec sine domini voluntate illud alienare potest; alioquin amittitur: nec etiam donare, vel impignorare, vel alteri in feudum concedere, sine eiusdem domini voluntate. Denique à domino debet inuestiri, & mitti in possessionem; & tunc iurare domino fidelitatem.

Iuramentum autem fidelitatis in hanc formam 176 fieri solet, vt est apud Syluestrum V. *Feudum*, q. 12. *Ego N. iuro ad Sancta Dei Euangelia, quod abhinc in antea, ero fidelis tali N. sicut debet esse Vasallus domino: nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit, pandam alij ad eius detrimentum, me sciente.*

Vnde Vasallus communiter obligatur 1. ne domino damnum in corpore inferat; sed vt potius illud impediat. 2. ne contra domini propositũ & conatũ iustum, se interponat. 3. ne secretum eius reuelet, aut eius securitatem interuertat. 4. ne ius, honorẽ seu famam eius violet dicto, facto, consensu. 5. ne damnum aliquod in temporalibus inferat, vel vtilitatem eius impediat. 6 Vt fideliter illi consilium & auxilium præbeat, vt habetur ex lib. 2. Feudorum tit. 6. & 7. de forma fidelitatis, item causa 1. & 22. quæst. 5 cap. *De forma*.

Sicut autem Vasallus debet domino fidelitatem, 177 ita & dominus Vasallo debet vicem reddere, cap. *de forma* 22. quæst. 5. & cap. *Esto subiectus* distinct. 95. Alias censebitur male fidus, vt habetur

lib. 2. Feudorum, citat. tit. 6. de forma fidelitatis, & debet priuari feudo per superiorem, si erga Vasallum perfide se gerat, vt bene docet Sylvester ibidem quæst. 12.

Qui etiam quæst. 25. asserit, post Guilielmum Durandum, si Vasallus committat crimen læsæ Maiestatis contra Principem, propter quod omnia eius bona publicantur, ad Principem deuenire ius, quod in re competebat Vasallo, hoc est, vtile dominium.

178 Inuestitura ad feudum requisita duplex est. Vera, & præsumpta. *Vera* est solennis rei cessio, seu contractus, quo id agitur, vt feudum sit. Eadem rursus est *propria*, vel *abusiua*; ad illam actualis rei ipsius traditio requiritur; adiunctis testibus paribus Curiæ, sine quibus inuestitura caduca existimatur; nisi dominus plures Vasallos non habeat; aut Clericus inuestituram concedat.

Abusiua inuestitura dicitur, quando dominus, vice vel loco feudi, & traditionis, siue possessionis realis, Vasallo hastam, gladium, annulum, vexillum, sceptrum, baculum, vel aliquod aliud symbolum corporeum porrigit, eumque per hoc inuestitum dicit, vt etiam docet Sylvester V. *Feudum*, quæst. 5.

Præsumpta inuestitura vocatur, in qua seruitia per 30. annos animo feudum possidendi sunt præstita, ex §. *si quis per triginta* lib. 2. feud tit. 26.

179 Quod si hæres Vasalli intra annum & diem non petierit à domino inuestituram feudi; aut si ipse Vasallus, post mortem domini, non petierit ab hæredibus eiusdem, amittunt feudum; nisi Vasallus sit miles, qui pro termino habet annum & mensem; vel sit minor annis 14. aut eum alioquin iusta causa impediuerit, vt docet Sylvester quæst. 16. & habetur in tex. Feudorum, in quibus causis feudum amittatur lib. 1. tit. 5. & lib. 2. tit. 23.

180 V. In feudum dare potest quilibet, tam masculus, quam fœmina, tam nobilis, quam rusticus; modo habeant legitimam suorum bonorum administrationem: recipere autem, seu inuestiri potest quilibet, tam per se, quam per procuratorem; etiam seruus, modo sciente domino faciat, vt post Baldum docet Sylvester, quæst. 4.

Acquiritur verò his modis. 1. Per inuestituram, modo explicato, propriam aut impropriam. 2. Præscriptione triginta annorum, ex dictis. 3. Successione, non ex testamento, sed ab intestato; quia non valet ordinatio defuncti, facta in feudo, vt post Ostiensem docet Sylvester ibidem quæst. 5. Apud quem hac de re plura; sicut & apud Iulium Clarum, & alios Iurisconsultos, qui de feudis agunt.

Neque ab Emphyteusi & feudo differt *Liuellus*, vel *Libellum*, seu *contractus libellaticus*: nisi quod hic propriè dicitur, cum emphyteuta, seu feudatarius rem in emphyteusin seu feudum acceptam, simili contractu tradit tertio, vt sit veluti *subfeudum*, & *subemphyteusis*, vt post Negusantium tradit Lessius l. 2. cap. 24. dub. 1. n. 6.

DVBIVM VII.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum; speciatim vtrum bona Ecclesiæ possint in feudum, vel emphyteusin dari: deque speciali contractu in Bauaria vsitato, quem Dominicum fauorem appellitant.

Ads. Thom q. 77.

DE hac re statuo assertiones sequentes. ASSERTIO I. Bona Ecclesiastica, seu res illæ Ecclesiæ, quæ iam ab antiquo, necnon proxime antea in feudum, aut emphyteusin datæ fuerunt, possunt denuò hoc modo dari, etiam absque ordinaria siue requisita solemnitate iuris; dummodo id cedat ad euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & fiat ante incorporationem fructuum Ecclesiæ factam. Ita communis apud Couarruuiam lib. 2. Variar. cap. 17. num. 4. Clarum de Emphyteusi quæst. 6. & de feudo q. 13. Azor to. 3. l. 10. cap. 3. quæst. 2. Molinam tom. 2. d. 466. n. 4. & Lessium lib. 2. cap. 24. dub. 11. etsi dubitanter loquatur Sylvester V. *Emphyt.* init. vbi ait: *Si tamen possessio ipsa erat prius emphyteutica, & peruenit liberè ad Ecclesiam, dari potest in emphyteusim etiam perpetuò, secundum aliquos.* 181

Ratio est; tum quia id nullo iure prohibetur; tum quia id non censetur noua alienatio, quæ iure prohibetur, sed continuatio alienationis factæ. Idem colligitur ex Extrauag. *Ambitiosæ*, de rebus Eccl non alien. vbi dicitur: *præterquam in casibus à iure permissis; at de rebus & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis; & cum ecclesiarum euidenti vtilitate, &c.* Vbi tamen vides additam limitationem; quæ non est negligenda. Qua secluſa, Episcopi est, bona Ecclesiæ vacantia ad mensam reuocare, vt bene Azor loc. cit.

ASSERTIO II. Si verò res Ecclesiæ antea non fuerint in feudum, seu emphyteusin traditæ; vel si post traditionem, exspirante contractu, fuerint rursus, quoad fructus, Ecclesiæ incorporatæ, non possunt de nouo in feudum seu emphyteusin concedi, aut alia ratione alienari, nisi ex iusta causa, & seruatis certis conditionibus & solemnitatibus iure præscriptis. Est communis apud citatos. 182

Patet ex cap. *Sine exceptione*, 12. quæst. 2. & cap. *Nulli*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & Extrauagant. *Ambitiosæ*, in communibus, de rebus Ecclesiæ non alienandis, vbi Paulus II. prohibet, *omnem bonorum Ecclesiasticorũ immobilium, & mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, alienationem; omneque pactum, per quod dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem & conductionem vltra triennium, infeudationem, & contractum emphyteuticum, præterquam in casibus iure expressis*; & omnem talem contractum *irritum* reddit, inflicta *excommunicationis* sententia ijs, qui contra prædictam sententiam alienare præsumpserint. Similia habentur cap. 1. & 8. de ijs, quæ fiunt à Prælato, absque consensu Capituli, & in authentica, *Hoc ius porrectum* Cod. de sacros. Ecclesijs.

Neque

183 Neque dubium est, alienationem hoc loco latè accipi, etiam pro Emphyteusi; vt constat tum ex citatis canonibus, tam ex cap. *Nulli*, de rebus Eccles. non alien. & in simili l. *Sancimus*, Cod. de rebus alien. non alien. & habet communis Doctorum sententia apud Couarruuiam lib. 2. Var. cap. 16. n. 1. Molinam tom. 2. disp. 466. n. 4. & Azorium to. 2. lib. 9. cap. 1. q. 2. Ratio est; quia etiam per Emphyteusin dominiũ vtile transfertur ad Emphyteutam vt dictum dub. præced. Vnde Baldus l. vlt. Cod. de reb. al. non alien. ait: *Prohibita alienatione, simpliciter videtur prohibitus omnis actus, per quem alteri quæritur ius aliquod in re.*

184 Assertio III. Iusta causa alienandi est quadruplex. 1. Necessitas, cui aliter occurri nequit. 2. Euidens vtilitas. 3. Pietas, v. g. ad captiuos redimendos, aut subueniendum graui proximorum necessitati, iuxta Can. Aurum 12. q. 11. Item 4. Incommoditas; vt si res sit Ecclesiæ sumptuosa, & parum vtilis. Ita ex communi, post Panormitanum, Syluester V. Alienatio, num. 2. Azor tom. 2. lib. 9. cap. 1. Lessius citat. dub. 11. num. 63. Ratio est; quia omnes eiusmodi alienationes aut necessitas exigit, siue Ecclesiæ, siue proximorũ, aut ipsius Ecclesiæ vtilitas; quibus positiuæ leges non præiudicant. Idem colligitur ex varijs canonibus. Vid. cap. *Hoc ius* 10. q. 2. cap. *Sine exceptione* & cap. *Terrulas* 12. quæst. 11.

185 Assertio IV. Forma alienandi iure præscripta, plures alias conditiones requirit. I. Vt *fiat* super ea re *tractatus*, seu vt in capitulo discutiatur expensis vtrinq; rationibus, an conueniat alienari, iuxta citatos Canones.

II. Vt Capitulum saltem quoad maiorem partẽ, expresse consentiat, vt ex communi docet Panormitanus in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à Prælatis.

III. Vt Capitulum subscribat, saltem in venditione, donatione, & permutatione; nisi vbi consuetudine receptum, vt sufficiat subscriptio Notarij, vt post Azorium notauit Lessius num. 63.

IV. Vt intercedat auctoritas superioris; qui quidem in non exemptis, est Episcopus; in exemptis Prælatus, cui Ecclesia vel Monasterium immediate pleno iure subest, vt est Abbas, aut Generalis, aut Prouincialis in Ordinibus Mendicantium. Quorum nonnullis id etiam priuilegij conceditur, vt non requiratur tractatio capitularis, sed sufficiat tractatus superioris cum Consultoribus, vt de Societate nostra notauit Molina disp. 468.

Quod si Prælatus longe absit, & res moram non ferat, videtur sufficere consensus præsumptus; vt si periculum sit, ne ab hæreticis confiscetur, vt cum Panormitano in cap. finale, de rebus Ecclesiæ non alienandis docent Syluester V. *alienatio*, num. 16. Fumus num. 18. Azor cit. tom. 2. cap. 1. Lessius dub. 11. num. 63. Molina d. 468.

186 Præter hæc vero in cit. Extrauag. Pauli II. *Ambitiosæ*, requiri videtur ad eiusmodi alienationem etiam consensus Pontificis; dicitur enim: *Alienanti vero bonum Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumq; piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus, &c.* In quem sensum, vt post Nauarrum de alien. rer. Eccl. n. 12. testantur Molina, Azor, & Lessius, etiam Episcopi & Abbates, qui vigore literarum Apostolicarum consecrantur, iurare solent, se non alienaturos bona Ecclesiæ, seu Monasterij sui, inconsulto Romano Pontifice, vt habetur etiam cap. vlt. de Eccles. ædific.

187 Verum cum in eadem Extrauagante, verbis antecedentibus solum prohiberi videatur alienatio, extra casus à iure permissos, dubium videri potest, an ad alienationem etiam in forma & casibus, seu ex causis iure alioqui permissis, requiratur, vi eiusdem Extrauagantis, auctoritas Summi Pontificis; quandoquidem citata superius uerba, per modum clausulæ pœnalis, sequuntur præcepti formulam; clausulæ vero pœnales non debent excedere ipsius mandati seu prohibitionis terminos. In verbis autẽ superioribus canonis; quibus continetur probibitio & mandatum, nulla facta est mentio consensus summi Pontificis.

188 Videri igitur forte alicui posset, sensum posterioris illius clausulæ solum esse, vt vel necessaria sit authoritas Summi Pontificis, vel certe seruanda sit ratio contrahendi & alienandi in eo canone superius præscripta: qui sensus commode redditur, si verba illa per metathesin explicentur, vti considerati patebit. Idemq; sensus videtur confirmari ex simili constitutione Cardinalium n. 193. referenda. Certe eiusmodi iuramentum non extendi ad alienationẽ alioqui permissam, sentiunt nonnulli apud Azoriũ tom. 2. l. 9. c. 1. q. 9. eiusq; transgressione non inualidã reddi alienationem tradit Mol. d. 468. n. 8.

Neq; etiam ea constitutio, quoad rigorem pœnarum, aut omnes cæteras clausulas, videtur vsu recepta, vt cum Nauarro man. cap. 27. n. 129. docet Lessius cit. dub. 11. n. 64. & post Caietanum V. *Excommunicatio* cap. 75. Syluestrum eod. 7. n. 83. Curtium cap. vlt. de consuet. Armillam *Excom.* 62. notarat antea Azor tom. 2. lib. 9. c. 2. q. 9.

Sicut etiam in rebus parui momenti, vel vbi præsens necessitas morã non patitur, non videtur opus eiusmodi consultatione. Et probabile est, posse Prælatũ nihilomin⁹ valide repudiare legatũ, vel hæreditatẽ Ecclesiæ delatam, quia hæc non est alienatio rei Ecclesiæ, sed solum recusatio nouæ acquisitionis, vt docet Lessius num. 65.

189 Assertio V. Seruata prędicta forma, ac supposita iusta causa, possunt res Ecclesiæ non solũ vendi, permutari & donari, sed etiã in Emphyteusin & feudũ dari, & oppignorari. Colligitur ex citat. iurib⁹.

Imo Syluester V. *Alienatio* n. 12. & 13. Nauarr⁹ cõmentario de alienatione rerum Ecclesię, n. 17. post Panormitanum, & Antonium de Butrio, sentiunt, eum etiam, q aliquid per supradictos contractus, non seruatâ formâ præscripta habet, non teneri in conscientia, ad restitutionem, aut rescindere contractũ; modo consensus eorum, q necessario debebant consentire, in contractu adfuerit: quia in foro conscientię sufficiat, contractum tenere secundum limites iuris naturalis vel gentium. Sed hoc difficultatem habet, propter expressa Pontificum verba; spectata simul materia ipsi dispositioni administratorum non ita plenè subiecta.

Hoc fateor; si alicubi longa consuetudine forma supradicta seruata non fuerit, alienationem non esse

esse censendam inualidam; modo consensus eorum, qui ex natura rei debent consentire adfuerit, vt docet etiam Lessius ibidem num. 66. vbi rationem adiungit; quia cũ forma illa sit iure positiuo humano introducta, potest contraria consuetudine aboleri, etsi quidam Canonistæ contrariũ sentire videantur.

190 ASSERTIO VI. Res Ecclesiarum non possunt etiam elocari ad vitam; nec ad longum tempus, nempe decem aut plurium annorum; imo neque vltra triennium: alias elocatio est irrita. Ita communis, & habetur ex dicta Extrauagante Pauli II. ante quam tamen res Ecclesiæ elocari poterant ad nouem annos, prætermissa iuris solemnitate. Idem habetur Clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, & cap *Nulli*, eodem titulo.

Eodem spectat decretum Concilij Trid. sessione 25. cap. 11. de Reformatione, vbi dicitur: *Locationes vero rerum Ecclesiasticarum, etiam auctoritate Apostolica confirmatas, sancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citra, ad longum tempus, seu vt in nonnullis partibus, ad viginti nouem, seu bis viginti nouem annos vocant, factas, Synodus Prouincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Ecclesiæ, & contra canonicas sanctiones contractas fuisse iudicabunt.*

191 Vbi tamen aduertit Lessius num. 69. sicut pœnæ illius Extrauagantis nõ sunt receptæ, teste Nauarro cap 27. num. 150. ita etiam multis locis eam dispositionem non esse receptam, vt etiam notant Couarruuias num. 6. & Sylvester V. *Alienatio* quæst. 13. Itaque ibi poterit fieri elocatio ad nouem annos, absque forma iuris supradicta; secluſa interim omni fraude, & successoris præiudicio, vt statuit Concilium Trid. loco cit.

192 Addit Lessius num. 70. ex Panormitano in cap. *Continebatur*, de his quæ fiunt à Prælatis, non etiam videri prohibitum, quin fructus beneficiorum & bonorum Ecclesiasticorum possint elocari & vendi in plures annos (modo ipsi fundi non elocentur;) quia hi non sunt res Ecclesiæ, sed priuatorum; & locatio exspirat morte locantis, ac beneficij amissione; quod etiã sentire videtur Molina disp. 466. n. 5.

Quod si locatio legitimè facta fuit à decessore, tenetur Prælatus successor contractu stare; non secus ac successor tutoris contractibus à prædecessore legitimè factis: secus si non fuerit legitimè facta. Si tamen successor deprehendat Ecclesiam enormiter læsam, poterit vti beneficio restitutionis, de quo dub. 1 vt post Couarruuiam lib. 2. Variar. cap. 15. recte Lessius num. 71.

193 Atque hæc omnia confirmantur per Decretum sacræ Congregationis Concilij Trid. S. D. N. Vrbani VIII. iussu editum die 7. Septemb. Anno M. DC. XXIV. Vbi ita statuitur: *Speciali S. D. N. iussu, Generalibus & Prouincialibus, Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus & quibuscunq; alijs Superioribꝰ, Generalibus cuiuslibet Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium, alienationem, omneq; pactum, per quod ipsorũ dominium transfertur, census perpetuos seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum vel emphyteusin, præterquam in casibus à iure permissis, fieri perpetuò prohibet atq; interdicit, absq; ipsius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda; sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebant, vocisq; activæ & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda; quam ipso facto, absq; alia declaratione, incurrant; sublata etiam Generali & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; & in his nihilominus Apostolicarum Constitutionũ, & præsertim fœlicis recordationis Pauli II. quæ incipit, Ambitiosæ, in suo robore permansuris. Alienationes vero, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascunq; contra huiusmodi prohibitiones faciendas, Sanctitatis suæ auctoritate, ipso iure nullas atq; irritas decernit. Non obstantibus quibuscunq; contrarijs.*

Vbi cum dubium incidisset, an clausula illa, *Præterquam in casibus à iure permissis*, solum afficiat & limitet verba immediatè præcedentia, *concessionem in feudum, vel emphyteusin*, an etiam superiora omnia, quæ alioquin eo decreto prohibentur; virorum Doctorum & Sapientum iudicio probabiliter existimatum fuit, afficere & limitare omnia, quæ antecesserunt, eodem decreto alioquin prohibita; tum ob paritatem rationis; cum non seuerius in iure prohibeatur, neq; magis etiam Ecclesiæ noxia sit locatio & conductio bonorum Ecclesiæ, vltra triennium, quam concessio in feudum & emphyteusin: tum quia id ipse verborum contextus & connexio postulare videtur. 194

Ex quibus colligo, sacris canonibus nõ aduersari eum modum disponendi & contrahendi, de Ecclesiæ bonis, qui in iure municipali Bauarico recens edito & recognito part. 4. cit. 21. initio art. 7. de locatione bonorum Ecclesiasticorum præscribitur, Ita enim habet articulus: *Si posthac etiam Collegiorum, Monasteriorum, Ecclesiarum, Hospitalium, aliorumq; similium locorum, vt & Parochiarum & beneficiorum, prædia ac bona redierint, & vacauerint, ea absq; solemnitate iuris, in alienatione bonorum Ecclesiasticorum alioqui requisita, non aliter, quam in hunc modum elocentur & concedantur, vt maioribus iuribus seu oneribus (præterquam si ad vitam concedi placebit) non grauentur, quam præcedentes coloni & possessores antea habuerant, & prius concedi consueuerant. Vbi vero concessio veteri more peracta est, tunc ad eam succedentes Prælati, Administratores, Parochi, & Beneficiati seruandam non secus obligantur, quam si ipsimet ita elocassent, vel concessissent.* 195

Huius, inquam, articuli prior illa pars qua decernitur in eiusmodi dispositione, non esse opus solemnitate iuris, nõ videtur aduersari sacris canonibus. Est enim ibidem sermo de bonis iam antea veteri consuetudine ita elocari vel concedi solitis; quod sacris canonibus non aduersatur, vt assert. 1. ex communi Doctorum sententia dictũ est: modo id alioqui cedat in euidentem Ecclesiæ vtilitatem; nec prohibeatur, ne bona eiusmodi vnquam ad Ecclesiam, etiã quoad dominium vtile, redire possint; id enim apertè aduersaretur Ecclesiasticæ libertati, vt lib. 1. defens. Eccles. cap. 5. fusius ostendi.

Denique ex his etiam, quæ in hac, & præcedenti dubitatione, de locatione & Emphyteusi diximus, colligi potest resolutio eius controuersiæ, quæ ante aliquot annos in varijs Academijs vẽtilata & discussa fuit, alijs aliter sentientibus: nimirum an illi contractus in Bauaria admodum frequentes, quos vocant deß angelaiten Freystiffts / oder Hergongfts / 196

quasi

quasi dicas *liberæ* sed *pensitatione* grauatæ *locationis*, seu *Dominici fauoris*, habendi sint solum pro meris ac liberis locationibus, seu potius pro precarijs, an instar emphyteusium, in quibus dominium vtile ad possessorem sit translatum: adeo vt Colonus & possessor, pro arbitratu directi domini, ab eiusmodi bonis remoueri non possit. Et quidem ante annos decem circiter, multi viri docti ac prudētes censuerūt, conferre ius in perpetuū, quod ad hæredes transeat, quamuis proprie nō sint contractus Emphyteutici.

Ego vero eiusmodi contractū semper existimaui, esse habendū pro mero precario; quod etiā ab alijs iudicatum fuisse postea intellexi: non ita quidem, vt sit precarium & concessio plane libera, sed speciali modo onerosa, indefinita ex parte temporis, definita vero ex parte oneris, in hunc modū; vt possessor prædium coloni iure occupet, tamdiu, donec ea summa pecuniæ, quæ in eo iure comparando, cum consensu Domini erogata à possessore fuerat, eidem reipsa à Domino restituatur; adeoq; vt sit concessio in singulos annos à Domino reuocabilis, sub hac conditione, si ipse Dominus restituat expensam pecuniam cum sufficiente compensatione extraordinariæ meliorationis factæ.

In hanc sententiam inductus sum hoc discursu. Quia contractus dubius eo modo explicandus est, qui sit consentaneus tum iuri communi & prouinciali; tum alijs circumstantijs ipsi contractui adiunctis: sed ad hunc modum non rectè explicatur, si dicatur esse ius quoddam in re perpetuum; sed bene, si dicatur talis onerosa concessio, vt dictum: Ergo, &c. Maior patet.

Minoris prior pars probatur. I. Quia non solum multorum sententia est, iuxta l. 1. Cod. de iure Emphyt. contractum emphyteusis non valere, nisi interueniente scripto; sed etiam iura antiqua Prouincialia Bauariæ habent, vt Colono nullum ius perpetuum in prædium adiudicetur, nisi possit hoc probare scriptis. Ergo dicere, hoc contractu fuisse à rustico acquisitum ius in re perpetuum, quantumuis, vt supponitur, nullum scriptū interuenerit, est explicare hunc contractum non satis consentanee ad ius commune & prouinciale.

197 II. Contrariæ sententiæ authores coguntur fateri, & per se liquet, posito quod Ius perpetuum in re eo contractu à Colono acquisitum asseratur, eum contractū nullum esse, ex nominatis hactenus speciebus, & circa eiusmodi bona cōcedēda vsitatis; quia nec est precarium siue locatio, vt ipsi aiunt; nec potest esse emphyteusis, aut feudum; quia nullū interuenit pactum de pensione annua aut laudemio persoluendo; neq; in his necesse est, singulis annis denuo renouare concessionem. Ergo explicatur eo modo contra ius commune. Contra vero, quia ad cōcessionem illam supradicto modo in singulos reuocabilem, nec iura Bauarica, nec communia, scriptum requirunt, optime ad explicatum modū contractus iste subsistit; estq; iuribus omnibus cōueniens.

Posterior pars minoris ita probatur. Nam si circumstantias facti consideremus, apparabit, eam sententiam de iure perpetuo in re, minus esse probabilē. I. Quia nomen ipsum Freyſtifft *liberam locationem*, siue concessionē sonat; ac proinde conuincit, non esse aliquod ius in re perpetuum. Idem significatur per nomen Herzengunſt; quasi dicas *fauorem domini*; seu quippiam ex eius fauore dependens, adeoque precarium.

II. Coloni singulis annis debuerūt de nouo eiusmodi prædictā possessionem accipere; expresse profitendo; Jetz hab ich wider auff ein Jar geſtifft; hoc est: *Iam rursum ad annum*, possessionē accepi: quod iuri in re perpetuo minime conuenit. 198

III. Sepe dominus, in prima concessione, pretiū venditionis nullum ipse recepit; cum tamē constaret, ipsius solum fuisse, eiusmodi fundi vtile dominium vendere.

IV. Satis constat, summam capitalem non fuisse semper proportionatam ipsi iuri perpetuo prædij.

V. Contractus iste eiusdē videtur rationis fuisse, in protestantibus de nullo præiudicio, & non protestantibus; non solum quia tacite omnes ita protestari voluisse censendum est; sed etiā quia protestatio non tollit aut mutat veritatem rei; ac proinde si accedente ea protestatione, nullum ius in re à colonis fuit acquisitū, signum est, eum contractum sua natura nullum ius in re contulisse: at vero in protestantibus fatetur opposita sententia, nullam interuenisse alienationem vtilis dominij: Ergo nec etiam in non protestantibus.

VI. Iste contractus sæpe etiam à Clericis de Ecclesiasticis bonis celebratus fuit; qui tamē secundū sacros canones, vt dictum superius n. 182. nec potuerunt quidē valide eiusmodi ius perpetuum in re, quasi emphyteuticum, alijs transcribere, sine certis solemnitatibus à iure præscriptis; quæ tamē in nostro casu non interuenerunt: Ergo in dubio, nō est censendum, eos id præsumere contra sacros canones voluisse. Nec diuersa est eius contractus ratio à laicis initi. Ergo vniuersim nō est censendum per eum conferri perpetuum ius aliquod in re.

Nec obstat, quod videatur in hoc contractu à domino directo acceptum laudemium: siquidem tum ex verbis soluentium, tum ex alijs circumstantijs constat, id reuera non fuisse habitū, vel acceptatum, per modum veri ac proprij laudemij, sed per modum honorarij, einer Verehrung. 199

Atq; in hunc sensum video, demum etiā in Iure Bauarico renouato part 4. tit. 21. a. 5. fuisse decretum & constitutum, his fere verbis: *Si quis colonus tale Ius* (einen Herzengunſt / oder verandte Freyſtifft) *probauerit; is poterit quidem singulis annis legitimo tempore* (zu rechter Stifftzeyt) *a domino directo amoueri: attamen dominus ipse aut concedere debebit facultatem colono, ius suum alicui alteri idoneo colono vendendi; aut si hoc concedere non vult, eidem colono, priusquam à bonis discedat, soluere debebit tantum, quantum colonus in cōparando sibi eodem bono, (demptis mobilibus) exposuit, computata simul etiam ea parte hæreditarij iuris, quod ad bonum illud colonus habebat. Sed & præterea teneatur dominus eidem restituere acceptum laudemium, & si quid colonus notabilis melioratiōnis bono adiecit. Contra vero si quid in eo bono fuerit deterioratum, dominus directus ius habeat, ad hoc ipsum in facienda restitutione detrahendum*, &c. His consentiunt ea, quæ ibidem inferius art. 13. statuuntur. Quæ omnia sapientissime, & summo iure constituta sunt.

DVBIVM VIII.

De contractu Societatis. Quid sit, & qua ratione iuste celebretur: deq; contractu quodam innominato, quo absq; certo titulo, quinque pro centum annuatim accipiuntur.

Ad s. Thom. 2.2. q. 77.

QVæritur primo. Quid sit contractus Societatis, & qua ratione iuste celebretur. Respondeo sequentib⁹ pronuntiatis. I. Contractus Societatis est, quo plures socij ita ad lucrandum, per negotiationem, vel opificium aliquod conueniunt, vt singuli aliquid ad lucrandum vtile conferant, vti est pecunia, industria, labor: siue singuli omnia, siue vnus quidem pecuniam, alius vero operam, vel vtrumq; conferat, singularum sortium pecuniariarū dominio manente penes eos, qui eas posuerunt, vti communis Doctorum sententia explicat. 200

II. Contractus hic ex omnium sententia iustus ac licitus est, tribus conditionibus concurrentibus, vt ex communi recte docent Valentia q. 24. pun. 1. & Toletus l. 5. c. 41. I. Vt negotiatio sit iusta & licita. II. Vt lucrum iuste diuidatur, aut æqualiter nimirum inter singulos, si singuli sortes æquales valoris ad lucrandum contulerint, aut seruata proportione, vt eo quisq; maius lucrum accipiat, quo sors ipsius est maioris valoris ad lucrandum. 201

Et quia opera & industria, vtpote immediatius & efficacius concurrens, plus valet ad lucrandum, quam pecunia (quamuis & hæc quoq; valeat, vt negotiationi exposita est, etiam secluso periculo, vt contra Sotum lib. 6. de Iustitia q. 5. a. 1. recte notauit Valentia loco cit.) ideo maior est operæ, quã pecuniæ habenda ratio; etiamsi forte opera secundum se minus valeat, quam pecunia secundum se, nisi valde præponderet excessus pecuniæ; quo fit, vt qui operã conferunt, sæpe magis lucrari possint, quam qui conferunt pecuniam, licet per se longe maioris pretij, vt notauit ibidem Valentia. 202

Quo spectat, vt is qui operas confert, non solum sit particeps lucri, sed etiam sortis, secundum æstimationẽ operarum; ita vt negotijs peractis ex tota summa, quæ ex lucro & sorte conflata erit, tantum extrahat, quantũ si loco operarũ, pecuniam æquialentẽ contulisset; ita quidẽ, vt si tu conferas mille aureos, socius autem operas centum aureis æstimatas, & lucrum sit 500. aureorum, socius extrahat vndecimam partem, non solum è lucro, sed etiam ex sorte, hoc est, ex mille & quingentis aureis, adeo vt ille habeat 136. aureos, & vnam tertiam, tu vero habeas reliquas decem partes, vti prudenter aduertit Lessius c. 25. dub. 2. n. 9. contra quosdam Doctores aliter locutos; quasi is qui operas confert, ꝑ rata parte, solum participare debeat de summa lucri, non autem de summa lucri simul & sortis. 203

Ratio est; qa alioqui conferens operã longe deterioris esset conditionis, quã q pecunias contulerunt: hi enim post finitum contractum, præter participationẽ lucri, suas sortes integras habent, locatori vero operæ hoc ipso, quod operæ transierunt, nihil de sorte, quam contulit, reliquũ maneret. Itaque vt is, q operas confert, non minus sit particeps tum lucri, tum sortis, quam qui ponit tantundẽ pecuniæ, neue ipsi soli sors sua ac opera pereat, debet in hoc contractu opera socij æstimari pecunia, eaq; æstimatio sorti addenda est, vt fiat veluti vna sors cõmunis, puta 1100. aureorum, ex qua socius habeat partẽ vndecimã, perinde ac si tantundẽ pecuniæ contulisset; ac proinde etiã, vt in diuisione cõpetat ei vndecima pars sortis & lucri, seu toti⁹ sumę. 204

Quod si opera ipsius tanti valebat, quanti sors alterius, debetur ei dimidium totius summæ: si erat æqualis tertiæ, quartæ, quintæ, vel sextæ parti pecuniæ, debetur ei tertia, quarta, quinta, vel sexta pars totius summæ, quæ reperietur finitis negotijs. Alioquin societas in qua socius operam conferens solum sit particeps lucri, non etiam sortis, potius erit *Leonina*, in qua alter sociorum solum habet damnum, alter solum lucrum, iuxta l. *si non fuerint*, ff. pro socio; quam socialis. Eodemque modo intelligendi sunt Nauarrus cap. 17. num. 151. Couarruuias lib. 3. Variar. cap. 2. & Valentia loco cit. etsi rem nõ ita explicarint: nisi quod ob eam ipsam causam fortassis notauit Valentia, maiorem operæ quam pecuniæ habendam rationem; etiamsi illa secundum se tanti non esset, quanti pecunia: vt dictum n. 202. 205

Tertia conditio est, vt damnum etiam iuste ad socios perueniat. Et quidem secluso speciali pacto, si damnum aliquod cõmune est omnibus sortibus, debet ab omnibus æqualiter sentiri. Si vnius tantum sors perierit, antequam scilicet communi sorti permisceretur, illi peribit, non alijs. 206

Eademq; ratione, si quis collata industria nihil lucratus sit, soli quidẽ illi sua peribit industria, alij damnũ in sua sorte sentire non debent: nisi inter se conuenissent, vt quodcunq; damnũ sortis eueniens, æqualiter ad omnes perueniret, vt cum Nauarro docent Valentia & Toletus loc. cit. vel certe nisi eadem opera ex voluntate sociorum, ita collata, ab eisque acceptata fuisset; tunc enim vt opinor eius æstimationem etiam socij præstare debent; non secus ac si quis conducto operario ad inutilem laborem, oleum simul ac operam perdidisset.

Sicut etiam si plures pecuniam locarunt, & casu forte vnius fiat iactura, tunc ea quidem etiam æqualiter ad omnes spectare debet, qui pecuniam locarunt, cum non magis huius, quam illius sors perire debuerit, vt inquit Valentia loco cit. Quod intellige; post collationem sortium semel factam, ac societati cõmunicatã: secus si in negotiatione, per culpã socij, qui operã contulit, perierit: tunc enim ei, qui in culpa fuit, peribit; si modo talis sit, quæ ad restitutionẽ obliget, iuxta dicta q. 6. dub. 2. Similiter si pereat in via, dum à domino mittitur ad socium, suo vtiq; domino peribit, vt antea dictum. 207

Huc etiam spectat, quod de expensis, quas industriæ collator facit, recte notant Sylvester V. *Societas* quæst. 12. Petrus Nauarrus lib. 3. de Restitut. c. 2. num. 442. eas scilicet (exceptis solum ijs, quas aut domi suæ, aut sine societatis nomine, bonoque fecisset) communes esse debere, etiam in eleemosy-

nam,

nam, societatis intuitu, factas: quamuis totum hoc onus socij in negotiatorem illum reijcere possint; modo aliunde faciant illi iustam compensationem. Atq; hæc spectãt ad contractũ societatis secundũ se.

208 Cum hoc porro contractu, stando præcise iure naturali, & vbi humanæ constitutiones nõ obstant, varij alij contractus coniungi possunt, etiam inter eosdem socios; & quidem omnes illi, qui & secundũ se liciti sunt, neq; naturã contractus societatis euertunt. Cuiusmodi sunt, tum assecuratio certi cuiusdã lucri, puta quinque in centum; tum assecuratio capitalis; etiamsi illi contractus nõ ita distincte & explicate cognoscantur: dummodo intentio vsuraria absit; & socio, qui eiusmodi onus in se suscipit, iusta compensatio fiat; nec is, præter suam voluntatem, cogatur ad eiusmodi cõtractus; nec cũ quouis socio ineatur pactum, de eiusmodi quinario certo lucro, saluo & securo capitali, recipiendo, vt cũ Caietano opusculo 17. responsione 11. Nauarro c. 17. n. 255. Conrado q. 97. de Contractib⁹, Maiore in 4. dist. 15. q. 49. Gabriele q. 11. dub. 10. & Syluestro V. *Societas 1.* q. 2. docent Couarruuias lib. 3. Variar. cap. 2. Angles in 4. quæst. de societate, Toletus lib. 5. cap. 41. & Valentia q. 24. pun. 2. ex consultatione quoque Theologorum Romanorum.

209 Quamuis assecurationem capitalis, cum eodem socio celebratam, licitam esse negent Panormitanus in cap. *Per vestras*, de donatione inter virum & vxorem, Accursius in l. *si non fuerint*, ff. pro socio, & Sotus lib. 6. de Iustitia quæst. 6. art. 2. Quod tamen non probant; manet enim nihilominus dominium capitalis apud socium, cui fit assecuratio; cum alter nõ nisi dependẽter ab ipsius voluntate, eo vti possit.

Hinc ergo pro ratione negotiationis, recte fieri poterit, vt socius, qui alioquin ex centum collatis aureis, vi contractus societatis, probabiliter poterat sperare lucrum octo v. g. aut decem aureorum, saluo & securo capitali, possit ex societate, adiunctis duobus illis alijs contractibus, annuatim recipere quinque; datis nimirum vno vel duobus aureis, pro assecuratione capitalis, & duobus vel tribus alijs, pro assecuratione lucri minoris, vt recte notauit Valentia loco citato.

210 Quanquam si indifferenter cum quouis, & in quauis negotiatione, talis contractus celebretur, sæpe iniustus esse possit; cum non omnis negotiatio præbeat tantum lucrum, vt saluo quinario lucro, debita fiat compensatio, pro duplici illo onere sociis imposito. Quo casu proinde, nisi socij per quãdam transactionem, sibi mutuo quasi condonent, quod alter bona quidem fide, sed iusto plus accipit, iustus non erit talis contractus.

211 Eandemq; sententiam fuse ac ex instituto tuetur Lessius lib. 2. cap. 25. dub. 3. vbi præterea etiam citat Franciscum Garziam de Contractibus parte 2 cap. 17. Angelum V. *Societas*, Lopez lib. 1. de Contractibus cap. 65. Bartholomæum Medinam in sua Instructione §. 27. Eademq; sententia inquit, nuper à doctissimis viris, absque vlla difficultate, fuit Romæ approbata, & passim in Italia est in vsu, vt ex formulis impressis mercatorum constat. Denique plurimi hoc tempore per Italiam, Hispaniam, Germaniam, Galliam, Sacræ Theologiæ Professores celeberrimi, eandem absque dubitatione tradunt; fauente etiam Iure Canonico cap. *Per vestras*, de donatione inter virum & vxorem, & iure Ciuili l. *si non fuerint*, ff. pro socio.

Accedit, inquit, quod mercatores sic malint cõtrahere, quam aliter; maius enim lucrum sic percipiunt: assecurationem enim sortis sæpe non magni æstimant; quia norunt eam secure impendere; vel si exponunt eam periculis, & res male cesserit, cogitant se non fore soluendo; ac proinde depositorem fore damni participem: quod sæpe fieri videmus. Lucrum autem incertum, quod illis offertur, libenter certo pretio redimunt; quia sperãt se multo plus lucraturos: & tales venditiones & emptiones rerũ, non habentium certum euentum, inter eos sunt creberrimæ: adde, quod ex tali contrahendi formula, non cogantur rationes suas & computus alijs patefacere Itaq; tantum abest, vt ad contractum assecurationis, & certæ pensionis annuæ pro lucro sperato, adigantur mercatores inuiti, vt alia ratione plerosque nolint ad societatem admittere, aut eorum negotia curare. 212

Neq; obstat, quod æquum non videatur, vt ex vi vnius contractus alter contrahens obligetur ad alium; nam tres isti contractus possunt iniri per modum vnius; ita vt reuera tantum sit vnus cõtractus; qui proinde iustus erit; modo ea, quæ cõmutantur, exequentur æstimatione & iudicio peritorum mercatorum: & si contractus isti possunt iniri cum diuersis, vt omnes fatentur, cur non cum eodem? 213

Ex quo infert Lessius, formulam illam, nõ esse iniquam, quæ in Italia, & Antuerpiæ varijs linguis circumfertur, his verbis; *Ego infrascriptus, confiteor hoc meo chirographo, me accepisse à Titio mille aureos, vt eos impendam legitimæ negotiationi; & loco incerti lucri maioris, quod illi ex hac negotiatione posset competere, promitto me illi daturum sex in centum quotannis, & eiusdem summæ periculum præstiturum.* 214

Ita etiam potest tradi grex centum ouium pascẽdus, ea lege, vt pastor præstet eum saluum, supplẽdo si quid forte etiam perierit; & præterea quotannis soluat aliquid certi pro fructibus. Vt tamen hic cõtractus sit iustus, necesse est, vt spes fructuum, ex illo grege sit tanta, vt iudicio prudentis æquiualeat oneribus, quæ pastori imponuntur, nempe obligationi præstandi integrum numerum, & soluendi quotannis certam pensionem. 215

Denique addit Lessius ibidem n. 32. hunc contractum non solum per se esse licitum, sed etiam esse expedientem, præsertim hoc tẽpore, & ad salutem animarũ, & ad cõmodum Principis, & ad cõpendium viduarum & pupillorũ, eam contrahendi formam non prohiberi, sed permitti; id quod ibidem fusius prosequitur; in fine concludens; totam hanc deductionem à primarijs Professoribus Sacræ Theologiæ Louoniẽsis Vniuersitatis esse examinatam, qui eam in omnib⁹ & singulis suis conclusionib⁹ probarunt, & vsui publico permittẽdam esse iudicarunt; ne, propter vmbras quasdam vsuræ hic cõtractus in posterum damnetur; cuius prohibitionẽ hoc tẽpore cum damno publicõ futurã nõ dubitauerit. Hęc Lessius. 216

Nec obstat, quod Sixtus V. in constitutione edita An: 1586. 12. Cal. Nouemb. damnet, & reprobet omnes contractus in posterum ineundos per quos cauebitur personis, pecunias, animalia, aut res alias 217

societatis nomine tradentibus, vt sors ipsa, etsi fortuito casu pereat, semper salua sit, & integra à socio recipiente restituatur; statuens, vt talis contractus posthac vsurarius censeatur.

Quia non obstante hac constitutione, inquit Lessius loc.cit. is contractus in Italia maxime viget; & semper viguit ista forma contrahendi; & passim schedulis impressis extat, & versatur in omnium manibus. Vnde patet, illam constitutionem vel nunquam ibi fuisse receptam, vel certe non vetare hanc formulam, sed alio spectare. Multo minus fuit accepta hic in Belgio, vbi neque fuit vnquam promulgata, neque cognita: quod à me pari ratione etiam de superiori Germania dici posse videtur.

218 Quæritur secundo; Quid sentiendum sit de contractu quodam peculiari & innominato, quo absque certo titulo, quinq; pro centum annuatim accipiuntur. Fit enim in Germania passim, vt non habita ratione certi tituli, & specifici contractus, pro centum exigantur quinque, saluo capitali suo tempore reddendo; de quo quæstio est, an licitus sit. Etenim ex dictis colligitur, varijs modis licitum & illicitum esse posse.

219 Illicitus quidem erit primo, si vi mutui præcise (quia scilicet alter suo commodo pecuniâ data, ac in suum dominium redacta ad tempus vti potest) adeoque per vsuram, quinarium illud lucrum exigatur: non obstante quocunque pietatis, necessitatis, vel consuetudinis prætextu, vt patet ex dictis de vsura dub. 3.

220 Secundo illicitus est, si quis ita alteri tradat centum, vt nihil de iustitia, vel iusto titulo solicitus, id solum curet & quærat, vt quinque pro centum obtineat; quocunque demum modo, seu licito, seu illicito: & multo magis, si quis per malitiam, omnem iustum titulum, puta lucri cessantis, damni emergentis, census, vel contractus societatis &c. expresse velit excluſum.

Tertio iniustus est, si quis prætexat quidem aliquem titulum, puta census, contractus societatis, lucri cessantis &c. sed prætextus est falsus, ac titulus nullus: siue contrahenti hoc ipsum constet, siue de hoc plane nolit esse solicitus.

221 Quatuor autem sunt modi tolerabiles eiusmodi contractū celebrandi, vt ex consultatione Theologorum Romanorum recte docet Valentia q. 25. pun. 3. Primo si suppetat titulus lucri cessantis, vel damni emergentis, vel aliquis alius, ob quem superius dub. 3. diximus, licite aliquid vltra sortem etiam in mutuo accipi posse: qui titulus satis quidem est liquidus; sed in particulari non semper locum habet; præsertim quia hi tituli aliquo modo intendi, & nominati etiam duo in pactum deduci debent.

222 Secundo licitus erit, si vel expressa, vel implicita intentione ineatur contractus societatis, cum eo, qui lucrari potest; adiuncto duplici alio pacto, de assecurando scilicet capitali, & lucro quinario certo; relicto in compensationem eiusmodi onerū lucro incerto maiori, v.g. septem in centum; modo id ipsum lucrū merito ex eiusmodi societate sperari possit; vel certe per aliquam transactionem, quod plus, minusue detur, contrahentes sibi mutuo condonent, iuxta dicta superius.

Tertio, iustus erit, per modum census; si inimirum ab altero contrahente ematur census realis, vtrinque redimibilis, adiuncto itidem pacto duplicis assecurationis, ipsius scilicet capitalis, & quinariæ pensionis: cum præsertim absque his oneribus, quantum est ex iure naturali, facile possint censualistæ, secundum prudentum æstimationem, non tantum quinque, sed etiam septem in centum accipere; vnde remissis duobus, videri probabiliter possunt duo illa onera compensari, vt docet Valentia loco citato. Necesse tamen est, vt conditiones iure naturali ad censum requisitæ adsint; nec obstent leges positiuæ, seu Pontificiæ, seu Imperiales, iuxta dicta dub. 4. Nec obstat, quod census eodem pretio redimatur, vt ibidem diximus. 223

Quarto, iustus & tolerabilis erit, si quis nullo certo titulo specificato, ex centum, homini vel qui lucrari soleat, vel bona immobilia habeat, datis, consensu etiam eiusdē accedente, bona fide lucrari cupiat quinque, eo tandem titulo & modo, quo iuste possit: modo & à parte rei adsit eiusmodi titulus iustus; nec imprudenter sibi persuadeat contrahens adesse. Quem quidem modum, etiam à Theologis Romanis tolerabilem esse iudicatum, testatur Valentia loco cit. qui insuper existimat, eiusmodi lucrum (secluſa peruersa intentione, ac iure positiuo) fere semper tolerari posse, per modum aliquem ex prædictis; modo prærequisitæ circumstantiæ obseruentur. 224

Neque tamen ideo nunquam poterit vsura accidere; nihilominus enim poterit; vel ex malitia, vel ignorantia contrahentium; vel ex negligentia, aut etiam difficultate obseruandi requisitas circumstantias. Quare etiam monet Valentia, propter periculum, tres illos posteriores modos non esse suadendos; quamuis nonnunquam etiam expediet, ei, qui alioqui vsuras exercere solet, ob certius malum euitandum, eosdem explicare; sicut etiam minus malum licitè proponitur ei, qui alioqui ad maius malum inferendum est determinatus, vt docuimus disp. 2. q. 6. dub. 8. & consentit Valentia loc.cit. 225

Accedit, quod nunc in Germania paulatim eiusmodi innominatus contractus quinarij lucri abrogatur; subſtitutis publica auctoritate certis contrahendi formulis, quemadmodum videre est in Synodo Diœcesana Brixinæ Anno 1603. habita, vbi in fine adduntur sex formulæ contrahendi & lucrandi quinque per centum, ex certis & liquidis titulis. 1. Per modum census perpetui, ex vtraque parte irredimibilis. 2. Per modum census solum ex parte venditoris redimibilis. 3. Per modum census ex vtraque parte redimibilis. 4. Per modum contractus societatis, adiuncta assecuratione capitalis, & lucri quinarij. 5. Per modum mutui, adiuncto titulo lucri cessantis. 6. Per modum mutui, adiuncto titulo damni emergentis. 226

Additur quidem circa secundam contrahendi formulam, posse eadem duas priores contrahendi formulas etiam vsurpari in mutuo, vbi restitutio summæ capitalis solum in arbitrio mutuatarij posita est, modo mutentur termini. Verum secluſo alio titulo, ex vi solius mutui, auctarium accipi non posse, constat ex dictis dub. 3.

Dices; vnum titulum accipiendi in mutuo auctariū, 227

ctarium, esse etiam dispositionem rationabilem superioris potestatis, seu consuetudinis æquiualentis. Cum ergo lucrum illud quinarium in mutuo etiam absque alio titulo vbique permittatur, & litiganti in tribunalibus adiudicetur, videtur tum vi consuetudinis, tum vi dispositionis superioris potestatis, esse licitum, quamuis nullus etiam alius titulus interueniat. Respondeo, negando consequentiam. Praxis enim illa iudiciorum supponit quidem, & quasi tacite præsumit, adfuisse & adesse iustum titulum accipiendi quinarium lucrum, vti reuera comuniter reipsa non abest; at vero non approbat eiusmodi lucrum, quasi per solum mutuum absque alio titulo iuste ac licite accipiatur. Quare nec in conscientia tutus est, qui in hoc contractu nullius alterius tituli rationem habet: esto absolute loquendo statui fortasse per vtramq; supremã potestatem, ex causa rationabili, lex posset, vt in omni mutuo (non vi mutui) absq; alio titulo, quinq; ex centum accipere liceat, ipsa dispositione magistratus titulum
227 supplente. Atq; hi sunt præcipui contractus, qui in præsenti videbantur explicandi; de cæteris enim iam alibi diuersis in locis egimus; nimirum de ludo & sponsionibus, supra quæst. 6. dubio 9. de Pignore ac perceptione fructuum ex pignore, supra dub. 3. & partim etiam quæst. 6. dub. 2. de commodato qua ratione à mutuo differat, & cuius culpæ præstationem exigat, eodem dub. 3. & quæst. 6. dub. 2.

228 Solum de fidei iussione, assecuratione, deposito, & hypotheca hæc præterea notentur. I. Fidei iussio est alienæ obligationis in se susceptio, qua se quis obligat ad eam implendam, si debitor principalis non soluerit; siue id gratis fiat, siue pro debita compensatione. Quæ quidem obligatio inualida est, cũ principalis debitoris obligatio omnino inualida est.

Requiruntur autem in diuersis fideiussoribus, ac præsertim in muliere, certę conditiones; quæ etiam pro marito fide iubere non potest. Alioqui comuni iure, omnes fide iubere possunt, qui possunt principaliter obligari: & nisi facta sit exceptio, quando sunt plures fideiussores, pro eodem debito, singuli renentur in solidum.

229 II. Contractus assecurationis, est periculi alieni præstatio, seu gratis, seu certo pretio susceptа; quo casu, ad contractum emptionis & venditionis reuocatur. Iustus est, si fraus desit, & pretium sit periculo proportionatum, virorum sapientum iudicio: quod pariter etiam de fideiussione dicendum est, ob parem vtriusque rationem.

III. Depositum dicitur, tum res ipsa, quæ alicui custodienda traditur, tum contractus, quo aliquid traditur custodiendum, vt integrum restituatur, vt colligitur ex l. 1. ff. Depositi. Et merito pro cura custodiæ iustum pertium exigitur.

Nec potest communi iure depositarius vti deposito, nisi ex consensu expresso, vel probabiliter presumpto ipsius deponentis, vel quando depositum est res vsu consumptibilis, puta pecunia, triticum, &c. & depositarius certus est, se quando depositum repetetur, paratum habiturum tantundem, eiusdem mensuræ & bonitatis; tunc enim saltem non erit mortale vti deposito, vt docent Sylvester V. *Depositum* num. 10. Molina disp. 534. Lessius cap. 37. dub. 2. Quando autem depositum possit non reddi, & ad quam culpam teneatur depositarius dictum quæst. 6. dub. 2. & 15.

230 IV. Pignus & hypotheca, tum pro re ipsa, quæ creditori exhibetur, ad assecurandum debitum à debitore, tum pro contractu seu conuentione inter debitorem & creditorem, qua pignus seu hypotheca constituitur, tum pro obligatione quæ ex contractu nascitur, accipitur.

Differunt tamen, quod pignus proprie est rei mobilis; hypotheca rei immobilis: quæ etiam contrahitur vel expresse, nempe ipsa partium conuentione, aut decreto iudicis; vel tacite, nempe legis dispositione, vt in multis casibus accidit; vti videre est apud Syluestrum V. *Pignus* quæst. 2. Molinam disp. 526. Lessium cap. 28. dub. 6.

Vtraque hypotheca vel est vniuersalis; in qua omnia bona debitoris obligantur, tam præsentia scilicet, quã futura, iuxta l. fin. Cod. *Quæ res pignori*: vel particularis, qua res certa obligatur: quæ semper afficit rem ad quemcunq; peruenіat, donec vel solutum sit debitum, vel obligatio condonata, vel præscriptione extincta. Plura apud citatos.

DVBIVM IX.

Quidnam in particulari iudicandum, de varijs contractibus, & contrahendi modis, his proximis annis (Anno 1620. & seqq.) in Imperio, vbi moneta antiqua valor adeo excreuerat, vsitatis.

Ad s. Thomæ 2. 2. q. 77.

231 EXplicauimus hactenus breuiter communes, & vbique receptos contractus, & contrahendi modos, idque secundum communem Reipublicæ statum, ac consuetum pecuniæ, qua fere contractus reguntur valorem. Nunc ea difficultas paucis expendenda restat, quid sentiendum sit de varijs contractibus, & contrahendi modis, qui proximis annis ab anno 20. vsque ad annum 25. quo tempore valor Taleri imperialis (in se penitus inuariati) ad quatuor, sex, octo & deniq; decem vsque florenorum pretium excreuerat, in vsu fuerunt. Quæ quidẽ difficultas locum habet, tum in omni contractuum genere; tum præcipue in solutione debitorum antiquorum, in emptione tam mobilium, quam immobilium rerum, in locatione & conductione operarum, & in mutuo: de quibus singulis breuiter agendum.

232 Et quod ad debitorum solutionem attinet, cum per se constet, noua debita, tempore mutati valoris pecuniæ contracta, sub certo florenorum imperialium numero, per se loquendo, recte eodẽ numero, stante scilicet eodem pecuniæ valore, persoluta fuisse; quandoquidem ea ratione inter creditorẽ &

debito-

debitórem iusta æqualitas seruata fuit. Verum de antiquis debitis, quæ ante tempus aucti valoris monetæ veteris contracta fuerant, vbi verbi gratia Talerus Imperialis non nisi floreno, & tribus, quinque, vel sex bazijs, vel vt summum sesqui floreno constabat, difficultas est; an iuste æquali florenorũ imperialiũ numero solui potuerint, aut debuerint.

233 Vbi simul generatim suppono, cum eiusmodi casus, ac difficultates communi iure nusquam definitæ sint, eas vel iure municipali, vel iudiciorum praxi, adeoque iure consuetudinario (quale tamen constans & vniforme vix reperitur) vel ex naturali æquitate dissoluendas esse. Quamuis enim ante hac etiam fuerit aliqua inter Doctores controuersia, vtrum in commutationibus etiam habenda sit ratio valoris intrinseci ac naturalis monetæ; aliquibus existimantibus, eius rationem nullam habendam esse, vt etiam de Cambijs indicauimus; id tamen quia de exiguis solum minutijs tunc agebatur, ad præsentem cõtrouersiam nihil attinet; vbi tam enormiter valor pecuniæ mutatur, non solum intrinsecus, sed etiam extrinsecus, vt dicetur. Ea igitur naturali æquitate spectata, ac supposita generali doctrina de contractibus hactenus tradita, ita sentio.

234 Eiusmodi debitorum veterum solutionem, modo prædicto, ad æqualem scilicet florenorum numerum, per se loquendo, à nemine necessario acceptandam fuisse; ita vt iure cogi posset creditor, ad talem solutionem acceptandam. Hic videtur fuisse communis sensus doctorum & bonorum virorum; quicquid forsan in praxi nonnunquam in contrarium fuerit obseruatum; cogentibus debitoribus, præsertim si domini essent, suos creditores subditos, ad eiusmodi solutionem acceptandam: quod iustitiæ & æquitati naturali nulla ratione existimo fuisse consentaneum. Ratio est; quia naturali iure, eiusmodi debitorum solutio ad veram æqualitatem facienda erat: at vero in eiusmodi solutione non cernitur vera æqualitas; quia tametsi quoad numerum, floreni florenos exæquarent, inter ipsos tamen illos florenos nulla erat æqualitas; sed nouorum florenorũ valor, vndecunq; spectaretur, non solum duplo, sed etiam triplo, & quadruplo erat inferior, idque triplici ex causa.

235 Primo, quia tam quoad intrinsecum & naturalem valorem, quam in comparatione ad constantem, semperque durabilem monetam imperialem, puta Talerum imperialem, florenus nouus non solum dimidia ex parte, sed etiam triplo, quadruplo, quintuplo, imo septuplo (pro diuersa ratione temporis) erat inferioris valoris, quam florenus veteris monetæ, eius temporis, quo debitum erat contractum. Siquidem tunc vnus florenus cum dimidio summum, constituebat Talerum imperialem; adeoque etiam valorem intrinsecum & naturalem æqualem habebat eiusmodi Talero imperiali; postea vero nonnisi quatuor, quinque, sex, & deniq; decem floreni, tam secũdum valorem in. 2. trinsecum, quam publicam æstimationem, Talerum imperialẽ conficiebant; ita vt proinde tandẽ nouus florenus ne quidem pars quinta esset veteris floreni.

236 Secundo, considerando etiam vsum cõmunem eiusmodi florenorum, maxima fuit inæqualitas; quia tametsi initio, aliquanto tempore, pro floreno nouo ac vili tantumdem fere mercium quarundam, quibusdam imperij locis, comparari potuerit, quantum antea pro veteri bonæ monetæ floreno; paulo post tamen, secundum æstimationem eiusmodi floreni, omnium rerum pretium supra modum excreuit; ita vt scapha v. g. siliginis, quæ antea vendebatur quindecim florenis, postea triginta, quinquaginta 60. 90. flor. venderetur. Sic vrna vini, quæ ante 10. flor. vendebatur mox postea 20. 30. 50. florenis vendebatur; & ita de cæteris. Præterquam quod merces omnes, extra imperium, semper longe maiori florenorum numero emere necesse fuit.

Tertio, summa etiam inæqualitas fuit inter eiusmodi florenos nostros, cum veteribus comparatos, propter mutationem & decrementum valoris publici, intra paucos annos certissimo euenturum. Cum enim ea mutatio valoris monetæ plane extraordinaria esset, & ob speciales causas præsentis necessitatis in Imperio contigisset, dubium nemini videri potuit, quin intra paucos annos valor pecuniæ ad priorem statum esset rediturus; ita vt noua moneta illa, quæ tunc florenum faciebat, intra paucos annos vix tribus vel quatuor bazijs esset æstimanda. Cum ergo in pecuniæ valore ac bonitate æstimanda, merito etiam respici debeat duratio & constantia eiusdem valoris, ita vt ob periculum & præcognitionem publicam decrementi futuri, & damni ex eo decremento consecuturi, pecunia merito minoris æstimanda sit, & quidem tanto minoris, quanti periculum, seu potius certus euentus damni futuri æstimatur; nemo non videt, eiusmodi florenos nouos antiquis, quoad valorem, & iustam æstimationem nequaquam fuisse æquales, adeo vt noui floreni respectu veterum, *nominales*, potius, seu *titulares*, quam veri & reales dici possent; cum reuera nõ haberent pretium, nisi tertiæ, quartæ, vel quintæ partis veteris floreni, sicut in fine tãdem manifeste patuit. 237

Quod si simul circumstantiæ eiusmodi debitorum veterum spectentur; vt quod debitores sæpe non nisi summis precibus, magnaque difficultate vel incommodo creditorum, eiusmodi mutuatam pecuniæ summam extorserint; vel quod contracta fuerint ratione operæ vtiliter à creditoribus præstitæ &c. facile quiuis intelliget, quãtæ iniquitatis fuerit, ad eiusmodi solutionem acceptandam, creditores inuitos cogere. 238

Et confirmatur primo: quia nemo negauerit, iniquum esse, debitorem nouum certi numeri florenorum, ratione contractus tẽpore mutatæ pecuniæ initi, cogere ad eundem numerum florenorum restituendum, secundum valorem veteris pecuniæ: Ergo pariter etiam iniquum est, cogere creditorem veteris debiti, ad acceptandam solutionem secundum taxam nouæ monetæ: quia eadem vtrobiq; est inæqualitas. 239

Confirmatur secundo: quia si nulla noua vilior que pecunia fuisset cusa, sed solum valor veteris monetæ extrinsece creuisset, omnes facile intelligerent, in ea, quam diximus solutione, nullam esse æqualitatem; vbi scilicet pro sex vel septem cuiusque monetæ ectypis, vnum tantummodo persol-

ueretur; eadem vero prorsus est ratio nouæ illius & vilioris pecuniæ, quæ intrinseca & extrinseca æstimatione, pluris non erat, quam si veteris pecuniæ valor solum extrinsecè creuisset. Confirmatur tertio; quia erga pupillos talis solutio debitorum veterum, velut iniqua, publicis iudicijs est reiecta, vt mox dicetur: Ergo vniuersim etiam erga alios iusta non est. Consequentia probatur: quia iustum & iustitia non pendet ex conditione personarum, sed respicit æqualitatem rerum; & quod alicuius respectu iustum est, non potest, cæteris paribus, alterius respectu iniustum esse, vt pluribus dictum quæst. 1. dub. 7.

240 Respondetur II. Pro solutione debitorum veterum, quæ pupillis debebantur, nec poterat, nec debebat à tutoribus, vel curatoribus, eiusmodi solutio acceptari; nisi tutores seu curatores ipsi se se ad damna pupillis præstanda obligatos vellent. Patet ex dictis; quia hoc ipso, quod eiusmodi solutio non erat æqualis, necessario à tutoribus, quibus administratio bonorum pupilli, in vtilitatem ac citra damnum eiusdem commissa fuit, respuenda fuit; nisi, vt dictum, damnum ipsi vellent præstare; aut certe nossent, suo, aut pupilli commodo, eiusmodi pecunia vti, citra vllum suum, aut pupilli damnum. Eaq; de causa etiam passim in tribunalibus iudicatum & decretum fuit, ne pupilli, viduæ, pauperes, aut etiam Ecclesiæ cogi possent, ad eiusmodi solutionem veterum debitorum acceptandam.

241 Resp. III. Si quis tamen creditor, sui iuris existens, sponte ac libere, adeoque sciens & volens, eiusmodi solutionem acceptarit, ei nulla facta est iniuria; nec potest vlterius quicquam exigere, vel ad damni compensationem agere. Hic etiam videtur fuisse communis sensus doctorum ac prudentum virorum; & passim ita fuit vsu receptum. Ratio est; quia quisque poterat cedere iuri suo; & si quid in ea re inæqualitatis intercedebat, vltro condonare: præterquam quod subinde occasio quibusdam offerebatur, eandem pecuniam mox ita expendendi, vt ex ea solutione nullum damnum sentirent. Quod si tutores ipsi, vel curatores, eiusmodi solutionem sponte acceptarunt, ex qua pupilli notabile damnum senserint, dabitur pupillis quidem restitutio in integrum; sed non aduersus priorem debitorem; sed contra tutorem & curatorem, qui eiusmodi damni causa fuerunt, præsertim si in causa fuerint, quo minus eiusmodi pecunia mox vtiliter, in bonum ac citra damnum pupillorum expenderetur, iuxta generalem regulam; qui damnum dedit, damni culpam præstare debet.

242 Ex quibus etiam multorum casuum particularium resolutio deducitur. Exempli gratia: Fieri potuit, vt officialis quispiam minister Principis, obligatus alioqui, ratione officij, ad pecuniarios census Principis, ex vna vel diuersis rebus colligendos, acceperit eo nomine certum florenorum numerum, monetæ bonæ ac veteris. Interim verò, post aliquot menses, antequã rationes accepti redderẽtur, mutauit monetæ pretium; ita vt Talerus imperialis, qui à ministro sub valore tantum sesquifloreni acceptus fuerat, sensim ad quinque, vel decem florenorum valorem excresceret: quæritur an minister ille potuerit, tempore rationum, in florenis illis Principi soluendis sequi valorem & æstimationem noui illius ac vilis floreni, quã tempore rationum habebat; non obstante hoc, quod magna pars eorundem florenorum secundum valorem antiquũ esset accepta. Eademq; est ratio aliarum pecuniarũ veteris monetæ.

Et quidem ex vna parte videri potest id licite fieri 243
potuisse; quia talis per commixtionem acquirere potuit dominium eius pecuniæ, quã nomine Principis, ante mutatum pecuniæ valorem acceperat. Quare incrementum eiusdem pecuniæ & lucrum ex eo consequens, videtur non ad Principem, sed ad illum pertinuisse; ratione quasi industriæ, in ea seruãda locatæ. Præterquam quod præsumi poterat condonatio ex parte Principis, vbi decessum eius lucri, siue pretij, nemo fortassis magnopere vrgebat.

Verum respondetur, id iuste fieri non potuisse; 244
tum quia debitum illud florenorum, ex ea parte, de qua sermo est, contractũ erat eo tempore, quo floreni erant multo maioris valoris: Ergo Officialis iste non poterat Principi, pro eo florenorũ numero, satisfacere æquali numero florenorum valoris mutati, vt superius dictum n. 234. tum quia cum ea pecunia veteris monetæ, & secundum antiquum valorem acceptæ, fuerit iam Principis; ita saltem vt officialis, quantum intererat, eius loco aliam præsentem repræsentare teneretur; ideo accrementum ac lucrum ex ipsâ per se pecuniâ (suppositâ publica æstimatione) non autem ex illa conseruantis industria, proueniens, Principi, non Officiali accrescebat, iuxta receptum illud: Nobis communiter accedit, quod è re nostra nascitur, l. 2. & 6. ff. de acquis. dom. & l. 5. ff. de rei vindic. &c.

Addo, tantum abesse, vt præsumi possit, Principem eiusmodi tam notabile lucrum (aliquod millium florenorum) velle condonare; vt nec ipse quidem iure potuerit, in manifestum detrimentum boni publici, vbi scilicet ea pecunia, magnam partem, ex labore, sudore, & damno subditorum extrahebatur; præsertim in tanta alioquin penuria ac necessitate pecuniæ, ob præsentes & ingentes belli sumptus, eiusmodi condonationem facere. Secus si lucrum illud solum fuisset paucorum aliquot florenorum, quorum iactura in magna summa forte non æstimaretur. 245

Quod vero ad contractum emptionis attinet, 246
maxima in eo genere interuenit commutationis inæqualitas. Initio enim quidem, breui tempore, cum nondum satis animaduerteretur nouæ pecuniæ vilitas, merces omnes eodem fere florenorum numero vendebantur: postea verò, animaduersa pecuniæ vilitate, paulatim in duplum, triplum, quintuplum, iuxta nouæ pecuniæ taxam, rerum, omniũ pretia creuerunt; quod fere etiam aliquandiu tenuit, postquã moneta pristino valori fuit restituta: vt necessariò dicendum videatur; aut initio multo vilius iusto, aut postea carius, quam par erat, omnia fuisse vendita & coempta.

Nihilominus breuiter dico; cum eo perturbato 247
Reipub. statu, nullæ certæ leges, de pretijs rerum præscriptæ essent, nec ferè etiam seruari possent;

variabat enim, & Magistratu conniuente, quasi continenter crescebat rerum pretium; nihil etiam in particulari certi definiri posse: sed vniuersim existimandum, ex parte pretij, iustas fuisse emptiones & venditiones, iuxta diuersitatem temporum, publico & communi vsu, Magistratus auctoritate non improbato, receptas; quia in eo casu, vbi leges absunt, communis vsus & æstimatio rebus pretia indit, vt generatim dictum, dub. 2. Quo supposito, si quæ forsan à parte rei inæqualitas interuenit, censentur contrahentes, vbi nulla alioquin vis & coactio interuenit, præsertim in re incerta ac ancipiti, facere condonationem.

248 Nec obstat, quod etiam post pecuniæ valorem denuo ad pristinum statum reuocatum, nihilominus rerum pretia eodem fere, aut non multo minori numero florenorum, seu baziorum vendebantur; quia hoc ipsum quamdiu à magistratibus tolerabatur, factū fuit, quasi in compensationem eius damni, quod tum ex mutatione eius pecuniæ, tum initio ex vili admodum venditione rerum, respectu veteris pecuniæ, venditores passim senserant: ita vt mercatores sicut initio vrnam vini v. g. pro vno vel altero Talero vendebant; ita etiam post restitutum pecuniæ valorem, octo vel decem Taleris, quasi compensatione facta, venderent; donec publica auctoritate rerum pretia ad antiquū fere statum essent redacta.

249 Quod vero ad locationem, & conductionem operarum, in omni officiorum genere spectat, magna difficultas est. Nam vt à mercenarijs seu operarijs diurnis incipiamus, constat eorum mercedem diurnam, pro ratione accretionis pretij rerum omnium venalium (saltem pro tempore, quod non ita multo post mutationem pecuniæ consecutum est) minime accreuisse. Quamuis enim eorum merces diurna ex tribus baziis v. g. paulatim creuerit vsq; ad quatuor, quinque, sex bazios, adeoque in duplum; multo minus tamen id fuit accretione pretij, quæ cæteris rebus omnibus, ipsique adeo frumento, ob mutationem pecuniæ, non solum in duplum, sed triplum, quadruplum accessit, vt superius dictum.

250 Non minor difficultas est de ijs, seu Ecclesiasticis, seu sæcularib⁹ personis, quibus cum annuum suum stipendium solum in pecunia, ad certum florenorū numerum solueretur; ita vt cum aliquibus v. g. deberentur trecenti; alijs quadringenti, aut mille, floreni; post pecuniæ mutationem, quo, vt dictum, Taleri pretium excreuit vsque ad decem florenos, non soluerentur pro toto annuo stipendio, plus quam quadradinta, quinquaginta, vel centum Taleri; quamuis secundum æstimationem veterem, pro his alias deberentur fere trecenti, quadringenti, septingenti Taleri.

251 Ad hoc respondeo, plane fatendum esse, eam pecuniæ mutationem toti ferè communitati admodum noxiam fuisse, ac præsertim ijs, qui pecuniario stipendio se suamque familiam, sustentabāt. Et quia mercium pretium ex eo vel maxime creuit, quod non solum valor pecuniæ mutatus est, sed etiam ipsa pecunię species adeo de bonitate degenerauit, nemine eiusmodi pecuniæ satis fidente, ideo hinc etiam rationes conscientiæ suæ subducere debent illi, qui primi auctores eiusmodi monetæ mutationis fuerunt. vt dictum superius, q. 6. dub. 12.

Iterim quia suppositā mutatione semel facta, simulque publicæ necessitatis ratione habita; fieri vix aliter poterat, quin perturbato semel rei monetariæ statu, plurima incommoda priuatis orirentur, quæ publicæ necessitati postponēda essent; nō facile est in particulari definire, cuinam parti, locatori potius, an conductori operarum, damnum eiusmodi imponendum sit: præsertim quando ex ipsismet locatoribus operæ vix quisquam erat, qui non saltem quasdam operas suas vendere carius posset; aut certe alias similiter necessarias operas conducere vilius. 252

Reuera tamē summæ æquitatis erat, vt quemadmodum mercenariorum diurna merces, cum cæterarum rerum pretio saltem aliquāta ex parte creuit; ita ijs quoq;, qui ex annuo stipendio viuerent, suum salarium quantum ad florenorum numerum, augeretur; aut certe aliunde quædam compensatio fieret. Quod inprimis etiam faciendum fuerit erga Parochos, seu beneficiarios alios, qui suos reditus, alioqui in certa portione fructuum positos, cū suis patronis commutarunt, vt eorum loco, certam aliquā solum pecuniæ summam annuatim reciperent; cū alias ea commutatio in magnam inæqualitatem degeneraret, non sine magno eiusmodi Parochorum damno: qui ex summa illa pecuniaria ducentorum, aut trecentorum florenorum, hoc est, viginti, aut triginta Talerorum, annuatim percipienda, vix ac ne vix quidem viuere poterant.

Deniq; circa mutuum duplex difficultas occurrit; prima quid de solutione veteris mutui sentiendum: possetne, post eam pecuniæ mutationem, iuste pro certo florenorum numero æqualis numerus in solutione reddi. Sed de hac re iam dictum est initio dubitationis à n. 234. 253

Altera difficultas est de nouis mutuis, quæ post mutationem pecuniæ, peracta sunt; liceretne pro certo florenorum numero pacisci, de restitutione æqualis numeri florenorum facienda, etiam post restitutum antiquæ monetæ pretium.

Respondeo hoc pactum varijs modis accidere potuisse, de quibus aliter atque aliter sentiendū est. Primo, ita vt mutuanti constaret, de restituendo ad condictum tempus pristino pecuniæ valore, imò expresse paciscereturr, sibi eiusmodi florenorū summam non esse restituendam, nisi post restitutum pristinum pecuniæ valorem.

Et hic contractus, per se loquendo, vtique iniustus & vsurarius fuit; qui proinde mutuantem ad restitutionem excessus obligat. 254

Ratio est; quia mutuans vi solius mutui, multo plus in solutione exigebat, quā ipse mutuatario dederat; siquidem centum floreni v. g. bonæ ac veteris monetæ, siue secundum se & intrinsecum valorem, siue secundum æstimationem publicam, in ordine ad Taleros, aliasq; stabiles monetas, siue in ordine ad communem vsum spectati, plusquam triplo, quadruplo &c. maiorem valorem habebant, quam floreni totidem, vilis ac nouæ monetæ, vt initio dictum resp. 1. Et vtiq; crassa nimis & intolerabilis vsura est, vi mutui pro centum v. g. taleris imperialibus, ferè septingentos; pro ducentis, plusquā mille trecentos taleros eiusdem speciei, bonitatis & valoris velle exigere. Dixi tamen *per se*; quia per accidēs subinde aliter euenire potuit, vt mox dicetur.

Secun-

255 Secundo contractus ille mutui ita transigi potuit, vt absolute mutuatario concederentur centum floreni vilis pecuniæ, mutuanti postea, cum primũ mutuatario liberet, restituendi, quo casu difficultas est, an si mutuatarius solutionem distulisset in id vsque tempus, quo iam valor pecuniæ ad pristinum statum redierat, teneretur mutuanti numerare totidem florenos bonæ ac veteris monetæ.

256 Respondeo; per se non tenebatur: quia mutuans talem restitutionem ab initio iuste exigere non poterat, sine vsuræ vitio vt dictum, & ea non erat mutuatarij pacisc entis mens ac intentio; cum nemo præsumi possit sibi adeo notabiliter tali contractu voluisse incommodare: per accidens tamẽ id fieri poterat, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; si mutuans non minus vtiliter eum quamuis vilium florenorum numerũ expendere potuisset, &c. quã postea æqualem florenorum veteris monetę numerum: modo de hac ipsa re mutuatarius esset monitus, resque in pactum deducta, vt generatim dictum dub. 2. & 3.

Et hac eadem ratione, si aliter lucrum cessans, aut damnum emergens resarciri non potest, nisi restitutio fieret secundum æstimationem veteris monetæ, expresse etiam pacisci licuisset, de restitutione totidem florenorum, secundum æstimationem veteris monetæ facienda, vti in priori casu dictum fuerat: in cuius proinde resolutione, notanter dixi id *per se*, secluso speciali titulo, per accidens interueniente, non licuisse.

257 Huc etiam pertinet titulus liberæ donationis. Fieri enim potuit, vt aliquis ex præsenti pecunia sibi mutuo data facile maius etiam lucrũ caperet, quã sit illud, quod mutuans postea ex superabundante illa solutione percepturus esset, ideoque volens ac libens, facta condonatione indebiti excessus, sese promisso obstringeret, ad superabundantẽ illam solutionem exhibendam. Et tunc si de ea donandi voluntate, & subsecuta inde promissione constaret, teneretur is quidem ad eam solutionem, non quidem vi mutui, sed vi liberæ promissionis à mutuatario acceptatæ, vt vniuersim dictum q. 7. dub. 2. 3.

Tertio ita contrahi mutuũ potuit, vt cum vtrinq; dubium esset, tam de incremento, quam augmento valoris pecuniæ, absolute inter contrahentes conueniret, de æquali numero florenorum soluendo; & tunc si vtrinq; par dubium fuit, parisque incrementi vel decrementi dubia expectatio, iuste vtiq; potuit mutuans æqualem florenorum numerũ restituendum pacisci; quia vterq; contrahens pari periculo lucri vel damni sese vi talis contractus exponebant. Idque ipsum haud scio, an non sub initiũ mutationis pecuniæ, per aliquod tempus, reipsa accidere potuerit, siquidem constare non poterat, an valor pecuniæ post anni spatium, incrementum esset sumpturus, an decrementum.

258 Quarto denique potuit contractus similis iniri non per modum mutui, sed societatis: ita vt habens v. g. præsentem summam aliquot millium florenorũ vilis monetæ, cum alio habente occasionem & voluntatem negotiandi & lucrandi, oblata pecunia conueniret de recipienda post anni spatium, ac restitutum pristinum pecuniæ valorem, æquali florenorum bonæ ac veteris monetæ summa. Et tunc si negotiatio illa tam lucrosa censeri posset, vt omnibus spectatis, tantum lucri pecuniam illam conferenti obuenire merito existimaretur (iuxta dicta superius de contractu societatis) contractus talis itidem iustus esse potuit. Sed reuera hoc vix est morale, quia moraliter nulla tam lucrosa negotiatio esse potest, vt salua parte lucri eius, qui operam confert, ei qui solam pecuniam contulit, in singulos florenos quatuor, quinque, aut etiam sex florenorum lucrum suppeditare possit.

Ex quibus etiam aliqui casus particulares, (quales occurrere passim potuerunt) dissolui possunt. Primus est; Quidam mutuo v. g. dedit mille florenos, ea lege, vt mutuatarius biennij spatio, ea pecunia gratis vteretur, nec pro ea censum soluere teneretur; at vero post bienniũ elapsum, teneretur ad integrã summam totidem florenorũ numerandã; an hic contractus fuerit iustus & necessario seruandus. 259

Respondeo, si mutuans hoc ipsum expresse intendit & pactus est, vt non nisi post biennium, quo tempore pecunia iam in pristinum statum esset restituta, ea solutio præstaretur; aut si ita publice existimabatur, post eiusmodi biennium, pecuniam probabiliter ad pristinum valorẽ redituram, eiusmodi contractum ex parte mutuantis, per se loquẽdo, ac nisi specialis alius titulus interuenerit, puta donationis, lucri cessantis, aut damni emergentis, &c. nequaquã fuisse iustũ, sed vsurarium, etiamsi interim mutuatarius nullo suo detrimento eam pecuniam exposuisset. Ratio est, quia vi mutui plusquam dederat, depactus est, vti in secunda responsione superius dictum.

Nec obstat, quod ad biennij spacium pro ea summa nullus census fuerit acceptus: non solum quia hic ipse census, quinque pro centum, ex vi mutui præcise non debebatur, vt constat ex dictis dub. 3. sed etiam quia illa census remissio nequaquã compensat excessum illum sortis in restitutione exhibẽdæ, qui videlicet non solum est florenorum quinquaginta in mille; sed plusquam duplũ, triplũ, quadruplũ totius summæ, pro ratione valoris excrescentis, quẽ pecunia tempore contractus habebat. 260

At vero si tempore contractus incertum esset, an valor pecuniæ, incrementum potius, an decrementum esset sumpturus: aut etiam, si titulus donationis, lucri cessantis, vel damni emergentis per accidens interueniens & in pactum deductus talem cõpensationẽ iuste exigebat, contractus eiusmodi iniustus nequaquam fuisset, vt antea dictum. 261

Quod si etiam secluſis eiusmodi titulis, contractus vtrinque bona fide esset initus, & mutuatarius sponte in eiusmodi contractum consensisset; contra vero mutuanti non defuisset occasio ac voluntas eam pecuniam suo commodo expendendi, saltem ad merces aliquas coëmendas; ne mutuans bona fide grauius damnum patiatur, vtendum esset aliqua transactione; quæ merito in omni eiusmodi dubio contractu interponenda est; spectato tum ex parte creditoris, lucro cessante, tum ex parte mutuatarij lucro, quod ex ea pecunia nactus est; non ita quidem, vt totum commodum mutuanti transcribatur; sed vt (velut in contractu societatis) eius ex aliqua parte fiat particeps. Quod si in tali casu solutio mutuatæ pecuniæ oblata fuisset ante resti-

tutum pristinum pecuniæ valorem, tunc de eo perinde iudicandum esset, vt de casu sequente.

262 Secundus casus. Quidam itidem, cum talerus imperialis valeret decem florenis, mutuo alteri dedit mille florenos post anni spacium restituendos; idq; nulla census mentione facta. Interim vero lapsu temporis accidit, vt Talerus reuocaretur ad valorē quinque florenorum. Mutuatarius timens, ne forte intra breue tempus, nimirum ante elapsum anni spacium, à tempore initi contractus, valor Taleri adhuc magis diminuatur, obtulit mutuanti, per certum internuntium, ad proprias eiusdem ædes ablegatum, restitutionem mutui, secundum currens Taleri pretium, ita vt pro centum Taleris mutuo datis qui tempore contractus mille florenos conficiebant, soluere vellet ducentos Taleros, eandem summam mille florenorum conficientes, paratum interim se ostendens, quo vellet etiā alio monetæ genere, sortem mille florenorum mutuo acceptā restituere. Hic vero mutuans decessum maioris lucri refugiens, responsum dedit, primū post anni spatium ex pacto esse restituendum. Itaque suam interim pecuniā vt mutuatarius retineat velle. Elabitur interim anni spaciū, à tempore initi contractus, cum pecunia pristino valori restituta est, ita vt Talerus non valeret nisi sesqui floreno. Quo facto à mutuante condicitur restitutio mille florenorum, secundum æstimationem præsentem; ita enim conuentum fuisse, vt fieret restitutio mutui post anni spacium. Quæritur, an ea postulatio iusta sit, & necessario executioni mandanda.

263 Respondetur; quia mutuans initio non intendebat, nec in pactione expresserat, vt mutuatario fas non esset, mutuum ante elapsum anni spacium restituere, si vellet; præsertim cum id, stante opinione futuræ diminutionis valoris monetæ, per se loquendo, iuste intendi, aut in pactum deduci non posset, vt superius dictum n. 254. ideo adiectum solutionis terminum, ex communi Doctorum sententia, in fauorē mutuatarij explicandum fuisse; ac proinde mutuantem non potuisse iuste, restitutionem mutui oblatam, etiam ante elapsum anni spacium, simpliciter recusare; ita scilicet, vt non solum pro præsenti diceret, sibi iam commodum non esse, huic rei vacare; sed etiam absolute negaret, se ante elapsum anni spatium, debiti solutionem acceptaturum.

264 Quo fit, vt cum mutuans ipse, iniqua recusatione solutionis debiti, causa fuerit, ne debitum ante exactum anni spacium, & restitutum ex integro pristinum pecuniæ valorem, restitueretur; mutuatario imputari non possit restitutionis mora, vel etiam damnum, seu potius iactura maioris ac nimium excedentis lucri, quod mutuans sibi deesse conqueritur. Quia iuxta regulam iuris 41. in sexto, *imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum*, & regulam 60. *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri.* Et rursum ibidem reg. 66. *Cum non stat per eum, ad quē pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.*

265 Ex quibus concluditur, nec mutuatarium teneri ad summam illam mille florenorum persoluendam, iuxta valorem pecuniæ, ex eo tempore restitutum, quo solutionem ipse prius obtulerat; nec mutuantem posse excessum eius solutionis bona conscientia accipere, vel retinere, si vi eiusmodi contractus eam receperit. Præterquam quod per se loquendo, ea ipsa solutio à mutuatario oblata, sortem à mutuante datam adeo notabiliter excedebat, vt nec illam ipsam quidem, ex sola vi mutui, seclusō alio speciali titulo, iuste accipere posset, vt in secundo pronuntiato superius dictum n. 256.

Et quamuis non nesciam, inter iure consultos alioquin controuerti, an vnica oblatio, eademq; solum verbalis, purget moram debitoris, ne damnum, si quod ex dilatione solutionis à creditore non acceptatæ sequitur, ipsi imputetur; id tamen ad institutum præsens nihil facere satis constat: quia controuersia illa inter Doctores solum est, quando incommode solutio offertur; aut certe creditor non simpliciter & absolute recusat acceptationem solutionis, ante certum quendam terminum ab eodem designatum; sed solum in præsenti oblatam debiti solutionem recusat; nihil prohibens, quo minus alio quouis tempore à creditore denuo offeratur, nec adeo etiam excludens voluntatem acceptandi solutionem, ante designatum ab eo tempus: cuius contrariū in proposito accidit, vt dictū. 266

Certe in contrarium nullus textus iuris adferri 267
potest: & manifeste iniqua esset constitutio, quæ creditori inique recusanti solutionem, interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, ex dilatione solutionis subsequens, adiudicaret. Quia nemo ex sua culpa commodum sentire debet, nec culpam nocentis præstare innocens. Et iuxta regulam 25. in sexto: *Mora sua cuilibet* (non alteri, qui causa moræ fuit) *est nocua*. Et regula 86 *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alys imputare.* Et regula 173 ff. de diuersis regulis iuris; *Vnicuique sua mora nocet.* Et regula 203. *Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.* Denique ex communi Theologorum sententia, fur ad restitutionem obligatus, purgasse morā censetur, si rem semel domino oportune obtulerit, vt dictum quæst. 6. dub. 9. n. 258. 268

Quod si tamen oblatæ solutionis recusatio non absoluta, aut non admodum seria videri potuisset, eaque de causa, quædam ex parte debitoris negligentia intercessisset, in offerenda denuo maiori cū efficacitate solutione, existimante bona fide creditore, debitorem sponte ac libenter eidem recusationi seu dilationi solutionis faciendæ acquieuisse; sique ex altera parte creditor ab initio contractus iure potuit ita pacisci, vt etiam restituto pristinæ pecuniæ valore, pro mille florenis parui valoris, elapso anni spatio, (nisi citius restituerentur) restituendi essent mille floreni boniac pristini valoris, hoc est, pro centum taleris imperialibus plures sexcentis, iuxta ea, quæ superius dicta sunt; tunc quia vtrinque culpa interuenisset, merito per transactionem, iuxta prudentum arbitrium, lis componenda esset. Atque hæc ad propositum satis.

DVBIVM X.

De quodam quasi contractu; nempe de Tutelâ; spectatim ad quid obligentur tutores aut curatores.

Ad 2. Thomæ 2. 2. q. 77.

POst explicatos hactenus veros & formales contractus, iuxta diuisionem contractuũ sup dub. 1.
269 num. 3. expositam, supereſt breuiter agendum de quodam, præ ceteris admodum celebri, & vsitato *quasi contractu*, qui est Tutela, seu Curatela; vt etiam Confessarij norint, quid in Conscientia circa eum statuere debeant; ac etiam vt omnibus constet, ad quidnam Tutores seu Curatores, quorũ functio in Repub. adeo frequens est, in conscientia teneantur.

Et primò quæritur, quid sit Tutela, quidque & quotuplex sit Tutor, & Curator; & quomodo constituatur. Respondetur sequentibus pronunciatis.

I. *Tutela*, itemque *Curatela* generatim est Officium seu obligatio, ad procuranda bona & commoda minorum, qui vel parente carent, vel sub eius potestate constituti non sunt, iuxta Instit. de tutelis in princip. & l. vlt. Cod. de Curatore furiosi, & Instit. de fiduciaria tutela. *Tutor* verò quasi *tuitor*, & *Curator* dicuntur, qui id officium sustinent; quibus etiam ex iustitia talis procuratio incumbit; perinde ac si ex contractu ea obligatio fuisset suscepta, supplente nimirum lege, vel Magistratu vim contractus, vt etiam in Testibus ex officio requisitis accidit.

II. Differunt Tutor & Curator, præcipuè quod
270 Tutor solum conuenit impuberi, hoc est masculo vsq; ad annum decimum quartum expletum, & fœminæ vsque ad annum duodecimum itidem expletum, vt habetur Instit. Quibus modis tutela finiatur, in princip. & §. *Nostra autem Maiestas*. Curator autem conuenit minoribus, post completos annos pubertatis (promiscuè vtrique sexui) vsque ad annum vigesimum quintum expletum iuxta Instit. de Curatoribus in princip. nisi iure municipali aliter statuatur, vt dicetur inferius n. 276.

III. Differunt etiam inter se alijs modis. Nimirum quod Tutor datur impuberi etiam inuito, l. *Nec non* ff. de Tutoribus & Curat. & datur principaliter personæ, quia tenetur curare educationem atque institutionem illius; tametsi cum illo in eadem domo habitare non teneatur; secundario autem datur etiam bonis illius, non respectu vnius tantum rei vel negotij, sed vniuersim respectu omnium, iuxta Instit. de Tutelis. §. *Est autem*, & Glossam ibidem.

271 Curator autem (communi iure) non datur inuito, iuxta Instit. de Curat. §. *Item inuiti*; nisi minor sit furiosus, aut mente captus, vel prodigus. §. *Furiosi*, Instit. de Curat. Et datur præcipuè rebus minoris, iuxta l. *In copulandis* Cod. de nupt. minus autem principaliter personæ, iuxta glossam Instit. Qui test. tut. dari possunt. §. *Certæ*. Quodsi minores semel Curatorem susceperint, tenentur illi subesse (communi iure) vsque ad annum 25. expletum. Instit. de Curat. in princip. At si Curatore careant, valent acta per illos: ita tamen vt si læsi sunt, restituantur in integrum, iuxta dicta dub. 1. à num. 23. Quod si minor litem habeat, tenetur ad eam sumere Curatorem, §. *Item inuiti*, Instit. de Curat & leg. 1. & 2. Cod. qui legit. persons. standi in iudicio. Exceptis tamen causis spiritualibus, aut de rebus ijsdem annexis, vt matrimonio, beneficio, & alijs: in quibus puberes etiam per seipsos agere & respondere possunt, iuxta cap. vlt. de iudicijs in 6.

IV. Tutorum tria sunt genera. Nam primò a- 272
lij sunt *testamentarij*, qui ex testamento, seu codicillo à Patre, aut alijs ad id priuilegium à iure habentibus relinquuntur, iuxta leg. 3. & glossam ff. de test. tutel. qui si conditiones requisitas habent, cæteris necessario præferuntur, iuxta Instit. de legit. agnat. tutela in princip. & authent. *Matri & auiæ*, Cod quando mulier tutelæ officio.

Secundò alij Tutores dicuntur *legitimi*, quos nempe lex ipsa præscripsit & designauit; qualis quidem præ cæteris est mater, si tutrix esse velit. promittendo, se non transituram ad alias nuptias, quin prius Tutelam abdicet, & rationem præteritæ administrationis reddat, iuxta authent. Vt sine prohibit. matres, §. *Quia vero multa*. Matrem sequuntur auia, & consanguinei proximiores idonei, iuxta l. *sicut*. Cod. de leg. tut. & leg. *Intestato*, & l. *Si plures* ff. de leg. tut. & Inst. & gloss. §. *Furiosi*, de Curatoribus, & l. de Creat. curat. Cod. de Episc. aud. & vlt. Cod. de Curat. furiosi.

Tertiò alij sunt Tutores *datiui*, nempe à Iudice 273
electi & constituti, vbi tutores testamentarij & legitimi desunt, iuxta Instit. de Attiliano Tutore, & leg. 1. & seqq. ff. de Tutor & Curat. datis ab his. Et enim ad Iudicem domicilij patris pupilli spectat, dare ei Tutorem; quem etiam ad hoc, si opus sit, cogere potest, iuxta textus citatos. Eademque etiam locum habent in Curatore, vt habetur in citatis textibus, & notauit Molina tom. 1. disp. 220. Quibus ferè consentiunt Iura Prouincialia Bauarica part. 5. tit. 5. art. 1. 2 & 3. vbi tamen Matri tutrici alij duo siue tutores, siue adiutores adiunguntur &c.

V. Sed & quandoque etiam maiorennibus, & 374
quidem etiam inuitis, Curator dandus est à Iudice; nempe si quis furiosus sit, aut mente captus, vel prodigus à Iudice declaratus; surdis item & mutis, atque ijs qui perpetuo morbo laborant, quia rebus suis superesse non possunt, §. *Furiosi*, Instit. de Curat. Et habetur quoque in Iure Prouinciali Bauar. part. 5. tit. 5. a. 11.

Quod si talis sit coniugatus, vxor illius, si idonea sit, communi iure præferenda est. Alioquin Pater præfertur cæteris omnibus, & post Patrem auus; deinde filius, si vigesimum quintum annum expleuit; alioquin frater, si prædictam ætatem compleuit, & seorsim in propria domo viuat; & denique propinquus masculus proximior in gradu: quibus deficientibus, locum habet Curator datiuus, vt iuxta §. *Furiosi* & glossam ibidem, Instit. de Curatorib. & l. *De creationibus*, Cod. de Episc. aud pluribus persequitur Molina disp. 220.

275 Quæritur secundo, quinam Curatores aut tutores esse non possint; vel ab eo officio excusentur; & qualis cautio ab ijsdem requiratur.

Respondetur I. Tutores & Curatores esse non possunt, 1. serui siue mancipia. 2. mulier, excepta matre, auia, vxore, vt superius dictum. 3. Impos mentis, seu furiosus; aut minor viginti quinq; annis nisi forte sit mater. 4. Prodigus, aut cui post 25. annos ætatis curator dandus est, ex dictis. 5 Infamis, aut suspectus de crimine, vel mala administratione. 6. Religiosus. 7. Episcopus, nisi respectu miserabilium personarum, quarum bona perirent, nisi ipse succurreret. 8. Clerici in sacris ordinibus constituti; nisi cum agitur de tutela legitima, quando sunt proximiores in gradu pupillo; tunc enim esse possunt, sed non tenentur; vel etiam respectu miserabilium personarum, vt de Episcopis dictum. 9. Qui minoribus debet, aut cui minor debet; excepta matre & auia, itemq; auo & patre; itemque excepta forsan tutela testamentaria. Quod si quis tutor aut curator postea debitor aut creditor efficiatur, tunc adiungendus est illi alius tutor vel curator. 10 Miles in militia actu occupatus. 11. Inimicus patris aut minoris necdum reconciliatus. 12. Maritus respectu vxoris minoris 13. Qui morbo, aut alio simili impedimento perpetuo laborat, ita vt recte administrare bona minoris non possit. Quæ omnia ex iure pluribus confirmat Molina disp. 221. Vid. Cod. lib. 5. tit. 34. Qui dare tutores vel Curatores & qui dari non possunt.

276 Resp. II. A tutela seu Curatela excusantur. 1. qui habet quinq; filios legitimos superstites. 2. Qui res seu bona Regis siue Principis administrant, itēque tabellarij Regis, & Iudices ac ministri Iustitiæ. 3. Qui Reipub. causa absunt. 4. Si quis habeat tres tutelas, quæ oneratæ sint. 5. Pauperes, qui tota sua industria ac tempore indigent ad seipsos conuenienter sustentandos. 6. qui ita morbo laborat, vt commode sua ipsius bona procurare non possit. 7. qui nec scribere, nec legere nouit, nisi peculiaris solertia defectum suppleat. 8. Is erga quem capitales inimicitias exercuit Pater minoris. 9. Qui excedit septuagesimum annum. 10. Qui docent liberales artes, aut medicinam, vel hanc exercent de mandato Principis. 11 Qui tutor alicui us fuit, ne sit eiusdem Curator. Quæ itidem ex iure fuse probat Molina disp. 222. Similia habentur in iure Prouinciali Bauarico a. 1. & 5. nisi quod illi ipsi, qui impuberum tutores erant, iubentur postea etiam eorum esse Curatores vsq; ad annum ætatis 21. completum, etiamsi isti renuant.

277 Resp. III. Tutores & Curatores iurare tenentur, se munus suum recte executuros, atq; defensuros bona & personā minoris, confecturos quoq; (ope Magistratus) inuentarium, & reddituros suo tempore rationem ei, ad quem de iure spectabit, vt habetur Authent. Vt hi q oblig. se hab. §. vlt. & l. *De Creationibus*, Cod de Episc. aud Item l. vlt. & auth. subiuncta, Cod. de Curatore furiosi.

278 Sed præterea satis dare debent, præstito fideiussore, rem minoris saluā, adeoq; integre restituendā fore, nullumq; damnum bonis minoris, culpa aut negligentia tutoris aut Curatoris, vel in illis administrandis ac defendendis, vel in acquirendis obuēturum; alioquin fideiussorem Tutoris aut Curatoris integre minori satisfacturū, iuxta instit. & gloss. de satisdat. Tutor. in princip. Nisi Tutores aut Curatores habeant bona immobilia sufficientia, vnde satisfaciant, vt docet Mol. d. 223. Siquidem vniuersim bona eorundem, tacite sunt hypotheecata minori à puncto tutelæ aut curæ susceptæ; ita vt ad quemcunq; peruenerint, possit illa minor sibi vendicare, vt satisfiat, iuxta l. *Pro officio* Cod. de administ. tut. l. De Creationibus Cod. de Episc. aud. l. vlt. Cod. de Curat. Furiosi, & authent. de hærede ab intest. §. *Sin autem plurimi*.

Eadem habentur in Iure Prouinciali Bauarico p. 5. tit. 5. a. 4. vbi tamen præstatio illa assecurationis arbitrio magistratus relinquitur, & in fine additur: *Si tamen post mortem alicuius Personæ nobilis, consiliarij Principis, Patritij, vel Doctoris, cognati per seipsos ex suis idoneos Tutores eligerent, vsque legitimam inuentarij confectionem, Tutelæq; administrationem sub debitæ rationum obligatione committerent, nominatique Tutores apud legitimum ac immediatum suum Magistratum pro confirmatione sui officij sese denuntiarēt, id prout hactenus factum, deinceps etiam ratum esto.* 279

Quæritur tertio, quænam sit potestas, & obligatio Tutorum & Curatorum. 280

Resp. I. Potestas & obligatio eorum generatim se extendit ad triplex rerum genus, nimirū ad personas minorū seu pupillorū. 2. ad illorum bona 3. ad eorundem causas, vt mox speciatim declarabitur.

Resp. II. Circa personas minorum, habenda imprimis ratio est educationis. Et quidē si parens seu testator disposuit, vbi vellet educari minorē, standū est dispositione; nisi iudex aliud magis expedire minori iudicaret, iuxta l. 1. ff. vbi pup. educ. debeat. Alioqui si mater superstes sit, neq; ad secundas nuptias tranfierit, regulariter impuberes apud illam educabuntur, iuxta l. 1. Cod. vbi Pup. educ. debeat; nisi circumstantiæ aliud suadeant v. g. ob prauos mores fœminæ, aliaue corporis animæue pericula: tunc enim apud auū potius, vel aliū iudicis arbitrio prudenter designatū educabitur, iuxta l. 1. & 2 Cod. vbi pup. educ. debeat, & l. 1. ac penult. ff. eod. tit.

III. Eodem spectat, vt tutores curent minores 281
postquā legere & scribere didicerint, pro conditione suæ personæ institui, vel in aliquo opificio, vel in bonis literis; idq; taxata per Iudicem certa portione ex bonis minoris ad alimenta & his annexa quotannis insumenda, iuxta l. *Quod plerumq;* Cod. de alim. Pup. præst. & l. 3. 4 ff. vbi pup. educ. deb. Quæ quoad fieri potest, ita moderata esse debet, vt non omnes reditus patrimonij minoris in eis insumantur, sed semper aliquid supersit, quo patrimonium augeatur, iuxta l. 3. ff. cit. tit.

IV. Quod ad bona minoris attinet, tenetur gene- 281
ratim Tutor vel Curator illa administrare ea cura & diligentia, quā diligens Paterfamilias suis, prijs reb⁹ adhiberet; tā impediēdo & præcauendo dāna, quā procurando cōmoda & lucra minoris, iuxta l. *A Tutoribus*, ff. de Administ. tut. Vnde primo curare debet, vt reficiantur ædes, colantur agri, domus locentur, greges & pecora nutriantur &c. Secundo curabit, vt ea mobilia, quæ commode seruari non possunt, vt sunt vestes attritæ, iumenta minori non necessaria, triticum, vinum, & oleum, & his similia

vendi-

venditione, vel permutatione aliqua vtiliter, & commodè distrahantur; neque ad hæc opus est authoritate iudicis: aliàs damnum, & decessus congrui lucri tutori seu curatori imputabitur; iuxta dicta q. 6. dub. 2.

283 Nihil tamẽ Tutori aut Curatori, siue personis eidem subiectis, ex vllis bonis minoris, quamdiu is talis est, neq; per se, neq; per alium, emere licet, iuxta l. *Non licet.* & l. *si in emptione.* ff. de contrah. empt. & Constit. Bauar. part. 5. tit. 5. art. 15. nisi interueniente authoritate iudicis, aut cum ex eius decreto bona pupilli publicè per iuratum venditorem omnibus venalia exponuntur, vt ibidem limitatur.

284 V. Curabit quoq; Tutor & Curator, quoad fieri potest, vt pecuniæ pupilli, nõ quidem ad vsuras exponantur, quicquid l. *Tutores* Cod. de administ. Tut. alijsq; locis iure ciuili dicatur, id enim iure naturali & Canonico reprobatum est; sed vt in emptionem agrorum siue prædiorum, vel ad alios honestos & lucrosos securosq; contractus vtiliter exponantur, aliàs tenebitur de lucro cessante; vt apud Couarruuiam 3. var. c. 2. n. 1. & Molinam tom. 1. disp. 224. habet communis, obseruatâ tamen communi doctrinâ superius traditâ q. 6. dub. 2.

VI. Bona verò immobilia minoris, aut alia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, nõ possunt sine decreto iudicis alienari, iuxta l. 1. & seqq. ff. de rebus eorũ q. sub tutelâ, & l. *Lex quæ*, Cod. de administ.

285 Causæ verò alienationem concedendi potissimũ sunt, si vrgeat æs alienum, quod aliunde commodè solui non possit; aut si minor aliunde non possit ali, aut redimi ex seruitute, aut ab alio discrimine eripi, iuxta l. *Ob æs alienum*, Cod. de præd. min. vel etiam quando id manifestè expedit minori; vt si vnum prędium vendatur, vt ematur aliud vtilius &c. aliasque similes ob causas, quæ iudicis prudentis arbitrio sufficientes iudicentur. Ita etiam sine decreto Iudicis non potest minor remittere, vel renuntiare hæreditati, legatis, fideicommissis, alijsque iuribus sibi acquisitis, iuxta l. *Magis puto.* ff. de rebus eorum. & l. *si ad resoluendum*, Cod. de præd. min. vt pluribus dicetur disp 6 quæst. 3. dub. 6.

286 VII. Quod ad causas minorum attinet, pupillus dum infans est, hoc est, minor septennio, vel infantiæ proximus, (ita vt si masculus est, non peruenerit ad decimum annum cum dimidio; aut, si sit fœmina ad nonum cum dimidio) nihil per se efficere potest, quo vel ipse alteri obligetur, vel alterum sibi obliget, iuxta Instit. de inutil. stipul. §. *Pupillus*, aliaque iura. At verò pupillus pubertati proximus obligare quidem sibi potest alterum, etiam sine autoritate tutoris: sed alteri se obligare non potest, nisi cum tutoris autoritate. iuxta Instit. loc. cit. & autorit. Tutor. in princip. Quo fit, vt contractus sæpe *claudicare* dicatur, inter pupillum & maiorem. Quamuis si contractus onerosus neutra ex parte sit adimpletus, non tenetur maior implere contractum, nisi pupillus etiam adimplere velit. Imo in contractu sine tutoris autoritate celebrato, si minor sit pubertati proximus, manet is etiam naturaliter (non tamen ciuiliter) obligatus, iuxta l. *Cum illud*, §. *Hæres*, ff. quando dies legati, vt pluribus persequitur Molina cit. disp. 224. & dictũ supra quæst. 6. dub. 11.

287 VIII. Eadem porro est ratio minoris, si curatorem habeat. At verò minor curatore carens validè alienat & contrahit, circa res suas, quæ decreto iudicis non indigent, vt alienentur: secus si absq; Iudicis decreto id faciat, circa res illas, quæ iudicis decreto indigent: saluâ interim semper restitutione in integrum; etiamsi per ipsius Iudicis sententiam sit læsus, iuxta l *Si curatorem*, Cod. de in integ. restit. l. 1. Cod. de autorit. præst. l. *Neq; tutor* Cod. de contrah stip. l. *obligari*, ff. de act. & oblig. l. *Cum & minores* Cod. Si aduersus rem iudicatam, aliaq; iura.

288 In iudicio autem, non secus ac de pupillis dictũ, inualida vniuersim sunt ea, quæ minores sine Curatoris autoritate egerint, si in ipsorum cedant incõmodum; secus si in eorum commodum cedant: qua de causa sine Curatore non admittuntur ad lites etiam earum rerum, quas sine decreto Iudicis possunt alienare, vt tradit Molina cit. disp. 224. apud quem hac de re plura.

289 IX. Iuxta constit. Bauar. part. 5. tit. 5. art. 6. 8. 10. 12. 13. si plures sint tutores vel curatores, quam duo, ad dispositionem pro minoribus faciendam requiritur consensus plurium; si duo tantum, in rebus maioris momenti vtriusq; consensus requiritur. Quod si vnus delinquat. alijs contradicentibus, illi soli damnum imputatur, alias omnibus. Et tenentur Curatores & Tutores singulis annis rationem administrationis reddere; nisi ob paruitatem rei, iudicio Iudicis ad parcendum sumptibus tempus prorogetur. Sumptus verò in administratione tutelæ faciendi, ex bonis minoris fiunt. Quod si tutorum aliquis deses aut noxius in administratione deprehendetur, amouendus aliusq; substituendus est, impositâ delinquenti debitâ satisfactione.

Quæritur quartò, quando tutela, aut cura finiatur; & quod sit eius stipendium. Respondetur I. Iure communi tutela finitur, cum pupillus pubertatis annos adeptus est, iuxta dicta: Curatela autem communi iure finitur post completum annum 25. minoris: nisi aliter iure municipali sit statutum iuxta num. 276.

290 II. Finitur quoque tutela, si impubes arrogetur, deportetur, vel in seruitutem redigatur, iuxta Instit. Quibus modis tutela fin. §. *Item finitur*. Item morte pupilli vel tutoris, & capitis diminutione tutoris, seu maxima, seu media, quâ nempe vel libertatem, vel ciuitatem amittat. Aliquando etiam desitâ conditione, seu finito tempore, si tutela sub conditione, vel ad certum tempus data sit. Item si tutores apud magistratum, legitima de causa se excusent, & missionem impetrent.

291 III. Sæpe ipsius magistratus officio Tutor remouetur, si ineptus aut infidelis deprehendatur, aut meritò suspectus sit, vt superius dictum. Eoq; ipso quod tutor aut curator velut suspectus est accusatus, lisque est contestata, tradi à Iudice debet minori curator, qui interim, dum lis pendet, curam minoris ac bonorum illius habeat; prior autẽ Tutor vel Curator ab administratione est suspendendus, §. *Si quis autem*, Instit. de suspens. tutor. & l. *Eum quem*, Cod. eod. tit.

292 IV. Si tutor vel curator ab officio remoueatur, ob commissum dolum erga minorem, redditur infamis: secus si ob aliam culpam, etiã latam, iuxta §.

Suspectus autem. Instit. de suspecto tut. & communem apud Molinam disp. 225.

V. Si Tutor vel curator, post rationes officij reditas, fidelis deprehensus fuerit, debetur ei meritò præmium: quod quidem aliquib⁹ locis est vigesima pars redituum bonorum omnium minoris: in alijs autē decima pars; vt testatur Molina disp. 224. circa fin. In Constitutionibus Bauaricis pars. 5. tit. 5. art. 14. ita statuitur: *Vt tutori eiusue hæredibus, post legitimum eius decessum, pro conditione substantiæ pupilli, laborumq; à tutore exantlatorum, per pupillos, eorum propinquos, aut si ab his pro meritis non fieret, à Magistratu cuiusq; loci, conueniens honorarium ac compensatio laborum operæq; & curæ impensæ præstetur, aut per magistratum adiudicetur; ipsisq; tutoribus, in susceptione tutelæ, eiusmodi remunerationis secuturæ spes fiat.* Hæc de tutoribus.

DVBIVM XI.

De Testamentis, aliisq; vltimis voluntatibus.

Ad s. Thom. 2. 2. q. 77.

294 AD contractus etiam meritò à nobis referuntur Testamenta, aliæque vltimæ voluntates, quæ quia adeò frequentem in humanâ societate vsum habent, nec parum conscientiam tangunt, par non est à Theologo penitus ignorari, etsi nos iam supra nonnulla huc spectantia diuersis in locis tractauimus, vti speciatim referemus.

Et primò quæritur, quid sit Testamentum, & quomodo à Codicillo, alijsq; vltimis voluntatibus differat. Respondetur sequentibus pronunciatis.

I. *Testamentum* sic dictum à *testando*, siue quia testator suæ mentis, seu vltimæ voluntatis testimoniū eo explicat; siue quod testator in eo alios suæ volūtatis vltimæ testes adhibet, iuxta Instit. de testam. in princip. & alios apud Couarruuiam in rub. de testam. part 1. communiter ita solet definiri, iuxta Vlpianum leg. 1. ff. de testam; & glossam ibidem: Est voluntatis iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, cum hæredis (directâ) institutione.

295 II. Quare testamentū ex suo genere, est quædam *vltima voluntas*; & conuenit cū cæteris vltimis voluntatibus; vt sunt Codicillus, legatum, fideicommissum & donatio causa mortis: quæ quidē omnes dicuntur vltimæ voluntates, quia disponunt de bonis in tempus post mortem disponētis: cuius etiam idcirco morte confirmātur, cum ante mortem sint reuocabiles, nec vim & effectū absolutum habeant, iuxta Apostolum. Heb. 9. v. 17. quas proinde hoc saltem sensu necesse est esse vltimas, vt post eas non fuerint aliæ, quæ vim illarum abstulerint, vt rectè notauit Molina tom. 1. disp. 124.

296 III. Differt testamentum à Codicillo & alijs vltimis voluntatibus, tum proprijs solēnitatibus, sine quibus legitimum & validum esse non potest, vt inferius dicetur; tum per illam definitionis particulam, *cum hæredis directa institutione*: quę adeo intrinseca est testamento, vt sine eâ testamentum esse non possit, vt constat ex §. *Ante hæredis*. Instit. de legatis, §. *Inprimis*, Instit. de fideicom. l. vltima ff. de hæred. instit. & l. vlt. ff. de Codicillis: & contra, hoc ipso, quod in aliqua vltima voluntate hęres directè institutur, habet rationem testamenti, saltem secluso speciali priuilegio, iuxta l. *Militis Codicillo* ff. de milit. testam.

Quod tamen non obstat, quo minus legatum, seu 297
actus legandi, itemq; fideicommissum, in directaue substitutio, reipsa possint esse partes integrantes testamenti, seu Codicilli; sed quia absolute testamentū sine his esse potest, & singulę per se rationem vltimę voluntatis habēt, ideo sunt quasi species vltimæ voluntatis inter se cōdistinctę, vt docet Molina loc. cit.

IV. *Codicillus* vero, sic dictus, quasi paruus codex, 298
seu parua scriptura, est quædam sine directâ hæredis institutione, vltimæ voluntatis dispositio, siue in scriptis, siue in verbis fiat, iuxta Instit. & Cod. de Codicillis, & ff. de iure codicillorum. Deseruiunt codicilli ad legata instituenda, ad fideicommissarias seu indirectas substitutiones, vt & ad declarandū & immutandum seu corrigēdum aliqua in testamētis: nec vnquam coutinent directam hęredis institutionem, nisi per accidens & ex priuilegio militi concesso, iuxta cit. l. *Militis*. Nec etiam codicillo hęreditas auferri cuiquam potest, Instit. de codicill. §. *Codicillis autem*; nisi delictum Codicil o notatum postea probetur, vt docet Molina disp. 131.

V. *Legatum* (pro actu legantis, non pro re legatâ 299
acceptum) est vltima voluntas, qua defunctus rem aliquam particularem (siue id, quod rationem hæreditatis non habet, vt fideicommissum vniuersale excludatur) alicui ab hęrede præstandam liberaliter relinquit. Non differt à *particulari fideicōmisso* quoad rem & effectum, sed solum quoad verba. Quando enim verba testatoris diriguntur ad legatarium, vt si dicat; lego aut relinquo Petro hoc vel illud, dicitur legatum: quando verò testator ea verba dirigit ad hæredem, vel etiam legatarium, vt hoc vel illud dent Petro, dicitur particulare fideicomissum. Et differt vtrumq; tum à *donatione* inter viuos, quæ in vita donantis fit, roburq; habet; tum à *donatione causa mortis*, quæ non ab hærede, aut legatario, sed à viuente testatore pręstatur: quamuis ante mortē testatoris nō confirmetur, vt plurib⁹ docet Mol. tom. 1. disp. 193.

Quæritur secundo, quæ solennitates requirātur, tum ad testamentum, tum ad codicillum, aliasue vltimas voluntates.

Resp. I. Cum duplex sit testamentum, vnum sci- 300
licet *in scriptis* seu *clausum*; eo quod tabellionem, & testes lateat, quid in eo contineatur, nec aliter quam scripto fieri potest; alterū *nuncupatiuum*, quod voce coram testibus declaretur, quid in eo contineatur, seu quid testator post mortem suā fieri velit, ideoq; tum scriptis, tum etiam solâ voce fieri potest: ad testamētum clausum iure cōmuni Cęsareo sequentes solennitates necessariæ sunt. 1. vt post confectam & clausam scripturam testamēti, adhibeantur septem testes masculi liberi, puberes, ac rogati, & cæterogn etiam ad testandum habiles, adeoque non infames, non suspecti, vel partiales, iuxta Molinam disp. 127. post Iulium Clarum; coram quibus simul congregatis testator benè mentis compos dicat, hoc esse suum testamentum. 2. vt testator illud deinde propria manu subscribat, si sciat & possit; sin minus, vt adhibeat octauum testem, qui loco illius

subscri-

subscribat. 3. vt subscribant illud simul eodemque tempore septem vocati testes, singulique illud siue proprio, siue alieno (nec refert, si omnes eodem) sigillo consignent, iuxta Instit. de testam. §. *Sed cum paulatim*, & sequentibus, & l. *Ad testium* ff. eodem titul. & l. *Hac consultissima*. Cod de testam. vbi dicitur: *Si horum aliquid deficiat, tale testamentum pro infecto haberi conuenit.*

301 II. Ad testamentum verò nuncupatiuum (quale etiam à cœcis fieri potest) eodem iure, septem itidē testes, vt supra qualificati, sunt necessarij, qui simul conuenientes audiant ac intelligāt testatoris voluntatem, vel scriptam, vel voce prolatam: non tamen requiritur subscriptio, aut sigillum, iuxta cit. l. *Hac consultissima*, §. *Per nuncupationem*, Cod. de testam. & l. *Hæredes palam*, ff. eod. tit. & Instit. de Testam. § vlt. vt ex communi fusè explicat Molina tom. 1. d. 125. & 126. vbi etiam docet, publicum tabellionem siue Notarium, solennemq; publicationem testamenti, per se & cōmuni iure non esse necessariam: nisi in testamento cœci, qui præter septem testes adhibere debet tabellionem, aut si hic haberi nō possit, octauum testem, vt docet idem disp. 130. Vtilis tamē est opera Notarij in confectione testamenti, vt habetur etiam Iure Bauarico (Landrecht) tit. 4. art. 3.

302 III. Ad vtriusque itidem testamenti valorem requiritur vt sit perfectum & absolutum; nam si perfectū non sit, quia loqui amplius nō potuit testator, aut ob aliam causam, nullum est, etiam quoad illa, quæ testator ante coram testib⁹ dispoſuerat, iuxta l. *Si quis cum testamentum*, & l. *Ex ea* scriptura, ff. de testam. & l. *furiosum*, Cod. qui testam. fac. poss. & Inst. Quibus modis testam. infirmentur, & communem Doctorum, apud Couarruuiam de Testam. cap. Relatum 1. n. 9. & Molinam disp. 127. Neq; enim satis est, nutibus exprimere hæredem; sed necesse est, vt testator vel scribendo propria manu, vel voce illum exprimat, & designet, ita articulatā, vt clarè intelligatur, quem instituat; esto balbutiendo & tardè, aut etiam interpositā aliorum interrogatione illum exprimat, iuxta l. *Iubemus*, & l. *Quoniam indignum*, Cod. de testam. Secus est de legato & fideicōmisso, quod etiam solo nutu factum valere constat ex l. *Nutu*. ff. de legat. 3. Et vniuersim testamentum, vt sit validum in foro externo, habere debet solennitatem requisitam in regno aut loco, in quo fit, vt docet Molina disp. 127.

303 IV. Excipiuntur tamen à communi solennitate, quædam testamenta, vt primò testamentum coram Rege vel summo Principe, quod absq; alia solennitate validum est, iuxta l. *Omnium* Cod. de testam. Item testamentum militis, quod validum est cum duobus tantū testibus, etiam fœminis, iuxta l. *Diuus* ff. de militari testam. imò cum in prælio versatur, sufficiunt quæcunq; signa, vt habetur in Iure Bauarico (Landrecht) tit. 34. art. 7.

Deniq; huc spectat testamētum inter liberos aliosque descendentes; quod validum est cum duobus testibus, siue masculis, siue fœminis etiam nō rogatis; idq; etiam sine testium subscriptione, & alijs solennitatibus requisitis, iuxta l. *Hac consultissima*, § *Ex imperfecto*, Cod. de testam. & l. vlt. Cod. familiæ erciscundæ. Idq; procedit etiam si liberi inæqualib⁹ portionib⁹ sint instituti, vt contra Couarruuiam de testam. cap. *Ragnutus* §. 1. n. 3. docet Molina disp. 128. modo in testamento clausō subscriptio fiat, vel à testatore, vel à liberis in eo institutis, iuxta authent. *Si modo*, Cod. Familiæ erciscundæ; vel certè testator propriā manu, distinctisq; characteribus exprimat nomina filiorum, quos hæredes instituit, cum suis portionibus, & adiuncto tēpore, quo testamētum conficit, iuxta authent. *Quod sine*, Cod. de testam.

Quod si præter liberos, in tali testamēto persona 304
extranea admisceatur, inualidum est, quoad illam, & relictum illi accrescit liberis, cit. §. *Ex imperfecto*, & l. vlt. vt pluribus persequitur Molina disp. 128. Similia habet Ius Bauaricum (Landrecht) tit. 34. a. 8. Quod etiam a. 9. & 10. moderationem adhibet circa testamenta rusticorum, & quæ tempore pestis, seu apud personam infectam fiunt. Atq; hæ exceptiones constāt ipso iure Cæsareo, & seclusis etiam causis pijs, de quibus inferius agetur num. 307.

V. Porrò in codicillis, alijsq; omnibus vltimis vo- 305
luntatibus, seu scripto clauso, seu nuncupatiuè fiant, (exceptis testamentis, de quibus supra) requiruntur & sufficiunt quinq; testes, etiam nō rogati, nec masculi; neq; si scripto fiant, aliud præterea requiritur, quā subscriptio testium, iuxta l. vlt. Cod. de Codicillis, & § vlt. Instit. de fideicomiss. hæred. Exceptis codicillis cœcorū, in quibus eadem solennitas, quæ in eorundem testamētis, est necessaria, iuxta l. *Hæc consultissima*, Cod. qui testam. fac. possunt.

Atq; hinc fit, vt si condens testamentum, omissa solennitate ad testamētum, non verò ad codicillum necessaria, adiungat tamē formaliter aut virtualiter clausulam codicillarem, qua dicat, se velle, vt si ea dispositio nō valeat, vt testamētum, valeat tamē vt codicillus, aut modo meliori, quo potest, tunc etiā in foro exteriori valeat, vt codicillus: ita quidem, vt quamuis directa hæredis institutio sit nulla, valida tamen sint legata in eo relicta; imò etiam deficientibus necessarijs hæredib⁹, institutio hæredis extranei directa conuertatur in fideicōmissariam, hæredesq; ab intestato, teneantur illi restituere hæreditatem, detracta sibi solū quarta Trebellianica; itemq; vt si testator testamento iniustè prætereat aliquem hęredem necessarium, instituatq; hęredem extraneum, tunc hæres prętermissus teneatur extraneo restituere reliquum hæreditatis, seruatā sibi solum legitimā suā portione, vt ex iure probat Molina disp. 132. & sequitur Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 1.

VI. Neq; verò hæ soleñitates iure ciuili requisitæ, 306
reꝓbatæ sunt iure canonico, cap. *Cum esses*, de testa. vbi valida pronunciantur testamēta, quę *parochiani coram presbytero* (seu parocho) *suo, & tribus vel duabus alijs personis idoneis, in extrema fecerint uolūtate* &c. Pertinet enim hæc cōstitutio solum ad terras dominio tēporali Eccleſię ſubiectas, vt cum glossa ibidem ex probabiliore docent Canus lib. 6. loc. c. 8. ad 4. Couarruuias de testa. cap. *Cum esses*. n. 3. & Molina disp. 133. quamuis alij aliter sentiant. Gaudentque eodem dispositionis Eccleſiasticę fauore etiā Clerici, si non omnes, certè illi, aut ijs locis, vbi Iuris canonici dispositioni subijciuntur, vt docet Molina ibidem, addens ex communi, sufficere etiā quatuor testes sine parocho; eo quod duo testes æquipolleant & præponderent parocho.

VII. Cęterum pręter ea, quæ circa solennitatem 307

testamen-

testamentorũ diximus, etiã alia duo hoc loco quæri possunt, nimirum 1. Vtrum ea solennitas etiam sit necessaria in testamento, aut legatis ad pias causas. 2. an ea solennitas sit necessaria, etiam ad obligationem naturalem, ac in foro conscientiæ. Sed vtrumque satis explicatum est supra q. 6. dub. 13. Certe in foro conscientiæ satis esse, si hæredis institutio vel solo nutu fiat, modo certo constet, eam fuisse testatoris adhuc bene sui compotis voluntatem, tradit etiam Molina disp. 127.

Qui addit disp. 134. cum Couarruuia cap. *Relatum* 1. n. 8. duos testes necessarios non esse, in testamento aut legato ad pias causas, quasi sine eis non sint valida, sed solum ad faciendam fidem in foro exteriori; ac proinde quando hæredibus ab intestato constat, defunctum reliquisse aliquid in piam causam, esto voce solum id reliquerit, neque possit sufficienter probari per testes, teneri in foro conscientiæ id soluere; quando talis dispositio, stando iure naturali, non est inualida; neque enim per cap. *Relatum*, aut vspiam alio iure canonico irrita est declarata; quod & mihi videtur verissimũ.

308 Quæritur tertio, quis possit, aut debeat testari, aut testamento hæres instituí.

Respondetur I. Iure communi, omnes & solos illos testari posse, qui rationis vsum habentes, peculium habent; nisi iure prohibeantur. Prohibentur vero 1. impuberes. 2. filius familias; nisi de bonis castrensibus, & quasi castrensibus; item de aduentitijs, quæ post Clericatum consecutus est; non vero ijs, quæ ante clericatum consecutus est, nisi ad pias causas, ex patris consensu. 3. Iure ob crimen facti intestabiles iuxta leg. *Is cui*, & l. Cum lege, ff. Qui testam. & cap. *Felicis*, de pœnis in 6 aliaque iura. 4. Religiosi, nisi ex concessione summi Pontificis, ad pias causas 5. Clerici, nisi de bonis patrimonialibus, vel quasi: & ex consuetudine de alijs, ad pias causas, vt fusius dictum q. 6. dub. 8. vbi de hac re ex instituto egimus. 6. Damnati ad mortem, naturalem, vel ciuilem, carcere sue perpetuos, nisi ad pias causas. Quæ omnia ex iure fusius probant & declarant Syluester V. *Testamentum* 1. q. 3. & 4. Molina tom. 1. à disp. 136. vsque ad 138. & Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 4.

309 Respondeo II. Tametsi per se loquendo (vbi ratio debitorum, ad exonerandam propriam conscientiam, secuturaq; scandala, & lites præcauendas id non exigunt) nemo sub graui obligatione teneatur testamentum facere; grauiter tamen contra iustitiam peccant ij, qui impediunt, ne quis libere testetur; aut ne quis mutet testamentum iam factum, & tenetur ad restitutionem in vtroque faciendam ijs, ad quos bona defuncti fuissent peruentura, iuxta dicta q. 6. dub. 2. ac in foro exteriori, præter alias pœnas, priuantur etiam omni emolumento bonorum talis defuncti, vt iuxta l. 1. & 2. ff. Si quis aliquem test. prohib. l. 2. Cod. eod. tit. l. *Testamenti*, Cod. de inoff. testam. pluribus docet Molina disp. 135.

310 Respondetur III. Hæredes aut legatarij institui non possunt. 1. hæretici & apostatæ, ijsque adhærentes, iuxta l. fin. Cod. de hæret. & l. *Hi qui sanctũ*, Cod. de Apostatis. Sed de quo vid. disp. 1. q. 8. dub. 5. vbi de pœnis hæreticorũ & Apostatarum egimus. 2. Qui persequũtur Cardinales, eosq; percutiunt, vel capiunt, cap. *Felicis*, de pœnis in 6. Item 3. Intestabiles ob crimen, de quibus supra. 4. Fratres minores, alijq; nonnulli religiosi, vt dicetur disp. 6. q. 3. dub. 6. Quanquã potest in eorum fauorẽ hæreditas relinqui, vt per executores vendatur, & detur eis pretium, vt docet Lessius lib. 2. cap. 19. dub 5. Vid. etiam infra disp. 6. q. vlt.

Resp. IV. Hæredes necessario instituendi sunt legitimi descendentes, liberi, nepotes, &c. & in horum defectum, ascendentes, Pater & Mater, & his deficientibus, aui, proaui, &c. vt pluribus declarat Molina disp. 159.

311 Resp. V. De filijs illegitimis est distinguendum. Naturales, qui nimirum ex simplici fornicatione nati sunt, possunt à suis Parentibus instituí hæredes etiam vniuersales, si ipsi legitimas proles non habeant, vt patet ex l. *Licet*, Cod. de fil. natur. quin etiam matri carenti legitimis succedunt ab intestato ex asse; habenti autem legitimos succedunt ex æquo cum illis, iuxta l. *si qua illustris* Cod. ad senat. consult. Orficianum. Patri etiam carenti legitimis non succedunt ab intestato, nisi in duabus vncijs, hoc est, in sexta parte bonorum, iuxta l. *Licet*, Cod. de fil. natur. Potest tamen etiam ab habente liberos legitimos eis relinqui *vncia*, hoc est, pars duodecima bonorum.

312 Resp. VI. At vero spurij, qui ex damnato coitu nati sunt (ab ijs scilicet, inter quos tempore conceptionis & natiuitatis erat impedimentum dirimens) non possunt aliquid à patre accipere, siue ex testamento, siue ab intestato siue ex contractu inter viuos, vt patet ex l. *Licet*, Cod. de nat. lib. & Nouella 74. cap. 6. Et punitur, adeoque etiam peccat grauiter hæres. qui hæreditatem spurio ex Patris testamento, vel ex promissione eidem facta restituit, iuxta l. penult. ff. de iure fisci, l. *Prædonis* ff. de petit. hæredit. etsi possit hæres ex sua liberalitate sponte hæreditatẽ restituere spurio, & hic vicissim accipere; quia id nulla lege prohibetur.

Neque potest etiam spurius succedere matri, etiamsi nullam aliam prolem habeat, vt habet cõmunis Doctorũ sententia, apud Couarruuiam de matrim. part. 2. cap. 8. §. 5. num. 20 Molinam disp. 167, & Lessium lib. 2. cap. 19. dub. 6. Etsi Henriquez lib. 1. de matrim. cap 21. n. 1. & Sa V. *Hæreditas*, existiment, spurium posse retinere ea, quæ mater ipsi reliquit, donec per iudicem priuetur, modo legitimis liberis notabiliter nõ noceat: quod etiam Lessius loc. cit. non improbabile existimat.

313 Resp. VII. Nihilominus tamen etiam spurijs debentur à parentibus alimenta, si aliunde se non possunt sustentare, vt patet cap. *Cum haberet*, de eo qui duxit in mat. non obstante iure ciuili l. *Ex complexu* Cod. de incest. nupt. huic enim merito p Canones derogatũ est. Quo fit, vt filiæ spuriæ etiã debeatur dos, vt quæ in locũ alimentorum succedit, etiamsi Parens fuerit sacerdos, vt cum Nauarro in cap. *Non liceat*, §. 19. n 11. & Couarr. n. 15. docet Lessius loc. cit. Imo Henriquez c. 20 n. 4. putat. hæc alimenta spurijs relinqui posse. etiamsi ipsi non egeant, quod non omnino improbat Lessius num. 69. Tenetur autem mater, si possit, alere filium primo triennio; quo finito tenetur pater, donec filius sua-

industria id possit, iuxta l. *Nec filium* Cod. de patria potest. & cap. fin. de conuers. infid. & pluribus docent Couarruuias n. 19. Molina disp. 169. & Lessius n. 70.

314 Quæritur quartò, quid sit *substitutio*, & quotuplex.

Respondetur, substitutio est vnius aut plurium, in alterius aut aliorum locum, ad rem aliquam in vltima voluntate facta vocatio; quæ generatim duplex est, directa scilicet, & indirecta, iuxta Molinam tom. 1. disp. 182.

Vtraque rursum sextuplex est, nimirum vulgaris, pupillaris, exemplaris, fideicommissaria, reciproca, & compendiosa; è quibus quatuor priores ex suo genere sunt simplices, duæ postremæ compositæ ex pluribus. Substitutio *vulgaris* est, qua testator aliam quamuis personam, iure non prohibitam, hæredi siue à se instituto, siue ab intestato succedenti substituit, casu quo ipse nolit, aut non possit esse hæres; quæ conditio in omni substitutione vulgari, vel exprimitur, vel tacite subintelligitur.

Substitutio *pupillaris* est, qua quis proli impuberi in sua potestate constitutæ aliquem substituit, si is ante pubertatem decesserit; qua fit, vt non solum bona pupilli à patre relicta, sed etiam alia ad substitutum perueniant, iuxta §. *Igitur*, Instit. de pupill. substit.

315 Substitutio *exemplaris* (velut ad exemplum pupillaris inuenta) est, qua filio amenti, vel surdo simul & muto, vel prodigo fit substitutio: quæ proinde semper etiam vulgarem continet; si contingat filium mori ante testatorem. Quod si filius nondum fuerit pubes, eadem substitutio etiam erit pupillaris; & si post pubertatem redeat ad mentem, erit etiam fideicommissaria; quia tunc substitutus succedit filio ex tacito fideicommisso.

316 Substitutio *fideicommissaria* est, qua hæres grauatur, vt hæreditatem totam, vel partem eius *aliquotam* restituat alteri, qui *fideicommissarius* dicitur: quæ cum sit substitutio indirecta & obliqua, potest etiam fieri codicillo; non autem cætera, vtpote directæ; nisi quatenus ex benigna iuris interpretatione, si codicillo fiant, vim habent substitutionis fideicommissariæ, iuxta glossam communiter receptam, Instit. de vulgari substit. in princip. Hæres autem sic institutus (nisi à testatore prohibeatur, quod tamen Iura Bauarica tit. 38. art. 2. non concedunt; aut nisi absque inuentario adierit hæreditatem; aut nisi id, quod ipsi à testatore assignatum, iam antea adæquet quartam partem totius, in quo institutus est) detrahere potest vsque ad quartam partem eius, in quo institutus est hæres, quæ vocatur quarta *Trebellianica*, iuxta l. 1. & seq. Cod. Ad senatusconsul. Trebellianum: nisi cum substitutus est pia causa: sicut etiam in legatis pijs cessat *Falcidia*, iuxta authent. *Similiter*, Cod. Ad leg. Falcid. nisi forte etiam hæres, qui grauatur, sit causa pia; quia vna causa pia contra aliam non habet priuilegium. Semper tamen hæres necessarius, siue necessario instituendus detrahere potest legitimam, quæ fideicommisso grauari non potest.

317 Substitutio *reciproca* est, qua instituti sibi vicissim substituuntur; vt si dicas, instituo hæredes Iacobum & Ioannem, & vos inuicem substituo.

Substitutio *compendiosa* est, quæ plures complectitur substitutiones, secundum diuersa tempora & ætates seu conditiones eorum, qui substituuntur; vt si quis dicat, Instituo filium meum hæredem, & quandocunque ex vita decesserit, substituo ei Titium; vel hoc modo: Instituo filium meum Petrum, eique vulgariter, pupillariter & fideicommissarie substituo Ioannem; nam si Petrus ante testatorem discedat, locum habebit vulgaris substitutio expressa; si postea, ante pubertatem, habebit locum pupillaris; si verò post pubertatem, locum habebit fideicommissaria. Quæ omnia post Gomezium tom. 1. à cap. 3. & Couarruuiam de Testam. cap. 16. pluribus declarant Molina disp. 182. vsque ad 192. & Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 7. Vide etiam Ius Bauaricum tit. 38. art. 2.

318 Quæritur quintò, quænam sit & dicatur *legitima*, quæ hæredibus necessario instituendis semper salua esse debet.

Respondeo, eam in diuersis prouincijs & Regnis esse variam. Iure tamen communi Cæsareo, authent. nouissima, & auth. *Vnde si pater*, Cod. de inoffic. testam. ita statutum est; vt si testator quatuor, aut pauciores filios habeat, tertia pars bonorum ipsius inter ipsos æqualiter diuidatur; si vero plures sint, quā quatuor, diuidatur dimidium bonorum illius, vt pluribus declarat Molina d. 158. Respectu vero ascendentium, Patris & Matris legitima est tertia pars bonorum, detractis videlicet omnibus alijs debitis & necessarijs impensis, vt docet idem Molina disp. 159. Idem habetur in Iure Bauarico (Landrecht) tit. 36. art. 1. Et infra art. 6 dicitur, nihilominus in ea prouincia validas esse renuntiationes iuratas, quas nobilium filiæ facere solent, post condecentem aliquam portionē siue dotem sibi assignatam. Quæ autem in legitima parte computanda veniant, habetur ibidem art. 10.

319 Quod si hæredes instituti, per legata seu particularia fideicommissa, aut ob donationes causa mortis ipsius Testatoris, ita essent grauati, vt hæreditas quartam partem omnium bonorum testatoris non conficeret, tum rursum licet hæredibus quartam *Falcidiam* ex ijs, seruata proportione detrahere, vt etiam habetur in cit. Iure Bauarico tit. 38. art. 1.

An verò communi iure, simul etiam, & secluſa quarta Falcidia siue Trebellianica, salua esse debeat, quoad descendentes & ascendentes necessarios hæredes, portio legitima, vt quidem eod. Iure Bauar. art. 6. ex parte (quoad filios) dicitur, & consentiunt Couarruuias cap. 16. §. 11. n. 10. in cap. *Raimutius & Raimaldus*, de testam. & Lessius n. 90. disputant Doctores, & videri potest Molina disp. 187. §. *prætermißis*, & disp. 213. An item & quomodo testamentū ob prēteritionē tam descendentiū, quam ascendentiū sit nullum, vide apud eundem Molin. disp. 175.

320 Quæritur sexto, quinam sint Executores testamēti, & ad quid teneantur. Respondetur sequentibus pronunciatis. I. Quando à Testatore nullus constituitur executor, ad hæredes spectat, illud exequi, iuxta cap. 3. & cap. *si hæredes*, de testamentis. In quibusdam tamen casibus, seu debitis, id ad Episcopum spectat, vt persequitur Molina disp. 247. Alioqui standum est voluntate Testatoris.

II. Executores siue Testamentarij esse possunt non solum laici, etiam fœminæ, sed etiam Clerici, & religiosi, obtenta tamen prius à Prælato licentia, iuxta cap. *Religiosus*, de testam. in 6. & Clem. vn. eod. vbi etiam additur, eos teneri ad rationem executionis reddendam Ordinarijs.

III. Designatus executor cogi non potest ad munus obeundum, nisi postquam id semel acceptauit. At si munus respuat, amittit id, quod ipsi in præmium fuerat à Testatore relictum: & potest per Iudicem priuari cæteris etiam legatis siue emolumentis ex testamento prouenturis, excepta legitima portione, iuxta auth. de hæred. & Falcid.

321 IV. Quando multi sunt constituti executores testamenti, si quidam eorum sint mortui, aut alioqui non possint, vel nolint ad testamenti executionem concurrere, cæteri (quibus illorum præmia accrescunt) etiamsi vnus tantum sit, procedere possunt ad executionem, nisi Testator contrarium expresserit, iuxta cap. *Religiosus* de testam. in 6.

V. Non licet executoribus à licita Testatoris voluntate discedere, vel in aliud (etiam melius) commutare; nisi aut interueniente autoritate Pontificis, vel supremi Principis ex iusta & necessaria causa, iuxta Clem. *Quia contingit*, de relig. dom. & Concilium Tridentinum sess. 72. cap. 6. de reformat. aut in casu impossibilitatis, accedente simul autoritate Episcopi, seruata, quantum fieri potest, voluntate Testatoris, vt pluribus docet Molina disputat. 249.

VI. Cura & compulsio, vt testamenta executioni mandentur, communi iure mixti est fori, & 322
spectat tam ad Episcopos, eorumque vicarios, quàm ad seculares Principes & Iudices, iuxta præuentionis ordinem, vt tradit Molina disput. 250. Executores verò (vbi aliud à Testatore non est præscriptum) pia legata, intra sex menses à die insinuationis & notitiæ testamenti; cætera verò saltem intra annum, sub graui pœna exequi tenentur. Imò in foro conscientiæ peccant, quandocunque sine causa executionem differunt. Vide Molinam disp. 251. Atque hæc de Testamentis.

QVÆSTIO VIII.

De Iniustitia; seu vitijs Iustitiæ oppositis.

S. Thomas 2. 2. q. 59. 63. 64. 65. 66. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78.

1 *VNdecim vitia iustitiæ opposita commemorat S. Thomas; nimirum acceptionem personarum, homicidium, mutilationem, furtum, rapinam, contumeliam, detractionem, susurrationem, derisionem, maledictionem, vsuram; de quibus sparsim & interpolatim per plures quæstiones tractat. Nos hanc materiam & quæstionem quinq; dubitationibus absoluemus.* I. *Quid, & quotuplex sit Iniustitia in genere; & quomodo committatur.* II. *De acceptione personarum, vitio Iustitiæ distributiuæ opposito.* III. *De vitijs Iustitiæ commutatiuæ oppositis; ac primum homicidio, mutilatione, verberatione, & incarceratione, quibus damnum corpori infertur.* IV. *De furto, rapinâ & vsuris; quibus damnum bonis fortunæ infertur.* V. *De contumelia, detractione, susurratione, derisione, maledictione, quæ verbo consummantur, & potissimum bonorem ac famam lædunt.*

2 *Cuius distributionis hæc ratio est. Triplex enim est Iustitia, legalis, distributiua, & commutatiua; legalis sicut non habet propriam materiam, in qua versatur, ita etiam Iniustitia eidem opposita vagatur per materiam omnium vitiorum; quæ proinde non habet opus peculiari explicatione. Iustitiæ distributiuæ opponitur acceptio personarum, de qua dub. 2. Iustitiæ commutatiuæ pro varietate iniuriæ, vel damni iniustè illati, varia opponuntur vitia. Quædam enim facto externo consummantur; eaque rursum vel damnum corpori inferunt, de quibus dubio 3. vel bonis fortunæ, de quibus dubio 4. Quædam verbis consummantur, de quibus dubio 5.*

Prætermittuntur autem hoc loco ea vitia, quibus damnum infertur animæ, iuxta dicta quæst. 6. dub. 3. non solum quia nullum peculiare nomen habent; sed etiam quia materiam communem habent vitijs quibusdam, quæ alijs virtutibus opponuntur, vt scandalo, veneficio seu magiæ; è quorum explicatione, adiunctis simul ijs, quæ partim cit. quæstione 6. dub. 3. diximus, partim de vitijs corpori damnum inferentibus dicentur, facilè intelligentur.

DVBIVM

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit Iniustitia in genere; & quomodo committatur.

s. Thom. 2. 2. q. 59. a. 4.

PRo huius rei explicatione, Notandum I. Iniustitiam contrariè opponi iustitiæ, vnde quot modis Iustitia dicitur, totidem etiam accipi potest iniustitia. Omissis verò latissimis illis acceptionibus iustitiæ & iniustitiæ, huc non spectantibus, breuiter dico, iniustitiam pro vitio iustitiæ, vt specialis virtus est, oppositio acceptam, duplicem esse; sicut duplex est iustitia, videlicet iniustitiam legalem seu vniuersalem, & iniustitiam particularem, vt expresse etiam docet Aristoteles 5. Ethic. 1. & S. Thomas hic q. 59. a. 1. qui addit, illam quidem esse speciale vitiũ formaliter & secundum essentiam; generale vero causaliter & secundum materiam; hanc autem tam quoad essentiam, quam quoad materiam, vitium speciale esse, vt suo modo etiam de oppositis virtutibus dictum superius q. 2. dub. 1. & 2. 3

Iniustitia particularis rursum aut iustitiæ commutatiuæ opposita est, ac plurimas sub se species continet, vt homicidium, furtum, detractionem, vsuram &c. iuxta dicta initio huius quæstionis, aut distributiuæ; cui propriè opponitur acceptio personarũ, de quibus singulis vitijs inferius agendum.

Notandum II. Iniustum legale, iuxta Aristotelem 5. Ethic. 1. solum committi, quando quis ita leges violat, vt simul Reipublicæ noceat. Quo fit, vt non omnis violatio seu transgressio legis sit speciale peccatum iniustitiæ legalis, sed illa solum, quæ moraliter rem æstimando, bono communi nocet; idque siue secundum directam intentionem agentis, siue indirectam, vt in simili de scandalo dictum suo loco disp. 2. q. 6. dub. 8. 4

Notandum III. Non omnem, qui facit iniustum, hoc ipso etiam dici iniustum, vt recte docet S. Thomas q. 59. art. 2. ex Aristotele 5. Ethic. 8. quia fieri potest, vt quis ex ignorantia prorsus inuincibili iniustum operetur. Quo casu, materiale solum operantis obiectum, & nullo modo cognitum ac volitum, ipsum operantem non denominat. Accedit, quod sæpe accidit, hominem operari iniustum ex passione, non ex electione & habitu; quod tamen præcipuè attenditur, in virtuosi aut vitiosi denominatione, ex Aristotele 2. Ethic. 4. quanquã hunc actualiter iniustum esse dubitari non potest ex 1. Ioannis 3. v. 7. & 8. *Qui facit iustitiam iustus est: sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat.* 5

Notandum IV. Formaliter proinde iniustum, seu quod idem est, *iniuriam* propriè dictam nullum facere posse nisi volentem (directe vel indirecte;) nec pati nisi aliquo modo nolentem: Secus est de iniusto materiali; hoc enim facere potest aliquis etiam nolens, & pati volens. Quo fit, vt agere & pati iniustum, materialiter semper sint coniuncta; sed formaliter non item, cum vtrumlibet absque altero esse possit. Ita S. Thomas q. 59. a. 3. ex Aristotele 5. Ethic. 9. & 11. 6

Ratio sumitur ex diuersa ratione materialis & formalis iniusti. Hoc enim cum in agente peccatum sit, nunquam est nisi voluntarium. In patiente verò nunquam potest esse vndequaque voluntarium: Tum quia alioquin non esset simpliciter patiens: tum quia alias eo ipso cederet suo iuri. Vnde pronunciatum illud; *volenti non fit iniuria.*

Et quia fieri potest, vt in agente adsit voluntas inferendæ iniuriæ, in patiente verò desit inuoluntarium, vel contra; ideo formaliter iniustum pati & agere non sunt necessario coniuncta. Secus est de materiali iniusto: quod præcisè attenditur ex ipsa rerum inæqualitate secundum se, abstrahendo ab vtriusq;, tam agentis, quam patientis dispositione.

Notandum V. Signanter tamen dictum, *neminem pati iniustum formaliter, nisi aliquo modo nolentem*; quia ad hoc sufficit etiam quædam nolleitas, seu mixtum inuoluntarium, vt patet in soluente vsuras, & pecuniam exhibente latroni, de quo Molina tom. 1. disput. 11. Rursum aliquando adest quidem promptissima voluntas patiendi, casu quo inferatur iniuria; sed non adest voluntas ipsius iniuriæ, seu læsionis iniustæ inferendæ, vt in Christo, & Martyribus accidit: quo casu, quia tales iuri suo non cedunt, dubitandum non est, quin eis verissima iniuria ac formale iniustum irrogetur. Secus est de eo, qui planè vndequaque volens & libens, vel seipsum directa aut indirecta actione occidit, vel occiditur aut mutilatur ab alio; hic enim proprie nullam patitur iniuriam, vt recte docet Valentia hic q. 3. pun. 2. Cedit enim suo qualicunque iuri; quod proprie non nisi in ratione & voluntate habentis fundatur, vt dictum quæst. 1. dub. 4. 7

Notandum VI. Nihilominus ita se occidentes facere vtique iniuriam Deo & Reipublicæ; præterquam quod simul etiam contra se & propriam charitatem grauissimè peccant, vt recte S. Thomas hic q. 59. a. 3. ad 2. ex Aristotele 5. Ethic. 11. Etsi probabilius videtur, non esse peccatum illud, quatenus contra Deum est, moraliter distinctũ ab eo, quod quis committit contra seipsum; cum in omni peccato contingat, hominem, male & contra ius diuinum abuti creaturis Dei, vt diximus tom. 2. disp. 4. q. 1. dub. 2. num. 36. & fusius dicetur tom. 4. de pœnit. 8

Secus existimo de adiuncta læsione Reipublicæ; quandoquidem huic directa quasi actione damnum infertur; idque contra iustitiam legalem, vt supra dictum, non verò contra iustitiam particularem, vt dicemus etiam dub. 4. n. 52. 9

Eodem modo etiam nec parens, nec maritus iniuriam patitur, si ijs planè volentibus filia, aut vxor violetur; quicquid Bannes, Aragonius, & quidam alij hic a. 3. dixerint: nec verò tale peccatum ideo dicitur stuprum, vel adulterium: quia aut illic parenti, aut hic marito iniuria fiat; sed quia illic virginalis integritas; hic vero matrimonij fides ac bonum violatur; quicquid interim sit de hoc, an vera stupri & adulterij ratio in eo ipso propriè & perfectè consistat. Certè stuprum non semper, nec

nec nisi per accidens, iniustitiæ malitiam habere annexam, ex communi tanquam certum supponit Suarez tom. 4. disp. 22. De qua re plura supra q. 6. dub. 5 & disp. 3. q. 3. dub. 6.

10 Notandum VII. Peccatum contra iustitiam esse quidem ex suo genere mortale; attamen excusari à mortali posse, tum per inaduertentiam seu indeliberationem; tum ob paruitatem materiæ, vt recte S. Thomas q. 59. a. 4. & particulatim magis constabit ex sequentibus.

DVBIVM II.

De acceptione personarum, vitio Iustitiæ distributiuæ oppositæ.

S. Thom. 2. 2. q. 63. aa. 4.

11 INter vitia Iustitiæ opposita, primo loco tractatur à S. Thoma acceptio personarum, vtpote iustitiæ distributiuæ contraria; eò quod iustitia legalis propriam materiam non habeat, in qua per se violetur, vt dictum.

ASSERTIO I. Acceptio personarum est peccatum, & quidem ex suo genere mortale. Ita S. Thomas q. 63. a. 1. ex communi. Ratio est. Quia grauiter iustitiæ aduersatur, bona communia non distribuere secundum proportionem dignitatis; sed in eo, cui fit distributio, attendere personam, seu quandam eius conditionem, ob quam hoc, quod ei datur, non sit debitum. Accedunt illa Eccli 42. v. 1. *Ne accipias personam, vt delinquas.* Iacobi 2. v. 9. *Si autem personas accipitis, peccatum operamini.*

12 ASSERTIO II. Acceptio personarum locum non habet in merâ gratuitâ bonorum distributione. Ita cum S. Thoma q. 63. art. 1. ad 3. communis. Probatur ex Matth. 20. v. 13. & 15. *Amice non facio tibi iniuriam, &c. Aut non licet mihi, quod volo, facere?* Ratio est, Quia acceptio personarum, cum sit vitium iustitiæ oppositum, solum habet locum in bonis ex iustitia debitis.

13 ASSERTIO III. Acceptio personarum locum habet, in distributione bonorum spiritualium, seu beneficiorum Ecclesiasticorum; si quando prætermissis dignis, conferuntur indignis; aut dignis, prætermissis dignioribus. Ita S. Thom. q. 63. a. 2. ex cõmuni. Quod intelligi debet iuxta dicta quæst. 6. dub. 1. à n. 18. Quo enim modo reperitur iustitia distributiua in beneficiorum distributione, nempe materialiter, & quoad ipsam formam in distributione seruandam; eodem etiam modo in illa reperitur acceptio personarum.

14 Et vero ex suo genere mortaliter peccare, qui curatum beneficium (nam de Canonicatu, alijsq; simplicibus, aliam rationem esse probabiliter existimat Petrus Nauarrus infrà n. 147.) confert minus digno, prætermisso digniore, significat S. Thomas ad 3. & recte docent Gabriel & Paludanus 4. dist. 15. Maior dist. 24. Adrianus in 4. de Restitut. Sotus 3. de iustitia q. 6. a. 2. Couarruuias super regulã *peccatum* part. 2. §. 7. n. 3. Nauar. c. 17. n. 72. Sylueſter V. *Electio* q. 16. & V. *Acceptio personarũ*, Petrus Nauarrus de Rest l. 2. c. 2. n. 120. Val. q. 7. pun. 2. Salon hic a. 2. & alij communiter. Et colligitur ex cap. *Metropolitano*, dist. 63. & Conc. Triden. sess. 24. c. 1 & 18. de reformatione; idq; etiãsi secluso honore & prouentibus, solum ministeriũ per se spectetur, vt recte Salon cõtra Caietanũ & alios quosdã recentiores docet. Ratio est; quia multũ interest boni cõmunis, vt quam aptissimi & dignissimi ad eiusmodi beneficia cum graui administratione coniuncta promoueantur.

Addit Petr. Nauar. n. 63 contra Sotũ, etiã accipiẽtẽ peccare mortaliter; quod ꝓbabilissimũ videtur, tametsi aliquis dicere posset, operariũ dignũ ab Oeconomo cõductũ, cũ ex officio, aut ratione fidelitatis, non teneatur ꝓcurare dignioré, non ita peccare laborẽ acceptando. Interim communiter fatentur omnes, si quando exiguus excessus est, inter beneficia, vel personarum dignitatem, per se & secluso scandalo, non peccari mortaliter. 15

ASSERTIO IV. Dignitas hæc in ordine ad beneficiũ Ecclesiasticũ, nõ est accipienda à dignitate personæ secundũ se spectatæ; quo modo dignior est ille, qui spiritualibus gratiæ donis magis abundat: sed in ordine ad ꝓcurationẽ boni cõmunis, ad quod bona eiusmodi spiritualia principaliter ordinantur, iuxta illud 1. Cor. 12. v. 7. *Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*, scilicet Ecclesiæ, siue communitatis, cui deseruit. Ita S. Thomas q. 63. a. 2. ex cõmuni. Ratio est; quia beneficia prꝫcipuè distribuuntur tanquam stipendia laborum, pro bono communi, vt dictum est. q. 1. dub. 1. 16

Quo fit vt iuxta eundẽ, ob potentiam, nobilitatẽ vel industriã secularem, aut simílẽ conditionẽ, ad propositũ finẽ magis conducentẽ, aliquis etsi minus sanctus, alteri cuipiã sanctiori quandoq; præferendus sit. Sicut etiã cõmuniter ij, q̃ sunt de gremio Ecclesiæ, alijs præferuntur; idq; licite, & ex præscripto canonũ, can. *Nullus* dist. 61. quicquid Maior dixerit.

Imò probabilissimum est, quod asserunt Sotus citatus & Petrus Nauarrus n. 166. dignum de eadem Ecclesia, præferendum digniori de aliena.

Eadem ratione Prælati aliquando, cæteris paribus, licitè præferunt alijs eos, de quibus maiorem habent confidentiam; licet hoc facere non deberent, si quando viderent, inde *scandalum sequi*, aliosque hoc exemplo permotos, *consanguineos suos, licet indignos, ad beneficia promouere*, vt optime notat S. Thomas cit. a. 2. 17

Eandem ob causam, fieri potest, vt quandoq; doctiori & meliori dari possit beneficiũ minus pingue, & pinguius minus docto & pio; si Ecclesia tenuior, ꝓpter hæreticorũ v. g. cõmixtionẽ, indigeat doctiore & meliore, vt recte cum Adriano docet Valentia.

Denique sunt quidam casus, in quibus sine culpâ confertur beneficium digno, prætermisso digniore, vt cum dignus præsentatur à patrono, ad beneficium simplex, vel etiam ad curatum, (si patronus sit laicus) iuxta Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 18. Item cum quis suum beneficium resignat alteri, vt ex communi vsu, post Caietanum V. *Beneficium*, notat Lessius cap. 34. dub. 13. Item si fundator constituisset, vt si quis ex sua familia idoneus repertus fuerit, ei præ cæteris conferatur beneficiũ, etiamsi curatum sit, vt cum Couarruuia in regulam *Peccatum* part. 2. §. 7. probabiliter asserit idem Lessius cap. 34. dub. 13. apud quem hac de re plura.

ASSERTIO V. Vniuersim in dignitate personarum æstimanda, tria præcipue spectanda sunt. 1. vitæ probitas, ac morum honestas, ex cap. *Cum in cunctis*, de electione & cap. *Graue nimis*, de præben- 18

dis.

dis. II. Sacrorum scientia, prudentiaque ac solertia ad destinatum munus Ecclesiasticum obeundum necessaria, ex citatis, & Concilio Tridentino sess. 22. c. 2. & sess. 24. cap. 12. III. ætas; de qua est peculiaris titulus extra, de ætate, qualitate, & ordine præficiendorum, & agitur in Concilio Tridentino sess. 22. c. 4. & sess. 23. cap. 7. & sess. 24. cap. 12. & pluribus agetur tom. 4 de Ordine.

20 Assertio VI. Acceptio personarum etiam locum habet in honorum distributione. Ita S. Thomas q 63. a. 3. idq; de honoribus publicis, in choro, in Capitulo, in senatu, nemo negat: de priuatis negat Caietanus; asserit Salon, & vt apparet etiam S. Thomas. Sed videtur distinctione res componi posse; nam immediate quidem ac elicitiue honor ad obseruantiam pertinet, imperatiue autem ad iustitiam commutatiuam, si pro loco & tempore alioquin negatus honor velut contumelia deputaretur. Denique secundum formam, quæ in eo deferendo seruanda est, ad iustitiam distributiuam; quia secundum debitum dignitatis ac meritorum ordinem deferendus est.

21 Et quamuis per se virtuti solum debeatur, recte tamen etiam subinde defertur, propter quædam habentia ordinem ad virtutem, vt propter officium, dignitatem, senectutem; imo etiam diuitias, quatenus secundum eas aliqui in Republica digniori loco habentur, magisque per se loquendo iuuare possunt Rempublicam; alias diuitias in honore deferendo per se nude respicere, est acceptio personarum secundum S. Iacobum cap. 2. vers. 3. & 9. Vide Aristotelem 4. Ethic. 3.

22 Assertio VII. Etiam in secularium officiorũ distributione, locum aliquo modo habet personarũ acceptio. Ita Caietanus V. *personarum acceptio*; & colligitur ex dictis. Nam eiusmodi officia non sunt propria bona principis, sicut tributa, sed cõmunia Reipub. quæ ea comisit Principi administranda & conferenda communis vtilitatis causa. Et collat. 2. tit. Vt Iudices sine quoquo suffragio fiant, præcipitur vt personæ, quibus conferuntur officia publica, pro ijs nihil soluant.

Additq; ex communi Lessius lib. 2. c. 32. dub. 3. eos, qui assumunt ad officia secularia (v g. ad officium gubernatoris oppidi, vel arcis, Prætoris, Iudicis, Capitanei, Secretarij, Comissarij, Quæstoris, & similia) ineptos, aut qui male putantur administraturi, peccare mortaliter, & teneri Reipublicæ ad sarcienda damna inde secuta. Quod intellige, nisi ex causa rationabili, aliquod eiusmodi officium per alium idoneum administrandum alicui à principe demandetur.

23 Eadem ex causa venditio eiusmodi officiorum speciem mali habet, & cõmuniter illicita est: tum quia hac ratione facile indignis, aut certe min⁹ dignis conferuntur: tum quia administratio eorundẽ tunc ad propriam vtilitatem potius, quam ad commune bonum refertur; peritq; ea ratione in Repub. studium virtutis ac bonarum disciplinarum, quarũ nullã haberi rationem aduertunt, vt non immerito ea venditio censeatur pestis Rerum publicarum.

24 Nec tamen interim eiusmodi officia dignis diuendere, ita malum est, vt bonis circumstantijs ita præsertim exigente Reip. necessitate, cohonestari non possit, vt pluribus videre est apud S. Thomam opusc. ad Ducissam Brabantiæ, & Sotum lib. 3. de Iustitia q. 6. a. 4. Caietanum V. *officiorum venalitas*, Syluestrum V. *Dignitas*, Salonem hic controuersia 8, Valentiam citatum, Lessium c. 32. dub. 4. Potissimum est, vt simul habeatur ratio dignitatis ac bonæ administrationis.

25 Assertio VIII. Eadem acceptio personarũ etiam locum habet in iudicijs, quatenus debita in ijs forma ac proportio non seruatur. Ita S. Thomas a. 4. & patet Leuitici 19. v. 15. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuste iudica proximo tuo.* Et Prouerb. 18. v. 5. *Accipere personam impij, non est bonum, vt declines à veritate iudicij.* Sed nota cum Caietano ibidem, iudicia proprie ad iustitiam distributiuam non spectare, sed tantum formam quandam iustitiæ distributiuæ in hoc consistentem, quod tam actori, quam Reo, id quod vtriq; conuenit ac proportionatũ est, tribuitur: siue hoc oriatur ex commutatione, siue ex distributione, vt loquitur Caietanus. Plura de Iustitia distributiua, vt & de iustitia iudicis, suo loco q. 2. dub. 4. & q. 4. dub. 1. & seqq. De restitutione autẽ faciẽda ob violatã Iustitiã distributiuã in beneficiorũ aliorũq; bonorũ cõmuniũ collatione faciẽda egim⁹ q. 6. dub. 1.

DVBIVM III.

De vitijs Iustitiæ commutatiuæ oppositis, quibus damnum corpori infertur; ac primum de homicidio: vtrum liceat occidere bruta animantia; improbos; tyrannos; adulterum cum vxore aut filia deprehensum; aut seipsum.

S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 1. 2. 3. 4. 5.

INter hæc vitia potissimum est homicidiũ; cuius tamen tractationem quia prolixior est, & plures difficultates cõplectitur, in plura dubia partiemur. 26
Quæritur I. Vtrum quæcunque viuentia occidere illicitum sit?

Assertio S. Thomæ q. 64. a. 1. est negatiua contra Manichæos apud Augustinũ 1. de ciuit. c. 20. & l. 6. contra Faustum c. 6. Ratio est: tum quia hoc nullo iure prohibitũ: tum quia ea cæde nulli fit iniuria; & vtitur homo iure suo ac dominio naturali, quod in bruta animantia accepit, vt diximus q. 1. dub. 4.

Recte tamen notat Lessius c. 9. dub. 1. alienum esse à suauitate diuini spiritus, adeoq; peccatum saltem veniale, animantia sine causa dolorib⁹ conficere, vt colligitur ex cura, quã his etiam de rebus habuit Deus, Exodi 23. Deut. 22. & 25. Prou. 12. Ionæ vltimo. Nec frustra est, quod à prudentibus & expertis audiui, Deum subinde talia crudelitatis genera grauibus pœnis in hac vita vindicare; vt cum Patrum memoria, quodam loco, ex sola petulantia ab incondita plebe bos viuus excoriatus fuit, qui deinde per totum oppidum libere discurrere permissus fuit. Sensim enim deinceps felicitas & florentissimus eiusdem oppidi status degenerare varijsq; miserijs affligi cœpit, &c. Est enim hic abusus quidam

potestatis herilis & dominij, qui proinde iure à Deo quandoque in hominibus consimili pœna vindicatur, cum homines multo magis subiecti sint Deo, quam bruta hominibus.

27 Quæritur II. Vtrum liceat malefactores Reipub. pernitiosos iusta authoritate occidere. Respondeo S. Thomæ q. 64. a. 2. est affirmatiua seruatis debitis circũstantijs; quia pars noxia ob totius salutem, ad quam ex sua natura pars ordinatur, licite tollitur; sicut & vegetantia & sentientia, ob ratiocinantia. Accedit aperta authoritas scripturæ noui & veteris testamenti, præcipue illud Rom. 13. v. 4. *Si autẽ malũ feceris, time: nõ enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est; vindex in iram ei qui male agit.*

Contrarium indicat Lactantius lib. 6. diuinarum Institutionũ. & clarius docuerunt Waldenses & Anabaptistę huius tẽporis, refutati à Bellarmino lib. 3. de membris Ecclesiæ militantis cap. 2.

28 Cæterũ Scotus 4. dist. 15 q. 3. a. 2. negans fures, aliosq; malefactores, de quib⁹ id in veteri lege expressum non est, v.g. Exodi 22. & alibi, licite occidi, ob præceptum Dei Exod. 20. & Matth. 5. *non occides* &c. communi sensu Doctorum ac prudentũ, & cõmuni praxi omnium Rerum publicarum satis refutatur; nec habet rationem. Vetus enim lex iudicialis ad Christianos nil pertinet, & ipsa tranquillitas ac publica pax Reipub. incolumitasque ciuium, quæ per furta turbatur, seueriorem eiusmodi punitionẽ exigit: esto per se alioqui ob bonum inferius, vti sunt bona temporalia, bonũ excellentius, vti est humana vita, auferri nõ possit. In Decalogo vero solum prohibetur homicidium suapte natura iniustum, & cũ recta ratione pugnans, hoc est, priuata authoritate factum, extra maleficium, aut non seruato iuris ordine &c. iuxta S. Thomam 1. 2. q. 100. a. 8. Vide Augustinum lib. 1. de ciuit. cap. 21.

29 Quæritur III. Vtrum priuatis liceat occidere improbos homines?

Respõdet S. Thomas q. 64. a. 3. negatiue, loquẽdo videlicet de occisione ad punitionem, secus ob defensionem propriam. Ratio est. Quia occisio talis ordinatur ad bonũ totius Cõmunitatis; sed procuratio huius boni non pertinet nisi ad Principem, seu Magistratũ: Ergo. &c. Idem docet Augustin⁹ lib. 22. contra Faustum; & colligitur ex Matth. 26. v. 52. *Qui acceperit gladium, gladio peribunt.* Et ad Romanos 13. solis Principibus ius gladij conceditur.

30 Sed speciatim dubitatur I. An liceat priuatis occidere tyrannũ? Affirmat vniuersim quidam Ioannes Paruus, seu Parui, vel Pari, apud Alphonsum de Castro V. *Tyrannus.* Eandem sententiam audacter secutus est Theodorus Beza Caluinista, in varijs opusculis. Negat vniuersim Castro loc. cit. idq; tanquã fidei dogma tradit; eo quod in Constantiẽsi Concilio sess. 15. affirmatiua sententia tanquam in fide erronea damnata reperiatur.

31 Alij distinguũt; nam tyrannũ quoad subst̃atiam, qui videlicet ius primum regendi iniuste ac inuita Republica inuadit, ex interpretatiua sententia Reipublicæ (nisi in particulari casu aliud constet) vbi nõ est recursus ad superiorem, nec maius inde malũ timetur, licite occidi aiunt; at tyrannũ quoad modũ, siue in sola administratione regiminis iam antea iuste obtenti, non item. Ita docẽt Caietanus, Salon, Bannes, Aragonius hic q. 64. a. 3. Sotus lib. 4. de iustitia q. 1. a. 3. Pet. Nauarrus lib. 2. de restitut c. 3. n. 314. Valentia q. 8 p. 3. Lessius lib. 2. c. 9. dub. 3. Et est cõmunis Recentiorũ; quam expresse etiã tradit S. Thomas 2. sentent. dist. 44. q. 2. a. 2. ad 5. vbi ait: *Tullius loquitur in eo casu, quando aliquis dominium sibi per violentiam surripuit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactus; & quando non est recursus ad superiorem, per quẽ iudicium de inuasore fieri possit: tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.* Ita S. Thomas.

Assertio I. Tyrannum solum quoad modũ regendi seu administrationẽ, quamdiu sua potestate legitime non exuitur, occidere priuatis non licet. 32
Probatur tum ex 1. Pet. 2. v. 18 *Serui* (eadem est ratio omnium subditorum) *subditis estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Tum ex Concilio Constantiensi loc. cit. cuius damnatio sine controuersia ad huiusmodi tyranni occisionem spectat. Cum enim relatus fuisset hic articulus; *Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi, per quẽcunq; vasallum suum vel subditũ* (est ergo sermo solum de tyranno quoad administrationem) *etiam per clanculares insidias & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunq; præstito iuramẽto, seu confœderatione, fact̃a cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cuiuscunq;*, subiungitur: *Aduersus hũc errorem satagens hæc sancta synodus exurgere, & ipsum funditus tollere, declarat & definit, huiusmodi doctrinam erroneam esse in fide & in moribus, ipsamq; tanquã hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria vias dantem, reprobat & condẽnat. Declarat insuper & decernit, quod pertinaciter doctrinam hanc pernitiosissimam asserentes sunt hæretici, & tanquã tales iuxta Canonicas sanctiones puniendi.* Ita Concilium. Et quamuis in ea propositione plures etiã alij errores admiscentur, propter quos merito damnatur, satis tamen apparet, etiam ob ipsam per se probatam occisionem tyranni quoad administrationẽ damnari, vtpote causam *proditionũ*, &c. Ratio assertionis est. Quia isti sunt & manent legitimi domini, permittente ipsa Republica; ac proinde non est voluntas Reipublicæ, vt à quoquam occidantur. Accedit, quod alias facile cædibus omnia repleri possent; præsertim si res tanta iudicio subditorum & inconditæ plebis relinqueretur.

Assertio II. Licet tamen nõ solum priua- 33
tis iniuste inuasis, per se loquendo, cũ moderamine inculpatæ tutelæ, se contra vim iniustam tueri, habita inprimis ratione boni communis & publicæ tranquillitatis, secundum ordinem charitatis; sed etiam ipsi Reipublicæ publicis Comitijs, aut communi cõsilio & autoritate iniustam vim cõpescere; & si adeo manifesta & intolerabilis sit tyrannis, quæ alia ratione non videatur posse depelli, etiam tyrannum à sua potestate deponere, & depositum pro meritis multare. Ita Couarruuias practicarũ quæstionum c. 1. n. 6. Molin. tom. 1. disp. 26. Lessius loc. citato, post Caietanum, Sotum; quicquid vniuersim Barclaius vterq; olim in suis libris de potestate Regis dixerint.

Ratio est. Tum quia Respublica, vti in Principẽ suam potestatem contulit; ita ab eodem potest ex iusta causa auferre. Tum quia quæq; Respublica

habet

habet potestatem sibi prospiciendi de legitimo capite; quale non est hic, qui ex pastore populi in lupum degenerauit: Quæ ratio procedit, etiamsi initio princeps iure belli principatum vel regnum acquisierit; modo sit perfecta communitas, quæ superiorem non habet.

34 Assertio III. Tyrannus qnoad substantiam à quolibet oppressæ Reipublicæ ciue licite occiditur, his circumstantijs concurrentibus. I. vt notoria sit inuasoris iniustitia; quod supponunt omnes, quia in dubio nemo debet damnari, vel puniri.

II. Vt non pateat ad superiorē recursus, vt aperte notarunt S. Thomas, Valentia, & Lessius citati, siue quia neuter, nec tyrannus scilicet, nec Respublica, in ciuili administratione superiorē habet; siue quia publica Iustitiæ administratio à superiore præstari vel obtineri non potest; aut certe præsens necessitas non fert, vt ab eo postuletur: alias enim omnino ordinaria via iustitiæ administrandæ seruanda est, vt etiam de bello dictum disp. 2. q. 6. dub. 3.

35 III. Vt manifeste constet, eam esse oppressæ Reipublicæ voluntatem; contra quam licite non occidi talem tyrannum recte notat Lessius n. 9. Ratio est. Quia Respublica potest iuri suo cedere, & suā oppressionem, seu potius liberationem vitæ tyranni postponere.

Nec vero, quando passim ciues optant illum sublatū, aut etiam non constat de contraria voluntate, statim existimandum est, eam esse Reipublicæ voluntatē, vt putauit Lessius. Tum quia alia potest esse Principis, aut optimatū, seu totius concilij sententia, vt patet exemplo Dauidis, contra Absalonē. Tum quia fieri potest, vt Respublica non absolute detrectet, sed solū sub conditione, nisi se ad certas conditiones adstringat. Tum deniq; quia fieri potest, vt plurimū aut ipsius Reipublicæ, aut etiā boni communis intersit, ne talis occidatur.

36 IV. Vt non timeantur inde maiora mala, vel ipsi Reipublicæ oppressæ, vel reliquo Christiano orbi, seruato in omnibus debito charitatis ordine.

V. Vt non fuerit iam ipsi Tyranno fidelitas iurata à Republica, tunc enim ipsa tenetur seruare præstitum iuramentum ex cap. *Verum*, de iureiurando, ex communi, apud Valentiam & Lessium; nisi aliunde iuste relaxetur. Secus est, si promissio fuerit simplex, eademque iniusto metu extorta, vt notat S. Thomas citatus.

37 Atq; hoc modo limitatā veram existimo tertiā sententiam. Ratio est. Tum quod per se loquendo, quisq; potest innocentem iniuste oppressum, saltem si id cupiat, ab iniusta vi liberare. Tum quia Respublica in hoc casu habet ius iusti belli etiam vindicatiui contra talem tyrannum: Ergo potest, si aliud non obstet, per quemlibet etiam priuatum se contra talem inuasorem vindicare, etiam occidendo, si res ita exigat.

Vnde & Lessius ait, iure defensionis posse occidi etiam ab eo, qui non est pars Reipublicę oppressæ; iure autē vindictæ, non nisi ab eo, qui ad hoc est authorat⁹ vt miles; quia vindicta requirit authoritatē.

38 Neq; vero huic assertioni aduersatur Concilium Constantiense, sess. 15. dum articulum superius relatum damnat: *Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcunq; vasallum, &c.* Ea enim propositio vti merito damnata est, ita multos apertos errores à nostra sententia prorsus alienos continet. I. dum indistincte loquitur de quolibet tyranno; imo verò potius aperte etiam de tyranno solum quoad modum agit, dum eum à subditis, aut vasallis occidi posse concedit. II. Dum etiam debere, non solum occidi posse asserit, cum tamen pleriq; etiam cum alioquin id possunt, à debito excusentur ob difficultatem & periculum operis. III. Cum id etiam faciendum asserit, non solum contra promissionem, sed etiam contra iuramentum præstitum. IV. Dum excludit recursum ad iudicē & superiorē.

Ex dictis porro colligi etiam potest, an talis tyrannus quoad substantiā, publica solū, an etiā priuata 39
authoritate licite occidatur; de qua re non eodem modo oñes loquūtur. Bañes hic a. 3. asserit, eum nō solū publica, sed etiā priuata authoritate licite occidi. Aragonius, nonnisi publica authoritate licite posse occidi affirmat; quod verius videtur.

Ratio est: quia etiamsi quidem alioquin liceat innocentem, etiam priuata authoritate, cum moderamine inculpatæ tutelæ, defendere, occidendo quoque, si opus sit, iniustum inuasorem: tamen quando vis aliqua in dominio procurando adhibita, ideo præcise iniusta est, quia vim inferens à publica potestate pro Domino non agnoscitur, cum alioquin posset, si vellet Respublica eum pro Domino acceptare: certe qui iure etiam defensionis eiusmodi tyrannum occidit, ideo solum iure occidit, quod Respublica authoritate publica vult & statuit, tyranno quæsitam potestatem non esse concedendam.

Dubitatur II. Vtrum in conscientia liceat Parenti filiam adulteram, vna cum adultero; aut marito, 40
non quidem vxorem, (hoc enim omnes fatentur illicitum) sed tamen adulterum, si vilis sit persona, iuxta leges ciuiles occidere.

Assertio I. Mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur, si quis in flagranti crimine non deprehensos occidat. Ita omnes. Constat ex l. 23. ff de adulterijs; & ratione naturali; quia eo casu nulla ei facultas occidendi conceditur.

Assertio II. In flagranti crimine deprehensi (sub certis tamen conditionibus, si sint in ædibus Parentis, aut mariti) in foro externo impune occiduntur; at in foro interno peccat mortaliter, & verum homicidiū committit occisor. Ita Ioannes Medina C. de restit. Petrus Nauarrus l. 2. c. 3. à n. 220. Sotus, Salon, Valentia, Aragonius, Bannes citati, Lessius cap. 9. dub. 3. Probatur vtrumq; ex cap. *Inter hæc*, causa 33. q. 2. Nam Ius ciuile tolerat quidē crimen hoc, sicut etiam alia plura, v. g. meretriciū, vsurarium, &c. vt videre est l. 20. 22. & 23. ff de adulteris, & C. eodem tit. l. Grauibus; sed non approbat: aut si approbat, eidem per Canones merito est derogatum; consentiente etiam Augustino lib. 2. de adulterinis coniugibus cap. 15.

Ratio est; Quia hic modus procedendi non est 41
rectę rationi consentaneus: & tales rei exponuntur manifesto periculo æternæ damnationis sine sufficiente causa. Vnde colliges, in foro conscientiæ occisores istiusmodi ad restitutionem teneri vt veros homicidas. Nec admitto, quod ait Lessius, contrariam sententiam, quam tuentur Iulius

Clarus lib. 5. sententiarum § *homicidium*, à n. 48. & quidam alij recentiores, videri posse non improbabilem.

42 ASSERTIO III. Si tamen Iudex, sententia iure lata, marito adulterum, & vxorem adulteram occidendos tradat, tum ab eo licitè occiduntur, tanquam à publicæ iustitiæ ministro; modo absit priuatę vindictę cupiditas. Ita citati; q̃d̃q̃ nonnulli dixerint. Ratio est; quia tali casu occisor perinde est publicæ iustitiæ minister, ac alius à Iudice constitutus. Nec obstat, quod nihilominus maritus, si vult, possit eis vitam condonare; idipsum enim iure facit, vtpote Iudicis quasi decreto concessum.

Idem de filia dicendum: nam etsi olim Patri filiam in crimine deprehensam in externo foro occidere permissum fuerit, vt patet l. *Patri*, & l. *Neq; in ea*, ff. Ad l. Iuliam de adulteris: hoc tamen tempore id non licere, ob earum legum antiquationem, nisi per sententiam Iudicis ei tradatur occidenda, rectè tradunt Sotus & alij citati.

43 Dubitatur III. An, & quo modo decreto Magistratus omnibus promiscuè fieri possit copia occidendi inuentos noxios.

Respondetur, si id ob calliditatem, potentiam, aut nequitiam malefactorum postulet bonũ commune, licitum esse; merito enim priuato bono præponitur publicum. Secus, si alia ratione damna à Communitate satis auerti possint; tunc enim nec expedit, nec licet ex improuiso, & non seruato iuris ordine, nocentes occidendos tradere. Ita docens citati. Ratio est; Tum ne priuatis affectibus frænum laxetur. Tum ne contra Christianam charitatem omnibus debitam, spiritualis nocentium salus negligatur.

44 Quæritur IV. Vtrum occidere malefactores liceat Clericis.

Responsio S. Thomæ quæst. 64. art. 4. & communis est negatiua. Patet ex cap. *Neminem* dist. 45. cap. *Clericis*, cap. *Sententiam*, Ne Clerici vel Monachi Congruentias vide apud S. Thomã. Potissima est: quia decet eos, velut ministros Christi, peculiari cura mansuetudinem Christi imitari. Et quidem Clerici in maioribus, citra priuilegium, per se exercentes iudicium mortis, peccant mortaliter: in minoribus, saltem venialiter, iuxta Salonem, Sotum, &c. & alios: & fiunt irregulares, vt pluribus tomo 4. de Irregularit. dicitur.

45 Quæritur V. Vtrum liceat alicui seipsum occidere.

Responsio S. Thomæ quæst. 64. art. 5. & communis est negatiua; quam generatim loquendo de fide certam esse tradit Alphonsus à Castro V. *Martyrium*; & significat Augustinus de hæresibus hæresi 69. & lib. 1. de ciuit. cap. 17. & 18. Ratio est. Tum quia priuata authoritate, & secluso defensionis titulo, qui in proposito locum non habet, hominem occidere malum est. Tum quia tam natura, quam recta ratio ab hoc penitus abhorret; & omnis actio agentis ex sua natura ordinari debet ad perfectionem, non destructionem agentis. Idem patet ex can. *Si non licet*, & can. *Non est nostrum*, causa 23. q 5. Nec rectè Couuarruuias lib. 1. variarum cap. 2. n. 9. Hieronymum de cõtraria sentẽtia notat.

Sed speciatim dubitatur primò, vtrum hoc ita sit illicitum, vt nullo casu fieri possit licitum. Respondetur, distinguendum esse inter occisionem sui positiuam, & directam, qua nimirum aliquis circa seipsum positiuam actionem exercet, per se & directè sui occisiuam; & inter occisionem sui indirectam, qua quis solum abstinet à conseruatoine sui. Primum quidem nullo casu licitum esse, nisi mandante Deo, communis habet sententia; ob rationem superius adductam, qua fit, vt talis occisio aduersetur negatiuo præcepto: quicquid de Reo ad sui iugulationem damnato dixerit Corduba lib. 1. q. 36. eiusque sententiam probabilem censeat Victoria relect. de homicidio n. 30. & ferè Lessius cap. 9. n. 25. 46

Alterum verò, cum absque causa rationabili accidit, non minus illicitum est, quam prius: attamen ex causa, cui secundum ordinem charitatis meritò postponatur vita, illicitum non est, vt ex communi, Salon, Bannes, Aragonius hic q. 64. a. 5. Valentia q. 8. pun. 2. Vasquez 1. 2. disp. 173. n. 39. & significat S. Thomas ad 2. Ratio est. Quia vitæ conseruatio solum cadit sub præceptum affirmatiuum; quod non pro omni tempore obligat. Vide Augustinum lib. 1. de Ciuit. cap. 26. 47

Ex quibus etiam faciendum est iudicium decorporis asperitatibus, quibus sanitas lædi potest. Omninò enim in his discretio adhibenda, iuxta S. Paulum ad Rom. 12. v. 1. *Rationabile obsequium vestrum*. Et 1. ad Timoth. 5. v. 23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Sed nec propterea quis ad delicatiora & pretiosiora quælibet, etsi salubriora vitæ producendæ media tenetur: nec omninò in Religionibus approbatis, quidquam in hoc genere culpandum: vti speciatim de abstinẽtia carnium in ordine Carthusiano communiter omnes docent: vel quia esus carnium per se nunquam est absolutè necessarius ad vitam conseruandam & prorogandam, non obstante vllo morbo: tum quia ad salutem spiritualem totius ordinis interest, in ea lege non fieri laxationem; cui vnius hominis vita merito postponitur. Vide Gersonem de abstinentia Carthusianorum, Petrum Nauarrum loco cit. Couarruuiam 1. Variarum capit. 2. num. 10. 48

Dubitatur secundò; An iustè damnatus ad haustum veneni possit bibere. Asserunt Aragonius hic articulo 5. Victoria relect. de homicidio num. 30. & Sa V. *Reus*: non solum quia Iudex ea in re Dei vices agere videtur; sed etiam quia haustus ille non est actio per se & directè occisiua; sed applicatio tantum agentis, quod propria & peculiari sua actione occidat, nisi rursum depellatur; posset enim venenum haustum adhuc expelli per medicamenta. Alij negant; eo quod hoc tantundem sit, ac in mare certissimo periturum se proijcere; vel in ignem insilire; vel ædificium, quo quis certissimo opprimatur, deijcere: quod tamen Sanctus Thomas hic art. 5. cum Augustino lib. 1. de ciuit. cap. 26. non aliter quam per occultum Dei instinctum excusat. Ita Lessius, & quidam alij, apud eundem. 49

Ego

50 Ego neutram sententiam damnarim; cum ipse etiam Lessius n. 32. ex quotidiano vsu militum, & communi Recentiorum sententia, tanquam indubitatum tradat, posse aliquem injicere ignem in puluerem tormentarium ad euertendam turrim hostilem, etsi certum sit, se momento dissipandum. Et rationem addit, quod quis ita se propriè non interimat, sed ignis iniectus, vel turris ruina; quibus se ob iustam causam exponat, non secus ac is, qui se obijcit telo, vt corpus principis saluet. Additq; ad eundem modum excusari non solum Eleazarum lib. 2. Machab. 6. sed etiam Sampsonē Iudic. 6, iuxta Ambrosium lib. 1. Officior. cap. 40. Caietanum in eundem locum. Lopez 1. part cap. 65. licet Augustinus lib. 1. ciuit. cap. 21. quoad Sampsonem, solum ad peculiarem Dei inspirationem confugiat.

51 Eadem ratione dicit, excusari posse, qui ad euadendum certissimum ab hoste interitum, in nauali pugnâ, nauibus crematis, se mari committunt, quique ad incendium euadendum, è sublimi se per fenestras demittunt. Quæ cum ita sint, non video, cur ita intrinsecè malum sit, venenum Iudicis sententiâ præscriptum haurire.

Hoc tamen interim certum, reum sententiam mortis in seipso exequi non teneri; quicquid de hausto veneni dixerit Victoria citatus. Idem docui supra q. 4 dub. 5. Raziam excusare nititur quidem Lyranus: sed rectius culpat S. Thomas a. 5. ad 5.

52 An autem, & quo modo sui occisio aduersetur iustitiæ, suprà dub. 1. ex parte dictum. Particulari iustitiæ, tum erga Deum, tum erga Rempublicam aduersari, docent Salon, Aragonius, Bannes; & videtur significare S. Thomas hic a. 5. Sed quod ad Rempublicam attinet, probabilius videtur, aduersari iustitiæ solum legali, vt docent Petrus Nauarrus n. 24. Suarez opusc. 6. sect. 2. n. 11. & significat Lessius cap. 9. dub. 6. quia vita non est res communitatis; nec eius curæ propriè commissa, velut depositum; & si esset, tamen ex voluntate deponentis auferri posset, absque violatione iustitiæ commutatiuæ.

DVBIVM IV.

Vtrum liceat quandoq; interficere innocentem; procurare abortum; occidere inuasorem, corporis, honoris, bonorum.

S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 6. & 7.

53 QVæritur I. Vtrum liceat in aliquo casu interficere innocentem.

Responsio S. Thomæ q. 64. a. 6. & communis, est negatiua; loquendo nimirum per se, & de occisione directâ: nisi vel Deus speciali id reuelatione iubeat; aut legitimè probatus sit quispiam nocens: de quo quæst. 3. dub. 5. Quia siue talis spectetur vt homo, siue vt innocens, vtraque ratione vita eius amanda est, non tollenda. Per accidens tamen & indirectè licitè nonnunquam occidi innocentes, dictum est de bello, disp. 2. q. 6. dub. 5.

Sed speciatim dubitatur primò; An saltem liceat occidere innocentem, ad postulationem tyranni, qui totam alioquin Rempublicam vastaturus est?

Assertio I. Potest eiusmodi innocens, imo etiam debet semetipsum, tyranno id postulante, pro salute patriæ, quæ alia ratione salua esse non possit, tradere. Ita communis. Et constat ex dictis disp. 2. quæst. 3. dub. 4. de ordine charitatis; non solum quia tenetur quisque pro bono communi Reipub. etiam temporali mortem oppetere: sed etiam, quia alias hoc ipso talis incipit esse pernitiosus ciuis, & causa moralis interitus ipsius Reipub. 54

Assertio II. Hoc ipsum etiam ei à Republica præcipi, imò ad hoc cogi potest; adeoque si obtemperare nolit, vel inuitus tyranno tradi. Ita Salon & Bannes q. 64. art. 6. Valentia q. 8. punct. 2. quæstiunc. 3. etsi contrarium sentiant Sotus lib. 5. de Iust. q. 6. a. 7. & Aragonius hic a. 6. quorum sententiam probabilem censet Valentia. Sed reuera non apparet ratio: quia Respublica ad quoduis debitum, & sibi necessarium virtutis officium cogere potest subditum ciuem.

Assertio III. Potest talis, si contumaciter repugnet, etiam ab ipsa Republica occidi. Ita Bannes loc. cit. & fauet Petrus Nauarrus cap. 3. à num. 119. Probatur. Quia talis reuera non est amplius innocens, sed maximè nocens: etsi contrarium sentiant cæteri citati omnes; idque Aragonius tanquam certum supponat: sed sine firmo fundamento; nisi fortè loquantur in casu, quo Reipublicæ nondum innotuit illa ciuis contumacia. 55

Dubitatur secundò; An liceat occidere innocentem ei, qui cum iniusto aggressore pugnans, mortem aliter euadere non potest. 56

Assertio I. Non licet per se & directè occidere innocentem; ita vt actio talis nullum alium per se terminum habeat, quam læsionem seu occisionem innocentis: qualis esset, si petente aggressore, ense, vel sclopo traijciatur innocens. Supponunt hoc omnes; & patet Exod. 23. v. 7. *Insontem & iustum non occides: quia auersor impium.* Ratio est; quia nullus titulus suppetit ad eum occidendum, ex dictis n. 53.

Assertio II. Licet per accidens tamen, eo casu innocentem occidere, ita vt separatim non occidatur innocens; nec circa ipsum per se directe & immediatè exerceatur actio occisiua, sed circa inuasorem. Vt v. g. si ictum ad defensionem necessarium aggressori impingere non possis, nisi per accidens simul lædas innocentem. Ita Caietanus q. 67. art. 2. Petrus Nauarrus n. 149. cum Corduba, Bannes hic art. 6 Lessius cap. 9. dub 9. Et videtur communis. Ratio est. Quia iure suo vtens, nulli facit iniuriam. 57

An verò liceat quandoque innocentem etiam separatim occidere, tali nimirum actione, quæ per se solum innocentem lædat, mihi dubium est, vt v. g. si quis alioquin certissimè ab insequente hoste perimendus sit, nisi mox, concitato equo, iacentem in via infantem, aut debilem, quem saltu transilire vel declinare non possit, conculcet? Affirmant Corduba lib. 1 q. 38. dub. 2. Lessius cap. 9. dub. 9. Et generatim docere videtur Caietanus citatus. Negant Aragonius hic a. 6. & Petrus Nauarrus num. 135. Vasquez 1, 2. disp. 174. cap. 2. Satis probabiliter vtrique: & pro sententia negatiua faciunt dicta num. 56.

Pro sententia affirmatiua facit; quod simili ratione sumere licet potionem ad calefaciendum necessariam; etiamsi inde per accidens sequatur ebrietas, vel pollutio: vt rectè, & ex cõmuni docẽt Bañes a 7. Vasquez loc. cit. Certè si vel minima spes sit, infantem saluum equo traijciendi, id illicitum non erit.

Hoc tamen etiam in simili casu videndum, cuius ius sit potius; nam cæteris paribus, in naufragio non licet tabulam eripere ei, qui prior occupauit; quia tunc melior est conditio possidentis. Obseruandus etiam in his ordo charitatis; nam si infans v. g. in via iacens, baptizatus non sit, cum tamẽ alioquin noris, eum baptizandum fore, nõ potest vitæ tuendæ causa, vllatenus proculcari, vt omnes consentiunt, iuxta dicta de ordine charit. loc. cit.

58 Dubitatur tertio; An liceat prægnanti ad defensionem suæ vitæ, procurare abortum.

Suppono ad occultãdum flagitium, vel ob similem causam, id esse prorsus illicitum, vt fatentur omnes; & patet ex cap. *Si aliquis*, de homicidio, vt recentiores Extrauagãtes Pontificum taceam. Quod ergo ad præsentem quæstionem spectat, distinguẽdũ est. Dupliciter enim causari potest abortus: primò directè & per se; cũ videlicet actio eo per se & directè tendit, vt perimatur, vel eijciatur intẽpestiuè fœtus. Secundò indirectè; cum v. g. venæ sectio, vel alia medicamenta sanitati procurandæ necessaria adhibentur, vnde per accidens sequatur abortus.

59 Assertio I. Directè procurare abortum si fœtus sit animatus, aut hoc ipsum dubium sit, nullo casu licitum est. Ita ex cõmuni Sylvester V. *Medicus* q. 4. Nauarrus man. c. 25. n. 62. Pet. Nauarr. n. 135. Sa V. *Homicidium*. Aragonius hic q. 64. a. 6. Ratio est. Quia sic directè occiditur innocens; tali videlicet actione, quæ nullum alium immediatè scopũ, vel vsum habet.

Animatur autem (anima rationali) fœtus communiter, si mas sit, circa diem 40. fœmina circa 80. vt ex recepta glossa in summario quintæ distinctionis docẽt Couarruuias relect. de homicidio 2. part. §. 3. n. 1. Sa, & alij communiter, consentiente etiam Aristotele lib. 7. de animalibus cap. 3. nisi quod fœminam circa 90. diem primum moueri, seu animari tradit: in dubio verò præsumendum est, esse marem.

Lessius tamen dub. 10. recedens à communi sententia, cum medicis docet, tam masculum, quam fœminam animari simul atq; fœtus formatus est; & illum quidem intra dies 30. hanc verò intra 42. Mihi placet Aristotelis dictum cit. loco; nihil in hac re certum affirmari posse: ac proinde in praxi cum dubitatur, eligendum quod tutius est.

60 Assertio II. Spectatis principijs hactenus cognitis, non videtur illicitum, ob salutem matris certò alioquin morituræ, directè abortum procurare, si fœtus nondum sit animatus. Ita Sylvester V. *Medicus* 3. Fumus V. *Abortus* num. 2. Nauarrus Manual. cap. 25. num. 62. Couarruuias, male à quibusdam in contrarium citatus, relect. de homicidio 2. part. §. 3. num. 1. sub finem; post Antoninum 3. part. tit. 7. cap. 2. §. 2. & alios. Idem indicat Sa citatus; & apertè etiam docent Henriquez lib. 11. cap. 16. num. 8. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 20. num. 9. & 10. etsi contrarium asserant Azor tom. 2. lib. 2. cap. 27. quæst. 5. Lessius lib. 2. cap. 9. num 61. & Petrus Nauarrus num. 140. qui non rectè dicit, eam esse omnium confessionem.

Ratio assertionis est. Quia tunc ex vna parte nemo occiditur; ex altera verò mater innocens, ex fœtu ægra decumbens, à morte liberatur: nec videtur intrinsecè malum, nociuam materiam nulli vsui futuram, nec iuxta naturæ institutionem, aliter, quam solitario modo expellendam, medicamento expellere. Alia ratio est pollutionis, vt dictum disp. 3. q. 3. dub. 6. Contraria verò decreta, vt cap. *Si aliquis*; item lex, *Si aliquis* 38. ff. de pœnis, intelligi debent, extra causam eiusmodi iustam. 61

Assertio III. Si tam infans ob procurationem abortus, quam mater ob eius omissionem, solum de corporali vita periclitentur; ita vt satis constet, infantem nihil ominus aut viuum peruenturum ad baptismi susceptionem, priusquam moriatur; aut alias etiam non peruenturum, quamuis medicina non adhibeatur; poterit etiam dari medicina saluti matris necessaria, ex qua per accidens sequatur ipsius fœtus interitus. Ita cum Antonino, Syluester, Nauarrus, Couarruuias, Sa, Petrus Nauarrus, Lessius, Aragonius citati. Ratio est. Tum quia vitam cum vita præcise comparando, antiquius ac proinde potius est ius matris; quæ dum iure suo vtitur, nullam infanti façit iniuriam. Tum quia alioquin hoc casu communiter tam infans, quam mater perit. 62

Assertio IV. Quod si verò infans ob eam causam simul etiam iacturam salutis animæ facturus videatur, non potest ob matris corporalem salutem, ne per accidens quidem interimi; cum mater hoc casu teneatur pro salute spirituali infantis, in extrema necessitate constituti, ponere vitam; vt docent citati omnes. Etsi Lessius in contrarium citet Cordubam & Lopez. Ratio sumitur ex ordine charitatis, de quo disp. 2. q. 3. dub 4. 63

Quæritur II. Vtrum liceat alicui occidere aliquem, se defendendo. Tria asserit S. Thomas q. 64. a. 7. I. Nunquam licere occidere corporis inuasorem, si absque eius nece propria vita conseruari possit: quod certum est, & apud omnes receptum: quia tunc locum non habet iustæ ac necessariæ defensionis titulus. 64

II. Necessitate exigente, licere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellere; etiamsi inde per accidens, & præter intentionem sequatur mors inuasoris. De quo etiam nulla est controuersia; cum euidens sit, posse aliquem magis amare suam innocentis, quam alterius iniquè inuadentis vitam, & traditur etiam l. *Vt vim*, ff. de Iust. & iure, & l. 1. ff. de vi & vi armata, & l. *Etsi* ff. leg. Aquil. & cap. *Significasti*, & cap. *Si verò* 1. de sent. Excom. & Clem. 1. de homicid.

Idque adeò verum est, vt procedat etiam, quamuis inuasor ratione somni, aut amentiæ, seu ob ignorantiam quandam, quamuis inuincibilem (vt in bello accidit, quod vtrinq; iustum existimatur) excusetur à peccato iniustę inuasionis, vt ex communi post S. Thomam, Antonino, Maiorem, Gabrielem, tradunt Salon, Aragonius, Bannes hic cit. a. 7. Sotus lib. 5. de Iustitia q. 1. a. 8. Victoria relect. de

homici-

homicidio à n. 17. Syluester V. *Bellum* 2. q. 3. V. *Homicidium* 1. q. 2. & 4. Nauarrus Manual. c. 15. à n. 3. quicquid Gerson tract. de Eucharistia & quidâ alij apud Salonem in contrarium dixerint.

65 Addit Abulensis q. 11. in c. 11. Iosue, ad hoc etiã teneri inuasum. Sed hoc refutaui supra de charitate q. 3. dub. 4.

Dicitur autem *moderamen inculpatæ tutelæ*, quando in defensione maior vis non adhibetur quã opus sit ad iniuriam arcendam; alioquin ex ea parte non est defensio, sed vltio, iuxta cap. cit. *Si vero, &c.*

Tertio docet S. Thomas, nemini licere priuata authoritate ex intentione occidere hominẽ, propriæ vitę tuendę causa. quia *per se*, inquit, *& ex intentione nemo potest occidere, nisi sit publica potestas*, vt in 3. articulo probatum supponit. Idem docet Aragonius, Bannes eod. a. 7. item Victoria, Abulensis, & Thomistæ communiter.

66 Contrarium docent Sotus citatus, Nauarrus n. 3. Valentia q. 8. pun. 4. Petrus Nauarrus à n. 338. & tandẽ Salon hic a. 7. post Antoninum, Syluestrum, Cordubensem Quæ sententia videtur verior: qa licet directa actione occidere talẽ aggressorẽ, seruata debita moderatione; Ergo licet etiam velle ita occidere; cum præsertim vix possit aliter occidere, si seipsum velit tueri. Non enim tantũ licet quasi in incertũ gladium vibrare, sed si aliter tueri se non possit etiam ex intentione capiti, aut pectori inuasoris infigere: quod quid aliud est, quam velle exercere actionem occisiuam, adeoq; velle occidere?

Et confirmatur. Quia si Iudex nocentis mortem, medicus infirmi incisiones potest intendere, non in his sistendo, sed ea vlterius velut necessaria media ad publicam quietem, aut infirmi salutem ordinando; cur non etiam hic; cum in rei veritate sit in inuasore sufficiens ratio, cur tali casu perimatur? Secus est de innocente, qui per accidens solum licite occiditur, vt dictum.

67 Accedit, quod S. Thomam, Sotus, & vterq; Nauarrus ita explicant, vt solum docere voluerit, nefas esse priuato, per se, & secluſa vi iniusti inuasoris, hacque etiam supposita, sine intentione incolumitatis propriæ tuendæ, hominẽ occidere; sed per accidens fas esse, &c. cum tamen Iudex, & publicus minister, omni vi cessante, authoritate etiam vindicatiua, adeoq; ob hoc ipsum quoque, vt male sit occiso, pro meritis possit occidere. Qua ratione S. Thomas verbis solum à nobis dissentiet. Verum dubitatur vlterius, & Quæritur III. vtrum liceat, seruato debito moderamine, non solum ob vitam propriam defendendam, sed etiam ob aliarum rerum inuasionem occidere inuasorem.

68 Assertio I. Licitum etiam est ita occidere inuasorem, pro defensione Castitatis, & pudicitiæ, & membrorũ. Ita ex comuni Caietanus hic q 64. a. 7. Couarruuias 3. p. relect. de de homicidio §. vnico, n. 2. Petrus Nauarrus à n. 345. Lessius c. 9. dub. 12. Ratio est. Tum quia virtus, & honestas in bonis hominis præcipuum locum habet. Tam quia ex membrorum & partium incolumitate consistit totius incolumitas. Idem de pudicitia senserunt Ethniei, vt videre est apud Ciceronem orat. pro Milone, etsi dubitare videatur Augustinus lib. 1 de libero arbitrio cap. 5.

Assertio II. Licet etiam pro defensione bonorum externorũ fortunæ occidere inuasorẽ, quamdiu vis iniuriosa durat; modo res illæ quæ defendũtur, sint magni momenti, iuxta prudentis viri arbitriũ, eædemq; ablatę non possint aliter facile recuperari. Ita fere citati Antonin⁹, Syluester, Caietan⁹, Sotus, Nauarrus, Valentia, Bañes, Aragonius, Lessi⁹ dub. 12. & innuit S Thom. hic q. 64. a. 7. Idem tradũt pleriq; Iurisperiti, teste Siluestro & Couarruuia. 69

Probatur assertio ex Innocentio III, cap. *olim* de restitutione spoliorũ, cap. *Interfecisti*, de homicidio & cap. *Dilecto*, de sententia excomunicationis in 6.

Fauent etiam, præter legem Mosis Exodi 22. lex *Furem* 9. ff. ad l. Corneliam, de Sicarijs, & lex 4. ff. ad l. Iuliam, cum docent, nocturnum furem occidi posse, etsi non diurnum: præcipue nimirũ, quia si diurnus sit, præsumuntur ablata posse facile recuperari, fure cognito; secus si nocturnus sit, vt cum Ioanne Medina C. de restit. q 4. notat Lessius. 70

Ratio est. Quia vt prudenter notat Caietanus, honor & res familiaris, vitæ, virtutis, felicitatis tuendæ & obtinendæ adminicula sunt, ac præterea etiam speciatim possidentis curę commissa, pro quibus etiam non immerito vir constans subinde vitæ periculo seipsum exponat: Ergo recte etiam præferri possunt vitæ iniusti inuasoris, in nulla præsertim necessitate constituti.

Contrarium tamen asserunt, Gerson, & Abulensis apud Salonem a. 7. controuersia 2. Panormitanus & Innocentius apud Syluestrum V. *homicidium* 1. & V. *Excommunicatio* 6. casu 9. Item Couarruuias in Clementinam *si furiosus* de homicidio 3. part. §. 1. n. 6. qui negant, licere, ob solius temporalis rei defensionem, interficere inuasorem. Quod etiam indicat Scotus 4. dist. 15. q. 3. negans, fas esse occidere furem, nisi sit inuasor; quia tunc, inquit, præsumitur velle occidere. Et citantur in eam sententiam quædam iura superius relata, atque etiam Augustinus lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. item cap. *Si perfodiens*, de homicid. 71

Sed hæc intelligi possunt ex dictis, in casu non necessariæ violentæ defensionis; aut nõ seruati moderaminis, seu verè, seu ex præsumptione, iuxta Syluestrum, maxime cum alioquin in foro externo, operantis intentio, ac interna mentis dispositio, nec probari fere possit, nec diiudicari, vt recte Caietanus. Quod si res amissa recuperari facile possit, occidi inuasor propterea non debet vt dictum, secus si spes sit dubia, iuxta Sotum artic. 8. & Petrum Nauarrum n. 408. 72

Assertio III. Licitum est etiam, pro honoris defensione, aggressorẽ iniustum occidere; saltem si nec aliter defendi, nec facile recuperari læsus honor possit. Ita Sotus, Nauarrus, Salon, Valentia, Bannes, Aragonius citati, Petrus Nauarrus n. 369. Syluester V. *Excommunicatio* 6. n. 6. quicquid idem V. *Homicid.* 1. quæst. 2. sibi contradicat, & subdubitet nonnihil Couarruuias citatus. Ratio colligitur ex dictis. 73

Nec tamen ideo licitum esse putandum est, contumelias verbales, etiam morte, aut atrocibus verberibus repellere, seu cohibere; non solum ob periculũ priuatæ vindictæ; sed etiã quia satis esse debet in Republica, quod iniurię verbis repelli, & legitima

Magi-

Magistratus vindicta comprimi possint, vt rectè dixit Lessius cap. 9. dub. 12. quicquid Nauarrus in contrarium dixerit.

74 Non etiam placet, quod absolutè dicit Lessius cap. 9. dub. 12. n. 77. citans Sotum a. 8. Nauarrum cap. 15. n. 3. Sylvestrum V. *Homicid.* 1. q. 5. & Lopez cap. 62. Antonium Gomez lib 3. cap. 3. n. 23. Iulium Clarum §. *homicidium*, n. 26. fas esse viro honorato occidere inuasorem, qui fustem vel alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat; si aliter vitari hæc iniuria nequit. Tum quia fieri potest, vt si res in occulto agatur, eâ re honor parum lædatur. Tum quia etiam læsus ita honor viâ iuris, aut alijs modis recuperari potest.

Minus placet, quod dicunt Aragonius, & quidam apud Sa, licitum esse baculo percutientem, occidere, vbi id insignis iniuria est, vt in Hispania; & colapho accepto statim gladio percutere, ad vitandam ignominiam. Certè cum honor defendi alio modo possit, id quidem in Germaniâ esse licitum, non existimo: & communiter esse peccatum mortale, rectius docet Toletus lib. 5. cap. 6. & absolutè etiam improbat Bannes; & meritò neq; in Hispanijs quidē approbare vult Sa V. homicidium.

75 Tolerabilius est illud, quod V. *Iniuria*, notat idem Sa dicens, percussum colapho (virum honoratum) posse statim repercutere, ad vitandam ignominiam, non improbabiliter quidam asserunt; in quibus sunt Nauarrus cap. 15. n. 4. Victoria de iure belli n. 5. Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 3. num. 380. Henriquez de irregularitate cap. 10. & 11. & apud eundem Iason, Corduba, Clarus, Caietanus, Antoninus: etsi nec istud concedat Bannes; nec id etiā in praxi permittendum facilè existimet Lessius. Meritò quidem: nam hæc parum consonant præcepto Christi Matth. 5. v. 39. *Ego autē dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram.*

76 Assertio IV. Quod hactenus de Laicis præcipuè dictum est, etiam intelligendum videtur de Clericis & Religiosis; licet materialis in his differentia esse possit. Probatur prima pars. Quia ius moderatæ defensionis est iuris naturalis; cui per se minimè renunciarunt Religiosi. Toletus tamen quoad defensionem honoris, & externorum bonorum, excipit personas Ecclesiasticas. Antoninus quoq; 3. part. tit. 4. cap. 3. putat saltem Religiosis non esse licitum, iure defensionis bonorū temporalium, occidere; quoniam, inquit, *non possunt habere propirum.*

77 Sed contrarium de Clericis generatim verius docent Sylvester V. *Excommunicatio* 6. n. 6. casu 9. Lessius cap. 9. dub. 11. vbi in specie etiam idem de Religiosis asserit. Ad capitula, quæ possunt obijci, iam ferè ex dictis patet responsio. Ad cap. *Suscepimus*, de homicidio, respondetur, satis ex subiecta materia constare, moderamen inculpatæ tutelæ in casu illic expresso non fuisse seruatum. Et quamuis Religiosi nō habeant dominium bonorū in particulari, habent tamen iustam possessionem, vel etiam dominium bonorum in communi.

Vnde declaratur altera para assertionis dupliciter; primò quia tametsi, per se loquendo, hęc facultas æquè concessa sit Ecclesiasticis, atq; secularibus; per accidens tamē fieri potest, v.g. ratione scandali, vt illis hoc nō liceat. Deinde quia Religiosi quidam, & Clerici, aut proprium nil habent, aut parum habent, idq; ipsum quod habent, minori affectu prosequi debent; qui proinde etiam hac ratione sæpe non ita possunt ob defensionem bonorū inuasores occidere.

Tandem quod ad honoris defensionem attinet, 78
etsi quidem Religiosi ius honoris sui nequaquam amiserunt; quin & hoc ipso magis possint, sæpe etiā debeant suam famam & honorem defendere, quam seculares; eo quod bono communi magis necessarius est: Nihilominus tamen inter hos, & seculares adhuc receptum discrimen est, quod viri nobiles, aut alioquin militares, non tenentur fugere, ob sui defensionem, ne honorem suum lædant, sed possint vi inuadentem vi repellere; cum aliter se res habeat cum Clericis & Religiosis; qui cum ex fortitudine militari laudem non quærant, fugere tenentur, si possint; etsi nec ad hoc ex iustitia, sed solum ex charitate teneri censeat Lessius dub. 12. num. 86. post Iulium Clarum de homicid num. 32.

Item nullus Clericus aut Religiosus potest, ob 79
defensionem honoris, sine periculo corporis percutientem, seu verbis iniuriantem occidere; cū enim Christianæ modestiæ, mansuetudinis, & patientiæ cultores se profiteantur, & certè esse debeant; non milites; idcirco ex iniuria patienter tolerata nullam ignominiam referūt, sed honorem, etiam apud plebeios; quod etiam notat Lessius n. 65. Vnde etiam à toto genere melius istis est, mortem sustinere, quam cum alterius morte propriam vitam tueri.

Assertio V. Etiam pro tuenda vita, fortuna, honore, castitate alterius innocentis, licitè interficitur iniustus inuasor. Ita citati. Probatur. Tum quia inuasus, vt se potest quolibet instrumento tueri; ita etiam aduocato alterius auxilio. Tum quia is ipse nobiscum charitatis vnione coniunctus est: Ergo non minus ab illo, quam à nobis propulsare licet illatam iniuriam.

Dices. Quid si ille cedat iuri suo, nolens se ita 80
defendi? Respondeo. Si vir Religiosus ex modestia latroni se occidendum permitteret, non idcirco illicitum esse, eum contrà inuasorem prędicto modo tueri; quia inuasus nō potest ita cedere iuri vitę suæ, vt ab altero sine iniuria saltem aduersus Deum, & communitatem, quicquid sit de priuata iniuria erga alterum, vt dictum supra dub. 1. n. 7. occidatur. Secus est de Castitate; nam si mulier oppressa taceat, aut non repugnet, aut non nisi languide, adeoq; non admodum seriò repugnet, occidi eius defendendæ causa inuasor non potest; quia illa videtur ita cedere iuri suo, vt inuasor hoc ipso, quantum est de humano iure, desinat esse iniustus inuasor.

Assertio VI. Licitum est, iuxta dicta occidere inuasorem, res nostras auferētem, non tantum cum in loco aggressionis consistit, vel parum ab eo distat; sed etiam, si iam longius absit, cursu apprehendi; vel si opus sit, nec res aliter recuperari possit, etiam sclopo, seu bombarda interfici potest, iuxta dicta; quamdiu sei psum, vel rem ablatam in pacifica possessione non constituit. Ita Sylvester V. *Excommunicatio* 6. n. 6. Petrus Nauarrus n. 411. Sotus, Valentia, Aragonius, Bannes citati, Lessius c. 9 d. 11.

etsi

etsi contrariũ dixerint Antoninus & Couarruuias. Exemplum est, si fur eum equo tuo aufugiat.

82 Ratio est. Quia semper censetur durare iniusta aggressio; idque etiam extendunt Sylvester, Lessius, & alij, ad eum casum, in quo quis, nulla mora interposita, rem suam vbicunque existentem persequitur. Secus si mora interposita fuerit, & aggressor iam pacificè agere cœperit. Quanquam nihilominus, si Iudex desit, posse spoliatum locum, in quo res deposita est, ingredi, eamque sibi vendicare, & si prohibeatur, vim vi repellere, cum Panormitano & Sylvestro citatis, non improbabiliter existimat Lessius ibid.

83 Assertio VII. Licitum est etiam præuenire iniustum aggressorem, si & alia via commoda defensionis non suppetat; & is iam actualiter in culpâ, seu proposito aggressionis iniustæ versetur: Secus si sit adhuc innocens. Ita post Antoninum, Caietanum, Sotum, Nauarrum, Couarruuiam, docent Valentia q. 17. pun. 1. Bannes hic q. 64. a. 7. Sa v. *Homicidium*. Ratio. Quia primo casu est vera defensio, non item secundo.

Sotus tamen & Lessius dub. 12. excipiunt Iudicem & testes mortem alicui per iniuriam machinantes in iudicio; quod de foro conscientiæ loquendo, rectè improbat Sa, Petrus Nauarrus, Bannes a. 7. dub. 4.

84 Assertio VIII. Hæc, quæ dicta sunt, procedunt etiam, licet inuasus causam occasionemque dederit ad inuadendum; modo causa talis non fuerit, vt ob eam ipsam iustè inuaderetur. Ita cum Sylvestro, Petrus Nauarrus n. 362. & alij, semper enim nihilominus seruat ius se defendendi; & quoad inuasionem iniustam, est innocens. Secus si talem dedisset causam, ob quam licitè inuaderetur.

85 Cæterum in his omnibus, intelligenda est moderatio superius insinuata, licitam nimirum talem defensionẽ. Primò, si res quæ defenditur, sit magni momenti. Secundò, si vis iniusta sit, nec alia ratione possit repelli; nec res ablata aliter recuperari. Tertio, intelligenda sunt per se; nam per accidens fieri potest, vt quis teneatur suam vitam, aut saltem bona postponere vitæ inuasoris. Quo modo autem regulariter non teneatur quis se ipsum vel proximum defendere, cum occisione alterius, licet iniusti aggressoris, dictum est disp. 2. q 3. dub. 4. & consentit etiam Suarez tom. 4. disp. 46. sect. 3. n. 2 Lessius c. 9. dub. 13. quicquid nonnulli dixerint.

DVBIVM V.

Vtrum casuale homicidium inducat reatum culpæ, vel irregularitatem: item quibus, & quos nam, mutilare, verberare, aut incarcerare liceat.

S. Thomæ 2. 2. q. 64. a. 8. & q. 65. aa. 4.

86 QVæritur primò Vtrum casualiter occidens hominem, incurrat homicidij reatum.

Respondet S. Thomas q. 64. a. 8. non incurrere, si casuale homicidium sit prorsus inuoluntarium; secus si sit voluntarium in sua causa: seu quia dans operam rei etiam licitæ, debitam diligentiam ad vitandum homicidium non adhibuit; vt si in venatione bombardâ incircumspectè explosit, seu quia dedit operam rei illicitæ, vt si Clericus in bello, vel hastiludio casu hominem occidit.

87 Quæ doctrina quoad priorem partẽ intelligitur ex tom. 2. D. 4. q. 9. dub. 1. Quoad secundâ partẽ, loquẽdo de culpa in foro Cõscientiæ, intelligitur si homicidium subsequens in ipso opere, tanquam in causa fuerit voluntarium; ita vt opus illud ea etiam ratione debuerit caueri, ne sequeretur homicidium, adeoque potuerit ipsum homicidium ex opere subsecuturum aliquo modo præuideri, vt doceo loc cit. cum S. Thoma 1. 2. q. 83. a. 8. Alias peccatum erit quidem in ipso opere, quale fuisset, si homicidium non fuisset secutum, sed homicidij culpa idcirco non contrahetur, vt ex communi recte docet Caietanus q. 64. a. 8. ex illo Augustini, asserentis Loth in culpa fuisse, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas præcedens meruit. De quo pluribus actum tom. 2. disp. 4. q. 3. dub. 3.

88 Sed speciatim dubitatur, an, & quomodo propter homicidium, casuale præsertim, incurratur irregularitas? Quod etsi quidem proprie ad materiam de censuris pertineat, breuiter tamen hoc loco propter S. Thomam explicandum est.

Assertio I. Per homicidium ad sui, vel proximi, vel suarum, aut proximi rerum defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, licite patratũ non incurritur Irregularitas. Primum de sui defensione docẽt omnes; & patet ex Clementina de homicidio, etsi S. Thomas q. 64 a. 8. ad 3. iuris antiqui constitutioni inhærens, contrarium dixerit.

Posteriorem partem de defensione inculpatæ vitæ proximi, itemque suarum, aut proximi rerum, docent Petrus Nauarrus numero 417 Couarruuias in cit. Clementin. part. 3. numero vlt. Valentia q. 8. punct. 7. Suarez tom. 4. disp. 46. sect. 2. n. 4. Lessius cap. 9. dub. 11. & alij: etsi Bannes hic q. 64. a. 8 ac plerique Iuristæ contrarium sentiant. Ratio est. Quia id nusquam iure expressum, vt videre est apud citatos. Et irregularitas, quæ extra casum publicæ iustitiæ ob homicidium contrahitur, non nisi ob culpam contrahitur, vt suo loco tom. 4. de Irregularit. pluribus dicetur.

89 Assertio II. Si homicidiũ aliquod sit merè casuale, atq; adeo in ratione homicidij prorsus inuoluntariũ, & sine peccato, nec ex opere ob periculũ homicidij specialiter prohibito consecutũ, nulla

incur-

incurritur Irregularitas ; etiamsi quis dando operam rei illicitæ, homicidium tale commiserit. Ita communiter Theologi, Sotus lib. 5. de Iust. q. 1. a. 9. Bartholomæus Medina 1. 2. q. 73. a. 8. Castro lib. 2. de leg pœn. cap. 14. Aragonius & Bannes hic q. 64. a. 8. Valentia hic loc. cit, & tom. 2. disp. 6. q. 3. pun. 3. & tom. 4. disp. 7. q. 19. Sa V. *Homicidium*, Suarez 3. p. tom. 5. disp. 45. sect. 6 à num. 9. & ex Canonistis Couarruuias cit. part. 2. §. 4. n. 9. & 10. & fauet S. Thomas 1. 2, q. 73. a. 8. vbi ait; quod *propter negligentiam considerandi imputantur homini ad pœnam nocumenta, quæ sequuntur, si dabat operam rei illicitæ.*

90 Etsi contrarium sentiant Sylvester, Nauarrus, & communiter Canonistæ; quos etiam sequuntur Caietanus hic a. 8. Conradus 1. 2. loc. cit. Toletus lib. 1. cap. 29. Felicianus de Irregularitate, & alij, qui docent, per quodcunque casuale homicidium incurri Irregularitatem, si quis dando operam rei illicitæ id perpetrauit.

Sed sanè allegata ab eis iura plus non probant, quam censendos irregulares, qui exercendo opera non solum illicita, sed etiam in se periculosa (in quibus nulla quasi diligentia sufficiens adhiberi potest ad vitandum homicidium) quempiam deformant, vt notat Valentia. In quam sententiam etiam Suarez tom. 5. disp. 45. sect. 6. num. 9. ait, per homicidium omninò casuale, ex opere illicito secutum, non contrahi irregularitatem, nisi in casibus à iure, expressis. Censetur enim, inquit, casus sufficienter expressus, quando actio est specialiter prohibita, propter periculum homicidij; non verò aliàs. Casus habentur cap. vlt. de homicidio in 6. & cap. *Tua nos*, de homicidio. Idem docui tom. 2. disp. 4. q. 3. dub 3.

91 Assertio III. Nec incurritur in foro conscientiæ, etiamsi venialiter in huiusmodi homicidio casuali peccetur; ob leuem videlicet negligentiam, in eo vitando commissam. Ita Sotus, Valentia, Sa, Bannes citati, Henriquez lib. 14. cap. 3. n. 1. Nauarrus n. 249. contra Caietanum, & alios; est enim hæc irregularitas grauis pœna, quæ proinde proportionatam culpam requirit.

92 Assertio IV. Incurrit irregularitatem, non solum qui ex proposito, & de industria homicidiũ iniustum perpetrat, sed etiam qui se defendendo, aut exercendo rem per se periculosam, aut aliter occidendo, mortale homicidij peccatum commisit, propter crassam & latam negligentiam, vel imprudentiam, seu inobedientiam; etiamsi directe non intenderit homicidium. Ita Valentia tom. 4. cit. loco; Toletus cap. 29. Sa, & alij, ex communi; quod etiam minimum probant iura superius adducta.

Immò in foro externo, & probabiliter etiam in foro conscientiæ, quoties quis operam dando rei, ob periculum homicidij peculiariter prohibitæ, homicidium committit, semper irregularis censebitur, vt superius insinuauimus, & dictum cit. tom. 2. loc. cit. ob constitutionem iuris positiui. Addit Sa, dum multi iaciunt lapides, nec constat, quis eorum occiderit, nullum esse censendum irregularem; licet Sylvester V. *Homicidium*, contrarium significet, quasi omnes sint irregulares; quod non probatur.

Assertio V. Illicite procurantes abortum etiam inanimati fœtus, grauiter quidem irregulares, & excommunicati, excommunicatione soli Papæ reseruata, fuerũt declarati à Sixto V. in propria bulla: sed eum rigorem Gregorius XIV. in quadam bulla temperauit, & ad antiquos terminos reduxit; ita vt nec irregularitas, nec excommunicatio incurratur à procurantibus abortum, nisi fœtus fuerit animatus; & vt etiam tunc cuique approbato Cõfessario liceat ab ea excommunicatione & peccato, in foro Conscientiæ absoluere, vt notat Sa V. *Homicidium*, Henriquez lib. 14. cap. 35. num. 3. Suarez disp. 44. sect. 2. n. 13. 93

Assertio VI. In casuali homicidio, & eo quod commissum est in sui defensione immoderata, dispensat Episcopus: in homicidio autem iniustè & directè volito, quod absolutè voluntarium dicitur, dispensat solus Pontifex; & nec ipse ferè, si manifestum sit crimen. Ita ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 7. Nauarrus cap. 27. n. 239. Valentia, Sa citati, Henriquez lib. 14. cap. 19. n. 2. & 3. etsi neget de Episcopo Couarruuias cit. §. 3. n. 5. qui tamen malè n. 7. docet, eundem qui in casuali homicidio dispensare potest, posse etiam in deformatione licitè factâ à ministris iustitiæ. Quod à solo Couarruuiâ contra communem dictum, notat Henriquez loc. cit. Sed de hac re plura tomo 4. in materia pœnit. de Censuris, Sicut & de irregularitate, quæ in bello à militibus incurritur, actum est disp. 2. quæst. 6. dub. 6. 94

Quæritur secundò; An, quibus, & quos mutilare, aut verberare liceat: reuocantur enim etiam hi actus ad homicidium, tanquam actus imperfecti ad perfectum. 95

Respondetur; mutilare ijs, & ijsdem de causis licet, quibus & ob quas licet occidere: an verò ob alias plures causas liceat, inferius dicetur n. 99. Verberare autem moderatè, non solum emendationis, sed etiam punitionis causa, possunt iuxta S. Thomam q. 65. a. 2. quicunque Superiores suos subditos, vt parentes liberos, Magistri discipulos, etiam Clericos vel monachos; & vir vxorem, ex graui causa. De quo videri potest Gerson part. 4. serm. intra octau. Epiphan. pag. 357. edit. recent. Item Domini & pædagogi per se, vel per alium; nisi fortè id speciatim alicui à Superiore sit prohibitum: Item Prælati Religiosorum per se, vel per alium regularem, aut secularem Clericum; sed non per laicum, nisi incorrigibilem: Episcopo verò suis manibus verberare non licet, ex cap. *Non licet*, dist. 68. De percussione verò iniuriosa Clerici, & excomunicatione agitur tom. 4. de Excomunic.

Irregularitatis autem, quæ ex mutilatione incurritur, eadem est ratio, quæ ex homicidio ortæ; nisi quod de reseruatione dispensationis dictum, vt declarat Congregatio Cardinalium super Tridentinum, & rectè docet Suarez tom. 5. disp. 44. sect. 2. n. 4. quicquid Felicianus cap. 3. & Henriquez cap. 5. n. 3. de irregulalitate, dixerint. 96

Tantum nota, membrum non censeri, nisi eam corporis partem, per quam proprium aliquod in 97

corpore

corpore officium exercetur, ex 1. Corinth. 12. & ad Rom. 12. Vnde digitus membrum non est, vt docent Nauarrus cap. 7. n. 206. Couarruuias citatus, Salon hic q. 65. a. 1. Sa V. *Irregularitas*, Henriquez cap. 14. §. 8. n. 1. etsi contrarium sentiat Sotus lib. 5. de iustitia q. 2. a. 1. Caietanus hic, Toletus lib. 1. cap. 25. & alij. Quanquam interim sibi ipsi vel partem digiti, seu membri temerè abscindens, irregularis est, ex cap. *Qui partem*, dist. 15.

98 Quod si etiam alteri præcipua pars membri ita abscindatur, vt officium membri impediatur, non euadetur irregularitas; vt si cui priores digiti manus amputentur. In quem sensum accipi possunt, quæ hac de re disputat Suarez citatus; qui tamen potius absolutè in contrariam sententiam ire videtur: de qua re plura de Irregularit.

99 Dubium est, an & quomodo se vel alium liceat mutilare, amputatis membris, eo casu, quo occidere non licet.

ASSERTIO I. Ob tuendam vitam corporis, licitum est, putrescens, aut venenatum membrum abscindere. Ita cum S. Thoma cit. q. 65. a. 1. docent omnes, quia partis nociuæ integritas merito postponitur saluti totius corporis, ad quam partes ordinantur: licet ad hoc ordinariè nemo teneatur, ob difficultatem eius medij. Addit Salon, ne à superioribus quidem ad hoc cogi posse Religiosum; nisi fortè in aliquo casu extraordinario, ob bonum commune, vt bene Lessius cap. 9. dub. 14. etsi non improbabiliter Lopez 1. part. cap. 16. cum Soto dicat, religiosum ad hoc cogi posse à Prælato, etiam pro conseruanda solum vita.

100 ASSERTIO II. Probabiliter quoque licet ligato, propriam manum vel pedem, etsi sanum, abscindere, vt per fugam imminentem mortem euadat. Ita Sotus, Toletus lib. 5. cap. 6. Salon, Bannes, Aragonius cit. a. 1. Valentia q. 9. pun. 1. licet aliqui negent. Imo probabiliter etiam non ligato; si alter violenter mortem minitetur, nisi id facias: sicut etiam eruere vnum oculum, ne tibi alter duos eruat, vt docet Toletus citatus, & sequitur Lessius dub. 14. licet Sotus, Bannes, Aragonius & Salon negent. Certè quidem si illud licet, cur hæc non etiam licita sint, non video; vt etiam rectè dixit Sa V. *Homicidium*. Ratio generalis est. Quia homini, vt custodi & gubernatori suorum membrorum, licet de ijs disponere, prout ratio & salus totius, ad quod ordinantur, postulant.

101 ASSERTIO III. Non desunt quidem (in quibus Salon) qui licere putent Parentibus, filios suos voce cantuque Ecclesiæ seruituros, & in id libere consentientes, intuitu boni publici castrare: Sed contrarium videtur verius; non solum ob varia animæ pericula & incommoda, quæ hinc consequi solent; sed etiam quia bonum illud tanti momenti non est, vt ob id res tam per se à natura aliena suscipiatur: quando nec pro salute spirituali, aut periculo animæ vitando, id licitum esse, constabit infra ex sacris canonibus; quæ tamen causa alioqui multo maioris momenti videri possit. Hoc certum, repugnantes liberos ad hoc cogi non posse; cum libera illis manere debeat, quoad vitæ statum, electio, vt etiam agnoscit Salon.

102 ASSERTIO IV. Ob seruandam castitatem, vitandum scandalum, aut alias eiusmodi causas, hoc licitum non est; alia enim sunt huic rei remedia. Nec illud Christi: *Abscinde manum &c.* ad literam intelligendum; quicquid olim Origenes, & quidam eum secuti dixerint, fecerintue contra Apostolicos canones can. 22. & Concilium Nicænum can. 2. & Arelatense II. can. 3. De quo vide dist. 25. cap. *Si quis abscíderit*, & sequentibus. Adde, quod medium illud non tam ardorem libidinis, quam generationem impedit, vt notant Augustinus lib. 6. contra Iulianum cap. 5. Basilius lib. de Virgin. circa finem, Chrysostomus homil. 23. in Matth. Plura apud Baronium Anno 208.

103 Quæritur tertio, cui & quosnam incarcerare liceat. Respondet S. Thomas q. 65. a. 3. cum in bonis corporis tria spectari possint; 1. ipsa corporis integritas & incolumitas, cui detrimentum affertur per occisionem, vel mutilationem. 2. delectatio vel quies sensus, cui opponitur verberatio, vel quodlibet aliud sensum dolore afficiens. 3. motus & vsus membrorum, qui impeditur per ligationem, vel incarcerationem, seu quamcunque detentionem: idcirco in carcerare aliquem, vel qualitercunque detinere esse illicitum; nisi fiat secundum ordinem iustitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicuius mali vitandi.

104 Et ibidem ad 3. ait: *detinere hominem ad horam, ab aliquo opere illicito* (sibi scilicet, aut alijs pernicioso ac iniurioso) *statim perpetrando, cuilibet licet; sicut cum aliquis detinet aliquem, ne se præcipitet; vel ne alium feriat. Sed simpliciter aliquem includere vel ligare, ad eum solum pertinet, qui habet disponere vniuersaliter de actibus & vita alterius: quia per hoc impeditur non solum à malis faciendis, sed etiam à bonis agendis.* Vbi notandum, ius carceris proprie non competere nisi Magistratui iurisdictionem habenti; etiamsi is non semper habeat ius gladij. Detinere autem eum, qui grauiter & inique læsit, ad tempus, mox magistratui tradendum, etiam alijs licet.

105 Addit denique S. Thomas eadem quæst. 65. art. 4. has omnes iniurias, quæ corpori inferuntur, tanto grauiores esse, quanto propinquioribus inferuntur, vt pote quibus ex pietate magis obstringimur; quamuis interim iniuriæ viduis & pupillis illatæ in scriptura magis exaggerari solent, tum quia magis opponuntur misericordiæ; tum quia idem nocumentum huiusmodi personis inflictum, est eis grauius, quia non habent releuantem.

Sicut etiam vniuersim ob circumstantias fieri potest, vt sit grauius peccatum, quod fit contra personam nulli coniunctam; siue propter dignitatem personæ, siue ob magnitudinem nocumenti. Et quamuis etiam per adulterium & stuprum iniuste violetur corpus alterius; quia tamen ea non solum iustitiæ, sed etiam castitati opponuntur, merito ad tractationem de Temperantia reijciuntur, vt notauit S. Thomas ibidem ad 3. de quibus proinde etiam à nobis actum disp. 3. q. 3. dub. 6.

DVBIVM VI.

De furto, rapina, & vsura, quibus damnum bonis fortunæ infertur.

S. Thom. 2. 2. q. 66. a 2, 9.

106 DE vsura actum est superius quæst. 7. dub. 3. occasione mutui, in quo reperitur.

Quod ad furtum, & rapinam attinet. Quæritur I. Quid & quotuplex sit furtum, & quomodo à rapina differat. Respondeo. Furtum est acceptio rei alienæ iniusta (seu Domino rationabiliter inuito facta) & occulta. Id pro diuersitate materialium obiectorum, diuersa nomina sortitur. Ablatio enim rei communis dicitur *peculatus*: abductio pecudis ex diuerso grege, *abigeatus*; liberi hominis tanquam serui abductio *Plagiatus*, siue *plagium*.

Rapina est acceptio rei alienæ iniusta & violenta; peccatum à furto specie distinctum; eoque grauius furto, quo grauior accidit vis, quam dolus. Vtrumque est peccatum mortale; quando res aliena in notabili quantitate, Domino rationabiliter inuito accipitur: præterquam quod rapina ex ipsa etiam violentia grauem culpam habere potest. Iam vero præter ea, quæ de furto, in materia de bello disp 2. q. 6. dub. 3. & de restitutione q. 6. dub 9. dicta sunt, quædam alia hic quæruntur, quæ explicatione egent.

107 Quæritur igitur II. Quæ sit notabilis quantitatis furti mortalis.

ASSERTIO I. Notabilis quantitas æstimanda est, non tam ex actuali Domini æstimatione, nec tam ex opulentia, vel tenuitate, siue ex rei copia vel inopia; quam ex damno, quod Domino infertur, ac ipso per se rei ablatæ pretio & iusta æstimatione: ita vt ea notabilis sit quantitas, qua Domino notabile damnum datur; siue propter ipsam magnitudinem ablatæ rei secundum se spectatæ; siue per accidens, & ob euentum seu damnũ consequens. Ita ex communi docent Aragonius, Bannes hic q. 66. a. 6. Bartholomæus Medina 1. 2. q. 86 a. 2. Valentia q. 10. pun. 5. Rebellus lib. 3. de iustitia q. 15. sect. 2. & 3. Azor tom. 3. lib. 5. cap. 13. q. 1. & 2. Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 6. ex communi. Ratio

108 est. Quia alias sæpe mortale foret, etiam pennam alteri furari: è contra subinde mortale non esset, centum etiam coronatos Principi auferre.

Cum hoc tamen non pugnat, quo minus in quantitate, seu pretio rei taxando, etiam haberi debeat respectus ad conditionem locorum & temporum; à quibus & pecuniarum, & mercium pretium ac valor plurimum dependet; ita vt proinde minor quæpiam summa pecuniæ, si exacta fiat taxatio, sufficiat ad mortale in Hispaniâ v. g. Galliâ, Germaniâ, &c. quam in Indijs; in quibus longè maior est auri & argenti copia. Idem de alijs rebus dicendum, vt rectè Rebellus, & Azor.

109 ASSERTIO II. Quantitas notabilis furti alia est absoluta, quæ in ordine ad quamlibet personam constituit peccatum mortale; alia respectiua, quæ ex conditionibus personæ & circumstantiarum designanda est. Ita citati ex communi; & satis colligitur ex dictis. Ac meritò Aragonius falsam & periculosam vocat eam quorundam sententiam, qui dicunt, nec centum quidem aureorum quantitatem in furto, ex natura rei, esse materiam peccati mortalis.

Illud non improbabile est, quod docent Ioannes Medina Cod. de restitutione, quæst. 10. Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 1. num. 35. non posse vniuersim determinari, quæ quantitas sit notabilis; sed hanc statuendam arbitrio prudentum, pro variâ personarum & locorum conditione; ita vt v. g. respectu prædiuitum summa notabilis sit, aureus, siue ducatus; respectu mediocriter diuitum, florenus; respectu mechanicorum, medius florenus; respectu pauperis, quarta, vel etiam octaua pars floreni, vt declarat Lessius. Sed contrarium est probabilius, vt magis patebit inferius. 110

ASSERTIO III. Quænam determinatè sit notabilis illa quantitas, absolutè & secundum se, in omnibus personis sufficiens, & secluſa peculiari indigentia, necessitate, damno vel incommodo, requisita ad mortale peccatum furti, valdè intertum est. Declaratur. Sotus enim lib. 5. de Iustitia quæst. 3. art. 3. ad 3. Syluester V. *Furtum*, quæst. 2. & Angelus eodem Verbo §. 34. videntur requirere vnum, vel duos aureos, siue ducatos; in quam sententiam propendent etiam Aragonius, & Bannes hic. E contra Nauarrus Manual. cap. 1. num. 3. Couarruuias lib. 1. variarum cap. 3. à n. 12. Corduba in summa quæst. 109. aiunt, sufficere vnum alterumue bazium. Et neutra sententia valdè probabilis videtur; hæc quia nimis rigida; illa quia nimis laxa est. 111

In medio sunt isti: Petrus Nauarrus lib. 3 de restitut. cap. 1. num. 136. statuit octo, vel decem bazios, Valentia loc. cit. tres aut quatuor bazios; Bartholomæus Medina, Lessius & Rebellus, duos regales, seu dimidium florenum; Toletus sub disiunctione vnum regalem, vel duos constituunt. Cum quibus non est magnopere litigandum: cum præsertim in particulari furti malitia ex omnibus circumstantijs diiudicanda sit; & valor ac copia pecuniæ, vt & aliarum rerum, in omnibus locis non idem sit: quin etiam ijsdem in locis vario tempore variari soleat: sicut passim minor hoc tempore est valor pecuniæ in ordine ad merces, quam olim; vt proinde nec eadem iam pecuniæ quantitas, quæ olim, sufficiat ad mortale, vt recte Rebellus. 112

ASSERTIO IV. Notabilis quantitas respectiua, tum ex damno, seu incommodo per accidens subsequente; tum experſonarum, ac ipsius materiæ ablatæ, alijsque circumstantijs est diiudicanda; etsi diuersa ratione. Colligitur ex citatis pro prima & tertia assertione. Et declaratur. Notabilis enim quantitas furti duo includit: primò ipsam magnitudinem & quantitatem rei ablatæ, qua damnum alteri datum fuerit; secundò rationabile inuoluntarium, etiam quoad ipsam rei acceptæ substantiam, in eo, qui damnum passus est. 113

Iam ex priori capite, ad æstimandam notabilem, quantitatem furti respectiuam, spectat consideratio damni; eatenus enim furtum parum vel multum aduersatur iustitiæ, quatenus eo magnum, vel par- 114

uum.

uum damnũ datũ; siue per se, siue per accidens, vt etiam assertione 1. dictũ. Vnde in ipsis etiam personis, quibus damnum est datum, quoad hoc, omnibus alijs circumstantijs sepositis, eæ solum spectari debent, ex quibus fit, vt illæ per accidens maius aliquod damnum, siue incommodum sentiant, quam alterius conditionis personæ. Quales quidem circumstantiæ sunt, magna & specialis quædam indigentia, siue necessitas, aut etiam vsus rei ablatæ. Ob quam causam erit peccatum mortale, pauperi auferre aliquot solum cruciferos, imo etiam aliquot nummos; quibus ille se vno die vtcunque sustentasset, non habens iam vnde viuat, vt recte Toletus lib. 1. cap. 16. Valentia, & alij citati.

Sicut etiam artifici aut mercenario suum auferre instrumentũ, quo victum acquirere solebat, aut etiã quæstũ facere, & sine quo id iam facere non potest, vt habet communis & certa sententia, apud citatos; esto interim, vt putat Lessius n. 14. Rebellus n. 13. hæc non sint sufficiens materia & causa excommunicationis, etiamsi damnum non restituatur, iuxta Concil. Tridentinum sess. 25. cap 3. de reformat. In quem sensum etiam Nauarrus cap. 17. n. 3. Aragonius hic & Sa V. *Furtum* aiunt, excommunicationem latam ob furtum, intelligi tantum, si sit ex se mortale, rei videlicet per se notabilis; non autem si per accidens graue damnum sequatur; etsi contrarium non improbabiliter dicant Sylvester & Sotus.

116 Ex alio vero capite, variæ aliæ circumstantiæ personarũ, & rerũ ipsiusque etiam acceptionis attendendæ sunt. Et primò quidem in personis damnum passis, hac ratione etiam spectari poterit egestas, vel opulentia, seu potius liberalitas & parsimonia. In quem sensum accipi potest, quod dixit Aragonius, in diuitibus inuitis, etiamsi reges sint, duorũ, & trium, & etiam vnius aurei quantitatem esse sufficientem materiam, ex natura rei, ad peccatum mortale furti: in communibus autem personis, quatuor vel quinque regalium: in pauperibus vero vnius, vel duorum. Sed non placet absoluta hæc, inter diuites & pauperes, discriminatio; fieri enim potest, vt in æquali summa dives æquè inuitus sit, atque etiam iuxta suum statum non minus indigeat magnis opibus, ac pauper paruis, vt etiam assertione 3. dictum.

117 Ex alijs ergo circumstantijs faciendum iudicium de animo possidentis; vt si dives, aduertens tales surreptiones, non curet, sed palàm toleret & permittat; alioquin supposito inuoluntario, secluso que speciali incommodo, de quo suprà, inter pauperem & diuitem, per se nullam esse differentiam, verius est.

118 Secundò ex hoc capite in personis ipsis spectanda est mutua habitudo & beneuolentia; an scilicet valdè coniunctæ; an ei, qui aufert, ampla alioquin in negotijs gerendis, ab eo, cui nocetur, potestas commissa; tunc enim ille, qui nocumentum patitur, non ita semper rationabiliter inuitus patitur. Quo modo dixit Bannes, si filius furetur à patre prædiuite quinquaginta aureos (rectius Lessius cap. 12. dub. 3. duos, inquit, vel tres aureos) non (statim) erit peccatum mortale: & tamen si seruus furetur ab eodem vnum ducatum, erit peccatum mortale.

Similiter est aliud exemplum, inquit, si aliquis officialis regis, cui committitur dispensatio multorum millium ducatorum, accipiat sibi centum, vel ducentos, non est peccatum mortale &c. Sed vt doctrinam generalem in se probo, ita in exemplis tantam laxitatem improbo; & iuxta consuetam in Germania praxin, intolerabilem existimo. Iudicium ergo hac de re erit penes prudentem.

Tertiò considerari etiam ex hac parte debet 119
modus accipiendi; vt si à diuersis, aut longo post interuallo, res paruæ auferantur, iuxta dicta suprà de restitutione q. 6. dub. 9.

Quartò addi solet, in materia considerandum, sintne res tales, quæ paruo labore crescunt, aut magno periculo sunt expositæ; quia vt rectè dixit Bannes, in his non erit peccatum mortale, accipere in tanta quantitate, quanta erat sufficiens constituere peccatum mortale in alia materia; vel in rebus, quæ non essent tanto periculo expositæ; vt v. g. non erit peccatum mortale accipere castaneas ex sylua in tanta quantitate, quæ æstimaretur vno ducato in foro.

Sed hæc consideratio propriè nec ad rationem 120
voluntarij pertinet; nec ad rationem ipsius quantitatis notabilis; quasi ob eam causam, res æquialens notabili illi summæ, quæ ad mortale furtum alioquin sufficiat, iam non sit notabilis quantitas; sed solum quatenus ipsum intrinsecum rei valorem diminuit, qui ex alijs etiam capitibus diminui potest, vt de contractibus dictum. Vnde si res tales in eo statu, in quo auferuntur, etiam periculo, & omnibus circumstantijs spectatis, tanti valeant, quantum est pretium notabile, ad furtum mortale sufficiens, certe per se peccatum mortale erit talia auferre.

Sicut etiam ob opulentiam, aut coniunctionem personarum, ex dictis non aliter maior quantitas furti mortalis constituenda est; nisi quatenus minor quantitas non censetur verè ab inuitis quoad substantiam rei acceptæ, adeoque per furtum propriè accipi. Quod si propriè loquendum sit, tum eadem quantitas, quæ in alijs ad mortale sufficit, etiam in his sufficere dicenda erit; si modo vere per furtum ab his, etiam quoad substantiam inuitis, auferatur.

Dices; si ab obolo ad ducatum progrediendo, 121
est certa quædam quantitas, quæ faciat peccatum mortale, & qua minor non est peccatum mortale; sicut reuera esse debet: Ergo omne furtum ex sua natura erit, aut mortale, aut veniale; quia incredibile est, vnius oboli adiectione, materiam peccati adeo posse immutari, vt quod natura sua erat antea veniale, postea fiat mortale.

Respondetur negando consequentiam: quia 122
ipsa natura rei hoc exigit; vt prudentis, ipsiusque inprimis Dei secreta æstimatione, tandem eo modo procedendi, perueniatur ad notabilem quantitatem; adeoque vt adiectione etiam vnius oboli fiat mortale, quod antea natura sua erat veniale. Quod incredibile non erit ei, qui considerauerit, etiam in naturalibus vnius sæpe minimæ qualitatis seu gradus adiectione omnẽ naturã mutari. Ita enim adiectione vltimi gradus, ad præsuppositam dispositionem, completur dispositio, & noua

forma introducitur: sic vltima gutta nauem ingressa, eam tandem, in virtute etiam præcedentium, demergit; sic vltimus ictus, etsi per se leuis, hominem tandem occidere potest, minimè moriturum vi sola præcedentium, vt etiam diximus tom. 2. disp. 4 q. 5. dub. 1. n. 36.

123 Quæritur III. Quid sit dominò rationabiliter inuito accipere. Respondetur, ad hoc tria generatim requiri. 1. vt dominus sit inuitus non solum quoad modum, sed etiam quoad ipsam substantiam acceptionis; nolens hic & nunc, hanc rem ab altero velut propriam possideri. 2. vt omnibus spectatis, ius habeat ad eiusmodi rem, etiam hic & nunc retinendam. 3. vt verè auferatur res aliena, cum damno videlicet domini, & serio.

124 Quo fit, vt acceptio rei alienæ ob varias causas possit ab iniustitia excusari. I. Si ioco fiat, absq; damno alterius; licet accipiens peccet contra charitatem, si sciat, alterum ob rem absconditam blasphematurum. II. Si fiat in pœnam, per publicam authoritatem, secundum ordinem iuris; quo modo Israëlitæ licitè spoliarunt Ægyptum. III. Si fiat, ad auertendum nocumentum aliquod à domino, vel altero, cui magis consulendum; modo res postea eidem restituatur; nisi fortè licitè, absque omni vtilitate auferentis, fuerit destructa. Sic licet auferre gladium furioso; sic prodigo viro, potest vxor pecunias clam accipere, easque in vsum rei domesticæ conuertere; sic vinum abscondere licet ebriosis; chartas, aleas, impijs lusoribus.

Et addit Toletus lib. 5. cap. 15. posse etiam vinum effundi, chartas disrumpi; quod consequenter multo magis asserere licet de libris hæreticis, qui licitè à domino retineri nullo modo possunt; aut si retinet, suo damno retinet, saltem si Dominus etiam rogatus non videtur spontè depositurus, & in vsum licitum conuersurus. Consentire videtur Sa V. *Furtum*; vbi absolutè docet, eum qui accipiendo nullum damnum dedit, quia Dominus re illa non vtebatur, non teneri restituere, si nulli vsui est futura.

125 Sed in particulari circumstantiæ considerandæ erunt; & habenda ratio scandali, & offensionis; quando præsertim agitur de re magni pretij; est enim quoddam genus pœnæ & violentiæ, inuito rem suam, ad quam nullum ius habes, accipere: quod proinde per se non videtur licitum nisi authoritatem publicam habenti: Nec quoduis damnum, ex possessione consequens, facit ius alteri, vt eiusmodi res auferatur possessori, vt dictum de causis à restitutione excusantibus quæst. 6. dub. 15.

126 IV. Si fiat ob necessitatem extremam, suam, vel aliorum euitandam, qui versantur in probabili vitæ periculo; tum enim cum omnia fiant communia, licitè accipitur quod necessarium est, vt docet Sanctus Thomas hic quæstione 66. art. 7. Secus si non sit extrema, sed solum grauis necessitas, vt ex veriori sententia S. Thomæ docent Caietanus, Aragonius ibidem, Valentia quæst. 10. pun. 5. licet aliter sentiat Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 1. n. 375. Sa V. *Furtum*, Lessius cap. 13. dub. 12. post Angelum V. *Furtum*, § 37. Syluestrum quæst 5. Nauarrum cap. 17. n. 5. Medinam Cod. de Eleemosyna q. 7. de quo etiam supra q. 6. dub 15. de causis à restitutione excusantibus itemque dub. 14. num. 407.

V. Si quis faciat sibiipsi compensationem rei debitæ, seruatis debitis conditionibus, de quibus dictum ibidem cit. dub. 14. 127

VI. Si damnum patiens, non sit inuitus, quoad ipsam ablatam rei substantiam, sed tantum quoad modum accipiendi; quo modo Sa V. *Furtum*, dicit, non esse mortale clam abeo accipere, qui daret, si peteretur, etiamsi clam accipi nolit; nec oportere etiam hoc casu restituere acceptum.

Sed hoc vniuersim non placet, quia fieri interim potest, vt dum non rogatur, Dominus planè sit, & maneat rationabiliter inuitus, etiam quoad ipsam ablatæ rei substantiam: & conditio in re non posita, non mutat statum rei, in quo secluſa conditione, reperitur. Facilius id concesserim de filijs respectu Parentum, vt notat etiam Lessius cap. 12. dub. 13. & mox pluribus dicetur.

Quæritur IV. Quid sentiendum de furtis, filiorum, Coniugum, Religiosorum. De hac re statuimus sequentia pronunciata. I. Inuito rationabiliter (quoad ipsam rei substantiam) marito, aut Patre, rem notabilem accipere, mortale furtum est, & restituendum iuxta dicta. Ita communis. Colligitur ex Prouerb. 28. v. 24. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Accipere autem ab eis rem paruam, furtum non censetur; nec etiam rem magnam, ad dandam eleemosynam in casibus licitis. &c. 128

II. Ad discernendum, quænam in his personis sit notabilis quantitas, quæ ab inuitis accipiatur, considerandæ sunt personæ circumstantiæ; mutui videlicet amoris, diuitiarum; imò etiam ætatis & status, seu conditionis; quia non eadem quantitas, quæ est notabilis respectu filij & vxoris; nec in omni ætate & conditione eadem est parentum liberalitas erga filios, aut indulgentia. De qua re quæsito secundo. 129

III. Vir, si dotem vxoris (cuius dominium directum non habet, sed solum vtile) aut donata propter nuptias distrahat, tenetur ad restitutionem, secundum omnes; idque similiter, si bona sibi cum vxore communia dissipet, vt docet Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 1. num. 155. contra Nauarrum. Excipiuntur tamen ab eodem post Syluest. perdita per ludum, aut alium contractū onerosum; in quo non minus lucrari, quam perdere potuisset, nisi, vt limitat Lessius, in casu, quo vir ludendo communiter perdere solitus, ab vxore fuisset inhibitus. 130

IV. De Religiosis ita tradit Rebellus lib. 3. de iustitia quæst. 15. num. 22. *Quoad religiosos*, inquit, *similiter non erunt credendi Prælati, ac Religio ipsa magis inuiti, circa res clam acceptas à subdito, quã Parentes carnales quoad filios suos; cum non minus subditos diligere debeant; sed magis, præsertim ad præcauenda peccata; nec minus liberales esse debeant, quoad Christi Domini patrimonium, quod gratis acceperunt. Hinc fit, vt non debeant censeri inuiti quoad rem acceptam eiusdem quantitatis, in qua carnalis pater honestæ conditionis, inuitus non censeretur; quamuis eo grauius sint censendi* 131

inuit

inuiti quoad modum, quo magis, ex peculiari vitæ instituto, quisque subditus ad eiusmodi furta cauenda tenetur; grauiusq; proinde venialiter peccet, contra perfectionem voti Paupertatis. Quod si furtum non per minima, sed simul factum, tres vel quatuor argenteos regales excedat, à peccato mortali sacrilegij contra votum Paupertatis excusari non debebit. Ita Rebellus. Plura supra de Eleemosyna, & inferius disp. 6. q. dub. 4. de paupertate religiosa.

DVBIVM VII.

De Contumelia, Detractione, Derisione, Maledictione, quæ verbo consummantur, & potissimum honorem ac famam lædunt.

S. Thom. 2. 2. q. 72. 73. 74. 75. 76.

QVæritur I. Quid, & quale peccatum sit Contumelia. Respondeo I. ex S. Thoma q. 72. a. 1. contumeliam esse vitium Iustitiæ oppositum, quo iniuste læditur honor proximi; seu verbis, vt conuitiando, calumniando, seu factis, tanquam signis, vt probrose percutiendo; seu etiam per negationem honoris debiti, eo nimirum loco & tempore, quo ea ipsa interpretatiuus quidam contemptus alterius censeatur. 132

Respondeo II. Contumeliam, conuitium, & improperium distingui quidem, stricte loquendo, inter se; nempe quod per contumeliam defectus culpæ; per conuitium quodlibet animæ, seu corporis vitium, vt cæcitas, &c. per improperium, defectus minorationis, siue indigentiæ alteri contemptim repræsentatur, vt docet S. Thomas q. 72. a. 1. ad 3. Attamen nihilominus generatim loquendo, omnia ista, comprehendi sub nomine contumeliæ: & vero omnes contumelias per se esse eiusdem speciei, ob eandem rationem formalem iniuriæ, quam inferunt. 133

Respondeo III. Peccatum hoc quidem ex suo genere esse mortale; & grauius infamia; excusari tamen à mortali, vel ob indeliberationem, vel ob leuitatem materiæ. Vnde contumelia licet per se grauis, inter pueros tamen, fœminas & viles personas, non est semper peccatum mortale, vt conuenienter S. Thomæ, quæst. 72. artic. 2. notat, Sa, V. *Iniuria.* 134

Imo si quis alteri dicat verba contumeliosa, non vt honorem lædat; sed propter correptionē (quod tamen nec facile, nec incaute, nec ab omnibus fieri debet) aut iocum, aut aliquid simile, aut nullum, aut veniale tantum est peccatum; modo caueatur scandalum, & reipsa conuitium præter modum non sit grauiter læsiuum, vt docet ibidem S. Thomas.

Quæritur II. Quid & quale peccatum sit Detractio. Respondetur sequentibus pronuntiatis. 135

I. Detractio ex suo genere est peccatum mortale, contra iustitiam, grauius quidem furto, sed leuius homicidio, adulterio, & contumelia. Ita S. Thomas quæst. 73. art. 1. 2. & 3. ex communi. Probatur. Quia Detractio nil aliud est, quam denigratio famæ alienæ per verba, ex communi S. Thomæ a. 1. Seu iniuriosa læsio famæ alienæ, quæ bonis fortunæ anteponitur. Ea vero, non accidit, si crimen, quod narras, iam ante notum sit audientibus, modo asseuerantius non affirmes.

Dicitur autem fama, *illæsæ dignitatis status, vita & moribus comprobatus*, ex l. *In legem* ff. de varijs & extraordinarijs conditionibus: siue quod idem est, *Bona opinio & fermocinatio plurium, de virtute & dignitate alicuius.* Et Glossa in Prouerb. 4. ait, hoc specialiter vitio *totum humanum genus periclitari.*

Quod si, vt nonnunquam fieri posse inferius patebit, illicite quidem, & contra charitatem, sed non contra iustitiam lædatur fama proximi, non erit detractio stricte, sed paulo latiori significatu, prout omnem irrationabilem alienæ famæ læsionem comprehendit.

II. A peccato tamen mortali excusatur detractio, tum ob paruitatem materiæ, si fama parum lædatur; vel ob imperfectionem actus, ex indeliberatione scilicet & ignorantia seu inaduertentia probabili facti, quod res esset occulta, siue quod incogitanti ater sermo excidat. Quo etiam reducenda est excusatio petita à leuitate animi, seu loquacitate, ex S. Thoma hic q. 73. a. 3. Ea enim per se à mortali non excusat, sed solum ratione indeliberationis, vt recte Valentia quæst. 17. pun. 2, 136

III. Materia non leuis, sed grauis, est omnis & solus defectus, respectu ipsius personæ læsæ grauiter probrosus, adeoque non solum omne peccatum mortale; nisi eiusmodi sit, quod nec ipse sibi, nec eidem alij, pro personæ conditione, magnopere probrosum ducant, vt seculari homini & leui, esse potatorem, lusorem &c. militi duello conflixisse; sed etiam quandoque veniale, vt in viro graui censeri mendacem, quicquid absolute de veniali negent Nauarrus cap. 17. n. 24. & Sylvester V. *Detractio* q. 1. post Antoninum part. 2. tit. 8 cap. 4. Aliquando etiam solus quidam defectus naturalis, vt est occultus defectus Natalium, saltem in persona honorata, ex communi, apud Petrum Nauarrum lib. 2. cap. 4. à num. 36. Lessium lib. 2. cap. 11. dub. 3. Aragonium hic quæst. 73. artic. 2. dub. 4. 137

IV. Ob leuitatem vero materiæ à mortali non excusatur, nec I. qui occultum & infame crimen personæ notæ, vni vel duobus etiam fidissimis, qui nullo modo obfuturi putentur, etiam sub secreto temere narrat; quia si iudicium temerarium vnius de altero grauiter lædit existimationē, cur non etiam vnius apud vnum detractio famam? vt recte Sotus lib. 5. quæst. 10. art. 2. Nauarrus cap. 18. n. 19. Valentia quæst. 17. pun. 2. Aragonius & Bannes q. 73. art. 2. licet contrarium non omnino improbabiliter sentiant Caietanus ibidem, Petrus Nauarrus num. 335. & ex parte Lessius dub. 11. Nempe si vir ille, cui reuelatur crimen, talis non sit vt persona reuelata multum ab eo pendeat, & cum eo assidue consuescere soleat. 138

Nec excusatur II. q auditum crimen simpliciter absque noua asseueratione, vel confirmatione narrat 139

narrat; si quidem animaduertebat, aliquos ex audientibus licet temere, crediturос, vt recte Sotus lib. 4. quæst. 6. a 3. Salon loc. cit. Valentia q. 6. pun. 5. & quæst. 17. pun. 2. Nauarrus cap. 18. numero 50. etsi non omnino improbabiliter, Caietanus cit. a. 2. Petrus Nauarrus n. 330. Carbo quæst. 20. Sylueſter V. *Detractio* quæſtione 4. Sa V. *Infamare*, poſt Scotum, Gabrielem, Adrianū, tales excuſent, ſaltem à peccato mortali iniuſtitiæ, & obligatione reſtituendi; eo quod damnificatio non tam ſit dicentium, quam credentium.

140 Nec diſplicet diſtinctio Leſſij dub. 5. nempe, ſi quis ita referat, vt probabile non putet, vllum crediturum, tum per ſe non eſſe peccatum mortale; ſi vero eo modo narret, vt aliquos ex leuitate quidem crediturос putet, ſed nulla per ſe data cauſa ſufficiente, peccare, mortaliter, ſaltem contra charitatem, non contra iuſtitiam; ſi vero referat eo modo, ijſque authoribus relatis, vt credentes non minori iure moueri poſſint ad credendum, quam ſi id ſuo proprio teſtimonio confirmaſſet, tum & peccare mortaliter contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem.

141 Nec III. à mortali excuſatur, qui infamatum de maiori crimine, infamat de alio minore, diſparato, & minime connexo; v. g. de furto homicidam, vt recte contra Paludanum 4. diſtinctione 19. finali, Sylueſtrum V. *Detractio* quæſtione 4. & Cordubam, tradunt Petrus Nauarrus n. 326 Nauarrus cap. 18. n. 42. Leſſius dub. 14. poſt Adrianum.

Nec IV. Qui poſt narratum alicuius crimen ſtatim ab eo pœnitentiam actam aſſerit, ex communi apud citatos, quicquid nonnulli dixerint.

Nec V. Qui aliquem in vno graniter culpat, in alio laudat, vt ex certa & communi Petrus Nauarrus n. 370.

142 Nec VI. Qui crimen publicum & notorium ſola euidentia facti, vel indiciorum, euulgat in locis remotioribus, ad quæ moraliter alioquin fama non erat peruentura, ex communi apud Valentiam, Aragonium, Petrum Nauarrum, contra Caietanum, Nauarrum, Sa.

Secus ex probabili, ſi quis etiam iniuſte, infamatus in vno loco, infametur in alio propinquo, ad quem cito & facile, ac quaſi ineuitabiliter, idem rumor erat peruenturus; tunc enim moraliter rem æſtimando, fama iam antea tali loco quaſi amiſſa cenſeri poteſt; iuxta Aragonium, Bannem, Valentiam. Leſſium: aut ſi quis crimen per ſententiam iudicis notorium, ſecluſo odio, euulget in alio loco quantumuis, remoto, iuxta Nauarrum cap. 18. num. 26. Caietanum opuſc. 31. reſponſ. 9. Leſſium lib. 2. cap. 11. dub. 13. Aragonium hic, Sa citatum: etſi Adrianus, & quoad locum valde remotum Valentia contrarium ſentiant, ſicut & Sotus citatus, & Toletus lib. 5. cap. 65. qui ſaltem id eſſe mortale contra charitatem docent. Sed in contrarium eſt, quod iuſtam ſententiam, iudicis ſuo modo exequi (vti quodammodo accidit in tali caſu) non eſt mortale.

Nec VII. à mortali excuſatur, qui prodit crimen eius, qui olim quidem eo fuit infamatus, 143
iam autem honeſte viuendo famam recuperauit, ex communi, apud citatos, etſi Leſſius ſignificet, id tantum fore contra charitatem.

Quantum autem ſit peccatum de alio dicere, eſſe ſuperbum, iracundum, auarum, &c. quætum inclinationes naturales, tum peccata etiam mortalia ſignificare poſſunt, ex circumſtantijs & exiſtimatione, quam audientes concepturi videntur, æſtimandum eſt; licet communiter de homine ſeculari prolata grauiter accipi non videantur, ſecundum Sylueſtrum V. *Detractio* q. 1. Petrum Nauarrum n. 329. Leſſium dub. 3.

V. Sine peccato alterius crimen manifeſtatur. 144
I. Ob bonum commune ex zelo iuſtitiæ, accuſando, denunciando, iuxta dicta q. 4.

II. Ob aliorum priuatum bonum, ſi cui nimirum ex ſimulatione, vel occultatione imperitiæ, improbitatis, &c. aliqua pernicies immineat, vt recte cum Soto, & Adriano Petrus Nauarrus num. 341. Valentia citatus. Leſſius dub. 10. Eodem modo, quando iuſtis de cauſis v. g. propter officium, matrimonium, ordines, religioſum ſtatum, &c. petitur de aliquo informatio, non eſt peccatum, eius mores & defectus prodere, quoad opus eſt, ad finem iuſtæ inquiſitionis, vt recte Petrus Nauarrus num. 308. Aragonius art. 2. modo in vtroque caſu damnum infamati non ſit ita enorme, vt iuxta charitatis ordinem, eius potius præ altero habenda ſit ratio, vt recte Leſſius.

III. Licite proditur crimen ob bonum ipſius 145
peccantis, vt emendetur, correptionis tamen ordine ſeruato, de quo ſuo loco diſput. 2. quæſtione 5. dub. 5.

IV. Ob bonum proprium, nempe vt conſilium accipias, vt integre confitearis, &c. Imo etiam ſolatij cauſa, iniuriam ab altero acceptam amico exponere, non eſt peccatum, ſaltem mortale, iuxta Petrum Nauarrum numero 335. & Leſſium dub. 12.

Et generatim licitum eſt, ob tui, vel proximi defenſionē, infamantis crimen, modo verum 146
ſit, detegere & dicere, eum mentiri, cum opus eſt, ad minuendā eius authoritatem, vt docet Sa V. *Infamare*, poſt Maiorem 4. diſtinct. 15. q. 16. Sotum ibidem quæſt. 3. Sylueſtrum V. *Reſtitutio*, Nauarrum cap. 18. num. 48. ſeruato tamen per omnia moderamine inculpatæ tutelæ; ne plus noceas, quam ad defenſionem opus ſit; nec etiam eiuſmodi crimen prodas, quo eius authoritas in fide facienda nil imminuatur, in quo facile poteſt peccari. Idem in ſpecie de reo ſuo loco dictum quæſt. 4. dub. 5.

Non eſt etiam peccatum, ſaltem mortale, vitium publicum, aut naturale competitoris te non dignioris, vt officium, ſeu beneficium, quo dignus es, conſequaris, ſuperiori, vel ijs quorum intereſt, prodere, iuxta Sa citatum. Imo adſpirantis ad beneficium, officium, vel dignitatem aliquam, licere quoſuis etiam occultos defectus ſeu inhabilitates ſuperiori denunciare, notat Toletus libro 5. cap. 65. poſt Nauarrum in cap *Inter verba* num. 854.

147 Atque hinc etiam de Historicis fieri potest iudicium; quibus certè quidem occulta & probrosa crimina, præsertim si etiam in graue probrum viuentium vergant, prodere non licet: cætera verò publica bono fine, ad exemplum posteritatis prodere licet, vt rectè docent Sotus lib. 5. q. 10. a. 2. Valentia q. 17. pun. 2.

148 VI. Etiam sui ipsius infamatio, sine causa rationabili facta, est peccatum; & quidem nonnunquam mortale; saltem ex circumstantijs, puta ratione scandali proprij vel alieni; ratione documenti seu corporalis etiam proprij (vt accidit, si quis propter leuia tormenta imponat sibi crimen morte plectendum, vt ex Soto docet Lessius dub. 7.) seu temporalis alieni, vt si parentis infamia cedat in dedecus filiorum &c. secundum omnes: siue ea interim etiam ex suo genere sit mortale peccatum, vt putant Caietanus & Valentia; siue non, vt post Adrianum existimant Sotus lib. 5. quæst. 10. art. 2. Nauarrus cap. 18. num. 28. Petrus Nauarrus num. 120. Lessius citatus. Ratio est. Quia licet homo sit Dominus famæ, est tamen hoc bonum, moraliter loquendo, ad virtutis exercitationem valdè vtile, imò imperfectioribus quodammodò necessarium.

149 Ex causa vero rationabili, nempe pro maiori bono suo, vel alterius, v. g. ob insignem fructum spiritualis profectus, vel vt vitam tuam, aut alterius serues, &c. non est peccatum, seipsum infamare, ex communi, contra Caietanum.

Imò etiam ob notabile bonum, etsi aliquo modo inferius, seu quod idem est, ob causam grauem, etsi non omninò parem, prodigere famam, non est per se mortale, apud citatos; vt si quis propter grauissima tormenta euadenda, seu verè, seu falso, infamet seipsum, licet idcirco etiam morte plectendum, vt rectè cum Soto docent Nauarrus, Valentia q. 17. pun. 2, Lessius citatus, & dictum etiam quæst. 4. dub. 5. Quo modo autem aliquando ob restitutionem alteri faciendam, teneatur etiam quis seipsum infamare, dictum est de restitutione famæ q. 6. dub. 6.

150 VII. Etiam detractiones voluntarie audire, & admittere, est peccatum mortale, ex suo genere, ex communi apud S. Thomam quæst. 73. artic. 4. iuxta illud ad Roman. 1. v. vlt. *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Vnde tenetur quisque eiusmodi malum proximi impedire, vel correptione fraterna, si profutura speretur, vel certe tristis vultus exhibitione, iuxta Prouerb. 25. v. 23. *Ventus aquilo dissipat pluuias; & facies tristis linguam detrahentem*; aut alijs modis infirmando dictum, iuxta S. Thomam ibidem.

151 Est autem hoc peccatum, vel contra iustitiam, si quis directè iniustam detractionem approbet, aut quod deterius, ad eam inducat; vel contra charitatem, si quis merè negatiuè se habeat, non impediendo; nisi ex officio teneatur, aut detrahentem corrigere, aut famam alterius defendere: nempe quia vel huius, vel illius superior est, iuxta dicta de restitutione quæstione 6. dubitat. 2. & 14.

Communiter tamen ex negligentia, timore, aut verecundia non repellere detractionem, solum censetur peccatum veniale; nisi vel audiens Superior sit, vel graue damnum ex detractione secuturum animaduertatur; vel timor ipse adeo peruersus sit, vt propter eum peccare aliquis mortaliter non curet, vt notat Sanctus Thomas cit. quæstione 73. art. 4. iuxta generalem doctrinam de mundano timore traditam disp. 2. quæst. 1. dubitat. 3.

Quæritur III. Quid & quale peccatum sit *susurratio*. 152
Respondeo breuiter. Susurratio iuxta S. Thomam quæstione 74. articulo 1. peccatum est, quo occultè & iniustè dissoluitur, aut læditur amicitia, inter duos. Fit autem per detractionem; aut sine hac, narrando alia, quæ animum amici ab altero possint auertere. Ex suo genere est peccatum mortale, iuxta Ecclesiasticum 28. v. 15. *Susurro & bilinguis maledictus*: & vnicum specie peccatum iuxta S. Thomam quæstione 74. artic. 1. sed grauius detractione, ex a. 2. quia *amico fideli nulla est comparatio*, Eccli 6. v. 15. veniale est vel ex indeliberatione, aut ob leuitatem materiæ, vel inter pueros.

Quæritur IV. Quid, & quale peccatum sit *Derisio*. 253
Respondeo; Derisio iuxta S. Thomam q. 75. articulo 1. peccatum est, quo alteri iniustè malum erubescentiæ (quæ iuxta Damascenum lib. 2. orthodoxæ fidei cap. 15. est timor dehonorationis) cum quadam irreuerentia infertur; non sine perturbatione pacis internæ, & serenitatis conscientiæ, siue tranquillitatis animi. Fit aut verbis, & dicitur simplex derisio; aut factis, & dicitur subsannatio.

Est peccatum mortale ex suo genere, distinctum à contumelia, eaque grauior, iuxta S. Thomam quæstione 75. articulo 2. non quidem per se, & ratione obiecti; sed tum ratione modi; quia iocose agendo proximus magis contemnitur, quam si seriò cum eo ageretur; tum ex accidente, si grauis quidam proximi defectus ita derideatur, tanquam si ob vilitatem personæ paruus sit, vt sic irrisus magis vilipendatur, & quasi pro stulto, aut nullo reputetur: estq; eo maius peccatum, quo maior persona derisa, vt cum *iusti simplicitas deridetur* Iob 12.

Quod si fiat in Deum, est blasphemia; si in Sanctos est irreligiositas; si in parentes impietas. 154
de qua Prouerbiorum 30. v. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.*

Veniale peccatum est, vel ob indeliberationem; vel ob leuitatem materiæ; si defectus & contemptus sit paruus; nisi per accidens sequatur grande scandalum, ira &c.

Si derisio materialiter & in genere accipiatur, aliquando etiam deliberatè facta, nullum est peccatum, vt si fiat moderatæ correptionis ergo, cum debitis circumstantijs; aut si ob conuenientem recreationem, oportuno loco & tempore, ac festiuè, cum debita moderatione, sine derisi contemptu, aut offensione fiat. In quo tamen diligens cautio adhibenda est. Vide Valentiam q. 18. punct. 2.

155 Quæritur V. Quid, & quale peccatum sit *Maledictio*.

Respondeo breuiter I. Maledictio materialis, quâ proximo malum sub ratione boni optatur, per se non est peccatum, vt de odio disp. 2. q. 6. dictum; malum autem sub ratione mali proximo inferendum, aut præcipere, aut imprecari, est peccatum, vt docet S. Thomas q. 76. a. 1. & quidem mortale ex suo genere, eoque grauius, quo personam, cui maledicitur, magis amare & reuereri debemus, iuxta illud Leuitic. 20. v. 9. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur, &c.* vt docet idem a. 3.

Est quidem maledictio peccatum minus detractione, si solum imprecatoria sit maledictio, ob inefficacitatem: grauius vero, si malum infamia grauius proximo efficaciter inferendum præcipiatur, iuxta S. Thomam cit. q. 76. a. 4. Quæ per se patent.

156 Respondeo II. Excusat à mortali, tum leuitas materiæ, si malum, quod alteri imprecaris paruum sit; tum inaduertentia & indeliberatio, si ex subita ira, præuertente plenum libertatis vsum fiat; tum etiam ipse defectus consensus in malum, quod optas: si nimirum ore tantum, non ex animo malum alteri preceris, ex S. Thoma quæst. 76. art. 3. quamuis etiam tunc, ratione scandali, mortale esse possit.

Ipsa vero consuetudo, aut habitus peccandi, aut mox subsequens pœnitentia, per se à mortali non excusant; sicut nec in vlla alia materia, vt recte docent Caietanus in summa V. *Maledictum*, & Valentia q. 19. pun. 2. & generatim dictum tom. 2. disp. 4. q. 9. dub. 3. n. 51.

157 Respondeo III. Creaturis irrationalibus secundum se maledicere (vt fieri solet à rusticis) est verbum otiosum & vanum; maledicere autem illis, vt sunt creaturæ Dei, est blasphemia; sicut etiam maledicere Sanctis, prout in illis Deus habitat: maledicere autem illis, in ordine ad homines, vt sunt res alicuius, seu vt per illas necessitati humanæ subuenitur, atque adeo in nocumentum domini, perinde est, ac malum imprecari ipsi homini.

Si quis autem maledicat illis, prout secundum habitudinem loci, temporis, vel signi, referuntur 158
ad hominem, per modum continentis, aut repræsentantis &c tunc rursus distinguenda est intentio: aut enim ijs maledicis, vt sunt relatiua ad bona humana, quibus vltimate maledicere intendis, vt si v. g. diem maledicis, quo quis natus est, optes vt natus non esset, vel vt malè natus esset, atque adeo infaustus fuisset is dies; & tunc est peccatum mortale ex suo genere: aut maledicis illis, vt referuntur ad mala humana, & hoc modo non est peccatum maledicere, v. g. diem natiuitatis suæ, vel alterius, ob multa mala culpæ, & pœnæ annexa, & consequentia: modo tamen absoluta voluntate diuinæ ordinationi, meliorique bono non repugnetur. Sic enim Iob maledixit diei natiuitatis suæ Iob. 3. & Dauid montibus Gelboë 2. Reg. 1. vt docet S. Thomas q. 76. a. 2. & Caietanus V. *Maledictum*.

Respondeo IV. Maledictum non ad vnum pec- 159
cati genus pertinet; nam si quis alteri malum via non iniusta, sed per Deum, aut elementa, seu alias creaturas, secundum Dei dispositionem, citra iniustitiam inferendum optet, tunc maledictum hoc ad odium spectabit, & opponetur charitati, vt dictum disp. 2. q. 6. & significat S. Thomas hic q. 76. a. 3. vbi maledictum charitati aduersari docet: si quis vero eiusmodi mala iniustè inferenda optet, tunc iniustitiæ aduersabitur, & pro ratione mali, vel ad homicidium & mutilationem; vel contumeliam, aut aliam eius generis peccati speciem pertinebit. Quod colligitur ex S. Thoma hic q. 76. a. 1. asserente, eiusdem rationis malitiam esse, velle, & facere malum. Plura cit. disp. 2. q. 6. Atque hæc de Iustitia pro instituti ratione satis.

INDEX DISPVTATIONIS V.

DE VIRTVTE RELIGIONIS, EIVSQVE ACTIBVS & oppositis vitijs.

De partibus potentialibus Iustitiæ in genere; ac Primum de Religione secundum se, eiusque actibus internis, deuotione & oratione.

Dubium I. *Quæ, & quotnam sint partes potentiales, seu virtutes annexæ Iustitiæ.*

II. *Quidnam sit virtus Religionis, quod & quotuplex eius obiectum, & quomodo ab alijs virtutibus distinguatur.*

III. *Quotnam in genere actus, tum internos, tum externos habeat Religionis Virtus; & speciatim an, quis, & qualis actus Religionis sit deuotio.*

IV. *De oratione velut altero actu interno Religionis, vniuersim ac in genere, speciatim quid & quotuplex sit, ad quos (an etiam Sanctos) dirigenda, & quibus conueniat; quas conditiones requirat.*

V. *De horis Canonicis, quid & quænam sint, à quibus recitandæ; quid recitandum; quomodo & qua deuotione, tum externa, tum interna; quo loco, quo tempore; & demumquæ causæ non recitantem excusent.*

VI. *De restitutione facienda, propter omissas horas Canonicas.*

Quæstio II. De actibus exterioribus Religionis siue latriæ; ac primum de adoratione Dei, Sanctorum, rerumque ac imaginum sacrarum.

Dubium I. *De adoratione in genere, eiusque adeo notione, ratione, varietate, & distinctione ab ijs, cum quibus nonnullam affinitatem habet.*

II. *De adoratione sacra DEI, Christi hominis, & Sanctorum.*

III. *De adoratione sacra reliquiarum, Imaginum, & rerum sacrarum inanimatarum; an sint adorandæ.*

IV. *De ratione & modo adorationis rerum eiusmodi inanimatarum, speciatim quæ circa eam certa; quæ in controuersia sint.*

V. *An imagines etiam proprie vllo modo adorandæ, siue colendæ sint, itemque an ipsæ etiam in se tanquam obiectum quod terminent actum adorationis seu cultus, non tantum ratione signi exterioris, sed etiam ratione internæ submissionis.*

VI. *An, & qua ratione imagines simul cum exemplari, eodemq; cultu coli possint.*

VII. *Verum nihilominus imagines & reliquiæ sacræ secundum se & per se etiam, tanquam totum obiectum materiale cultus, quod immediate ac directe colatur, adorari aliquo, licet inferiori, cultu possint; non adorato formaliter & directe exemplari.*

Quæstio III. De Sacrificio, oblationibus, primitijs, Decimis.

Dubium. I. *De Sacrificio.*

II. *De oblationibus, primitijs, decimis.*

Quæstio IV. De Voto.

Dubium I. *Quid sit votum; & quas conditiones requirat, tum ex parte vouentis, tum ex parte materiæ.*

II. *Quinam vouere possint; & de varia vouentium conditione.*

III. *Quænam generatim sit obligatio voti.*

IV. *Quotuplex sit votum; speciatim in quo consistat votum solenne, & qua ratione à voto simplici differat.*

V. *Quibusnam modis generatim obligatio voti desinat.*

VI. *An humana authoritate proprie in voto dispensari possit, etiam solenni.*

Quæstio V. De actibus externis religionis, quibus diuinum nomen vsurpatur & assumitur; adeoque de Iuramento, adiuratione, & laude DEI.

Dubium I. *De iuramento, speciatim quæ sit vis & obligatio iuramenti; qua ratione in eo dispensetur.*

II. *De adiuratione & laude Dei.*

Quæstio VI. De obseruatione dierum festorum, ac præcepto audiendi missam.

Dubium I. *De prima obligatione dierum festorum, abstinendi ab operibus seruilibus, alijsque nonnullis lege vetitis.*

II. *De altera obligatione dierum festorum, audiendi missam.*

Quæstio VII. De vitijs religioni oppositis per excessum; speciatim de superstitione, varijsque eiusdem speciebus, vt Idololatria, diuinationibus, & vanis obseruantijs.

Dubium I. *De Idololatria, & diuinatione.*

II. *De vanis obseruantijs.*

Quæstio VIII. De cæteris vitijs Religioni oppositis per defectum nimirum tentatione DEI, periurio, sacrilegio, & simonia.

Dubium I. *De tentatione Dei, periurio, & sacrilegio.*

II. *De Simonia, quid, & quotuplex sit, & quomodo ex parte obiecti varie committatur.*

III. *Quomodo committatur Simonia ex parte ipsius commutationis.*

IV. *De Pœnis Simoniæ.*

DISPVTATIO V.

De virtute Religionis, eiusque actibus, & oppositis vitijs.

Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 80. vsque ad 100.

1 *POst quam disputatione præcedenti de iustitia egimus, sequitur, vt cum S. Thoma de partibus eius potentialibus, seu quod idem est, de virtutibus ei propter similitudinem annexis agamus: in quibus principem locum obtinet religio, de qua proinde S. Thomas hic à quæstione 81. vsq; ad 100. viginti omnino quæstionibus prolixe & accurate agit; cum mox deinde alias virtutes iustitiæ annexas, alijs viginti quæstionibus, nimirum à quæstione 100. vsq; ad 120 pertractet; quibus denique tractationem de statibus subiungit. Cuius methodo ita inhærebimus, vt tamen more nostro plæraque ad pauciores quæstiones reuocemus.*

Quare vniuersam hanc de religione disputationem octo quæstionibus complectemur. I. *De partibus potentialibus Iustitiæ in genere; ac primum de religione secundum se, eiusque actibus internis, deuotione, & oratione.* II. *De actibus exterioribus religionis siue latriæ; ac primum de adoratione Dei, Sanctorum, rerumque ac imaginum sacrarum.* III. *De Sacrificio, oblationibus, primitijs, decimis.* IV. *De voto.* V. *De iuramento, adiuratione, & laude Dei.* VI. *De obseruatione dierum festorum, ac præcepto audiendi Missam.* VII. *De vitijs religioni oppositis; ac primum de superstitione, varijsque eiusdem speciebus, vt idololatria, diuinationibus, & vanis obseruantijs.* VIII. *De alijs vitijs Religioni oppositis per defectum, nimirum tentatione Dei, periurio, sacrilegio, & simonia.*

QVÆSTIO I.

De partibus potentialibus Iustitiæ in genere; ac primum de Religione secundum se, eiusque actibus internis, Deuotione, & Oratione.

S. Thomas 2. 2. q. 80. 81. 82. & 83.

ABsoluetur hæc quæstio sex dubitationibus. I. *Quæ & quotnam sint partes potentiales, seu virtutes annexæ iustitiæ.* II. *Quidnam sit virtus religionis; quod & quotuplex eius obiectum; & quomodo ab alijs virtutibus distinguatur.* III. *Quosnam in genere actus, tum internos, tum externos habeat religionis virtus; & speciatim an, quis, & qualis actus religionis sit deuotio.* IV. *De oratione velut altero actu interno religionis vniuersim ac in genere; speciatim quid, & quotuplex sit; ad quos, an etiam ad Sanctos dirigenda; & quibus conueniat, quas conditiones requirat.* V. *De horis Canonicis; quid & quænam sint, à quibus recitandæ, quid recitandum; quomodo, & qua deuotione, tum externa, tum interna; quo loco, quo tempore, & demum quæ causa non recitantem excusent.* VI. *De restitutione facienda propter omissas horas Canonicas.*

DVBIVM I.

Quæ, & quotnam sint partes potentiales, seu virtutes annexæ iustitiæ.

S. Thomas 2. 2. q. 80. art. vn.

PArtes potentiales iustitiæ dici eas virtutes; quæ
3 ob similitudinem & affinitatem, iustitiæ tanquam virtuti principali adiunguntur, ex dictis disput. 3. quæstione 2. dub. 4. liquet; in quibus cum duo requirantur; nimirum, vt virtutes illæ cum iustitia velut principali virtute conueniant; deinde, vt aliquo modo à perfecta eius ratione deficiant, recte statuit Sanctus Thomas quæstione 80. articulo vn. omnes virtutes quæ *ad alterum* sunt, posse *ratione conuenienti iustitiæ annecti.*

Ratio vero perfecta iustitiæ, cum præter *alteritatem* perfectam, duas alias conditiones requirat, nimirum & perfectam *æqualitatem*, & perfectum seu *legale debitum*, prout opponitur debito morali, vt ex dictis disput. præced. de iustitia quæstione 2. dub. 1 liquet; hinc *duplex* nascitur ordo virtutum, quæ cum sint quidem ad alterum, ob defectum tamen alterutrius conditionis, à ratione iustitiæ deficiunt, eidemque tanquam virtutes secundariæ, in suo genere principali adiunguntur. Primus earum, quæ deficiunt à perfecta ratione æqualitatis; secundus earum, quæ deficiunt à perfecta ratione debiti, nempe legalis.

4 Prioris generis virtutes sunt, quæ debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale; quales sunt hæ tres virtutes *Religio*, *Pietas*, *Obseruantia*. Cum enim quidquid hominis est, Deo debitum sit, non potest homo Deo reddere æquale, vt scilicet *tantum ei reddat, quantum ei debet*, aut secundum exactam iustitiæ rationem deberet; secundum illud Psalm. 115. v. 12. *Quid retribuam domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Ita etiam parentibus, iuxta Aristotelem 8. Ethic. cap. vlt. æquiualens reddi non potest virtute pietatis; per quam, vt ait Cicero lib. 2. de inuent. *sanguine iunctis patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus.* Denique nec virtuti, seu virtute præditis æquale præmium persolui potest, iuxta Aristotelem 4. Ethic. cap. 3. vt proinde etiam obseruantiæ virtus, qua iuxta Ciceronem loc. cit. *homines aliqua dignitate antecedentes quodam cultu & honore dignamur*, ea de causa à perfecta ratione iustitiæ deficiat.

Ob defectum autem debiti legalis, à perfecta 5
ratione iustitiæ desciscunt omnes illæ virtutes, quæ solum continent debitum morale, non legale; quod scilicet non aliqua speciali legis obligatione, ius alteri conferente; sed solum *ex honestate virtutis* debetur, iuxta Aristotelē 8. Ethic. cap. 13.

Quod quidem debitū rursum duplex est; quoddam enim adeo necessarium est, vt sine eo honestas morum conseruari non possit. Et hoc debitū continent *Veritas*, qua opus est, vt talem se quisque exhibeat alteri, in verbis, & factis, qualis est. Item *Gratia* seu *Gratitudo*; qua vt ait Cicero loco citat.

amici-

amicitiarum & officiorum alterius memoria ac remunerandi voluntas continetur. Denique talis est *vindicatio*, seu iustitia vindicatiua, per quam, vt ait Cicero loco cit. *vis aut iniuria, & omnino quicquid obfuturum est, defendendo, aut vlciscendo propulsatur.* Aliud vero debitum inferioris ordinis est; vtpote non simpliciter & absolute, sed tantum quasi ad bene esse necessarium; vtpote *conferens ad maiorem honestatem*, sine quo tamen honestas absolutè conseruari potest. Quod quidem debitum attendunt *liberalitas, affabilitas*, siue *amicitia*, & aliæ eiusmodi virtutes: quas tamen Cicero mox referendus in enumeratione virtutum iustitiæ annexarum prætermittit, quia *parum habent de ratione debiti.* Ita S. Thomas cit quæst. 80. a. vn.

6 Ex quibus etiam idem varias variorum auctorum enumerationes virtutum iustitiæ annexarum explicare, & inter se conciliare nititur. Nam primo Tullius cit. lib. 2. de Inuent. enumerat sex virtutes iustitiæ annexas, scilicet religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem; quarum ratio & enumeratio ex dictis constat.

7 Secundò Macrobius in somnium Scipionis lib. 2. cap. vlt. septem enumerat, scilicet innocētiam, amicitiam, concordiam, pietatem, religionem, affectū, seu beneuolentiam, & humanitatem. Cuius enumerationis S. Thomas eodem art. vn. ad 2. hanc rationem reddit. Macrobius enim attendisse videtur ad duas partes integrales iustitiæ, quæ sunt declinare à malo, ad quod pertinet innocentia; & facere bonum, ad quod pertinent sex alia. Quorum duo videntur pertinere ad æquales, scilicet amicitia in exteriori conuictu, & concordia interius in mente: duo verò pertinent ad superiores, scilicet pietas ad parentes, & religio ad Deum: duo verò ad inferiores, scilicet affectus, in quantum placent bona eorum; & humanitas, per quam subuenitur eorum defectibus. Nam iuxta Isidorum lib. 10 Etym. cap. 8. *humanus* dicitur aliquis; quia *habeat circa hominem amorem, & miserationis affectum*: vnde *humanitas* dicta est, *qua nos inuicem tuemur.* Quæ tamen Tullius prætermisit, quia parum habent de ratione debiti, vt dictum.

8 Tertio à quibusdam alijs ponuntur quinq; partes iustitiæ, scilicet obedientia, respectu superioris; disciplina, respectu inferioris; æquitas, respectu æqualium; fides & veritas, respectu omnium. E quibus obedientia vt ait S. Thomas ad 3. includitur in obseruantia superius ex Cicerone relata. Nam præcellentibus personis (ae potestate præditis) debentur & reuerentia honoris, & obedientia. Fides autem, qua fiunt dicta, includitur in veritate, quæ inter cætera etiam obseruātiam promissorum complectitur. Disciplina autem erga inferiorem, quia non debetur ex debito necessitatis, fundato in aliquo iure ipsius inferioris; quia inferiori nemo est obligatus, inquantum est inferior; etsi possit aliquis superiori obligari, vt inferioribus prouideat; idcirco à Cicerone prætermissa fuit; etsi contineri possit sub humanitate, quam Macrobius ponit: æquitas verò sub epiikia vel amicitia.

9 Quarto Andronicus Peripateticus nouem partes iustitiæ annexas recensет; scilicet liberalitatem, benignitatem, vindicatiuam, eugnomosynam, eusebiam, eucharistiam, sanctitatem, bonam commutationem, legis positiuam. In qua tamen enumeratione, non solæ partes potentiales iustitiæ recensentur, sed etiam partes quasi integrales, tam iustitiæ particularis, quam legalis. Ad particularem enim pertinet *bona commutatio*; ad quam pertinet in commutationibus æqualitatem custodire.

Ad legalem autem iustitiam, quantum ad ea, quæ communiter sunt obseruanda: pertinet *legis positiua*; quæ definitur, *scientia commutationum politicarum ad communitatem relatarum*: quantum verò ad ea, quæ nonnunquam præter communes leges singulariter agenda occurrunt, ponitur *eugnomosyna*, quasi bona gnome; quæ est in talibus directiua, & definitur *voluntaria iustificatio*; quia, quod iustum est ex proprio arbitrio; non secundum legem scriptam decernit, vt suo loco de prudentia dictum, disp. 3. q. 1. dub. 2.

Eusebia verò, quasi bonus cultus, idem est quod religio; & definitur *scientia Dei famulatus.* Vbi auctor loquitur secundum modum philosophandi Socratis, qui dicebat, *omnes virtutes esse scientias.* Eodem pertinet *sanctitas.* *Eucharistia* autem est idem, quod bona gratia, siue gratitudo, quam & Cicero commemorauit; sicut & *vindicatiuam.* *Benignitas* autem videtur esse idem cum affectu (seu beneuolentia) quem ponit Macrobius. Vnde & Isidorus lib. 10. Etym. cap. 2. ait: *Benignum esse sponte ad benefaciendum paratum, & dulcem ad eloquium.* Et ipse Andronicus dicit, benignitatem esse *habitum voluntarie benefactiuum.* *Liberalitas autem* videtur ad humanitatem pertinere. Ita S. Thomas cit. art. vn. 10

Ex quibus colligitur, enumerationes partium iustitiæ hactenus relatas, inter se non pugnare, 11
nec tam quoad rem ipsam, quam quoad loquendi modum discrepare; cum partes iustitiæ variæ assignari possint, vt comprehendant scilicet non solum partes potentiales, de quibus tamen solis in præsenti agitur; sed etiam partes integrantes; idque tum iustitiæ particularis, ad quam solam respexisse videtur Cicero, tum etiam legalis: quo respectu etiam Aristoteles 5. Ethic. cap. 10. *epiikiam* iustitiæ adiungit, vt notauit S. Thomas ibidem ad 5.

Illud tamen obseruandum, apud Andronicum inter virtutes iustitiæ annexas, etiam poni benignitatem seu beneficentiam; quæ tamen potius ad charitatem pertinet, imo ipsius charitatis actus est, vt suo loco dictum.

Quo fit, vt iuxta S. Thomam vniuersim vndecim partes potentiales, seu virtutes adiunctæ iustitiæ numerentur; nimirum 1. religio. 2. pietas. 3. obseruantia. 4. dulia. 5. obedientia. 6. gratitudo. 7. vindicatio. 8. veritas. 9. amicitia. 10. liberalitas. 11. epiikia. Quibus adiungi poterat *clementia*, vt dictum disp. 3. quæst. 3. dub. 7. de qua tamen ibidem cum S. Thoma egimus. 12

Nec multum interest, seu virtus aliqua huic, an alteri virtuti, tanquam virtus secundaria principali adiungatur; modo reuera non paruam similitudinē habeat cum ea virtute cui adiungitur; quando etiam

sine

sine hac adiunctione & subordinatione, singularum ratio, vsus, ac officium satis commode explicari potest; eo quod hæc adiunctio & subordinatio potius sit arbitraria, quam essentialis, vt ibidem diximus. Restat, vt supradictas vndecim partes ac virtutes iustitiæ annexas, cum Sancto Thoma, ordine ac figillatim explicemus incipiendo hac disputatione à religione, quæ inter cæteras potissima est, & prolixiorem tractationem postulat, vt dictum.

DVBIVM II.

Quidnam sit virtus Religionis; quod & quotuplex eius obiectū; & quomodo ab alijs virtutibus distinguatur.

S. Thomas 2. 2. q. 81. aa. 8.

13 REligio, siue à *reeligendo*, iuxta Isidorum libro 10. Etym. c. 17. & Augustinum lib. 10. de ciuitate Dei cap. 4. siue à *religando*, iuxta Lactantium lib. 4. diuin. Instit. cap. 28. siue à *relegendo* dicta, iuxta Ciceronem lib. 2. de nat. Deorum, in præsenti dicitur virtus, qua Deo debitum cultum & honorem exhibemus.

Cum qua notione & significatione nominis recte congruunt omnes etymologiæ eiusdem nominis antea relatæ, vt bene declarat Sanctus Thomas quæstio. 81. articulo 1. *Siue enim religio*, inquit, *dicatur à frequenti relectione, siue ex iterata electione eius, quod negligenter amissum est, siue dicatur à religatione; religio proprie importat ordinē ad Deum. Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in vltimum finem, quem etiam negligenter peccando amittimus, & credendo, & fide protestando recuperare debemus.*

Vt autem huius virtutis natura cognoscatur, quæsitis aliquot sequentibus sigillatim explicandum est. 1. quodnam sit eius obiectum, & quotuplex. 2. quid, & quotuplex. 3. quænam sit ratio essentialis, tum generica, tum specifica religionis, speciatim an sit virtus Theologica, & à cæteris omnibus distincta.

14 Primo igitur quæritur, quodnam & quotuplex sit obiectum virtutis religionis.

Respondeo sequentibus pronuntiatis. I. Religionis obiectum materiale duplex est, videlicet propinquum & remotum; siue obiectum *Quod*, & obiectum *Cui*, iuxta Caietanum quæstio. 81. articulo 5. & communem. Obiectum Quod materiale (adeoque proximum) est ipse cultus diuinus, seu honor quem Deo volumus, seu potius actiones illæ, seu in genere, seu in specie spectatæ, quibus DEVM colere intendimus. Obiectum Cui, siue remotum est Deus, cui cultum & honorem volumus.

Idem accidit in iustitia, cuius obiectum immediatum & proprium sunt res ipsæ, siue actiones alteri debitæ; obiectum autem remotum Cui, est alter, seu ipse proximus. Idem suo modo cernitur in spe, cuius obiectum Quod est Deus; obiectum Cui, sumus nos ipsi; quia per spem volumus Deum nobis.

Et sicut hic specificatio virtutis non sumitur nude ab obiecto remoto Cui, ita etiam in præsenti, essentialis ratio religionis non sumitur nude ab obiecto Cui, sed vel maxime ab obiecto Quod. Accedit quod nec ipsa charitas virtutis Theologicæ rationem proprie sortitur ab obiecto Cui, sed vel maxime ex obiecto Quod; quatenus per eam Deo in primis volumus seipsum, & suas perfectiones intrinsecas, etiamsi consequenter per eam etiam alia bona, tanquam obiecta quædam secundaria & materialia Deo velle possimus. Vide supra disp. 2. q. 1. dub. 1. 15

II. Vtrumque obiectum religionis, antea dictum, habet suam propriam rationem formalem obiectiuam. Ratio enim formalis, quam religio in cultu diuino, prout est obiectū propriū & immediatum spectat, est ratio debiti cuiusdam legalis. Quemadmodum enim iustitia, qua bonum aliquod proximo volumus, non spectat in eiusmodi obiecto proprie ipsam rationem bonitatis & conuenientiæ, in ordine ad proximum, nempe vt per hoc bonum proximo bene sit; sed rationem debiti, quia iustum, seu iure debitum est; ita etiam religio, quæ potentialis quædam est pars iustitiæ, & quidem quoad rationem debiti à perfecta iustitiæ ratione minime deficiens, vt dubio præcedenti ex Sancto Thoma dictum, respicit in cultu diuino, non ipsam rationem bonitatis seu conuenientiæ, in ordine ad Deum, nempe vt per illum DEO bene sit, hoc enim est charitatis; sed rationem debiti legalis; quia videlicet Deo ob summam eius excellentiam hoc bonum iure debitum est: & per hoc etiam distinguitur religio à charitate. Idem in simili disp. præced. de iustitia legali dictum. 16

III. Eodem modo formalis ratio obiecti Cui, quam scilicet in Deo formaliter spectat religio, non est proprie ipsa diuina bonitas secundum se spectata; sed eius excellentia, siue nobilitas & præstantia; cuius ratio desumitur quasi comparate ex eminentia ipsius DEI, super omnes res creatas, & speciatim super ipsum etiam hominem. Vnde formaliter amamus Deum quia bonus est, honoramus autem & colimus, quia excellēs est, ac primum rerum omnium principium, vt dicemus. 17

IV. Neque vero ratione diuersarum perfectionum, seu attributorum, aut etiam diuersorum beneficiorū, debentur Deo adorationes seu cultus diuersæ rationis, vt recte post Alensem 3. par. quæst. 30. num. 1. artic. 3. Gabrielem in canonem lect. 49. & ipsum S. Thomam hic q. 81. a. 3. ad 1. docet Vasquez de adoratione disp. 1. cap. 2. & 3. 18

Cuius rei ratio sumitur ex S. Thoma loc. citat. quia ratio, cur Deus sit adorandus cultu latriæ est, esse primum principium rerum omnium, in quo quidem includuntur omnes perfectiones omnium attributorum. Quamquam non æque expresse omnia attributa Dei singulis colendi modis honorentur, sed quædam alijs significantius,

ficantius, vt recte notarunt Vasquez loc. cit. n. 54. & Lessius de religione num. 27. post Augustinum q. 9. in Exodum, & Glossam in illud psalmi 7. *Domine Deus in te speraui.*

19 V. Sed & ipsi etiam Sancti, quatenus coluntur propter excellentiam increatam Dei, ad quam aliquam dicunt habitudinem, seu per modum imaginis, seu per modum filij, amici, templi, &c. ad obiectum materiale religionis pertinent: etsi nihilominus cultus ille quatenus in Sanctos tendit, non sit cultus latriæ propriæ; sed quidam cultus inferior. Sicut intentio & electio ad eandem quidem virtutem pertinent, sed inter se plurimũ differunt, vti ex cõmuni docent Vasquez & Lessius locis cit. & inferius in simili de cultu imaginum dicetur quæst. 2.

20 VI. At vero si Sancti propter suas perfectiones absolutas & intrinsecas spectentur, & colantur, vt propter visionem Dei, charitatem, & sanctitatem propriam; sic non pertinent ad obiectum religionis, nec adeo coluntur per virtutem religionis; sed per virtutem distinctam, quæ dulia vocatur, & in duliam stricte acceptam, & super duliam diuiditur, vt inferius q. 7. dicetur. Ratio est; quia hac ratione in Sanctis non spectatur ratio formalis obiectiua religionis, nempe diuina excellentia; sed aliqua ratio inferior, & distincta; quæ proinde etiam distinctam virtutem constituit, vt ex communi docet S. Thomas q. 81. a. 4. ad 3. & supra q. 25. a. 1. ad 2. quidquid in contrarium dixerit Marsilius in 3. q. 8. a. 1.

21 Nec tamen ideo putandum, etiam dari amorem amicitiæ supernaturalem erga proximum, quæ sit distincta virtus à charitate Dei, vt significant Vasquez de adorat. lib. 1. disp. 6. n. 175. & lib. 3. disp. cap. 4. num. 25. & Lessius num. 23. contra communem. Diuersa enim est ratio bonitatis supernaturalis, quam amor respicit; & excellentiæ, quam respicit cultus. Nam gratia & dona supernaturalia, inquantum habent rationem bonitatis supernaturalis, formaliter terminantis actum amoris, sua natura hominem ordinant ad Deum; & propterea hæc bona sunt, quia ad Deum ordinant. Quo fit, vt dum aliquis propter ea diligitur, plane propter Deum, & quia amicus, seu filius, aut seruus Dei est, diligatur. Excellentia vero creata hominis, in prædictis bonis fundata, suam rationem proprie in eo positam non habet, quod à Deo sit, aut in eum quomodolibet redundet; sed potius quod aliquo tandem modo hominis, & ab homine est. Quo fit,
22 vt eiusdem excellentiæ cultus ad Deum directe non pertineat, nec ad eandem virtutem, qua Deus colitur.

Hinc igitur hominem quidem propter inhærentem bonitatem supernaturalem, eadem virtute charitatis amamus, qua Deum amamus; attamen eundem hominem propter insitam ei excellentiam supernaturalem, non eadem virtute colimus, qua Deum colimus, vt etiã superius disp. 2. quæstione 2. dub. 2. ex S. Thoma pluribus docuimus.

23 Quibus addi potest etiam alia diuersitatis ratio: quia amor non differt specie penes diuersum gradum seu modum participandi eandem bonitatem; nec adeo ex sua ratione specifica proprie attendit diuersum illũ gradum seu modum eiusdem bonitatis: at vero honor & cultus per se ac ex sua ratione specifica eam varietatem ac diuersitatem Excellentiæ attendunt. Denique ipse modus diuersus participandi eandem bonitatem non constituit diuersam speciem eiusdem bonitatis: at vero diuersus modus habendi seu participandi excellentiam, essentialiter diuersificat Excellentiam; quæ adæquate ex ipso etiam modo habendi eandem excellentiam spectatur.

Quamquam in eo par est tam amoris, quam cultus ratio; quod sicut distinctus est cultus, quo 24
Deum colimus, & quo creaturam propter internam & propriam suam excellentiam colimus; ita etiã distinctus est amor supernaturalis, quo proximo volumus bonum supernaturale propter seipsum, ab eo, quo volumus ei bonum propter Deum. Hic enim amor charitatis & amicitiæ est erga Deum; ille amor concupiscentiæ ad spem pertinens, per quem videlicet tum nobis ipsis, tum proximo, quatenus vnum nobiscum est, bonum diuinum volumus; non autem vel alterius virtutis specialis, à spe & charitate distinctæ, vt vult Lessius loc. cit. vel generalis alicuius virtutis, vt indicat Vasquez cit. num. 175. De qua re plura loco citato.

Quæritur secundo, quid & quotuplex sit cultus, qui per virtutem religionis Deo exhibetur, 25
& qua ratione ab honore differat.

Respondetur breuiter, *cultum* generatim loquendo, esse *notam* quandam seu contestationem *submissionis* erga alterum, ob existimatam eius excellentiam. Differt ab *honore*, quod hic solum ac vniuersim significet testimonium excellentiæ alterius. Quo fit, vt etiam æqualis & inferior honorari possit; coli autem vel adorari non possit, nisi aliqua ratione superior. Addit enim cultus honori quandam animi submissionem erga rem vel personam, quæ coli dicitur.

Cum autem cultus præter iudicium speculatiuum intellectus de alterius excellentia, qui actus 26
aut ad fidem, aut similem habitum supernaturalem, vel respectu cultus naturalis, ad naturalem mentis solertiam, & vim cognoscendi pertinet; itemque præter iudicium practicum, seu dictamen intellectus, alteri hic & nunc, pro ratione excellentiæ, cultum congruum cum debita animi submissione deferendum, qui est actus prudentiæ, duos præterea actus inuoluat; nimirum actum voluntatis eidem iudicio consentientis; ac deinde alium, aut alios, siue eiusdem voluntatis, siue alterius potentiæ actus, vel in genere, vel in particulari conceptos, qui sint obiectum prioris actus; quosque adeo etiam voluntas priori actu velit in honorem ac cultum Dei efficere ac referre; vt sunt v. g. tum actus orationis, sacrificij, &c. tum omnium virtutum actus, quatenus ad Dei cultum referuntur: intelligendum est, solum priorem actum esse actum religionis immediate elicitum; posteriorem actum, saltem plærumque & communiter, esse actum religionis potius imperatum, vt inferius de oratione,

adora-

adoratione, & alijs eiusmodi actibus, primum illum voluntatis actum terminantibus, dicetur.

27 Ex his vero actibus, etsi prior principalior est, & esse potest sine posteriori reipsa existente; quo modo deuotionis actus cõsistit, sine actuali exercitio cuiuscunq; alterius actus ad Dei cultũ pertinentis: sæpe tamẽ posterior, si reipsa exerceatur, vt adoratio externa, votũ, oratio, absolute cultus Dei dicitur; etsi, pprie cultus ex vtroq; actu coalescat; ita vt ille quasi formaliter, hic vero materialiter ad cultum sese habeat.

28 Et vero licet cultus hominis nunquam esse possit sine actu externo; quandoquidem actus mere internus, vtpote alteri homini penitus ignotus, non potest esse nota seu contestatio submissionis erga alterum, vt ex cõmuni docet Vasquez lib. 1. de adorat. c. 4. in cultu tamen diuino, potest etiam esse actus internus, quandoquidẽ Deus, scrutans renes & corda, non minus perspectos habet actus internos, quam externos. Ex quo oritur duplex cultus Dei, vt docet S. Thomas qu. 84. a. 2. internus scilicet, quẽ idem S. Thomas *reuerentiam & deuotionem interiorem* appellat, & qualis etiam in scriptura Angelis tribuitur, psalm. 96. & Hebr. 1. *Et adorent eum omnes Angeli eius*; alter externus, qui externo videlicet, aliquo signo exprimitur, vt pluribus dicetur dubio sequenti numero 49.

29 Quæritur tertio, quænam sit ratio essentialis, tum generica, tum specifica, virtutis religionis; speciatim an sit virtus Theologica, infusa, & à cæteris omnibus distincta. Respondeo sequentibus pronuntiatis. I. Religio non est virtus Theologica, sed moralis, Iustitiæ adiuncta. Ita S. Thomas q. 81. art. 5. Ratio est; quia ad virtutem Theologicam requiritur, vt pro imẽdiato obiecto habeat ipsum Deum: religio autem pro imẽdiato obiecto non habet Deum, sed cultũ Deo deferendum, seu potius actum ad Dei cultum relatum; etsi hic ipse cultus versetur circa Deum velut obiectum Cui. Et confirmatur; quia religio est quædam quasi iustitia erga Deum, eodem modo se habens erga Deum, sicut iustitia humana erga hominem, cuius obiectum proprium & immediatum non est homo, sed res debita homini.

30 Nec obstat, quod oratio & laus Dei imẽdiate circa Deum versari videantur: oratio enim reuera non refertur ad Deum, nisi velut vt obiectum Cui; repræsentans scilicet nostra vota Deo, vt patebit dubio sequenti. Laus vero Dei non attingit Deum, sicut actus vitalis suum obiectum, sed sicut signum attingit suum signatum. Accedit quod hi non sunt actus proprie & imẽdiate elicti ipsius religionis, sed actus solum quasi imperati, sicut etiam actus fidei, spei, & charitatis, quatenus ad Deum colendum referuntur, vt docet S. Thomas eodem artic. 5. ad 1. vbi ita etiam explicat dictum Augustini in Enchiridio c. 3. asserentis, *Deum coli fide, spe, & charitate.*

In quem sensum etiam accipitur illud Iacobi 1. v. 27. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*: nempe quia omnium virtutum actus in ordine ad cultum diuinum à religione imperari possunt. Cui etiam simile est illud 1. Corinth. 13. vers. 4. *Charitas patiens est, benigna est, &c.* quia nimirum & à charitate cæterarum virtutum actus imperantur.

Addit S. Thomas ibidem ad 3. medium in virtute religionis *non accipi inter passiones, sed secundum quandam æqualitatem inter operationes, quæ sunt ad Deum, non quidem absolutam; quia DEO non potest tantum exhiberi, quantum ei debetur; sed secundum quandam considerationem humanæ facultatis, & diuinæ acceptationis. Superfluum autem*, inquit, *in his quæ ad diuinum cultum pertinent, esse potest, non secundum circumstantiam quanti, sed secundum alias circumstantias; puta quia cultus diuinus exhibetur, cui non debet exhiberi, vel quando non debet, vel secundum alias circumstantias, prout non debet.* 31

Qua ratione efficitur, religionẽ non esse virtutem moralem circa passiones versantem, nec ijsdem virtutibus velut partẽ potentialem subordinari, sed esse partem potentialem Iustitiæ; tum quod circa actiones, & ad alterum versetur, tum quod æqualitatem quandam, licet imperfectam constituat, vt in assertione dictum.

II. Religio est virtus specialis, à cæteris omnibus virtutibus distincta. Ita S. Thomas quæst. 81. artic. 4. ex communi. Ratio est, quia habet proprium & speciale obiectum, qui est honor & cultus Deo debitus, quem proprie nulla virtus procurat. Et sicut in rebus humanis, diuersis personarum excellentijs, *diuersus honor debetur*; alius quidem patri, alius Regi; ita etiam DEO, ob singularem ac infinitam excellentiam, proprius honor debetur, per virtutem Religionis eidem deferendus. 32

Idem patet inductione. Religio enim differt à virtutibus Theologicis, cum non sit virtus Theologica, vt dictum, sed moralis: differt etiam à prudentia, eique annexis virtutibus, quia non est in intellectu, sed in voluntate, vt etiam dictum. Nec obstat, quod oratio, & laus, qui inter actus religionis numerantur, sint formaliter in intellectu, non in voluntate; quia isti non sunt actus proprie & immediate eliciti à religione, sed potius imperati, eo modo quo iudicium, aut etiam exterior actus, quo suum ius proximo redditur, est actus iustitiæ, vt superius itidem diximus. 33

Differt etiam à cæteris virtutibus moralibus; à temperantia quidem, & fortitudine, alijsque annexis; quia non versatur circa passiones, sed circa actiones, quibus DEO cultus redditur, nec perficit hominem in ordine ad seipsum, sed in ordine ad alterum, nempe DEVM: à iustitia vero saltem humana; quia non continet, nec constituit perfectam æqualitatem ad alterum, (hominem) in reddendo debito, vt antea dictum; an vero sit ipsa specialis virtus Iustitiæ erga DEVM, dicetur inferius numero 43. 34

III. Religio est virtus vna specie infima. 35
Ita S. Thomas quæst. 81. a 3. Probatur; tum quia religio, cultum Deo exhibendo protestatur fidem vnius Dei, quæ fides vna specie est, iuxta illud Ephes. 4. vers. 5. *Vnus Dominus, vna fides.* Tum quia ratio formalis obiectiua, seu formale motiuum religionis vnicum est; nempe ipsa excellentia increata Dei, vt dictum. *Ad religionem enim pertinet*, inquit Sanctus Thomas, *exhibere reuerentiam vni Deo, secundum vnam rationem, inquantum scilicet est primum principium creationis & gubernationis rerum. Vnde ipse dicit Malachiæ 1. v. 6. Si Pater ego sum, vbi est honor meus? patris enim est, & producere, & gubernare.*

Nec obstat, quod in Deo sunt tres personæ, 36
& multa attributa; quodque per virtutem religionis coluntur quadam ratione etiam Sancti ac imagines Dei; quia *tres personæ diuinæ*, inquit Sanctus Thomas ibidē ad 1. *sunt vnum principium creationis & gubernationis; & ideo eis vna religione seruitur.* Diuersæ autem rationes attributorum *concurrunt ad rationem primi principij; quia Deus producit omnia, & gubernat, sapientia, voluntate, & potentia bonitatis suæ.* Sanctis autem, & imaginibus Dei non defertur cultus per virtutem religionis, nisi quatenus aliquo modo ad Deum pertinent, in ijsque colitur ipsa excellentia diuina, ob quam solam religionis virtute coluntur, vt superius dictum.

Nec obstat secundo, quod plures sunt actus 37
religionis, non solum speciales, vt vouere, orare, sacrificare &c. Sed etiam generales, vt colere Deum, eiq; seruire. Nam & ab eodem habitu diuersi specie actus procedere possunt; & cultus, ac seruitus Dei reipsa *non sunt actus religionis distincti*; siquidem eodem actu religionis homo seruit Deo, & colit ipsum.

Nam cultus respicit *Dei excellentiam*, cui reuerentia debetur. Seruitus autem respicit *subiectionem hominis*, qui ex sua conditione obligatur ad exhibendam reuerentiam Deo; cum interim in omni actu religionis & excellentiam Dei, & nostram erga Deum subiectionē protestemur; adeo vt *ad hæc duo pertineant omnes actus religionis*; quia *per omnes* homo protestatur diuinam excellentiam, & subiectionem sui ad Deum; vel *exhibendo aliquid ei*, vel *iterum assumendo aliquid diuinum*, vt ait S. Thomas ibidem ad 2.

IV. Sed & religio, & sanctitas, tametsi inter 38
se ratione differant, tamē essentialiter idem sunt. Ita Sanctus Thomas quæstione 81. artic. 8. Probatur & declaratur. Nomine enim sanctitatis duo significantur, & mundities scilicet mentis, & firmitas eiusdem, saltem in ipso mentis habitu fundata, iuxta illud Apostoli Roman. 8. vers. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita. &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Quo fit, vt sanctitas dicatur dispositio quædam, qua mens hominis se ipsam, suosque actus firmiter applicat & addicit Deo, & refert in Deum ac diuinū cultum. Religio autem dicitur, secundum quod exhibet Deo debitum famulatum, in his, *quæ pertinent specialiter ad cultum diuinum*, sicut in sacrificijs, oblationibus, & alijs huiusmodi; cum tamen sanctitas dicatur, secundum quod homo non solum hæc, sed etiam *alia virtutum opera* refert in Deum; vel secundum quod homo se disponit per bona quædam opera ad cultum diuinum.

Quæ ad nominis quæstionem & modum lo- 39
quendi pertinent. Certe enim religio reipsa non solum certos quosdam actus diuini cultus, sed etiam aliarum omnium virtutum actꝰ ad diuinum cultum refert.

Quod si quis dicat, nomine sanctitatis pro- 40
prie ac principaliter significari virtutem charitatis, hominem Deo firmiter vnientis, is etiam consequenter dicere poterit, sanctitatem esse virtutem distinctam à Religione. Interim quia res aliæ eatenus sanctificantur, & sanctæ dicuntur, quia diuino cultui addicuntur; ideo recte etiam Sanctus Thomas sanctitatem hominis in eo proprie ponēdā existimauit, quod se ipsum diuino cultu addixerit.

V. Tametsi probabile sit, religionem non di- 40
stingui à virtute pietatis, obseruantiæ, & gratitudinis in Deum; probabilius tamen videtur, gratitudinem esse virtutem à religione distinctā: sicut & religio proprie loquendo, distinguitur ab obedientia, & Iustitia erga Deum. Primam partem tradit Lessius l. 2. c. 36. du. 2. n. 15. & videtur innuere S. Thomas q. 106. a. 1. ad 1. vbi ait: *Sicut religio est quædam superexcellens pietas; ita est quædam excellens gratia, siue gratitudo. Vnde & gratiarum actio ad Deum est inter ea, quæ ad religionem pertinent*: quod tamen de actu imperato religionis intelligi potest. Idem significat Caietanus q. 107. a. 3. qui docet, has virtutes, pietatē, obseruantiam, & gratitudinem dupliciter existere; primo formaliter, in suis proprijs speciebus; secundo eminenter, in superiore virtute, quæ est religio. Ratio est; quia earū formalia obiecta quibus formaliter sua officia deferunt, vt est ratio paternitatis, virtutis, ac dignitatis, ac demū beneficentiæ, excellentissimo modo continentur in obiecto religionis, quod est excellentia diuina; sicut & debita earundem, ob quæ eiusmodi officia deferunt, in debito religionis.

Secunda pars probatur; quia pietas quidem 41
erga Deum formaliter nulla datur; cum eius obiectum, quæ est propinquitas sanguinis, respectu nostri proprie ac formaliter in Deo non sit. Ratio autem formalis obiecti obseruantiæ in Deo est contracta, per propriam rationem formalem obiecti religionis, quæ est excellentia Dei, vt proinde neutra virtus, prout circa Deum versatur, sit specialis virtus à religione distincta.

Sed gratitudo etiam quoad Deum habet suum proprium obiectum formale, quod est debitum ortum ex beneficio, cum debitum religionis fundetur præcise in excellentia diuina abstrahendo à liberali dantis affectu; qui tamen ipse motiuum esse potest ad actum religionis excitandum, adeo vt ipsa religio hoc sensu quasi imperatiue gratitudo dici possit: in quem sensum loquutus videtur Sanctus Thomas loc. cit.

42 Ipsam vero humilitatem seu subiectionem debitam aduersus Deum, verius existimo non distingui à religione; cum ea ipsa subiectio fundetur tum in excellentia diuina, tum in vilitate nostra; cuius professio quædam & protestatio exhibetur per virtutem religionis.

Aliter videtur sentiendum de obedientia aduersus Deum; hæc enim cum formaliter fundetur non in excellentia Dei absolute, sed potius in quadam iurisdictione eiusdem, videtur habere debitum ac motiuum distinctum à virtute religionis: sicut etiam in humanis virtus obseruantiæ aduersus superiorem, distincta est ab obedientia eidem debita. An autem obedientia aduersus Deum & homines sit vna specie virtus, disputat. sequente dicetur, vbi de obedientia agemus.

43 Tertia pars de Iustitia ita probatur & declaratur. Supponimus enim hoc loco, quod in materia de pœnitentia fusius probandum erit, dari in homine aliquam iustitiam erga Deum, cuius proprium officium sit, in omni materia ius illud diuinum, quod in creaturas ratione præditas, in ordine ad quæuis officia ab eis debita, præstanda habet, procurare ac illæsum conseruare. Ab hac ergo iustitia virtutem religionis specie distingui, ita probamus. Religio enim, non secus ac inter homines obseruãtia, debitum Deo honorem defert, non hac formali ratione, ne ius diuinum per iniuriam lædatur; sed quia præcise eius excellentiæ talis honor debetur. Qua ratione etiam differt à fidelitate erga Deum, quod hęc versatur in promissis Deo exsoluendis, præcise vt ei ratione promissionis debentur; Qui titulus etiam in humanis per se non constituit veram iustitiam.

44 Interim si quis religionis nomen laxe vsurpare velit, vt vnam non specie infimam, sed genere proximo virtutem significet, seu vnam, per collectionẽ plurium habituum, habentium inter se quandam affinitatem, vel quasi artificialem compositionem in ordine ad honorẽ Deo integre & ex omni parte illæsum seruandum, ita vt sub se latriam, fidelitatem, gratitudinem, & pœnitentiam, quin etiam humilitatem & obedientiã aduersus Deum comprehendat, cum eo quidem magnopere contendendum non erit, sed is tamen à consueto vsu loquendi Theologorum aberrabit, vt cum Suario 3. parte tom. 4. disp. 17 sect. 2. n. 6. diximus disp. de pœnitent. thesi 12.

45 VI. Religio est virtus supernaturalis ac per se infusa; quamuis imperfecta religionis virtus etiã acquisita detur. Prima pars est S. Thomæ q. 81. a. 5. ad 3. & q. 82. a. 2. ad 1. & 3. vbi docet, charitatẽ esse *principium & causam religionis & deuotionis*. Ratio est. Quia religio simpliciter & absolute dicta, est virtus, qua Deus, etiam vt obiectum supernaturale est, perfecte colitur; hoc autem non fit nisi per virtutem infusam religionis: ita quidem, vt eum cæteræ virtutes morales etiam ex fine quasi extrinseco, non ex propria materia, virtutem infusam postulent; religio tamen ex proprio obiecto & motiuo intrinseco habitum infusum requirat.

Secunda pars videtur communis Doctorum. Sicut enim Deus naturali etiam ratione aliquo modo cognoscitur, & colendus intelligitur; ita etiam potest actu proportionato voluntatis coli: ex quibus actibus frequentatis naturalis & acquisita religionis virtus comparari potest; qua & ab Ethnicis, & à Christianis peccatoribus reipsa Deus nonnunquam suo modo colitur, vt in simili de charitate dictum disputat. 2. quæstio. 2, dub. 2.

VII. Religio inter virtutes morales præstantissima est. Ita S. Thomas citat. quæst. 81. artic. 6. Ratio est; quia post virtutes Theologicas, quæ immediate circa ipsum Deum versantur, inter cæteras virtutes morales, eo quæque cæteris paribus præstantior est, quo propius Deum attingit: Religio autem propius accedit & attingit Deum, quam aliæ virtutes morales; in quantum operatur ea, quæ directe & immediate ordinantur ad honorem diuinum; formaliter & directe respiciens cultum Dei: Ergo, &c. 46

Nec obstat, quod etiam virtus humilitatis, & obedientiæ erga DEVM, pari ratione Deum attingere videntur. Non solum quia verius est, virtutem humilitatis erga DEVM non esse distinctam à virtute religionis, vt dictum num. 42. & supra disputation. 3. quæstion. 3. dub. 8. sed etiam quia obedientia erga DEVM, cum proprie & formaliter solam rationem superioris imperantis spectet, habet rationem obiectiuam nostra consideratione non paulo inferiorem ipsa ratione obiectiua religionis, quæ est ipsa infinita DEI excellentia absolute spectata. 47

DVBIVM III.

Quosnam in genere actus, tum internos, tum externos habeat Religionis virtus; & speciatim quis & qualis actus religionis sit deuotio.

S. Thomas 2. 2. q. 81. a. 7. & q. 82. aa. 4.

QVod ad primum, nempe actus religionis in genere attinet, sequentes assertiones statuimus. I. Actus religionis vniuersim loquendo sunt duplices; alij enim sunt actus religionis immediate per se eliciti; alij quasi imperati, seu mediate ac secundario eliciti. Hæc assertio est extra controuersiam, & sumitur ex analogia omnium virtutum reliquarum, vt diximus supra disp. 1. q. 7. dub. 1. 48

Probatur & declaratur ex dictis dub. præced. num. 26. quia actus immediate ac per se à religione elicitus, est internus actus voluntatis, quo DEO cultum debitum volumus; & nihil aliud est, quam profunda & submissa mentis inclinatio coram Deo, qua voluntas vult profiteri Dei excellentiam, cui in omnibus iure subesse

subesse debeat. Alij actus religionis sunt imperati, quibus nimirum internam illam animi submissionem re ipsa profitemur; siue in eadem potentia voluntatis, siue in diuersa potentia existant; & siue interim ab aliquo alio virtutis habitu eliciantur, siue per se ad nullam aliam virtutem, quam religionis pertineant, vt ex sequentibus patebit.

49 Assertio II. Actus religionis imperati, quibus nempe reipsa Dei excellentiam, nostramque submissionem profitemur, alij sunt externi, alij interni; quibus proinde nonnunquam consummatur religionis virtus. Prima pars est extra controuersiam, & asseritur à S. Thoma quæst. 81. a. 7. Ratio est; quia Deo reuerentiam & honorem exhibemus non propter seipsum, quasi ipse nostro honore indigeat; cum ex se ipso plenus sit gloria, cui nihil à creatura adijci potest: sed propter nos; quia ad ipsam mentis nostræ perfectionem pertinet, vt Deum reuereamur & honoremus, eique subijciamur: siquidem vnaquæque res hoc ipso perficitur, quod suo superiori subijcitur; sicut corpus per hoc, quod viuificatur ab anima; & aer per hoc, quod illuminatur à sole. Quia vero mens humana ab externis sensibus & sensibilibus pendet, eorumque velut manuductione indiget, necesse est, in diuino cultu etiam actus quosdam externos & corporales adhiberi: tum vt ijs quasi notis quibusdam & symbolis etiam coram alijs diuinam excellentiam, nostramque erga Deum subiectionem protestemur; tum vt ijs quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales & internos actus, quibus Deo coniungitur.

50 Nec obstat illud Ioannis 4. v. 24. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Non enim hic excluditur actus seu cultus externus, sed solum docetur, verum Dei cultum præcipue consistere in actu interno, sine quo actus externus nihil momenti habeat, vt recte exposuit Sanctus Thomas citat. articulo 7. ad 1.

51 Secundam partem tradit S. Thomas q. 81. a. 7. & q. 82. in titulo & q. 84. art. 2. idemque ex communi Doctorum asserit Vasquez lib. 1. de adorat. num. 23. qui in eo omnes pene consentiunt, religionem (quidquid sit de speciali religionis actu, qui adoratio dicitur) pro obiecto habere non tantum actus externos, vt putarunt Bonauentura in 3. dist. 9. art. 2. quæstio. 3. & 4. & Maior q. 1. sed etiam actus internos, quibus proinde ipse religionis cultus nonnunquam consummetur.

Quo sensu etiam veteres Scholastici apud Vasquez lib. 1. cap. 2. num. 190. dixerunt, virtutem religionis pro obiecto habere quoque cultum interiorem, qui fide, spe, & charitate Deo exhibetur; quandoquidem tum cæteris internis virtutum actibus, tum his ipsis præcipue Deo nosipsos subijcimus, eiusque excellentiam in conspectu Dei contestamur. Credimus enim Deo tanquam superiori Magistro & supremæ veritati, cui subijcimus iudicium ac intellectum nostrum; speramus ipsius virtute & omnipotentia bona æterna; amamus illum, omnia nostra ad eum referendo. Alia ratio est cultus, quem homini exhibemus; quia actus etiam mere internus nota quidem esse potest submissionis Deo inspectori cordium, sed non hominibus. An autem similiter etiam adoratio Dei interno actu consummari possit, inferius q. 2. dicetur.

Assertio III. Tametsi vnaquæque virtus actus aliarum virtutum imperare possit, proprium tamen est tum charitatis, tum religionis, omnes omnium aliarum saltem moralium virtutum actus, in ordine ad suos fines, imperare. 52 Colligitur ex scriptura, quæ speciatim monet, vt omnes actiones nostras imperio religionis ad honorem & gloriam Dei referamus 1. Cor. 10. vers. 31. *Siue ergo manducatis siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et Colossi. 3. vers. 17. *Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini IESV CHRISTI.*

Ratio est; quia sicut charitas est regina omnium virtutum, quæ proinde sua natura omnibus, etiam ipsi religioni, imperare potest; ita religio est princeps omnium virtutum moralium, quibus proinde itidem in ordine ad suum finem, qui est honor & gloria Dei, sua natura imperare potest: cum tamen alioquin virtus inferior superiori nec ita sua natura, nec ita proprie imperet; licet eam vtcunque in ordine ad suum finem mouere ad operandum possit.

Quo sensu late dici potest, religionem etiam ipsis virtutibus Theologicis imperare, vt cum Caietano hic quæstione 81. art. 8. recte docet Valentia quæstione 1. pun. 2. in eundem sensum etiam Sanctus Thomas cit. art. 8. absolute dixit, sanctitatem, quæ est religio, omnibus virtutibus imperare. 53

Neque opus est, hoc loco de actibus aliarum virtutum à religione imperatis fusius agere; quando alibi proprios locos habent, quibus explicantur. Solum de actibus religionis tum elicitis, tum imperatis, qui per se ad nullam aliam virtutem pertinent, in præsenti quæstio est, quot & quinam sint; quod sequens assertio declarat.

Assertio IV. Actus religionis de quibus hoc loco agendum, vniuersim sunt vndecim; nimirum deuotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblatio, primitiæ, decimæ, votum, iuramentum, adiuratio, & laus Dei. Ita S. Thomas q. 82. & 84. & 89. initio. Probatur & declaratur. Aut enim actus religionis sunt interni; aut externi. Interni aut sunt immediate eliciti; aut solum secundario eliciti, seu immediate imperati. Prioris generis est deuotio; posterioris, oratio, vt dicetur. 54

Actus vero externi, sunt in triplici differentia. Aut enim aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet, & est *adoratio*: aut aliquid è rebus exterioribus Deo & ad Dei honorem offertur, vel promittitur; & tales sunt *sacrificium, oblationes, primitiæ, decimæ, votum*: aut denique aliquid diuinum ab hominibus ad eiusdem Dei honorem assumitur, quod est vel *Sacramentum* aliquod, aut ipsum *nomen diuinum*; è quibus tamen Sacramenta

menta alibi proprium sibi locum propriamque tractationem postulant. Quod vero ad diuini nominis assumptionem, quæ huius loci propria est, pertinet, assumitur diuinum nomen ab homine tripliciter; primo per modum *iuramenti*, ad propria verba confirmanda; secundo per modum *adiurationis*, qua alios ad quidpiam faciendum inducimus; tertio per modum *inuocationis*, ad *orandum* vel *laudandum*; è quibus reliqui quinque actus religionis existunt; de quibus proinde Sanctus Thomas sigillatim agit, & nobis itidem cum eo deinceps agendum, incipiendo à deuotione quam etiam S. Thomas cæteris actibus anteponit.

55 Quæritur igitur secundo, quis, & qualis actus sit deuotio; quæue eius sit causa, & quis effectus.

Assertio I. Deuotio est actus voluntatis, seu voluntas prompte faciendi, quod ad Dei seruitium pertinet. Ita Sanctus Thomas quæstio. 82. articulo 1. Probatur & declaratur. Dicitur enim *deuotio à deuouendo*; & sicut olim apud Gentiles *deuoti* dicebantur, qui seipsos Idolis deuouebant ad mortem, pro sui exercitus salute, vti de duobus Decijs refert Liuius libro 8 decade 1. ita apud Christianos deuoti dicuntur, qui seipsos totaliter Deo deuouent, vt ei se totaliter subdant.

Vnde deuotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam prompte tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum; seu quod idem est, voluntas prompte faciendi quod ad DEI seruitium pertinet. In quem sensum etiam Exodi 35. vers. 29. dicitur, omnes *viros & mulieres mente deuota obtulisse donaria*: & ibidem vers. 21. *Omnis multitudo filiorum Israel obtulerunt mente promptissima atque deuota primitias Domino.*

56 Assertio II. Tametsi deuotio causaliter sit actus vniuersalis, mouens scilicet ad actus omnium virtutum, tam corporales, quam spirituales; tam internos, quam externos; formaliter tamen & secundum se est actus specialis. Ita S. Thomas eodem a. 1. ex communi. Probatur & declaratur: quia sicut religio omnes cæteras virtutes mouet in ordine ad suum finem; ita etiam actus deuotionis ad religionem pertinens, quo religio tanquam medio vtitur ad cæteras virtutes mouendas.

In quem sensum Sanctus Thomas ibidem ad 1. ait: *Voluntas mouet alias vires animæ ad suos actus, & voluntas secundum quod est finis, mouet seipsam ad ea, quæ sunt ad finem. Et ideo cum deuotio sit actus voluntatis hominis offerentis seipsum Deo ad ei seruiendum, qui est vltimus finis, consequens est, quod deuotio imponat modum* (seu specialem bonitatem) *humanis actibus; inquantum scilicet deuote seu religiose fieri dicuntur; siue sint ipsius voluntatis circa ea, quæ sunt ad finem; siue etiam sint aliarum potentiarum, quæ à voluntate mouentur.* Et ibidem ad 2. ait: *Deuotio inuenitur in diuersis generibus, non sicut species illorum generum, sed sicut motio mouentis inuenitur virtute in motibus mobilium.*

Nihilominus quia deuotio habet proprium obiectum formale, seu motiuum, ob quod cæteros actus virtutum imperat, nempe ipsum honorem seu gloriam Dei, ad quam omnia refert, fatendum est, eum essentialiter esse specialem quemdam virtutis actum; quando non simpliciter & quomodocunque vultea, quæ ad Dei seruitium pertinent; quod quidem omnibus virtutibus commune est; sed vult ea, quatenus formaliter ad seruitium adeoq; cultum Dei pertinent.

Assertio III. Deuotio est actus proprius & 57
immediate elicitus ipsius religionis. Ita S. Thomas q. 82. a. 2. Probatur; quia ad eandem virtutē pertinet, *velle* (hæc vocula videtur redundare) *facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum*; quia vtriusq; actus est idem obiectum: qua de causa etiam Aristoteles 5 Eth. c. 1. docet, iustitiam esse, *qua volunt homines, & operantur iusta*: at vero operari ea, quæ pertinent ad diuinū cultum seu famulatum, proprie ac formaliter pertinet ad religionē, vt dictum: Ergo etiam habere promptam voluntatem ad eadem exequenda, adeoq; etiam esse deuotum, ad religionem tanquam quidam eius actus pertinet.

Ita S. Thomas absolute probat, deuotionem esse actum religionis: at vero esse actum eius immediate elicitum, facile ex dictis probatur. Actus enim religionis proximus ac immediate elicitus, est is ipse actus voluntatis, quo quis vult seu generatim, ac in omni materia, quidquid ad seruitium & gloriam Dei pertinet, seu etiam in certo aliquo genere materiæ, actum aliquem ad eandem Dei gloriam pertinentem efficere, ac in effectum redigere, atq; ita debitam erga Deum subiectionem præstare; è quibus prior est ipse actus deuotionis superius à nobis explicatus.

Nec obstat primo, quod etiam per charitatem 58
homo Deo se tradat, & quasi deuoueat, iuxta Dionysium c. 4. de diuinis nominibus, vbi ait: *Diuinus amor extasim facit, non sinens amantes sui ipsorum esse, sed eorum quæ amant.* Nam vt bene respondet S. Thomas cit. a. 2. ad 1. ad charitatem ptinet immediate, vt homo seipsum tradat Deo, *ad hærendo ei per quandam spiritus vnionem.* Sed vt homo tradat seipsum Deo (nimirum ob consideratam in ipso propriam rationē excellentiæ, ex dictis du. 2. n. 17.) *ad opera diuini cultus*, in quo proprie deuotionis actus consistit, hoc immediate pertinet ad religionem, mediate autem ad charitatē, quę est religionis principium.

Nec obstat secundo, quod deuotio præcedere 59
videtur charitatē; quia charitas in scriptutis significatur per ignē, deuotio vero per pinguedinē, quæ est ignis materia; cum tamen charitas præcedat religionem, vt dictum. Sicut enim pinguedo corporalis *generatur* per calorem naturalem, & ipsum calorē naturalem *conseruat*, velut eius nutrimentū; ita etiam charitas & deuotionem causat, quatenus ex amore aliquis redditur promptus ad seruiendum amico, & per deuotionem nutritur; sicut & quælibet amicitia conseruatur & augetur *per amicabilium operum exercitium & meditationem*, vt recte S. Thomas ibidem ad 2.

Nec obstat tertio, quod etiam Sanctis 60
deuoti dicimur; sicut etiam & dominis tem-

poralibus; ad quos tamen non est religio. Nam deuotio proprie loquendo, quæ ad Sanctos Dei mortuos vel viuos concipitur, non terminatur ad ipsos, sed *transit in Deum*, *inquantum* scilicet *in ministris Deum veneramur*, vt dub 2. num. 19. generatim dictum. Deuotio autem, quam subditi dicuntur habere ad dominos temporales, alterius est rationis: sicut & temporalibus dominis famulari, differt à famulatu diuino, ex S. Thoma ibidem ad 3.

61 Assertio IV. Etsi Deus sit externa & principalis causa efficiens deuotionis; meditatio tamen diuinæ bonitatis, & consideratio nostræ fragilitatis & infirmitatis, eiusdem internæ causæ sunt, ad illam nos maxime disponentes. Ita S. Thomas q. 82. a. 3. Prima pars patet ex Ambrosio super Lucam cap. 9. sub finem, vbi ait: *Deus quos dignatur vocat; & quem vult Religiosum facit: & si voluisset, Samaritanos ex indeuotis deuotos fecisset.* Idem patet ex generali doctrina de gratia tom. 2. disp. 6. q. 4. dub. 1. & 4.

62 Secunda pars probatur ex illo psal. 38. vers. 4. *Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardescet ignis.* Ratio est; quia cum omnis actus voluntatis ex aliqua consideratione seu intelligentia procedat, necesse est, vt etiam actus deuotionis, quem esse in voluntate diximus, ex accomodata sibi consideratione procedat, ea scilicet, quæ idonea sit voluntatem excitare, vt se prompte diuino obsequio tradat; qualis quidem est duplex illa consideratio, tum diuinæ scilicet bonitatis & beneficiorum ipsius; qua excitatur proxima deuotionis causa, nempe dilectio, secundum illud psalmi 72. v. 28. *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam:* tum etiam consideratio nostræ infirmitatis ac fragilitatis; quæ facit, vt exclusa præsumptione, Deo innitamur, nosque ei libenter subijciamus, iuxta illud psalmi 120. v. 1. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.*

63 Etsi vero alta diuinitatis mysteria in meditatione expensa, per se ac sua natura apta sint excitare tum dilectionem, tum deuotionem; ex debilitate tamen humanæ mentis sæpe accidit, vt ea quæ pertinent ad Christi humanitatem, vtpote nobis notiora, per modum cuiusdam *manuductionis*, maxime deuotionem excitent.

64 Nec obstat, quod deuotio frequenter potius inuenitur in *quibusdam simplicibus, & in fœmineo sexu*, qui tamen ad meditationem parum sunt idonei. Per accidens enim est, quod nonnunquam scientia, & quidquid excellens est, sit occasio, ob quam homo *confidendo de se ipso*, non se totum Deo tradat, atque ita deuotio impediatur; cum è contra eiusdem excellentiæ defectus in simplicibus, & mulieribus, elatione compressa, maioris deuotionis occasionem præbeat. Qua de causa etiam Caietanus ibidem notat, ab Ecclesia vocari *deuotum fœmineum sexum.* Si quis tamen *siue scientiam, siue aliam quamcunque perfectionem Deo perfecte subijciat*, & ad eius honorem referat, in eo ex hoc ipso deuotionem augeri necesse est, vt docet Sanctus Thomas ibidem ad 3. *Non est ergo in culpa*, inquit Caietanus ibidem, *scientia doctorum, nec in laude imperfectio mulieris; sed abusus scientiæ, in magnificiendo se, & rectus vsus imperfectionis, in non eleuando se. Quo longe melior esset rectus vsus perfectionis, vt scilicet & eam haberet, & ex ea se non magnificaret, vt ipse author tam eminentis doctrinæ faciebat.*

Assertio V. Effectus quidem deuotionis per se quidem ac principaliter est lætitia & gaudium in Spiritu Sancto; Secundarius autem, & minus principalis, est etiam aliqua secundum Deum tristitia. Ita S. Thomas q. 82. a. 4. Et prima pars patet ex illa collecta Ecclesiæ feria quinta post Lætare; *Quos ieiunia votiua castigant, ipsa quoque deuotio sancta lætificet.* 65

Ratio est; quia deuotio principaliter quidem oritur ex consideratione diuinæ bonitatis; quæ vti per se conciliat lætitiam & delectationem, secundum illud Psalmi 76. vers. 4. *Memor fui Dei, & delectatus sum*; ita per accidens causat tristitiam quandam, in his, *qui nondum Deo plene fruuntur*; iuxta illud Psalmi 41. v. 4. *Fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus.*

Secundario autē conciliatur deuotio, ex consideratione propriorum defectuum, velut termini à quo homo per motum voluntatis deuotæ recedit; quæ consideratio per se quidem causat tristitiam; per accidens autem, ob spem diuinæ subuentionis, lætitiam. Simili modo etiam consideratio Passionis Christi & tristitiam, & lætitiam diuerso respectu conciliare solet.

Neque repugnat in hac vita; spiritum, qui ex *vna parte contribulatur*, propter præsentis vitæ defectus, aut piæ compassionis affectum, ex *alia parte delectari* ex consideratione diuinæ bonitatis, & ex spe diuini auxilij, vt generatim dictum tom. 2. disp. 1. q. 3. dub. 2. à num. 18. 66

Et sicut in rebus humanis lachrimæ prorumpunt non solum ex tristitia, sed etiam ex quadam affectus *teneritudine*, præcipue cum consideratur aliquid delectabile, *cum permixtione alicuius tristabilis*: sicut solent homines lachrimari ex pietatis affectu, cum *recuperant filios vel charos, quos existimabant se perdidisse*: ita etiam deuotionis lachrimæ nō semper acerbæ sunt & luctuosæ, sed nonnunquam etiam cum lætitia & gaudio coniunctæ; semper autem dulces; quia etiam tristitia, quæ secundum Deum est, suauiter mentem afficit. Vide S. Thomam ibidem ad 3.

DVBIVM IV.

De Oratione, velut altero actu interno religionis, vniuersim ac in genere; speciatim quid, & quotuplex sit, quibus conueniat; (an etiam Sancti inuocandi;) & quas conditiones requirat. &c.

S. Thomas 2. 2. q. 83. aa. 17.

SEcundus, & quidem per se internus quoque actus religionis, vt dictum dub. præcedenti, 67
est oratio, de qua quæritur primo, quis & cuius virtutis actus sit oratio.

ASSERTIO I. Oratio proprie & immediate est actus intellectus, non voluntatis. Ita S. Thomas q. 83. a. 1. ex cõmuni. Probatur & declaratur. Est enim in præsenti sermo de oratione, put significat quandã *deprecationẽ* vel petitionẽ, secundũ illud Damasceni l. 3. c. 24. asserentis, orationẽ esse *petitionem decentiũ à Deo*: & Basilij homil. 5. de varijs, quæ est in Martyrem Iulitam, vbi ait: *Oratio est boni cuiuspiam petitio, quæ ad Deum à pijs effunditur.* Quomodo etiam sæpe in scriptura vsurpatur, vt Matthæi 6. vers. 9. *Sic ergo orabitis; Pater noster &c.* Matthæi 26. v. 41. *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem.* Marci 11. v. 24. *Omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis*; & alibi passim.

Etsi nonnunquam oratio generatim accipiatur, pro quauis pia mentis eleuatione ad Deum. Quomodo Augustinus serm. 230. de tempore ait: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, inquisitio superiorum, inuisibilium desiderium?* Et Damascenus citat. libro 3. fidei orthodoxæ cap. 24. orationem docet esse *ascensum mentis in Deum.* Et eodem sensu Chrysostomus homil. 30. in Genes. *Oratio*, inquit, *colloquium est cum Deo, quod vt scias, audi Prophetam dicentem: Iucundum sit ei colloquium meum*, psal. 103. verum in proposito pro petitione accipitur.

Petitio autẽ, cum nihil aliud sit, quã expositio, 68
seu intimatio quædã desiderij ei facta, qui gratuito iuuare possit, necessario efficitur, tam orationem, quã petitionẽ, esse actũ alicuius potentiæ locutiuæ, siue externæ, si oratio sit vocalis; aut solum internæ, qualis est ratio siue intellectus, si oratio sit mentalis, de qua in præsenti loquimur.

Quomodo etiam oratio secundũ genus suum 69
conuenit cum imperio, qui itidẽ est actus rationis intimantis, seu exprimentis actũ voluntatis seu desiderij, quo quis aliquid fieri cupiat ab altero. Differunt tamen inter se; tum quod imperium solũ dirigitur ad inferiorẽ: oratio vero ad eos, *qui oranti non subijciuntur, siue sint æquales, siue sint superiores*: tum quod imperium ex suo genere est actus rationis practicæ, adeoque operatiuus, per modum *causæ perfectæ*, quæ necessitatem agendi inducit; oratio autem est operatiua solum per modum *causæ imperfectæ* ac dispositiuæ, hoc ipso, quod nec persona, ad quam dirigitur, nec effectus, qui postulatur, oranti plene subijcitur.

Idem confirmatur auctoritate Sapientum. Ita enim Aristoteles 1. Ethic. cap. vlt. ait: Quod *ad optima deprecatur* (alias incitat) *ratio*, vt recitat S. Thomas cit. a. 1. Et Isidorus lib. 10. Etymol. c. 4. ait: *Orare idem esse, quod dicere*; constat autem dictionem internam pertinere ad intellectum. Et deniq; Cassiodorus in psalmum 38. notat, orationem dici, quasi *oris ratiocinem.*

Nihilominus tamen etiam *desiderium pauperum*, 70
non secus ac oratio, à Deo exaudiri dicitur, psalmo 10. v. 16. vel quia desiderium est causa petendi; cum petitio sit quodammodo desiderij interpres, vel hoc dicitur ad demonstrandam propensionem exaudiendi; quia scilicet, dum adhuc aliquid in desiderio pauperum est, Deus exaudit, antequam orationem proponant, secundũ illud Isaiæ 65. v. 24. *Eritq; antequam clament, ego exaudiam*, vt recte notauit S. Thomas ibidem ad 1.

ASSERTIO II. Orationis actus soli creaturæ 71
rationali competit; non autem vel Deo, vel brutis animantibus. Ita S. Thomas quæst. 83. art. 10. Ratio sumitur ex dictis: quia oratio est actus rationis ad superiorem, vel certe non subiectum: diuinis autem personis nihil est superius, nec quicquam eis non subiectum; bruta autem animantia carent ratione: Ergo. &c. Quod intelligẽdum de Deo, & diuinis personis secundum se, siue vt subsistunt in natura diuina: quia filium Dei in assumpta natura humana orasse, & orare posse, constat, & magis patebit quæsito 2. assert. 3.

Spiritus autem Sanctus dicitur *prò nobis postulare*, Roman. 8. vers. 26. quia postulantes nos facit: *& pulli coruorum inuocare*, psal. 146. propter naturale desiderium siue indigentiam, qua omnia suo modo desiderant consequi diuinã bonitatem, vt ait S. Thomas ad 1. & 3.

ASSERTIO III. Oratio ex suo genere est actus 72
non solum honestus ac virtuosus, sed etiam vtilis ac necessarius. Ita S. Thomas q. 83. a. 2. Constat ex scriptura passim, præsertim Lucæ 18. vers. 1. *Oportet semper orare, & non deficere.*

Probatur & declaratur. Triplex enim circa orationem fuit antiquorum infidelium error. Quidam enim asserentes, res humanas non regi diuina prouidentia, consequenter sustulerunt orationis vsum, quasi vanum & superuacaneũ sit orare, & omnino Deũ colere. Qui reprehunduntur Malachiæ 3. v. 14. *Dixistis; vanus est, qui seruit Deo.*

Secundo alij asserentes, etiã in rebus humanis omnia ex necessitate contingere, siue ex immutabilitate diuinæ prouidentiæ, siue ex necessitate stellarum, siue ex connexione causarum, sustulerunt itidem orationis vtilitatem.

Tertio alij affirmarunt quidem, res humanas diuinã prouidentia regi, neque absoluta necessitate euenire; verum simul addiderunt, dispositionem diuinæ prouidentiæ variabilem esse, ita vt orationibus, & alijs quæ ad diuinum cultum pertinent, dispositio diuinæ prouidentiæ immutetur; qui licet vsum orationis non sustulerint, male tamen eum exposuerunt, vt de prouidentia

Dei

Dei generatim dictum tom. 1. disp. 3. q. 1. Quare ita orationis vsus ac vtilitas explicanda est, vt neque rebus humanis diuinæ prouidentiæ subiectis necessitatem imponamus, neque etiam diuinam dispositionem mutabilem æstimemus.

73 Quod in hunc modum declaratur. Quia enim diuina prouidentia non solum disponit effectus faciendos, sed etiam causas & media, quibus efficiendi sunt, & inter has nonnunquam etiam ipsos actus humanos liberos, qualis est oratio: idcirco necesse est, tum alias actiones humanas, tum etiam orationem ad Deum interuenire, non quidem vt diuina immutetur dispositio, sed vt per eiusmodi actus & orationes impleantur effectus, secundum ordinem diuinæ prouidentiæ à DEO per hæc media dispositi. Itaque non oramus, vt diuinam dispositionem immutemus: sed vt id impetremus, quod Deus per orationes dispositum implendum, vt *scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus Omnipotens ante sæcula disposuit donare*, vt ait S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 8.

Neque vero idcirco à Deo quæ cupimus, petere necesse est, vt Deo nostras indigentias vel desideria manifestemus; sed vt hac ratione nostram erga Deum submissionem fiduciamque exprimamus; recognoscendo Deum esse bonorum nostrorum auctorem, vt recte notauit Sanctus Thomas eodem artic. 2. ad 3. Ex quibus etiam satis patet, orationem esse actum alicuius virtutis.

74 ASSERTIO IV. Oratio est actus religionis, non quidem immediate, sed mediate elicitus; seu quod idem est, per se ac immediate imperatus. Ita S. Thomas q. 83. a. 3. vbi absolute docet, orationem esse actum religionis. Probatur & declaratur; quia ad religionem proprie pertinet, reuerentiam & honorem Deo exhibere. Quo fit, vt omnia illa, per quæ Deo reuerentia exhibetur, pertineant ad religionem, velut actus quidam eiusdem: atqui per orationem homo Deo reuerentiã exhibet, inquantũ ei se subijcit, & profitetur orãdo, se eo indigere, tanquam auctore suorũ bonorum: ergo oratio proprie est actus religionis.

Non tamen esse actum immediate elicitum, ex eo patet, quia est actus diuersæ potentiæ, scilicet intellectus, non voluntatis, vt dictum assert. 1. & agnoscit S. Thomas cit. art. 3. ad 1. Quia tamen oratio proprie ac per se non est actus alterius virtutis, quam religionis, ipsumque affectum religionis necessario inuoluit, recte dici potest, esse actum *mediate elicitum*, seu per se ac *immediate imperatum* religionis, vt in simili de confessione fidei, comparata ad habitum fidei, diximus disp. 1. q. 7. dub. 1.

75 Nec obstat primo, quod oratio, cum ex desiderio impetrandi nascatur, potius ad spem, vel charitatem pertinere videatur; ad quas scilicet virtutes eiusmodi desiderium pertinet, vt fatetur etiam Sanctus Thomas artic. 3. ad 2. Hinc enim solum probatur, orationem quidem à spe imperari & causari, non tamen proprie ac formaliter esse actum spei, sed religionis, cuius ratione ac honestatem proxime continet, vtpote intrinsece honorem Deo, in professione eiusdem excellentiæ ac nostræ submissionis positum, deferens.

Nec obstat secundo, quod orationis actus communis est etiam peccatoribus, qui tamen vti charitatis, ita etiam religionis aliarumque moralium infusis habitibus destituuntur. Hinc enim solum probatur, actum orationis in peccatoribus non esse vndequaque perfectum, vt qui non ab ipsa virtute infusa religionis, sed solum tum ab habitu spei, tum ab habitu religionis naturali & acquisito proficiscatur. Quod pari ratione etiã de alijs actibus religionis dicendum est.

ASSERTIO V. Actus orationis inter cæteros religionis actus, post deuotionis actum, est ex 76
suo genere præcipuus ac præstantissimus. Ita S. Thomas quæst. 83. a. 3. ad 1. & 3. Probatur; quia eo actus religionis præstantior est, cæteris paribus, quo nobiliorem animæ potentiam afficit, & Deo subijcit; atqui vero per orationem homo ipsam mentem Deo subijcit, & quodammodo præsentat, iuxta S. Dionysium cap. 3. de diuinis nominibus: Ergo sicut mens humana præeminet exterioribus & corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quæ ad Dei seruitium applicantur, ita etiam oratio præeminet alijs actibus religionis externis: non tamen actui deuotionis, non quod hic sit nobilioris potentiæ, sed tum quia est actus religionis immediate elicitus; tum quia est actus vniuersalis, quidquid ad Dei cultum pertinet pro obiecto habens, vt superius dictum; tum denique quia in moralibus, ac morali æstimatione, præcipuum locum habet voluntas, tanquam potentia formaliter libera, quæ etiam alias potentias ad operandum mouet & applicat.

Dixi tamen *ex suo genere*; quia in particulari nihil obstat, quo minus aliquis actus religionis ex- 77
ternus, puta sacrificium, tum cruentum, tum incruentum Christi, ob singularem materiæ præstantiam, sit nobilior actu orationis.

Quæritur secundo, ad quem dirigi possit oratio, seu quis oratione sit inuocandus.

ASSERTIO I. Deus solus tanquam supremus adiutor noster, & bonorum auctor oratione inuocandus est. Ita S. Thomas q. 83. art. 4. Ratio patet; quia ipse est primum & supremum principium, qui vti sua potentia creauit omnia, ita sua prouidentia ac sapientia disponit & gubernat omnia; suprema habens potestate vitæ & mortis.

Neque de hac re est vlla controuersia; nisi quod sectarij huius temporis, vt Catholicæ Ecclesiæ calumniam impingant, quosdam orationis modos minus proprios, & figurate, vel pie explicandos, non proprie ac secundum rigorem verborum accipiendos, & odiose premendos, puta ad crucem Christi, ad B. Virginem &c. nobis obijcere solent, quasi in ijs etiam B. Virginem, aut ipsam Crucifixi imaginem, velut supremos gratiæ fontes & auctores impie inuocemus; quod a Catholicorum mente est alienissimum.

Optime Sanctus Thomas citat. art. 4. *Oratio*, 78
inquit, *porrigitur alicui dupliciter: vno modo, quasi per ipsum* (primario) *implenda: alio modo, sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo oratio-*

nem por-

nem porrigimus; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam & gloriam consequendam; quæ solus Deus dat, secundum illud psalmi 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Sed secundo modo orationem porrigimus Sanctis Angelis, & hominibus, non vt per eos DEVS nostras petitiones cognoscat, sed vt eorum precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apocalypsis 8. vers. 4. quod ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli, coram Deo, (ita nempe vt ipsæ etiam Sanctorum orationes, Deo ipsi vltimate repræsentarentur.) *Et hoc etiam patet ex ipso modo, quo Ecclesia* (in litanijs) *vtitur in orando. Nam à Sancta Trinitate petimus, vt nostri misereatur: ab alijs autem Sanctis quibuscunque petimus, vt orent pro nobis.* Ita S. Thomas.

Quod tamen non obstat, quo minus diuerso sensu, ac longe inferiori modo, etiam à Sanctis postulare possimus, vt nostri misereantur, nobisque subueniant; nimirum per modum impetrationis, quandoquidē etiam inter homines clientes à suis patronis & intercessoribus petere solēt, vt sui (veluti mediatores, non supremi Principes) misereantur, sibique subueniant,

79 Assertio II. Recte tamen & vtiliter à nobis etiā Sancti orantur & inuocantur, tanquam intercessores apud Deum; non vt per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed vt eorum intercessione petitiones ac desideria nostra efficacius sortiantur effectum. Ita S. Thomas cit. art. 4. & est ex fide certum, contra nostri temporis Sectarios, qui Sanctorum inuocationem impie negant; sequuti ea in re Vigilantium, teste Hieronymo lib. contra eundem, & epist. 53. ad Riparium, itemq; Eustathium siue Eutactum, damnatum in Concilio Gangrensi, vt videre est ex epistola Synodali eiusdem: Itemque Petrum de Bruys, & Henricum quendam, aliosq; Apostolicos hæreticos, apud S. Bernardum hom. 66. in Cantica & l. 3. vitæ eiusdem cap. 5. Catharos quoq; tempore Alexandri III. vt testatur Guido in catalogo hæreticorum; & pauperes de Lugduno, apud eundē, & apud Trithemiū in Chronico Anno 1160. & deniq; Ioannem Wicleffum apud Thomam Waldensē tom. 3. de sacramentalibus c. 108. & seqq.

80 Probatur assertio primo ex scriptura. Ex qua S. Thomas recte adducit illud Iob. 5. v. 1. *Voca ergo, si est qui tibi respondeat; & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Vbi procul dubio Sancti Angeli intelliguntur; qui si rectè à nobis inuocantur, cur non & alij Sancti, Dei præsentis visione iam beati? quando eadem vtrisque facile suppetit ratio, qua nostras preces intelligant, explicata à nobis tom. 1. disp. 2. q. 6 dub. 10. Neque vero ijs deest voluntas & affectus charitatis, quo nobis benefacere cupiant.

Idem probatur efficaciter ex illo Iob. c. 42. v. 8. & 10. vbi Deus ipse amicis Iob mandat, vt Iobi orationem & deprecationem velut medium vsurpent, quo sibi reconcilientur: *Ite ad seruū meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. &c. Et fecerunt, sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob. Dominus quoque conuersus est ad pœnitentem Iob, cum oraret ille pro amicis.* Quid nī idem multo magis sentiamus de Sanctis; quorum preces eo efficaciores apud Deum esse credendum est, quo Deo in ipsa beatitudine, coniunctiores sunt?

Idem patet exemplo Moysis Exodi 32. v. 10. & psal. 105. v. 23. vbi dicitur: *Et dixit, vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Ex quibus euidens est, Deum 81
sæpe orationibus Sanctorum permotum donare beneficia, & condonare peccata, quæ alioqui fortasse condonaturus non fuisset. Huc spectat illud Ieremiæ 15. v. 1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Vbi supponitur, Sanctos pro viuentibus orare, ac proinde etiam vtiliter inuocari; licet eorum preces tanquam diuinæ voluntati subordinatæ re ipsa non semper exaudiantur.

Deniq; huc spectat, quod etiam Sancti in terris 82
existentes recte & vtiliter inuocātur, vt patet Ieremiæ 42. v. 2. *Dixeruntque ad Ieremiam Prophetā: Cadat oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis Dominum.* Baruch 1. v. 12. *Pro nobis ipsis orate ad Dominum Deū nostrū, quia peccauimus Domino. &c.* Rom. 15. v. 30. *Obsecro vos fratres per Dominū nostrū Iesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deū.* Et Iacobi 5. v. 16. *Orate pro inuicem vt saluemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Quod si Sancti adhuc in terra peregrinantes recte inuocantur, quanto magis in cœlis existentes, ac ipsa Dei, eorumque quæ ad se pertinent visione beati, vt loco cit. explicauimus? Omitto cætera scripturę loca ex quibus probatur, Sanctos re ipsa pro nobis orare, vt inferius dicetur.

Idem secundo probatur apud citandos, vnanimi consensu SS. Patrum, adeoq; perpetuo sensu 83
& praxi Ecclesiæ, quæ est *columna & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. v. 15.

Ratio deniq; est; quia Deus hoc ipsum, inter cætera, velut optimū salutis mediū ordinauit ad conseruandam mutuo charitatē, nostramq; erga Sanctos humilitatē exercendā, vt postulatis Sanctorū p̄cibus certius & efficacius cōsequeremur, quæ à Deo expectare debemus beneficia: & per se credibile ac rationi valde consentaneū est, interpositis ac multiplicatis intercessoribus, ipsā etiā postulationē efficaciorē reddi. Neq; enim dum Sanctos oramus, à Deo auertimur; sed potius illos ipsos tāquā mediatores adhibemus, q̄bus nostras preces ac desideria Deo efficaci⁹ repræsentemus.

Nec obstat primo, quod Augustinus l. de cura 84
pro mortuis agēda c. 13. 15. & 16. docet; *Nescire mortuos, etiā Sanctos, quid agant viui,* etiam eorū filij. Hoc enim intelligendū est de cognitione naturali Sanctorum, de qua ibidem disserit; vt recte S. Thomas ibidem ad 2. Interim vero eos, quæ ad se pertinent posse cognoscere, Deo reuelante, ipsemet Augustinus ibidem cap. 15. fatetur.

Nam vt ex S. Gregorio l. 12. Moral. c. 13. recte S. Thomas ibidem ad 2. ait: *In verbo* (saltem causaliter) *manifestatur illud, quod decet eos cognoscere de eis, quæ circa nos aguntur, etiam quantum ad interiores motus cordis. Maxime autem excellentiam eorum decet,*

vt co-

vt cognoscant petitiones ad se factas, vel voce, vel corde. Et ideo petitiones, quas ad eos dirigimus, Deo manifestante cognoscunt. De qua re pluribus loc. cit. Nec obstat secundo, quod oratio sit actus religionis; qua tamen Sancti per se non coluntur: quia vt recte respondet Sanctus Thomas cit. articulo 4. ad 1. *illi soli impendimus orando religionis cultum, à quo quærimus obtinere quod oramus; quia in hoc protestamur eum bonorum nostrorum auctorem: non autem eis, quos requirimus quasi interpellatores nostros apud Deum.* Itaque oratio illa est actus religionis, non quatenus formaliter & immediate ad sanctos pertinet, hac enim ratione est actus duliæ; sed quatenus vltimate ad ipsum Deum per Sanctos propitiandum dirigitur. Testimonia vero SS. Patrum, sicut & solutiones aliarum obiectionum, videri possunt apud Valentiam hic q. 2. pu. 7. & apud Bellarminum lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 19. & 20.

85 Assertio III. Sancti in cœlis re ipsa orant pro nobis. Ita Sanctus Thomas quæstione 83. articulo 11. Probatur ex Scriptura 2. Machab. cap. 15. vers. 14. *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei.* Quod si Sancti in limbo existentes pro viuentibus orabant, quanto magis Sancti in cœlis existentes? Item Apocalypsis 8. vers. 4. *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum, de manu Angeli, coram Deo.* Et denique de ipso Christo Sancto Sanctorum Hebr. 7. vers. 25. dicitur: *Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et Rom. 8. v. 34. *CHRISTVS IESVS, qui mortuus est; imo qui & resurrexit, qui est ad dextram, qui etiam interpellat pro nobis.* Quod tamen an de oratione etiam explicita accipiendum sit, dicendum est suo loco de Incarnatione tomo 4.

86 Ratio est; quia vt recte ait S. Thomas; cum oratio *pro alijs facta ex charitate proueniat, idcirco quanto Sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuuari possunt: & quanto sunt Deo coniunctiores, tanto eorum orationes sunt efficaciores. Habet enim hoc diuinus ordo, vt ex superiorum excellentia* (quidpiã) *in inferiora refundatur; sicut ex claritate solis in aerem.*

Ex quibus refellitur error Vigilantij, asserentis, nos quidem, dum viuimus, mutuo pro nobis orare posse: postquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudiendam esse orationem; præsertim cum Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare nequeant. Quem optime refellens S. Hieronymus epist. contra Vigilantium post 53. ait: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, quando pro se adhuc debent esse solliciti, pro alijs orant, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos?*

87 Et quamuis Sanctorum orationes in cœlis nihil mereantur, habent tamen *gratiam impetrandi, ex præcedentibus eorum meritis, & ex diuina acceptatione*, vt ait S. Thomas ibidem ad 1. & dictum tom. 2. disputatione 6. quæstione 6. dub. 2. à num. 44.

Et licet etiã quod Deus efficaciter vult, semper impletur; quia tamen quædam vult per media, in quibus etiam sunt orationes Sanctorum vt dictum n. 73. non sunt hæ superuacaneæ existimandæ; quando etiam Sancti non petunt, nisi quod existimant suis orationibus implendum, secundum Dei voluntatem.

Neque ideo necesse est, inuocationem Superioris Sancti semper efficaciorem esse, quam inferioris; imo fieri potest, vt inuocatio inferioris Sancti efficacior sit; *vel quia deuotius imploratur, vel quia Deus vult eius sanctitatem declarare*, vt ait S. Thomas ibidem ad 4. 88

Et quia Sancti viuentes meruerunt, vt pro nobis orarent; ideo inuocamus eos *nominibus, quibus hic vocabantur*; quibus etiam nobis magis innotescunt: & iterum propter fidem Resurrectionis insinuandam. Sicut etiam Exodi 3. vers. 6. dicitur: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Hac ergo etiã de causa dicimus *Sancte Petre ora pro nobis*, etiamsi anima Petri non sit Petrus, vt notauit S. Thomas ibidem ad 5. 89

Nec dubium, Sanctos in cœlis orare etiam pro animabus in purgatorio, vt recte cum S. Thoma in 4. d. 45. q. 3. a. 3. ad 6. docet Azor tom. 1. lib. 9. cap. 10. q. 12. fauente ipso vsu Ecclesiæ; dum in litanijs pro moribundis inuocantur Sancti; etsi contrarium dixisse videatur Sotus in 4. d. 45. q. 3. a. 2. ad finem.

Assertio IV. Sancti tamen, qui sunt in purgatorio, nec à nobis inuocandi sunt; nec pro nobis orare solent. Ita S. Thomas cit. q. 83. a. 4. ad 3. vbi ait: *Illi qui sunt in hoc mundo, aut in purgatorio, nondum fruuntur visione Verbi, vt possint cognoscere ea, quæ nos cogitamus, vel dicimus. Et ideo eorum suffragia non imploramus orando* (oratione scilicet mentali, vel quæ ad absentes fiat:) *sed à viuis petimus colloquendo.* Et a. 11. ad 3. ait: *Illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem; sunt tamen inferiores, quantum ad pœnas, quas patiuntur. Et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis, vt oretur* pro eis. Idem docent Alensis 4 part. q. 26. m. 3. a. 4. ad 4. & communiter alij. 90

Ratio est: quia sicut inter homines ij, qui ob delicta quædam exoluenda, iussu Principis in carceres compacti sunt, non solent habere accessum ad Principem, nec pro alijs supplicando interuenire, etiamsi gratia Principis non plane exciderint: ita de animabus purgatorij cogitandũ. Præterquam quod ordinarie nec per reuelationẽ quidem Dei cognoscant ea, quæ apud nos aguntur, vt ex S. Thoma dictum.

Oppositum tamen sentit Ioannes Medina de Orat. q. 4. & fauet Sotus in 4. d. 45. q. 3. art. 1. moti historia, quam refert S. Gregorius lib. 4. dial. c. 40. de Paschasio, cuius anima pœnis purgatorij expiabatur; & nihilominus eiusdem inuocati meritis & precibus mirabilia quædam efficiebantur. Ad quod tamen bene S. Thomas in 4. d. 15. q. 4. a. 5. q. 2. ad 3. respondet; *Paschasius in purgatorio non orabat pro alijs; sed oratio ad eum fusa exaudita est, propter fidem* (seu piam confidentiam) *orantium*; qui scilicet eum beatum esse putabant. 91

An au-

92 An autem Sancti olim in limbo existentes inuocati fuerint, aut pro viuentibus orarint, alia quæstio est. Certe orasse, negari non potest; & constat exemplo Ieremiæ cit. Machab. 2. Ordinarie tamen inuocatos, aut inuocandos fuisse, non existimo; vt colligitur ex adducta ratione S. Thomæ a. 4. ad 3. quia nimirum fruitione Dei nondum beati, ordinarie cognoscere non poterant ea, quæ nos cogitamus, vel etiam dicimus.

Quæ etiam causa est, cur in veteri testamento, Sanctorum quidem defunctorum merita DEO fuerint repræsentata, ad eum demerendum, vel placandum; Memento Domine Abraham, Isaac, &c. nunquam tamen oratio ad aliquem Sanctorum directa legatur.

Quæritur tertio, quid, & pro quibus orandum sit.

93 ASSERTIO I. Non solum bona spiritualia, sed etiam temporalia à Deo recte postulantur; ita tamen vt illa, quia ita bona sunt, vt nemini mala esse possint, absolute; hæc vero quia etiam mala & nociua esse possunt (vt sunt honores, diuitiæ, & similia temporalia bona) non omnino absolute, sed ad bonum, salutaremque vsum, seu quatenus animæ saluti non sunt noxia, postulanda sint. Ita S. Thomas q. 83. a. 5. & 6. & constat ex ipsa oratione Dominica; in qua & spiritualia bona, & temporalia postulantur.

94 Idem S. Thomas recte in hunc modum declarat. Nam vt refert Valerius lib. 7. cap. 2. Socrates *nihil vltra petendum à Dijs immortalibus arbitrabatur, quam vt bona* (indefinite) *tribuerent, quia hi demum scirent, quid vnicuiq; esset vtile. Nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret.* Quæ quidem sententia, inquit S. Thomas cit. a. 5. *aliqualiter vera est*, quantum ad illa, quæ possunt *malum euentum habere*; quibus etiam homo potest bene & mali vti. Sicut *diuitiæ*, quæ vt ibidem dicitur, *multis exitio fuere: Honores qui complures pessundederunt: Regna, quorum exitus sæpe miserabiles cernuntur: Splendida coniugia, quæ nonnunquam funditus domos euertunt.*

Sunt tamen quædam bona, quibus homo male vti non potest, quæ scilicet *malum euentum habere non possunt.* Hæc autem sunt, *quibus beatificamur, & quibus beatitudinem meremur*; quæ quidem Sancti orando absolute petunt, secundum illud psalmi 79. v. 4. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Et iterum psalm. 118. v. 35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* Et psal. 142. v. 10. *Doce me facere voluntatem tuam.*

95 Quia tamen etiam bona temporalia, etsi per se expetenda non sint, sunt tamen quædam adminicula vitæ recte instituendæ, inquantum & per ea vita corporalis sustentatur, & nobis velut instrumenta deseruiunt, ad actus virtutum, vt dictum tom. 2. disp. 1. q. 5. dub. 5. iuxta Aristotelem 1. Ethic. cap. 8. licite ea ad eundem finem petuntur.

Vnde Augustinus epist. 121. cap. 6. & 7. *Sufficientiam vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult, & non amplius: quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis, & congruentem habitum personæ hominis, vt non sit inconueniens eis, cum quibus viuendum est. Ista ergo cum habentur, vt teneantur; cum non habentur, vt habeantur orandum est.* Ex quibus patet tota assertio.

ASSERTIO II. Non tantum pro nobis ipsis, 96 sed etiam pro alijs, & quidem pro inimicis orandum est. Ita S. Thomas q. 83. a. 7. & 8. Et patet ex scriptura Matthæi 5. v. 44. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Iacobi 5. v. 16. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Ratio est; quia eosdem diligere, ac bona ijsdem velle debemus, vt suo loco de charitate dictum.

Et quia diligere inimicos seu bonum ijsdem velle in genere quidem tenemur; non autem *in speciali*, nisi secundum præparationem animi, vel in necessitatis articulo; ideo etiã necessitatis est, vt in communibus orationibus nostris, quas pro alijs facimus, *inimicos non excludamus*: vt autem pro eis *specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis; nisi in aliquo casu speciali*, vt ait S. Thomas cit. a. 8. De qua re plura de charitate disp. 2. q. 3. dub. 1.

Nec obstat primo, quod orationes nostræ in 97 ordine ad vltimam salutem nõ prosunt, nisi prædestinatis; quia nihilominus, vt sapienter docet S. Thomas a. 7. ad 3. & pro peccatoribus omnibus orandum est, vt conuertantur: & pro iustis, vt perseuerent & proficiant; licet orantes non pro omnibus exaudiantur; sed pro prædestinatis, non autem præscitis ad mortem.

Sicut etiam *correctio*, qua fratres corrigimus, effectum (vltimatum) habet *in prædestinatis, non in reprobatis* secundum illud Ecclesiastæ 7. v. 14. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Vnde etiam 1. Ioannis 5. v. 16. dicitur: *Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* Sicut ergo nulli, quamdiu viuit hic subtrahendum est *correctionis beneficium*; quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobatis, vt docet Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 15. ita etiam nulli est denegandum *orationis suffragium.*

Pro iustis etiam est orandum, triplici ratione. 98
1. quia multorum preces facilius exaudiuntur.
2. vt à multis gratiæ agantur Deo, ob beneficia iustis, in aliorum etiam vtilitatem, collata.
3. vt maiores non superbiant, dum considerant, se minorum suffragijs indigere.

Nec obstat secundo, quod Sancti nonnunquã 99 vindictam de inimicis petunt, deque ea lætantur. Psalm. 57. v. 11. & Apocal. 6. v. 10. vbi dicitur; *Vsquequo non vindicas sanguinem nostrum, &c.* Nam vt docet S. Thomas a. 8. ad 1. & 3. eiusmodi imprecationes quatuor modis intelligi possunt, absque seria, vel culpabili imprecatione mali. 1. *per modum prædictionis*; inquantum Prophetæ solent per modum imprecantis futura prædicere, iuxta Augustinum l. 1. de sermone Domini in monte c. 42. vel 21. 2. prout quædam temporalia peccatoribus quandoque à Deo, *correctionis causa* immittuntur: qua ratione licet etiam *orando petere*, aliqua temporalia mala inimicorum, vt corrigantur. 3. quia non intelliguntur de ipsis hominibus, qui peccãt; sed abstracte, de regno peccati; vt scilicet correctione hominum *peccata destruantur.* 4. quate-

quatenus licet, *conformare voluntatem suam diuinæ iustitiæ*, circa damnationem perseuerantium in peccato, vt dictum pluribus tomo 2. disput. 2. q. 6. dub. 6.

100 Assertio III. Ea quæ à nobis petenda sunt, recte in precatione Dominica, velut oratione perfectissima, exprimuntur. Ita S. Thomas quæst. 83. a. 9. ex Augustino epist. 121. cap. 12. & lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 10. vel 5. & in enchiridio cap. 115.

Probatur & declaratur. Quia in oratione Dominica non solum petuntur omnia, quæ recte desiderare possumus; sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt, vt scilicet potiora cęteris anteponamus. Duo enim sunt vniuersim, quæ postulantur & recte desiderantur, primo finis; deinde ea, quę sunt ad finem. Finis noster est Deus, in quem noster affectus tendit dupliciter; primo eoq; nobiliori modo; inquantum volumus gloriam Dei: secundo inquantum volumus frui gloria eiusdē; quorū primum pertinet ad dilectionē Dei, qua Deum in seipso diligimus; secundum vero pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Quare prima & potissima petitio est; *Sanctificetur nomen tuum*; hac enim petimus gloriam Dei. Secunda, *Adueniat regnum tuum*, qua petimus, ad gloriam Dei & regni eius peruenire.

101 Ea vero quæ sunt ad finem, alia ad eum per se conducunt, alia vero per accidens. Per se quidē, *bona ad eundem finem vtilia* idq; vel directe & *principaliter*, per modum meriti, quo beatitudinem meremur, Deo obediendo; & huc pertinet tertia petitio, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra*: Vel *instrumentaliter*, & velut quiddam *coadiuuans* nos ad merendum; & huc pertinet quarta petitio, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; siue hoc intelligatur de *pane sacramentali*, cuius quotidianus vsus proficit homini, in quo etiam intelliguntur *omnia alia Sacramenta*: siue etiam intelligatur de *pane corporali*, vt per panem intelligatur *omnis sufficientia victus*, iuxta Augustinum epist. 121. cap. 11. quia & Eucharistia est præcipuum Sacramentum, & panis est præcipuus cibus. Quo sensu etiā voculam *Supersubstantialē*, hoc est, *præcipuū* exponit Hieronymus Matth. 6. & ad Titū 2.

102 Per accidens autem aliquid conducit ad beatitudinem, per modum *remouentis* (malum) *prohibens*. Tria autem sunt mala, quæ nos à beatitudine prohibent. Primum quidem & præcipue *peccatum*; quo spectat quinta petitio; *Dimitte nobis debita nostra*; secundo *tentatio* impediens obseruationem diuinæ legis; quo pertinet sexta petitio, *Et ne nos inducas in tentationem*, postulando scilicet, non vt non tentemur, sed vt non tentatione vincamur. Tertio, *pœnalitas præsens*, vt quæ impedit sufficientiam (ac felicem statum) vitæ; & huc spectat vltima petitio, *Libera nos à malo*. Vbi cum oratio sit interpres desiderij, ordo petitionum non respondet ordini executionis, sed ordini desiderij, siue intentionis; in quo *prius est finis quam ea quæ sunt ad finem*; *& consecutio boni, quam remotio mali*, vt ait S. Thomas ibidem ad 2.

103 Quæritur quarto, qualis esse debeat oratio, ad hoc vt sit efficax.

Assertio I. Oratio necessario debet esse *attenta*. Ita S. Thomas q. 83. a. 13. Probatur & declaratur. Triplex enim est effectus orationis; primus quidem cōmunis omnibus actibus charitate informatis, quod est, *mereri*. Secundus, eique proprius est *impetrare*: & ad neutrum quidē effectum requiritur, vt *actualis attentio* per totum orationis decursum perduret; sed necessariū tamen est, vt vis primæ intentionis, qua quis ad orandum accessit, non sit interrupta, & saltē virtualiter permaneat. Tertius effectus est quædā *spiritualis refectio mentis*; & ad hunc necessariò requiritur actualis attentio, iuxta illud 1. Cor. 14. v. 14. *Si orem lingua, spiritus meus orat; mens autem mea sine fructu est.*

Est autem *triplex attentio*, quæ orationi vocali 104
potest adhiberi. Vna qua attenditur ad verba, ne quis in eis erret: Secunda, qua attenditur ad sensum verborum. Tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rē, pro qua oratur; quæ quidē *est maxime necessaria* (saltē in principio concepta) *& potest etiam esse communis idiotis*. An autem in decursu orationis prima sine cæteris sufficiat, dicetur dubio sequenti.

Ex quibus etiam colligitur, qua ratione men- 105
tis euagatio impediat orationis fructum. Si quis enim *ex proposito* in oratione mente euagetur, talis euagatio peccatū est, & impedit orationis fructū. Euagatio vero mentis, quæ fit *præter propositū*, orationis fructum (intellige primum & secundū) non tollit, vt docet S. Thomas ibidē ad 3. ex Basilio serm. de orando Deum, vbi ait: *Si vero debilitatus à peccato fixe nequis orare, quantumcunq; potes, teipsū cohibeas; & Deus ignoscit; eo quod nō ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, vt oportet, assistere coràm eo.*

Assertio II. Oratio etiam constans & perse- 106
uerans esse debet; etsi vt actu reipsa semper perduret, minime necessariū est. Ita S. Thomas q. 83. a. 13. Prima pars patet ex scriptura, Matthæi 7. v. 7. *Petite, & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis.* Idem habetur Lucæ 11. v. 9. Et ibidē v. 8. additur: *Si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, & si nō dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter improbitatē tamē eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Idē probat exemplū Christi, qui & in orando pnoctauit, & eandē orationē ter repetijt, & plixius orauit, Luc. 6. v. 12. Matth. 26. De qua importunitate & perseuerantia orationis luculente differit Cassianus collat. 11. cap. 33.

Idem patet ex alijs scripturæ locis, vbi præci- 107
pitur continuo orare, Lucæ 18. vers. 1. *Oportet semper orare, & non deficere.* Et 1. ad Thessal. 5. v. 16. *Sine intermissione orate.* Quorum verborum sensus non est, ipsum in se orationis actum semper esse continuandum, vti veteres quidam hęretici Messaliani, siue Saliani, apud Epiphaniū contra hæres. hæresi 80. & Augustinū hæres. 57. dicebant; satis est, vim & causā orationis, quæ est deuotio erga Deum, siue desiderium charitatis, actu siue virtute semper durare; ita vt *omnia in gloriā Dei referamus*, vt dicitur 1. Cor. 10. Vnde Augustinus cit. epist. 121. c. 9. ait: *In ipsa fide, spe, & charitate, continuato desiderio, semper oramus.* 108

Et quia cuiusque rei quantitas debet esse pro-

portio-

portionata fini, sicut quantitas potionis sanitati, conueniens est, vt oratio tantum duret, quantum est vtile ad excitandum interioris desiderij feruorem. Cum vero hanc mensuram excedit, ita vt sine tædio durare non possit, tum oratio priuata & arbitraria non est vlterius protendenda.

Vnde Augustinus ibidem cap. 10. *Dicuntur*, inquit, *Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas; ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimũ necessaria est, per productiores moras euanescat atq; hebetetur intentio: ac per hoc ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, cito non esse rumpendam.* Idem habet Cassianus libro 2. de Instit. cœnob. cap. 10.

Oratio vero cõmunis, atq; debita, vti defectu actualis deuotionis intermittenda non est; ita par est, vt cõmunis etiam ac publicæ orationis diuturnitas ad cõmunem populi deuotionem sit accõmodata, iuxta S. Thomam ibidem.

109 Assertio III. Ad bonitatẽ, adeoq; efficaciam orationis requiruntur etiam aliarum virtutum actus, speciatim, humilitatis, fidei, & spei. Ita S. Thomas q. 83. a. 15. Ratio est. *Fides* enim est necessaria *ex parte Dei*, quem oramus, vt scilicet credamus, nos ab eo *posse obtinere* quod petimus.

Quo spectat etiam Fiducia, seu spes idipsum obtinendi, de qua 1. Ioañis 5. v. 14. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcunq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo.* Et Iacobi 1. v. 6. *Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Quæ verba iuxta sensum assertionis 1. quæsiti 3. intelligenda sunt, vt mox etiam dicetur assertione sequente, & 6.

Humilitas autem est necessaria, *ex parte ipsius petentis*, qui suã indigentiã recognoscit. Est etiã & *deuotio* necessaria, tanquam *primus religionis actus, necessarius* ad omnes consequentes, vt ait S. Thomas: quod intelligendum iuxta dicta quæsito 1. assert. 4. ne quis putet, orationem peccatoris non exaudiri; de quo infra assert. 7.

110 Assertio IV. Ad certã impetrationẽ ei9, quod petitur, necessariũ est ex parte ipsius rei, quæ petitur, vt sit necessaria ad salutẽ, vel certe ad eam conducat. Ita S. Thomas q. 83. a. 15. ad 2. Colligitur ex illo Christi Ioan. 14. v. 13. & c. 16. v. 23. *Amen amen dico vobis: si quid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Vsq; modo non petistis quidquã in nomine meo:* hoc est, in nomine Christi Saluatoris, adeoq; ad salutem pertinens, vt explicat etiam Augustinus tract. 102. in Ioann. Ratio est; quia cætera bona, vti per se non cadunt sub meritum, vt dictum tom. 2. disp. 6. q. 6. du. 10. ita nec infallibiliter oratione impetrantur; quæ si bona est, non nisi ad salutem petentis ordinatur.

111 Assertio V. Ad infallibilitatẽ impetrationis eius rei, quæ petitur, etiã requiritur, vt orans p seipso petat. Ita S. Thomas q 83. a. 7. ad 2. & a. 15. ad 2. iuxta illud Ierm. 15. v. 1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Idẽ docet Augustinus tract. 102. in Ioañẽ vbi ait: *Ita sane intelligendũ quod ait: Dabit vobis: vt ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ proprie ad eos pertinent, qui petunt. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet alijs; quia non vtcunque dictum est, dabit, sed dabit vobis.*

Ratio est; quia cum ea, quæ ad salutẽ alterius pertinẽt, plurimũ etiã ex eius arbitrio pendeant, fieri facile potest, vt oratio p alio facta nõ impetret, etiamsi fiat pie, & perseueranter, & de pertinentibus ad salutẽ, ppter impedimentũ, quod est ex parte eius, pro quo oratur. Si quis vero pro seipso debito modo oret, iam hoc ipso habet efficax desiderium impetrandi quod petit: efficax autẽ dici non potest, nisi remoueat impedimenta, quę ex sua parte postulato effectui obstant,

Assertio VI. Quatuor igitur sunt cõditiones, 112 quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit; vt scilicet pro se petat, necessaria ad salutẽ, pie, & perseueranter. Ita S. Thomas q. 83. art. 15. ad 2. conuenienter S. Basilio serm. de orando Deum vbi ait: *Ideo quandoq; petis, & non accipis; quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leuiter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.* Ratio sumitur ex dictis, quibus prædictæ quatuor conditiones satis explicatæ sunt. Pietas enim ad attentionem, cæteraſq; conditiones assertione 1. & 3. explicatas pertinet: reliqua figillatim iam antea declarata sunt.

Dices; ad salutẽ etiam pertinet perseuerantia, 113 quæ tamen sub infallibile meritum non cadit, vt suo loco dictum tomo 2. disp. 6. q. 6. du. 9. nec adeo etiã infallibiliter oratione impetrari posse videtur.

Respondeo posse, si supradictæ conditiones adsint: sed quia effectus ille, ex sua propria & speciali ratione, non confertur, nec conferri potest, ante finem vitæ, necesse est perseuerantiæ conditionem ita explicari, vt oratio ac petitio seria eiusdem gratiæ ad finem vsq; vitæ constanter perduret; quo facto, nunquam fiet, vt oratio eo effectu frustretur. Si quis enim postea ex gratia excidat, necesse est, hoc ipso desiderium efficax & serium perseuerantiæ fuisse relaxatum: alias enim homo vtique perseuerasset; cum in eius arbitrio, cum diuina gratia, positum fuerit perseuerare, vt pluribus dictum cit. tom. 2. disput. 6. q. 6. du. 9.

Præter has tamen conditiones, plura adminicula orationis, ad impetrandum vtilia, refert Cassianus Collat. 9. c. 33. vbi ait: *Diuersas exauditionum causas esse, secundum animarum diuersum ac variũ statũ, euangelica siue prophetica testantur eloquia &c.* Et mox numerat 1. Plurium *consensum*, ex Matth. 18. II. *Fidei plenitudinem* grano sinapis cõparatam Matth. 13. III. *Eleemosynarum fructum*, Eccli 29. IV. *Emendationem vitæ, & opera misericordiæ*, Isai. 58. V. *Tribulationum pressuram* psal. 119. & Exod. 22. &c. 114

Assertio VII. Vt vero is, qui orat, in gratia sit constitutus, tametsi ad impetrationem orationis non requiratur, stantibus supradictis quatuor conditionibus, requiritur tamen ad meritum 115

eius de condigno. Ita S. Thomas quæst 83. art. 15. & 16.

Prior pars probatur ex scriptura & Patribus, qui de exauditione orationis vniuersaliter loquuntur, speciatim Augustinus tractat. 44. in Ioannem: *Si peccatores*, inquit, *non exaudiret Deus; frustra Publicanus dixisset, Domine propitius esto mihi peccatori; qui tamen iustificatus discessit.* Et Chrysostomus seu auctor operis imperfecti in Matthæum homil. 18. *Omnis qui petit accipit, id est, siue iustus sit, siue peccator.*

Ratio est; quia orationis impetratio non nititur iustitia, sed gratia & misericordia, ac liberali promissione Dei. *Habet* enim *oratio efficaciam impetrandi ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit.* Vnde etiam Augustinus serm. 29. de verb. Dom. *Non nos hortaretur, vt peteremus, nisi dare vellet.*

116 Nec obstat illud cæci Ioannis 9. vers. 31. *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* Nam vt Augustinus tract. 44. in Ioannem ait, illud verbum est *cæci adhuc inuncti*, id est, nondum perfecte adhuc illuminati; *& ideo non est ratum*; quamuis possit *ratificari*, vt ait S. Thomas a. 6. ad 2. si intelligatur de peccatore, inquantum est peccator, siue secundum desiderium peccati, in hoc enim à Deo *non auditur ex misericordia*; sed quandoque *auditur ad vindictam*; dum Deus permittit peccatorem adhuc *amplius ruere in peccata*: siquidem *Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus*, iuxta Augustinum tract. 73. in Ioannem & serm. 53. de verbis Domini. Quo sensu etiam intelligitur illud Pro. 28. v. 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.*

117 Et quamuis oratio peccatoris non possit esse pia, quasi procedens ex habitu vel effectu charitatis, potest tamen esse pia, tum ex parte rei, quæ petitur, si petat aliquid ad pietatem pertinens; tum etiam quoad affectum fidei & spei, ipsiusq; religionis saltem naturalis, vt indicat S. Thomas ibidem ad 2.

118 Dices; quid si peccator ipsius odij erga proximum peccato affectus sit, nũquid exaudietur; quamtumuis contra seipsum oret, illud: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus &c?* Respondet Sanctus Thomas ibidem ad 3. orationem Dominicam proferri *ex persona communi totius Ecclesiæ. Et ideo si aliquis nolens dimittere debita, proximo, dicat orationem Dominicam, non mentitur; quamuis hoc quod dicit, non sit verum, quantum ad suã personam: est enim verum, quantum ad personam Ecclesiæ, extra quam est merito. Et ideo fructu orationis caret*: idque satis colligitur ex Eccli 28. versu 1. 2. 3. 4. 5. *Quando que tamen aliqui peccatores parati sunt debitoribus suis dimittere: & ideo ipsi orantes exaudiuntur*, secundum illud Eccli 28. v. 2. *Relinque proximo tuo nocenti: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.*

Secunda pars assertionis patet ex generali do-
119 ctrina de merito to. 2. disp. 6. q. 6. du. 2. & 4. vbi ex cõmuni docuimus, ad meritũ de cõdigno requiri statũ gratiæ, & affectũ charitatis. In quẽ sensum S. Thomas cit. a. 15. *Oratio, in qt, sicut & quilibet alius actus virtutis, habet efficaciam merendi inquantũ procedit ex radice charitatis*, seu vt mox ait, quatenus *procedit à charitate.* De qua re plura loco citato.

Quæritur quinto, quotuplex sit oratio.

Respondetur breuiter, orationem generatim 120
acceptam, pro vt significat *ascensum mentis in Deũ*, duobus potissimum modis diuidi. Primo enim oratio alia est pure mentalis; qualis respectu quidem Dei inspectoris cordium, ex suo genere sufficit, & salutaris est. Alia autem est vocalis; qualis necessario esse debet oratio, quæ per ministros Ecclesiæ, in persona totius fidelis populi Deo offertur: hæc enim necesse est, vt toti populo innotescat, seu quantum est ex suo genere, innotescere possit: quod fieri non posset, nisi esset vocalis.

Alia est ratio orationis priuatæ ac singularis; 121
cui tamẽ nihilominus vocalis sermo recte adiungitur. Primo *ad excitandam interiorem deuotionem*; quia *per exteriora signa mouetur* mens hominis tum secundũ apprehensionem, tum etiam secundum affectionẽ, iuxta Augustinũ epist. 121. c. 9. Cuius pinde etiã deuotionis, in oratione priuata, quoad vsum vocis, potissimum habenda est ratio. Si enim mens per vocis formationẽ distrahatur, vel qualitercuuq; impediatur; vti solet accidere, cũ mens sine huiusmodi signis est sufficienter ad deuotionem parata, à voce abstinendũ erit, iuxta illud psal. 29. v. 1. *Tibi dixit cor meum, exquisiui te facies mea.* Ex exemplum Annæ, quæ *loquebatur in corde suo* 1 Regum 1. v. 13.

Secundo *ad reddendum debitum*, quo obstricti sumus ad seruiendum Deo, non solum mente, sed etiã corpore; idq; præcipue conuenit orationi, *quatenus est satisfactoria*, iuxta illud Oseæ 14. v. 3. *Omnem aufer iniquitatẽ; accipe bonũ, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

Tertio ob *quandam redundantiam ab anima in corpus*, ex vehementi affectione, secundũ illud psalmi 15. v. 9. *Propter hoc lætatum est cor meũ, & exultauit lingua mea*, vt pluribus docet S. Thomas a. 12.

Secundo diuiditur oratio in has quatuor velut 122
species, seu partes orationis relatas ab Apostolo 1. Tim. 2. vers. 1. nimirum *obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones.* Quæ S. Thomas cit. q. 83. a. 17. ita explicat, vt etiam in eandem orationem omnia conueniant; ita scilicet, vt *obsecratio* petitioni adiungat rationẽ motiuã, ob quam oratio fit exaudienda; *oratio* significet eleuationem mentis ad Deum in quauis orationẽ necessariam &c. *Sicut in collecta Trinitatis*, inquit, *quod dicitur, Omnipotens sempiterne Deus, pertinet ad orationis ascensum in Deum. Quod dicitur: Qui dedisti famulis tuis, pertinet ad gratiarum actionem. Quod dicitur, Præsta quæsumus. &c. pertinet ad postulationem. Quod in fine ponitur, Per Dominum nostrum. &c. pertinet ad obsecrationem. Et ita in pluribus Ecclesiæ collectu hæc quatuor possunt attendi.* Ita Sanctus Thomas.

Quamuis in Collationibus Patrum, apud Cassianum c. 10. 11. 12. & 13. hæc quatuor ita explicantur, vt diuersas quasi orationis species significent; nimirũ vt *obsecratio* sit imploratio pro peccatis: *oratio*, cum aliquid Deo vouemus: *postulatio*, cum pro alijs petimus. &c. *Sed primum*, inquit, S. Thomas, *melius est.*

Illud

Illud mirum, quod indicat Augustinus lib. 9. Confes. cap. 13. preces nonnunquam ad Deum fundi, etiam pro re, quæ iam impetrata putatur. Nimirum quia Deus, pro sua benignitate, aliquando preces exaudit, priusquam fundantur. Quod tamen extraordinarium videtur.

123 Sexto quæri potest, quo loco, tempore, & gestu corporis orandum sit, speciatim an quouis loco & situ corporis saltem priuatim orare liceat.

Respondeo breuiter I. In omni loco fas esse Deum priuatim orare, si debita animi reuerentia non desit. Ita Chrysostomus orat. sua postrema de pseudoprophetis & falsis Doctoribus, adiuncta nouæ editioni Ephrem monet vt in omni loco, etiam in lecto oremus: *Et tu igitur*, inquit, *Pater, ne exspectes diem vel horam; sed etiam cum dormies ora, & in via, & dum cubas, & cum surgis; & in quocunque loco.* Ratio est, quia si nullus locus adeo vilis est, cui Deus suam substantiã non communicet, non obstabit etiam vilitas loci orationi ad Deum vbique præsentem fundendæ: quando etiam Angeli in omni loco præsentes Deum intuentur, ac pro nobis orant.

124 II. Neque tempus certum oratio priuata deposcit. Itaque die & nocte; inter prandium, cœnam, ludum, ac in omni negotiorum genere orare licet. Nihil enim hic certi quippiam præscriptũ aut vetitum; quasi certo quodam tempore liceat; alio non liceat.

125 III. Neque etiam per se certus corporis gestus aut situs necessarius est. Tertullianus quidẽ de orat. cap. 12. inter alias quasdam antiquas orantium superstitiones, reprehendit, sedentem orare, si fiat quasi ex consilio & debita opera. At vero Monachos olim sedentes orasse, patet ex Cassiano lib. 2. de Institut. Cœnob. cap. 12. & confirmat hodie receptus Ecclesiæ vsus, etiam in publico & solennibus precibus. Nihilominus tamen Monachis subinde etiam consuetum fuisse, expensis brachijs orare, patet ex eodem Cassiano ibidem cap. 7. Imo etiam orasse simul, & manibus laborasse, docet idem cap. 14. Denique etiam inter cubandum recte orari Deum, superius ex Sancto Chrysostomo retulimus.

126 Septimo & vltimo quæritur, an & quandonam iure naturali obliget orationis præceptum.

Respondeo, nullum dubium esse, quin etiam secluso omni præcepto positiuo, extet præceptũ naturale & diuinum de oratione, vt satis ex scripturis superius relatis colligitur.

Sed tempus determinare difficile est. Probabile est, quod docent Angelus V. *oratio*, num. 20. Medina Cod. de orat. q. 11. Nauarrus de horis Canonicis cap. 3. n. 14 & sequitur Azor tom. 1. cap. 10. q. 14. obligare id præceptum. Primo in casu grauis tentationis, vel afflictionis; cum salus animæ periclitatur. Secundo in probabili mortis periculo, cui auertendo necessaria videatur oratio; quibus non male addit Syluester V. *oratio* quæst. 8. quando etiam proximus noster in graui mortis corporalis, aut spiritualis periculo constitutus, eiusmodi auxilio egere videtur. Vt si duos districtis gladijs inter se acriter dimicantes, & de vita periclitantes videas, quibus aliter succurrere non possis, quam oratione ad DEVM, quasi subito & iaculatorie effusa.

Quidquid Durandus in 4. distinct. 15. quæst. 12. & Paludanus quæst. 5. a. 1. in contrarium dicant, multa esse iuris naturalis præcepta, & in his etiam ipsum orandi & ieiunandi præceptum, quæ nullum certum tempus determinent: quod quidem in ordine ad impetranda ordinaria Dei auxilia, quæ ad corporis, aut animæ salutem necessaria sunt, extra prædictos casus necessitatis, verum existimo; quia vti hæc petere aliquando lege naturali iubemur, ita si quis subinde ea postulet, non censendus erit peccare contra legem naturalem, etiamsi tempus certum non obseruet, quidquid Syluester loc. citat. de primo instanti seu tempore vsus rationis dixerit, de quo tom. 2. disputat. 4. quæstione 5. dub. 4. Die autem dominico aut festo orare quidem tenemur, sed non proprie ex præcepto naturali, sed positiuo Ecclesiæ, vt inferius dicetur. 127

DVBIVM V.

De Horis Canonicis; quid, & quanam sint; à quibus recitandæ; quid recitandum; quomodo, & qua deuotione, tum externa, tum interna; quo loco & tempore recitandæ; & qua causa non recitantem excusent.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 83.

PEculiaris quidam modus & ritus orandi est ille, qui Horis Canonicis continetur, de quibus proinde hoc loco agendum, etsi S. Thomas de his particulatim nihil agat. 128

Quæritur igitur primo, quid, & quænam sint horæ canonicæ.

Respondeo breuiter I. horas canonicas dici eas, quæ ex præscripto Canonum certis horis recitandæ sunt: quæ etiam quia per modum quasi debiti officij, nomine Ecclesiæ persoluuntur, absolute dici solẽt *officium diuinum*, seu *Ecclesiasticum*: quod proinde recte describitur, certa quædam & publica ratio laudandi & orandi Deum non sola mente, sed voce, auctoritate Ecclesiastica instituta, vt etiam tradunt Nauarrus cap. 7. de orat. numero 1. & Bellarminus lib. 1. de bonis operibus cap. 10.

II. Constat diuinum hoc officium ex Nocturnis, Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis, & Completorio, velut maioribus quibusdam partibus; quæ etiam ab alijs intercise recitari possunt: ex psalmis vero, hymnis, le- 129

ctionibus, Canticis, Antiphonis, responsorijs, Litania, versibus, collectis, velut minoribus, ex quibus ipsæ partes maiores integrantur.

130 III. Numerantur horæ Canonicæ communiter septem, vt videre est in Clementina vnica, de reliquijs & veneratione Sanctorum, & supponitur in Bulla seu Extrauagante Pij V. quæ incipit *Ex proximo*; iuxta illud Dauidis psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Nimirum: Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium, Matutinum cum laudibus. Quæ proinde postrema duo communi computatione vnam horam, seu officium nocturnum constituunt: etsi per se non incommode, diuidi possint: & iam olim separatim celebrari consueuerint: quod etiamnum hodie in nocte Natalis Domini obseruari solet. Qua de causa etiam Rabanus de instit. Clericorum libro 2. cap. 2. Nauarrus de orat. cap. 3. numero 27. alijque nonnulli octo horas numerant & distinguunt, de qua re non est contendendum.

Probabilius item videtur, etiam Primam & Completorium ex Apostolorum traditione descendere, vt docent iuxta citat. Clement. vnic. Durandus lib. 2. de ritibus cap. 7. & Turrianus in notis ad Clement. c. 34. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 2. q. 11. & Suarez lib. 4. cap. 6. de orat. etsi contrarium tradant Cassianus lib. 3. de cœnobijs cap. 4. & Isidorus l. 2. de officijs cap. 23. quibus fauet Bellarminus lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 11.

131 De quibus horis multa passim extant veterum testimonia, speciatim Clementis Romani lib. 8. Constit. Apostolic. cap. 40. Cypriani serm. 6. de oratione Dominica, Athanasij lib. de virginit. Ambrosij in psalm. 118. serm. 8. & de virginit. Basilij serm. 1. de institut. Monachorum, & in quæstionibus fusius explicatis q. 37. Hieronymi epist. 27. ad Eustochium de obitu Paulæ; Chrysostomi homil. 59. ad populum Antiochenum, Augustini serm. 55. de tempore, Cassiani lib. 2. & 3. de institut. Cœnobit. Sancti Benedicti in Regula cap. 16. Isidori lib. 1. de officijs diuinis, Amalarij l. 4. de officijs Ecclesiasticis, Hugonis de S. Victore lib. 2. de officijs Ecclesiasticis, Ruperti Tuitiensis lib. 1. de diuinis officijs, & Rabani lib. 2. de instit. Cleric. cap. 9.

132 IV. Nec desunt singulis horis confirmandis exempla scripturarum. De *Prima* extat illud Dauidis psalm. 118. vers. 148. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* De *Tertia* illud Apostolorum Act. 2. vers. 16. quando circa horam diei tertiam, orantes, acceperunt Spiritum Sanctum. De *Sexta* illud Principis Apostolorum Act. 10. vers. 9. cum eadem hora in superiorem partem ædium, orationis causa, ascendit. De *Nona* illud SS. Apostolorum Petri & Ioannis, quando ascenderunt in templum, *ad horam orationis nonam*, Act. 3. v. 1.

De *Vesperis* illud Dauidis psalmi 140. vers. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Pro *Completorio* facit illud eiusdem psalmi 131. vers. 3. *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* De Nocturnis illud psalmi 118. vers. 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

Huc spectat exemplum Christi, qui pernoctauit in oratione, Lucæ 6. v. 12. & exemplum Apostolorum, qui media nocte laudantes & orantes Deum, è carcere liberati sunt, Act. 16. v. 25. De *Laudibus* matutinis sunt, illa Regij Vatis, psal. 5. v. 4. *Mane exaudies vocem meam; mane astabo tibi, & videbo. &c.* Et psalm. 62. v. 7. *In matutinis meditabor in te.* Et psalm. 118. v. 148. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua.*

V. Rationes, quæ eiusdem orationis conue- 133
nientiam ostendunt sunt istæ. Prima; septem diebus opus creationis diuinæ consummatum est, Genesis. 1. ac rursum diebus octo, diuinæ recreationis opus peractum est, incipiendo à die Palmarum vsque ad Resurrectionis diem: quod proinde beneficium merito totidem horis, (siue septem, siue octo numerare placeat) recolimus.

Secunda, vt in honorem Sanctissimæ Trinitatis tertia quaque hora, tam diurna, quam nocturna, Deum collaudent illi, qui speciatim diuino seruitio ac ministerio addicti sunt; quando & mundo militantium vigiliæ, antiquo more, ita distribui solent, vt docent Cyprianus serm. 6. de oration. Dominica, Isidorus lib. de eccles. off. cap. 19. & Rabanus de instit. Cleric. lib. 2.

Tertia causa est, vt singula singulis horis suppliciorum Christi genera percurrentes, grata mente passionem Domini recolamus. Quod qua ratione fiat, sequentes versiculi declarant, iuxta Glossam cap. 10. de celebrat. miss.

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis;
Matutina legat Christum, qui crimina purgat;
Prima replet sputis; causam dat Tertia mortis;
Sexta cruci nectit: latus eius Nona bipartit:
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

Quarto huc spectant alia beneficia, quæ di- 134
ctis horis recte commemorantur. Etenim hora *matutina* Deus populum suum à seruitute Ægyptiaca liberauit, Exodi 14. Hac item hora natus est nobis Saluator, Luc. 2. Idemque victor à mortuis resurgens, de morte triumphauit, suosque captiuos redemit, Luc. 24.

Hora *prima*, hoc est, orto iam sole, Christus apparuit SS. mulieribus Marci 16. qua etiam hora priore vitæ suæ tempore Christus solitus erat ad templum conuenire, populo similiter mane ad eum audiendum copiose confluente Luc. 21.

Hora *tertia* descendit Spiritus Sanctus super Apostolos Act. 2. Quod in memoriam nobis reuocat hymnus, eadem hora decantari solitus: *Nunc Sancte nobis Spiritus. &c.*

Hora *sexta* Petrus à Deo præceptum accepit, de admittendis in Ecclesiam Gentibus, Act. 10. & Coapostolus eius Paulus eadem hora conuersus

est, Act.

est, Act. 22. Hac itidem hora Dominus Noster discipulis suis recumbentibus, & ipsis cernentibus, est eleuatus in cœlum, Lucæ 24. Marci 16. Act. 1.

Hora *nona* Cornelius Centurio Angelorum ministerio ad Petrum adductus fuit. Act. 10. & eadem hora cœtus Apostolorum ad orandum conuenire consueuerat Act. 3.

Hora *vesperarum* cum sero factum esset, Christus in vltima cœna Sacramentum Corporis & Sanguinis sui instituit, pedesque discipulorum lauit, Matthæi 26. Ioannis 13. Eadem hora discipulis euntibus in Emaus, in forma peregrini manifestus apparuit, Lucæ vltimo.

Hora *completorij* guttas sudauit sanguineas, Lucæ 22. Denique hac ipsa hora deputata fuit custodia à Pilato, pro eius sacratissimo Corpore, Matthæi vltimo.

135 VI. Singulæ vero partes officij canonici etsi non habeant auctores sacros siue canonicos; habent tamen veteres, eosque magni nominis, vt speciatim de *lectionibus matutini*, quæ ad secundum & tertium Nocturnum legi solent. ex præscriptis eorum nominibus patet. *Responsoria* iam tempore Sancti Benedicti vsurpata fuisse, constat ex regula eiusdem capit. 9. & sequent. Eorum (magna saltem ex parte) auctorem fuisse S. Ambrosium, tradunt Walfridus libro 1. de rebus eccleiast. capit. 5. & Bellarminus cap. 16. *Versiculos* priscis temporibus fuisse consuetos, iamante annos octingentos scripsit Amalarius de ordine Antiphonarum capit. 1. *Antiphonarum* auctorem S. Ignatium, exemplo Angeli edoctum, faciunt Socrates libro 6. histo. cap. 8. Nicephorus libro 13. cap. 8. Amalarius libro 4. de officijs capit. 7. *Collectas* sic appellatas, quod aliorum preces & vota in vnum quasi fascem colligantur, ante mille & ducentos annos in vsu fuisse, constat ex Concilio Agathensi cap. 30. & Cassiano lib. 2. cap. 7. de instit. monachorum.

Quod denique ad modum eas preces recitandi
136 attinet, antiquissimum esse ritum in Ecclesia, psalmos alternis choris recitandi, indubitatum est. Sane Tertullianus lib. ad vxorem dicit, *psalmum inter duos sonare*; eumque modum psallendi Angelorum exemplo didicisse, & Ecclesiæ Antiochenæ tradidisse S. Ignatiũ, scribit Socrates lib. 6. hist. cap. 8.

Ex quibus omnibus manifestum est, quam imperite ac impie nostri temporis Nouatores, sequuti hac in re veteres hæreticos Waldenses, siue pauperes de Lugduno, teste Siluio de orig. Bohem. cap. 35. & Wicleffum teste Waldensi tomo 3. capit. 21. hunc ritum orandi DEVM velut inutilem ac superstitiosum reprehendant.

137 Quæritur secundo, à quibus horæ recitandæ sint.

Respondetur sequentibus pronuntiatis, I. Tres vniuersim sunt tituli, ad horas canonicas recitandas obligantes, Ordo, Beneficium, & Religionis professio. Primo enim, quod ad ordinem attinet, omnes Clerici in maioribus constituti, hoc est, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, obligantur sub peccato mortali, ad recitandas preces horarias; etiamsi nullum penitus beneficium habeant, nec vllo Religionis voto sint obstricti, ex Capit. *Presbyter* Capit. *Dolentes*, de celebrat. missa.

Minoribus vero initiati, licet ex decentia quadam, ad maiorem orationis frequentiam teneantur, quam laici; communi tamen, & stricta lege nõ obstringuntur ad vllas certas preces, vt ex cit. canonibus tradunt Sotus de iustitia l. 10. q. 5. a 3. Gregorius de Valentia hic quæst. 2. pun. 10. §. 2. & Sa V. *horæ*.

Neq; Episcopus propria auctoritate potest ordinandis imponere perpetuam, vel etiam diuturnam obligationem, recitandi certum orationis pensum: esto possit obligare illos, vt ter, vel quater psalmos pœnitentiales, aliasue similes preces moderatas recitent; vt notarunt Azor l. 10. c. 5. q. 4. Suarez cap. 16. n 15. & Lessius nu. 46. quod ipsum tamen non minus probabiliter negant Sotus & Valentia locis citatis, rati solum ex conuenientia quadam eiusmodi preces esse persoluendas.

II. Quod vero secundo ad beneficium attinet, 138
ea lege tenentur omnes, qui habent beneficium Ecclesiasticum, seu simplex illud sit, seu curatum; etiam præstimoniale tantum, aut aliam quamcunque præbendam, titulo clericali, vt decernit Pius V. in Extrauaganti, *Ex proximo*. Multo vero maxime ad hoc tenentur Canonici, qui fere non habent aliud officium, amplis & opulentis plærunque beneficijs respondens, quam horarum canonicarum recitationem, vt pluribus dicetur infra numero 161. & dubio sequenti numero 199. At vero qui pensionem vt Clerici percipiunt, tenentur vi eiusdem legis Ecclesiasticæ, saltem officium B. Virginis quotidie recitare.

III. Inter *Capellanias* vero distinguendum est. 139
Si enim *collatiuæ* sint, quæ scilicet auctoritate Summi Pontificis, vel Episcopi, eo fine institutæ sunt, vt iure, immunitate, & priuilegijs Ecclesiasticis fruantur, cum vere & proprie beneficia Ecclesiastica sint, sine controuersia, ex omnium sententia, ad horas obligant. Si vero priuata tantum auctoritate sint à fundatoribus, testatoribus, &c. institutæ, cum proprie beneficia Ecclesiastica non sint, per se ad horas minime obligant, vt ex communi tradit Lopez instruct. confess. part. 2. cap. 94.

IV. *Coadiutores* itidem etsi teneantur ad id, 140
ad quod dati sunt Coadiutores, ratione tamen Coadiutoriæ non tenentur ad horas, licet futuri sint aliquando Successores; quia *Coadiutoria* non est beneficium, vt ex communi tradit Nauarrus comment. de orat. cap. 20. numero 18.

Hinc *cooperatores*, quos Parochi suo quandoque arbitrio assumunt, si præter parochi stipendium, aliud beneficium non habeant, neutiquam tenentur ad persolutionem horarum ratione beneficij; quare nec restitutionis

oneri subiacent: quod tamen locum non habet, si peculiaria pro cooperatoribus beneficia fundata sint, iuxta Nauarrum loc. citat. itemque Azor capit. 4. quæstione 1. Suarez cap. 22. numero 19.

141 V. Nec tenuitas beneficij per se ab horarum recitatione, ex veriori, excusat, vt tradunt Nauarrus c. 7. n. 27. Couarruuias l. 7. variar. c. 13. n. 8. Valentia cit. q. 2. pu. 10. Beia casu 54. Azor c. 3. q. 3. Toletus cap. 14. conuenienter cit. Bullæ Pij V.

Etsi contraria sententia Soti libro 10. de iustit. q. 5. art. 3. quam sequuntur Arragonius hic q. 83. artic. 12. alijque recentiores, & ex parte Suarez cap. 21. & Lessius cap. 34. numero 169. non omnino improbabilis videatur: præsertim si beneficiatus alia seruitia beneficio illi annexa præstet, & tamen nihilominus vix quartam partem mediocris sustentationis ex illo percipiat, vt limitant Suarez cap. 21. & Lessius capit. 34. numero 169.

142 At vero qui aut titulum beneficij nondum consequutus est, aut solum titulum sine possessione habet, nisi hanc sua culpa non habeat; aut qui nullos penitus fructus ex beneficio, nec per se, nec per alios; nec præsenti, nec futuro tempore percipit, aut percipere potest, ad horas non tenetur, vt ex communi tradunt Caietanus & Sa V. *hora* Nauarrus num. 28. cap. 20. de oratione. Sotus, Valentia locis cit. Azor q. 6. Suarez c. 19. n. 1. & cap. 20. & Lessius libro 2. cap. 34. num. 167. & 168.

Secus si per beneficiarium stet, quo minus fructus percipiat; aut si eos saltem in futurum per se, aut suos hæredes percepturus sit, iuxta citatos: vti nec liberatur beneficiatus, qui quotidianas distributiones ad bonam partem sustentationis sufficientes percipit; etiamsi de reliquo corpore nihil participet, vt tradunt Nauarrus manual. 25. numero 103. Lopez 2. p. capit. 94. Azor libro 10. cap. 4. quæstione 6. Toletus lib. 2. cap. 14. Valentia hic q. 2. pu. 10. Aragonius q. 83. a. 12. du. 4. Lessius cap. 34. du. 31. qui limitat, nisi contraria consuetudo legitime præscripta eos excuset.

143 VI. Tertio ratione Religionis ad recitationem diuini officij tenentur omnes Religiosi choro adstricti, vt tradunt omnes. *Conuersi* autem, siue fratres *Laici*, vt vocant, & nouitij, lege communi ad hoc non tenentur. Quamquam & illud non tam ob ius aliquod commune, quam ob peculiares Religionum consuetudines & instituta seruandum sit: etsi merito existimetur, ipsam consuetudinem, in eiusmodi Religionibus, vim legis obtinere, vt post alios tradunt Sotus libro 10. de iustit. quæstione 5. articulo 3. & Bartholomæus Medina cap. 14. quidquid Aragonius quæst. 83. articulo 11. dixerit, chorum professos non peccare mortaliter, si semel aut iterum horas prætermittant.

144 Nec verum est, quod docet Paludanus in 4. dist. 15. q. 5. a. 1. *conuersos* illos obstringi ad certas alias preces loco diuini officij dicendas; hoc enim velut sine fundamento dictum merito reijciunt Sylvester V. *hora* q. 2. Nauarrus cit. commentar. n. 16. Sotus & Suarez loc. cit.

Neque ab ea obligatione absoluitur Religiosus choro destinatus, qui vel sponte ex Monasterio profugit; vel qui per legitimam dispensationem, aut extra Monasterium viuit; aut à choro est liberatus; secus est si Prælati auctoritate constituatur in gradu Laicorum seu Conuersorum, vt videre est apud Nauarrum n. 20. Azorium q. 5. & 8. Suarez cap. 17. n. 8. & 9.

Quæritur tertio, quid in specie recitandum sit.

Statuimus sequentia. 1 Mortaliter peccat, qui 145
vnam ex septem horis, vel notabilem eius partem (qualis merito censetur etiam dimidia cuiusque minimæ horæ, vt ex communi notauit Sa V. *hora*) sciens atque volens, absque rationabili causa, intermittit, vt habet communis Doctorum sententia; & colligitur ex citatis supra canonibus.

Neque tamen si quis vna simplici voluntate, totum officium dicere negligat, plura quam vnum, peccata perpetrat; dummodo propositum non interrumpat, vt ex communi tradunt Sylvester V. *hora* quæst. 12. Nauarrus cap. 7. numero 6. Azor cap. 7. quæst. 4. Sa V. *hora* num. 13. Suarez cap. 25. num. 18. quia nimirum omnes horæ, inter se, velut partes quædam, subordinatæ, vnum vnius diei integrum officium constituunt; etsi contrarium dixerint Tabiena V. *hora* q. 18. & Lessius n. 53.

II. Quando tamen alternatim horæ dicuntur, 146
satis est audire quæ à socio proferuntur, vt ex communi docent Paludanus in 4. dist. 45. qu. 2. Nauarrus de orat. c. 10. n. 16. Sylvester V. *hora* q. 7. idq; etiamsi minus forte distincte percipiantur omnia, vt addit Sa V. *hora* n. 9.

Ministrantes etiam in choro, & iuxta officij ratione occupati, thuribulum v. g. afferendo &c. partem neglectam repetere non tenetur, vt habet communis apud citatos, & satis probatur ex ipso Ecclesiæ vsu, cui ratio fauet; quia ex præscripto deseruiens orationis ritui, orare quodammodo censetur.

Quæ tamen aut secreto dici solent, aut organo, alijsue instrumentis musicis sine voce repræsentantur, necessario recitanda videntur; illa quidem à singulis, vti omnes fatentur; hæc vero saltem ab vno, cæteris audientibus, vt colligitur ex cit. canonibus & bullis, quæ vocalem recitationem requirunt: etsi quoad posteriorem partem, (de organo) contrarium dixerint Nauarrus c. 21. num. 15. & Suarez cap. 8. numero 7. quæ opinio tuta videtur, si forte consuetudine ita præscriptum fuerit.

Quod si in alternata eiusmodi recitatione, 147
ab vno choro plures sint socij, non est scrupulose repetendum, quod à socio chori dictum, vnus forte omiserit, vt tradunt Azor cap. 7. quæstio. 9. & Suarez cap. 12. num. 2. & cap. 25. numero 3. Et possunt lectiones vel singulæ à singulis, vel omnes ab vno legi, vt docent Azor & Suarez locis citatis.

Idem seruari potest, in alijs precibus, etiam

voti

voti seu pœnitentiæ causa recitandis, vt tradunt Nauarrus capit. 10. numero 20. Azor lib. 10. capit. 7. quæstio. 10. Suatez libro 3. de orat. cap. 9. num. 14.

148 III. Psalmos autem Graduales, & Pœnitentiales; officium item B. MARIÆ Virginis, & Defunctorum, & similia, quæ horis aliquando solent adiungi, iuxta formam noui Breuiarij à Pio V. reformati, communi lege nemo tenetur sub peccato dicere, vt habet cõmunis Doctorum sententia, & colligitur tum ex bulla Pij V. tum ex ipso modo loquendi rubricæ Breuiarij. Vi autem peculiaris regulæ, vel consuetudinis quinam ad hæc teneantur, ex propria regula & consuetudine discendum.

Et quamuis consuetudini recitandi officium B. Virginis in choro, si quæ antea erat, per nouum Breuiarium Pij V. nihil fuerit derogatum, in priuata tamen recitatione extra chorum, nulla supereſt obligatio, vbi nouum Breuiarium receptum est, vt docent Aragonius hic q. 83. art. 12. dub. 5. & Azor cap. 13. q. 3. & colligitur ex citata bulla Pij V.

Alia est ratio officij Defunctorum in die animarum, itemq; Litaniarum, diebus S. Marci & Rogationum; hæc enim etiam ex præcepto esse necessario recitanda tradunt Graffius numero 52. numero 20. & Suarez cap. 25. numero 8. & 9. & colligitur ex rubricis specialibus eorundem dierum; quæ vel imperatiuo loquendi modo vtuntur; vel certe ea ipsa, quæ diximus, consueto officio ita annectunt, vt eodem censu vtraque habere videantur.

149 IV. Præcepto autem Ecclesiæ non satisfacit, qui horas, quaqua placet forma, recitat. Dici enim debent secundum ordinem Breuiarij, quo legitime, iuxta bullam Pij V. Breuiario præfixam, vtitur Ecclesia, ad quam quisque spectat. Quod certum quidem est, si de recitatione in choro sermo sit, vt habet communis Doctorum sententia, & manifeste patet ex bulla citata.

Priuatim autem, & secluſa confusione ac scandalo, posse quemuis persoluere horas secundum formam Breuiarij Romani, non omnino improbabiliter tradunt Nauarrus libro 3. consiliorum consil. 15. de celebrat. Missarum, Caietanus V. *hora* cap. 2. Sa numero 6. Emanuel Rodericus tom. 1. quæstion. 42. cap. 13. & Lessius numero 74. quamuis aliqui negent conformiter citatæ Bullæ.

150 V. Neque licet alicui officium vnius Breuiarij cum altero eiusdem breuiarij commutare, v. g. dicere de Sancto aliquo, quando dicendum esset de feria, vel recitare sub duplici, cum sub semiduplici dicendum esset. Id enim si fiat absq; rationabili causa, qualis non est priuata deuotio, minimum venialis noxa incurretur, vt docent Sylvester V. *hora*, q. 12. Caietanus ibidem cap. 2. Sotus l. 10. q. 5. a. 4. Azor c. 10. q. 2. Lessius c. 37. n 77. aliquorum autem sententia mortalis; vt docet Toletus lib. 2. cap. 13. & inclinat Valentia hic q. 2. punct. 10. §. 3.

Qui etiam addunt; teneri talem si præscriptum tempus nondum sit elapsum, repetere debitum officium; quod tamen ipsum negant Caietanus, Sylvester, Azor, Lessius loc. cit. Certe si bona fide ea commutatio facta sit, nulla videtur obligatio repetitionis, vt habet cõmunis apud citatos.

Aliud vero æquiualens, omissis horis, dicere, per se vtiq; mortale est, vt habet communis Doctorum sententia, contra Sa V. *Horæ* editionis antiquæ. Quod etiam idem ibidem n. 10. aliiq; nonnulli dicũt, nihil referre, an horæ priuatim latine, an græce, an hebraice dicãtur, nõ videtur probãdum, vt in simili de Missa cõmuniter docetur, & colligitur ex rubricis & bullis, quæ certum, idq; latinum Breuiarium latinis præscribunt.

Quæritur quarto, qua deuotione, quoue modo diuinum officium recitandum. 151

Respondetur: Circa modum horas recitandi quatuor spectari possunt, nimirum deuotio, seu attentio, continuatio, ordo, & vocalis oratio, de quibus hæc statuimus.

I. Duplex est *deuotio* ad horarum recitationem requisita, interna vna; externa altera. Illa est prõptitudo seu applicatio quædam animi ad Deum laudandum & orandum: hęc vero est promptitudo ad psallendum, standum, flectendum genua &c. prout ordo diuini officij postulat. Priore volũtarie carens inter officij diuini celebrationem, ita vt nunquam animum vere applicarit ad Deum orandũ, vel laudandum, nec intentione quidem virtualiter inclusa in generali proposito, suo muneri satisfaciendi; cum hic tamen modus sit orationi intrinsecus, mortaliter peccat, vt ex cõmuni tradunt Nauarrus c. 13. de oratione n. 17. Azor c. 12. q. 4. Val. q. 2. pu. 10. Suar. l. 3. de orat. c. 3. n. 6.

Posteriori deuotione destitutus (saluo cantu, si quis ad eum in choro speciatim sit obligatus) dummodo absit scandalum & contemptus, non peccat, nisi venialiter, vt tradunt citati.

II. Deuotioni affinis est *attentio*: quæ triplex est, vt docet S. Thomas hic quæstio. 83. artic. 13. Prima ad verba, ne in his erretur; altera ad sententiam & rem significatam; tertia ad ipsum DEVM, qui oratur vel laudatur, aut ad id quod petitur, tanquam à Deo impetrandum. Quarum prima & vltima tantum necessaria est, non autem media; nisi hanc in locum vltimæ placeat subrogare, vt habet communis Doctorum sententia. 152

Nec probatur quod nonnulli dicunt, speciatim Sa V. *horæ*, & Toletus libro 2. cap. 13. sufficere ad verba attendere: nisi forsan hoc ita intelligatur, vt simul animus rite orandi, Deumque laudandi non desit, nec adeo mens ad alia sit voluntarie distracta: quo tamen ipso etiam attentio tertia non deest.

Certe attentio, quanta satis est, ne in verbis erretur, esse alioqui potest, cum voluntaria & perpetua quasi distractione & euagatione mentis ad ea, quæ ab oratione sunt alieniſſima; præsertim si initio quis prouiderit, vt officium in libro ordine ac consequenter dispositum habeat, quem tamen præcepto orandi satisfacere, nemo dixerit. 153

Quod si quis omni euagatione voluntaria excluſa, præsuppositio semel animo Deũ orandi, in

decursu

decursu orationis perpetuo mentem aduertat solum ad verba, vt absque errore proferantur, sufficiens ea quidem erit attentio ad peccatum vitandum, sed simul ieiuna & arida, ac moraliter vix possibilis, præsertim in eo, qui facilitatem orandi & arte & consuetudine dudum sibi comparauit; cuius mens vt alijs cogitationibus seclusis, ad sola verba perpetuo sit attenta, fieri vix potest.

Quomodo conciliari possunt diuersi auctores; quorum nonnulli dicunt, sufficere solam attentionem ad verba, in quibus præter citatos sunt etiam Nauarrus c. 20. de orat. n. 28. Suarez l. 3. c. 4. & l. 4. c. 26. & Lessius n. 69. alij negant, in quibus Gregorius de Valentia cit. q. 2. pun. 10. §. 4. Medina q. 14. de orat. & Bellarminus c. 18. fauente non parum S. Thoma loc. cit. vbi tertiam attentionem vel *maxime necessariam* esse asserit, vt dictum dubio præcedente.

154 III. Neque tamen necesse est, vt toto orationis tempore, actualiter duret attentio; sufficit enim si virtualiter perseueret, vt cum S. Thoma loco cit. comuniter omnes fatentur; ita nimirum vt postquam aliquis animo Deum orandi ad precationem accessit, eamque cœpit, postea sciens volensq; animū non mutet, directe nimirum vel indirecte mentem ad alia ab oratione aliena diuertendo.

Voluntarie enim & cum plena deliberatione seu aduertentia notabilem horæ partem (nisi ita recitans proponat repetere) distracte recitare, mortale est; cum onere totum officium, aut eam saltem partem, quæ distracte recitata est, repetendi: dummodo tempus horis præfixum non sit elapsum, vt docent ex communi Nauarrus c. 13 Maior in 4. dist. 12. q. 7. Sa V. *horæ* Arragonius cit. a. 13. Petrus Nauarrus lib. 2. c. 2. n. 202. Valentia q. 2. pun. 10. §. 4. etsi ita repetendum negent Antoninus & Medina apud Aragonium loc. cit.

Quin imo beneficiarius secundum probabiliorem, etiam ad restitutionem tenebitur, iuxta dicenda dub. sequenti, vt recte Valentia & Aragonius locis cit. contra Sotum, Cordubam, & Toletum lib. 2. cap. 14.

155 IV. Neq; tamen ab orationis attentione alienum est, inter psallendum, de mysterio aliquo vitæ aut Passionis Christi pie meditari, vt habet communis apud citatos.

Sed & potest quis die festo simul duobus præceptis satisfacere, audiēdo scilicet Missam, & horas persoluendo, vt docent Caietanus & Valentia, quidquid Nauarrus alijq; noñulli dubitent.

Quod si homo scrupulosus sit, rectius fecerit, si nihil repetat, quamdiu ei certo non constat, se voluntarie fuisse distractum; quamtumuis in fine psalmi aut horæ, distractionem deprehendat, nec recordetur se vllum psalmum aut versum dixisse; dumodo nec contrarium illi constet; quia probabiliter credere potest, se omnia dixisse, præsertim si libro vsus fuerit, aut alias in ijs memoriter pronuntiandis non soleat errare, vt docent Maior in 4. dist. 12. q. 7. Nauarrus c. 13. à num. 29. Caietanus V. *hora*, Petrus Nauarrus l. 2. de restitut. c. 2. n. 234. & Suarez lib. 4. cap. 26. De qua re plura tom. 2. disputatione 2. quæstione 6. dub. 5.

V. Secundo ad modum eiusdem orationis spectat, vt horæ singulæ continuate *nō interrupte* dicantur. Hoc enim absque rationabili causa faciens, vt minimum venialem irreuerentiā committit, vt omnes fatentur: secundum aliquos, in quibus Nauarrus cap. 16. num. 75. & Medina q. 16. de orat. Azor cap. 8. quæst. 5. si notabilis sit interruptio, mortalem; cum obligatione priorem horæ partem repetendi, si tempus necdum elapsum sit. 156

Sed cum substantia orationis nihilominus retineatur, eaque circumstantia tanti momenti esse non videatur, rectius vtrumque negant Caietanus V. *horæ* cap. 4. & Aragonius q. 83. a. 12. Peltanus lib. 3. de bonis operibus lib. 6. & Lessius num. 57. Hoc certum, licite pro libito Laudes à Matutino separari, modo initio earundem rursum præmittatur *Pater* & *Aue*, vt monet Nauarrus cap. 13. num. 6. & nunc ipsæ recentiores rubricæ notant.

VI. Tertio requiritur ordo, ita vt posterior hora non anteponatur priori; quod tamen si extra chorum fiat, secluso scandalo & contemptu, non maius, quam veniale peccatum censebitur; quia hæc ordinis inuersio nec continet grauem deformitatem, nec quidquam de horarum substantia diminuit. 157

Ex causa autem rationabili id omnino licitum erit, vt ex communi docent Aragonius & Salocis cit. post Antoninum 3. part. tit. 13. c. 4. §. 4. Sylvestrum V. *hora* q. 9. & 12.

Hinc si quis ad chorum obligatus, tardius accedat, cœptam horam prosequi debet, & postea repetere id, quod neglexit, vt docent Nauarrus cap. 3. num. 66. Toletus cap. 13. Sa V. *hora* n. 8. Aragonius loc. cit.

Eadem de causa euocatus è choro, ad audiendas confessiones, his finitis, ad chorum rediens, cum suis collegis recitabit sequentem, priore nondum dicta, vt ijdem docent.

Sicut etiam quiuis alius à persona vel infirma, vel graui ad dicendas horas inuitatus, eidem se in hora dicenda conformare poterit, dummodo prætermissa hora postea dicatur, vt docent Toletus loc. cit. Azor cap. 10. Suarez cap. 13.

Addunt Philiarchus cap. 6. & Suarez loc. cit. si expletis psalmis matutinis, desit liber aut commoditas ratione itineris, dicendi lectiones, & instent occupationes, quæ debitam deuotionem in laudibus impedituræ credantur, posse aliquem lectiones differre, & cætera prosequi. Sed quia hic non tantum ordo perturbatur, sed oratio notabiliter interrumpitur, equidem non existimo sufficere solam causam maioris deuotionis. 158

VII. Quarto circa modum orandi horas obseruandum est, vt *vocaliter*, & quidem integre & distincte recitentur iuxta capit. *Dolentes*, de celebrat. Missarum, & concilium Basileense sess. 21. Neque tamen opus est, vt vel propinque adstans recitantem, vel recitans seipsum audiat: sufficit, vt quocunq; minimo sono seu voce, absq; syllabarum 159

barum confusione, seu corruptione, distincte pronuntientur, vt ex communi recte Valentia & Arragonius locis cit. contra Medinam : esto interim, ita orans hoc ipso, seclusis impedimentis cõmuniter saltem à seipso possit percipi. Sola autem mente horas dicere, tutum non est, vt ex communi docet Sa V. *horæ*.

160 Quæritur quinto, quo loco recitandæ sint horæ.

Respondetur. I. Precum ordinariarum locus verus & proprius Ecclesia est. Priuatim tamen in quouis honesto & opportuno loco dici possunt ab ijs, qui ad chorum obligati non sunt, vt habetur ex Concilio Basileensi sess. 21.

II. Qui vero ad chorum deputati sunt, iure communi, horas in choro, & non alibi dicere debent, iuxta capit. vltimum dist. 92. & capit. 1. de celebrat. Missarum. Et vero in Ecclesijs Cathedralibus, regularibus, & Collegiatis, quotidie, ex præcepto Ecclesiæ, publice dicendum est officium canonicum, vt habetur Clement. 1. de celebrat. Missarum.

Semel tamen aut iterum per annum, seclusoscandalo & contemptu, horas in choro negligens, non videtur mortalis culpæ arguendus esse, vt docent Caietanus & Valentia.

Imo Religiosi etiam choro destinati per se non videntur peccare mortaliter, si extra chorum horas recitent, nisi vbi speciali constitutione hoc fuerit ita declaratum, vt notauit Suarez lib. 4. de horis canonicis cap. 12. n. 15. & indicat Caietanus V. *horæ*.

Beneficiarius tamen, si à choro absit, distributiones quotidianas non lucratur; nisi morbo, vel alia graui causa, quam iura exprimunt, domi detineatur: de quo tamen etiam consuetudo cuiusque loci consulenda erit, vt pluribus disserit Alexander Moneta de distributionibus, & pluribus dicetur dub. 6.

161 III. An vero Canonici diuinum officium solũmodo audiẽtes, seu meditantes, aut domi priuatim recitantes; vel præsentes quidem in choro, verum submissa, non alta cum alijs voce psallentes huic præcepto satisfaciant, inter Doctores controuertitur. Ac dubitandũ minime est, quin audientes tantum nullatenus satisfaciant, adeoque nisi domi saltem recitent, subiaceant restitutionis oneri, vt communis habet Doctorum sententia apud Nauarrum c. 17. de orat. à num. 25. & patet ex citata bulla Pij V. & Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. vbi ipsi etiam Canonici ad horas recitandas obligantur: quidquid in contrarium sane improbabiliter & sine fundamento, adde etiam obiter & obscure significarit Caietanus V. *horæ*, dum ait, maiores in choro non debere cantare, sed meditari, quæ ab inferioribus dicuntur: quem bene refellit Nauarrus loco citato, præter cæteros Doctores, quos dubio sequenti referemus, tam eos, qui docent, Canonicos iure etiam naturali teneri ad restitutionem ob omissas horas Canonicas, quam qui negant.

162 Deinde certum quoque est illud, teneri Canonicos iure communi ad psallendum in choro, & ad id etiam ab Episcopis compellendos, vt præscribit Concilium Tridentinum loc. cit.

At nihilominus probabile est, ijs in locis, vbi consuetudo obtinuit, vt Canonici non psallant, sed ipsorum vices Capellani & Vicarij eorumdem subeant, non psallentes à peccato & restitutionis onere excusari, quamdiu quidẽ à Summo Pontifice, vel ab Ordinarijs ad psallendum non compelluntur; modo & pensum horarium priuatim absoluant, & psallentibus in choro, saltem exteriore quadam deuotione & attentione, sine confabulationibus & deambulationibus, reuerenter assistant, vt docent Caietanus loc. cit. Petrus Nauarrus lib. 2. de restitut. cap. 2. à numero 217, & plerique recentiores; fauente Concilio Basilienſi sess. 21. §. 3. vbi præcipitur, vt Canonici *choro deuote præsentes seruent gratitatem; non confabulantes, colloquentes, litteras, aut alias scripturas legentes:* etsi non pauci absolute ac simpliciter eosdem etiam ad psallendum obligent, vt videre est apud Caietanum tom. 1. opusc. vlt. respons. 8. Beiam casu 55. & alios.

Quæritur sexto, quo tempore horæ Canonicæ recitandæ sint. Respondetur I. Tempus officij Canonici, prout scilicet Matutinum, horasque intermedias, vsque ad Completorium inclusiue comprehendit, ex prima quidem institutione, durat à media nocte vsque ad mediam noctem sequentem: at vero vi receptæ consuetudinis, est totum illud spacium, quod inter vesperas vnius diei, vsque ad mediam noctem alterius interiectum est, ita vt mortale non sit, intra hoc spacium quamcunque ex horis Canonicis recitare; dummodo vesperi præcedentis diei plus non recitetur, quam Matutinum & Laudes. Media vero nocte sequentis diei transacta, cessat obligatio præcedentis diei. Ita habet communis sententia apud Nauarrum cap. 3. de oratione numero 58. Valentiam hic quæstione 2. punc. 10. §. 5. post Sanctum Thomam quodlib. 5. articulo 28. 163

II. Proprium vero ac peculiare tempus cuiusque horæ, ex prima sui institutione, in *Prima* quidem, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, est idipsum, quod per eas horas designatur; nempe prima, tertia, sexta, & nona hora, ab ortu solis; iuxta diuisionem veterum, qui diem artificialem in duodecim æquales horas, & in totidem horas noctem diuidebant, vt videre est apud Amalarium præfat. libri de ord. Antiph. & apud Athanasium lib. de virginit. Basilium quæst. fuse explicatis quæstione 37. & Hieronymum epistol. ad Eustochium. 164

Vesperæ porro secundum eandem diuisionem, vesperi dicendæ sunt, sole nimirum in occasum vergente, ita vt propius ab occasu, quam à meridie distet; *Completorium* vero post occasum eiusdem. *Matutinum* denique post medium noctis sub auroram; quamquam Nocturni olim quibusdam in locis à Laudibus separabantur, & precipue media nocte decantabantur, vt videre est apud citatos, & Bellarminum de bonis operibus lib. 1. cap. 11.

III. Neque tamen hæc tempora, vi receptæ 165

consue-

consuetudinis, adeo stricte & ad amussim obseruanda sunt, quasi peccatum sit, in priuata horarum recitatione, receptæ piorum & doctorum consuetudini sese conformare: cum Matutinum vna cum Laudibus licite priuatim dicatur vespere præcedentis diei, (declarato iam antea num. præced.) iuxta S. Thomam quodlib. 5. a. 28. Bellarminum cap. 18. Azor cap. 9. q. 5. Suarez cap. 27. num. 14.

Vbi etiam ex eadem consuetudine illud merito obseruatur, iuxta consuetam in Germania horarum distributionem, vt matutinæ in hyeme etiam ante horam quartam vespertinam licite dicantur; v.g. circa horam tertiam vespertinam: quia eo tempore sol, cum circa horam quartam vel quintam occidat, iam ab hora tertia propior est occasui, quam meridiei; cuius tamen contrarium in æstate accidit; vbi sol primum circa septimam vel octauam diei horam occidit; adeo vt ab hora quarta primum sol propius ab occasu, quam à meridie distet.

166 IV. Neque peccatum etiam est veniale, si quis iusta de causa, non obseruet tempus singulis horis destinatum, vt omnes docent.

Attamen sine causa tempus Canonicum, contra receptam Ecclesiæ legem & consuetudinem notabiliter inuertere (vt si *Matutinum*, vel *Prima* diceretur primum post meridiem) graue peccatum veniale est; eoque grauius, quo longius à præfinito tempore receditur, vt ijdem docent.

Semper tamen consultius est, ob futuras occupationes, quæ deuotam horarum recitationem postea impeditura videantur, tempus anteuertere. Ita enim Capit. *Presbyter* de celebrat. Missarum ex Concilio Agathensi, suadetur Parocho, ad opus rurale exituro, vt mane dicat horas omnes vsque ad vesperas inclusiue; quod intelligi debet si occupationibus ita distineatur, vt constituto tempore preces ægre persoluere possit.

167 V. Reatum vero peccati mortalis haud effugiet is, qui primas vesperas (loquendo de officio alicuius Sancti integro, prout nimirum primas & secundas vesperas includit) in diem sequentem reijcit, vt habet communis sensus Doctorum; non solum quia probabile est, eas nullo modo pertinere ad officium seu pensum sequentis diei; sed etiam quia valde notabilis & absurda est ea temporis inuersio: quamuis quocunque tandem casu pridie dictæ non sint, postero die videantur dicendæ, cum reuera ad eius diei officium ac solemnitatem pertineant, vt colligitur ex mente Doctorum S. Thomæ quodlib. 5. art. vlt. ad 1. Azorij lib. 10. cap. 9. quæst. 7. etsi idem contrarium asserat cap. 10. quæstion. 3. vti & Suarez lib. 4. de orat. cap. 24. numero 2. quæ sententia probabilis est, & practice tuta.

168 VI. In choro autem, eo diligentius, secundum receptam legem aut consuetudinem cuiusque loci, tempora horis singulis statuta obseruanda sunt, quo facilius alioqui scandalum oritur, & Christiani populi deuotio impeditur: secluso tamen scandalo, raro mortale peccatum erit, tempus nonnihil immutare, vt habet communis Doctorum sententia: secus si tempus valde notabiliter immutaretur; vt si vesperæ in Quadragesima dicerentur post prandium, vt docet Suarez cit. cap. 27. n. 9.

VII. *Primam* Missæ celebrationi postponere, per se nullum est peccatum; etiamsi id absque omni causa fiat, vt habet communis sententia apud Nauarrum cap. 3. de orat. cap. 70. & Syluestrum V. *Missa*. 1. q. 6. imo id etiam nonnunquam esse poterit conuenientius, vt si sacrum in hyeme longe ante ortum solis dicendum sit, vt notauit Bellarminus cit. lib. 1. cap. 18. 169

Inter Missam autem & Matutinum etsi multi hunc ordinem statuant, vt doceāt, esse peccatum mortale, citra iustam causam Matutinum & Laudes Missæ postponere, in quibus sunt Durandus lib. 4. de rit. cap. 24. Gabriel lect. 13. in Canon. Nauarrus cap. 15. de orat. num. 7. & cap. 21. n. 29. Angles de Missa num. 42. Azor lib. 10. cap. 28. q. 17. &c. idque in publica & solemni Missæ principalis celebratione, & loquendo de publica horarum recitatione, non immerito verum censeant Suarez 3. part. tom. 3. disp. 82. sect. 1. & lib. 4. de orat. c. 24. n. 6 Pinellus lib. 2. de Missa c. 13.

Loquendo tamen de priuata horarum recitatione, multo probabilius est, non esse pluspuam veniale, etiam sine causa Matutinum Missæ postponere, vt docent Syluester V. *Missa* 1. num. 6. Aragonius hic quæst. 83. artic. 12. dub. 5. Sotus lib. 10. de iustitia quæst. 5. a. 4 Bellarminus citat. cap. 18. Sa V. *Missa* num. 22. Suarez 3. part. tom. 3. disp. 82. sect. 1. & probabilem iudicant Valentia loc. citat. §. 2. Toletus lib. 2. cap. 1. Henriquez lib. 9. cap. 24. num. 7. & alij plerique recentiores; eo quod opposita sententia nullo solido nitatur fundamento. 170

Imo Ioannes Salas de leg. disp. 19. sect. 11. n. 92. in eo nullam plane culpam agnoscit; quod tamen velut contra communem non probatur; præsertim quia regulæ Missalis obsistunt. At vero ex causa etiam non admodum graui, Matutinum Missæ postponere, nullum est peccatum, vt docent Bellarminus, Suarez, Pinellus, Azor, loc. cit. & Toletus lib. 2. cap. 1.

Quæritur septimo, quæ causæ non recitantem excusent. 171

Respondetur I. Quatuor generatim sunt causæ à peccato excusantes. Prima est cæcitas, aut alia grauis infirmitas, quæ scilicet adeo hominem affligat, aut impediat, vt vel nullo modo, aut certe non absque notabili valetudinis detrimento (quo in casu si res sit dubia, pij & periti Medici consilio standum est) officium recitare queat; nec solus, nec cum socio, nec totum simul, aliqua diei hora, qua minus vrgeat morbus, nec ex parte, &c.

Quod si cæcus (eadem est ratio carentis Breuiario) possit horas, & quidem officium totum memoriter recitare, nemo dubitat, quin ad hoc ipsum teneatur. Idem censendum, si horam aliquam integram, seu præcipuam eius partem memoriter teneat, quādoquidem singulæ horæ sunt quædam plura integra, etsi partialia, vt indicant

Nauar-

Nauarrus cap. 11. de orat. num. 15. Philiarchus c. 10. Azor c. 13. q. 4. & expresse Suarez c. 28. nu. 24. fauente Soto lib. 10. q. 5. a. 3.

Secus est, si paruam tantum aliquam, seu minus præcipuam partem ita recitare queat, vt docent citati; sicut qui integram Missam dicere non potest, non tenetur dicere partem; imo nec audire exiguam particulam Missæ, qui totam, vel maiorē partem non potest, vt docēt Philiarchus, Azor, Suarez locis citat.

172 Quod si dubitetur, num infirmus probabiliter excusatus ab officio integre dicendo, dicere possit vnam alteramue horam, credibile est, eum pronuntiandum esse liberum, ex benigna Ecclesiæ interpretatione, ne scrupuli noxie multiplicentur, vt docent Philiarchus loc. citat. & Suarez num. 27.

Nec male Nauarrus cap. 25. Manual. num. 100. grauem infirmitatem censet illam, quæ non admittit colloquia de serijs rebus, aut rerum arduarum tractationem, vel dispositionem. Qualis sane communiter non est febris quartana, vel tertiana, vtpote quæ fere semper tempus concedit à morbo vacuum, quo horæ commode recitari possint, iuxta Nauarrum loc. citat.

173 II. Secunda causa, est repentina & grauis occupatio, quam quis absque scandalo & peccato, aut graui suo aliorumue incommodo nec differre; nec vllatenus cum recitatione horarum perficere potest: qualis quidem raro obuenit, licet grauissima subinde maximeque necessaria negotia occurrant; vti sunt cura infirmorum, concio, confessionum auditio, lectio in publico concursu. In talibus siquidem casibus, fere semper anticipari, aut postponi possunt horæ, antequam elabatur præfinitum temporis spatium.

174 III. Tertia causa est inculpata carentia breuiarij: si quis apud infideles captiuus detineatur, vel in solitudine versetur, aut in itinere aliquo breuiarium amiserit, nec eius copiam habere possit: excusat enim tunc impotentia, vt omnes fatentur.

Quod si quis sua culpa breuiario careat, eo quod in mare v. g. illud sponte proiecerit, is tam diu peccato omissionis obnoxius est, quamdiu eum de spontanea proiectione non pœnitet. Si vero eum postea de hac ipsa pœniteat, omissio amplius non imputabitur ei ad culpam, quamdiu breuiarium aliud habere non potest, vt habet communis, & generatim dictum tom. 2. disp. 4. q. 4. dub. 3.

Sicut tamen cæcus, ita etiam talis, tenetur memoriter recitare eam officij partem notabilem, quam memoriter tenet, quidquid Sotus subdubitet: idemque suo modo de infirmo, vel impedito ratione occupationis sentiendum, vt superius dictum num. 171.

175 IV. Quarta causa est dispensatio Summi Pontificis, (non Episcopi, nisi in dubio, per modum interpretationis;) quæ tamen raro imo nunquam concedi solet, nisi ex causa, & facta simul commutatione in aliud quidpiam. Liberat tamen ea Pontificis dispensatio ab hac legis obligatione, etiam sine legitima causa facta, vt ex communi docent Valentia, Aragonius, Toletus locis cit. Nisi forte in ipsa fundatione à beneficiario requiratur horarum recitatio: huic enim fundationi per se à Summo Pontifice derogari non posset, absque rationabili causa, vt ex communi doctrina colligitur.

Tenuitas vero beneficij ex probabiliore non excusat; nec quod quis fructus ex beneficio sua culpa non capiat, vt superius dictum num. 141. nec quod quis sit excommunicatus, suspensus, degradatus; quamuis hunc obligare, Sa V. *hora* durum censeat: nec suscepta peregrinatio, vel studium.

An vero, & qua ratione hac in re cum subditis dispensare possint Prælati Regulares, disputatur. Negant simpliciter Nauarrus cap. 11. numero 25. & Durantus lib. 3. de rit. cap. 27. numero 4. Plus satis fortasse tribuit Lessius cap. 37. numero 51. Consulenda videtur consuetudo recepta & præscripta, iuxta Suarez num. 42. Sane qui vi solius regulæ tenentur, facilius per Prælatos ab ea obligatione eximi possunt. Cum cæteris videtur similis ratio, quæ est in ieiunio Ecclesiastico, seruata proportione.

176 V. Legitime, modo hactenus explicato, à recitatione horarum excusatus, non tenetur audire alios recitantes; aut mente meditari; vel alias preces earum loco persoluere; vel aliunde suo loco substituere. Onus enim hoc personale est, preceptumque hæ determinate, non aliæ sub præceptum cadunt; ex communi.

177 VI. Vnde colliges, puerum, qui forte beneficium siue Canonicatum valide obtinuit, attamen ob inscitiam horas recitare nequit, teneri quidem ad studium necessariæ scientiæ, quā primum acquirendæ; attamen ad beneficij resignationem interim non teneri; nec ad æquualens recitandum (quamquam hoc consultissimum est;) nisi forte ab Episcopo hoc ei iniunctum sit, vt ex communi docet Nauarrus cap. 12. de orat. num. 24. & lib. 1. consil. 1. de ætate ordinandorum.

178 Cum quæritur, an talis teneatur saltem per alium supplere horas, distinguendum est. Si enim beneficium, quod obtinet, requirat seruitium, à quo necdum ab Episcopo sit exemptus, tenebitur alium suo loco substituere, qui beneficio inseruiat, & horas recitet, vt recte Lopez 2. part. cap. 94. ex communi. At si seruitium non requirat, aut rationabili de causa ab eo interim per Episcopum liberatus sit, non tenebitur alium substituere, vt docet Nauarrus de orat. loc. citat. Idem dicendum de milite, qui subito in Clericum mutatus, beneficium obtinet; nec tamen legere aut orare potest, iuxta eundem.

Quod si Pontifex ipse conferat beneficium puero, quem scit non posse legere, censetur eum simul liberare ab onere recitandi officium, donec adhibito studio sciat legere; secus si igno-

si ignorauerit, eum non posse legere, vt ex communi Azor quæst. 12.

DVBIVM VI.

An, & quæ restitutio facienda, ob omissas horas Canonicas.

Ad S. Thom. 2. 2. q. 83.

179 HAbet hęc dubitatio specialem difficultatem, quæ proinde seorsim paulo accuratius explicanda est. Et supponendum est primo, dubitationem procedere tãtum de ijs, qui ratione beneficij seu fructuum, quas ab Ecclesia percipiunt, obligantur ad recitandas horas Canonicas. Alias enim, puta qui solum ratione ordinis Sacri, aut ratione professæ religionis ad horas dicendas tenentur, etiamsi Capellanias non collatiuas, tanquam Principum Officiales habeant, vt dictum dub. præced. num. 139. quamuis omittendo horas peccent mortaliter, constat tamen, ad nullam restitutionem teneri; quando nulla lex, neque naturalis, neque positiua ea de re extat.

180 Supponendum secundo, ante Concilium Lateranense sub Leone X. nullam extitisse legem Ecclesiasticam, de restitutione, ob omissas horas facienda: in eo vero Concilio session. 6. Canon. 9. nouam legem hac de re latam in hæc verba: *Statuimus & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis officij & temporis: sed eos tanquam iniuste perceptos in fabricas huiusmodi beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.*

Et additur: *si vero vltra dictum tempus, in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligitur autem officium omittere quoad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit.* Ita
181 Canon; cuius tamen posteriorem hanc partem constat non esse vsu receptam.

Circa priorem vero partem, Pius V. in Extrauagante, quæ incipit, *Ex primo Lateranensi Concilio*, apertius declarare volens, quod in dicta constitutione de rata parte fructuum restituenda dicitur, ita decernit: *Statuimus vt qui horas omnes Canonicas vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat, &c.*

182 Quibus ita positis, circa eam restitutionem primo difficultas est, sitne vel hæc ipsa, vel alia restitutio iure etiam naturali facienda à beneficiarijs omittentibus horas. De qua re sunt duæ sententiæ. Primam tradunt Sotus lib. 10. de iustit. quæst. 5. articulo 6. Gregorius de Valentia hic disputat. 6. quæst. 2. punct. 10. §. 8. & Couarruuias lib. 3. variar. resolut. cap. 13. num. 13. qui citat etiam Calderinum, Decium, & alios. Hi docent, restituere aliquam partem, pro rata omissionis officij & temporis, esse de iure naturæ; non autem determinatam, quæ in bulla Pij V. postmodum præscripta est. Quod iam antea senserunt etiam Adrianus in 4. quæstion. an Clericus restituere teneatur, Angelus V. *horæ*, numero 11. & alij. Rationes inferius adducentur.

Secunda sententia est, eos iure naturali ad 183
nullam restitutionem teneri. Quam sententiam esse communem testatur Couarruuias loc. citat. eamque expresse tradit Syluester V. *Clericus* 4. numero 16. post Innocentium, Ioannem Andream, Antonium de Butrio, & Panormitanum in capit. 1. de celebration. Missarum. Idem tradunt Rosella V. *hora*, Nauarrus cap. 7. de orat. numero 31. & cap. 10. numero. 37. Toletus lib. 2. cap. 12. Azor lib. 10. cap. 14. quæstione 1. Salas tractat. de legibus sect. 1. numero 24. Lessius libro 2. capit. 34. dub. 32.

Vt autem hac in re veritas liquidius elucescat, notandum est, duplicis generis beneficia 184
ad propositum distingui posse. Quædam enim certas sibi functiones & officia vendicant, ex ipso iure diuino obeunda; quæ hoc ipso nimirum, quod talia sunt, absque vlla alia institutione ac præceptione, obligant ad certam aliquam animarum curam; qua de causa etiam *curata* beneficia vocantur; vt sunt Episcopatus, Parochiæ, &c. Alia sunt beneficia, quæ non tantum secundum se, sed etiam quoad officia sua, mere pendent ab humana institutione, seu Fundatoris, seu Pontificis, vt sunt simplices Canonicatus, Capellaniæ.

Iam de beneficiarijs primi ordinis certum esse debet, eos ob prætermissas horas Canonicas, iure naturali, & seclusa peculiari Ecclesiæ decreto, ad nullam restitutionem teneri. Ratio est manifesta. Quia isti præcise ex vi sui beneficij non tenentur ad recitandas horas Canonicas, sed solum ex Ecclesiæ præcepto.

Non minus certum est, etiam Capellanos, & 185
Concionatores, seu Cooperatores, & similes beneficiarios; quorum officium ex ipsa fundatione in horarum recitatione non consistit; sed vel in eo, vt certum Missarum numerum persoluant, vel Parochum in Sacramentorum administratione, verbique diuini prædicatione adiuuent, iure naturæ ob omissas horas Canonicas ad nullam restitutionem teneri, ob eandem rationem.

Illud ergo solummodo in dubium vocari po- 186
test, an Canonici, & alij, si qui sunt similes beneficiarij, qui ex ipsa fundatione nullum fere aliud officium habent, quam horarum recitationem, teneantur iure naturali ad restitutionem. Sunt enim pro vtraque parte argumenta non leuia. Pro negatiua quidem, hæc sequentia. I. Quia etiam hæc beneficia ex sua fundatione, seu originali &

prima

prima, seu vi consuetudinis contracta, plus non videntur requirere, quam vt tum per orationes & preces arbitrarias, tum etiam quibusdam ministerijs publicis, si quando ordo quemque tetigerit, Ecclesiæ suæ seruiant; saltem iuxta probabilem multorum sententiam, qui dicunt, Canonicos hoc tempore, ijsque in locis, vbi talis consuetudo nemine contradicente inualuit, non teneri ad psallendum in choro per se, sed satis esse, vt hoc per alios faciant, & ipsi interim ea, quæ dicuntur, attente meditentur, vel certe reuerenter assistant, quod post Caietanū V. *horæ*, & Petrum Nauarrum de restitut. lib. 2. cap. 2. num. 217. probabile putat Lessius lib. 2 de iust. cap. 34. dub. 33. Liberati ergo vi consuetudinis à publica recitatione, ad quam proprie respexisse videntur Fundatores, videntur consequenter etiam, quantum est ex vi Fundationis, liberi à priuata, ad quam respexisse Fundatores illi non videntur.

187 II. Quia probabile est, etiam ipsos Fundatores saltem certum quoddam eiusmodi horarum Canonicarum pensum non requisiuisse; sed simpliciter sua bona in Ecclesiam contulisse, vt ex ijs Dei & Ecclesiæ famuli & ministri canonice & collegialiter inter se viuentes, alerentur, qui iuxta modum ab eis, eorumque superiore Episcopo constituendum, diuino cultui vacarent.

Quod ex eo etiam colligitur, quod in diuersis Episcopatibus est diuersum officium, vtique non ab ipsis sæcularibus Fundatoribus, sed ab Episcopo vniuscuiusque Ecclesiæ cum Capituli consensu constitutum & præscriptum: quod etiamnum etiam ab eis iustis de causis mutari posset, si nulla Pontificis prohibitio obstaret.

188 III. Quia esto, ex ipsa Fundatoris voluntate ad certum eiusmodi pensum teneantur, tamen non constat, beneficium sub hac quasi conditione velut stipendium fuisse constitutum, vt horas recitent: quin potius videri potest probabile, eiusmodi fructus absolute fuisse assignatos in sustentationem, cum obligatione orandi; eo fere modo, quo Monasterijs sua bona ac redditus fuisse assignatos constat.

189 Id vero probabile redditur, non solum ex eo, quod officium Ecclesiasticum non est aliquid pretio æstimabile, pro quo merces accipi possit; quam rationem adfert Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 32. numero 180. sed etiam quia in omnibus, aut plerisque Canonicorum Ecclesijs, olim erant Monachi, aut Canonici Regulares, qui eiusmodi pactis onerosis, adeoque sub onere restitutionis, ad horas dicendas, ex ipsa fundatione non erant obligati.

190 IV. Quia esto, per modum diurni laboris, pro fructibus velut stipendio & mercede, persoluendum sit certum hoc horarum officium; ac proinde esto etiam, aliqua à negligentibus satisfactio facienda sit; tamen certe præcise stando iure naturæ, plus non videtur requiri, quam vt tales vel fructus restituant, vel certe omissum officium compensent; sicut famulus in iniuncto officio negligens satisfacit, si aut pecunia, aut propria industria damnum illatum compenset. Imo ad aliquid faciendum obligatus ex iustitia, si non faciat certo tempore, videtur potius obligatus ad hoc faciendum alio tempore, quam ad pecuniariam compensationem faciendam.

V. Si esset iure naturæ facienda restitutio, 191
tunc male, & ante Concilium Lateranense, tanto tempore eius rei commonitio à Pontificibus fuisset prætermissa; & nunc etiam post Concilium Lateranense, Pius V in cit. bulla omittentem horas, per sex menses, à beneficij consecutione, liberum à restitutione indicasset; quando debitum iuris naturalis à Pontificibus saltem vniuersim, & absque causa relaxari non potest.

VI. Si iure naturæ esset debita restitutio, tunc 192
Ecclesiæ vel Fundatori debita esset; cum tamen Pontifex sub disiunctione, aut Ecclesiæ, aut pauperibus faciendam esse restitutionem iubeat. Item facienda ab omittente horas restitutio esset, etiam cum absque culpa officium prætermittitur; exemplo operarij ad diurnum laborem conducti &c.

Propter has rationes, pro sententia negatiua, vniuersim de quouis beneficiario, qualecunque officium negligente ita concludit Lessius loc. cit. *Beneficiarius* (officio suo non satisfaciens) *non subtraxit aliquid pretio æstimabile; ac proinde non tenetur* (iure naturæ) *illud per restitutionem fructuum compensare: sed vel manet obligatus, vt id quod omisit adhuc præstet, per se, vel per alium; vt si omisit Sacra pro Fundatore dicenda: vel obligatio cum tempore euanuit, eo quod opus esset annexum tempori; & proinde per lapsum temporis factum sit impossibile, & sic solum tenetur dolere de peccatis, cum proposito emendationis; vt si officium precum non soluit. Quod si illæ preces non essent singulis diebus addictæ, deberet eas postea recitare.* Ita Lessius. Sed hæc sententia vniuersim hoc modo pronuntiata nimis videtur laxa, vt inferius dicetur.

Igitur pro contraria sententia, quæ iure naturæ talem restitutionem faciendam docet, facit 193
primo, quod datum pro officio per modum stipendij, restitutioni obnoxium est, si non præstetur officium; iniuste enim & sine titulo accipitur: Seu quod idem est; Datum ob causam, causa non secuta, iure non retinetur: atqui beneficium datur pro officio per modum stipendij, saltem quoad ratam partem: Ergo &c.

Minor probatur tum ex cit. Concilio Lateranensi, tum ex capit. vltim. de rescriptis in 6. vbi Pontifex nullum nouum ius statuens, sed rationem statuendi iuris assignans, *Beneficium dari propter officium*: Denique Lessius & alij contrariæ sententiæ auctores fatentur, etiam stando præcise iure naturali, beneficiarios ex iustitia teneri ad sua officia Ecclesiastica. At vero hæc obligatio illis inijci non potuit, nisi ratione beneficij per modum stipendij assignati. &c.

194 Vnde secundo ita licet argumentari. Omnis iniqua subtractio rei alienæ, seu quæ alteri ex iustitia debita est, ad restitutionem obligat: atqui beneficiarius officium suum negligens subtrahit alteri rem suam, seu ad quam Fundator, siue Ecclesia ius habebat, vt fatentur aduersarij: Ergo tenetur ad aliquam restitutionem, vel ipsius nimirum neglecti officij, vel fructuum respondentium prætermisso officio: Atqui ad prius iure naturæ non tenetur; quia officium prætermissum certo tempori obligatum, postquam semel neglectum est, præstari amplius non potest, nec debet: Ergo tenetur ad restitutionem fructuum. Plura inferius. In hac re, esto hæc

195 Assertio I. Omnis beneficiarius iure naturæ tenetur ad restituendos eos fructus, qui respondẽt prætermisso officio, ad quod vel ex ipsa fundatione, vel iure diuino, ex ipso titulo erat obligatus; nisi prætermissum officium tempori obligatum non fuerit; tunc enim satis est, id per se, vel per alium supplere.

Primam partem tanquam certam supponimus ex dictis supra disp. 4. quæst 6. dub. 7. cum ageremus de restitutione facienda à beneficiario nõ residente; vbi ex cõmuni docuimus, non residentes, & officia prætermittentes, teneri iure naturali ad restitutionem fructuum, tum ipsi non residentiæ, tum officio prætermisso respondentiũ. Idem supposuimus, ex communi, cum de restitutione fructuum superfluorum, & male impensorum ageremus dub. 8. vbi diximus clericos esse dominos eorum fructuum, quos accipiunt velut stipendium laboris pro officio; Quæ cõmunis etiam Nauarri, aliorumque Doctorum sententia est. Idipsum demum supposuimus cit. q. 6. dub. 1. cum ageremus de restitutione facienda, ob violatam iustitiam distributiuam, in distributione beneficiorum. Vbi diximus ex communiori & veriori sententia, beneficia dari potius ex iustitia commutatiua, tanquam stipendia laboris, quam ex distributiua velut ornamenta personarum.

196 Quod præter superius dicta, probatur ex scriptura, in qua semper eiusmodi beneficia stipendijs comparantur. Vt Num. 18. v. 21. *Filijs autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et infra v. 31. de decimis dicitur: *Quia pretium est pro ministerio.* Item Lucæ 10. v. 7. de ministris Euangelicis dicitur. *Dignus est operarius mercede sua.* Et 1. Cor. 9. v. 7. *Quis militat suis stipendijs vnquam?* Et v. 13. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Et 1. Timoth. 5. v. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scriptura,* (Deuteronom. 25. vers. 4.) *Non alligabis os bouis trituranti.*

197 Ex quibus locis colligitur, saltem eos fructus, qui beneficiarijs debentur, ex iure diuino, vt sunt primitiæ & decimæ, seu generatim sustentatio Episcopis & Parochis ministrantibus conueniens, dari ac deberi plane ex iustitia, tanquam stipendia laboris. Quo fit, vt etiam vicissim beneficiarij teneantur ex iustitia ad eiusmodi officia, vt recte etiam docet Lopez part. 2. cap. 97.

In eundem sensum etiam Bernardus epist. 2. ad Fulconem, generatim de Clericis seu Canonicis ait: *Quia surgis ad vigilias, vadis ad Missas, horis chorum nocturnis diurnisque frequentas, bene facis: sic Ecclesiæ præbendam gratis non accipis. Dignum est, vt qui altario deseruit, de altario viuat.* &c. Et sermon. super illud. *Ecce nos reliquimus: Indignus* (Clericus) *lana & lacte conuincitur, si non pascit oues, si non vigilat in custodia gregis, iudicium sibi manducat & vestit.* &c. *Sumptus Ecclesiasticos gratis habere te reputas?* Et certa beneficia dari ex iustitia commutatiua tanquam stipendia laboris, quomodocunque tandem, seu principaliter, seu minus principaliter, nemo quod sciam negat. Qua ratione autem absque simonia hoc accidat, dicetur inferius de simonia quæstione 8. dub. 2.

Secundam partem statuimus cum Lessio supra ex communi. Ratio vtriusque partis est. Quia quando aliquis prætermittit officium certo tempori adstrictum, tunc voluntas conductoris non est, vt id postea alio tempore fiat, sed vt pecunia eius ratione accepta restituatur. Vt si Legatus in causa, quæ non nisi certo tempore expediri debet, ad Principem missus, opportunum ac præstitutum tempus negligat, is non debet alio tempore proficisci, sed acceptum neglecti muneris stipendium restituere. At vero si opus seu officium neglectum, non erat certo tempori alligatum, tunc adhuc alio tempore præstandum erit, vt patet quotidiano exemplo in famulo. 198

Assertio II. Satis quidem probabilis est prima sententia negatiua superius adducta; sed contraria probabilior est, videlicet Canonicos naturali iure ad aliquam restitutionem teneri, ob omissas horas. Prima pars probatur, tum auctoritate, tum rationibus pro prima sententia superius adductis. 199

Secunda pars assertionis ex eo probatur; quia affirmatiua sententia primo auctoritate priori non cedit; eandemque, licet absque distinctione beneficiorum, tradit Vasquez 1. 2 tom. 2. disputatione 106. numero 32. & 33. vbi ait: *Cum redditus dentur propter officium, iure naturali debebat beneficiarius orare pro populo; quod nisi faceret, non posset frui fructibus: id quod eodem modo seruandum est nunc, postquam Ecclesia determinauit genus officij.* Idem supponit disputat. 168. numero 28. vbi generatim ait: *Beneficium ex sui institutione datur propter officium.* Et numero 33. in eandem sententiam citat Simancam; qui tamen male, etiam determinatum restitutionis modum, à Pio V. præscriptum, iuris naturalis esse docuit.

Secundo hæc sententia melioribus nititur rationibus; quæ rursum amplius confirmatur ex Concilio Agathensi cap. 26. vti refer- 200

tur,

tur causa 1. quæstione 1. cap. vlt. vbi dicitur: *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter vigilanterq; deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum seruitij sui meritum, per ordinationem canonum, à Sacerdotibus consequantur.* vbi Canon supponit, beneficia esse stipendia laborum, & pro meritis seruitij debita: Ergo cum Canonici aliud pæne officium non habeant, certe ipso iure naturæ tenentur ad horas persoluendas, velut ad seruitium, pro quo stipendium accipiunt; & ex consequenti ad restitutionem, nisi faciant.

201 Ad argumenta vero contrariæ sententiæ, quatenus huic veriori aduersatur, ita respondetur. Ad primum. Esto consuetudo in quibusdam locis derogarit veteri obligationi Canonicorum, de officio Canonico persoluendo, quoad modum & locum, vt videlicet in choro & musice ab eis pronuntietur; non tamen derogat, nec iure potest derogare huic officio quoad substantiam; saltem quamdiu aliud officium in eius locum ab Ecclesia non subrogatur.

Ad secundum respondetur: etsi certus iste precandi modus per Ecclesiam sit determinatus, tamen certe post factam ab Ecclesia determinationem, tenentur Canonici, ex ipsa ratione beneficij, hoc iam ipsum velut præcipuum officium requirentis, ad horas persoluendas, vt dictum.

202 Ad tertium respondetur. Fatemur, si de expressa fundatorum intentione loquamur, eam nec in omnibus eandem fuisse; nec vero quod ad propositum attinet, esse debuisse. Complures enim testati sunt, se bona sua tanquam puram eleemosynam, pro remedio animarum suarum, in sustentationem Dei famulorum, seu Ecclesiæ ministrorum offerre: sicut de monasterijs dictum est, & videre est apud Ioannem Molanum lib. 3. de Canon. cap. 4. Quomodo etiam Lopez citat. part. 2. capit. 2. dicit, multa bona maioribus Ecclesijs collata fuisse, munificentia Regum & Principum, non tanquam stipendia laborum, neque ob laborem spiritualem, velut causam, seu conditionem; sed velut modum duntaxat, tanquam incitamenta & adiumenta maioris virtutis. &c.

Verum siue hæc, siue alia fuerit fundatorum intentio, fatendum tamen est, postquam Ecclesia ex eiusmodi fundationibus beneficia ac præbendas constituit, dandas scilicet propter officium, tanquam stipendia laboris; tam cæteros beneficiarios, quam Canonicos, non minus iure naturali, etiam secluso omni alio Ecclesiæ decreto, ob prætermissas horas, siue officium requisitum, ad restitutionem teneri, quam si ab ipsis fundatoribus eiusmodi conditio fuisset adiecta: quandoquidem ea ipsa quoque saltem implicite fuit mens fundatorum, vt eiusmodi prouentus iuxta piam Ecclesiæ dispositionem eo modo dispensarentur, qui tam ad priuatum ipsorum, quam publicum Ecclesiæ bonum videretur accomodatissimus.

203 Ad primam confirmationem respondetur, falsam esse, in eiusmodi spiritualibus officijs non posse interuenire aliquam cõuentionem iustitiæ, vt infra de simonia generatim & ex communi dicetur.

Ad secundam confirmationem respondeo, negari non posse, quin olim alius fuerit Canonicorum status, quam sit hodie. Etsi enim nomen vtrumque tam *regularis* quam *secularis Canonici*, in eo sensu, quo nunc communiter vsurpatur, multo sit recentius, quam ipsum Canonicorum institutum, ac potius ex collapsa veteri Canonicorum disciplina ortum; tamen quantum ad rem ipsam constat, Canonicos olim, sicut in eo quidem à Monachis discrepabant, quod communiter ac vniuersim votis monasticis obligati non essent; ita in eo etiam cum illis conueniisse, quod absque bonorum Ecclesiasticorum proprietate, in communi, iuxta Apostolicam regulam, qua nihil quisque suum dicebat, vitam agebant, vt notarunt Molanus lib. 1. de Canon. cap. 6. 12. & 13. & Azor lib. 12. cap. 22. q. 2.

Idque patet ex Concilio Moguntino celebrato sub. Carolo Magno cap. 9. vbi dicitur: *Decreuimus, vt Canonici & Clerici canonice viuant. &c. in vnoquoq; Episcopatu, simul manducent & dormiant.* 204 Et in Concilio Turonensi cap. 23. *Canonici & Clerici ciuitatum, qui in Episcopijs conuersantur, consideranimus vt in clausris habitantes, simul omnes in suo dormitorio dormiant, simulque in vno refectorio reficiantur; quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas occurrere; ac de vita ac conuersatione sua admoneri & doceri. Victum & vestimentum iuxta facultatem Episcopi accipiant &c.*

Et addit Molanus lib. 1. cap. 12. *multas Ecclesias, ab initio temporis ac institutionis suæ, in canonicali professione perduraſſe, nec vnquam veri nominis monasteria fuisse; cum non appareat, ijs in locis resedisse Canonicos regulares, qui ex dissoluta veteri Canonicorum disciplina postmodum exorti sunt.* Ita Molanus.

Postea vero primum laxata disciplina, proprietasque sequuta est, 205 vt particulatim refert Trithemius in Hirsaugiæ chronico ad annum 975. *Sub Theodorico*, inquit, *Archiepiscopo Treuirensi, Canonici maioris Ecclesiæ ibidem, abiecta vita regulari, quam hucusque in eadem Ecclesia maiores eorum continuauerunt, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine & conuersatione seculares. Quorum exemplo malo Canonici quoque S. Paulini Treuirenses, in Confluentia, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses, & complurium aliarum Ecclesiarum, diuersis quidem temporibus, sed vno impietatis spiritu, regularis vitæ communitatem abiecerunt.* Qui proinde vt alius quidam auctor apud Molanum lib. 1. cap. 14. scribit, *cœperunt seculares fieri, seorsum habitare ac propria habere, & annuos prouentus inter se distribuere.*

Qua de causa etiam apud Surium ad 31. Octobris, in vita S. Wolffgangi cap. 7. & 20. scribitur, 206 eum in hac re multum laborasse, vt Canonicos rursum ad communem vitam reduceret.

Ex quibus patet, in veteribus Canonicorum Ecclesijs, nondum fuisse istam præbendarum & beneficiorum diuisionem, vt quę postea primum, laxata disciplina, conniuentibus, ac demum

consentientibus Ecclesiarum Prælatis, ita facta est, vt sua cuiq; præbenda velut certum pro labore stipendiũ assignaretur. Vnde saltem ex eo tempore, quidquid sit de priori, dicimus, Canonicos omittentes horas iure naturæ ad restitutionem teneri.

207 Ad quartum respondetur. Quando quis prætermittit officium, ex primaria Conductoris intentione, nulli certo tempori addictum, tunc semel omissum potest compensari & impleri alio tempore: at si officium fuerit certo tempori adstrictum, vti sunt horæ Canonicæ, debet ab omittente restitui stipendium prætermissi officij ex dictis.

Vt proinde parum etiam probabilis videatur sententia Suarij libro 4. cap. 29. numer. 11. & 12. hanc compensationem, abstrahendo à iure positiuo, sufficienter fieri posse in bonis spiritualibus, puta aut horis canonicis omissis reiterandis, aut alijs æquiualentibus precibus dicendis; eo fere modo quo Presbyter Missas ex stipendio accepto hac hebdomade sibi dicendas negligens, compensare potest, totidem alia hebdomade legendo: nisi auctor hic locutus sit, abstrahendo à determinatione illa Ecclesiæ, qua horarum recitatio singulis diebus, tanquam particulare ac proprium pensum diurnum fuit attributum.

208 Ad quintum respondetur, olim non fuisse opus tali declaratione; tum quia beneficia & præbendæ nondum erant ita in singulos diuisæ, vt dictum; tum quia maior adhuc vigebat disciplina; & postea mali mores poscebant bonas leges.

Pius autem V. primis sex mensibus sub tanto onere ad horas non obligans, quadam Epiikiæ interpretatione vsus est, in ea re, quæ iuxta fundatorum interpretatiuam voluntatem, Pontificum rationabili dispositioni merito subiacet: maxime quia fundatores ipsi initio id officium velut conditionem determinate non requirebant, vt dictum; & par erat, vt initio tempus aliquod velut discendi studio tributum, ab ea obligatione restituendi liberum relinqueretur.

209 Ad sextum respondetur, bona Ecclesiæ, quæ Ministrorum stipendijs & sustentationi non sunt debita, esse tum ipsius Ecclesiæ fabricæ, instrumentisque diuini cultus, tum pauperibus attribuenda, ex ipsa fundatorum intentione: Ergo cum reditus isti, respondentes prætermisso officio, non debeantur Ecclesiæ ministris, iure fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus applicati sunt. De quo tamen inferius plura.

Quod autem ab omittentibus sine culpa non exigatur restitutio, fit tum ex benignitate fundatorum, & Ecclesiæ; tum ex ipsa rei æquitate; quia beneficiarij non se habent sicut mercenarij, sed sicut magni alicuius Domini officiales; qui si forte per ægritudinem officium exequi nequeant, nihilominus ratione ipsius tituli stipendium recipiunt; nec etiam in his paucorum dierum negligentia per se censetur notabilis.

Secunda difficultas est, quid & quantum restituendum sit, ob prætermissas horas. Respondetur, ante omnia distinguendum esse inter restitutionem iure naturali debitam, & eam, quæ ex decretis Ecclesiæ superius adductis facienda est. Nam de restitutione iure naturali debita, & quomodo, stando iure naturali, rata omissionis officij ac temporis pars determinanda sit, explicatum est iam superius disputatione 4. quæstione 6. de restitut. bonorum Ecclesiasticorum dub. 6. Hoc certum est, determinatam illam restitutionem Iure canonico præscriptam, non esse Iuris naturalis, vt omnes communiter supponunt, & magis ex sequentibus patebit, quicquid Simanca relatus nu. 199. in contrarium dixerit. 210

Quod vero ad ius positiuum attinet, duplex dubitatio occurrit. Prima; quia Pius V. loc. cit. statuit, vt omittens omnes horas vnò die, teneatur restituere omnes fructus eidem diei respondentes: si vero certam partem officij, certam etiam partem aliquotam omnium fructuum eiusdem diei &c. Vbi quæritur, an vocula *omnium fructuum eiusdem diei*, intelligenda sit de omnibus fructibus, qui huic diei respondent, si omnes fructus totius beneficij per singulos dies æqua portione diuiderentur; an vero tantum de fructibus vnius diei, qui secundum prudentis iudicium, habito respectu ad alia onera & officia beneficiarij, respondent officio horarum canonicarum.

Altera dubitatio est. Nam in eadem Extrauagante Pij V. dicitur, *omittentem vnam ex sex horis minoribus teneri ad restituendam sextam partem fructuum eiusdem diei.* Vbi quæritur, debeat ne restituere sextam partem omnium fructuum eius diei; an vero tantum sextam dimidiæ partis fructuum eius diei. Primum enim quidem indicat contextus verborum eiusdem bullæ. Sed posterius probat ratio Si enim primum dicatur, tunc manifeste sequitur, eum qui tres horas minores prætermiserit, debere restituere tantum, quantum si omnes sex prætermisisset; qui vero quatuor vel quinque horas minores prætermisit, multo plus restituere debere, quam qui omnes sex horas omisit, vt cuiuis consideranti facile pateſcet. Nam qui omnes sex horas minores prætermittit, solum debet restituere dimidiam partem fructuum eius diei, vt in bulla dicitur: quodsi ergo vnam horam minorem prætermittens debet restituere sextam partem omnium fructuum eiusdem diei; tunc omittens tres horas debebit restituere tres sextas, adeoque dimidium fructuum eiusdem diei, omittens vero quatuor horas debebit restituere quatuor sextas, omittens quinque horas debebit restituere quinque sextas, adeoque multo plus quam dimidium fructuum eiusdem diei; siquidem quatuor sextæ vna sexta parte; quinque vero sextæ duabus sextis partibus superant dimidium fructuum vnius diei, quod nonnisi tres sextas complectitur. Consequens autem absurdum esse, nemo facile negauerit. 211

Ad

212 Ad primam dubitationem respondeo, negari quidem vix posse, quin bulla priorem sensum intendat, attamen de facto probabilem nihilominus, & satis in praxi tutam esse eorum sententiam, qui restitutionis obligationem ad posteriorem sensum restringunt; ac proinde docent, posse omittentem horas, ratione aliorum officiorum, aliquam sibi partem stipendij, eiusmodi officijs, iuxta viri prudentis arbitrium respondentem, reseruare.

Prima pars huius resolutionis satis colligitur ex verbis bullæ superius relatis; quam sic etiam accipiunt Nauarrus manual. cap. 25. num. 122. Valentia quæstione 2. punct. 10. §. 8. Angles 4. sentent. part. 2. de restitut. Graffius part. 1. libro 2. cap. 51. Azor tom. 1. libro 10. capit. 14. quæstione 5. Vasquez 1. 2. disputatione 68. numero 35. Lessius hic numero 167. qui proinde ob hanc etiam potissimum causam docent restitutionem à Pontifice præscriptam non esse debitam iure naturali. Etsi Beia casu 55. ipsam quoq; Pontificis bullã ad posteriorem sensum accommodare nitatur.

213 Secunda pars ex eo probatur. Quia legis sensus, vti etiam valor, multum pendet à consuetudine, adeoque sapientum interpretatione: atqui viri sapientes nonnisi posteriori sensu obligare bullam, nec aliter esse receptam docent. Ita enim speciatim docent Sotus libro 10. de iustit quæstione 5. articulo 3. Carbo quæstio. 61. de restitut. Ludouicus Beia casu 55. in fine, Toletus libro 2. cap. 20. Henriquez libro 3. cap. 13. numero 2. Aragonius hic quæstione 83. articulo 13. Bartholomæus Medina libro 1. Institut. cap. 14. §. 11. Sa V. *Beneficium* num. 58. Lessius numero 177. Lopez 2. part. capit. 75. qui tamen male dubitat, an lex ista ad restitutionem obliget ante sententiam; cum decretum Concilij Lateranensis à Pio V. confirmatum, absolute restitutionem imperet. Vide quæ diximus hac de re disput. 4. qu. 6. dub. 7. num. 181.

214 Neque tamen inter istos auctores in particulari satis conuenit, quotam partem fructuum beneficiarij, horas vno die omittentes, restituere teneantur. Etenim Beia, alijque nonnulli ex citatis, à Parocho quartam, ab alijs tertiam partem fructuum vni diei respondentium exigunt.

Henriquez loc. cit. refert praxin ita hunc rigorem moderari, vt Parochus & Episcopus horas omnes vna die omittentes quintam partem pro rata restituant, reliquas quatuor ratione tituli, & aliorum onerum retineant; Canonicus quartam partem restituat; alij beneficiarij tertiam; quod etiam docet Sa loc. cit.

Lessio vero loc. cit. hæc moderatio præsertim quoad Canonicos, *qui non habent*, inquit, *aliud onus, quam precum*, nimis laxa videtur. Sed cum Canonici, præter horarum recitationem, etiam choro interesse debeant, & nonnunquam in publicis officijs ministrare, ipsoque saltem vestitu Ecclesiæ ministros se profiteri teneantur, non est improbabile, eos si cætera hæc faciant, supposita illa sapientum praxi, satisfacere, si tertiam saltem partem restituant.

215 Quod vero Sotus, etiam supposito Concilij Lateranensis decreto (quod ipsum contra omnium Codicum fidem aliter legere conatur, quasi legendum sit, non, *post sex menses*, sed *per sex menses*) existimat, eum qui horas Canonicas vno tantum vel altero die, intra anni spatium omittat, ad nullam restitutionem teneri, quod cum auctario docet etiam Medina q. 16. de orat. contra vero eũ, qui primis sex mensibus horas omittit, nihilominus ad restitutionẽ teneri, pro rata parte, id cõmuniter ab omnibus reijcitur; quamquam vtcumq; stando præcise iure naturali, verum censeri vtcunq; probabiliter posset, vt ex dictis colligitur; primum quidem dictum generatim, quoad omnes beneficiarios; secundum saltem quoad Canonicos, naturali iure obligatos ad restitutionem, vt dictum n. 199.

Ad secundam dubitationem respondetur, in ea tangi difficultatem, hactenus (dum hæc scilicet doceo & scribo) à nemine, quod sciã, pertractatam, nisi quod memini, eam ante annos fere triginta in publica Academię Ingolstadiensis disputatione ventilatam fuisse, atq; ita decisam, vt plane defenderetur, dictum illud Pontificis intelligendum, vti quidem contextus verborum postulare videtur, de sexta parte omniũ fructuũ vnius diei, non obstante illo corollario, quod velut absurdum inde deduxim9. Id enim propterea absurdum non esse dictitabant, quod præsumatur, quatuor tantũ, vel quinq; horas omittentem, suam voluntatẽ omittendi sæpius iterasse, secus si omnes horas sex minores omiserit.

Sed hoc nemo nõ videt gratis dici; nec sane mihi persuaderi vnquã potuit, eã esse mentẽ Pontificis.

216 Quocirca ante viginti quatuor circiter annos, nimirũ 1601. Monachij primũ hanc ipsam materiam explicans, contrariã sententiã amplexus fui, & mox publica disputatione defendi; nimirũ ab omittentibus vnam ex sex minoribus horis nõ sextam partem omnium fructuum vnius diei, sed sextam duntaxat dimidiæ partis esse restituendã, quod postea etiam ab alijs cõmuniter probatum & defensum aduerti, & nunc denuo mihi vel maxime comprobatur.

Ratio est; quia cum *intelligentia dictorũ ex causis sit assumenda, dicendi; nec sermoni res, sed rei sit sermo subiectus*, c. 6. de signif. verbor. cumq; vt rubrica ibidem dicit, *verba aliquando sint intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundũ mentem proferentis*, Et vt Glossa ibidem ait, *ad extraneum sensum sint trahenda, vbi res interim aliter salua esse non potest*: considerans etiã, *quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem; cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deseruire* cap. *In hu*, eodem tit, equidem semp existimaui, decretũ Pontificis ita intelligendũ, vt ex eo nullũ absurdũ sequatur; ac proinde dubitare nunquam potui, quin Pontifex solum de sexta dimidiæ partis loquatur.

Præsertim cum ad hunc ipsum etiam sensum verba bullæ superius num. 181. relata non difficulter admodum aptari possint; si nempe verba illa *fructum eius diei* indefinite accipiantur, &

post illud verbum *Sextam* ἥτοι τῇ κοινῇ repetatur siue intelligatur vocula, *dimidiæ*, quæ bis immediate antea fuerat posita, vt plane res ipsa & mens Pontificis exigunt; nec, vt opinor, alio sensu vsquam sunt recepta.

217 Tertia difficultas est, cui sit facienda hæc restitutio. Respondetur breuiter ex bulla Pij V. esse faciendam fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, siue illius loci, vbi beneficium situm est, siue alterius; vt recte Lessius num. 177. quia Concilium & bulla generatim loquuntur: & quidem inter pauperes numerando etiam ipsum beneficiarium, si vere pauper est, vt generatim disp. 4. quæst. 6. dub. 14. ex communi dictum est.

Id vero intelligendum videtur; nisi ex iusta consuetudine, vel statuto, quod alij amittunt, accrescat alijs, qui intersunt officio, vt inter Canonicos fieri solet, quoad distributiones, & interdum etiam quoad ipsum corpus fructuum, vt cum Nauarro numero 123. notarunt etiam Lessius loc. citat. & Toletus libro 2. cap. 12. Quamquam cum res hæc omnis ex Ecclesiæ dispositione pendeat, eaque relatis superius decretis absolute ac generatim Ecclesiæ fabricæ aut pauperibus faciendam iubeat restitutionem, equidem non damnarim, si id etiam inter Canonicos absolute obseruetur.

Addit Lessius num. 177. credere se, quando res est occulta, & Canonici restituendo distributiones, vel alios fructus suum peccatum proderent, posse in alios vsus pios expendere. De qua re ex communibus causis à restitutione excusantibus iudicandum, vid. disp. 4. q. 6. dub. 16.

218 Quarta difficultas est, an ea constitutio Concilij Lateranensis, itemque bulla Pij V. quoad restitutionis obligationem, sit vsu recepta, adeoque simpliciter & absolute etiam in conscientia obligans.

De hac re non omnes eodem modo sentiunt & loquuntur. Sotus loc. citat. de constitutione illa Concilij Lateranensis loquens ait: *Hoc capitulum* (etiam quoad restitutionis obligationem) *nondum plene, quod sciam, vsu & more receptum est.* Toletus loc. citat. similiter dubitat, an id sit vsu receptum.

Contra vero Azor loc. citat. *Non est*, inquit, *quod dicas, huiusmodi constitutionem* (Pij V.) *non esse vsu receptam; quia viri pietate & doctrina clari censent, restitutionem fructuum deberi, iuxta eam constitutionem.* Vasquez etiam citat. 1. 2. disputatione 168. num. 32. *Videmus*, inquit, *iam vsu communi absque vlla difficultate ita receptam, vt restitutio ante sententiam fiat.* Eodem modo Nauarrus Manuali cap. 21. numero 122. & de orat. cap. 7. numero 32. Couarruuias libro 3. variarum cap. 13. Bellarminus de orat. cap. 19. Henriquez, Valentia, Sa, Lessius locis citat. recentioresque scriptores omnes vbique supponunt, eiusmodi constitutiones, quoad restitutionis obligationem, esse receptas; etsi non quoad hoc, vt contumaciter horas negligens, etiam beneficio priuetur, vt recte dixit Sotus loc. cit. Sicut etiam his in locis à viris doctis & pijs passim practicari satis constat.

Quocirca breuiter dico, licet decretum illud Lateranense, quoad priuationem beneficij, nec illa Pij V. bulla, secundum rigorem illum, quem ipsa verba secundum literam præseferunt, recepta non sit, iuxta ea, quæ superius secunda difficultate à num. 210. docuimus; esse tamen ita omnino receptam, vt ab omittentibus horas, ex fructibus officio horario respondentibus, restituenda sit rata illa pars à Pio V. Pontifice definita, prout in resolutione eiusdem difficultatis secundæ diximus: id quod ex dictis satis colligitur. 219

Et sane meo iudicio temerarius esset ille, qui contra recentem adeo & consentientem testificationem virorum grauissimorum, ex omnibus pene Christiani orbis prouincijs, puta Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ, asserere auderet, eam bullam non esse vsu receptam, velletque hoc prætentu in praxi ab ea recedere.

Neque obstat hæsitatio Soti, qui bullam Pij V. nondum viderat: sicut nec Toletus cit. cap. 12. mentionem facit, nisi Concilij Lateranensis, imo in recentiori editione dubitationis eiusmodi prorsus non meminit: præterquam quod isti intelligi possunt de omnimoda & plena acceptatione eiusmodi constitutionum in eo rigore, quem verba præ se ferre videntur, vt paulo superius retuli.

QVÆSTIO II.

De actibus exterioribus Religionis, siue Latriæ; ac primum de adoratione Dei, Sanctorum, rerumque ac imaginum sacrarum.

S. Thomas 2. 2. q. 84. aa. 3.

1 *TRactat quidem S. Thomas hoc loco solum de adoratione DEI, vti etiam locus ipse proprie postulat: at vero propter similitudinem & connexionem rerum, à nobis hæc res paulo generalius tractanda est; prout scilicet adoratio non solum ad Deum, sed etiam ad Sanctos, aliasq; res, & imagines sacras referri potest; vti iam antea etiam in prolixa & luculenta disputatione hac de re edita fecimus, quam ipsam hoc loco paulo magis ad scholasticæ doctrinæ methodum reuocabimus.*

Absoluetur igitur hæc quæstio septem dubitationibus. I. De adoratione in genere eiusque adeo notione, ratione, varietate, & distinctione ab ijs, cum quibus nonnullam affinitatem habet. II. De adoratione sacra DEI, CHRISTI hominis, & Sanctorum. III. De adoratione sacra Reliquiarum, Imaginum, & rerum sacrarum inanimarum; an sint adorandæ. IV. De ratione & modo adorationis rerum eiusmodi inanimarum; speciatim quæ circa eam certa; quæ in controuersia sint; quæque vocum in ea re consuetarum sit ratio & significatio. V. An imagines etiam proprie vllo modo adorandæ siue colendæ sint; itemque an ipsa etiam in se tanquam obiectum. Quod terminent actum adorationis seu cultus non tantum ratione signi exterioris, sed etiam ratione internæ submissionis. VI. An & qua ratione imagines simul cum exemplari, eodemque cultu coli possint. VII. Vtrum nihilominus imagines & reliquiæ sacræ secundum se, & per se etiam, tanquam totum obiectum materiale cultus, quod immediate ac directe colatur, adorari aliquo licet inferiori cultu possint; non adorato formaliter & directe exemplari.

DVBIVM I.

De adoratione in genere; eiusque adeo notione, ratione, varietate, & distinctione ab ijs, cum quibus nonnullam affinitatem habet.

S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1. & q. 103. a. 1. & 2.

2 ADorationis vocula non eodem modo vbique sumitur. Nonnunquam enim generatim significat quemcunque actum religionis internum vel externum, quo honor diuinus Deo deferatur, vt notauit Gregorius de Valentia hic q. 3. pun. 1. Qua ratione etiam actum orationis & sacrificij comprehendit. Vt cum apud Plinium l. 28. c. 2. legimus: *Cur & fascinationibus adoratione peculiari occurrimus?* Vbi Lexicographus: *Adorationem hic pro religione posuit, vel potius precatione.* Item Genes. 22. v. 5. Abraham de oratione vel sacrificio peragendo locutus: *Ego*, inquit, *& puer, illuc vsq; properantes, postquã adorauerimus, reuertemur ad vos.* Et Ioan. 4. v. 23. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Et Pater tales quærit, qui adorent eum.*

Quo fere sensu etiam Suarez 3. p. tom. 1. disp. 54. sect. 5. & Corduba lib. 1. q. 5. dub. 6. docent, adorationem significare nonnunquam quodlibet signum externum reuerentiæ vel submissionis erga alterum. Verum proprie ac in proposito sumitur pro externo ac speciali quodam actu seu nota reuerentiæ ac honoris, qua per certum quendam motum ac gestum corporis alteri reuerentia exhibetur.

Ad cuius proinde rationem generalem, prout 3
ab adoratione Dei abstrahit, explicãdam, (in qua re quidam passim hallucinantur) necesse est hæc quinque ordine explicare. 1. Quæ sit illa nota seu gestus corporis, ad rationẽ adorationis sufficiens. 2. Quis alter ille, cui iure exhibetur. 3. Quæ excellentia, ob quam alteri proprie exhibetur. 4. Quæ illa animi submissio, cuius nota existit adoratio. 5. A quo possit recte exhiberi.

Sic enim explicatum habebimus. 1. obiectum materiale quod adorationis. 2. obiectũ materiale

cui. 3. rationem formalem obiectiuam eiusdem obiecti cui. 4. obiectum formale quod, adeoque ipsam adorationis rationem formalem; quæ ab illa submissione, velut ab eo, quod in adoratione potissimum est, desumitur, iuxta S. Thomam hic q. 84. a. 2. ad 2. vbi ait: *Sicut oratio primo dicitur est quidem in mente, secundario autem verbis exprimitur: ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reuerentia consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis: sicut genu flectimus nostram infirmitatem designantes, in comparatione ad Deum, prosternimus autem nos quasi profitentes nos nihil esse ex nobis.* Deniq; explicatum habebimus subiectum adorationis. Ex quibus demum etiam facile colligetur adorationis varietas, & distinctio ab ijs, cum quibus nonnullam affinitatem habet.

4 Quæritur igitur primo, quæ sit illa nota, quisue gestus corporis, ad rationem adorationis sufficiens.

Respondetur, eam ex nominis etymologia, quæ tamē apud scriptores varie assignatur, commodissime explicari. Etenim primo Laurentius Valla lib. 5. elegant. cap. 11. vocem illam ab *orando* deriuat: quasi idem sit adorare, quod ad aliquem orare, seu ore precari. *Adorare*, inquit, *ab oro, quod est precor, componitur; supplicare à plico, quod genu, poplitemque, aut ceruicem plicamus, cum à potentiore aliquod magnum quid precamur.* Idem habet Bonauentura in 3. dist. 9. a. 1. q. 4. & supponere videntur pleriq; alij Scholastici Doctores.

Cum qua notione ad vnguem conspirat vulgaris vocula Germanici idiomatis (Anbetten) adorationem exprimens. Iuxta quam etiam nominis notionem, fatendum esset, neque imagines, neq; reliquias, aut alias res sacras inanimas adorandas esse, vtpote quas ore precari, seu inuocare non licet.

5 Sed aut hæc nominis etymologia vera non est; aut sane ab Etymo plurimum deflexit vsus & germana significatio nominis; quod ipsemet Valla ibidem notauit: *Et tamen*, inquit, *adorare sine ore, sine voce fit, non sine plicatione genuum ac corporis: supplicare sine plicatione genuum ac gestu corporis; non sine ore ac voce. &c. Nosque rebus mutis ac sensu carentibus non supplicamus, sed adorationis honorem exhibemus, vt Regum statuis, signis, vestibus, literis, aliisque similibus; & præcipue picturis, imaginibusque, tum Dei, tum Sanctorum, tum ipsius etiam crucis; quam sapientes adorant, stulti etiam orant.*

Vnde etiam ea, quæ ab auctoribus tam sacris, quam profanis proprie dici solet adoratio, nō est oratio; sed actus ab oratione distinctus, vt inferius patebit. Certe omnes Theologi, cū S. Thoma hic q. 83. & 84. *orationem, & adorationē*, tanquā duos distinctos actus religionis cōmemorāt. Eadem apud Græcos vocū differētia est. Nam quod latinis adoratio, græcis est προσκύνησις, quasi admotio, seu versus aliquē motio; quod illis inuocatio seu oratio supplicātis, his προσευχὴ dicitur.

6 Secundo eiusdem vocis originē Nonius Marcellus de propriet. serm. ita assignat: *Ador*, ait, *frumenti genus est, quod epulis & immolationibus sacris pium putatur: vnde & adorare, propitiare religiones, poteſt dictum videri.* Fauet huic sententiæ, quod Sextus Pompeius Festus de verbor. significat. in hæc verba scripsit: *Ador Farris genus, edor quondam appellatum, ab edendo, vel quod aduratur, vt fiat tostum, vnde in sacrificio mola salsa efficitur.* Sed nec ista etymologia satis probatur. Si enim proba esset, sequeretur, immolationes seu sacrificia maxime proprie adorationem esse; cum tamen & ipsi isti tanquam duo distincti actus apud S. Thomam hic q. 84. & 85. aliosque Theologos habeantur; idq; ex communi latine loquentium vsu. Quare etiam Iustus Lipsius lib. 2. Electorum cap. 6. hanc deriuationem velut inane Grāmaticorum acumen deridet.

Qui proinde hanc tertiam eius nominis etymologiam ibidē his verbis refert & probat: *Osculorū*, inquit, *ratio alia est magis superstitiosa, & quasiti cultus. Verebantur enim plerunq; Deos ipsos ore profano suo tangere, sed eminus stantes manum porrigebant, eamq; statim reuerenter ad os suum referebant & suauiabantur. Hic habitus receptissimus, & velut solemnis adorantium fuit; quem mihi ingerunt scriptorum loci multi. Plinius: In adorando dextram ad osculum referimus. Minutius Felix in Octauio: Cæcilius simulachro Serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens osculum labris impressit. Apuleius apologia priore: Nulli Deo ad hoc aui supplicauit; nullum templum frequentauit: si fanum aliquod pratereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere. Et lib. 5. Milesiarum de psyche: Multi denique ciuium, & aduenæ copiosi inaccessa formositatis admiratione stupidi, & admouentes oribus suis dextras, primore digito in erectum pollicem residente, vt ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.* 7

Pergit Lipsius: *Nec Romanus solum hic ritus, sed Syris olim & Orienti. In sacra historia Iobi cap. 31. Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare & osculatus sum manum ore meo, id est, si lunam aut solem adorani:* (quomodo etiam interpretatur Hieronymus commentario in Oseæ capit. 13. initio.) Vetus interpres 3. Regum 19. *Quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum, osculans manum.* Hieronymus in Ruffinum. *Qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere; & sæpius in hebræorum phrasi deosculatio est adoratio. Atque ego latinis ipsis hinc censeo formatum adorandi verbum; quia manus ad ora admouebant.* Ita Lipsius. 8

Qui hue etiam refert huius sæculi morem, *quem seruiliter*, inquit, *adulatio seruat. Fere enim aulicæ illæ muscæ, cum potentiorem salutant, vestem, aut aliquam partem corporis manu illi tangunt, eamque statim cum veneratione quadam ad os reportant. Nec dubitabis, quin super hoc vestigium sit priscæ illius adorationis.* Hæc libere auctor.

Et vero placet illa nobis ipsius etymologiæ ratio; vtpote vim ac vsum vocule adorationis in aliquo gestu corporis, cultus gratia vsurpato, sitæ quam maxime exprimens. Vnde primum etiam adorandi modum, seu potius primā eius notę externæ speciem habemus, qua fit adoratio, nimirum in venerabunda manus ad os admotione positam. 9

Neque tamen ex hac etymologia vsq; adeo re-

stringen-

stringendus est germanus vsus & significatio nominis, vt solam manus ad ora applicationem, reuerentiæ & honoris causa factam, adorationem esse putemus. Nam cum adoratio gentibus omnibus sit ac semp fuerit cõmunis; non tamen idem aut vnus semperq; inuariatus fuit adorationis ritus, vtpote ex arbitrio & institutione humana dependens rationemq; signi ex instituto significantis habens. Quin imo vti pro diuersitate temporis, sexus, aut personarũ, cætera honoris symbola variantur; ita etiam adorationis.

Quare solutio calceamentorum, adeoq; nuditas pedum olim religioni & reuerentiæ data, ac præcepta Moysi, Exodi 3. vers. 5. iam augustissimum Missæ sacrificium celebranti in vitio ponitur, vt docent Sylvester V. *Missa* 1. Henriquez libro 9. cap. 29. & Suarez de Missa disputatione 82. section. 2. & 3. Item *omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum* 1. Cor. 11. v. 5, Qui ergo gestus seu habitus corporis in viris pro venerationis symbolo habetur, in mulieribus probrũ ducitur.

Sed & in ipsis viris detectio capitis apud veteres quidem Romanos, Europæosque nostrates, honoris seu reuerentiæ nota est, vt videre est apud Lipsium in amphitheatro c. 19. & 20. & libro 1. Electorum cap. 23. Iulium Barbaranum tom. 1. tit. Reuerentiæ gen era; at eadem tamen multis alijs gentibus inusitata: quamquam & *Romanos*, inquit Lipsius, *dum sacrificabant, capite scimus fuisse velato; idque prisco quodam & obuio ritu*, à nostris tamen moribus alieno. Sicut ergo pleraque nomina originem quidem à certa affectione, vsu, aut modo rei, quam appellant, sortiuntur, attamen ipso vsu ac genuino significatu multo patent latius: ita etiam adoratio licet primitus ab admotione manus ad ora dicta sit, res tamen ipsa multo latius diffunditur.

Etenim secundo constat, eos, qui humi procumbentes, ad pedes alicuius reuerentiæ causa aduoluerentur, vel maxime adorasse fuisse existimatos, vt passim ex scriptura constat, siue de politica & ciuili, siue de sacra adoratione loquamur Genesis 18. vers. 2. Abraham tres viros (Angelos) *adorauit in terram.* Genesis 19. v. 1. Lot duos Angelos *adorauit pronus in terram.* Genesis 24. vers. 52. Puer Abraham *adorauit in terram Dominum.* Genesis 33. vers 3. Iacob progrediens *adorauit pronus in terram septies.* Genesis 43. v. 26. & c. 50. v. 18. Fratres Ioseph *adorauerunt* ipsum *pronis in terram.* Genesis 48. v. 12. Ioseph coram patre *adorauit pronus in terram.* Num. 22. v. 31. Balaam *adorauit Angelum pronus in terram.* Iosue 5. vers. 15. Videns & cognoscens Angelum Iosue, *cecidit pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum?* Ruth 2. versu 10. *Cadens in faciem suam, & adorans super terram dixit ad Booz.*

Item 1. Regum 20. vers. 41. Dauid *cadens pronus in terram adorauit tertio.* 1. Regum 24. v. 9. Inclinans se Dauid *pronus in teram adorauit Saul.* 1. Regum 25. v. 23. Abigail *procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius.* 1. Regum 28. v. 14. Saul coram Samuele excitato, *inclinauit se super faciem suam, in terra, & adorauit.* 2. Regum 9. v. 6. Miphiboseth coram Dauid *corruit in faciem suam & adorauit.* 2. Regum 14. v. 22. Cadens Ioab *super faciem suam in terram adorauit, & benedixit Regi.* Et ibidem v. 33. Absalon *adorauit super faciem terræ coram Dauid.* 2. Regum 24. v. 21. Areuna egressus *adorauit Regem prono vultu in terram.* 3. Regum 1. v. 23. *Nathan adorauit Regem pronus in terram.* 4. Regum 4. v 37. Sunamitis *corruit ad pedes Elisæi, & adorauit super terram.* 1. Paralipomenon 21. v. 21. Ornan *adorauit Dauidẽ pronus in terram.* 2. Paralipomenon 7. v. 3. Omnes filij Israel *corruentes proni in terram super pauimentum stratum lapide, adorauerunt & laudarunt Dominũ.* Iob 1. v. 20. *Corruens in terram adorauit.* Psalmo 94. v. 6. *Venite adoremus, & procidamus.* Isaiæ 46. v. 6. Idololatræ *procidunt & adorant.* Isaiæ 49. vers. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Isaiæ 60. v. 14. *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum.* Danielis 3. v. 15. *Prosternite vos, & adorate statuam, quam feci.* Et v. 5. & 6. *Cadentes adorate statuam auream.* &c. *Si quis autem non prostratus adorauerit. &c.*

Item in nouo testamento, Matthæi 2. vers. 11. Magi *procidentes adorauerunt* Christum. Matthæi 4. v. 9. Si *cadens adoraueris me.* Ioannis 9. v. 38. Cæcus sanatus *procidens adorauit Christũ.* Act. 10. v. 25. Cornelius *procidens ad pedes* Petri *adorauit.* Apocalypsis 3. v. 9. *Adorent ante pedes tuos*, Apocalyp. 22. v. 8. *Cecidi vt adorarem, ante pedes Angeli.* Quæ fusius hic referre placuit, quia deinceps etiam vsui futura sunt.

Atq; hac de causa fortasse Barnabas Brissonius in suo lexico, vniuersam adorationis vim exprimere volens dixit; *Adorare est procumbendo venerari.* Sed non recte, vt partim ex dictis liquet, partim ex sequentibus manifestius fiet.

Etenim tertio nõ obscure scriptura pluribus in locis indicat, adorationem quandoque sine procumbentis gestu, sola genuum, aut capitis inflexione, etiam à stantibus fuisse peractam. Genesis 24. v. 26. Seruus Abrahæ *inclinauit se, & adorauit Dominũ.* Genesis 33. Ancillæ Iacob, & filij earum *incuruati sunt. Accessit quoq; Lia cũ pueris suis, & cum similiter adorassent, extremi Ioseph & Rachel adorauerunt.* Genesis 37. v. 7. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulũ meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Exodi 12. v. 27. *Incuruatus populus adorauit.* 3. Regum 1. v. 16. *Inclinauit se Bethsabee, & adorauit Regem.* 3. Regum 8. v. 54. Salomon adorans Dominum, *vtrumq; genu in terram fixit, & manus expandit in cœlum.* 4. Regum 1. v. 13. Princeps quinquagenarius *curuauit genua contra Eliam.*

Item 4. Regum 5. v. 8. ait Naaman: *Quando ingredietur Dominus meus templũ Remmon, vt adoret, & ille innitente* (non vtiq; prostrato) *super manũ meam, si adorauero in templo Remmon, adorante eo, in eodem loco &c.* 2. Paralipomenon 29. vers. 30. Leuitæ Deum *incuruato genu adorauerunt.* Esther 3. v. 2. *Cuncti serui Regis flectebant genua, & adorabant Aman, &c. solus Mardochæus non flectebat genu, neq; adorabat*

eum

eum. 1. Esdræ 9. v. 5. *In sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio & tunica, curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum.* Daniel c. 6. v. 10. Contra Hierusalem *flectebat genua sua, & adorabat tribus temporibus in die.* Marci 15. v. 19. *Ponentes genua adorabant eum.*

Huc spectat illud Isaiæ 45. vers. 29. *Mihi curuabitur omne genu.* Et quod 3. Regum 19. v. 18. dicitur: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal.* Et illud Philipp. 2. v. 10. *In nomine IESV omne genu flectatur.*

Quem adorationis modum refert etiam Sanctus Thomas hic q. 84. a. 2. ad 2. Eundem tradit Benedictꝰ Pererius tom. 4. in Genesim c. 33. n. 2. addens etiam istum, qui ad præcedentem reuocari potest, & fiebat *per incuruationem corporis, declinando scilicet caput, cum modica corporis demissione.* Et vtriq; adstipulatur præsens inter homines consuetudo.

Quartus adorationis modus fiebat per oscula
15 impressa ei, qui adorabatur, præcipue secundum genua. De qua re Plinius l. 11. c. 45. *Hominum gentibus,* inquit, *quædam religio inest, obseruatione gentium. Hæc supplices attingunt: adhæc manus tendunt; hæc vt aras adorant &c.* qui ritus etiam hodie apud quasdam nationes cernitur.

Huc pertinet illud psalmi 2. vers. 12. iuxta lectionem hebraicam, *Osculamini filium*, id est, adorate; pro quo nos legimus: *Apprehendite disciplinam*; nempe filij Dei, quod proinde eundem sensum reddit. Et Exodi 18. v. 7. Moyses egressus in occursum cognati sui, *adorauit, & osculatus est eum.* Taceo oris, menti, manus, pedis, vestis, & postis oscula, quæ itidem ad quandam adorationis speciem veteri more pertinuisse, fuse probant Lipsius 2. Electorum cap. 23. & Barbaranus loc. cit.

Quamquam *oris* osculum non tam adorationis,
16 quam amoris signum videtur. Vnde Macarius in VII. synodo epistola synodali ad Imperatorem actione 7. referens illud Matthæi 13. & Lucæ 15. de Pharisæis amantibus primos recubitus in conuiuijs, & salutationes in foro: *Certum est,* inquit, *ἀσπασμὸν, id est, salutationem, hoc loco à Domino appellari προσκύνησιν, id est, adorationem. Pharisæi enim glorioso animo præditi, & seipsos iustos existimantes, ab omnibus adorari studebant. Non enim ore osculari petebant: fuisset enim hoc humilitatis signũ, & haudquaquam Pharisaici supercilij.*

17 Quinto etiam capitis detectio, cum debita animi submissione facta, non incongrue adorationi tribui potest. Nam cum pileus sit libertatis insigne, velut erga alterum seruitutem profitetur ille, qui ipsi pileum ponit: quamquam fateor, non semper honorariam hanc retectionem capitis adorationis rationem habere; sed quandoque simplicis honoris, pro ratione circumstantiarũ: quod tamen nihil obstat, quo minus iuxta alias circumstantias, etiam pro adorationis nota habeatur, vt supra n. 10. indicauimus.

Recte Pererius tom. 3. in Genes. cap. 23. numero 25. & cap. 17. numero 7. *Scire conuenit, hebræum Sahah, quod latine redditur adoro, indifferenter & in vniuersum significare reuerentiam & honorem, qui per exteriorem corporis motum, hoc est, inclinationem capitis & pectoris, vel retectionem capitis, vel procubitum in genua, aut in terram exhibetur cuicunq; personæ excellentis dignitatis, aut potestatis, vel humanæ, vel Angelicæ, vel diuinæ.* Vasquez itidem l. 2. de adorat. n. 371. & 387. nudationem capitis vocat notam adorationis.

Idem significat Adrianus Epistola ad Constantinum & Irenen, dum ait: *Qualis vero iste est adorationis honor? Profectò non alius, quam is, quo nos peccatores quoq; inuicem prosequimur, salutantes nos inuicem per honorationem & dilectionem.* Et Anastasius Episcopus Theopoleos in VII. synodo actione 4. generatim ait; *Adorationem esse honoris alicui* (cum submissione) *exhibiti veluti emphasim.*

Consentiunt his cæteri Theologi cum S. Thoma hoc loco, qui nullo certo motu ac gestu corporis adorationem circumscribunt: cum quibus proinde fatendum, omnem illum corporis motum seu gestum esse sufficientem adorationis notam, quæ iuxta receptum patriæ seu gentis alicuius morem, ad illam animi submissionẽ, adorationis propriam, significandam idonea est. Cuius ratio est; quia vt dictum, cum gestus ille seu nota submissionis ex institutione humana dependeat, fieri potest, vt tum apud diuersas nationes & populos, tum etiam diuerso tempore, apud easdẽ, diuersissime varietur; ipsa interim adorationis ratione vbiq; eãdem existente. 18

Quæritur secundo, cuinam personæ vel rei iure exhiberi possit adoratio. 19

Respondeo ex dictis quæsito præcedenti, certum esse, iure ac legitime exhiberi, I. Deo vero. II. Christo homini, qui & ipse Deus est. III. Angelis; non autem diabolo, propter perpetuam in malo obstinationem, & eam, quam cum hominibus habet implacabilẽ inimicitiã, vt ex cõmuni & certa docet S. Thomas 2. 2. q. 103. art. 2. ad 2. IV. Hominibus viuentibus, tum sacris, quã tales; in quibus etiam numerandi sacro oleo vncti Regẽs, & Prophetæ, in specie Dauid, Elias, & Elisæus; tum alijs; in quibus habemus Iacob, Esau, Ioseph, vt superius à n. 11. ex scripturis retulimus.

Quibus addo ista, Genesis 23. v. 7. *Resurrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth.* 2. Regum 18. v. 21. *Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit.* 2. Regum 2. v. 19. Salomon Rex *surrexit in occursum matris, adorauitq; eam.* Iudith 10. v. 20. *Adorauit eum* (Holofernẽ) *posternens se super terram.*

V. Hominibus sanctis demortuis, seu potius animabus defunctorũ, vt Samuelis iuxta verioré explicationẽ 1. Reg. 28. VI. deniq; etiãrebus inanimatis adoratio recte tribuitur: tũ sacris, iuxta illud psal. 89. v. 5. *Adorate scabellum pedum eius*, tum etiam prophanis, vt purpuræ Regis; quod multis testimonijs ex iure ciuili, probat Brissonius loc. cit. & passim testantur SS. Patres.

Quod si contra hęc, quandoq; aliqui adorationem recusarunt, aut per accidens fecerunt; quia loco & modo inopportuno postulata, vt de Mardochæo quidam sentiunt; vel diuinam creaturæ tribui noluerunt, vt de Paulo & Barnaba constat Act. 14. & de eodem Mardochæo docent 20

S. Thomas

S. Thomas hic q. 84. a. 1. Lyranus Esther cap. 3. & Pererius in Genesin tom. 3. cap. 17. num. 7. ex communi. Vel denique ex submissione aut beneuolentiæ affectu à se remouerunt; in quibus Angelus respectu Ioannis Apocalypsis 19. Petrus respectu Cornelij Act. 10. vt ex veriori docent Vasquez & Pererius loc. cit. & rursum cap. 23. Genes. num. 25.

21 Optime hac de re S. Thomas cit. q. 84. a. 1. ad 1. *Secundum reuerentiam, quæ creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauid: secundum autem reuerentiam, quæ debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, timens ne honorem Dei transferret ad hominem, vt dicitur Esther 13. Et similiter secundum reuerentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adorauit Angelos; & etiam Iosue, vt legitur Iosuæ 5. Quamuis posset intelligi, quod adorauerint adoratione latriæ Deum, qui in persona Angeli apparebat & loquebatur. Secundum autem reuerentiam, quæ debetur Deo, prohibitus est Ioannes Angelum adorare, Apocal. vlt. Tum ad ostendendum dignitatem hominis, quam adeptus est per Christum, vt Angelis æquetur; Vnde ibi subditur: Conseruus tuus sum & fratrum tuorum: tum etiam ad excludendum idololatriæ occasionem; vnde subditur: Deum adora.*

22 Fatemur tamen interim, *adorationis* nomen per antonomasiam & excellentiam ita nonnunquam accipi, vt adorationē latriæ soli Deo debitam significet, adeoque soli Deo tribuatur. In quem sensum Hieronymus contra Vigilantium. *Quis*, inquit, *O insanū caput, aliquando Martyres adorauit? quis hominem putauit Deum?* Qui tamen apologia aduersis Ruffinum: *Protinus*, inquit, *concito gradu Bethlehem meam reuersus sum vbi adorauī præsepe & incunabula Saluatoris.*

Eundem modū loquendi vsurpant nonnunquā alij Patres, vt Athanasius serm. 3. cōtra Arrianos, Ambrosius in cap. 1. ad Rom. Augustinus lib. de vera & falsa religione c. 55. Leo serm. 2. de Natiuitate, Epiphanius de hæres. c. 9. Fulgentius lib. ad Donat. c. 4. Damascenus l. 4. fidei c. 3. Ionas Aurelianensis lib. 1. de adorat. & ipsum Concilium Ephesinum tom. 6. cap. 1. Eodem respicit vulgare carmen.

Effigiem Christi, dum transis, semper honora:
Non tamen effigiem, sed quem designat, adora:

Nisi malis, adorationem hic vulgariter *orationem* significare.

23 Sed & scriptura subinde eidem loquendi modo fauet. Vt Deuteron. 6. v. 13. & Matthæi 4. v. 10. dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*; prout etiam intellexerunt Valentia hic q. 3. pun. 1. & Vasquez l. 1. de adorat. n. 153. licet aliter intelligat Pererius tom. 3. in Genesin cap. 23. n. 25. cum Augustino q. 61. in Genes. Huic similis est etiam locus ille 1. Tim. 1. v. 17. *soli Deo honor & gloria.*

Imo etiā prophani Scriptores nonnunquam ita loquuti videntur. Lampridius in Alexandro Imperatore: *Ipse adorari se vetuit; cū iam cœpisset Heliogabalus adorari more Persarum.* Eutropius lib. 9. de Diocletiano: *Adorari se iussit; cū ante eū cuncti salutarentur.* Quod explicans quasi Dio lib. penult. *Primus Cæsarū* (Caligula) *se adorari instituit vt Deū.* Quod & de Diocletiano referūt Aurelius Victor par. 2. n. 39. & Cassiodorus in Chronico n. 1040.

Vnde Pererius tom. 4. in Genes. c. 32. num. 2. scribit: *Latinum verbum adorandi fere non est in vsu, neque apud Theologos, neque in vulgari Christianorum sermone, nisi in veri soliusque Dei cultu.*

Sed hæc nihil obstant, quo minus iuxta recep- 24
tissimam phrasin scripturæ superius cōmemoratam, iuxta frequentissimū Patrum etiam latinorum, (vt inferius magis patebit) ac prophanorum scriptorum, nec infrequentē etiā Theologorum vsum, iuxta vim ac notionē nominis, iuxta ipsissimam adorationis essentiā, fateamur, atq; ita etiam cum videbitur, loquamur, vere ac proprie etiā alia præter Deum adorari, de quibus superius dictum: Nisi quis contendere velit, solum quoq; Deum bonum; solum Patrem, ac Magistrum vocandum esse; soli illi, (non alijs) gloriam & honorē habendum; quod nemo dixerit.

Quod igitur de dulia nō male dixit Bonauentura 3. dist. 9. art. 2. q 4. nomen illud tripliciter dici: *Vno modo*, inquit, *dicitur dulia secundum quandā analogiam: alio modo secundū antonomasiam; & tertio modo secundū significationē propriā*: hoc etiam de voce adorationis verissime dici potest. Secundum propriam enim significationem dicit actum voluntatis, quo quis per aliquem corporis gestum exhibet notā submissionis alteri, ob illius excellentiam. Secundū analogiam significat quamlibet notā submissionis erga alterū. Secundū antonomasiam significat solius Dei adorationem.

Tertio quæritur, quænam sit excellentia illa, 25
ob quam proprie adoratio cuipiam defertur.

Respondeo. Hac in re vniuersim certum, & extra controuersiam est, eam quæ primaria & vltimata sit adorandi ratio, aliam esse non posse, quam excellentiam substantiæ intellectualis; hæc enim sola vt honoris, ita adorationis vltimus terminus est. Immediata vero & minus principalis, ac secundaria ratio adorandi esse potest etiam excellentia quædam inferior, & ex intellectuali substantia participata, vt constat in adoratione rerum inanimatarum; quod inferius magis declarabitur.

In particulari denique, excellentia velut ratio adorandi alia est increata & infinita; alia creata & finita; hæc rursus vel ordinis supernaturalis est, à qua res aliquo modo sit & dicatur *sacra*; vel ordinis naturalis: illa *sacræ* seu religiosæ; hæc *politicæ* adorationis formalis terminus est.

Quamquam & Deum quoque vt bonum naturale, adoratione, quæ sit ordinis naturalis, coli posse, nullum est dubium, vt in simili de dilectione Dei suo loco diximus disp. 2. q. 2. dub. 2. quæ tamen nihilominus adoratio licet supernaturalis non sit, *sacra* tamen dicitur, non profana; quia ad obiectum & excellentiam sacram terminatur.

Quæritur quarto, quænam illa sit ánimi sub- 26
missio, cuius nota est exterior adorationis gestus.

Respondeo, eam non esse eandem, respectu cuiusuis adorantis, aut rei adoratæ. Sicut enim inter has, quoad excellētiæ rationē, magna dif-

ferentia esse solet, ita etiam submissionis secundum rectum dictamen exhibendæ, non potest non esse diuersissima ratio: Idque non tantum cum diuersi adorationis ritus seu modi vsurpantur, sed etiam cum ijdem.

Quod in adoratione Dei & creaturæ alicuius est manifestissimum. Licet enim externus ritus adorationis, respectu vtrorumque sæpe sit idem: tam Deo enim, quam hominibus genu flectimus, & vtrisque caput aperimus: submissio tamen interna, per exteriorem ritum significata, est diuersissima. Deo enim adorans se submittit, tanquam summo, infinito, & independenti bono ac Domino, per infimam quandam animi demissionem ac seruitutem, soli Deo debitam: creaturæ vero solum tanquam limitato bono; idque accommodate adeoque aliter & aliter, iuxta variam eius excellentiam, & adorantis conditionem. Quo fit, vt licet externus adorationis gestus sit inuariatus, ipsa tamen adoratio sæpe sit diuersissima.

Quod si excellentia in re adorata nulla appareat, aut sane adorantis submissio eidem non respondeat, sed excellentiam eiusdem excedat, vana & superstitiosa erit adoratio.

27 Quinto deniq; & postremo quæritur, à quonam adoratio recte possit exhiberi.

Respondetur, cum ex parte adorantis plane necessarium sit, vt is rem adorandam concipiat, tanquam aliquo modo se superiorem, seu præstantiorem; idcirco Deus quidem secundum se adorare neminem potest: Christus secundum humanitatem adorat Deum, vt patet ex gestu orantis in horto: Angeli adorant Deum & Christum hominem; Hebræorum 9. vers. 6. & quin etiam inter illos ipsos alij alios, omnes autem B. Virginem suo modo adorent, non est dubitandum. Homines certe, & Angelos, & seipsos mutuo recte adorare posse, ex dictis n. 19. per-
28 spicuum est. Ita etiam in adoratione rerum inanimatarum, seruata proportione, necesse est, vt eæ ab adorante concipiantur, vt aliquo modo præstantiores.

Attamen sicut necesse non est, vt res quælibet adorata sit absolute & simpliciter excellentior eo, qui adorat, vt recte notauit Sanctus Thomas 2. 2. quæstione 103. articulo 2. Alioquin enim nec sanctior minus sanctum nec æqualis æqualem; nec filius aut subditus iustus parentem aut Regem peccatorem; nec vllus imaginem Regis, vel Dei adorare posset: ita etiam opus non est, vt adorans se alteri tanquam vndecunque & absolute superiori vel digniori submittat: satis est, rem adorandam vt quadam sane ratione, & secundum quid excellentiorem apprehendi, vt docet Sanctus Thomas ibidem, iuxta illud ad Philipp. 2. v. 3. *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.*

Vnde Sanctus Thomas cit. quæst. 103. art. 2. ad 3. *In quolibet*, inquit, *inuenitur aliquid, ex quo potest quis eum superiorem reputare, & secundum hoc etiam omnes se inuicem debent honore præuenire*, iuxta Apostolum ad Rom. 12. v. 10. *Honore inuicem præuenientes.* Et ibidem in corp. *Non enim oportet*, inquit, *quod ille qui honoratur, sit excellentior honorante; sed forte quibusdam alijs; vel etiam ipso honorante, quantum ad aliquid, & non simpliciter.* Atque hæc de ratione adorationis vniuersim acceptæ, prout à certo obiecto seu termino abstrahit, dicta sunto.

Ex quibus colligitur primo, adorationem quatuor minimum actus deposcere. Primus est 29
iudicium speculatiuum intellectus de alterius excellentia; qui actus pro diuersitate obiecti, vel ad fidem, aut similem habitum supernaturalem intellectus, vel ad naturalem mentis solertiam & vim cognoscendi pertinet.

Secundus actus est iudicium practicum, seu dictamen intellectus, eidem hic & nunc pro ratione excellentiæ cultum congruum cum debita animi submissione, deferendum; qui est actus prudentiæ.

Tertius est actus voluntatis, huic iudicio consentientis; adeoque submittentis alteri, ac simul actum aliquem alium, velut obiectum ac medium eligentis, quo talis protestatio submissionis fiat, qui actus in adoratione præcipuus est, & velut actus immediate elicitus, ad eam ipsam virtutem obseruantiæ pertinet, qua pro ratione suæ conditionis res aliqua colitur.

Quartus est aliquis actus externus, velut nota submissionis, & vltimate consummãs adorationem; qui actus etiam in recto, ipso nomine adorationis significatur, & dici potest vel per se ac imediate imperatus, vel mediate elicitus eiusdem virtutis. Quam doctrinam fere etiam habet Bellarminus lib. 1. de Sanctis cap. 12. & in simili tradidimus supra generatim de religione agentes quæst. 1. dub. 2. n. 25.

Colligitur secundo, quotuplex sit adoratio. 30
Nam primo adoratio late accepta à S. Thoma quæst. 84. a. 2. duplex constituitur; *interna* videlicet, quam reuerentiam & deuotionem interiorem appellat, qualis etiam in scriptura Angelis tribuitur, Heb. 1. v. 6. altera *externa*. Illa pro obiecto habet ipsos actus fidei, spei & charitatis, quatenus his ipsis nos Deo subijcimus, vt q. 1. dub. 1. suo loco dictum; hæc vero pro obiecto habet actum externum. Qua de causa etiam pleriq; veteres Theologi apud Vasquez de adorat. l. 1. c. 2. n. 190. dixerunt, adorationem pro obiecto habere etiam cultum interiorem, qui fide, spe, & charitate Deo exhibetur, vt etiam loco cit. diximus.

Hicque loquendi modus confirmari potest ex eo, quia etiam oratio, licet iuxta vocis etymon vocalem solummodo orationem significet, quæ solo ore pronuntiatur; nemo tamen facile negarit, orationem mentalem vere & proprie orationem esse, maxime quando actus mere internus nota esse potest submissionis Deo cordium inspectori, non hominibus, vt quæst. præced. cit. dub. 1. dictum.

Sed reuera adoratio proprie dicta, tam ex prima impositione, quam proprio & recepto vsu loquendi, notam externam cuiusdã gestus corporei

denotat

denotat, atque ita proprie nulla datur adoratio mere interna, vt pluribus tradit Vasquez lib. 1. de adorat. cap. 4. & à potiori Bonauentura in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 3. & Maior q. 1. Quo fit vt ea diuisio adorationis tantum sit analogi in analogata.

31 Qualis est etiam illa, qua adoratio externa diuiditur in *externam tantum*, carentem scilicet interna submissione, qualem milites Pilati Christo impie detulerunt; & *mixtam*, seu ex vtraque, interna scilicet & interna, conflatam, quæ sola proprie adoratio est, vt ex dictis constat. Potest tamē alio sensu adoratio proprie etiam in externam & internam diuidi, vt sit diuisio non totius vniuersalis in partes subiectiuas, sed totius integri in partes integrantes, iuxta hactenus dicta n. 29.

Secundo adoratio alia est *sacra* & religiosa, ordinisque supernaturalis; alia *politica* & ciuilis, ac ordinis naturalis; quarum vtraque proprie ac vniuoce dicta adoratio est, vt ex dictis constat num. 25.

32 Tertio adoratio alia est *absoluta*, solius intellectualis creaturæ propria, vt dictum num. 25. alia *respectiua*, quæ rebus etiam inanimatis, propter excellentiam intellectualis creaturæ tribuitur. Quam diuisionem etsi Durandus, Hollcot, Payua, & alij, qui negant, res inanimatas proprie coli, vt inferius dicetur dub. 5. analogam dicere necesse habeant: nobis tamen, qui res etiam inanimatas proprie coli censemus, vniuocam dicere licet, iuxta ea, quæ inferius trademus cit. dub. 5. Quanquā nec id necesse est dicere; cum accidens analogice quidē, sed nihilominus etiam proprie sit & dicatur ens, vt ibidem notamus n. 134.

33 Quarto adoratio alia est *latria*, ac propria excellentiæ diuinæ; alia communi Theologorum vsu appropriato nomine dicitur *dulia* (quo tamen nomine etiam latria nonnunquam per antonomasiam afficitur) & excellentiam creatam respicit, atque essentialiter à priori distinguitur, iuxta S. Thomam 2. 2. quæst. 25. art. 1. & quæst. 81. a. 4. & quæst. 103. & communem; quidquid dixerit Marsilius in 3. q. 8 a. 1. ad 3.

Et hæc quoque diuisio simul & vniuoca est, licet aliter Bellarminus lib. de sanctis cap. 12. & adæquata, si & de habitibus intelligatur, & ad religiosam adorationem non restringatur. Qua notione iam olim S. Thomæ quæst. 103. articulo 3. & 4. vsurpata dulia, rursum in *duliam inferiorem*, & *hyperduliam* diuiditur: sed quæ nomina iam recentiori vsu soli fere adorationi sacræ accommodantur, vt pluribus suo loco dicetur.

34 Colligitur tertio, quid de alijs vocibus sentiendum, quæ cum adoratione affinitatem habent; quales sunt bona existimatio, honor, laus, gloria, cultus, veneratio, reuerentia. *Bona existimatio* sola intellectus recte de altero sentientis actio est, & potest sine cæteris omnibus consistere, cætera autem sine illa minime.

Honor testimonium quodlibet excellentiæ est, ac proinde fere genus ad cætera, quæ subiunximus, iuxta Aristotelem 1. Ethic. cap. 8. & lib. 8. cap. 8. & Sanctum Thomam 2. 2. quæstion. 103. corp. & ad 3. vbi simul recte addit, Deum quidem honorari proprie, ipsosque homines apud Deum etiam sola mente; dum scilicet aliquis recogitat vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram DEO: & vero apud homines honorari neminem posse, nisi accedant signa exteriora, vel verborum, *puta cum aliquis ore pronuntiat excellentiam alicuius; vel factis, sicut inclinationibus, obuiationibus, & alijs huiusmodi, vel etiam exterioribus rebus, puta in munerum oblatione, aut imaginum institutione, vel alijs huiusmodi.*

Laus in verbis consistit iuxta S. Thomam loco citato ad 3. & Gellium lib. 2. cap. 6. Male proinde à Cornelio Frontone definita, *secunda existimatio rectè factorum*, cum addendum fuisset, *verbis expressa*. Alia Aristotelis 1. Ethic. 12. apud S. Thomam loc. cit. inter laudem & honorem distinctio, quasi laus tantum sit circa *bonitatem alicuius in ordine ad finem*; cum honor sit *etiam optimorum, quæ non sunt ad finem*, non est vsu recepta, vt bene notauit Vasquez lib. 1. n. 3. 35

Gloria est frequens de aliquo fama, cum laude, iuxta Ciceronem 2. de inuent. seu vt S. Thomas loc. cit. ex Augustino lib. 83. q. 31. ait, *Præclara cum laude notitia*, quæ prioris effectus est. 36

Cultus seu colere Vasquio lib. 1. n. 5 idem videtur esse, quod honorare; quocirca etiam inferioribus tribui censet. Sed rectius Nonio Marcello idem est, quod venerari, ex communi, vt apparet, recte loquentium vsu, vt etiam dictum superius q. 1. dub. 2. n. 25. Cui præstat auctoritatem Cicero 2. de lege Agraria: *Non eos in Deorum immortalium numero venerandos à nobis, & colendos putatis?* Et 1. de nat. Deorum: *Nam & præstans natura Deorum hominum pietate coleretur, cum & æterna esset & beatissima. Habet enim venerationem iustam, quidquid excellit.*

Porro *venerari*, inquit Paulus Diaconus, *à venia & orando compositum esse videtur.* Insulse satis. Rectius dicitur, esse cum quadam animi submissione honorare, siue per gestum aliquem corporis, eius submissionis indicem, siue alia ratione. Quocirca etiam *laudibus gratijsque aliquē venerari*, dixit Tacitus lib. 12. Eodem modo sacrificijs & votis Deum venerari ac colere vere ac proprie dicimur, non item adorare. 37

Reuerentia proprie interiorem potius affectum submissionis significare videtur, iuxta Sanctum Thomam loc. citat. & quæst. 81. art. 2. ad 1. quam aliquam ipsius notam. Vulgariter tamen pro quauis honoris nota accipitur; & vtrouis modo ab adoratione distinguitur.

Habēt tamen hæc tria præ cæteris supradictis maximam inter se affinitatem. Quocirca etiam à Vasquio lib. 1. num. 4. & 5. idem significare putantur; nec nisi aliquo modo superiori tribuuntur; sicut è contrario bona existimatio, honor, & laus etiam est de æqualibus, aut inferioribus, iuxta Sanctum Thomam citat. quæst. 103. art. 2. Vnde Deus licet honorare Sanctos dicatur, non tamen colere, venerari, aut reuereri. Optime Augustinus lib. cont. serm. Arriani cap. 23. *Honorat omnis, qui adorat; non tamen adorat omnis qui honorat.*

Addit S. Thomas cit. quæst. 103. art. 1. ad 1. reuerentiam *ex vna parte esse primum motiuum ad honorandum, inquantum scilicet aliquis ex reuerentia, quam habet ad aliquem, eum honorat. Ex alia vero parte*, inquit, *est honoris finis; inquantum scilicet aliquis ad hoc honoratur, vt in reuerentia habeatur ab alijs.* Atque hæc de communi ratione adorationis satis.

DVBIVM II.

De adoratione sacra Dei, Christi hominis, & Sanctorum.

S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1. & 3.

POstquam rationem adorationis in genere, eiusque varietatem explicauimus, sequitur, vt
38 speciatim de adoratione sacra, eiusque terminis, hoc est, rebus ijs, quæ pie adorantur, sigillatim agamus.

Cum autem eæ vniuersim duplicis sint generis, quędam scilicet intellectu præditæ, vt sunt Deus, Christus homo, alijq; Sancti; aliæ vero sint rationis expertes, vti sunt reliquiæ & imagines sacræ, aliæque res inanimatæ, prout aliquem ordinem ad Deum, aut alias personas sacras habent; in hoc quidem dubio, solum de adoratione sacra rerum prioris generis, in sequenti vero dubio de adoratione rerum inanimarum agemus.

Primo igitur quæritur, an, qua ratione & vbi Deus sit adorandus.

39 ASSERTIO I. Deum propria quadam, eaque omniũ perfectissima & excellẽtissima adoratione latriæ adorandum esse, non solum positiuo, sed etiam naturali præcepto, euidenter constat. Est extra controuersiam, & quantum ad præceptum diuinum spectat, constat ex scriptura Deuteron. 6. v. 13. & Matthæi 4. v. 10. *Dominum Dtum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Præceptum diuinũ naturale colligitur ex ipsa ratione naturali, qua constat, cuique personæ seu naturæ intelligenti & sanctæ, pro ratione suæ excellentiæ ac dignitatis, condignum adorationis honorem esse tribuendum. Cum ergo Deus, sit natura summæ ac infinitæ excellentiæ ac dignitatis, fatendum est, eum propria quadã, & quidem perfectissima ac excellentissima adoratione esse colendum. Quæ quidem non est a-
40 lia, quam adoratio *latriæ*, siue *Religionis*: siquidem latrię vox proprie significat actum seruitutis soli Deo tanquam summo omnium Domino debitæ; cum adoratio, quæ hominibus vel Angelis tribuitur, solum sit actus *duliæ*, vt dictum dub. præced. n. 33. & declarauit Augustinus l. 1. de Trinitate cap. 6. vbi ait: *Iubemur non seruire creaturæ, sed Creatori* (Rom. 1. v. 25.) *non eo modo, quo iubemur per charitatem seruire inuicem* (Galat. 5. v. 15.) *quod est græce δουλεύειν, sed eo modo quo tantum Deo seruitur, quod est græce λατρεύειν. Vnde idololatræ dicuntur, qui simulachris eam seruitutem exhibent, quæ debetur Deo. Secundum hanc enim seruitutem dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Nam & hoc distinctius in græca scriptura inuenitur* λατρεύσεις *enim habet.*

ASSERTIO II. Adoratio Dei propria, non ex ipso ritu externo adorationis, corporisque gestu, 41
sed interna animi demissione ac reuerentia desumitur. Ita Gregorius de Valentia hic q. 3. punct. 2. & Vasquez lib. 1. de adoratione num. 90. conuenienter S. Thomæ cit. quæst 84. a. 1. ad 1. ex communi. Probatur ex dictis dub. præced. num. 11. & 26. ex quibus constat, infimos quosque adorationis gestus, puta corporis prostrationem, flexionem genuum. &c. etiam hominibus recte fuisse exhibitos; vti speciatim liquet Genes. 33. v. 3. quando Iacob adorauit Esau, *pronus in terram.* Et Genes. 43. v. 26. & cap. 50. v. 18. Filij Iacob *adorauerunt Ioseph proni in terram.*

Ratio est; quia cum in adoratione quiddam quasi materiale sit ipse ritus seu gestus corporis, non est necesse, vt per eum ipsum adoratio Dei propria discernatur ab ea, quæ creaturis exhibetur. Quo fit, vt quoad externum præcise ritum, nulla adoratio, seu naturali & diuino præcepto, seu perpetua & inuariabili consuetudine, seu positiua aliqua lege, ita Dei propria sit, quin etiam alijs rebus communis esse possit, adeoque nulla adoratio præcise ex nota exteriori discerni possit, an sit latriæ, vel duliæ.

Quamquam indecens apud nonnullos mundi seruos abusus est, demissiori corporis gestu venerari homines, quam Deum; quod etiam notauit Augustinus lib. 10. de ciuit cap. 4. & ex eodem S. Thomas cit. q. 84. a. 1. ad 1.

E contrario vero cum interna animi submissio 42
ac reuerentia quasi anima sit & vita adorationis, ratioque formalis, qua externus adorationis motus quasi determinatur, necesse est, eam ita Dei propriam esse, vt absque manifesta idololatria nulli creaturæ tribui vnquam possit, eo modo, quo Deo tribuitur, vt recte S. Thomas loc. cit. Respondet enim hæc demissio rationi formali obiecti, seu termini adorationis, hoc est, excellẽtiæ rei adorandæ, quæ vtiq; Deo propria est; nec vlli creaturæ secundũ se comunicabilis.

ASSERTIO III. Ratio formalis, ob quam Deus proprie adoratur, est ipsa excellentia diuinæ 43
dignitatis seu ratio primi principij; quæ proinde vnum specie adorationis cultum ad virtutẽ religionis pertinentem constituit. Ita Vasquez l. 1. de adorat. disp. 2. Lessius de relig. n. 50. post S. Thomam q. 81. a. 3. Alensem, Gabrielẽ, & comunem, contra Cordubam l. 1. q. 5. dub. 2. qui pro diuersis quibusdã attributis Dei diuersos adorationis actꝰ assignat. Probatur & declaratur assertio. Ratio enim formalis, ob quã Deus proprie adoratur, non est bonitas Dei; hanc enim charitas respicit: nec cætera attributa singula; quãdo singula nõ continẽt formaliter excellentiã vndequaq; infinitam, sed infinitam solum *in suo genere*, vt suo loco tomo 1. disp. 2. dictum: Ergo necesse est, vt sit ipsa infinita excellentia ac dignitas diuinæ naturæ, contenta in ipsa ratione primi principij, in quo includuntur omnes omnium attributorum perfectiones.

Quo fit, vt quamuis alijs atque alijs Deum co- 44
lendi modis alia etiam atque alia attributa diuina expressius & significantius honorentur;

Sacrificium enim respicit Deum, vt Dominum omnium & auctorem vitæ & mortis: *oratio*, vt infinite potentem & liberalem: *iuramentum*, vt fidelem & veracem, &c. vt post Augustinum q. 94. in Exodum & Glossam in illud psalmi 7. *Domine DEVS in te speraui*, notarunt Vasquez n. 54. & Lessius n. 27. nihilominus tamen vnicus sit adorationis cultus, ad vnicam specie virtutem religionis pertinens, vt etiam de religione generatim dictum quæst. præced. dub. 2. n. 36.

45 Assertio IV. Licet ex natura rei, adeoque per se & physice loquendo, Deus non solum in homine, sed etiam in quauis alia re creata, tanquam in vestigio quodam aut imagine sua recte adorari posset; reipsa interim vere ac proprie non adorata, sed coram ipsa exercendo signa diuini honoris, eaque ad rem ipsam applicando: tamen moraliter loquendo, nec publice res quælibet in hunc vsum recte proponeretur; nec priuatim etiam in qualibet recte Deus adoraretur; tum ob periculum scandali & erroris; tum ob speciem superstitionis & indecentiæ. Ita conuenienter S. Thomæ quæst. 84. art. 1. ad 1. docent Paludanus in 3. distinct. 9. quæst. 1. Caietanus 2. 2. q. 103. art. 3. ad 4. Vasquez lib. 3. disp. 1. cap. 1. & 2. contra Alensem 3. part. quæst. 30. mem. 3. a. 2. & Waldensem tom. 3. cap. 156. qui negarunt, etiam per se loquendo, Deum in quauis re creata recte adorari posse.

Ratio primæ partis est; quia cum Deus per quamlibet creaturam etiam vilissimam ac minimam, tanquam per vestigium quoddam repræsentetur, ac simul in ea intime præsens inexistat, quantum præcise est ex natura rei, nihil obstat, quo minus Deus in re qualibet, vti per intellectum præsens omnique honore dignus agnoscitur, ita etiam per affectum voluntatis, cum debita reuerentia colatur.

46 Quia tamen res quædam, secundum humanam existimationem, vilissimæ sunt, ac prorsus fœdæ; aliæ vero ob ipsam dignitatem suam & excellentiam, etiam per se ac proprio cultu dignæ sunt, idcirco quo minus in rebus prioris generis Deum externa adoratione colamus, obstat indecentia; respectu autem posterioris generis, obstat tum species quædam superstitionis, tum periculum scandali & erroris; ne videlicet per se diuino cultu colantur, aut coli videantur, vt in secunda parte assertionis dictum est. Ita etiam Ionas Aurelianensis lib. 1. de adorat. imaginum negat, colendum esse aut asinum, in quo Christus equitauit, aut manum eorum, qui Christum crucifixerunt, &c. Eandem rationem reddit S. Thomas infra quæsito 3.

47 Assertio V. Tametsi quidem adoratio per se ac principaliter non requirat determinatum locum; tamen secundum quandam decentiam, etiam peculiaria loca communi ac publicæ adorationi destinantur. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. Et colligitur ex Isaiæ 56. v. 7. Lucæ 19. v. 46. *Domus mea, domus orationis est.* Ratio est: quia adoratio potissimum cõsistit in interiori deuotione mentis, quæ Deum apprehendit *quasi non comprehensum aliquo loco*; cui proinde independenter & sine respectu loci, vbique reuerentia potest exhiberi, vt etiam de oratione dictum quæst. 1. dub. 4. num. 123.

Nihilominus tamen determinatus locus destinatur adorationi, præsertim publicæ & communi, non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur, sed propter ipsos adorantes: Et hoc *triplici ratione*, inquit S. Thomas cit. a. 3. ad 2. *primo quidem propter loci consecrationem, ex qua specialem deuotionem concipiunt orantes, vt magis exaudiantur: sicut patet ex oratione Salomonis 3. Regum 8.* 48 *Secundo propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertio propter concursum multorũ adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundũ illud Matthæi 18. vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.*

Quin etiã secundum quandam decentiam, ac morem veteris Ecclesiæ, adoramus *versus orientem*, quem veteres Ecclesiæ plerunq; respiciunt. *Primo quidem* inquit S. Thomas ibidem ad 3. *propter diuinæ Maiestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cæli; qui est ab oriente. Secundo propter paradisum in oriente constitutum, vt legitur Geneseos 2. secundum literã LXX. Interpretum: quasi quæramus ad paradisũ redire. Tertio propter Christum, qui est lux mundi, & oriens nominatur, Zachariæ 6. Et qui ascendit super cœlum cœli ad orientem, psalm. 67. & ab oriente etiam expectatur venturus, secundum illud Matth 24. Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsq; ad occidentem; ita erit & aduentus filij hominis.* Hæc S. Thomas.

Quæritur secundo, an & qua ratione Christus homo sit adorandus. 49

Respondeo, hac de re ex instituto agi cum S. Thoma in 3. part. q. 25. & à nobis tomo 4. disp. 1. q. 7. dub. 7. Interim hoc loco breuiter supponimus sequentia.

I. Christum hominem, cum simul & Deus sit, eadem adoratione, qua Deus adoratur, adeoque perfectissima latria adorandum esse, vt constat ex Concilio Ephesino can. 8. & V. Synodo collat. 8. can. 9. & Cõcilio Tridẽtino sess. 13. c. 5. & cã. 6.

II. Etiam Christum vt hominem, si vocula *vt* 50 non reduplicatiue, sed specificatiue accipiatur; adeoque humanitatem Christi simul cum Verbo eadem adoratione latriæ recte simul coli & adorari; sed diuersa ratione. Quia Verbum est adorationis seu latriæ obiectum *per se, absolutum*, & *primarium*, intrinsece continens rationem adorandi: at vero humanitas tantum est obiectum eius adorationis *materiale*, & quidem *secundarium* tantum, & quasi *respectiuum*; hoc est, quod propter excellentiam non propriam sibi, sed quasi alienam ita colitur; ita vt solum ex consequenti & per aliud ita colatur. Quemadmodum corpus vna cum persona qualibet recte simul colitur, etiamsi excellentia, propter quam colitur, sit in anima, non in corpore. Ita cum S. Thoma 3. part. q. 25. a. 1. & 2. habet communis Doctorum sententia, quidquid pauci quidam apud Vasquez l. 1. de adorat. n. 26. in contrarium dixerint.

III. Fatendum nihilominus, Christum præcise vt hominem, adeoque etiam humanitatem ipsius secundum se nude spectatam; recte subinde coli posse, (passim enim ita coli, nec decet, nec 51

expedit, cũ regulariter res sumo, quo potest cultu colenda sit) inferiori aliquo cultu; quẽ cõmuniter *hyperduliam* vocant: in quo ratio colendi sit dignitas eius & excellentia creata, nempe vel ipsa gratia vnionis, quo casu à quibusdã hic cultus vocatur etiam *latria* quædam *imperfecta*, & secundum quid, ac probabiliter ab ipsa virtute religionis procedit; vel gratia habitualis, & sanctitas creata animæ eius inhærens; quo casu etiam proprie *hyperdulia* vocatur; at iuxtam veriorem habitu non differt à dulia cæteris Sanctis delata.

Ita fere docet S. Thomas 3. part. q. 25. a. 2. vbi ait: *Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum: & sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed adoratio duliæ: ita scilicet quod vna & eadem persona CHRISTI adoretur adoratione latriæ, propter suam diuinitatem, & adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis.* Vbi dulia non potest non cultum latria inferiorem significare; quidquid de dulia in alio significatu subnectat. Idemq; ex cõmuni docent Suarez 3. part. tom. 1. disp. 53. sect. 2. & 3, Valentia ibidem q. 24. pun. 1.

52 Ratio est. Nam ex vna parte etiam ipsa humanitas Christi secundum se, quatenus excellenti dignitate creata & eximijs gratiæ donis, supra omnem puram creaturam eminet, honore vtique & cultu aliquo digna est; neque tamen vt sic digna est supremo cultu latriæ soli DEO debito, cũ ea ratio excellentiæ duntaxat sit creata, vt dictum; ex altera vero parte, sicut absurdum non est, quando CHISTVS colitur latria, simul etiam coadorari humanitatem; ita absurdũ quoq; non est, Christo vt homine adorato, ex consequenti, & quasi per accidens, eodem minori cultu coadorari diuinitatem, & omnia, quæ cum Christo homine re ipsa coniuncta sunt. Ergo nihil obstat quo minus humanitas Christi, seu Christus vt homo & secundum humanam naturam colatur inferiori cultu.

Nec obstat Concilium Ephesinum anathematismo 8. eiusdemue expositio in Concilio V. Constantinop. collat. 8. can. 9. nec alij Patres, dum vnam tantum Christi adorationem assetunt, & duas damnant. Agunt enim isti solũmodo contra Nestorianos, diuidentes personas in Christo, adeoq; etiam adorationes ex parte personæ, velut totalis termini adorationis, duplicantes. Non autem agunt contra eos, qui cum vnam Christi adorationem ex parte personæ, tanquam termini completi & totalis agnoscant, adorationẽ Christi solum duplicant secundum duplicem adorandi rationem, vel in ordine ad duos terminos incompletos, aut vnum completum, & alterum incompletum, vt pluribus persequitur Suarez cit. disp. 53. sect. 2.

53 IV. Quod si humanitas Christi re ipsa à Verbo separata poneretur, nec ipsi quidẽ cultus condecens esset denegand⁹. Et vero spectata secundum excellentiam quandam mere respectiuam, quæ nihil aliud est, quam habitudo ad Verbum, cui erat vnita, coli posset instar alicui⁹ sacrę reliquię, adeoq; secundario & per accidens etiam eodem cultu cum ipso Verbo, cui per cogitationem coniungitur, iuxta ea, quæ de cultu reliquiarum & imaginũ dicemus du. 5. Spectata vero secundum excellentiam & dignitatem absolutã & intrinsecam, adorari posset ea adoratione, quæ ei debetur ppter creata & habitualia dona gratiæ & gloriæ; non tamen ea, quæ debetur eidem propter gratiam vnionis, vt fuse declarant Suarez loc. citat. sect. 3. & Vasquez de adorat. lib. 1. n. 59. & ex dictis colligitur.

V. Errauit igitur Wicleffus apud Waldensem. 54
to. 1. doct. fid. a. 3. c. 44. dum asseruit, Christi humanitatem à verbo diuisam, in propria persona, adorandam esse adoratione perfectæ latriæ, ob beneficium redemptionis: quin potius etiã nunc de facto, nulla facta separatione reali humanitatis à Verbo, hoc redemptionis titulo Christus præcise vt homo (cum vt sic non sit Redemptor, vt prima causa simpliciter, sed tantum vt prima secundum quid, nempe in ratione meriti & satisfactionis) non potest perfecta latria coli, sed minori cultu; ad eum reuocando, qui eidem debetur ob gratiã vnionis, qua tota Redemptoris dignitas nititur, vt recte Suarez cit. sect. 2. & 3.

Plura cum S. Thoma 3. par. q. 25. vbi simul etiam declarabimus, an Christus etiã in cœlis ppriè ac formaliter oret, idq; vt faciat à nobis inuocari possit. Sicut etiam de adoratione Christi in Sacramento, ipsiusq; adeo Sacramenti Eucharistię adoratione agendum est ibidem, in materia de Eucharistia.

Quæritur tertio, an & qua ratione tum B. Virgo, tum cæteri Sancti adorandi sint. Respondeo (præter ea, quæ de adoratione B. Virginis dicemus cit. tom. 4. disp. 1. q. 7. dub. 7.) sequentibus assertionibus. 55

ASSERTIO I. Cum Sanctis omnibus, tum præcipue Matri Virgini adoratio plusquam ciuilis, adeoq; sacra seu *religiosa* (nõ religionis, seu latriæ) iure debetur. Est de fide ex II. Synodo Nicęna act. 2. 3. & 4. & Concilio Tridentino sess. 25. Decreto de inuocat. veneratione, & reliquijs Sanctorum, &c. Ratio est; quia prædita sunt excellentia quadam supernaturali & sacra; cui itidẽ nõ nisi sacra adoratio respondet. Idem ex simili patet ex dictis quæst. præc. du. 4. vbi probauimus, Sanctos recte inuocari.

ASSERTIO II. B. Virgo proprie colitur cultu 56
hyperduliæ: idq; duplici titulo; nempe & maternitatis, seu cuiusdam proximæ Consanguinitatis cum Christo Filio Dei; & singularis sanctimoniæ ac gloriæ, qua super omnes Angelorum choros euecta est. Prima pars est cõmunis Doctorũ, apud S. Thomam 2. 2. q. 103 a. 4. ad 2. & Suarez 3. par. to. 2. du. 1. sect. 2. qui etiam consanguinitatẽ illam cum Christo Filio Dei *affinitatem cũ Deo* recte appellant, etsi neget Vasquez l. 1. de adorat. n. 22. Ratio est; quia hyperdulia est potissima species duliæ cõmuniter sumptæ, & vt ex ipsa notione nominis patet, duliã, quæ cæteris Sanctis debetur, excellentior. Iure ergo debetur Matri Dei, quæ hac ipsa dignitate Sanctos omnes plurimum superat.

Poste-

Posteriorem partem assertionis recte tradit Vasquez lib. 1. de adorat. n. 186. etsi Paludanus in 3. dist. 9. q. 2. respectu singularis sanctimoniæ, Sanctus Thomas autem loc. cit. & 3. part. q. 25. art. 5. Caietanus ibidem, & Gabriel lect. 49. in Canonem, ob consanguinitatem seu affinitatem illam, cultui B. Virginis nomen hyperduliæ potissimum tribuere videantur. Ratio est; quia vtroque titulo B. Virgo excellentia & dignitate cæteris omnibus Sanctis longo interuallo antecellit, siue interim cultus ille sit eiusdem speciei cum cultu aliorum Sanctorum, siue non, de quo dub. sequenti.

57 Assertio III. Esto vero ex probabili quorundam Doctorum sententia, dignior adoratio debeatur B. Virgini, tã propter eximiã vitæ sanctitatem, quam propter Maternitatem, & sanguinis cum Christo coniunctionem: nihil tamen obstat, quominus posterior hic cultus à virtute religionis procedat; cum alter ille non sit specie diuersus à cultu duliæ, alijs Sanctis deferri solito.

Primam partem absolute tradit Vasquez lib. 1. de adorat. num. 102. ex Augustino tract. 10. in Ioannem, & epist. 38. & lib. de virginit. cap. 3. Iustino q. 136. Cypriano serm. de Passione Domini; etsi cum alijs absolute contrarium sentiat Suarez 3. part. tom. 2. disp. 1. sect. 2. Ratio eius sententiæ sumitur tum ex illo Lucæ 11. vers. 28. *Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; vbi sanctitas præferri videtur titulo maternitatis. Tum quia moraliter maior & dignior est coniunctio filiationis adoptiuæ, & amicitiæ cum Deo, quam carnalis consanguinitatis, quæ absolute etiam in homine peccatore esse poterat. Ex quibus satis patet probabilitas eius sententiæ: quamuis opposita sententia Suarez, & aliorum forte sit probabilior, vt dicetur tomo 4. disp. 1. q. 7. dub. 7.

58 Posteriorem partem indicat Suarez loc. citat. licet Sanctus Thomas, alijque Theologi locis cit. hyperduliam absolute videantur constituere habitum & virtutem distinctam, tam à latria, quam à dulia, qua cæteri Sancti coluntur. Ratio est; quia cultus ille prior totus est respectiuus, eiusque principalis ratio obiectiua est Verbum incarnatum, adeoque excellentia increata, quæ religionis virtute colitur. Ratio autem obiectiua posterioris cultus non differt à ratione obiectiua duliæ, qua cæteri Sancti coluntur, nisi secundum magis & minus, quæ non constituunt differentiam essentialem.

59 Assertio IV. Præter dupliceem illam cultus rationem, potest B. Virgo, quantum saltem est ex ipsa rei naturâ, adorari *per accidens*, simul cum ipso Deo, cui per cogitationem coniungitur, etiam cultu, qui sit perfectæ latriæ; inquantum cõcipitur vel vt eximia quædam imago Dei; vel quasi per modum excellentissimæ cuiusdam reliquiæ sacræ, ob Sanctissimum & peculiarem contactum Filij Dei: etsi ratione scandali & periculi errandi, hic cultus communiter non sit adhibendus. Ita docent Caietanus 3. part. quæst. 25. art. 3. Vasquez lib. 1. de adorat. à num. 196. alijque recentiores. Et ad sensum posterioris partis assertionis, recte intelligitur Sanctus Thomas 3. part. quæst. 25. art. 3. ad 3. & art. 5. cum absolute negat, B. Virginem, aut vllam creaturam rationalem, etiam per accidens latriæ cultu colendam. Expresse enim erroris occasionem velut causam assertionis prætexit. Verba eius sunt cit. art. 3. ad 3. *Creaturæ rationali debetur reuerentia propter seipsam: & ideo si creaturæ rationali, in qua est imago DEI, exhiberetur adoratio latriæ, posset esse erroris occasio, vt scilicet motus adorantis sisteret in homine, inquantum est res quædã, & non referretur in DEVM, cuius est imago. Quod non potest contingere de imagine sculpta, vel picta in materia sensibili.* Ita Sanctus Thomas, qui tamen hic quæstione 84. articulo 1. ad 1. expresse fatetur, Deum etiam in Angelis repræsentantibus Deum, in veteri testamento potuisse coli latriâ. Ratio sumitur ex dictis quæsito 1. assert. 4. & magis patebit ex ijs, quæ de cultu imaginum & reliquiarum dicentur dub. 6.

Assertio V. Sanctorum cultus sacer in genere quintuplex distingui potest. Declaratur assertio. Primus enim ille est, quo coluntur solum improprie; eo quod Deus in illis colatur, velut in sua creatura & imagine; qui vtiq; latriæ cultus est. Et tametsi hic cultus vt in alijs rebus creatis, per se & ex sua natura non est illicitus, moraliter tamen & regulariter erga Sanctos non est adhibendus, vt speciatim de B. Virgine dictum assert. præcedenti. 60

Secundus cultus est, quo coluntur ipsi velut templa, serui, filij, amici, & domestici Dei, ob excellentiam Dei increatam; qui cultus respectiuus est, & ex veriori sententia, quamuis vera & perfecta latria non sit, sed eà multo inferior, ad ipsam religionis virtutem pertinet, vt docet etiam Lessius l. 2. c. 36. dub. 2. n. 15. & dictum in simili assert. 3. quiquid Vasquez l. 1. de adorat. n. 166. neget, eum cultũ ad virtutẽ religionis pertinere.

Tertius cultus est, quo coluntur ob intrinsecam & absolutam excellentiam gratiæ ac donorum spiritualium; qui cultus proprie ad dulię virtutẽ pertinet, à religione distinctã, iuxta cõmunẽ; quia habet rationem colendi diuersam à latria.

Quartus, quo coluntur velut capaces eiusmodi donorum, & ad ea diuinitus destinati; quæ dignitas Sanctis cum impijs communis est; & erga hos, quam illos maiori ratione vsurpabilis; cum in illis inueniatur excellentior ratio colendi; nõ autem in impijs. Atque hic cultus habitu à priori non differt; cum primaria ratio colendi sit eadem.

Quintus cultus est, quo coluntur ob officia seu munera sacra, quæ iuxta diuinam ordinationem in Ecclesia obeunt: vt Sacerdotis, Episcopi, Vicarij Christi &c.

Et in his rursum distinctione videtur opus. Nã vti Legatus Regis (quod recte notauit Bellarminus lib. 2. de cultu imag. cap. 20) dupliciter coli solet. Primo quidem perinde, ac si Rex ipse esset, honore plane regio: quod tunc præcipue vsuenit, cum Legatus sui Regis nomine matrimonium contrahit, aut possessionem accipit, 61

Deinde iuxta propriam dignitatem Legati, à regia veluti deriuatam, cultu quodam inferiori: ita in proposito Vicarius CHRISTI duplici potest honore coli. Primo per simplicem mentis apprehensionem agnoscendo quodammodo in illo Christum, cuius personam & munus sustinet: & hoc modo, eodem cultu, quo Christus vt homo colitur, adorari posset; ita quidē vt talis cultus proprie ac per se ad Christū, per accidens vero solum, & relatiue ad eius Vicarium tenderet: quod tamen honoris genus existimo consuetum
62 non esse. Secundo iuxta propriam dignitatem Vicarij, à CHRISTI dignitate, quam vt homo & supremus Ecclesiæ moderator habet, deriuatam, honore quodam inferiori: quem ipsum tamen ad eum habitum pertinere censeo, quo Christus itidem vt homo colitur, vt paulo antea n. 60. in simili dictum. Eadem est ratio aliorum officiorum seruata proportione.

Potest vero tertio in his officijs considerari ordo non ad superiorem Deum, vel Christum, sed ad inferiores, quorum salutem & supernaturalem perfectionem spectant, vt est ratio Doctoris, Pastoris, seu Magistri spiritualis. Et sub hac ratione, ij qui his officijs funguntur, videntur coli eodem habitu, quo subditi ipsi coluntur, ob similem perfectionem; cum ratio primaria cultus, quæ nimirum est ipsa supernaturalis salus & perfectio in subditis procuranda, (abstrahendo ab eius applicatione) vtrobique videatur eadem.

Ratio vero generalis totius huius assertionis ac doctrinæ est; quia cultus sacer seu religiosus, in genere est, ac dicitur ille, qui pro ratione obiectiua habet rationem seu perfectionem sacram. Talis vero varie reperitur in hoc omni, quem diximus, Sanctorum cultu, vt explicatum est.

63 Atque ex dictis nonnulla inter eas virtutes, quibus DEVM ac proximum supernaturaliter amamus vel colimus, similitudo & differentia facile colligitur. Conueniunt primo. Quia sicut virtus illa qua Deus propter suam excellentiam colitur, distincta est ab ea virtute, qua colitur Sanctus propter suam, non diuinam excellentiā: ita etiam charitas, qua Deus propter se amatur, distincta virtus est ab ea, qua amatur proximus propter seipsum; quæ quidem nec est virtus aliqua generalis, nec virtus aliqua supernaturalis à spe & charitate distincta; sed vel habitus amicitiæ naturalis, vel ipsa virtus spei; per quam & nobis, & proximo, prout vnum quiddā nobiscum est, diuinum bonū volumus, vt dictum superius de charitate disp. 2. q. 2. dub. 2.

64 Secundo. Vt virtus, qua colitur res creata, propter increatam excellentiam Dei, eadem est cum virtute religionis; ita charitas, qua amatur Deus propter se, & proximus propter Deū, idem habitus charitatis est.

Tertio. Vti per charitatem amatur, non solum Deus, sed etiam reliqua omnia propter Deum; etiamsi in se proprie ac intrinsece rationem formalem obiecti charitatis, quæ est diuina & increata bonitas, non habeant: ita etiam per religionis virtutem non tantum colitur Deus, sed etiam alia quædam propter diuinam excellentiam, etiamsi in se formaliter & intrinsece hanc non participent.

Quarto. Sicut tamen amor ille, respectu aliarum rerum rationis expertium, formaliter non est amor amicitiæ, sed potius concupiscentiæ: ita honor iste respectu aliarum rerum extra Deum, non est perfectus honor latriæ, sed cuiusdam inferioris cultus; etiamsi interim ab eadem virtute religionis prodeat, ac etiam materialiter ac reipsa vnus idemque cultus sit, vt magis declarabitur dub. 4. & 6.

Differunt autem primo; quia amor proximi 65
præcipue commendatus & vsitatus, est is ipse amor, quo proximus diligitur propter Deum. Honor vero seu cultus quo Sancti coluntur, maxime vsitatus est ille, quo coluntur propter creatam suam excellentiam, quando hæc vel maxime propria est cuiusque Sancti excellentia.

Secundo differunt; quia dum Sancti amantur propter intrinsecam perfectionem gratiæ, amantur eodem habitu charitatis quo Deus amatur: at vero ob eandem perfectionem coluntur habitu à religione distincto, vt dictum etiam superius quæst. 1. dub. 2. vbi etiam eius rei rationes assignauimus. 66

Et ad vtrumque hoc discrimen sæpius respexit S. Thomas speciatim 2.2. quæstio. 25. articulo 1. ad 2. & quæstio. 8. art. 4. ad 3. & q. 130. a. 3. ad 2.

Ratio generalis vtriusq; diuersitatis esse videtur: quia in perfectione gratiæ, inquantum bonitas quædam supernaturalis est, hoc præcipue attenditur; quod hominem ad Deum ordinat, eique nos amicos facit, qua ratione ipsam formalem rationem obiecti charitatis induit: at vero eadem perfectio, prout honoris obiectum est, spectatur proprie & formaliter, non vt ipsum hominem Deo gratum facit; nec vt diuinæ excellētiæ quædam particula vel imago est: sed vt absoluta quædam perfectio & excellentia, hominis propria est; quæ proinde vt sic ratione formalem obiecti religionis non induit. Idem indicat Sanctus Thomas loc. cit.

DVBIVM III.

De adoratione sacra Reliquiarum, Imaginum, & rerum sacrarum inanimarum, an sint adorandæ.

S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1. & 3. part. q. 25. a. 3. 4. & 5.

67 EST hoc alterum genus rerū sacrarum, de quibus quæri potest, an & qua ratione sint adorandæ vel colendæ, cultu etiam sacro & religioso, de qua re quidem nihil hic particulatim agit S. Thomas, sed in 3. part. loc. cit. Sed quia proprie ad materiā de adoratione pertinet, nobis hoc loco tractanda est visa; & primo quidem hac dubitatione solum quoad quæstionem an est: de modo vero eiusdem cultus agetur dubijs sequentibus.

ASSERTIO

68 Assertio I. Ex fide constat, atque inter omnes Catholicos conuenit, Sanctorum reliquias & imagines, aliaque sacra monumenta, aliquatandem ratione honoranda & veneranda esse. Ita S. Thomas cit. 3. part. articulo 3. 4. & 6. alijque Doctores Catholici oñes, cõtra veteres ac nouos Iconomachos huiusque temporis Sectarios: qui in hac re omnes conueniunt, imagines sanctorum non esse colendas: tametsi nonnulli, contra quos disputat etiam VII. synodus imagines saltem ad memoriam habendas & retinendas esse dixerint: quod etiam docent libri Carolini, de quibus infra. Sicut etiam Lutherani hodie à Caluinistis differunt, quod isti imagines simpliciter abolendas; illi nonnisi ad recordationem retinendas astruant.

69 Constat vero assertio ex pluribus Concilijs, speciatim ex Synodo VI. canone 82. Synodo VII. seu Nicæna II. act. 7. quæ pro imaginum SS. cultu ex instituto celebrata fuit, item ex *Concilio Romano, sub* Gregorio III. & Stephano III. & denique ex Concilio Tridentino sess. 25. in proprio decreto, his verbis: *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium sancta corpora, quæ viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur*, (docendum est:) *ita vt affirmantes Sanctorum reliquijs venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaq; sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari, atq; eorum* (de reliquijs & monumentis sacris loquitur) *opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse; prout iam pridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisq; debitum honorem & venerationem impertiendam &c.*

Idem probatur ex scriptura Exodi 25. v. 22. & 70 cap. 37. v. 7. & Numeror. 7. v. 89. & 3. Regum 6. v. 23. vbi duo Cherubim in oraculo arcæ ita positi fuerunt, vt adorantibus Deum, in arca repręsentatum, vna cum ipso Deo obijcerentur, adeoq; simul quodammodo condorarentur. Idem patet ex illo psal 89. v. 5, *Adorate scabellum pedum eius.*

71 Accedit perpetuus vsus Ecclesiæ, miraculis confirmatus. Christus ipse imaginem suam ad Abagarum Edessæ Regẽ, vtiq; in honore habendam misit, quæ sæpe postea miraculis coruscauit, apud Baronium Anno 31. & Anno 545. 586. 610. 621. 678. 944. Item Christo viuente, mulier à sanguinis fluxu per eum curata, imaginem Christi ex ære fusam erexit Panneade; quæ ad trecentos & amplius annos, vsque ad Iuliani Apostatæ tempora, conseruata, omnis generis morbos curauit, apud Eusebium libro 7. cap. 14. De Christi imagine, effigie pastoris ouem perditam referentis, sculpi solita, testatur Tertullianus de pudicit. cap. 6. & 10. Et videri possunt hac de re Paulinus epist. 12. & Natali 9. & 10. S. Felic. Basilius orat. in S. Barlah. Gregorius Nyssenus orat. in Theol. Augustinus l. 1. de cõsensu Euang. c. 10. & alij. Plura etiã de hoc argumento disserui in Anatomia Conf. August. demonstrat. 9. §. 5.

Ratio assertionis est; quia valde consentaneum est humanis moribus, ipsiq; rationi naturali, etiam imagines eorum colere & venerari, qui aliqua excellentia pollere videntur; quandoquidem in imagine, illi ipsi quorũ imago est, repræsentantur & honorãtur: sicut è cõtrario magna ei cõtumelia irrogari cẽsetur cui? imago dehonestatur.

Assertio II. Præceptum hoc de honorandis imaginibus, quantum ad id, quod in eo est negatiuum, ne videlicet à quoquam dehonestentur, cõstat ipso iure naturali: quoad ipsum vero vsum & cultum positiuum in Ecclesia, constat ex traditione Apostolorum. Prior pars patet ex dictis. 72

Secundam partem tradit S. Thomas q. 25 a. 3. ad 4. vbi cum obiectum fuisset, nihil videri in cultu diuino faciendum, nisi quod est à Deo institutum; neque tamen vllam traditionem in scriptura inueniri de adorandis imaginibus, respondet his verbis: *Apostoli familiari instinctu Spiritus Sancti quædam Ecclesijs tradiderunt seruanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in obseruatione Ecclesiæ, per successionem fidelium. Vnde ipse Apostolus dicit 2. ad Thess. 2. State & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, scilicet ore prolatum, siue per epistolam, scilicet scripto transmissam. Et inter huiusmodi traditiones est imaginum Christi adoratio. Vnde & B. Lucas dicitur depinxisse Christi imaginem, quæ Romæ habetur.* Ita S. Thomas.

Ratio est; quia absolute fieri potuisset, vt nullus in Ecclesia esset imaginum sacrarum vsus, saltem ad venerationem pertinens: siquidem iuris & præcepti naturalis non est, imagines fabricari, etiam eorum, quos maxime veneramur.

Assertio III. Sed & imagines etiam ipsius Dei, ac SS. Trinitatis recte construuntur, & ad cultum ac venerationem proponuntur. Ita communis Doctorum sententia, etsi necdum ex fide certa, apud Waldensem to. 3. doctrin. cap. 155. Paludanum in 3. distinctione 9. articulo 2. Caietanum 3 part. q. 25. a. 3. Catharinum opusc. de adorat. imagin. Andradium Payuam lib. vltim. defensionis Concil. Trident. Sanderum lib. 1. de imag. cap. 4. Turrianum lib. 3. de charact. dogm. Molanum cap. 3. de picturis, Bellarminum l. 2. de Ecclesia triumphante cap. 8. & Vasquez lib. 2. numero 45. quidquid in contrarium dixerint non solum Wicleffus apud Waldensem loc. cit. & Caluinus lib. 5. Institut. cap. 11. sed ex Catholicis olim etiam Henricus quodl. 10. q. 6. Durandus in 3. dist. 9. q. 2. ad 4. Abulensis in c. 4. Deuteron. q. 5. & Aiala de traditionibus 3. par. tract. de imag. qui imagines Dei siue Trinitatis absolute vt illicitas reiecerunt: quæ sententia licet nõ plane hæretica, temeraria tamen merito censetur apud citatos. 73

Probatur assertio, tum ex recepto palã Ecclesiæ vsu; tum ex Concilio Trident. loc. cit. quod vti eiusmodi imagines absolute faciendas, aut retinendas non præcipit, ita nec prohibet: imo vero potius & ipsas, & ipsarũ etiam proinde cultũ approbat inferius his verbis; *Nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quod si aliquando historias & narrationes sacræ scripturæ, cum id indoctæ plebi expediret,* 74

exprimi

exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.

Ratio assertionis est; tum quia in veteri testamento, per varias corporearum rerum imagines DEVS olim repræsentatus fuit; tum quia speciatim Danielis 7. v. 9. DEVS sedisse & apparuisse dicitur, tanquam *antiquus dierum, cuius vestimentum candidum quasi nix, & capilli capitis quasi lana munda*: Cur non ergo ita depingi posset? Deniq; Angeli, quamtumuis spirituales & incorporei, ipsius Dei mandato, olim figurabantur, vt dictũ: cur non etiam Deus ita figurari possit?

75 ASSERTIO IV. Sed & absque hæsitatione fatendum, imagines non solum venerandas & colendas, sed etiam *adorandas* esse; si vti par est, adorationis vocabulum non ex vulgari germanici idiomatis interpretatione, sed iuxta verũ ac proprium nominis significatum, dubio primo explicatum, accipiatur.

Probatur & declaratur assertio. Sunt enim ex Catholicis nonnulli, speciatim Bonauentura in 3. dist. 9. a. 2. q. 4. alijque nonnulli recentiores, qui vel adorationem ab orando dictam rati, vel ad vocem germanicam eidem respondentem respicientes, vel adorationem iuxta principale significatum accipientes, negant imagines, aliasq; res inanimatas esse adorandas: Sicut etiam Concilium Tridentinum de cultu imaginũ loquens, voce *adorationis* non vtitur. Quibus etiam accedit Hieronymus contra Vigilantium, & in c. 3. Danielis, & alij qui asserunt, solum Deum adorandum esse. In quibus etiam Gregorius l. 9. epist. 9. l. 7. epist. 53. ait: *Sed hoc sollicite fraternitas tua admoneat, vt ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adorationem solius Omnipotentis Sanctissimæ Trinitatis humiliter prosternantur.*

76 Sed hæc suppositis ijs, quæ dubio 1. de vsu vocabuli adorationis fuse tradidimus, nihil obstant, quo minus imagines, aliæque res sacræ inanimatæ proprie adorari dicantur. Sic enim non solum frequenter græci Patres loquũtur, vtentes vocula προσκύνησις; sed etiam latini, atque ipsi Scholastici cum S. Thoma 3. p. q. 25. a. 3. & 4. dum Christi crucẽ & imagines latria colendas & adorandas docent, vt inferius dicemus.

Vnde cum in VII. Synodo act. 4. ex Anastasio Episcopo Theopoleos ea verba recitata fuissent, *Adorationem esse honorẽ alicui exhibiti emphasim*, seu symbolum; colligit Tharasius ibidem hanc conclusionem: *Omnes igitur, qui sacras imagines venerari confitentur, adorationem autem recusant, à S. Patre* (Anastasio) *tamquam hypocritæ redarguuntur.*

77 Et in eadem Synodo Epiphanius act. 6. *Quapropter*, inquit, *non indignas habebimus eas* (imagines) *honore, salutatione, veneratione, debitamque illis adorationem dare debemus. Siue igitur placebit salutationem, siue adorationem appellare, idem profecto erit: modo sciamus, excludi latriam; hæc enim est alia à simplici adoratione.*

Et act. 7. Tharasius in epist. ad Imperatores: *Sunt autem* (imagines) *adorandæ quoque, hoc est, osculandæ & amandæ. Idem enim significant hæc, iuxta antiquam Græciæ dialecton.* Et infra: *Quæ sane adoratio nihil est aliud, quam salutatio, siue amplexum alio appellare*, cum reuerentia tamen factum, vt satis ibidem significatur.

Vt manifestũ sit, eos Patres, qui secus loquuti 78
sunt, solum adorationem illam antonomasticã Deo soli propriam, aut etiam absolutam venerationem adorationis, imaginibus denegasse, vt legenti patebit. Quo sensu etiã Epiphanius cit. Synodo VII. act. 6. ait: *Non enim Christiani adorationem in spiritu & veritate imaginibus exhibuerunt, neq; etiã diuinæ Crucis effigiei.* Quę omnia ex dubio primo cit. liquent, & magis patebunt ex sequẽtibus.

Cæterum contra hanc Catholicam doctrinam 79
occurrunt graues obiectiones & difficultates, quibus probari videtur, imagines sactas colendas non esse, præsertim publico in Ecclesia cultu. Prima sumitur ex Concilio Elibertino can. 36. vbi dicitur: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere; ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* Qui canon tametsi errori hæreticorũ nullo modo patrocinetur, asserentium, imagines colendas nõ esse; cũ potius supponat, eas recte coli; indicat tamẽ, eas in Ecclesia depictas nõ esse habẽdas.

Ad hoc respondent aliqui, Concilium illud 80
Prouinciale fuisse, nec approbatum; & tum in hoc, tum in alijs nonnullis errasse; cuius tamen error nihil cæteris plena auctoritate firmatis Cõcilijs derogare debeat. Sed sine causa sufficiente, in re tam liquida, & continuo Ecclesiæ vsu probata, damnantur tot Patres, vt pluribus deducit Vasquez lib. 2. de adorat. à num. 121.

Secundo alij, speciatim Alanus Copus dialogo 5. c. 16. Sixtus Senensis l. 5. bibliothecæ, Aiala de tradition. 3. part. tract. de imag. ex Iuone Carnotensi decret. part. 3. c. 40. dicunt, imagines & picturas eiusmodi fuisse prohibitas, ob periculum idololatriæ, quod tum temporis in populo Christiano erat. Sed huic interpretationi ratio Concilij non consonat: præsertim quando ab eo non absolute imagines, sed solum picturæ in Ecclesia prohibentur, vt dictum.

Tertio igitur probabilius alij id factũ dicunt, vt 81
Paganis, eo tempore adhuc grassantibus, maleficij & impietatis materia subtraheretur. Ita Alanus loc. cit. Sanderus l. 2. de imag. c. 4. Turrianus, l. 3. de dogmat. charact. Sed addendũ, cum Aiala loc. cit. & Vasquio à n. 132. non absolute prohibitũ fuisse vsum & picturam imaginum; sed solũmodo, ne immediate in ipsis templi parietibus depictæ, tum incursionibus & ludibrijs Ethnicorum, tum alijs temporũ ac cœli iniurijs expositæ, dedecorarentur. Qua ratione etiã olim prohibitũ erat, crucem in pauimento sculpere, ne pedibus proculcaretur. Cui explicationi præsens etiamnũ facies Hispaniarũ ex parte respondere fertur, vt videre est apud Aialã loc. cit. & Vasquez à n. 132.

Omitto, quod Baronius Anno Christi 57. asserit, eum canonẽ merito videri posse suppositiũ, quod aliqui scriptores non solum Catholici, sed etiã Iconoclastæ hæretici, in quibus ipse etiã Claudius Taurinensis Hispanus nullã vspiã eius mentionem fecerunt. Sed hoc non videtur firmum: quia canon ille Iconoclastis nullo modo patrocinatur, vt dictum.

82 Secunda difficultas sumitur ex Epiphanio, qui in epistola ad Ioañem Episcopum Hierosolymitanum ita scribit: *Præterea audiui quosdam murmurare contra me, quando simul pergebam ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, vbi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem, & venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemq; ibi præteriens lucernam ardentem &c. inueni velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ, tinctum atq; depictum, & habere imaginẽ, quasi Christi vel Sancti cuiusdam; non enim memini cuius imago fuerit. Cum ergo hoc vidissem, in Ecclesia Christi, contra auctoritatem scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud* (velum) *& magis dedi consilium custodibus eiusdem loci, vt pauperem mortuum eo obuoluerent.*

83 In hac difficultate rursum variant sententiæ. Primo enim Alphonsus à Castro V. *Imagines*, Epiphaniũ idcirco inter Iconomachos refert; cuius vnius authoritas totius Ecclesiæ consuetudinem non debeat euertere. Sed cum Synodus VII. atq; etiam Damascenus, alijq; apud Vasquez lib. 2. de adorat. à numero 148. Epiphanium ab hoc errore diserte purgent, non decet tantum virum tam magni erroris, in re non obscura, sed liquida sugillare.

Secundo Waldensis tom. 3. cap. 157. ait Epiphanium Zelo quodam, sed non secundum scientiam comotum, velum id confregisse, ob periculũ erroris Anthropomorphitarum cauendum. Sed hoc, quia verbis Epiphanij non consonat, merito reijcitur.

Tertio Sixtus Senensis lib. 5. biblioth. annot. 247. post Damascenum orat. 1. de imag. dicit, id ab eo factum fuisse, propter alium abusum tollendum, forte etiam ob periculum idololatriæ auertendum, quod lucerna ardens indicare queat: Sed nec hoc satis probatur; quando etiamnum lucernæ ardentes ad Sanctorum imagines absque vlla superstitione appenduntur.

Quarto alij probabilius respondent, aut totã epistolam illam, aut saltem verba illa esse suppositicia. Prius asserit Alanus Copus dial. 5. cap. 21. Posterius tradunt Sanderus cap. 4. de imag. Suarez 3. part. tom. 1. disp. 54. sect. 1. Bellarminus lib. 2. de Ecclesia triumphante cap. 9. & Baronius tom. 4. Anno 300. numero 92. Sicut etiam olim consimilia quædam veterum scriptorum testimonia recte eliserunt VII. Synodus, & Damascenus orat. 2. de imag. Nec vero desunt huic responsioni probabilia argumenta apud citatos.

84 Quinto tamen non minus placet responsio Vasquij lib. 2. à num. 148. & Suarij loc. cit. post Marium Victorinum, qui dicunt, Epiphanium de imagine prophani hominis in Ecclesia, quasi Christi, vel Sancti cuiusdam esset, pendentis, loquutum, cui sacer cultus superstitiose delatus fuisse videretur, appensã etiam lucerna. &c. Hunc enim sensum & patiuntur verba, & tum aliæ circumstantiæ, tum illud indicat, quod Epiphanius per contemptum vocat *hominis* imaginem: quod de imagine, quam Christi, aut Sancti esse putaret, vir sanctus & sapiens nunquam dixisset; multo minus eam contra auctoritatem scripturæ in Ecclesia pependisse.

Tertia difficultas sumitur ex libris, quos appellant Carolinos Anno 1549. sub apocrypho nomine *Eli: Phili:* primum in lucem editos, qui imaginũ cultum & adorationem reprehendunt. 85

Respondeo ex communi doctorum virorum huius ætatis sententia, certis & claris argumentis constare, eos libros ab hæreticis quibusdam, aut saltem erronibus scriptos esse; non autem, quod volunt hodie sectarij, à Carolo Magno Imperatore; vt qui eos ipsi Adriano I. Pontifici confutandos misit, vt ex libro eiusdem Adriani de eodem argumento patet.

Quare vt recte notauit Suarez loc. cit. sect. 3. (licet aliter Vasquez lib. 2. num. 219.) non satis cautus fuit Genebrardus in Chronico Anni 796. dum non solum Concilium Francofordiense, de quo inferius, sed etiam auctores librorum Carolinorum idem cum Synodo VII. sensisse ratus scribit: *Nam libri illi quatuor, qui nomine Caroli Magni, & Synodi Francofordiensis circumferuntur, & quos superbe hæretici contra Nicænam ostentant, passim inculcant; retinendas esse Sanctorum imagines, in ornamentum Ecclesiæ, & memoriam rerum gestarum* (*hæc enim eorum verba sunt in præfatione, & lib. 2. cap. 2. & alibi:*) *seque duntaxat armant aduersus nescio quam prætentam imaginum adorationem, quam nec Nicæna ipsa agnouit. Iconomaches autem expugnant, cum alibi, tum præfatione libri 1. &c.* cum tamen palam sit, in ijs libris imaginum cultum ac venerationem absolute improbari. 86

In eo autem Sectariorum huius temporis vanitas egregie elucet, dum insuper etiam Ludouicum Caroli Magni filium in suæ consortium impietatis, & Iconomachorum partes trahunt: qui tamen ipse etiam patris pietatem imitatus, librum Claudij Taurinẽsis, impij Iconoclastę, consimili impietate refertum, ad Ionam Aurelianensem misit refutandum, teste eodem Iona in epistola ad Carolum Caluum filium Ludouici Pij, qui parenti defuncto successerat scripta, quæ extat tom. 5. bibliothecæ sacræ.

Quarta difficultas desumitur ex Concilio Frãcofordiensi, in quo damnata fertur VII. Synodus, Nicæna II. ipseque adeo cultus imaginum omnino sublatus, vt colligi videtur ex præfatione librorum Carolinorum, Hincmaro Rhemensi, Aimoino, Rheginone, Abbate Vrspergensi, & alijs. 87

Ad hoc respondent primo Alanus Copus dialog. 4. c. 18. & 19. & dial. 5. c. 12. & 13. Sanderus l. 2. de imag. cap. 5. Surius tom. 3. Conciliorum præfatione ad Synodum Frãcofurtensem, Suarez 3. part. tom 1. disp. 54. sect. 3. & Seuerinus Binius tom. 3. concil. part. 1. notationibus ad concilium Francofurtense, in eo concilio non damnatam Synodum Nicænam; sed pseudosynodum Constantinopolitanã hæreticam contra imagines celebratam, quam Græci interdum septimã vocant; quæ sententia & in ipsis verbis obiectæ historiæ habet fundamentum, & alijs non leuibus nititur rationibus & coniecturis, desumptis ex Concilio Senonensi in decret. fid. c. 14. Paulo 88

Æmylio

Æmilio l. 2. de gestis Francorum, Blondo cap. 2. l. 1. Sabellico lib. & Æneade 8. Nauclero generat. 27. item Platina, Adriano &c.

88 Secundo Genebrardus in chronico Anni 794. Bellarminus libro 2. de imag. cap. 14. & Baronius eodem anno 794. num. 35. non minus probabiliter existimant, in Francofurtensi concilio damnatam secundam Nicenam Synodum, non errore iuris, sed facti; eo quod falso persuasum haberent Patres, in ea decretam imaginibus fuisse adorationē latriæ Deo propriam: quæ sententia fundamentum nonnullum habet, tum in præfatione librorum Carolinorum, tum in ipsis libris Carolinis; vt & in fragmento quodam Hincmari lib. contra Iandunensem Episcopum c. 20. apud Alanum Copum loc. cit. vbi ita plane refertur Concilij sententia.

89 Tertio Vasquez lib. 2. de adorat. disp. 7. c. 5. & sequentibus, totam hanc narrationem, quod in Concilo Francofordiensi damnata sit synodus illa Nicæna, nitiait partim mendaci, partim fucata relatione præfationis librorum Carolinorū, imponentis Synodo Nicænæ eum, quem supra diximus, errorem; ex qua primum Hincmarus, ac deinde alij posteriores historici, nullo fidei, sed facti errore decepti fuerint; damnationem enim illam non factam à Concilio Francofordiensi; sed à Cōciliabulo quodam eiusdem temporis, & forte loci; cuius etiam nutu & auctoritate libri Carolini sint cōscripti. Vbi tamen simul Vasquez antiquam præfationem librorum Carolinorum confundit cum recenti præfatione Eli *Phili*; quod etiam alijs quibusdam accidit.

90 Cæterum cum & in authenticis actis Concilij Francofordiensis, hac de re in neutram partem quicquam extet; neque vllus Catholicorum in ijs horum quicquam se vidisse attestetur; neq; vel Adrianus Papa, vel Ionas Aurelianensis, qui circa illud fere tempus hanc materiam ex instituto contra hæreticos tractarunt; vti nec Walfridus eiusdem fere ætatis auctor; nec Paulus diaconus; Sigebertus, Zonaras, Cedrenus &c. vllam huius rei mentionē faciant: cumq; historici cæteri inter se omnes, nec ijdem etiam satis secum ipsis, hac in re consentiant: & præterea tam prę fatio librorum Carolinorum, quam fragmentum illud Hincmari iure suspecta sint, & pro ementitis haberi possint: deniq; cum nouitia ac spuria illa acta Concilij Francofordiensis, quæ hoc nomine recens à Sectarijs edita sunt nullā auctoritatē iure promereantur; quandoquidem editores nec exemplar, nec locū certa fide designant, ex quo ea deprompserint; neque etiam ad verbum acta eius Concilij referant; sicut alioquin facere debuissent, si fidem dictis serio conciliare voluissent: non improbabiliter vniuersim dici potest, cum Suario & Binio locis citatis, nihil quidquam in eo Concilio Francofordiensi circa imagines denuo decretum; multo minus libros Carolinos integros ab eo Concilio, aut Carolo Magno conscriptos. Vndecunq; tandem historici illi antiquiores, seu ex fama scriptoue aliquo ab hæreticis sparso, seu ex traditione incerta, eam, quam male inter se cohærentē scripserunt, relationem hauserint, vt pluribus etiam contra Goldastum, Zuinglianum differit Iacobus Gretserus in horto Crucis part. 1.

Hoc interim apud omnes orthodoxos certum est, si Concilium Francofordiense quacunq; demū ratione damnauit Synodū Nicænam II. nihil huic piudicare debere: nō solū quod hoc generale fuit, illud Prouinciale, & quoad hanc partem nunquam à Pontifice approbatum; sed etiam quia ipsimet aduersarij Magdeburgenses centur. 8. cap. 9. fatentur, Adrianum, eiusque Legatos quoad hoc non consensisse, sed repugnasse Concilio. 91

Quintam difficultatem parit liber, Parisiensis Synodi nomine, nuper Anno 1596. Francoforti editus, in quo docetur, crucis quidem imaginem colendam, cæteras vero solius memoriæ, non autem vllius cultus causa habendas ac retinendas esse. 92

Sed hunc librum sine editoris, codicis, & loci, vnde deprompt⁹ sit, nomine editū nihil moramur. Detraxerunt huic non ita pridem ementiti tituli vestē Bellarminus libro singulari cōtra Synodum Parisiensem, ac Baronius Annaliū to. 9. Año 700. n. 94. & Anno 800. num. 25. & titulum quidem ipsum synodi Parisiensis ab impostore confictum, ex ipso libri contextu probarunt; cum priuata quædam solum collatio, non Concilium, aut Ecclesiastica synodus fuerit: rem vero ipsam nullo firmitatis robore subsistere, luculenter demonstrarunt.

Ionam porro Aurelianensem, & Hincmarum Rhemensem, aliasq; consimilis notæ viros, cæteroqui doctos ac pios, etsi quidē Baronius loc. cit. alijq; noñulli inter eiusdem erroris Sectatores recenseant; nos tamen sequuti Vasquiū l. 2. n. 370. id hactenus facere non audemus; ne pari censura complures etiā alios Patres, qui non absimili stylo subinde vsi deprehenduntur apud Vasquiū l. 2. n. 370. notare cogamur. Et in his ipsum quoque Concilium Moguntinum Año 1549. c. 41 nostro æuo celebratū; in quo hæc ad verbum habentur: *Imaginum vsum velut pro erudienda plebe, omnium animis excitandis vtilem, in Ecclesijs nostris retineri serio mandamus: dummodo Pastores nostri populum accurate moneant, Imagines non ad id proponi, vt adoremus aut colamus eas, sed vt quid adorare, aut quarum rerum vtiliter meminisse debeamus, per imagines recordemur, &c.* 93

Adorationem nempe & cultum, aut prorsus diuinum, aut absolutū, seu quo vltimate tandem ipsæ ac propter se imagines colantur, respuunt, vt ex adiunctis, & alijs eorum auctorum locis clarum esse potest. 94

Neque sane, meo quidem sensu, blandius tinnit illud Leontij, recitatum in VII. synodo act. 6. tom. 4. post medium: *Scias quod & ego per cœlum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucē, Angelos, homines, per omnē deniq; creaturā, visibilem & inuisibilem, omnium auctori Domino & factori soli adorationē & cultū exhibeam. &c.* quam illud Ionæ Aurelianēsis l. 1. de adorat. imag. *Sinantur à te imagines Sanctorū, non vt adorentur, sed potius vt quandā*

pulchri-

pulchritudinem reddant, & quandam rerum præteritarum memoriam sensibus imperitorum ingenerent, in Ecclesijs depingi. Creaturam vero adorari, eiq; aliquid diuinæ seruitutis impendi, nefas ducimus, &c. vbi vides, Ionam seipsum satis perspicue ad Catholicorum sensum interpretantem.

Sed & Hinemarum ab Illyrico, & Goldasto falso aut dolose citatum notauit etiam Iacobus Gretserus loco cit.

95 Ex alijs vero Concilijs, quæ pro se allegant sectarij, duo illis relinquimus; nimirum Constantinopolitanum sub Leone Imperatore Iconomacho; siue id ex Episcopis congregatum, siue potius, quod existimat Vasquez lib. 2. n. 202. ex prophanis hominibus. Alterum item Constantinopolitanum (quod Bartholomæus Carranza in compendio conciliorum, & Sixtus Senensis lib. 5. annotat. 247. Ephesinum dicunt) sub Constantino Copronymo Imperatore, digno tali nomine, dignum talibus asseclis concilium: in quo nec pro Romano Pontifice, nec pro græcis Patriarchis quisquam adfuit; quem etiam idcirco *concursum prophanorum hominum* appellauit Zonaras, Cedrenus vero, *impiam*; septima autem Synodus Nicena act. 3. & 6. *execrabilem, prophanam, & adulterinam Synodum* vocant. De qua re plura Vasquez cit. lib. 2. à num. 202. & Iacobus Gretserus lib. 2. de Cruce cap. 69.

96 Sexta difficultas sumitur ex scriptura, & vsu veteris testamenti, quo omnis imaginum vsus cultusque prohibitus fuisse videtur. Exodi 20. Leuitici 26. Deuteronomij 4. & 5. & Isaiæ 42. Porro quamuis hac de re Catholici Doctores varie sentiant, nostra tamen sententia in sequentibus pronuntiatis consistit.

Primo dicimus, ex ipsa quidem rei natura, tunc non solum rerum aliarum, quod extra controuersiam est; sed nec DEI quidem ipsius, aut sacrosanctæ Trinitatis imagines fuisse prohibitas, quidquid Abulensis in cap. 4. Deuteron. q. 4. & 5. & Clitoueus in Damascenum lib. 4. de fide cap. 17. dixerint. Patet ex assert. 4. huius dubij. Ius enim naturale idem est in vtroque testamento.

97 Secundo dico, nec iure quidam diuino positiuo vniuersim omnem vsum imaginum eo tempore illicitum & sublatum fuisse. Patet ex imaginibus Cherubin, ad arcam testamenti ipsius Dei iussu fabricatis & collocatis, Exodi 37. v. 7. Neque de hoc potest esse inter Catholicos vlla dissensio.

Tertio; Nec vniuersim illicita fuit ac prohibita omnis imaginum fabricatio, structura, & vsus, etiam proprio arbitratu introductus & assumptus, quicquid nonnulli dixerint. Patet hoc euidenter exemplo Salomonis 3. Regum 7. quo ad hoc ipsum institutum comprobandum vtitur Leontius libro 5. relatus in VII. Synodo action. 4. vbi ait: *At dicis mihi: Moysi à DEO iussum est, vt huiusmodi sculptilia in templo ponenda curaret. Ego sane hoc ipsum etiam dico; sed Salomon inde digressus, plura in templo apparauit* (vt præter Cherubinos, figuras palmarum, malogranatorum, boum, Leonum 3. Reg. 7.) *quæ tamen DEVS non mandauerat, quæ nec tabernaculum testimonij habuit, neque templum, quod vidit Ezechiel: non tamen in hoc à DEO in crimen vocatus est Salomon. Nam in gloriam DEI quemadmodum etiam nos, eiusmodi effigies excogitauit.*

Idem fatetur Vasquez libro 2. de adorat. num. 98 97. vbi ait: *Licet enim iussu DEI fecerit duos Cherubinorum ex auro fusili, iuxta arcam; duos tamen alios ex lignis oliuarum, qui erant ante illam, boum quoque, & Leonum, & Cherubinorum aliorum, palmarum & malagranatorum figuras in templo DEI, similiter & Leunculos in throno suo, absque vllo DEI iussu, ex sua mente & sensu posuit. Populus quoque in moneta illa effigiem Cæsaris voluntate sua, non ex DEI mandato recepit.* Ita Vasquez. Quod non satis aduertit Catharinus opusc. de adorat. imag. cum alijs, dum vniuersim videtur negare, imaginum structurum fuisse eo tempore licitam; nisi cum Deus ipse, qui suæ legi derogare poterat, id præcepisset.

Quarto existimamus, neque ipsum quoque imaginum cultum, seu structuram ad eam formam & situm, quo accommodatæ essent veneration, vniuersim fuisse eo tempore prohibitum. Ita aperte Damascenus lib. 4. de fide cap. 17. cum ait: *Quid ergo causæ fuit, quamobrem Mosaicus populus tabernaculum illud, quod cœlestium rerum figuram gerebat, vndique adoraret? Ait quippe DEVS Moysi: Vide vt omnia facias, iuxta formam tibi ostensam in monte. Quid Cherubim illa, quæ propitiatorium obumbrabant, an non humanarum manuum opera erant?* 99

Eodem modo Hieronymus epist. 17. ad Marcellam: *Venerabantur*, inquit, *quondam Iudæi sancta sanctorum; quia ibi erant Cherubin, &c.*

Fatetur hoc tandem ipse Vasquez lib. 2. de ado- 100
rat. num. 101. & 102. (etsi contrarium significet num. 67. & 98.) Ait enim, *totum sacerdotis, ingredientis semel in anno tabernaculum, cultum & venerationem in arcam ipsam, & propitiatorium, tanquam in thronum & suppedaneum ipsius DEI fuisse relatum, &c.* Arca vero & propitiatorium vtique non erant proprie thronus & suppedaneum Dei. Sed imago tantum quædam, seu figura & signum illius.

Idem Vasquez ibidem inferius ita loquitur. *Cum vero Damascenus 4. de fid. cap. 17. videtur asserere, Cherubinis exhibitam adorationem, nihil aliud dicere voluit, quam ipsis non separatim à toto propitiatorio, tanquam imaginibus Angelorum, sed coniunctim cum tota Arca, tanquam throno Dei, honorem aliquem exhibitum fuisse: quod non inficiamur.*

Mox deinde respondens ad illud ex Hieronymo relatum ait; *hoc ipsum ex ea epistola Hieronymi, & nihil aliud colligitur. Nec enim ibi tantum dicitur, Sancta Sanctorum in veneratione illi populo fuisse quia ibi erant Cherubin; sed additur etiam, & propitiatorium, & arca testamenti, manna, & virga Aaron, & altare aureum. Non quia per se Cherubin adorarentur, sed quia hæc omnia simul, vt diximus, venerandũ efficerent totum tabernaculum: vt omnibus simul vna adoratio corporalis exhibita, in Deum auctorem omnium Spiritu directa transiret.*

Adorabantur ergo istæ imagines saltem simul: 101
& per modum vnius, cum ipso tabernaculo: quod quidem earum adorationi nihil obstat; cùm etiamnum imagines, iuxta hunc auctorem, non adorentur, nisi ex consequenti, & simul cum prototypo.

Qui mox etiam in istius sententiæ confirmationem addit hæc verba: *Idem clarissime testatur Athanasius, cuius verba refert Damascenus orat. de imag. ex lib. de quæst. ad Antiochum cap. 38. Ibi enim ostendens modum, quo nos imagines colimus, inquit; sicut & Iudæus olim legis tabulas, & duo Cherubin aurea, & sculptilia quædam adorabat, non lapidis auriue naturam colens, sed Dominum, qui ea vt fierent præceperat.* Hactenus Vasquez. Adorabantur ergo etiam in veteri testamento imagines, ad eum modum, quo à nobis adorantur, quando simul cum prototypo adorantur.

Denique ad vetus testamentum pertinet illud psalm. 89. vers. 5. *Adorate scabellum pedum eius*; quod de propitiatorio, velut scabello quasi quodam, cui Deus inter Cherubim sedens velut insisteret, intelligitur.

102 Quinto tamen nihilominus fatemur, cultum imaginum eo tempore non fuisse ita promiscue vsu receptum, vt quouis loco, vel ad cultum erigerentur, vel quacunque ratione erectæ colerentur; hoc enim præter ea, quæ diximus, satis probant argumenta Vasquez lib. 2. de adorat. à numero 7. Quinimo admittimus, extra templum vel tabernaculum, non fuisse adoratas; quod etiam de serpente æneo probabilior habere videtur sententia Vasquij lib. 2. num. 90. licet aliter sentiant Catharinus de imag. cap. 2. & Sanderus lib. 2. de imag. cap. 3. imo nec in templo, nisi circa arcam DEI positas; vt ipsa simul cum DEO, adeoque DEVS ipse cum suis quasi stipatoribus seu aula sua coleretur, non autem vel imagines ipsæ seorsim & secundum se, vel solum cum aliquo prototypo creato, quod immediate repræsentarent: vt scilicet ita magis omne idololatriæ periculum & occasio vitaretur.

Quod indicasse etiam videtur Tertullianus libro 2. contra Marcionem capite 22. cum ait: *Sic & Cherubim, & Seraphim aurea in arca figuratum exemplum, certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diuersas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari: non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.* Quanquam Pammelius hoc loco solum à Tertulliano doceri putat, in veteri lege fuisse prohibitum, similitudines & effigies pro Dijs adorari.

Idem probatur ex ipsa praxi adeoq; sensu eius populi, cui extra templum nullæ ad cultum vnquam fuisse imagines videntur.

103 Sexto probabile quidem est, nullam imaginem, siue DEI, siue creaturæ alicuius, ad cultum fieri potuisse à Iudæis, absque expresso Dei mandato; neque mandatum ab eo vnquam fuisse datum, nisi de imaginibus eo modo, situ, ac forma faciendis & erigendis, iuxta quem simul ipse cum ijsdem, aut potius in ijs ipse adoraretur, vt ex Tertulliano loco citat. colligi censet Vasquez libro 2. numero 95. Probabilius tamen videtur contrarium; videlicet secluso scandalo, & idololatriæ periculo, non fuisse vlla lege diuina positiua vniuersim Iudæis imaginum structuram etiam ad cultum prohibitam, adeoque nec imaginum cultum, suo loco & tempore, nisi idololatricum & superstitiosum.

Hoc probat factum Salomonis cit. Regum 3. cap. 7. qui Cherubinos illos in templo, suo iudicio, absque DEI mandato factos, non alio situ, modo ac forma collocasse videtur, quam alij duo Cherubini Dei mandato facti, & ad cultum propositi constructi erant. Accedit, quod Damascenus & Hieronymus locis cit. generatim loquuntur de Cherubinis circum arcam positis, absque restrictione ad eos, qui ex mandato Dei facti erant. Denique difficile fuisset adoranti, alteros ab alteris cogitatione secernere, & alios quidem adorare, alios in eodem loco ac situ constitutos, non item: nec huius rei vllum in scriptura, Patribus, aut historia extare videtur vestigium.

Sed quis ergo tandem, inquies, sensus fuit illius præcepti Iudæis dati in locis scripturæ adductis, vt sculptile ne facerent; si nec sensus iste fuit, vt nullum facerent ad vllum vsum; saluo interim, si quod aliud in particulari casu expressum DEI mandatum datum fuisset; vt sentit Vasquez libro 2. de adorat. numero 67. post Richardum, Henricum, itemque Catharinum, Aialam, Sotum, Horantium, Alanum Copum, Clitouæum locis citatis; & quoad imagines Dei, Alensem, Albertum, Bonauenturam, Marsilium, Abulensem, &c. Nec iste; vt nullum facerent forma ac modo adorationi accommodato, vt docet idem Vasquez num. 67. & 98. Nec vero etiam hoc solum illicitum sibi esse Iudei putarunt, imagines ad cultum idololatricū facere, easque tanquam idola colere; vt vltro supra concessimus. 104

Respondeo, & dico septimo, directe eo præcepto solum prohibitum fuisse Iudæis, facere sculptile ad cultum idololatricum, aut superstitiosum: de reliquo vero, etsi diuino illo quidem præcepto nihil mandatum esset; nihilominus tamen Iudæi per se, ipso naturali præcepto, eum imaginum vsum vitare tenebantur, qui vel scandalum alijs, aut idolatriæ periculum sibi creare poterat: quin etiam ipsis populi rectoribus liberum relinquebatur, circa imaginum vsum, eam moderationem præscribere, quæ pro temporis ratione, populo ad idololatriam prono, esset magis accommodata. Quo factum videtur, vt communi tandem consensu & consuetudine (quæ vim legis habere potuit) minus late imaginum vsus pateret, quam nunc in noua lege omni idololatriæ periculo eliminato, vt supra dictum. 105

Neque illud etiam male quis dixerit; cum diuinus cultus eo tempore tam enucleate, etiam quoad res minimas, diuinis legibus ac præceptis esset explicatus, non fuisse fas populo priuata quidem auctoritate, ac suo arbitrio, nouas & peculiares ceremonias introducere; adeoque nec imagines ad cultum priuatum sibi fabricare: non quidem vi illius præcepti, de non faciendo sculptili, sed generalis 106

illius

illius, *Non addetis, neque minuetis, &c.* & nihilominus tamen ipsis Synagogæ Moderatoribus liberum fuisse, publica auctoritate, quod in hoc genere, e re comunitatis videretur statuere. De qua re pluribus disserui relatione de Colloquio Ratisponensi cap. 4. & 8. & Apologia præfat. cap. 5. & 9.

107 Hæc vero sententia super ea, quæ hactenus dicta sunt, probatur primum auctoritate grauissima multorum Theologorum, qui ita sentiunt, speciatim S. Thomæ 3. part. q. 25. a. 3. ad 1. Caietani ibidem, Waldensis, Castro, Turtecrematæ, & aliorum, quos sequuntur Bellarminus lib. 2. de Sanctorum beatitud. cap. 7. Gregorius de Valentia hic q. 11. punct. 6. & Suarez 3. part. tom. 1. disp. 54. sect. 2. quidquid alij non pauci superius relati in contrarium dixerint.

Secundo probatur ex ipso contextu eius præcepti Exodi enim 20. v. 3. hæc omnia pro vno præcepto Decalogi referuntur: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles: Ego sum Dominus Deus tuus.* Secundum
108 oppositam autem sententiam, fatendum esset his verbis tria præcepta contineri, qua ratione non solum decem verba, seu præcepta Decalogi conficerentur, sed duodecim: vel certe, si quod nonnulli faciunt, duo postrema coniungantur, vndecim.

Accedit quod iuxta communem Patrum sententiam, omnia præcepta decalogi sunt moralia & naturalia, solo illo excepto de sanctificando sabbato; cum tamen nunc ex oppositta sententia etiam primum, magna saltem ex parte, ceremoniale esset.

Tertio idem probatur ex eo, quod vbicunque hoc præceptum traditur, semper adiungitur aliquid per modum quasi explicationis. ex quo cultus & adoratio imaginis instar Dei solum prohibita intelligatur, vt loc. cit. Exodi 20. *Non adorabis ea, neque*
109 *coles: Ego sum Dominus.* Et paulo post: *Non facies mecum Deos aureos & argenteos, &c.* Similiter Deuteronomij 4. v. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loquutus est vobis Dominus in Horeb, de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, &c. ne forte eleuatis oculis ad cœlum videas solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creauit Dominus DEVS tuus, &c.* Deuter. 5. v. 8. *Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium &c. Non adorabis ea, & non coles. Ego enim sum Dominus.* Item Leuit. 26. v. 1. *Non facietis vobis Idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis ea. Ego enim sum Dominus DEVS vester.* Denique Isaiæ 42. v. 8. *Ego Dominus; hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus, &c.*

Ex quibus facile patet responsio ad obiectionem
110 sectariorum, quam ex hoc præcepto veteris testamenti desumunt. Aut enim hoc præcepto absolute prohibitum non fuit, imagines colere, vti ex veriori sententia superius probauimus: aut certe hoc præceptum positiuum & ceremoniale fuit, ad Iudæos solum, non ad Christianos pertinens, vt ex dictis liquet.

***

DVBIVM IV.

De ratione & modo adorationis rerum inanimarum; speciatim quæ circa eam certa; quæ in controuersia sint; quæque vocum in ea re consuetarum sit significatio.

S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1. & 3. part. q. 25. a. 3. 4. & 6.

TRia sunt explicanda; 1. quæ in hac re sint certa. 2. quæ controuersa. 3. quæ ad terminorum explicationem pertinent. Quantũ ad primum, circa modum colendi reliquias, imagines, aliasque res sacras inanimatas, certum, & apud omnes Catholicos indubitatum est primò imagines, aliasque res sacras, saltem eatenus recte coli, & adorari, quatenus coram illis, & per illas colitur & adoratur exemplar, indicio imaginis ad memoriam reuocatum, vt constat tum aliunde, tum ex Concilio Tridentino sess. 25. in proprio decreto. 111

Hic vero modus colendi imagines, & *improprius*, & adeo exploratus est, vt eum nec auctores librorum Carolinorum, aut Synodi Parisiensis, alijque qui inter Iconomachorum græcorum errorem, & Nicænæ Synodi ac Catholicæ Ecclesiæ sententiam, mediam, atque hoc ipso auiam ingressi sunt viam; imo nec hodierni Lutherani vniuersim re ipsa negasse, aut negare videantur; quidquid sit interim de modo loquendi. Dicunt enim illi quidem, imagines habendas solum ad memoriam, non ad cultum & deuotionem; at non negant, sed potius hoc ipso tacite agnoscunt, coram illis, & per illas coli & adorari posse exemplar: qui est ipse modus quidam (improprius) colendi imagines repræsentantes exemplar.

Secundo certum, & extra controuersiam est, 112
imagines aliasque res inanimatas, quocunque tandem modo colantur, certe tamen propter se, vltimate, seu ob excellentiam suam propriam & absolutam, colendas aut venerandas neutiquam esse; sed vltimate ac principaliter solum propter prototypum, siue exemplar, eiusque excellentiam, tanquam obrationem formalem obiecti; quandoquidem ipsa etiam imago formaliter spectata, & essentialem ordinem habet ad prototypum, & omnem suam excellentiam ab illo participatam habet.

Qua ratione etiam ab omnibus Catholicis imaginum cultus dicitur *respectiuus*, non absolutus: & consentiunt pariter omnes, quamcunque rem inanimam, propter se & suam excellentiam, vltimate colere fas non esse, vt videre est apud Bellarminum, Suarez, Vasquez, & alios citandos.

Quare circumspecte intelligendus Azorius tom. 113
1. lib 9. cap. 6. quæst. 5. vbi ita refert quorundam Catholicorum sententiam, quasi dixerint, posse etiam imagines coli & adorari *propter se*, quod qui-

dem non nisi de immediata, secundaria, ac minus principali, adeoque inadæquata adorandi ratione intelligi potest: nisi forte Typographi incuria posita sit vocula *Propter se*, pro vocula *Per se*, idque non semel, sed iterato sæpius errore, certe quidem eo modo loquentem Catholicum hactenus neminem legi.

Dices, imago in se habet figuram & similitudinem alterius: ergo in se habet rationem, propter quam adoretur, adeoque propter se potest adorari. Respondeo, figuram præcise, cum absolutum quiddam sit, proprie non esse rationem colendæ imaginis; relationem vero similitudinis ad ipsum exemplar, & quidem ab eodem expressæ, dici quidem potest mitius principalis colendi ratio sed non principalis, & vltimata; cum hoc ipso, quod ea ratio solum respectiua est ad prototypum, simul prototypum tanquam principalem rationem colendi menti obijciat.

114 Tertio certum, imagines, aliasque res inanimas, nunquam ita coli seu adorari licite posse, vt cultus hic in ipsis penitus & vndequaque sistat: quin potius fatentur omnes, imaginis cultum aliquo tandem modo referri & pertinere etiam ad exemplar; quod proinde aliqua ratione simul adoretur & colatur, non quidem semper tanquam obiectum Quod, directe, immediate, & formaliter intentum, sed saltem indirecte, mediate, & virtualiter, hoc ipso, quod exemplar est obiectum Quo, seu ratio formalis, propter quam colitur imago vt dictum.

Sicut enim cum seruus aut Legatus Regis, ob ipsum Regem, decenti honore colitur, ex consequenti & indirecte, seu virtualiter ac mediate etiam honoratur Rex: ita cum imago non colatur, nisi propter exemplar, non solum tanquam ob finem remotum, sed etiam velut ob rationem formalem obiectiuam, necessario efficitur, vt ex consequenti, indirecte, virtualiter, ac mediate semper etiam simul colatur exemplar.

115 Quocirca etiam Iacob, qui Hebr. 11. vers. 21. *fastigium virgæ*, ipsius Ioseph adorasse dicitur, Genesis 47. vers. 31. adorasse dicitur *Dominum*. Nam vt Ribera ibidem ait; *adorauit Iacob sceptrum filij sui, honorans in eo regiam potestatem à Deo illi datam, magisque DEVM ipsum adorans, qui olim id per quietem reuelauerat Ioseph; & videns DEI promissa impleta, filiumque suum quem vnice amabat, prope ad regni fastigium eleuatum, qui & fauere fratribus posset, & corpus suum ad terram promissionis reducere, tantorum bonorum auctorem DEVM, plenus lætitia, adoratione illa filio exhibita reuerebatur, &c.*

Quod quidem pro innumeris Conciliorum & SS. Patrum locis explicandis, ac probe intelligendis diligenter annotandum est: ne dum identidem repetunt, in imaginibus exemplar coli, putemus imagines ipsas proprie aut per se coli non posse. Qua ratione intelligitur etiam illud Basilij lib. de Spiritu sancto cap. 18. asserentis, *esse vnam glorificationem imaginis, & exemplaris*; & quod inde intulit Ioannes Presbyter in VII. Synodo action. 4. *non esse duas adorationes, sed vnam ipsius imaginis, & exemplaris*, vt rursum dicetur dub. 7.

Quod dictum etiam ex eo confirmatur, quod tam iuxta scripturæ sacræ quam SS. Patrum phrasin, ipse etiam honor seu obsequium, quod Christi seruis defertur, Christo ipsi deferri dicitur Matthæi 25. v. 40. *Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Et in VII. Synodo action. 4. in dialogo Leontij dicitur: *Honor, qui sancto impenditur, in ipsum (DEVM) recurrit. Qui Martyrem colit, DEVM ipsum colit: qui Matrem ipsius adorat, ipsi honorem assignat: qui Apostolum honore prosequitur, ipsum, qui Apostolum misit, honorat.* Idem habent Basilius orat. in SS. quatuor Martyres, Hieronymus epist. 53. Ambrosius serm. 6. Damascenus lib. 4. de fide cap. 17. Germanus Patriarcha in epistola ad Ioannem, quæ recitatur in citata Synodo eadem actione. 116

Quare si ad hoc, vt honorari quispiam in altero dicatur, sufficit esse finem vltimum venerationis; quod plerunque fit in allatis exemplis; multo magis sufficit, esse totam quasi rationem ac fundamentum venerationis, vt est exemplar respectu adorationis imaginum: quod optime etiam notauit Suarez 3. part. tom. 1. disp. 54. section. 5. post medium, & agnoscit Vasquez lib. 2. de adorat. num. 284.

Quartum certum, & inter Catholicos indubitatum est, esse quasdam externas adorationis generatim sumptæ, seu potius cultus notas & actus, qui vtcumque tandem circa imagines & coram imaginibus exerceri videantur, ipsis tamen imaginibus, simpliciter & absolute loquendo, non exhibeantur; quales sunt, sacrificium, oratio, laus exemplaris, vt ex communi docet Suarez citat. disp. 54. sub finem, & Vasquez lib. 2. disp. 9. cap. 4. num. 433. 117

Qui hac in re secuti sunt Augustinum lib. 10. de ciuit. cap. 4. vbi ait: *Multa de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis; siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines habeantur, qui dicuntur colendi & venerandi, si autem multum eis additur, & adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit?*

Cuius rationem assignat Suarez loc. cit. quod eiusmodi actus præcise respiciant personam intelligentem, vt talis est, abstrahendo ab his, quæ illi extrinsecus adiuncta sunt; quo fit vt per eos solum colantur ipsæ personæ, ad quas diriguntur, non autem imagines, & vestes, nec similia.

Addo, per eiusmodi notas directe significari eam animi submissionem vel existimationem, quæ cum imaginibus communicari nullo modo potest; cum animi submissio, per alias honoris notas formaliter & expresse significata sæpe tam exemplari, quam imaginibus suo modo communis esse possit, vt inferius magis declarabitur. Significant enim reliquæ adorationis notæ ex suo genere iuxta humanam institutionem, animi submissionem, sub generali quadam ratione, quibuslibet rebus aliquo modo excellentioribus communicabili: illa vero quæ diximus honoris symbola, sub speciali quadam ratione, quæ nonnisi ad certas personas intelligentes apte referantur. 118

Atque

119 Atque hæc omnia, quæ inter Catholicos certa esse diximus, quasi totidem etiam verbis traduntur in Concilio Tridentino sessione 25. decreto de cultu Sanctorum & imaginum, vbi dicitur: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & veneration em impertiendam.* (En primum certum:) *Non quod credatur inesse aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ:* (En secundum:) *vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; velut olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant:* (Ecce quartum:) *sed quoniam honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita vt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & sanctos, quorum illæ similitudines gerunt, veneremur* (En tertium certum:) *Id quod Conciliorum, præsertim vero, II. Nycenæ Synodi decretis, contra imaginum oppugnatores est sancitum.* Ita Concilium Tridentinum.

120 Cui non abs re erit subiungere integram collaudatæ ab eo II. Nicænæ Synodi hac de re definitionem, ex Anastasij versione, relata apud Baronium Anno 787. numero 40. *His ita se habentibus, regia quasi euntes semita, sequentes diuinitus inspiratum SS. Patrum nostrorum magisterium, & Catholicæ traditionem Ecclesiæ (nam Spiritus sancti hanc esse nouimus, qui nimirum in ipsa habetur) definimus in omni certitudine & diligentia, sicut figuram pretiosæ & viuificæ Crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam de coloribus, & taxellis, quam ex alia materia, congruenter in sanctis Dei Ecclesijs, & sacris vasis, ac vestibus, & in parietibus, ac in tabulis, domibus, & vijs, tam videlicet, imaginem Domini Dei & Saluatoris nostri IESV Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ, sanctæ Dei Genitricis eius, honorabilium que Angelorum, & omnium Sanctorum simul & almorum virorum: Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitiuorum* (seu prototyporum) *earum memoriam & desiderium; & ad osculum, & ad honorariam his* (imaginibus) *adorationem tribuendam; non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solum diuinam naturam decet impertiendam. Ita & istis, sicuti figuræ viuificæ Crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacratis monumentis, incensorum & luminum oblatio, ad harum honorem efficiendum exhibeatur; quemadmodum & antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitiuum transit, & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam seu personam.* Ita Concilium Nicænum II.

121 Hæc vero cum certa sint, vt ad secundum huius dubitationis quæsitũ veniamus, circa modum colendi imagines, & reliquias Sanctorum, aliasq, res sacras inæstimatas, quatuor alia controuersa sunt, inter Scholasticos, nec paruis difficultatibus implicata. Prima difficultas & controuersia est, an eiusmodi res possint vllo modo vere ac proprie coli siue adorari; an vero tantum abusiue & improprie sint colendæ. Secunda difficultas, quæ reipsa cum priori coincidit, nec ab ea nisi nomine differt, vt videbimus, est, an vllo modo etiam in se, tanquã verum & proprie dictum obiectum quod, terminent actum adorationis, non tantum ratione signi exterioris, sed etiam ratione internæ submissionis & affectus, sine quo nulla vera adoratio subsistit.

Tertia; an simul cum prototypo & quidem eadem adoratione, qua prototypum coli & adorari possint. Quarta; vtrum secundum se & per se etiam coli & adorari possint, non adorato directe exemplari; & quo cultu.

Sunt enim de singulis variæ Doctorum sententiæ. Quidam enim absolute docent, imagines improprie tantum, & per accidens, non autem vere ac proprie coli posse; quod tamen alij non satis tutũ existimant. Alij fatentur quidem, proprie coli, sed ita, vt ad illas solum pertineant externa signa honoris, non autem internus affectus honoris seu submissionis, quod alijs itidem non sine ratione improbatur. Rursum plerique veteres Scholastici docent, imagines simul & eodem cultu cum prototypo venerandas; quod alij negant. Denique complures asserunt, imagines per se coli non posse, sed solum cum prototypo: alij vtrouis modo recte coli asserunt, vt inferius sigillatim declarabitur. 122

Iam vero, quod ad tertium huius dubitationis, quæsitum attinet; vt in vniuersa hac disceptatione, vera sententia deinceps explicanda melius intelligatur, notandum est, & continuo quasi præ oculis habendum, ex Suario 3. part. tom. 1. disputat. 54. sect. 5. & fere etiam Vasquez lib. 2. de adorat. disputat. 8. cap. 14. numero 385 imaginem sacram tribus modis considerari posse: primo materialiter & physice, vt res quædam est naturalis, seu artificialis huius materiæ, figuræ, &c. abstrahendo à repræsentatione, alijsque relatiuis & moralibus perfectionibus, quas habet, seu inquantum imago, seu inquantum res sacra. 123

Secundo considerari potest, prout signum est rei sacræ siue ipsius exemplaris, eidemque exemplari relatiue oppositum, scilicet non solum constans tali materia vel figura, sed etiam habens insuper relationem repræsentationis. Qua ratione etiam consideratur imago vt imago, etsi non vt actu exercens munus imaginis, prout Caietanus inferius loquitur, estque in numero rerum sacrarum, quæ solum denominatiue & relatiue tales dicuntur, vt patet ex VII. Synodo articulo 7. in definitione fidei, & ex epistola Adriani de imag. quæ extat inter epistolas Pontificum.

Tertio considerari potest imago vt imago in actu exercito, seu vt Caietanus 3. part. quæst. 25. art. 3. 4. & 5. loquitur, vt actu exercet munus imaginis, non tantum actualiter quocunque modo repræsentando prototypum, sed etiam prout in se quasi secundum repræsentationem viuam continet exemplar, eoque velut animata est. Quæ consideratio à priori differt; quia hic directe sola consideratur imago, tametsi oblique simul consignificetur prototypum, tanquam alter terminus correlatiuus: hic directe consideratur, tam imago, quam prototypum, per modum vnius adæquati obiecti; quod dicere possumus, imaginem prototypo animatam, seu prototy- 124

pum imagine vestitum, non realiter, nec per errorem seu falsitatem vllam concipientis; quia non iudicat, aut imaginem, aut in imagine vere esse Christum, sed per simplicem apprehensionem, ac viuam repræsentationem exemplaris in imagine, ac si adesset; quo modo filij in imagine suos concipiunt parentes &c. Quæ diuersæ considerationes etiam ad res alias inanimatas seruata proportione, accommodari non difficulter possunt.

Omitto quartam considerationem imaginis, qua imago nonnunquam materialiter quidem, & veluti res quædam, sed secundum quoddam esse morale, non materiale, vel artificiale spectari potest; nempe prout vel sacra quædam reliquia est, Sancti alicuius contactu sanctificata; qualis est imago Veronicæ, Imago B. Virginis à S. Luca depicta &c. vel vt est peculiari quadam prece Ecclesiæ benedicta: quales quidem imagines rursum peculiari quadam ratione in rerum sacrarum numero computantur.

125 Sed hanc imaginis considerationem hoc loco prætermitto, vt dixi; tum quia non est communis omni imagini sacræ, sed aliquarum dumtaxat propria; tum quia ratio hæc imagini communis est cum alijs rebus sacris, de quibus proprie iam non loquimur.

Nec obstat, quod Sanctus Thomas cit. 3. part. quæst. 25. art. 3. alijque Doctores communiter, duplicem tantum considerationem imaginis referunt, nempe vt res est, & vt est imago, nempe munus imaginis actu exercens; quia vt recte notauit Suarez loc. cit. isti tertiam considerationem imaginis secundo loco numeratam, ideo prætermiserunt, tum quod ea communis aliquo modo esset rebus sacris, quæ itidem vim quandam habent repræsentandi principalem terminum, ad quem referuntur; tum quia explicatâ propriâ & difficiliore adoratione imaginis cum exemplari, alia implicite quadammodo exposita censeri poterat.

126 Notandum secundo, iuxta variam hanc imaginis considerationem, quatuor modos distingui posse, quibus siue de facto, siue de iure imagines colantur. Primus, vt imago non solum colatur in se, secundum se, siue per se, sed etiam *propter se*; ità vt ipsa secundum se sit totum & adæquatum adorationis obiectum, non solum Quod, sed etiam Quo; seu quod idem est, vt non solum sit illud quod proprie per se & directe colitur, sed etiam aliqua intrinseca eius excellentia, seu respectiua, seu absoluta, sit tota ratio colendi imaginem, tanquam vltimatum terminum & obiectum cultus, in quo penitus & omni modo sistatur. Et hic cultus imaginis fere respondet imagini secundum primam considerationem; sed quem iam superius, in primo certo, tanquam illicitum & superstitiosum exclusimus.

127 Secundus priori directe oppositus est ille, quo ita imago colitur, vt nullo modo sit illud, quod proptie & in se colitur, sed tantum sit occasio, seu memoratiuum signum, quo mediante exemplar in memoriam reuocatum colitur, esto coram imagine: quod genus cultus in primis significatur per illa verba: *Per imaginem, seu coram imagine colere prototypum*, Vbi etiam consideratur imago, iuxta secundam considerationem superius explicatam; cuius tamen alius vsus esse potest, vt dicetur.

Tertius, vt dirigatur cultus siue adoratio, tam ad exemplar repræsentatum, quam ad imaginem, in qua repræsentatur, ex vtroque per viuam apprehensionem intellectus, conficiendo vnum obiectum adæquatum, ad quod proprie terminetur cultus, quodque sit adæquata materia, circa quam versetur adoratio ex mente ac intentione adorantis. Quo modo alias in cultu ciuili, persona quæpiam excellens solet esse tota materia cultus, non solum vt constat anima, sed etiam corpore; etsi non æque principaliter eiusmodi cultus ad partem vtramque hominis terminetur. Atque hic cultus respondet tertiæ considerationi imaginis.

Quartus, vt adoratio dirigatur ad solam imaginem (iuxta secundam eius considerationem) tanquam ad materiam seu rem directe adoratam; ad exemplar verò solum vt ad rationem adorandi; esto hoc ipso indirecte & quasi virtualiter simul etiam exemplar adorari intelligatur, vt superius dictum, in tertio certo. Quo quidem casu etiam imago non quidem propter se, sed in se tamen & per se colitur & adoratur: sicut etiam proximus vere etiam in se per charitatem diligitur, etsi non nisi propter Deum. 128

Et ad hos ipsos etiam diuersos modos colendi imagines, relatos itidem à Suaretz cit. disp. 54. sect. 4. reuocantur illi ipsi modi diuersi colendi rem aliquam, quos ex alijs auctoribus, præcipue vero ex Gabriele in 3. distinct. 9. quæst. 1. refert Bellarminus lib. 2. de Sanctis, seu de Ecclesia triumphante cap. 21. vbi triplicem modum colendi distinguit. Id enim quod honoratur primo honorari posse per se, vel per accidens: secundo *propter se*, vel *propter aliud*: tertio *proprie*, vel *improprie*. Quos loquendi modos ad modos diuersos colendi imagines superius explicatos accommodando, iuxta mentem & declarationem Bellarmini, & communem Doctorum, dicendum est, primo modo colendi imagines, superius relato, sed illicito, imagines coli non tantum proprie & per se, sed etiam propter se; secundo modo non nisi improprie; tertio, proprie quidem, sed per accidens: quarto, non solum proprie, sed etiam per se. 129

Et licet alioqui Bellarmini explicatio, quam supradictis loquendi modis adhibet, per se satis apta, & plana videatur, quin & communiter apud alios Theologos recepta; video tamen eos non hoc sensu ab omnibus vsurpari. Nam Bellarminus *per accidens* adorari intelligit omne illud, quod cum nec sit suppositum, nec ratio adorandi, coniunctum tamen est supposito, quod per se adoratur. Cum qua acceptione conuenit etiam illa, qua per accidens adorari intelligitur, quod non ratione sui, sed ratione alterius adoratur; licet interim animus ac mens adorantis verè in illam etiam rem, quæ adorari per accidens dicitur, terminetur. 130

Sicut etiam apud Philosophos, per accidens moueri dicuntur, quæ concomitanter, vel tanquam partes, vel tanquam accidentia mouentur;

licet

licet in se vere afficiantur motu, vt recte ad hoc institutum notauit Suarez loc. cit. sect. 3. & 4. in hunc sensum explicans Maiorem, & Capreolum, asserentes, imagines solum coli per accidens, vt inferius dicetur.

Alij vero, in quibus Vasquez libro 2. de adorat. disputat. 8. cap. 8. 9. & 12. per accidens adorari intelligunt, ad quod opus quidem externum adorationis, cum simplici affectu, sed animus tamen adorantis, ac interna submissio nequaquam refertur. 131

Eodem modo ambigua est vox adorari *secundum se*, sæpe enim vsurpatur pro eo, quod est, adorari *in se*, adeoque vere, saltem vt obiectum materiale, seu vt partem materialis obiecti, terminare actum adorationis: prout sæpe etiam loquitur Suarez loc. citat. At vero Caietanus 3. part. quæstione 25. articulo 3. & Gregorius de Valentia hic disput. 6. quæstione 11. punct. 6. vsurpant pro eo, quod est, *propter se*, vel sine habitudine ad aliud adorari. Eodem modo particulam *per se* Palacius in 3. dist. 9. disput. 1. & particulam *in se* Tartaretus in 3. dist. 9. epilog. de adorat. confundunt, cum particula *secundum se*: quas etiam ipse Sanctus Thomas, non satis accurrate distinguit, vt videbimus.

Quare in his omnibus, ad vitandam æquiuocationem, diligenter distinguenda sunt vocabula; neque tam de vocibus, quam de re ipsa disceptandum, saluo tamen semper sano loquendi modo.

Quibus ita constitutis ac velut pro terminorum explicatione suppositis, singulæ illæ difficultates circa modum colendi imagines, aliasque res sacras inanimatas, singillatim deinceps explicandæ sunt.

DVBIVM V.

An imagines sacræ proprie vllo modo adorandæ siue colendæ sint; itemque an ipsæ etiam in se tanquam obiectum Quod terminent actum adorationis seu cultus, non tantum ratione signi exterioris, sed etiam ratione internæ submissionis.

S. Thomas 2. 2 quæst. 84. art. 1. & 3. part. q. 25. a. 3. 4. & 6.

PRima igitur difficultas & controuersia est, ex ijs, quas dubio præcedenti proposuimus, an imagines vllo modo etiam proprie adorandæ siue colendæ sint; seu quod tantundem est, an imagines proprie dicantur coli & adorari, an vero improprie tantum & abusiue. Nec vis ponitur in vocabulo *adorationis* de quo dub. 3. sed quæstio generatim est, an proprie colantur. 132

Neque verò desunt ex Catholicis, qui aperte asserunt, imagines improprie tantum, & per accidens, non autem verè ac proprie coli posse. Ita Durandus in 3. distinct. 9. quæstione 2. num. 9. & 11. qui cum nullum alium imaginis cultum agnoscat, quam quo simul ipsa cum prototypo colatur, ait: *Proprie loquendo, nunquam reuerentia exemplaris vel signati debetur signo vel imagini: sed quia loquendum est*, inquit, *vt plures, ideo commune dictum sic exponendum est, quod protanto dicitur imago subtractione imaginis adorari eadem adoratione cum re, cuius est imago, quia ad præsentiam imaginis seu signi, fit rememoratio rei quam rememoratam adoramus.* Et ibidem num. 8. & 14. generatim docet, rem inanimatam, *quæ non est subiectum susceptiuum sanctitatis, non posse esse secundum se terminum adorationis.*

Eodem modo loquuntur Holkot in lib. Sap. lect. 157. & Picus Mirandulanus in Apolog. quæstione 3. Item Viguerius Instit. Theol. cap. 5. §. 5. v. 12. ait; *proprie loquendo non esse adorationem imaginis, sed rei repræsentatæ coram imagine &c.* Et *sic clare*, inquit, *loquendo, est adoratio Christi, coram imagine Crucifixi, quæ ad memoriam reuocat &c.* Qui idem docent etiam de sacris reliquijs.

Fauet etiam in modo loquendi Caietanus 3. part. quæstione 25. art. 3. 4. & 5. vbi docet, imaginem *esse tantum conditionem adorandi exemplar; & honorem non exhiberi conditioni adoratæ rei, sed rationi adorandi, quæ est exemplar.*

Fauent etiam Petrus Cluniacensis epist. 2. contra Petrobrusianos cap. de venerat. crucis sub finem, & Ionas Aurelianensis lib. de cultu imag. à principio, & Castro V. *adoratio*, & Didacus de Tapia 3. part. quæstione 25. art. 3. & seq. Citari etiam solent Alensis & Henricus; sed quos in benigniorem sensum interpretari conatur Suarez 3 par. tom. 1. disp. 54. sect. 3. 133

Sicut nec huc pertinent illi, qui adorationem imaginum comparatam cum adoratione prototypi, quo cum simul colantur, vocant analogicam, in quibus sunt Gabriel in canonem lect. 49. & in 3. distinct. 9. quæstione 1. artic. 2. & Corduba lib. 1. quæstion. 5. dub. 4. quia non omne quod analogice tale est, hoc ipso solum improprie tale est, vt constat de accidente, quod analogice quidem, sed proprie ens est.

Cæterum sine dubitatione simpliciter & absolute fatendum est, imagines, & reliquias Sanctorum, aliasque res sacras, non solum abusiue & improprie, sed etiam vere & proprie, licet respectiue colendas & adorandas esse. Ita ex mente omnium quasi veterum Theologorum, contra citatos, adeo constanter & firmiter tradunt recentiores, vt oppositam Durandi sententiam etiam graui censura notent. Bartholomæus quidem Medina 3. part. quæstione 25. art. 3. ait, *periculosam esse ac temerariam, & hæresin sapere*; additque, Victoriam docuisse, illam *esse hæreticam.* 134

Catharinus opusc. de cultu imag. ait, hunc modum loquendi *parum differre ab eo, qui omnem adorationis terminum ab imaginibus aufert.* Gregorius de Valentia loco citato dicit, istos *minus circumspecte loquutos.* Suarez citat. sect. 5. sub finem ait, *falsissimum, & à sensu Conciliorum & Sanctorum alienum esse, dicere, imaginem nunquam vere adorari, aut non magis adorabilem esse,*

quam sit terra, cuius osculo Deus adoretur. Imo etiam Dionysius Carthusianus in 3. dist. 9 postquam Durandi sententiam verbatim retulisset, ait, eam *videri doctrinæ rituique Ecclesiæ aliqualiter derogare.* Et Ferrariensis 3. cont. Gent. cap. 20. vocat eam *à Catholica fide alienam.*

Aliter Vasquez lib. 2. de adorat. num. 390 vbi cum Durandi sententiam recitasset, subiungit: *Quem loquendi modum aliqui magis seuere censent & notant, quam par esset. Nec enim de hac re quidquam in fide definitum video: imo septima Synodus non multum curat, quomodo imaginum adoratio appelletur.*

135 Sed probatur communis, & vera doctrina, primo quidem ex Concilijs & Patribus, idque variis modis. Primo cum simpliciter absolute docent, asserunt, ac etiam sub anathemate definiunt, imagines colendas & venerandas esse, vt patet ex Concilio Tridentino cit. sess. 25. & Concilio Nicæno II. act. 7. & ex omnibus testimonijs, quæ ibidem pro hac re adducuntur; anathemate simul denuntiato ijs, qui negant imagines esse venerandas. Mirum autem esset, quod nec ipsi Patres quandoque dixerunt, imagines non esse colendas, nec alios ita loquentes ferendos putarunt, si non nisi improprie & abusiue colendæ dicuntur; quandoquidem alias quod non nisi improprie tale est, recte ac simpliciter negari solet tale esse.

136 Secundo id apertius indicant SS. Patres, cum non tantum simpliciter imagines adorari dicunt, sed simul etiam eiusmodi emphaticis & energeticis particulis additis vtuntur, quæ non nisi veram ac propriam adorationem denotent. Qualia sunt hæc in cit. Concilio Nicæno prolata & probata. Act. 1. Basilius in sua confess. ait: *Honorifice veneror venerandas imagines, suscipio, & amplector.* Act. 2. Adrianus in epist. *Ex animi desiderio eas veneramur.* Ibidem Tharasius: *Has desiderio nostro adoramus, vt in nomine Christi, Deiparæ, & Sanctorum factas.* Et infra Euthymius Episcopus Sardensium: *Venerandas imagines ex toto corde, cum debito honore, & salutatoria adoratione suscipio.* Et Elias Episcopus Cretæ: *perfecte eas adorans, &c.* Item ex Gennadio vt habetur tom. 3. Augustini lib. 1. de Ecclesiast. dogmat. cap. 73. recipitur illa sententia: *Sanctorum corpora, & præcipue Beatorum Martyrum reliquias, ac si Christi membra, sinceriſsime honoranda.* Et act. 7. in epistola Synodali, dum explicatur, quid sit προσκύνησις siue adoratio imaginibus debita, dicitur, præpositionem πρὸς *Ad, intentionem significare desidery.*

137 Tertio idipsum docent Sancti, dum asserunt, eo modo coli prototypa in imaginibus, quo Deus colitur in sanctis, vt retulimus dub. 4. n. 116. In his autem; ita colitur Deus, vt nihilominus ipsi etiam sancti proprie colantur, vt omnes Catholici fatentur.

Quarto in eadem Synodo VII. sæpe dicitur imagines, etiam Christi, adorari quidem, sed non perfecta latria, sed potius diuersa adoratione: atqui si adorare imaginem Christi, non est aliud, quam coram ea adorari Christum, certe latria adorari diceretur.

Quintò, quia in eadem Synodo act. 3. non solum dicitur, adorari exemplar in imagine, sed etiam adorari imago propter exemplar; quæ loquutio propriam imaginis potius, quam exemplaris adorationem denotat.

Sexto in eadem Synodo act. 6. ab Epiphanio dã- 138
nanturilli, qui imaginum vsum ad memoriam solum restringunt, his verbis: *Qui vero dicunt, sufficere vsum imaginum ad memoriam solum, non vero ad salutationem* (seu venerationem) *eas habendas; illud quidem recipientes, hoc vero recusantes, semiprobi quadamtenus, & falsoueri vt ita dicam, deprehenduntur; altera quidem parte veritatem confitentes, ex altera vero peruerse agentes.* In quo errore fuerunt etiam illi, qui libros Carolinos composuerunt, vt dub. 3. dicimus. Atqui iuxta eam sententiam, quam refutamus, imagines reipsa solum ad memoriam vsurpantur; non autem ad venerationem, saltem proprie loquendo; etsi coram illis & per illas colantur prototypa: quod non obstat; quia nec prædicti Iconomachi repugnasse videntur, quominus in præsentia imaginum possent adorari exemplaria, vt recte notauit Suarez loc. cit. & tacite agnoscit Vasquez lib. 2. disp. 8. cap. 7. n. 316. cum etiam hodie apud Lutheranos in quibusdam locis, ad hunc vsum Christi crucifixi imagines prostare videantur.

Secundo probatur eadem doctrina ratione. Nam 139
primo; quod coram imagine honoratur prototypum, per id reuera non honoratur imago sed solum prototypum: ergo si non aliter imago honoratur, rectissime negari potest honorari; quod tamen nemo Catholicus dixerit.

Deinde si imago improprie tantum honoratur, proprie autem loquendo non honoratur, sequitur melius, & magis proprie loquutos fuisse, ac etiam num loqui Iconomachos, seu veteres, seu recentiores, negantes imagines colendas esse, quam Concilia & Patres, dicentes, esse colendas: sed consequens est absurdissimum. Maior est euidens; Minor probatur, si enim melius ac magis proprie loquuti fuissent, immerito fuissent damnati: quia nemo damnandus est propterea, quod dimissa impropria locutione, sermonis proprietatem retinet: at illi merito damnantur ab omnibus Catholicis. Ergo &c.

Nec est vllum argumentum alicuius momenti pro contraria sententia, vt magis patebit ex sequentibus. *Et fortasse*, inquit Bellarminus lib. 2. de cultu imag. cap. 21. *auctores oppositæ opinionis; hoc solum dicere voluerunt, nimirum honorem proprium exemplaris non posse exhiberi imagini, nisi improprie, de honore autem inferiore nihil dixerunt. Quod si ita est, ab eis non dissentimus.* Ita Bellarminus. Sed cuius interpretatio benignior videtur, quam verior, vt tum ex adductis verbis authorum liquet, tum mox ex difficultate sequenti patebit.

Secunda igitur difficultas & controuersia est, an 140
imagines, aliæque res sacræ vllo modo etiam in se, tanquam verum & proprie dictũ obiectum Quod, aut saltem eius quædam pars materialis, terminent actum adorationis seu cultus, non tantum ratione signi exterioris, sed etiam ratione internæ submissionis & affectus, sine quo nulla vera adoratio subsistit.

Et vero præter auctores iam antea citatos & refutatos difficultate præcedente, sunt insuper etiam alij, qui etsi aperte doceant, imagines vere & pro-

prie

prie colendas, aut certe id non negent, ita tamen suam sententiam declarant, vt non nisi verbo tenus à reiecta superius sententia discrepare videantur. Docent enim, non aliter, nec alia ratione coli imagines, nisi quia illis, seu coram illis, & circa illas, exhibentur externa signa honoris, vt genuflexio, deosculatio, inclinatio, vel apertio capitis &c. cum tamen interim internus affectus honoris seu submissionis nullo modo dirigatur ad imaginem, sed solum ad prototypum.

Ita docet Didacus siue Iacobus Payua Andradius lib. 9. orthodox. explicat. vbi ait: *Quamquam si corporis motus, externamque venerationem spectes, imago ipsa colatur; animus certe, qui pietatis religionisque sedes est, nihil minus quam lignum, colores, atq; imaginem intuetur; sed totus in re, quam imago refert, positus est.* Idem significat Castro V. *adoratio*, cum ait: *Denique adoratio ipsa etsi coram Cruce fit, mens tamen nostra ad id solum fertur, quod crux ipsa repræsentat, Dei scilicet Filium, olim in cruce pendentem.* Fauet etiam quoad imagines Palacius 3. sent. dist. 9. disp. 1. in fine.

141 Idem expresse docet Vasquez lib. 2. de adorat. disp. 8. cap. 8, 9. 12. vbi maiorem honorem imaginibus non concedit, quam per accidens, & in signo externo, deriuato ab affectu seruitutis, siue submissionis circa exemplar; ita vt honor ille, quo imago ipsa colitur non sit nisi signum externum honoris, cum simplici affectu illud exhibendi. Quod etiam repetit eadem disp. cap. 13. vbi Payuæ sententiam refert & approbat. Idem docet cap. 15. licet ibidem simul defendere conetur, imagines nihilominus vere & proprie, non analogice dici venerandas & adorandas.

Vnde etiam eam sententiam, quæ solum improprie imagines adorari asserit, non vult in re falsam videri: imo suam sententiam cum illa re ipsa eandem facit lib. 2. disp, 6. cap. 1. num. 66. *Quod autem Durandus*, inquit, *Picus Mirandulanus, & Holkot, asseuerant, osculum, inclinationem corporis, & alia signa esse proprie adorationem, cultum, & reuerentiam exemplaris; ipsius autem imaginis, non nisi improprie, & latiore significatione, in modo loquendi solum, non re ipsa aliis Catholicis aduersantur.* Et disp. 8. cap. 3. num. 273. addit, eosdem, *quamuis in modo loquendi varient, & se putent cæteris scholasticis aduersari, ab hac tamen sententia* (quam ipse sequitur) *re ipsa non differre.*

142 Eandem sententiam sequitur Lessius lib. 2. de Relig. cap. 36. num. 19. vbi ait: *Imagines Christi, & aliæ res inanimæ, non sunt capaces honoris formalis; sicut nec contumeliæ, aut iniuriæ; cum non possint hæc apprehendere; nec sint capaces vllius excellentiæ supra naturam rationalem. Itaque solum possunt coli per accidens, & actu materiali & externo honoris, qui vt ad illas terminatur, non est honor formaliter, sed solum materialis actus honoris: est autem formaliter honor, vt terminatur ad exemplar.*

Eidem sententiæ fauent Turrianus lib. 1. pro Canonibus Apostolorũ cap. 25. & ex veteribus Scholasticis nonnulli apud Suarez 3. part. tom. 1. disp. 54. sect. 4.

Sed & Valentia hic q. 11. punct. 6. & Azor tom. 1. lib. 9. cap. 6. q. 5. ambigue loquuntur: qui tamen si recte expendantur, plus non volunt, quam imagines non propter se (ita vsurpare videtur Valentia particulam *secundum se*) nec sine relatione ad aliud coli, neque in ipsis imaginibus vltimate sisti.

Nihilominus pro certo habendum est, non tantum externa signa honoris, cum simplici affectu ea exhibendi, sed etiam ipsum internum affectum reuerentiæ, & cultus, seu adorationis, ad imagines & reliquias Sanctorum vere & proprie deriuari, siue tanquam ad materiale obiectum totale, siue vt ad partem materialis obiecti, de quo iam nihil definimus. Ita speciatim docent Bartholomæus Medina 3. part. q. 25. a. 4. Catharinus tract. de imag. Albertus Pius lib. 8. cont. Erasmum, Sanderus lib. 2. de imag. cap. vlt. Bellarminus lib. 2. cap. 2. Suarez tom. 1. 3. part. disp. 54. sect. 5. & 3. tom. disp. 8. sect. 8. & quoad reliquias expresse Gregorius de Valentia loc. cit. & multi tam veteres, quam recentiores dub. vlt. citandi. 143

Idem plane ex antiquis Scholasticis sensit S. Thomas, & apertius tradiderunt Capreolus, & Ferrariensis inferius citandi, item Maior 3. dist. 9. q. 1. Gabriel ibidem, & super canonem lect. 49. & Paludanus in 3. dist. 9. q. 1. vbi ait, imaginem *verè adorari, licet solum propter exemplar.* Et infra, *absurdum esse* dicit *principium, nihil irrationale esse adorandum in se: quia licet non propter se, tamen in se adorari potest & debet.* Vbi cum imagines adorari sentiat, absque eo quod formaliter & directe adoretur exemplar, necessario sentit, etiam internum affectum reuerentiæ & honoris ad imaginem referri.

Neque vero hæc doctrina minus certa videtur, quam præcedens, de propria imaginum veneratione, vt etiam censuit Suarez loc. cit. cum opposita sententia, à priori, quam refutauimus, in re non differat, vt eius auctores fatentur, sed solum in modo loquendi, qui re eâdem supposita, non est melior, sed potius deterior, magisque improprius, vt bene etiam dixit Suarez loc. cit.

Vnde probatur nostra sententia primò omnibus testimonijs Conciliorum & Patrum, pro resolutione præcedentis controuersiæ allatis; è quibus maxime notanda verba Synodi VII. asserentis, imagines *ex affectu, ex animi desiderio, ex toto corde, cum debito honore, perfecte adorandas &c.* Secundo probatur eadem doctrina sequentibus rationibus. Prima ratio est. Vt aliquis actus humanus verè & proprie denominet rem aliquam per modum obiecti, necesse est, vt intima essentia actus, nullo essentiali excluso, multo minus eo, quod in ipso præcipuum, & velut anima totius actus est, feratur in eiusmodi rem, tanquam in obiectum seu materiam suam: atqui secundum sententiam, quam refellimus, actus adorationis seu cultus, secundum ea, quæ sunt de eius intrinseca ratione, imo secundum id, quod in ipso præcipuum est, non fertur in imagines, aut res alias inanimatas: Ergo iuxta eandem sententiam, actus adorationis non vere & proprie denominat imagines; quod tamen ipsi pernegant. Maior patet inductione: & ratio est. Quia denominari obiectum aliquod ab actu, supponit actum circa ipsum versari: atqui non potest circa ipsum versari, si ipse actus secundum suam essentiam ad illud non terminetur. 144

Minor probatur. Quia de essentia adorationis

& honoris, est, ipse affectus internus seu intentio honoris, vt docent omnes, & agnoscit Vasquez lib. 1. disp. 1. cap. 4. & lib. 3. disp. 1. cap. 6. num. 43. vbi ait: *Adoratio duobus constat; & affectu seruitutis* (siue submissionis) *erga rem excellentem, cui notam submissionis deferre desideramus, & ipsa nota exteriori.* Idem confirmat lib. 2. disp. 8. cap. 8. & cap. 12. num. 361. vbi ait: *Actum adorationis in ratione cultus, honoris, & adorationis duobus constare; vnum est nota exterior submissionis, vt genuflexio &c. alterum, submissionis affectus, quo quis ex apprehensione excellentiæ & dignitatis, alicui vt excellenti notam illam vult exhibere, sine quo nota exterior non esset adoratio & cultus, cum ea fieri posset animo quoque ioci, aut irrisionis.*

Vnde etiam Leontius dialog. 5. contra Iudæos relato & probato in Synodo VII act. 4. & à Damasceno orat. 3. de imag. ait: *Ergo vt sæpe dixi, in omni salutatione & adoratione intentio ipsa requiritur.* Quo spectat etiam illud Aristotelis, *honorem esse in honorante*; nimirum ratione internæ submissionis & affectus, sine quo nullus est honor.

145 Secunda ratio. Aut opposita sententia intelligit, eatenus solum proprie coli imagines, quatenus reipsa per externam actionem (accedente simul consensu voluntatis) coram imagine, vel circa imaginem, externa honoris signa exercentur, v. g. apertio capitis, genuflexio, osculum &c. aut præterea requirit, vt ex peculiari quodam affectu voluntatis ad imaginem referantur, quasi videlicet eius etiam causa, adeoque in eius honorem & quasi commodum facta. Si secundum, habemus intentum; quia is ipse est internus quidam affectus reuerentiæ & honoris.

Si primum dicunt, vt sane videntur dicere, tum sequi videntur hæc absurda. I. Imagines non magis proprie coli, quam colitur terra, cui in honorē DEI osculum infigitur; quod videtur contra communem sensum fidelium.

II. Non magis coli imaginem ratione repræsentationis, adeoque vt formaliter imago, quam ipsam eius materiam: &c. quod est contra Concilium Nicænum act. 4. vbi Leontius: *Imaginem*, inquit, *Christi adorans, non lignorum aut colorum materiam adorabat, sed inanimatum characterem Christi.*

146 III. Non minus dici posse imagini sacrificari, aut eam inuocari, quam externis gestibus corporis adorari; cum vtraque honoris signa æqualiter coram imagine, seu circa imaginem exerceantur: id quod tamen est contra Concilium Tridentinum relatum dub. 4. num. 119.

IV. Sequitur, eum non errare, qui cum alioquin admittat, coram imaginibus, & circa imagines, ex simplici affectu & proposito voluntatis, posse externa honoris signa exerceri, asserat tamen, imaginem esse tantum conditionem, qua mediante exemplar colatur; siquidem reipsa opposita sententia plus honoris imaginibus non tribuit; nec verò vllum proprium imaginis cultum tueri potest: id vero à Caietano, & à Tapia, alijsque nonnullis superius assertum meritò reprehendit Vasquez lib. 2. disp. 8. cap. 7. num. 316. & 318. *quia*, inquit, *incideremus in sententiam Iconomachorum, qui ad solam recordationem exemplarium imagines retinebant.*

147 V. Tandem sequi videtur, Iconomachos illos saltem reipsa non errasse, qui ad memoriam imagines retinendas esse docuerunt, negantes earum adorationem: quia nec isti negasse inueniuntur posse coram imaginibus, aut circa imagines exerceri externa signa honoris, ex affectu erga prototypa, vt recte notauit Suarez cit. disput. 54. sect. 4. & tacite agnoscit Vasquez loc. cit. & patet etiam ex quorundam Lutheranorum nostri temporis more, qui crucifixi imaginem in medio templi expositam retinent, nec vtique auersa ab ea facie precationem instituunt. Consequens autem illud planè est absurdum, vt constat ex verbis septimæ Synodi act. 6. superius difficult. 1. relatis.

Tertia ratio sumitur ex duobus exemplis, quibus auctores quoq; contrariæ sententiæ adorationem imaginum recte explicari docent. 148 Primum desumitur à virtute iustitiæ, quod pariter referunt Suarez loc. cit. sect. 5. sub finem & Vasquez lib. 2. num. 329. Sicut enim religio versatur circa alterū, nempe ratione præditum; ita etiam iustitia. Et tamen hoc non obstante, potest aliquando iustitiæ actus seu affectus internus immediate versari etiam circa rem expertem rationis, puta equum, quem seruus, siue conductor ex iustitia bene tractare debet; etsi in hoc obiecto affectus iustitiæ vltimate non conquiescat: Ergo etiam adorationis actus, non solum ratione signi externi, sed etiam ratione affectus interni submissionis, poterit versari non solum circa ipsum principale obiectū intelligens, quod est prototypum, sed etiam circa imaginem, etsi vltimate in hoc non sistendo.

Dices: hunc ipsum tamen affectum erga equū, 149 prout formaliter erga equum est, non esse affectum iustitiæ; quia vt sic non est ad alterum: Ergo pariter etiam affectus erga imaginem, qua talis, non erit affectus venerationis siue adorationis. Respondeo, vtrumq; tam antecedens, quam consequens, verum esse reduplicatiuè, non specificatiuè loquendo; hoc est, ille affectus erga equum non habet quidem rationem iustitiæ, ex eo præcise, quod ad equum dirigitur; sed reuera etiam qui ad equum dirigitur, est verus affectus iustitiæ, non erga equū præcise, tanquam erga vltimatum terminum, sed erga dominum. Ita etiam affectus submissionis seu venerationis erga imaginem, non habet quidem rationem actus religionis, seu duliæ, præcise ex eo, quod circa imaginem versatur; sed tamen is ipse etiam reuera versatur circa imaginem, in ordine tamen ad exemplar, siue propter exemplar, à quo vltimate rationem virtutis religionis, siue duliæ participat.

Alterum exemplum petitur à charitate, quatenus circa Deum, & hominem versatur; quod verbis ipsius Vasquez referam, qui hoc ipso exemplo vtitur, etsi id aliter applicet lib. 3. disp. 1. c. 6. n. 37. 150 *Si proximus*, inquit, *sit solum materia diligendi Dei, quia bonum quod in ipso est, aut ei desideramus, non concupiscimus, quatenus bonum illius est, & ex complacentia ipsius, sed quatenus Dei bonum quodammodo in eo apprehenditur, & ex complacentia ipsius Dei; optime adoratio imaginum cum dilectione proximi hoc modo confertur. Sicut enim idem actus amoris est, qui terminatur ad proximum, & ad Deum; (quamquam circa proximum tanquam circa materiam versatur, Deum vero*

respicit

respicit vt obiectum formale:) Sic etiam idem motus adorationis est imaginis & exemplaris, qui diuerso modo vtrumq; respicit. Hactenus Vasquez. Nunc autem subsumo: atqui actus ille amoris, tametsi principaliter feratur in DEVM, qui est ratio amandi, & formale obiectum *Quod*, reuera tamen etiam fertur in proximum, non solum secundum effectum quendam externum, sed etiam secundum ipsum internũ affectum: ergo etiam actus adorationis non solum secundum signum externum, sed etiam secundum internam animi submissionẽ ac reuerentiam, versari poterit circa imaginem.

151 Neque vero absurdum est, nos ipsos imagini sacræ aliqua ratione submittere, protestando, non quidem nos vndequaque & simpliciter, sed saltem quidem vti res profanas, aut etiam culpæ obnoxias, re eiusmodi, qua sacra est, inferiores esse. Cum eadem etiam ratione homines sancti, imo etiam profani, se longe alioqui inferioribus & deterioribus submittere quotidie, absque vlla reprehensione, soleant; nec omnino opus sit, vt res ex affectu adoranda, sit vndique excellentior persona adorante; modo semper vltimata ratio adorandi sit excellentia rationalis creaturæ; quando homines vere coram Deo humiles se omnis creaturæ seruitio indignos iudicant, hocque ipso se omni creaturæ quodammodo subijciunt. Certe S. Thomas 2.2.q.103. a.2. in hunc ipsum sensum docet, *in quolibet inueniri aliquid ex quo potest*, inquit, *aliquis eum superiorem reputare.* Quod non satis aduertisse videntur quidam contrariæ sententiæ auctores, dum ex nostra sententia inferunt, *aut imagini aliquam specialem virtutem tribuendam, aut irrationabiliter in spiritu & affectu illi seruiendum.* Qua ratione etiam fundamento oppositæ sententiæ satisfactum est.

DVBIVM VI.

An, & qua ratione imagines simul cum exemplari, eodemque cultu coli possint.

S. Thomas 2.2.q.84.a.1.& 3.part. q.25. a.3.4. & 6.

152 DOcuimus dubio præcedenti, imagines vere ac proprie coli, ita quidem, vt non solum externum signum, sed etiam internus affectus honoris & reuerentiæ ad imagines, aliasque res sacras pertineat. Sed quia hoc dupliciter fieri potest, vt vel simul cum ipso prototypo, vel etiam per se ac seorsim ita colantur, sequitur nunc tertia difficultas & controuersia explicanda, an, & quonam modo imagines, simul cum exemplari, eodemque cultu coli possint. Vbi sermo est, non tantum de eodem cultu secundum habitum, vt recentiores quidam Thomistæ S. Thomam interpretari conantur, sed etiam de eodem cultu, ratione actus.

153 Et quidem plerique veteres scholastici, agentes ex instituto de cultu imaginum, docuerunt, eas simul, ac eodem cultu cum prototypo venerandas esse. Ita Sanctus Thomas in 3. distinct. 9. quæstione 2. articulo 2. quæstiunc. 2. & 3. part. quæstione 25. artic. 3. 4. & 5. Caietanus ibidem, Alensis 3. part. quæstione 30. Albertus, Bonauentura, Richardus, Paludanus, Capreolus, Almain, Maior in 3. distinct. 9. item Marsilius, Waldensis, Ferrarienſis, Turrecremata, Antoninus, Hieronymus Angestus, Clitouæus apud Vasquez lib. 2. de adorat. disput. 8. cap. 3. atque omnes auctores illi, qui docent, imagines non nisi impropriè, aut secundum externum honoris signum coli & adorari. Idem docent Vasquez ibidem, Azor tom. 1. lib. 9. cap. 6. quæstione 5. Valentia hic disput. 6. quæstione 11 punct. 6. & Lessius dub. præced. citatus, alijque Theologi communiter; quorum plærique etiam addunt, imagines non posse aliter coli, quam simul cum prototypo, vt sequenti dubio dicetur.

Qui tamen ipsi authores inter se non consentiunt. 154 Quidam enim sentiunt, solum externa signa honoris circa imaginem versari, in quibus Vasquez, Lessius, & quidam alij recentiores, post Durandum, Holkot, Mirandulanum, Castro, Payuam dubio præcedenti citatos. Alij hoc etiam intelligunt, de interno affectu reuerentiæ, quos inferius sigillatim referemus.

Oppositum vero vniuersim sentiunt Catharinus opusc. de adorat. imag. concluſ. 6. & 7. & Martinus Aiala lib. de tradit. 3. part. qui dixerunt, imagines non posse eodem cultu cum prototypo coli, sed tantum aliquo minori.

Reuocanda hic est in mentem ex dubio 4. num. 155 123. duplex consideratio imaginis, etiam formaliter, vt imago est. Imago enim formaliter accepta dupliciter menti obijci potest: primò, vt ipsa sola sit totum obiectum, quod per se & directe concipitur, aut honoratur; prototypum verò solum per modum termini correlatiui in obliquo connotetur. Secundo, vt ipsa, simul cum exemplari ab ea repræsentato, directe apprehendatur, & formaliter terminet motum adorationis; quo casu imago dicitur exercere actum imaginis, iuxta Caietanum 3. part. quæstione 25. articulo 4 Quidam priorem imaginis considerationem vocant, *vt signi*; posteriorem, *vt medij*, quo prototypum menti obijciatur: alij contra hanc *vt signi*; illam *vt rei*, quasi secundum se spectatæ, vt videre est apud Marsilium, & alios, quos dub. sequenti referemus. Hoc posito, sequentes assertiones statuimus.

ASSERTIO I. Imago priori modo spectata, 156 quatenus scilicet per se colitur, non colitur eodem cultu cum prototypo, nisi ratione habitus. Ita habet communis Doctorum sententia. Ratio est; quia imago etiam formaliter spectata, vt nimirum est repræsentatiua prototypi, non habet eandem excellentiam cum prototypo, sed longe inferiorem: Ergo cum ipsa per se, vt totum & adæquatum obiectum *Quod*, directe colitur, non potest eodem cultu cum prototypo, sed longe minori cultu coli: quandoquidem cultus respondere debet excellentiæ termini, qui colitur. Quia tamen etiam hoc casu, vltimata ratio formalis obiectiua colendi imaginem, est excellentia prototypi, ideo recte censetur, hic etiam ipse cultus pertinere ad eundem habitum, quo colitur prototypum, vt dicetur dub. sequenti.

ASSER-

157 Assertio II. Imagines posteriori modo spectatæ, vt actu videlicet exercentes munus imaginũ, (eadem est ratio aliarum rerum sacrarum) eodem numero cultu adorationis simul cum prototypo coluntur. Ita, vt vidimus, habet communis veterum & recentiorum Theologorum sententia, paucis quibusdam superius relatis exceptis. Ratio est. Quia hoc casu obiectum seu terminus adæquatus vnius ac eiusdem numero cultus, intrinsece ac directe constituitur, tam ex imagine, quam ex prototypo; ita vt vnus re ipsa adorationis motus & actus terminetur simul ad hoc totum coniunctum, quod est, imago prototypo animata, seu prototypum imagine quasi vestitum; non realiter, vel per deceptionem considerantis; quia non iudicat, imaginem esse prototypum, aut in ea realiter esse prototypum; sed per viuam & simplicem repræsentationem & apprehensionem exemplaris in imagine, perinde ac si adesset.

Idem accidit in quauis adoratione personę cuiusuis excellentis, vbi cum adæquatum adorationis obiectum intrinsece constituatur ex animo & corpore, simul & eodem actu colitur anima & corpus. Ita etiam cũ adoratur Rex purpura vestitus, simul & eodẽ actu colitur Rex & purpura Regis, etsi diuersimode, vt dicetur. Plura assert. sequente.

158 Assertio III. Dupliciter imago simul cum prototypo, eodemque cultu coli potest; primò vt circa imaginem solum versentur externa signa adorationis; ipse autem internus affectus submissionis & reuerentiæ solum dirigatur ad prototypum: Secundò vt non solum externa signa, sed etiam internus affectus submissionis & reuerentiæ, verè circa imaginem simul & exemplar, tanquam circa adæquatum terminũ seu obiectum Quod versentur; adeoque vtrumq, verè & proprie eodem cultu colatur. Prior pars assertionis est extra controuersiam. Ratio est; quia cum adorationis cultus ex duobus constituatur, nimirum interno affectu reuerentiæ, & externo signo honoris, recte dici potest, eundem numero cultum aliquo modo, & secundum diuersam sui partem, terminari ad imaginem simul, & prototypum.

Neq; enim impossibile aut illicitum est, ad imaginem solum referre externa honoris signa; affectũ autem internum reuerentiæ ad solum prototypũ: quia hoc in re non est aliud, quam coram imagine & per imaginem coli exemplar; quo ipso eodem cultu aliquo modo colitur imago cum exemplari; quamquam quod Vasquez alijque nonnulli vocant cultum proprium imaginis, nos improprium dicimus.

159 Posterior pars assertionis est itidem communior sententia Doctorum, quidquid nonnulli præsertim recentiores superius relati post Durandum, Holkot, Mirandulanum, Castro, Payuam &c. repugnent. Ita enim plane sentit S. Thomas in 3. dist. 9. q. 1, a. 2. quæstiunc. 2. & 3. part. q. 25, a. 3. 4. & 5. cum expressis verbis sæpius ait, *motum in imaginem, vt imago est, eundem esse cum motu, qui est in exemplar*: vbi sine dubio de motu interno animæ potissimum loquitur, iuxta Aristotelem quem citat lib. de mem. & reminisc. cap. 2. Accedit, quod absolutè dicit, imaginem eodem cultu coli cum prototypo: quod proprie, adeoque etiam de interno affectu reuerentiæ accipiendum est.

Qua ratione etiam S. Thomam communiter intellexerunt eiusdem interpretes & discipuli. In quibus Capreolus in 3. dist. 9. q. 8. a. 3. expresse docet, imaginem cum exemplari per modum vnius obiecti adæquati coli. Quod contra Durandum explicans ait: *Cum anima, vel aliqua eius potentia fertur in imaginem, vt imago est, licet non affirmet, quod imago est res, cuius est imago; non tamen oportet, quod quolibet tali actu neget vnum ab alio, aut formet duos conceptus distinctos de illis; imo eodem conceptu potest vtrũq; concipere, vnum in ordine ad aliud, &c. Quia sicut illa, quæ sunt vnum in re, potest intellectus diuersis conceptibus concipere & iudicare; ita illa quæ sunt realiter distincta, potest vnico conceptu concipere, & iudicare, quomodo vnum illorum est ad aliud &c.*

Item Ferrariensis 3. cont. Gent. cap. 20. in fine, 160
aperte etiam asserit, imaginem esse *partem totalis obiecti, in quod latriæ (seu duliæ, si est exemplar requirens eam) adoratio, etiam secundum eundem animi motum, terminetur; etsi exemplar sit ratio, quod adoratio simul ad imaginem terminetur.* Et addit; *hoc non esse male Catholicum, vt Mirandulanus dixerat, sed oppositum esse magis à Catholica fide alienum.* Eodem modo S. Thomam explicat & sequitur Paludanus in 3. dist. 9.

Imo & Caietanus licet hac de re subinde lubrice loquatur, vt dub. 4. retulimus, alias tamen satis aperte hunc sensum tradit, vt cum ait 3. part. q. 25. a. 4. *Motum adorationis (etiam internum) in imagine, quatenus est imago, esse in ipsam quidem, sed secundum aliud in ipsa. Ipsam quidem*, inquit, *quia ipsa est, quæ exercet actum terminandi motum, quia in ipsa est exemplar, ad quod ducit; secundum aliud verò in ipsa, quia ratio terminandi est exemplar, quod est aliud ab ipsa, & constat, quod est in ipsa &c.* Et ibidem refert & approbat dictum S. Thomæ asserentis, quod *per hunc modum, quo totum in parte honoratur, adoratur quis in imagine.* Eodem modo sentiunt, & S. Thomam intelligunt Bartholomæus Medina 3. part. q. 25 a. 3. & Suarez cit. tom. 1. disp. 54 sect 4.

Item Michael de Palatio in 3. dist. 9. disp. 1. etsi 161
contrariam ipse sententiam amplexus: *Thomas*, inquit, *imaginem credit proprie colendam eodem cultu, quo res ipsa colitur, cuius imago est &c.* eandemque sententiam tribuit Caietano ibidem.

Idem docet Argentina 3. dist. 9. a. 1. vbi ait; *Adorationem latriæ primo & principaliter Deo, consequenter autem exhibendam esse humanitati Christi, cruci eius, & coronæ, & cæteris suis insignijs, ac etiam imaginibus Christi.* Vbi imagines quoad hoc cum humanitate Christi componuntur.

Item Ioannes de Bassolis in 3. dist. 9. q. 1. *Non solum*, inquit, *humanitas, vel caro Christi, modo prædicto potest adorari latria: sed etiam imagines Christi, & Cruces, vel Crux Christi, inquantum repræsentat Christum. Et tunc non est distincta adoratio Christi, & prædictorum, sed etiam principaliter Christi, & consequenter aliorum, vel secundario.* Eadem deniq; est communis sententia ac mens Theologorum, dum absolute docent, imagines eodem cultu cum prototypo colendas esse: quod proprie, atque adeo etiam de interno affectu adorantis accipiendum est; cum nihil excipiant, & sine interno affectu re-

uerẽ-

uerentiæ nulla sit vera adoratio, vt dictum.

162 Probatur assertio, maxime quoad posteriorem hanc partem, primo ex Concilijs, & SS Patribus, qui non solum frequenter hunc adorandi modum indicant, sed subinde etiam elegantibus exemplis ac similitudinibus eum declarant. Etenim Athanasius serm. 4. contra Arian. ait: *Regem ipsos inspicere, qui Regis inspiciunt imaginem.* Et in septima Synodo act. 4. ait Leontius: *Imaginem Christi adorans, non lignorum aut colorum naturam adoro: sed inanimatum characterem Christi. Hunc enim cum habeam, per ipsum, Christum me tenere & adorare mihi videtur.* Vbi vides, distinctionem inter imaginem vt imago, seu *inanimatus character* Christi est, & inter esse naturale imaginis; priori modo simul cum Christo adorari, non posteriori. Et ibidem Ioannes Presbyter act. 7, ait: *Vnde & Beatus Pater* (Basilius) *indicauit, non esse duas adorationes, sed vnam ipsius imaginis, & primi exemplaris*; vtique etiam secundum internum affectum animi.

Et Damascenus orat. 3. de imag. *In imagine species & forma Regis; & in Rege species est imaginis: expressa est in imagine Regis similitudo, vt qui videt imaginem, in ipsa Regem aspiciat, & qui Regem videt, intelligat hunc esse illum, qui in ea sit expressus imagine. Et quia non differt similitudo, idcirco post conspectam imaginem, volenti Regem intueri, imago dixerit: Ego, & Rex vnum sumus,* quia nimirum per modum vnius obiecti animo obijciuntur.

163 Et Leontius in septima Synodo act. 4. & apud eundem Damascenum ita loquitur: *Quemadmodum Iacob accipiens à filijs suis vestem sanguine conspersam Iosephi, cum lachrymis osculatus est, suisque oculis circumposuit, non ipsam vestem* (vltimate & principaliter) *diligendo, aut honorando hoc fecit; sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari, & in manibus habere: sic etiam Christiani omnes imagines Christi, aut Apostoli, aut Martyris tenentes, nostraque carne osculantes animo videmur nobis ipsum Christum, aut Martyrem* (vtique tamen simul cum imagine) *amplecti &c.*

164 Et in eadem septima Synodo act. 4. dicitur: *Quemadmodum qui mandatum Imperatoris suscepit, illius sigillum osculando, non ipsam literam, aut characterem, aut plumbum veneratur, verum Imperatori ipsi adorationem & cultum exhibet: ita quoque Christianorum filij typum Crucis adorantes, non naturam ligni adoramus; sed aspicientes sigillum, annulum, & characterem, & per hoc* (imaginatione scilicet coniunctum exemplari) *Christum ipsum, qui in illo crucifixus est, salutamus & adoramus.*

Et infra: *Quemadmodum genuini filij, peregrinante longo tempore patre, ex ingenti amore, quidquid in eius domo viderint, siue baculum, siue sedem, siue chlamydem, hæc omnia cum lachrimis amplexantur, non illa* (vltimate) *adorantes, sed patrem adorantes & venerantes: sic nos fideles omnes, Christi crucem tanquam virgam* (siue sceptrum) *adoramus; sepulchrum vero ter sanctum, vt sedem & cubile eius; præsepe autem vt domum &c.* Quibus omnibus locis significatur, imaginem simul cum exemplari menti & affectui adorantis obijci; ita vt vnus & idem motus animi simul ad vtrumque, sed modo diuerso (vt dicetur) referatur.

Eundem modum adorationis apertius indicauit Concilium Trident. sess. 25. de venerat. reliquiar. & imag. vbi ait: *imaginū cultum referri ad prototypum, ita vt per imagines Christum adoremus, & sanctos veneremur.*

165 Secundo probatur assertio hac ratione, Si possibile & licitum est, vt intellectus noster prototypum simul & imaginem (eadem est ratio aliarum rerum sacrarum) per modum vnius obiecti adorabilis directe apprehendat, tunc etiam voluntas vno quodam actu & affectu adorationis in vtrumq; tendere potest: sed verū est antecedens: ergo & consequens. Maior patet. Quia quidquid intellectus, per modum vnius totalis obiecti, tanquam adorabile, potest directe & licite apprehendere, ac voluntati proponere, in id ipsum potest etiam voluntas proportionato affectu licite ferri.

Minor probatur. Primo enim extra controuersiā est, posse intellectum distincta obiecta, præsertim aliquo modo subordinata, simul & per modū vnius obiecti totalis apprehendere, v.g. parietem album, Regem purpuratū; hominem in sepulchro iacentē, aut sepulchrum ossibus refertum, inter quæ non est maior connexio, similitudo vero minor, quam inter imaginem & exemplar. Idem patet experientia. Nam videndo imaginem, potest intellectus statim hoc ipso etiam exemplar ab imagine repræsentatū directe apprehendere, & cum imagine per imaginationē coniungere, perinde ac si in imagine ac cum imagine præsens esset; apprehendendo scilicet imaginē quasi exemplari animatā, aut exemplar imagine vestitū, vt Christum v.g. cruci affixum &c.

166 Deinde posse etiam vtrumque sic apprehensum, sub ratione vnius obiecti adorabilis voluntati proponi, non solum de facto, sed etiam de iure ac licite, probatur. Nam quando exemplar est venerabile, tū quicquid simul cum eo, aut secundū rē, aut secundū imaginationē conuenienter iunctū inuenitur, recte simul etiā vt venerabile saltē per accidens, & propter ipsum exemplar iudicatur, vt patet in purpura Regis; quod est cōmune Patrū & Theologorū exemplū ex Augustino homil. 58. de verbis domini. Idē patet in pedibus, cæteris; membris, ad personā adoratā spectantibus. Neq; enim dū actus adorationis ad personā terminatur, hæc aut re ipsa, aut per apprehensionē, seu abstractionē intellectus separātur. Nec obstat, quod vt obijcit Aiala, hæc iā reipsa cum persona, quæ adoratur, sunt coniuncta; imago vero cū exemplari non itē. Satis est enim, quod per intellectū decēter & cōuenienter, ptotypo iūcta est.

167 Tertio idem probatur duobus exemplis, iustitiæ, & charitatis, præcedenti dubio adductis. Nam si idē affectus iustitiæ potest versari circa hominē & brutū; idē affectus charitatis circa DEVM & hominem: cur non possit vnus & idem affectus adorationis versari circa exemplar & imaginem?

Denique idem confirmatur ex doctrina ipsius Vasquez, qui licet alioquin contrarium asserat, vt dictum, tandem tamē inter imaginē distinguit lib. 2. de adorat. disp. 8. cap 14. num. 385. & vno quidē modo, nullam ei adorationem aliam, præterquā in signo; alio vero modo spectatæ (prout videlicet in oppositō considerari diximus) adorationē etiam *ex affectu* apertē tribuit. *Nota*, inquit, *quoties loquimur de imagine secundum se, non solum intelligere colores &*

materiam illius, sed etiam relationem repræsentationis, vt res quædam inanima est. Hunc autem dicimus exhiberi cultum in signo, ex affectu tamen circa exemplar. Quod si cum eodem Caietano aliquis vsurpet imaginem, vt ille loquitur, formaliter, vt exercet actum imaginis, hoc est, pro exemplari ipso in imagine; vel pro imagine, prout continet exemplar, & eo ipso quasi animata est, dicendum est sine dubio, ei veram latriam in spiritu, pro dignitate prototypi, exhiberi. Et infrà: *Porro imago exercens actum imaginis & in se continens exemplar, sicut corpus animã, est quoddam quasi compositum cogitatione nostra, cui toti latria defertur.* Quo nihil pro nostra sententia dici potuisset apertius; etsi author ibidem rursum insinuat, etiam hoc casu solum externa signa cultus ad imaginem referri; quod meo iudicio cum dictis non bene cohæret.

168 Assertio IV. Semper tamen diuerso ac inferiori modo, imago simul, ac eodẽ cultu cum prototypo colitur. Ita fatentur omnes. Ratio est; quia prototypum, tanquam ratio colendi imaginem, est principale & *formale obiectum Quod* talis cultus; imago autem, secundarium & materiale, & quasi accidentaliter annexũ: illud non solum propric, sed etiã absolute ac per se; hoc proprie quidem, sed non nisi relatiue, & propter illud dumtaxat, adeoq; vt Bellarminus & Capreolus non male loquuntur, per accidens tantum, colitur eodem cultu cum prototypo, sicut purpura, quæ cum Rege eadem adoratione colitur.

169 Eadem diuersitas inter prototypum & imaginẽ, respectu eiusdem cultus etiam interni, optime declaratur exemplo charitatis. Sicut enim, quando per charitatem Deo proximum nostrũ amando volumus, re ipsa quidem vnus & idem affectus amoris versatur, simul, tam circa Deum, quam proximum; attamen respectu Dei habet rationem amoris amicitiæ seu beneuolentiæ, respectu proximi vero, non item, sed potius cuiusdam quasi concupiscentiæ: ita vnus & idẽ re affectus submissionis, erga exemplar quidem habet rationem veræ seruitutis, adeoque duliæ, vel latriæ; erga imaginem vero solum simplicis reuerentiæ & submissionis, qua imagini tanquam signo rei sacræ nos ipsos aliqua ratione submittimus; hoc ipso, quod affectus ille duliæ seu latriæ ad imaginem solum secundario, consequenter, propter aliud, & per accidens refertur. Quod pariter etiam de vestibus & membris personæ alicuius, quæ adoratur, dicendum est.

170 Assertio V. Ob eandem causam, etsi veteres Theologi plerique, nondũ lecta septima Synodo, dixerint, imagines Christi latria coli; idq; suo quodam sano ac vero sensu; non solum si de habitu, sed etiam si de actu loquamur; quandoquidẽ materialiter vnus & idẽ cultus latriæ re ipsa ad imaginẽ, ptotypo quasi animatã, & ad ipsum prototypũ terminatur, vt dictũ est: iam tamẽ ita absolute, & sine explicatione sufficienti loquendũ non est. Ita Bellarminus lib. 2. de imag. cap. 22. & 25. Suarez 3. part. disp 45. sect 5. Baronius to. 9. Anno 787. Probatur ex septima Synodo act. 6. vbi diserte negatur, imagines adorari latria; *modo*, inquit, *sciamus excludi latriam; hæc enim est alia à simplici adoratione, vt sæpe alibi est dictũ.* Idẽ proinde sæpius repetitur in eadẽ synodo act. 7. in definit. fidei; & consentiunt Patres apud eosdẽ, speciatim Damasc. orat. 1. de imaginibus.

Ratio est. Tum quia cultus imaginis Christi, vel crucis, tametsi in nostro casu, re ipsa & materialiter 171
idẽ sit cũ cultu ptotypi, reuera tamen ac formaliter non habet rationẽ latriæ & perfectissimi cultus, nisi prout ad exemplar tendit, vt dictũ est. Tum quia nisi diserte res explicetur, imagines non solent, vt recte prototypo iunctę, eoq; velut animatæ intelligi; cum tamen per se nunquã, sed solũ quatenus ptotypo velut animatæ sunt, eodem cum prototypo cultu colantur, vt dictũ: addita verò hac explicatione, nihil obstat, quo minus imagines Christi etiã latria colendæ dicantur, vt scholastici veteres loquuti sunt, & paulo antea loquentẽ Vasquez retulimus.

Idem seruata proportione dicendum est de dulia, vel hyperdulia, respectu imaginũ, quarum exemplaria dulia vel hyperdulia colantur, vt recte notarunt Vasquez & Bellarminus locis cit.

Rectius dici potest, imagines Christi coli *ex latria*; 172
quia hoc modo *habitus* significatur, vt recte Suarez & Vasquez locit cit.

Bono etiam sensu admitti potest illa loquutio, velut propria; *Imagines Christi adorantur adoratione latriæ*, hoc est, non quæ sit latria, sed quæ pertineat ad virtutem latriæ, siue quæ sit opus externum latriæ. vt recte itidem docent Suarez & Vasquez locit cit. licet aliter loquatur Baronius loc. cit.

DVBIVM VII.

Vtrum nihilominus imagines, & reliquiæ sacræ, secundum se, & per se etiam, tanquam totum obiectũ materiale cultus, quod immediate ac directe colatur, coli & adorari aliquo, licet inferiori cultu possint; non adorato formaliter & directe exemplari.

S. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1. & 3. part. q. 25. a. 3. 4. & 6.

Est hæc quarta controuersia & difficultas, ex ijs, 173
quas circa imaginum, aliarumque rerum sacrarum inanimatarum cultum dubio 4. explicandas proposuimus. In qua sunt quatuor Doctorum sententiæ.

Prima sententia absolute negat, imagines, aliasq; res sacras inanimatas posse per se aut secundum se vllo modo coli. Ita Viguerius Instit. Theol. cap. 5. §. 5. v. 12. Cabrera 3. part. tom. 2. quæst. 25. artic. 3. concluſ. 2. Tapia 3. part. q. 25. art. 3. & 4. Vasquez toto fere libro 2. & 3. Lessius lib. 2. cap. 63. num 19. post Durandum, Holkot, Mirandulanum, & alios, qui proprium imaginum cultum negant, vt superius dub. 5. dictum.

Seeunda sententia distinguit inter imagines, & reliquias sacras; his enim concedit cultum, quo per se colantur; illis negat. Ita Bonauentura in 3. dist. 9. art. 1. quæst. 4. Gregorius de Valentia hic disp. 5.

q. 11. punct. 6. Palacius 3. dist. 9. disp. 1. quibus etiam fauent plerique veteres Scholastici, qui cum reliquijs hunc cultum concedant, vt videbimus, negare tamen videntur imaginibus, hoc ipso, quod nullum alium eis cultum tribuunt, quam quo simul colantur cum exemplari. Fauet etiam eidem sententiæ Azorius tom. 1. lib. 9. cap. 6. q. 5. quatenus reliquias per se quidem coli posse asserit, de imaginibus vero tacet.

174 Tertia sententia asserit, imagines aliasque res sacras, semper ac necessario per se ac secundum se coli, ita vt nunquam simul ac eodem cultu colantur cum prototypo. Ita Catharinus opusc. de adorat. imag. conclus. 6. & 7. & Aiala de traditionibus 3. part. qui hoc ipso, quod docent, imagines, aliasque res sacras semper diuerso ac minori cultu esse colendas, necessario loquuntur de cultu, qui rebus eiusmodi sacris per se ac secundum se deferatur.

Quarta sententia, vtrumque cultum rebus eiusmodi sacris tribuens docet, tam imagines, quam res alias sacras inanimatas, posse quidem secundum se ac per se coli diuerso ac minori cultu ab exemplari, sed non necessario debere; cum possint etiam simul ac eodem cultu cum prototypo coli. Ita Sanderus lib. 2. de imag. cap. vlt. Albertus Pius lib. 8. contra Erasmum, Bellarminus lib. 2. de Ecclesia triumphante cap. 23. Suarez 3. part. tom. 1. edit. vlt. disp. 54. sect. 5. & tom. 3. disp. 81. sect. 8. & alij recentiores inferius citandi. Quam sententiam vtj veriorem sequentibus assertionibus declaramus.

175 ASSERTIO I. Pro certo habendum, ipsam veram Crucem, in qua Christus pependit, aliasq; Sanctorum reliquias, tanquam res sacras, posse etiam per se ac seorsim aliquo modo coli & adorari, non adorato directe exemplari, seu persona illa, ad quã pertinent. Hæc assertio in hac materia est principalis: & quia Vasquez, alijq; nonnulli recentiores oppositum asserentes, admodum laborant, vt suam sententiam persuadeant esse cõmunem veterum ac recentiorum Theologorum, nos adductis particutim eorum testimonijs, quantum quidem ad reliquias attinet, de quibus in hac conclusione sermo est, quidquid sit de imaginibus, oppositum ostendemus: nempe nostram hanc sententiam, non oppositam esse communem veterum ac recentiorum Scholasticorum.

176 Etenim I. Ita aperte docet Bonauentura, qui etsi sua quam amplexus est, notione adorationis deceptus, vt dub. 1. dictum, *honorem adorationis* rebus eiusmodi sacris per se consideratis neget, reuerentiam tamen, & *honorem venerationis* aperte concedit. Verba eiusdem in 3. dist. 9. a. 1. q. 4. sunt hæc: *Duplici modo exhibetur alicui honor. Aliquando in obsequiũ reuerentiæ; & iste est honor venerationis. Aliquando in testimonium virtutis, & famulatum complacentiæ; & iste est honor adorationis. Vterque autem honor istorum ostenditur ipsi Cruci. Nam Crucem adoramus, & crucem veneramur; sed in hoc est differentia, quia honor venerationis exhibetur ipsi Cruci, tanquam instrumento nostræ salutis* (nimirum in se etiam, & per se spectatę, vt mox inferius declaratur) *Vnde sicut exhibemus reuerentiam Sacramentis, quia est in eis aliquo modo nostræ salutis causalitas; sic Cruci Christi, & clauis eius aliqua reuerentia est exhibenda. Et respectu istius honoris, habet crux in se aliquid, propter quod habet honorari. Honor autem adorationis offertur ipsi Cruci Christi, ratione crucifixi, &c.*

177 II. Richardus 3. dist. 9. a. 2. q. 3. *Crux Christi*, inquit, *in qua Christus pependit, dupliciter potest considerari, vel secundum se, inquantum est res quædam absoluta* (non representans aliud) *& sic sibi non debetur cultus latriæ: sed tamen est reuerenda sicut pretiosæ reliquiæ, propter contactum sanctissimorum Christi membrorum, & propter multa beneficia, quæ per mortem Christi, in Cruce nobis collata sunt, &c. Vel potest considerari in relatione, &c. & sic eadem adoratione adoratur.* Quibus clarius dici nihil potuisset.

III. Paludanus 3. dist. 9. q. 1. a. 1. primum quidem ait, imaginem *vere adorari*, licet solũ propter exemplar. Deinde inferius dicit, esse *absurdum principium nihil irrationale esse adorandum in se. Quia licet non propter se, tamen in se adorari potest & debet.* Vnde de instrumentis Passionis Christi addit: *Non solum veneramur Crucifixum in eis, sed etiam ipsa in se ipsis propter Crucifixũ.* Quæ verba itidẽ apertissima sunt.

178 IV. Tartaretus in 3. dist. 9. epilogo de adorat. q. 4. clarissime itidem referens & approbans sententiã Richardi, & Bonauenturæ ait: *Crux in qua Christus pependit, potest dupliciter considerari. Vno modo in se & absolute,* (scilicet non vt imago, sed vt res quædam sacra est) *& sic non debetur ei hyperdulia, sed aliqua reuerentia, tanquã pretiosæ reliquiæ. Et sic debemus venerari species in Eucharistia, & sudarium Christi, & clauos, spinas, coronam, instrumenta &c. Alio modo potest considerari Crux, inquantum repræsentat Christum crucifixum, & sic quæcunq; Crux, siue sit illa, in qua Christus pependit, siue alia, debet adorari adoratione latriæ.*

179 V. Aureolus in 3. sentent. dist. 9. a. 3. etiam quoad loquendi modum imitatus Bonauenturam ait: *Si accipias actum interiorem* (adorationis) *pro actu reuerentiæ, sic possum talem actum exhibere prædictis* (rebus sacris inanimatis) *quando reputo, quod ista adoratio magis sit reuerentia quædam, vt Crux magis reuereri dicatur, quam adorari vel coli, & tunc ex eo obijcio actum exteriorem, qui est signum huius reuerentiæ interioris, sed respectu illorum, quæ per se adorantur, dicitur bene cultus & obsequium. Et quia adoratio est cultus mẽtis, ideo* (dicitur) *quod nulla res nisi per se adoratur; nisi accipiatur adorare pro reuereri.* Ita Aureolus, qui eodem sensu negat, Crucem Christi per se consideratam dulia vel latria adorandam esse, &c. aperte simul concedens, actum reuerentiæ etiam interioris rebus sacris inanimatis deferri posse.

180 VI. Ioannes de Bassolis in 3. dist. 9. q. 1. a. 2. *Aduertendum*, inquit, *quod crux* (vera) *Christi non debet adorari latria, vt secundum se accepta; sicut nec aliæ cruces: Sed modo prædicto,* (inquantũ repræsentat Christum) *Sed tamen sibi* (etiam secundum se spectatæ) *maior debetur reuerentia, quam alijs, tanquam reliquiæ pretiosæ, & instrumento Redemptionis nostræ, propter contactum illorum sacratissimorum membrorum Christi, & sanguinis pretiosi.*

181 VII. Marsilius 3. sentent. q. 8. a. 2. *Dicendum, quod Crux, in qua Christus pependit, potest considerari dupliciter, vno modo, inquantum signum: Secundo secundum se. Inquantum signum, est adoranda adoratione latriæ, &c. considerata secundum se non est latria ado-*

randa, sed more venerabilium & sacrarum reliquiarum veneranda &c. Patet. Quia secundum se considerata, est contactu Dominici corporis consecrata, & inundatione sancti eius sanguinis infusa & perfusa. Vnde Damascenus lib. 4. cap. 3. de sanct. imag. dicit: Ipsum quidem pretiosum lignum Crucis venerabile, in quo seipsum pro nobis Christus obtulit, vt sanctificatum tactu corporis & sanguinis, decenter est adorandum.

182 VIII Consentit Gabriel in 3. dist. 9 q. 1. male à quibusdã in aliam sententiã adductus: quãuis enim dicat, crucẽ Christi, in qua ipse pependit, adorari latria analogice, mox tamẽ, quid his verbis subsit, explicans ait: *Nam eius veneratio est recognitio eius vt ligni, in quo crucifixus est Deus, homo factus, & complacentia voluntatis in eo, vt tale: hic autẽ actus est adoratio latriæ analogice. Sic de clauis, corona &c. suo modo de reliquijs sanctorum.* Adoramus ergo iuxta Gabrielẽ Crucem Christi, etiam vt tale lignũ est, à Christo, quem portauit, distinctũ, & quidẽ analogica quadã, vt ipse vocat, latrię adoratione; quę videlicet re ipsa distincta sit à perfecta adoratione latriæ, Christo debita.

183 IX. Henricus Gandauensis quodlib. 10. q. 5. *Materia*, inquit, *corporis alicuius Sancti, quæ nunc* (post separationem animæ) *manet sub substantiali forma, vno modo est adoranda per se, alio vero modo non, sed solum per accidens &c.*

X. Stephanus Brulefer 3. dist. 9. q. 4. Magistri sui, quem commentario illustrauit, Bonauenturæ sententiam referens & sequens. *Opinio*, inquit, *S Bonauenturæ est, quod Crux Christi, in qua pependit, inquantum etiam res est creata, est honoranda honore veneratio-nis, quemadmodum deferimus reuerentiam vel veneration-em Sacramentis Ecclesiæ. In quantum autem signum est Crucifixi, debet adorari adoratione latriæ.*

184 XI. Petrus de Aquila 3 dist. 9. q. 1. *Ratione pertractationis* (seu contactus) *adoratur Virgo Beata adoratione hyperduliæ, quæ specialissimè pertractauit corpus Christi. Sic etiam adoratur crux sanctissima, in qua Christus pependit, & eam suo sanguine adornauit. Aliqui tamen dicunt, quod Crux est adoranda adoratione latriæ.* Vbi auctor loquitur de cultu crucis, distincto ab eo, quo simul cum cruce adoratur Crucifixus.

185 XII. Guillermus Vorrilong. 3. dist. 9. *Difficultas est*, inquit, *qua adoratione colenda est Crux Christi. Dicendum, quod tertio gradu hyperduliæ; illa scilicet Crux, in qua corpus Christi eleuatum est: quia fuit specialis triumphus Christi. Aliæ autem cruces sunt venerandæ, inquantum sunt quædam imagines Passionis Christi, & illius venerabilissimæ crucis.* Vbi rursum sermo est de adoratione crucis, distincta ab adoratione crucifixi.

186 XIII. Ioannes Paulus Palanterius 3. sent. lect. 36. *An crux Christi latriæ, vel alio cultu colenda sit, hoc opus, hic labor est, secundũ diuersas opiniones: Quibus omissis, quid tenendum audite. Si crux Christi pro Christo sumatur, tunc ei latria debetur; alioquin cultus latriæ sibi non conueniet, sed hyperdulia, loquendo de vera Christi Cruce, in qua pependit; quia instrumentum nostræ Redemptionis fuit.* Vbi apertè loquitur de cultu veræ cruci Christi, per se ac seorsim à Christo deferendo.

187 XIV. Michael de Palacio 3. dist. 9. disp. 1. *Crux illa Domini, quia iam amisit Crucis formam, non repræsentat oculis nostris Christum Crucifixum &c. Ideoque frustis Crucis Dominicæ non videtur esse impendendus latriæ cultus, propter rationem præfatam: nisi ex frustis illis Crucem compegeris; quod tutius puto, quam frustũ, quod non est crux, colere cultu latriæ. At dices. Satis est, quod sit frustum Crucis, vbi Dominus affixus est. Satis sanè, vt habeatur veneration-i;* (audi distinctum cultum à cultu latriæ Christo debitæ) *non tamen vt colatur latriæ cultu. Quia cultus hic non potest exhiberi ligno, aut alij materiæ, nisi quia significat immediate Numen, vel propter habitudinem ad Numen. At vero in frustis illis vtrag; ratio cessat. Hæc dixerim sub censura melioris sententiæ. Vnde colliges, neq; coronam spineam, neq; clauos, aut lanceam esse colenda modo cultu latriæ; quamquam eximia veneratione hæc sint colenda à fidelibus: quam eximiam veneration-em etiam dandam credimus frustis Crucis Dominicæ.* Vbi auctor expresse frustis sanctæ crucis, alijsque eiusmodi reliquijs sacris, cultum distinctum tribuit à cultu ipsius Christi.

XV. Gregorius de Valentia hic disp. 6. q. 11. pun. 6. *Reliquias sacras*, inquit, *duplici ratione venerari* (proprie vtique & interno etiam mentis affectu) *dicimur. Primo quoniam ipsas per se reuerenter tractamus & custodimus, & suspicimus, eo quod Sanctorum hominũ aut corpora sunt, aut corpora attigerunt, aut etiã extiterunt partes. Secũdo veneramur illas quoq; relatiue, eodẽ cultus genere, quo illos, quorũ sunt reliquiæ.* Et infra addit, priori reliquias venerandi modo nihil omnino diuinum adhiberi. 188

XVI. Antonius Corduba lib. 1 quæst. Theol. q. 5. dub. 4. a. 2. respons. ad 4. & 6. & dub. 5. punct. 1. 2. & præcipue 5. ad 1. qui & ipse à nonnullis pro contraria sententia immerito adducitur, sequutus Gabrielẽ loc. cit. hæc tria diserte asserit. I. Crucẽ, & alia Insignia Christi adorari quidẽ adoratione latriæ analogicè, eademq; adoratione specifica, qua Christus adoratur: sed non semper eadem numero. II Satis esse, quod illa insignia adorentur in ordine ad Christũ, siue per vnũ, siue per plures motus, vel actus; id enim impertinens esse; vt latria analogica adorentur. III. Ratione prædicti ordinis semper simul, non quidem formaliter, sed vel formaliter, vel virtualiter ipsum etiam Christum adorari: quæ est ipsissima sententia, quam propugnamus. 189

XVII. Paulus Cortesius 3. sent. dist. 3. ait, *Durandum loc. cit. captiosam argumenti plagam tendere, asserendo, id quod nullo modo sit hypostasis virtutis susceptrix, id nec etiam cultus, aut honoris limitem esse posse*: ita scilicet vt per se etiam colatur. 190

XVIII. Franciscus Panigarola Caluinist. disp. 14. part. 2. ante medium; expressum quoque huius sententiæ adstipulatorem se præbet; licet eius verba formalia in præsens referre non licuerit; quæ tamen olim legeram.

XIX. Iodocus Lorichius disp. de vsu imag. cap. 4. à fine: *Præter hunc*, inquit, *honorem analogicum, quidem est cum honore prototypi, liquido constat, etiam ipsis imaginibus, vt imagines Christi, aut Sanctorũ sunt, quidpiã honoris ac reuerentiæ deberi, quatenus res Sanctorum sunt, propter significationẽ & relationẽ &c. Sanderus, & alij recentiores* quod de sancta Cruce, & reliquijs sanctorum, multo magis dictum quisque intelligit.

XX. Petrus Tyræus disp. de imag. edita Herbipoli Anno 1597. thesi 115. *Neq; errant*, inquit, *qui Sanctorum imaginibus* (idem de reliquijs cogita) *eundem cum sanctis honorem censent impartiendum: neque qui longe inferiorem volunt tribui.* Et infra: *Imaginibus* 191

qua

qua signa sunt rerum sacrarum, honor inferior, quam rebus sacris tribuitur; qua sunt media (quibus mens in prototypa fertur) idem ipsarum honor est & rerum sacrarum.

XXI. Antonius Perez in laurea Salmanticensi part. 1. certam. 2. Scholast. numero 51. *Licet*, inquit, *in sententiam istam acriter Gabriel Vasquez insurgat libro 1. de adorat. vbi pugnacissime hæret sententiæ secundæ* (neganti imaginibus, rebusque sacris cultum distinctum à cultu ipsius prototypi, &c.) *quia tamen argumenta primæ sententiæ quæ magni ponderis sunt, non vsquequaque dissoluit, nec possunt dissolui, nisi concedendo inferiorem aliquem honorem, qui imaginibus deferatur, præ illo, qui prototypis defertur, ideo in sententia Suarez standum mihi esse videtur. Inquantum per illam res ista potest commodius atque plenius exponi, salua Conciliorum vtrinque militantium irrefragabili auctoritate.*

192 Fauet eidem sententiæ ex parte Bartholomeus Medina 3. part. quæst. 25. artic. 4. quatenus ait; Durandum & Picum Mriandulanum hac in re grauiter errasse; item Crucem Christi dupliciter colendam; primo vt imaginem Christi, secundo vt rem quandam Christi, seu contactu Christi sanctificatã; nec quoad hoc S. Thomam retractasse suam doctrinam. Et addit: *Existimo esse errorem manifestum in fide, affirmare, quod sanctissimo Crucis ligno, in quo Christus pependit, non debeatur adoratio ratione contactus membrorum Christi, sed tantummodo vt est imago, &c. propter quod ego nescio excusare Durandum ab errore contra istam sententiam.* Ita Medina.

193 Fauent etiam Dionysius Carthusianus in 3. dist. 9. quæst. 1. & in summa fidei libro 4. artic. 34. & Clithouæus in propugnaculo Eccles. lib. 1. cap. 10. num. 6. & 7. quorum iste se refert ad Gabrielem Biel, vt qui *præclare & copiose hac de re disseruerit*: ille contra Durandum absolute docet, *non solum Crucem, sed & alia, quæ sunt Christi, vt claui, lanceæ, vestes, propter contactum corporis sui adorari.*

Quibus si addas alios sex superius relatos, & omnium, ipsius etiam Vasquez lib. 3, disp. 4. cap. 1. confessione, nobiscum sentientes, videlicet Sanderum, Albertum Pium, Ayalam, Catharinum, Bellarminum, Suarez locis cit. facile habebis ad triginta prope auctores, aperte pro hac sententia stantes: quam proinde communem recte dixeris.

194 His porro omnium consensione iungendus est S. Thomas in lib. sentent. 3. dist. 9. q. 1. a. 1. quæstione 4. diserte asserens, crucem Christi *secundum se hyperdulia esse adorandam.* Quem etsi Vasquez numero 128. post Durandum, & Capreolum locis cit. velit, postea in summa 2. 2. quæst. 103. art. 4. ad 3. & 3. parte q. 25. a. 3. & 4. suam sententiam retractasse, dum cruci etiam spectatæ, vt est res quædam sacra, tribuit eundem cultum latriæ, quem Christo, à quo eam proinde minime seiungit: Verius tamen est, S. Thomam priorem sententiã nusquã retractasse, vt recte notarunt Caietanus, & Bartholomæus Medina 3. p. loc. cit. itemque Petrus Pergomas in concord. locor. S. Thomæ dub. 83. & Suarez cit. sect. 5. tum quia S. Thom. nullo verbulo indicat, se suam doctrinam mutare.

Tum quia eandem nostram doctrinam habet in summa 2. 2. quæst. 99. a. 1. & 3. vbi ait: *Ex hoc quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quodammodo diuinum, & sic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in DEVM*: Et inferius ait. *In eiusmodi rebus, personas sanctorum quodammodo venerari, & dehonorari, &c.* Vbi sane illa verba *quædam reuerentia, quæ refertur in DEVM, & quodammodo venerari*, aperte indicant, eum loqui de honore, quo DEVS ipse, & Sancti directe non coluntur.

Idem de imaginibus habet 2. 2. q. 103. a. 3. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod motus, qui est in imaginem, quodammodo est in rem &c. & ideo reuerentia, quæ exhibetur alicui, inquantum est imago DEI, redundat quodammodo in DEVM.* 195

Accedit quod S. Thomas ita facile secum ipso conciliari potest, si aduertas, crucem, etiam vt res quædam est contactu Christi sanctificata, dupliciter posse considerari: primo secundum se, qua ratione iuxta S. Thomam in lib. sentent. ei debetur *hyperdulia*: secundo vt iunctam & copulatam per imaginationem Christo; qua ratione adorationem *latriæ* meretur, iuxta eundem in summa: nisi malis, eum cum ait, crucem etiam vt sic eadem adoratione latriæ cum Christo coli, de eadem adoratione specifica loquutum, vt Cordubam etiam supra loquentem vidimus.

Cum vero creaturæ irrationali in se, vel secundum se, vt ipse loquitur 3. part. cit a. 4. omnem cultum denegat, ne secum ipse aperte pugnet, intelligi debet, eum particulas illas accepisse, pro vocula *Propter se*, seu ratione sui, & sine habitudine ad aliud, vt recte intellexit Caietanus ibidem: idque pariter fecerunt cum vocula, *secundum se*, idem Caietanus 3. part. q. 24. a. 3. & Valentia hic. q. 11. punct. 6. Et cum vocula, *In se*, Tartaretus 3. dist. 9. epit. de adorat. Et cum vocula, *per se*, Palacius 3. dist. 9 disp. 1. Nec plus probat S. Thomæ ratio. Adde quod seipsum ita quasi explicat cit. part. 3. a. 4. *Honor*, inquit, *& reuerentia non debetur nisi rationali naturæ: creaturæ autem insensibili non debetur honor vel reuerentia, nisi ratione rationalis naturæ*; quod verissimum est. Atque hactenus de auctoribus huius sententiæ egimus. 196

Iam probatur assertio primo ex dictis Conciliorum, quæ etsi alium etiam adorationis modum non excludant, simul tamen etiam istum indicant. In VII. Synodo act. 7. definit. fidei dicitur: *Imaginibus salutationem & honorariam adorationem exhiberi, non secundum fidem nostram veram latriam, quæ soli naturæ diuinæ competit; sed quemadmodum typo venerandæ & viuificæ crucis, & sanctis Euangelijs, & reliquis sacris oblationibus suffituum & luminarium reuerenter accedimus.* Vbi plane sermo est de cultu reipsa distincto à cultu exemplarium. Idem habet Adrianus Papa epist. de imag. 197

Nec minus aperte Damascenus orat. 1. de imag. *Adoratio*, inquit, *est submissionis & honoris nota; atq; huius duplex est ratio; altera enim est, quam DEO exhibemus, qui natura solus est adorandus, latriaque dicitur; altera, quam propter ipsum Deum exhibemus vel amicis & seruis eius, vel quibuslibet Dei locis, vel templis eius, vel principibus à Deo constitutis.* Vbi rursum sermo est de cultu distincto ab eo, quo Deus ipse directe colitur.

Denique in Concilio Tridentino sess. 25. decret. de inuocat. Sanct. dicitur: *Sanctorum corpora quæ viua fuerunt membra Christi, & templum Spiritus sancti, veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur.* Vbi itidem sermo est, de veneratione distincta ab ea, qua directe colũtur ipsi Sancti, sicut & ratio etiam colendi diuersa assignatur.

Fauet etiam scriptura psalm 98. v. 5. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Et Philipp. 2. v. 10. *In nomine IESV omne genu flectatur.* Quod quidẽ de ipso nomine, non tantũ de re significata rectissime, & ex cõmuni quasi fideliũ sensu accipiendũ, vt bene Suarez cit. sect. 7. post Abulẽsem c. 20. Exodi q. 6 & 7. & S. Thomam opusc. 60. a. 6. vbi multa adfert in laudem huius nominis, licet aliter sentiat Vasquez lib. 2. disp. 8. cap. 10.

198 Secundo probatur assertio ex communi praxi Ecclesiæ. Quidquid enim sit de imaginibus, certe reliquiæ, vasa, & aliæ res sacræ inanimæ, frequentius ita coluntur, vt recte notarunt Suarez cit. tom. 1. sect. 5. & tom. 3. sect. 8. & Bellarminus lib. 2. de imag. cap. 21. vbi addit, *omnium consensu, Euangelia, ac vasa sacra, per se ac proprie coli.*

Nec id omnino tacuit Vasquez lib. 2. disput. 8. cap. 14. num. 384. cum ait: *Et quamuis aliquando homines, ex consuetudine potius hæc omnia osculentur, & reuerenter tractent, non ita expresse in Dei excellentiam attendentes, nihilominus semper quando homo aduertit in eis, quodammodo Dei cultum apprehendit: si quodammodo* tantum; ergo non directe semper in eis Deus colitur.

199 Tertio probatur ratione. I. Omnis res sacra, qualis, potest aliquo conuenienti modo coli seu adorari, vt constat: reliquiæ, & res aliæ, de quibus loquimur, sunt res sacræ, ratione habitudinis ad prototypa, seu personas, quas concernunt, etiamsi iste cum illis directe non apprehendantur: Ergo vt sic etiam possunt adorari.

Minor probatur; licet enim non habeant sanctitatem physicam & realem, habent tamen moralem & iuxta æstimationem humanam; ad eum modum, quo etiam in temporali politia, quandam dignitatis prærogatiuã accepisse putatur ille, cui Rex manus honoris causa porrexerit; quæ quidem dignitas non est vtique ipsa regia dignitas, sed longe inferior ab ea deriuata.

200 Agnoscit hoc Damascenus sermone de dormit. Deiparæ, cum sepulchrum B. Virginis per figuram prosopopœiæ, ita loquens introducit: *Sacrosanctum corpus* (Virginis) *mihi quoq; sanctitatem impertiuit.*

Et S. Thomas 2. 2. q. 99 a. 1. *Sacrum*, inquit, *dicitur aliquid ex eo, quod ad diuinum cultum ordinatur. Et sicut ex eo, quod aliquid ordinatur in finem bonum sortitur rationem boni, ita etiam ex hoc quod aliquid deputatur ad cultũ Dei, efficitur quoddam diuinum. Et sic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum.* Et ibidem a. 3. ait: *Dicendum quod peccatum sacrilegij in hoc consistit, quod aliquis irreuerenter se habet erga rem sacram. Debetur autem reuerentia rei sacræ, ratione sanctitatis; & ideo secundum diuersam rationem sanctitatis rerum sacrarum, necesse est, quod sacrilegij species distinguantur.* Et inferius: *Post Sacramenta secundum locum tenent vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, & ipsa imagines sacræ, & reliquiæ Sanctorum.* Vbi audis, ex mente S. Thomæ, diuersam esse rationẽ sanctitatis in his rebus, adeoque distinctam à sanctitate prototypi.

Vnde etiam optime Bellarminus lib. 2. de imag. cap. 21. *In ipsa*, inquit, *imagine* (multoque magis in reliquijs sacris) *vere inest aliquid sacrum; nimirum similitudo* (expressa per imitationẽ) *ad rem sacram, & ipsa dedicatio, siue consecratio diuino cultui, &c.* Vtramque rationem sanctitatis in imaginibus consecratis recte etiam agnoscit Petrus Tyræus cit. disp. de imag. append. thes. 44.

II. Omni rei aliquo modo apprehensæ vt superiori, licet aliquo modo conuenienti se submittere: sed res eiusmodi sacræ, etiam vt distinguuntur à personis, quas concernunt, possunt aliquo modo ab homine apprehendi vt superiores & excellentiores. Ergo, &c. Maior est euidens; quia cuique licet, per actum honoris suam de re aliqua existimationem veram, quam habet, contestari. 201

Minor probatur. Quia si considerentur res eiusmodi non secundum esse absolutum, sed secundum habitudinem repræsentationis, partis, instrumenti &c. iam hoc ipso induunt aliquam rationem *sanctitatis*, vt superius ex S. Thoma retulimus: qua ratione præcise quisque merito, in hac vita, (saltem considerando seipsum, vti vere est, peccatorẽ) potest se inferiorem existimare.

Denique etiam in rebus politicis, ad honorem Principis pertinet, vt etiam res ipsius peculiarem habitudinem ad eundem habentes, vti sunt imagines, & Symbola regia, &c. propter ipsum decenter & honorifice habeantur, etiamsi in eis directe Princeps ipse minime colatur.

ASSERTIO II. Sed & eodem etiam modo coli possunt imagines, spectatę vt prototypo relatiue opponuntur, iuxta secundam considerationem imaginis dubitat. 4. explicatam. Ita ex citatis auctoribus expresse docent Sanderus, Albertus Pius, Ayala, Catharinus, Panygarola, Bellarminus, Lorichius, Petrus Tyræus, Perez & Suarez cit. sect. 5. qui ait, *hoc tam verum esse, quam quod imago aliquo tandem modo proprie colatur.* Sed & Azor cit. q. 5 hanc sententiam probabilem asserit. 202

Ex antiquis vero apertius docuit S. Thomas cit. 2. 2. q. 91. a. 1. vbi cum dixisset, rebus sacris deberi *quandam reuerentiam*, postea a. 3. inter eas aperte etiam imagines numerat, vt dictũ. Eandem doctrinam expresse habet Gabriel inferius referendus.

Ex cæteris vero antiquioribus Scholasticis, licet nihil fere certum colligi possit, eo quod æquiuoce loquuti sunt, neq; de hac imaginis consideratione expresse meminerunt, vt fatetur Suarez cit. sect. 5. fauent tamen Capreolus, Ferrarienſis, Maior, Paludanus, alijq; omnes, qui de reliquijs, rebusq; sacris ita docuerunt, quandoquidem etiam imagines vtique in numero rerum sacrarum habuerunt.

Qui tamẽ nihilominus diuersimode de reliquijs & imaginibus loquuti fuerunt; quia has ipsi considerarunt, vt reipsa exercentes actũ imaginis, adeoq; locum prototypi sustinentes, qui præcipuus, & forte communior est imaginum vsus, cum tamen è contra reliquiæ, aliæq; res sacræ communiter non ita concipiantur, sed solum vt relationem habent ad personas sacras.

203 Probatur assertio, contra auctores diuersum sentientes, superius citatos; Primo ex Concilijs, & SS. Patribus, qui hunc imaginum cultū varijs modis insinuant. I. Cum perinde de imaginibus loquūtur, vt de reliquijs, & alijs rebus sacris, vt vidimus dubio præcedenti n. 163. ex VII. Synodo act. 7. II. Cum passim docent imagines honorari siue adorari *propter prototypum*: nam vocula *propter*, in rigore solam rationem adorandi significat. III. Cum sæpe docent, eas diuerso, & minore honore coli, quam prototypa, vt diximus num. 197. IV. Cum eo modo coli dicuntur in illis prototypa, quo Deus colitur in sanctis, vt dictum dub. 4 n. 116. V. Cum speciatim docent, eiusmodi honorem de-
204 riuari ab imaginibus ad prototypa, vel contra: sicut in VII. Synodo act. 7. definit. fid. dicitur: *Imaginis honor in prototypum resultat.* Et in VIII. Synodo canon. 3. *Propter honorem, qui ad principalia ipsa refertur, etiam deriuatiue imagines honorantur & adorantur, vt sanctorum Euangeliorum liber, atque typus picturæ Crucis.*

Denique VI. Maxime illustris est locus ille VII. Synodi act. 6. *Quapropter non indignas habebimus imagines honore, salutatione, & veneratione, debitamq; illis adorationem dare debemus. Siue igitur placebit salutationem, siue adorationem appellare, idem profecto erit, modo sciamus excludi latriam; hæc enim est alia à simplici adoratione, vt sæpe alibi est dictum.* Vbi vocula *Alia*, plane in re diuersum cultum significat, quam sit latria, quâ nonnunquam colitur exemplar.

205 Secundo probatur ratione I. Quia imagines sacræ adnumerantur reliquijs, & alijs rebus sacris, quas per se colendas esse probauimus assert. præced. cuius proinde probationes etiam ad hanc assertionem pertinent.

II. Imagines etiam per se spectatæ obiectum esse possunt contumeliæ: tametsi quis ipsum prototypum directe non cogitet dehonestare. Propterea enim Sanctus Thomas cit. art. 3. minorem docet esse contumeliam, quæ imagini alicuius, quam quæ ipsius personæ directe infertur: ergo etiam per se capaces sunt honoris.

III. Imagines, quando simul cum prototypo coluntur, in se capaces sunt alicuius etiam interni honoris, vt probauimus dub. 5. Ergo etiam quando separatim spectantur; modo semper cum habitudine ad prototypum spectentur, siue illa habitudo sub ratione specifica apprehendatur, siue tantum sub ratione generica, rei videlicet Deo dicatæ, vel ad diuinum cultum pertinentis.

206 IV. Ex rubricis Missalis Romani, etiam ipso exteriori signo & gestu corporis longe alia fit reuerentia Cruci, aut imagini Christi, quam ipsi præsenti corpori Christi. Illis enim simplex capitis inclinatio, huic profunda genuflexio exhibetur. Cur hoc? nisi quia etiam communi Ecclesiæ ritu, imagines per se cultu quodam inferiori honorari solent. Certe alioqui, si vtrobique semper directe Christus honoratur & adoratur, nulla videtur eius differentiæ ratio assignari posse.

207 Ex quibus deniq; colligitur, vniuersim triplicem imaginis cultum distingui posse; nimirū I. quo ipsa colatur in se, ac per se, prototypum autem solum sit ratio colendi, de quo hactenus egimus. II. Quo per se ac proprie solum colatur prototypū ab imagine repræsentatū; imago vero ipsa non nisi improprie, iuxta dicta dub. 4. & 5. III. Quo vtrumque simul, prototypū scilicet cum imagine, vno ac eodem actu verè ac propriè colatur, de quo cultu dubio præcedente egimus.

Quam doctrinam totā tradidit etiam Gabriel cit. dist. 9. q. 1 his verbis: *Apprehensa imagine Christi, duos actus internos in cognitione formare possumus* (fundantes totidē adorationis modos) *& totidem in affectiua* (perficientes & peragentes eosdem duos adorationis modos;) *vel vnum duobus æquiualentē.* (ad tertiū adorationis modū spectantē.) *Vnum, quo cognosco rem illam vt imaginem, vel repræsentatiuam prototypi; & hic terminatur ad rem ipsam, quæ est imago. Et similiter in affectu; vnum quo mihi placet res ipsa, non vt aurū vel argentum, sed vt repræsentatiuum imaginati.* In quibus duobus actibus ponit Gabriel adorationē: Vnde habes primum modum colendi imaginem.

Secundo, quo cognosco prototypum esse talem, qualē repræsentat imago: qui actus fundat secundum adorationis modum.

Vt si fuerit imago Crucifixi mihi obiecta, formo primo in intellectu actū, quo nosco rem illam repræsentare Christum crucifixum, & in affectu actū, quo placet mihi res illa, pro quanto repræsentat Christū. Illi actus sunt latria large accepta, quia sunt cognitio & dilectio rei, inquantū habet ordinem repræsentationis ad Christum latria proprie dicta adorandum. En exemplum primi modi. 208

Secundo (formo) *actum in intellectu, quo credo Christū Deum & hominem, per talem imaginē repræsentatū esse crucifixū, & diligo eum vt talem; & illi actus sunt latria proprie dicta.* Habes exemplū secundi modi.

Potest etiam esse vnus actus in intellectu, & similiter vnus in voluntate, vtroq; prædictos includens virtualiter, Vt assensus huius propositionis: Hæc est imago Christi pro humano genere crucifixi. Hoc enim actu credo, hanc rem esse imaginem Christi, & credo, Christum esse crucifixum: & talis actus est latria large vel improprie, inquantū terminatur ad imaginē Christū repræsentantem, tanquā ad partiale obiectū; & est latria proprie dicta, inquantū terminatur ad Christū Deum crucifixū. Sic actus voluntatis, quo diligo imaginē istam propter Christum repræsentatum, pro quanto terminatur ad imaginē est latria improprie seu analogice, & actus vtendi; & inquantum terminatur ad Christum Deum, est latria proprie dicta, & fruitio. Habes tertium modū colendi imaginem, simul cum exemplo: Quæ ipsa est quasi summa totius nostræ dissertationis, de modo colendi imagines.

Assertio III. Honor, quo imagines aliæque res sacræ hoc modo coluntur, semper ac necessario est minor, quam sit honor ipsius prototypi. Ita omnes Doctores, qui prædictum venerationis modum admittunt: & patet ex citatis testimonijs SS. Patrum, & Conciliorum. Ratio est; quia licet vltimate eadem excellentia sit ratio huius cultus, quæ est ratio cultus prototypi, siue personæ, propter quam res istæ coluntur, participatio tamen eius excellentiæ est in vtrisque longe diuersa. In prototypo enim realiter & formaler inest; his tantum extrinsece & secundum quandam habitudinem ac moralem æstimationem applicatur. Quocirca cum in cultu, 209

vtriusque sit habenda ratio, ipsaque cultus ratio respondere debeat non solum excellentiæ, ob quam vltimate cultus defertur, sed etiam applicationi eiusdem excellentiæ in obiecto, quod per se & directe colitur, hinc fit, vt in hoc colendi genere, semper minori cultu, tum imagines, tum aliæ res sacræ colantur, quam sit cultus prototypi.

Quæ tamen honoris differentia non tam metienda est exterioribus signis, quæ in vtroque cultu fere communia esse solent, quam ipsa interiore honorantis intentione & affectu, ex quo signa exteriora suam vim habent, & quasi specificantur, adeo vt ijsdem signis exterioribus existentibus, honor tamen ipse & cultus esse possit diuersissimus, vt patet ex genuflexione, quæ Deo, & quæ Sanctis defertur. Nam quod illic est latria, hic est dulia, vt omnes fatentur, & generatim dictum dub. 1. num. 26. & rursum dub. 2. num 41.

210 ASSERTIO IV. Hic ipse tamen cultus pertinet ad eandem virtutem, qua colitur ipsum prototypum, nec adeo ab alia virtute distincta procedit. Ita Suarez cit. tom. 1. disp. 54. sect. 5. Ratio est; quia est eadem formalis & vltimata vtriusque cultus ratio obiectiua; nempe eadem excellentia prototypi; etsi diuersa sit applicatio, quæ non videtur sufficere ad diuersum habitum constituendum. Idemque accidit in charitate Dei, & proximi, seruata proportione. Nec obstat, quod S. Thomas in sententijs, & multi veteres cultum eiusmodi Crucis vocant *hyperduliam*; quia hoc vocabulo hyperduliæ & duliæ, sæpe significant omnem cultum qui proprie non est latria, vti quidem cultum imaginum non esse, diximus dubio præcedenti, vbi de vocabulis plura.

211 Superest, vt quædam argumenta contra doctrinam hactenus explicatam dissoluamus. Primo enim obijcitur, quod Concilia sæpius & aperte illum modum colendi imagines asserunt, quo in imagine directe colitur exemplar, vt patet ex Concilio Tridentino loc. cit. & VII. Synodo passim: ergo aut de hoc modo colendi semper loquuntur, aut æquiuocè loquuntur; quod nō videtur admittendum, saltem in definitione fidei.

212 Respondeo, negando consequentiam: quia vt recte notauit Suarez cit. sect. 5. præcipuus scopus Conciliorum fuit, contra Iconomachos docere, imagines esse verè ac proprie colendas, ratione exemplarium; in quo nullam committunt æquiuocationem. Quomodo autem hæc adoratio in specie fiat, & an vno tantum modo, vel pluribus, de hoc (vt in alijs etiam materijs fieri solet) nihil expresse definiunt Concilia, sed id Theologorum disputationibus relinquunt; quia non pertinent ad dogmata fidei, sed sub opinionem cadunt. Interim quia re ipsa hic cultus diuersis modis exerceri potest, idcirco Concilia modo vnum adorationis modum insinuant, modo alium, vt dictum.

213 Secundo speciatim obijcitur testimonium Basilij lib. de Spiritu sancto cap. 18. & recitatur in VII. Synodo act. 4. vbi dicitur, esse *vnam glorificationem imaginis & exemplaris*. Ex quo loco etiam Ioannes Presbyter ibidem infert: *Vnde B. Pater indicauit, non esse duas adorationes, sed vnam ipsius imaginis, & exemplaris.*

Respondeo, genuinum sensum esse non quod nullus cultus esse possit imaginis, nisi quo simul & directe etiam exemplar colatur; sed quia nunquam potest ita coli imago, quin saltem indirecte simul colatur exemplar. Quod euidenter patet, tum ex occasione, ob quam hoc dixit Basilius, ne scilicet diuidatur ipsum prototypum ratione suæ excellentiæ: ad quod euitandum, satis est, nullam esse aliam rationem colendi imaginem, præter excellentiam prototypi. Tum quia idipsum ratio subiuncta indicat: addit enim Basilius ibidem, propterea quod *imaginis honor ad exemplar transit* Quod etiam confirmatur ex illo Aristotelis, vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantum. Præterquam quod SS. Patres alias sæpe cultum prototypi (quo ipsum nempe directe colitur) à cultu imaginis distinguunt, vt vidimus.

Tertio obijciunt, creaturam irrationalem non 214
posse obiectū esse cultus, ita saltem vt interior affectus submissionis ad eam referatur: quia nō potest apprehēdi vt superior; nec potest iniurię esse capax.

Respondeo negando totum assumptum; quia iam supra dub. 5. num. 143. cum Paludano vidimus, hoc esse absurdum fundamentum. Quin potius & capacem esse honoris, & iniuriæ, & apprehendi à nobis posse vt superiorem & excellentiorem ratione sanctitatis, quam suo modo participant, superius dictum est: non ita quidem, quasi actus contumelię ratione iniuriæ habeat, prout præcise ad imaginem terminatus, ex ipso prototypo, quod consequēter lęditur, ratione perfectam iniurię participat, vt supra etiam de cultu imaginum dictum dubio 5.

Idque rursum confirmatur exemplo charitatis. Nam amor proximi propter Deum est verus actus Theologicæ virtutis; licet hæc rationem virtutis Theologicæ non habeat, ex hoc, quod circa proximum, sed quod circa DEVM versatur.

Nec verum est, omnem honorem seu cultum debere percipi ab eo, cui directe exhibetur; quia nec ob eum finem, nec hac existimatione semper defertur; sed solum vt condignam de obiecto honorato existimationem, aliqua nota externa exprimamus, & manifestemus, seu illi rei, quam directe veneramur, seu alijs; idque vltimatè saltem & implicite in honorem eius, quem res honorata concernit, quique hoc ipsum officium reuerētiæ agnoscit, & gratum habet. Nec quidquam solidi in contrarium potest afferri: præsertim quia hoc fundamentum nouum est, & veteribus Patribus, ac plerisque scholasticis, speciatim vero ipsi S. Thomæ, cuius mentem assert. 1. explicauimus, incognitum.

Quarto speciatim obijciunt Sectarij, quod hac 215
ratione videamur idololatriam cum Gentilibus inducere.

Respondeo, hanc esse veterum Iconomachorū calumniam; ad quam Tharasius in Synodo VII. act. 2. ait: *oportere impuras verborū vanitates respuere, &c. Quid autem impurius ac vaniloquentius, quam Christianos Idololatriæ studiosos dicere, &c.* Nempe quia manifestum est, maximum esse discrimen inter cultum imaginum hactenus declaratū, & Christianis consuetum, & inter idololatriam Gentilium. Nam vt optime dixit S. Thomas 3. part. quæst. 25. art. 3. *Adoratio imaginum est inter infructuosa opera*

(Genti-

(Gentilium) *computanda, quantum ad duo. Primo quidem quantum ad hoc, quod quidam eorum adorabant ipsas imagines, vt res quasdam* (absolutas, & sine respectu ad prototypum,) *credentes in eis esse aliquid Numinis, propter responsa, quæ dæmones in eis dabant, & alios huiusmodi effectus mirabiles. Secundo propter res, quarum erant imagines. Statuebant enim huiusmodi aliquibus creaturis, quas in eis veneratione latriæ venerabantur. Nos autem adoramus*, inquit, *adoratione latriæ imaginem Christi, qui est verus DEVS, non propter ipsam imaginem, sed propter rem, cuius imago est.* Ita S. Thomas.

Adde, cultum imaginum prout quidem ad ipsas imagines refertur, non esse veram & perfectam latriam vt hoc & præcedenti dubio diximus. Cætera, quæ obijciuntur leuiora sunt, & videri possunt apud Suarez, aliosque citatos.

216 Ea vero quæ de imaginibus diximus, secundum proportionem accommodanda sunt etiam speciebus Eucharisticis, & alijs signis Sacramentalibus, verbisque etiam, ac scripturis sacris, à quocunque demum scripta vel concepta sint; vt docet etiam Vasquez lib. 2. num. 165. imo & ipsi humanitati Christi: nisi quod hæc rectè etiam absolutè dicitur latria coli, vt indicauimus dub. 2. n. 50. & pluribus suo loco videbimus. Species verò, seu conceptus, & Verbum mentis, Christum repræsentans, cum tantũ mediũ sit cognitionis seu appetitionis, non autẽ obiectum, aut pars obiecti, adorato Christo, nullo modo adoratur, vt recte Vasquez l. 2. n. 318.

Quæres postremo, an res etiam aliæ creatæ quẽlibet possint cultu aliquo sacro & religioso coli. 217 Et certum videtur, per se & secundum se, ad eum modum, quo paulo ante imagines & res sacras coli posse diximus, ita coli non posse; quia in se sacræ omnes non sunt; quod tamen ad huius cultus modum requiri vidimus.

De cultu, quo per accidens simul cum DEO colantur, tanquam eius videlicet creaturæ quædam, & vestigia, ac sedes, eumque adeo etiam in se, iuxta apprehensionem nostram, quodammodo continentes, affirmat quidem Vasquez lib. 3. cap. 2. post Caietanum 2. 2. quæst. 103. art. 3. ad 4. id fieri posse, secluso scandalo, & erroris periculo.

Sed contrarium, proprie loquendo, videtur verius, vt docet Alensis 3. part. quæst. 20. memb. 3. art. 2. Waldensis tom. 3. cap. 156. & Paludanus in 3. dist. 9 quæst. 1. Quia etiam vt hoc cultus genere aliquid proprie colatur, necesse est aliquo modo esse sacrum, vtpote inadæquate saltem, & minus principaliter constituens obiectum illud sacrum totale cultus, quod ex persona sacra, & re illa per cogitationem efficitur, & terminat adorationem sacram. Alioqui circa illam exerceri quidem externa honoris nota, sed non internus submissionis affectus ad eam referri; adeoque adorari quidem fortasse in illis, & coram illis DEVS poterit, vt dictus superius dub. 2. sed nõ ipsæ propter DEVM, proprie loquẽdo; vt recte notauit Paludanus loc. cit.

Quia igitur talem sanctitatis participationem, 218 iuxta moralem æstimationem, ex qua hæc res omnis dependet, non habent res inanimæ, nisi peculiarem ad Deum, vel Sanctos habitudinem ac relationem habeant, vtpote cuiusdam similitudinis, vel contactus, &c. ideo verius hic eis cultus denegatur: quicquid sit de hominibus, vt sunt quædam naturales DEI imagines, de quibus aliter Alensis & Waldensis loquuntur, & nonnihil diximus dub. 2. num. 59. Nec aliter per creaturam inanimatam iurare fas est, nisi quatenus in illa, siue per illam diuina veritas innotescit, aut relucet, vt dicetur inferius de iuramento, & bene Vasquez lib. 3. num. 10. Hoc certum, materialiter loquendo, multas res saltem ex accidenti, videlicet ob periculum erroris, vel scandali, atque etiam ob moralem siue naturalem quandam indecentiam ac fæditatem, ita recte coli non posse, v. g. asinum in quo Christus sedit; vel manum impij ministri, qui Christum percussit, &c. vt post Adrianum & Ionam Aurelianensem de imaginibus recte Bellarminus cap. 30. Suarez sect. 7. & alij communiter docent; & à potiori colligitur ex dictis, dubio 2. cit. num. 59.

QVÆSTIO III.

De Sacrificio, oblationibus, primitijs, Decimis.

S. Thomas 2. 2. q. 85. 86. & 87.

PErtinent actus isti religionis, iuxta distributionem quæstione 1. dub. 3. præmissam, ad quidpiam DEO offerendum, de quibus breuiter agendum, idque duabus dubitationibus. I. De Sacrificio. II. De oblationibus, primitijs, decimis.

DVBIVM I.

De Sacrificio, quid, & quotuplex sit, & cui offerendum &c.

S. Thom. 2.2.q.85. aa. 4.

1 SAcrificium inde dictum, quod aliquid *sacrum fiat*, iuxta S. Thomam cit. q. 85. a. 3. ad 3. etsi late quandoque & improprie pro quolibet opere, seu actu in Dei cultum relato accipiatur; quomodo in scriptura dicitur *sacrificium laudis*, Psalm 49. v. 23. alibi sacrificium vocatur *spiritus contribulatus* siue interna cordis contritio Psalm 50. v. 19. item *beneficentiæ & communionis*, seu eleemosynæ actus, quibus velut *hostijs promeretur Deus*, Heb. 13. v. 16. Philipp. 4. v. 18. item debita corporis disciplina & castigatio Rom. 12. v. 1. vbi Apostolus ait: *Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem &c.*

In præsenti tamen sacrificij nomen iuxta eundem S. Thomam ibidem in corp. stricte & proprie accipitur, pro peculiari quodam actu externo diuini cultus, ad quem proprium & peculiare *Sacerdotis* ordinatur officium; & à quo etiam ipse Sacerdos est, & dicitur, iuxta Apostolum Heb 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his, quæ sunt ad Deum; vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quo sensu etiam Psalm, 50. v. 18. dicitur: *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique.* Et Oseæ 6. v. 6. ac Matthæi 9. v. 13. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Similiter Augustinus quamuis lib. 10. de ciuit. cap. 6. asserat, *sacrificium verum esse omne opus, quod agitur, vt sancta societate inhæreatur Deo*; tamen ibidem lib. 8. cap. 27. ait, *vnum esse quod Deo offertur sacrificium Christianorum.*

2 De quo sacrificio, hoc modo spectato, quæritur primo, quid sit, & quomodo definiatur. Respondeo, varias à varijs adferri definitiones, quæ tamen re ipsa omnes in idem recidunt. Etenim I. iuxta S. Thomam 1. 2. quæstione 25. art. 1. & 2. definiri potest; *Externus Religionis actus, vni Deo debitus, quo per immutationem rei alicuius testificamur, ipsum esse & primum creationis principium, & vltimum beatitudinis finem, adeoque supremum rerum omnium Dominum.*

II. Gregorius de Valentia q. 4. de relig. pun. 1. ita definit: *Externum officium, quo res aliqua hoc ipso offertur Deo, quod ad eius Maiestatem recognoscendam, atque etiam ad internam mentis deuotionem & seruitutem erga Deum, tanquam rerum omnium Dominum protestandam, certo ritu ac ceremonia conficitur seu immutatur.*

III. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 7. ita definit: *Oblatio externa facta soli Deo, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem diuinæ Maiestatis, à legitimo ministro, res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur, & transmutatur.*

IV. Suarez 3. part. tom. 3. disput. 80. sect. 6. his verbis definit: *Oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei, in signum legitime institutum diuinæ excellentiæ & reuerentiæ.* Seu vt idem addit: *signum sensibile, ad diuinam excellentiam, & cultum illi debitum immediate significandum impositum.*

Quæ definitiones, vti & cætera, quæ ad sacrificij rationem pertinent, vt distinctius cognoscantur, Notandum est primo, sacrificium in genere, 3
vti etiam sacramentum, esse quasi quoddam compositum artificiale, seu morale, ex ratione signi ex instituto, tanquam formâ quadam, & actione seu ritu, velut materia ac re substrata significationi constans, vt notauit etiam S. Thomas hic q. 85. a. 1. ex communi, & docuit iam olim Augustinus lib. 5. de ciuit. cap. 5. vbi ait: *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij* (subiectionis videlicet erga Deum) signum esse. Ratio est. Nam quia alioquin actus sacrificandi, v.g. mactatio ouis, bouis &c. si materialiter & secundum se nudè spectetur, nihil habet, quod ad gloriam Deo conciliandam faciat, accedere debet peculiaris eiusdem rei significatio; quam quia res ex sua natura non habet, necesse est habere ex institutione seu diuina, vt in lege Mosaica & Euangelica, seu vt in lege naturæ accidit, humana, vt docet idem S. Thom. cit. art. 1. ad 1.

Quæ quidem institutio etsi gentium moribus publica requiri soleat, vt notant Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 2. & Henriquez libro 9. cap. 1. num. 1. 4
absolute tamen & physice nihil obstat, esse priuatam, vt docet Suarez loc. cit. sect. 4. Ratio est; quia ea re, nec cæteris quidquam præiudicatur; nec vlla iurisdictio exercetur; nec omnino fit aliquid rationis naturalis vim excedens; idque re ipsa in sacrificio Abel & Cain accidisse, verisimile est.

Habent quidem præterea sacrificia diuinitus-institura significationem aliquam mysticam annexam, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 3. sed quæ ad communem sacrificij rationem non requiritur, nec communis est ijs sacrificijs, quæ solo arbitratu humano olim instituta fuerunt.

Notandum secundò, etiam ipsam partem materialem sacrificij, seu rem substratam significationi, qui est ipsemet oblationis ritus, duo complecti, 5
rem videlicet aliquam externam Deo offerendam, quæ etiam ipsa sæpe absolutè sacrificij nomine appellatur, Leuit. 2. v. 4. Iudicum 6. v. 18. &c. & actionem sacrificandi, qua res eadem aliquo modo immutata Deo offeratur ac consecretur. E quibus res quidem oblata debet esse sensibilis, & aliquo modo permanens, ac offerentium propria, vt docent Bellarminus cit. lib. 1. de Missa cap. 6. & Henriquez lib. 1. cap. 1. numero 2. & 3. post S. Thomam in Heb. 8. Quod enim planè alienum, & nullo modo offerentis est, offerri non potest; aut si offertur, eius potius esse dicitur sacrificium, cuius est res oblata, quam immediati offerentis.

Eadem verò res oblata rursum duplex est; vna quæ se habet per modū materiæ præsuppositæ actioni sacrificandi, vt olim erant ipsa animalia viua Deo immolanda &c. Altera, quæ ex cæremoniali immutatione eiusdē rei, adeoq; ex actione sacrificādi resultat; qualia in ijsdem sacrificijs erant animalium occisorum cadauera, cruor, ignis, fumus, nidor. &c. Quod ex communi recte notarunt Bellarminus, Suarez, & alij, & significat S. Thomas hic q. 85. a. 3. ad 3.

Notan-

6 Notandum tertio, quod ad actionem sacrificandi attinet, eam certis quibusdam conditionibus affectam esse debere. Nam primo necesse est, aliquo modo esse sensibilem, cum sacrificium sit actus externus religionis, vt ex S. Thoma cit. q. 85. a. 1. & allatis definitionibus patet.

Secundo debet esse oblatio ipsi Deo immediate facta iuxta S. Thomam ibidem a. 2. & communem omnium sententiam. Qua ratione à sacrificij ratione excluduntur decimæ, primitiæ, & cæteræ oblationes in Ecclesijs Christianorum consuetæ, quæ non immediate fiunt Deo, sed vel ministris Ecclesiæ, vel pauperibus. Quæ autem Dijs gentium offerebantur, non fuerunt vera sacrificia, sed *sacrilegia*, vt loquitur Augustinus epist. 49. quandoquidem constat, sacrificium ita soli Deo conuenire, vt nec sanctis quidem sacrificare, fas sit, vt docet idem Augustinus libro 10. de ciuitate cap. 4. vbi ait: *Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit?* Et ibidem cap. 19. *Sicut orantes atque laudantes, ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde, quas significamus offerimus.* Sicut etiam *in Republica*, vt ait S. Thomas cit. artic. 2. *Summus Rector aliquo signo singulari honoratur, quod si cuicunque alteri deferretur, esset crimen læsæ Maiestatis.* Nec obstat quod templa & altaria videantur etiam constitui Angelis & Sanctis; cum tamen ea ad sacrificium ordinentur. Nam vt Augustinus lib. 8. de ciuit. cap. vlt. ait: *Nos constituimus Martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.* Vide Sacerdos non dicit; *Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victorijs gratias agimus, & nos ad imitationem eorum exhortamur.* Non ergo ipsis Sanctis proprie, sed Deo in honorē sanctorū templa & altaria constituūtur.

7 Tertio debet eadem oblatio esse aliquo modo immutatiua & consecratiua rei, quæ offertur, iuxta S. Thomam q. 85. a. 3. ad 3. & q. 86. a. 1. & cōmunem. Sic enim distinguitur sacrificium à cæteris oblationibus etiam Deo factis; quales fuerunt olim oblatio auri & argenti ad tabernaculū, Exodi 25 & 35. item duorū minutorū viduæ Lucæ 21. v. 2. item oblatio de primitijs frugum, & de primogenitis Hebræorum, Deuter. 12. v. 17. & cap. 26. v. 2. Leuitici 2. v. 12. Omne enim sacrificium est oblatio; sed non omnis oblatio sacrificium. Vnde etiam simplex oblatio, iuxta Theophylactum Heb. 8. græcis dicitur προσφορά; sacrificium θυσία, quasi *mactatio*, vel etiā τελετὴ quasi *consumptio* siue confectio, & apud Hebræos *Zebach*, à radice *Zabach*, quod itidem *mactare* significat.

Neque tamen opus est, aliam reipsa actionē esse consecratiuā, alam imutatiuam, & aliam oblatiuā: sed vna & eadem actio, dum rem Deo tradendi & offerendi causa imutat, simul est oblatio, imutatio, & consecratio: quæ in hoc consistit, quod res Deo iam oblata non est amplius prophana & cōmunis, sed quasi sacra, & peculiari ratione res Dei, vt bene notauit Suarez cit. disp. 73. sect. 5. licet Henriquez lib. 9. cap. 1. n. 2. actionem consecratiuam asserat esse diuersam, ab actione immutatiua.

8 Et quidem verius est, iuxta explicatas nominum notiones, & ipsum sacrificij scopum, quo homo perinde se Dei potestati subiectum profitetur, vti res oblata potestati & actioni sacrificantis subditur; ad verum sacrificium necessario requiri perfectam & substantialem rei destructionem, aut saltem actionem ex se destructiuam rei, vti erat etiam effusio aquæ, aut vini, dum ea Deo libarentur; vti docent etiam Chrysostomus, & Theophylactus Hebr. 8. S. Thomas q. 85. a. 3. ad 3. & q. 86. a. 1. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 2. & Henriquez lib. 9. cap. 1. num. 2. qualis quia nec in passere, pro leprosi sanatione dimisso; nec in capro emissario accidit Leuitici 14. v. 6. & cap. 16. v. 10. idcirco fatendū est, ea non fuisse proprie & perfecte sacrificata.

Quicquid nonnulli dixerint, ad sacrificium sufficere aliquā imutationē accidentalē, vti etiā docet Suarez d. 73. sect. 5, exemplo, vt apparet, panis in sacrificio Melchisedech oblati, Gen. 14. v. 18. & panum propositionis, qui & inter sacrificia computātur, & non nisi post octiduum à sacerdotibus extra templū consumebantur, Leuitici 24. v. 8. & 9 quos tamē alij rectius negant, fuisse proprie sacrificatos: sicut & in sacrificio Melchisedech, panē nō sola fractione, sed etiā igne vel esu sacerdotis substantialiter imutatum fuisse verius est, etsi modus imutationis eiusdē in scriptura non fuerit expressus. Certe nullū apud gentiles, imo nec Iudæos, aut Patriarchas, ante legē, peractū verū & propriū sacrificiū legitur, sola locali mutatione rei; vtpote quæ ad finem etiam intrinsecum sacrificij non sufficiebat, vt dictum. 9

Notandum quarto, de ratione etiā sacrificij esse, vt fiat à competente ministro, vt ex cōmuni recte docet Bellarminus l. 1. de Missa c. 7. post Augustinū l. 4. de Trinitate c. 14. Ministri autem pro diuersa ratione sacrificij, & cōmunitatis, diuersi erant. Nam olim in lege naturæ, ptimogeniti quiq;, & familiarum principes simul etiam Sacerdotes erant, vt post Augustinum, Hieronymum, & expositores in Genesis 7. & 25. ex communi docet S. Thomas 1. 2. q. 103. a. 1. ad 3. & 2. 2. q. 87. a 1. ad 3. idque humana determinatione, iuxta S. Thomam loc. cit.

Postea vero diuina institutione legis Mosaicæ, ad ministeriū diuini cultꝰ tribꝰ Leuitica, ad sacerdotiū specialiter familia Aaron destinata fuit, Nū. 3. v. 28. Leuitici 8. v. 1. Nisi quod sacrificiū agni paschalis, ante sacerdotiū Aaronicum institutū, ab ipsis etiam patribus familias oblatū fuisse probabile est, vt colligitur Exodi 12. v. 3. Licet nonnulli & hunc quoque post constitutā legē, non nisi ab Aaronicis Sacerdotibus oblatū fuisse existiment. Alij aliarū gentium mores in constituendo sacrificij ministro fuere. 10

In quo quidem certa etiam diuini cultus ac sacrificandi intentio explicita, vel implicita requiritur, sine qua ministerium illud non tam Sacerdotum erit, quam lanionum, aut ioculatorum, vt bene docet Suarez disp. 73. sect. 6. & dudum contra Hunnium, aliosq; Prædicantes docui in examine Hunnianæ relationis, cap. 14. Altare vero non ad ipsam sacrificij essentiam, sed ad bene esse, & decentiam, omnium tamen gentium vsu communiter receptum pertinet, iuxta Suarez sect 5.

Notandū quinto, quod ad sacrificij originē attinet, quamuis sacrificij institutio proprie & stricte loquendo, non sit iuris ac præcepti naturalis, vt docet idē Suarez disp. 73. sect. 8. ex Anacleto epist. 2. 11

& Cle-

& Clemente Romano lib. 6. constit. Apost. c. 22. est tamen iuris gentium, atque etiam consentanea admodum iuri naturali. Si quidem naturalis ratio dictat, Deo subiectionem & honorem conuenienti modo exhibendum, idq; etiam offerendo Deo res aliquas sensibiles, in signum debitæ subiectionis & honoris, ad similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij.

Quo sensu intelligendus videtur S. Thomas hic q. 85. a. 1. ad 4. itemque Caietanus ibidem & Valentia q. 4. pun. 3. absolute asserentes, determinationem quidem sacrificij (tam ex parte scilicet rei oblatæ, quam ex parte oblationis, & modi offerendi) esse de iure positiuo, tamen vsum eius in cõmuni, esse de lege naturæ; nisi forsan hoc potius docere voluerunt, non quidem obligationem eiusdem, sed honestatem tamen ipsa naturali ratione dictari.

12 Quæritur secundo, quotuplex sit sacrificium. Respondeo, omissa partitione sacrificij in visibile & inuisibile; in proprium & metaphoricum; in verũ & falsum, quæ diuisiones omnes solum sunt analogi in analogata ex dictis: sacrificium proprie dictum variis modis diuidi posse. Primo enim ratione originis seu causæ efficientis diuiditur sacrificium, in sacrificiũ legis naturæ naturali ratione institutum; legis Mosaicæ, à Deo, per Moysen institutum; & legis nouæ, à Christo institutum, vt tradit S. Thomas, 12. q. 103. a. 3.

13 Secundo ratione materiæ, seu rei oblatæ, aliæ dicebantur *victimæ* seu *hostiæ* animalium; seu à *vita* rei oblatæ, seu à *victis hostibus*: aliæ *immolationes* rerum solidarum inanimarum, vt panis, farinæ, salis, thuris, à *mola*: denique alia *libamina* seu libamenta, liquorum: licet hæc sæpe confundantur; & *immolari* longe frequentissime ipsis victimis tribuatur. De qua diuisione pluribus agunt S. Thomas q. 102. a. 3. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 4. Henriquez lib. 9. cap. 2. Suarez cit. disp. 37. sect. 7. & Sigonius lib. 4. de Republica Hebræorum.

14 Tertio ratione actionis oblatiuæ, partim etiam ratione finis, aliud dicebatur *holocaustum*; quod totum igne consumptum, (excepta pelle, quæ Sacerdoti cedebat, Leuit. 7. v. 8.) mere & vnice ad diuinam Maiestatem protestandam referebatur: aliud *hostia propeccato*, seu *propitiatorium sacrificium*: aliud *hostia pacifica*, idque rursum, aut Eucharisticum siue sacrificium laudis & gratiarum actionis; aut impetratorium: ex quibus aliquid in vsum etiam Sacerdotis, partim aliorum quoque offerentium cedebat, vt pluribus declarant S. Thomas cit. q. 102. a. 3. alijque citati.

15 Quarto, ratione & rei oblatæ, & ipsius simul oblationis, aliud dicitur sacrificium *cruentum*, aliud *incruentum*; eo quod in illo sanguis seu vita rei oblatæ funderetur, in hoc non item. Quæ diuisiones sacrificiorũ etsi potissimũ sacrificia Mosaica respiciant, quibus etiam speciatim applicantur à Philone lib. 3. de victimis, Iosepho lib. 13. antiquit. c. 3. S. Thoma 1. 2. q. 102. a. 3. & Ribera de templo lib. 4. possunt tamen, seruata proportione facile etiã alijs accomodari. Atq; hæc de sacrificio generatim pro ratione instituti sufficiant. Nam de sacrificio nouæ legis, tam cruento, quã incruento, speciatim & ex instituto agendũ est cũ S. Thom. in 3. p. seu tom. 4.

DVBIVM II.

De oblationibus, primitijs, & decimis.

S. Thom. 2. 2. q. 86. & 87.

QVæritur primo, quid nomine oblationum intelligatur. & an necessario sint soluendæ. Respondetur sequentibus pronuntiatis. I. Etsi nomen *oblationis*, ex prima impositione, & consueto alias loquendi vsu, cõmune sit omnibus rebus, quæ in cultũ Dei exhibẽtur seu offeruntur, ita vt hac ratione tam sacrificium, quã decimas comprehendat, in præsenti tamen paulo strictius accipitur, pro ijs oblationibus, quæ tam à sacrificio, quam à primitijs & decimis distinguuntur, prout etiam Exodi 25. v. 2. de ijsdem sermo est: *Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias* (late acceptas) *ab omni homine, qui offeret vltroneus, accipietis eas.* 16

II. Ad huius vero generis oblationes, fieri potest vt aliqui obligentur quadruplici ratione iuxta S. Thomam cit. q. 86. a. 1. *Primo*, quidem, inquit, *ex præcedenti conuentione; sicut cum alicui conceditur aliquis fundus Ecclesiæ, vt certis temporibus certas oblationes faciat:* quod tamen habet rationem *census*, & sine dubitatione ex iustitia soluendum est.

Secundo propter præcedentem deputationem, siue promissionem; sicut cum aliquis offert donatione inter viuos, vel cum relinquit testamento Ecclesiæ aliquam rem mobilem, vel immobilem, inposterum soluendam: quæ vtiq; etiam ab hæredibus seu executoribus testamenti ex iustitia soluenda est, iuxta dicta disp. 4. q. 7. dub. 11. 17

Tertio propter Ecclesiæ necessitatem, puta si ministri Ecclesiæ non haberent vnde sustentarentur; De qua re speciatim agit Concilium Tridentinum sess. 21. de reformat. cap. 4. vbi decernitur, vt Episcopus, si necesse fuerit, compellere possit populum ea submin istrare, *quæ sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum* (seu ministrorum Ecclesiæ) *sustentandam, quacunq; reseruatione generali vel speciali, vel affectione superdictis Ecclesijs non obstantibus.*

Quarto propter consuetudinem. Tenentur enim fideles in aliquibus solemnitatibus, ad aliquas oblationes consuetas (quales nimirũ sunt oblationes illæ, quæ à fidelibus in festis solennioribus ad altare fieri consueuerunt) Tamen in his duobus vltimis casibus, addit S. Thomas, *remanet oblatio quodamodo voluntaria*, scilicet quantum ad quantitatem, vel speciem rei oblatæ. 18

Certe quidem oblationes quædam eiusmodi, ad altare, certis festiuitatibus seu temporibus, adhuc obseruari solent à fidelibus, necessarioque obseruandæ sunt, quatenus recepta consuetudine fidelium communiter seruantur, vt cum Syluestro V. *Decimæ* docet Azor tom. 1. lib. 7. cap. 38. quæst. 12. quamuis Angelus putet, esse liberas, etiam vbi receptæ sunt.

Vnde S. Thomas hic eodem articulo 1. ad 3. docet eos, qui oblationes debitas non reddunt, *posse puniri per subtractionem Sacramentorum; non per ipsum Sacerdotem, cui sunt oblationes faciendæ, ne vi-*

deatur

deatur pro Sacramentorum exhibitione aliquid exigere; sed per superiorem aliquem. Nimirum quia in VI. Synodo vt refertur 1. q. 1. Canon. 100. statuitur. *Vt nullus, qui sacrã cõmunionẽ dispensat, à percipiente gratiarũ aliquid exigat: si vero exegerit; deponatur:* cũ tamẽ dist. 1. de consecr. ex Gregorio VII. præcipiat Canõ: *Omnis Christianus procureta d Missarũ solemnia* (saltem statis & consuetis temporibus) *aliquid Deo offerre.*

Spectant autem oblationes eiusmodi, iure communi, ad Ecclesię Rectorem siue Parochum, etiamsi per alium celebret; vt ex cõmuni docet Azor loco cit. idq; non solũ vt eas in suos vsus ipse conuertat, verum etiam *vt fideliter eas dispenset; partim quidẽ expendendo eas in his, quæ pertinent ad cultum diuinum: partim vero in his, quæ pertinent ad proprium victum: quia qui altari deseruiunt, cum altari participant* iuxta 1. ad Cor. 9. *Partim etiam in vsus pauperum, qui sunt, quantum fieri potest, rebus Ecclesiæ sustentandi; quia & Dominus in vsum pauperum loculos habebat,* iuxta Hieronymũ in cap. 17. Matthæi. Atq; ita generatim de oblationibus tradit S. Thomas cit. q. 86. a. 2. 19

IV. Sed & Monachi siue alij Religiosi *possunt oblationes recipere triplici ratione. 1. sicut pauperes, per dispensationem Sacerdotis, vel ordinationem Ecclesiæ. 2. si sint Ministri altaris; tunc enim possunt accipere oblationes sponte oblatas. 3. si parochiæ sint eorum; tunc enim ex debito possunt accipere oblationes, tanquam Ecclesiæ Rectores.* Ita S. Thomas q. 86. a. 2. ad 2. ex communi. 20

V. Et quamuis olim in veteri testamento, non liceret de rebus quibuslibet oblationes facere, vt patet Deuter. 23. & Malachiæ 1. in noua tamen lege, per se loquendo, *de quibuslibet rebus iuste æquisitis & possessis fieri potest oblatio:* etsi per accidens ob nocumentum alterius, cuius potior ratio habenda, vel ob scandalũ, vel ob cõtemptũ, &c. id esse possit illicitũ, vt docet S. Thomas ibidẽ a. 3. ex communi. 21

Quæritur secundo, an & qua ratione *primitiæ* soluendæ sint. Respondetur communi iure, tam in veteri, quam nouo testamento, primitias quasdam Ecclesiæ Ministris esse persoluendas. Patet ex scriptura Exodi 13. v. 2. Deuter. 26. v. 2. & 4. & Num. 18. v. 8. 12. & sequentibus. Et quod ad nouã legẽ attinet, ex Canone *Decimas*, 16. q. 7. vbi dicitur: *Oportet decimas & primitias, quas iure Sacerdotum esse sentimus, ab omni populo accipere.* Ratio congruentiæ est, quia primitię offeruntur in recognitionẽ diuini beneficij: *dum aliquis profitetur, se à Deo fructus terræ percipere,* ideoq; teneri ad aliquid istorũ Deo rursus exhibendũ. secundũ illud 1. Paralyp. vlt v. 14. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* 22

Et quia primitiæ sunt aliquid præcipuum de fructibus terræ, ideo merito præcipitur, vt Deo, cui præcipuũ quodq; debetur, primitiæ offerantur; idq; in vsum Sacerdotum, vt docet S. Thomas q. 86. a. 4. vbi addit; *pertinere ad ius naturale, vt homo ex rebus sibi datis à Deo, aliquid exhibeat ad eius honorẽ: sed quod talibus personis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut tali quantitate, hoc quidem,* inquit, *fuit in veteri lege iure diuino determinatum, in noua autem lege, definitur per determinationem Ecclesiæ, ex qua homines obligantur vt primitias soluant, secundum consuetudinem patriæ, & indigentiam Ministrorum Ecclesiæ.*

Et ibidem ad 3. quod ad primitiarũ quantitatem attinet, ex Hieronymo in c. 45. Ezechielis refert; *ex maiorum traditione introductum esse, quod qui plurimum, quadragesimã partẽ dabant Sacerdotibus loco primitiarum; qui minimum, sexagesimam. Vnde videtur* inquit, *quod inter hos terminos sint primitiæ offerendæ, secundum consuetudinem patriæ.* Cæterum primitiarũ solutio nusquã fere amplius hoc tempore est in vsu, neque necessaria est, vbi in vsu non est, vt ex communi docet Azor loc. cit.

Quæritur tertio, quantum ad *decimas* attinet, an & quo iure soluendæ sint decimæ. Respondeo sequentibus pronuntiatis. I. Decimarum solutio Deo siue Ecclesiæ Ministris, in honorem Dei facta, est actus religionis: isq; cõmuni iure necessarius. Ita S. Thomas hic q. 87. a. 1. Patet ex veteri lege Num. 18. v. 24. & Deuter. 14. v. 22. & 28. Ex quibus locis S. Thomas cit. q. 87. a. 1. ad 4. notat olim triplices decimas soluendas fuisse: *quarum quasdam,* inquit, *soluebant Leuitis. Dicitur enim Num. 18. Leuitæ decimarum oblatione contenti erunt: quas in vsus eorum & necessaria separaui. Erant quoq; aliæ decimæ, de quibus legitur Deut. 14. Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per singulos annos, & comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quẽ elegerit Deus. Erant quoq; & aliæ decimæ, de quibus ibidem subditur; Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra ianuas tuas; veniet q; Leuita, qui aliã non habet partẽ neq; possessionẽ tecum; & peregrinus ac pupillus, & vidua qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur.* 23

Idem etiam, quod ad nouam legem attinet, patet ex varijs Canonibus, præsertim 16. q. 1. vbi ex Augustino serm. 1. Dominicæ 12. post Trinit. refertur Canon: *Decimæ ex debito requiruntur; & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.*

Idem patet tum ex Concilio Constantiensi sess. 8. vbi contrarius error Wicleffi, negantis soluendas esse decimas, damnatus est; tum ex Concilio Tridentino sess. 25. c. 12. de reform. vbi statuitur: *Non sunt ferendi, qui varijs artibus decimas Ecclesijs obuenientes subtrahere moliuntur; aut qui ab alijs soluendas temere occupant, & in rem suã vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt. Præcipit igitur S. Synodus omnibus, cuiuscunq; gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat; vt eas, ad quas de iure tenentur, imposterum Cathedrali aut quibuscunq; alijs Ecclesijs, vel personis, quibus legitime debentur, integre persoluant. Qui vero eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta absoluantur;* quando quis scilicet potest restituere ex Nauarro Manual. cap. 21. num. 32. Ratio patebit inferius. 24

II. Intelligendo per decimas determinate *decimã* partẽ fructuũ, soluendæ sunt illæ in noua lege solũ Ecclesiastico iure: at generatim intelligendo, ptionẽ aliquam fructuum, seu bonorum, quæ ad sustẽtationem conuenientem Ecclesiæ Ministris sufficiat soluendæ sunt decimæ iure naturali & diuino. Ita S. Thomas cit. q. 87. a 1. & cõmunis Theologorũ sententia; quam bene defendit Valentia hic quæst. 5. pun 1. contra quosdam iurisconsultos, qui etiam ipsam certam ac decimam partem fructuũ iure diuino Ministris Ecclesiæ deberi dixerunt. Ratio primæ partis est; quia præceptũ veteris legis, de soluẽdis 25

decimis, positiuũ; ac ceremoniale erat, ad Christianos non pertinens; nec in noua lege vspiam vllum reperitur diuinum præceptum, quo homines determinate ad decimam fructuum partem Ecclesiæ Ministris persoluendam obstringantur.

26 Secunda pars patet ex multis scripturæ locis, in quib⁹ docetur, Ministros Ecclesiæ dignos esse mercede sua, & congruę sustentationis stipendio, vt patet Matth. 10. v. 10. Lucæ 10. v. 7. 1. Cor 9. v. 9. & sequent. 1. Tim. 5 v. 18. Ratio est; quia cum Ecclesiæ Ministri ex officio spiritualia fidelibus ministrent, ijsdemq; in ordine ad salutẽ animæ laborando inseruiant, plane ius ipsum naturale exigit, vt à fidelibus vicissim congruã sustentationẽ accipiant; percipiẽdo scilicet, ex eorũ bonis, eam fructuũ seu redituum portionẽ, quæ ad talẽ sustentationẽ sufficiat. Quam rationem etiam indicat Apostolus cit. 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendijs vnquam? aut quis plantat vineã, & de fructibus eius non edit?*

27 III. Iure tamen in veteri testamento decima pars fructuũ Leuitis destinata fuit, vt docet S. Thom. eodẽ a. 1. quia cũ populus Israel in duodecim tribus esset diuisus; & vero duodecima tribus, scilicet Leuitica, diuinis ministerijs mancipata, mandato Dei, possessionibus, quibus sustentaretur careret; cum tamẽ illi, non minor, quã cęteris, portio merito fuisset debita, cõuenienter institutũ fuit à Deo, vt reliquę vndecim trib⁹ decimã (non solũ vndecimã) partẽ suorũ ꝓuentuũ Leuitis darent; scilicet tũ *vt honorabilius ipsi viuerent*, tũ quia etiã *aliqui per negligentiam erant transgressores futuri, decimas non integre persoluendo.*

28 Qua ratione etiã determinatio decimæ partis soluendę, in noua lege, Ecclesię auctoritatate, instituta est, *secundũ quandã humanitatẽ*; vt scilicet non minus populus nouæ legis Ministris exhiberet quã popul⁹ veteris legis ministris exhibebat; cũ & ministri noui testamẽti sint maioris dignitatis, quã ministri veteris testamenti, vt ꝓbat Apostol. 2. Cor. 3. v. 6 & rursũ populus nouæ legis obligetur ad maiorẽ ꝓfectionẽ, quã populus Iudæorũ, iuxta illud Matt. 5. v. 10. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarũ & Pharisæorum, non intrabitis in regnũ cælorũ.* Neq; sane minor nunc sit secundum proportionem Clericorum, quam olim Leuitarũ numerus, vt fusius ostendi lib. 2. defens. Eccles. lib. 1. cap. 15.

29 IV. Quare non potest quidem hoc præceptũ de soluendis decimis, vniuersim abrogari, ita vt à fidelibus nihil Ecclesiæ Ministris ad eorũ sustentationẽ debeatur; potest tamẽ varijs modis abrogari, quoad certã partẽ aliquotã, nempe decimã illã partem fructuũ persoluendã Ita S. Thom. cit. q. 87. a. 1. ex communi. Prior pars probatur; quia ius seu præceptum naturale nõ potest abrogari; esto, si ministris Ecclesiæ de cõuenienti sustentatione aliunde sit ꝓuisum, possit pacto seu transactione, vel etiã consuetudine tolli obligatio quidquã ampli⁹ ad eorũ sustentationẽ contribuendi. Manet enim semper obligatio naturalis, saltẽ in casu, quo eis aliunde prouisum non sit, conuenientem eis sustentationem prouidendi.

30 Posterior pars assertionis probatur & declaratur, Potest enim obligatio soluendi decimas relaxari & auferri, primò, si ipsi ministri Ecclesiæ, ob vitandũ forte alicubi scandalũ infirmorũ (vt fit in Italia) decimas non exigant; quod laudabiliter interdũ fieri, asserit S. Thomas cit. q. 87. a. 1. ad 5. vbi ait: *Ministri Ecclesiæ maiorẽ curam debent habere spiritualiũ bonorum in populo promouendorum, quam temporaliũ colligendorum. Et ideo Apostolus 1. Cor. 9. noluit vti potestate sibi à Domino tradita, vt scilicet acciperet stipendia victus ab his, quibus Euangelium prædicabat; ne daretur aliquod impedimentum Euangelio Christi. Nec tamen peccabant illi, qui ei non subueniebant, alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Et similiter laudabiliter Ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirunt, vbi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis, qui non soluunt in locis illis, in quibus Ecclesia non petit: nisi forte propter obstinationẽ, habentes voluntatẽ non soluendi, etiamsi ab eis peterentur,* Ita S. Thomas.

31 Secundo tolli potest obligatio Clericis soluendi decimas, per conuentionem seu transactionẽ inter populum & Ministros Ecclesiæ factam, iuxta Capit. *Ex multiplici*, de decimis, primitijs, & oblationibus. Possent enim Ecclesiæ Ministri, iusta ex causa, de decimarum remissione pacisci.

Tertio per priuilegium Summi Pontificis, ibidem cit. cap. non autem alterius, licet Imperatoris, iuxta Capitulum *Tua nobis*, eodem titulo.

Quarto per contrariam consuetudinem rationabilem & præscriptam, vt ex communi docent Caietanus in Summa V. *Decimæ* Sylvester V. *Decimæ* n. 1. Nauarrus cap. 21. Manual. n. 30. Couarruuias lib. 1. variar. resolut. cap. 17. n. 8. & Valentia q. 5. pun. 2. quamuis negent aliqui Canonistę, ex falso fundamento, rati decimæ partis solutionem esse iuris naturalis seu diuini, quod superius refutauimus.

Quinto per præscriptionem: hinc enim etiam Laicus, qui per tempus immemoriale, vel quadraginta annorũ, cum probatione tituli, bona fide non soluit decimas, liber est ab obligatione soluendi, vt fuse probat Couarruuias loc. cit. & sequitur Valentia cit. q. 5. pun. 5. imo etiam sine probatione tituli, vt docet Henriquez lib. 7. cap. 27. num. 2. & dictũ superius pluribus de Iustitia q. 1. dub. 6.

32 Quæritur quarto, ex quibus rebus soluendæ sint decimæ. Respondetur, duplices decimas, *prædiales* scilicet, & *personales*, communi iure persoluendas esse. Illæ quidẽ ex omnibus fructibus terræ, adeoq; arborum, hortorum, acetiam animalium fructibus: istæ vero ex omni personæ lucro, negotiatione scilicet, opificio, venatione, arte & industria, iure quidẽ communi soluendæ sunt, & ad ipsas quoq; ædes Ministrorũ Ecclesiæ deferendæ, iuxta Capit. *Non est.* Capit. *Cum non sit.* & Capit. *Pastoralis*, de decimis, & varios Canones causa 16. q. 1. & q. 7.

Sed personales decimæ hodie nusquã fere sunt in vsu; prædiales etiã non vbiq; quoad omnes terræ fructus receptę sunt; sicut nec quoad modũ soluẽdi, scilicet vt ad ipsas ædes Ministrorũ Ecclesię deferãtur. Qua in re particularis locorũ consuetudo attẽdenda est; potest enim cõsuetudine obligatio soluẽdi decimas abrogari, vel limitari, vt superius dictũ 33

Illud hoc loco dubitatur, an etiam ex rebus donatione, hæreditate, aut legato acquisitis soluendæ sint decimæ. Respondeo, decimam partem fructuũ, quas eiusmodi res ferunt, sine controuersia soluendam, vt omnes fatentur, & constat ex citatis iuribus: atqui decimam partem ipsarum eiusmodi rerũ

prædi-

prædicto modo acquisitarum, minime, vt ex praxi docet Valentia loc. cit. nec repugnat Sylvester V. *Decimæ* num. 12. etsi quoad res mobiles contrarium asserat Azor tom. 1. lib. 7. cap. 35. q. 8.

Ex rebus autem inique partis, decimæ quidem prædiales soluendæ sunt; quia annexæ sunt rei, vbicunque & apud quoscunque ea versetur: Industriales vero ex rebus eiusmodi restitutioni obnoxijs non sunt soluendæ, vt ex communi notant Sylvester ibidem, & Azor q. 13.

34 Quæritur quinto, quibus soluendæ sint decimæ. Respondetur, per se ac ex prima institutione soluendas esse ministris Ecclesiæ, vt ex dictis colligitur; & iure quidem communi, prædiales ijs Parochis, in quorum parochia sita sunt prædia, vel terræ, ex quibus ij fructus nascuntur: personales autem ijs, in quorum parochijs degunt, & de iure Sacramenta percipiunt personæ, quæ lucrum faciunt. Qua tamen in re standum est receptæ & probatæ consuetudini qua fieri potest, vt ex alterius quoque parochiæ territorio soluendæ sint decimæ prædiales, ob speciales contractus & titulos.

35 Iure vero particulari, decimæ aliquando etiam alijs, aut locis, aut personis, etiam laicis, soluendæ sunt; puta Monasterijs Collegijs, Xenodochijs, Regibus, Principibus alijsq; personis sæcularibus: quāquam his quidē titulo non spirituali, sed temporali. Id autem fieri potest primo per venditionē seu donationem eiusmodi partis fructuum, manente de cætero iure decimarum apud priores possessores; quod nullam habet difficultatem: Secundo per priuilegium, siue concessionem Summi Pontificis, ex rationabili causa, ob bonum Ecclesiæ factam.

Tertio per concessionem in feudum perpetuum, factam ab Ecclesiæ Prælato, ante Concilium Lateranense celebratū sub Alexandro III. circa Annum Christi 1079. & colligitur ex capit. *Cum Apostolica* de his quæ fiunt à Prælatis sine consensione Capituli, & capit. *Cum & plantare*, de priuilegijs. Quas tamen ipsas decimas sic obtinentes, ex consensu quidem Episcopi, ad aliam Ecclesiam, aut religiosum locum, secundum omnes, & forte etiam laicos, secundum Sylvestrum loc. citat. transferre possunt: quamuis ne sic quidem ad laicos transferri posse sentiat Couarruuias loc. cit. n. 5. & sequent.

36 Post id autem Concilium, decimæ in feudū perpetuum laicis à Prælatis Papa inferioribus dari non possunt; præterquam illæ, quæ ante semel in feudū licitè concessæ, denuo ad Ecclesiam redierunt, vt generatim dictum disp. 4. q. 7. dub. 7. & docent Glossa in capit. *Prohibemus*, de decimis, & Valentia q. 5. pun. 4. alijq; à Couarruuia citati, quamuis ipse contrarium significet.

Quinto per locationem etiam laicis factam, sed non vltra triennium, vbi recepta est Extrauagans Pauli II. De rebus Ecclesiæ non alienandis, quæ id sub excommunicatione cauet. Quam tamen ipsam in multis locis receptam non esse, saltem quoad annexas pœnas, notant Caietanus V. *Excommunicatio*,
37 & Nauarrus Manual. cap. 27. num. 149.

Concilium vero Tridentinum sess. 25. c. 11. de reformat. decreuit, *irritas esse quascunq; locationes rerum Ecclesiasticarum (etiam auctoritate Pontificis confirmatas) quas à triginta annis ad longum tempus, seu vt in nonnullis partibus vocant, ad viginti nouem annos in damnū Ecclesiæ, aut cōtra Canon. sanctiones factas fuisse, Synodus prouincialis, vel ab ea deputandi iudicauerint.*

Quæritur sexto, à quibus soluendæ sint decimę. 38
Respondetur, ab omnibus, qui vel Sacramenta percipiunt in aliqua Ecclesia, vel in eius territorio prædia habent, aliquo alio titulo, quā spirituali; etiamsi Clerici sint eiusdē, vel alterius Ecclesiæ: nisi priuilegio, consuetudine, vel simili causa, ex recensitis superius, excusentur, vt cum S. Thoma q. 87. a. 4. habet cōmunis Doctorum sententia.

Quare etiam Clerici ex patrimonialibus prædijs soluere debent decimas, vt cum S. Thoma, & Caietano cit. a. 4. Soto lib. 9. de iust. q. 3. a. 4. docet Valentia q. 5. pun. 5. iuxta capit. *Si quis clericus* 16. q. 1. quidquid nonnulli dixerint: nisi forte Clericus ipse ministrat Ecclesiæ, cui debentur decimę, vt docet Sa V. *Decima*: qua in re consuetudinis habenda est ratio.

An autem ex prædijs vnius Ecclesiæ, in alterius Ecclesiæ territorio sitis, soluendæ sint decimæ, controuertitur inter Doctores: & attendenda videtur consuetudo. Iure quidem communi prædium Ecclesiæ donatum non liberatur ab obligatione soluendi decimas, quas ante soluebat altari Ecclesiæ, vt post alios docet Sa loc. cit.

Vltimo quæritur, ad quē iudicem spectent causę 39
decimarū. Respondetur cōmuni iure, & extra casus particulares, absq; controuersia spectare ad iudicē Ecclesiasticum, vt patet ex cap. *Parochianos* de decimis & cap. *Decernimus*, & cap. *Quanto*, de iudicijs, & Clement. *Dispendiosum*, de iudicijs. Ratio est; quia ius decimarum, saltē prima origine spirituale est.

In particularibus vero quibusdā casibus, res ad- 40
modū inter Doctores controuersa est, vt videre est apud Petrum Rebuffum de decimis q. 1. Azorium tom. 1. lib. 7. c. 36. & Couarruuiam pract. quæst. c. 35. qui quinq; casus colligit, in quibus causę decimarum ad ciuilem magistratum deferri possint. 1. Quando Decima est in feudum Laico legitima authoritate tradita. 2. Quando Laici coguntur à Clericis soluere decimam, contra præscriptionem vel consuetudinem, cuius initium non exstat. 3. Quando quæstio est facti, non iuris. 4. Quando Laicus conductor decimæ init cum Clerico pactum, vt coram ciuili iudice conueniri possit. 5. Quando causa agitur contra Laicos fures, de fructibus decimæ soluendis, reddendisue, non de ipso decimæ iure seruando & tuendo.

Sed Azorius loc. cit. q. 7. cum eosdem casus ex Couarruuia retulisset, mox subiungit: *Meo iudicio, in omnibus his casibus, causa decimarum coram iudice Ecclesiastico, non Laico tractanda est: quia est causa de decimis aut ortum habens ex iure decimarum.* Ita Azor.

Et sane licet res hæc non parum pendeat à con- 41
suetudine, tamen stando cōmuni iure, multo probabilius videtur, quotiescunq; ius decimarum, seu dominiū saltem directum ad Ecclesiā pertinet, siue inter Clericos, siue Laicos, seu de iure, seu de facto aliquo, ex iure illo spirituali per se ac necessario dependente, quæstio sit, vt quando quæritur de solutione decimarum, facta ne sit, an non facta; furto ne ante solutionem subtractæ sint, an non, cognitionem ad iudicē Ecclesiasticum pertinere.

Secus, quando post solutionem decimarum semel factam, sublatæ sunt, deque tali furto puniendo agitur; & vniuersim quoties de ipsis solum fructibus decimarum iam perceptis ac solutis est quæstio, iuxta ea, quæ loco citato fusius tradit Azor.

42 Ratio est: quia Canones superius citati absolute causam decimarum iudici Ecclesiastico transcribunt, quia spiritualis est: & alias etiam *accessorium sequitur naturam principalis*, saltē in necessario connexis; & maximè vbi ex accessorio posset præiudicium aliquod in causa principali creari: quod facile fieret in proposito, si in casu, quo decimæ à laicis, seu titulo feudi, cum licentia summi Pontificis, seu titulo conductionis possidentur, de iure decimarum non Ecclesiasticus, sed sæcularis iudex cognosceret.

Tunc enim, si quid forte iuris Vasallus, aut conductor laicus amitteret, ipsi etiam Ecclesiæ, ac in eius præiudicium amitteret. Eadem est ratio, cum de decimarum solutione, an facta sit, quæstio est: quandoquidem ipso neglectu solutionis, intra certum tempus, amitti ius decimarum potest, vt superius dictum. 43

Accedit, quod cum in casu feudi, dominium decimarum directum adhuc pertineat ad Ecclesiam, & alioqui communi iure, ipse dominus feudi de causa feudi cognoscat, non est ratio, cur cognitio decimalis causæ, hoc casu, Ecclesiæ abiudicetur, vt contra Couarruuiam rectè notarunt Rebuffus & Azor locis citatis.

Secus est, quando Ius decimarum iusta permutatione, siue contractu, penitus ab Ecclesia alienatum, ac in sæcularem personam translatum est: sicut etiam negandum non est, in tertio casu, ex Couarruuia relato, quando quæstio est facti solum, non iuris, probabilem esse dictam Couarruuię sententiam; quæ etiam ita passim videtur practicari.

QVÆSTIO IV.

De Voto.

S. Thomas 2. 2. quæstione 88.

ABsoluetur hæc quæstio sex dubitationibus. I. Quid sit votum; & quas conditiones requirat, tum ex parte vouentis, tum ex parte materiæ. II. Quinam vouere possint; & de varia vouentium conditione. III. Quænam generatim sit obligatio voti. IV. Quotuplex sit votum; speciatim in quo consistat votum solenne, & qua ratione à voto simplici differat. V. Quibusnam modis generatim obligatio voti desinat. VI. An humana authoritate proprie in voto dispensari possit, etiam solenni. Non est autem animus, nisi quæ proprie scholastici Theologi sunt, fusius disputare; sed solum fundamenta tradere; & in præcipuis quibusq; casibus breuem resolutionem addere; ne alioqui opus nimium excrescat, vt in præfatione primi tomi monui.

DVBIVM I.

Quid sit votum; & quænam conditiones, tum ex parte vouentis, tum ex parte materiæ, requirantur ad voti valorem & obligationem.

S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 1. 2. 5. 6.

1 QVod ad primum attinet, etsi quidem alias *Votum*, & desiderium rei acquirendæ, & preces, quibus hoc desiderium exprimimus, significet; in præsenti tamen, promissionem Deo factam significat. Quo modo votum definiri solet, religiosa promissio rei conuenientis Deo facta.

Et dicitur *promissio*, qua quis scilicet statuat, quippiam in honorem Dei, ex obligatione promissi, & sub peccato facere: quia nudum propositum quantumuis firmū, ad votum non sufficit, nec per se obligat. Dicitur secundo, *rei conuenientis*; quia rei inconuenientis promissio nulla est, vt infra patebit. Dicitur tertio, *Deo facta*; quia licet quandoq; etiam Sanctis fiat promissio, quæ nonnunquam votū dicitur (quanquam de hoc sit quæstio de nomine) non est ea tamen actus religionis, sed obseruantiæ, siue Duliæ; nisi forsan aliquis speciatim quippiam sanctis promittat, quatenus in eis Deus per gratiam habitat, vt Caietanus hic a. 1. & alij docent.

Iam quod ad conditiones voti pertinet, tres à S. Thoma, q. 88. a. 1. requiruntur, nimirū deliberatio, propositum rei exequendæ, & promissio, hoc est, voluntas, seu decretum se obligandi, cum ait: *Votum quandam obligationem importat per modum promissionis, qui est rationis actus, ad quem pertinet ordinare. Sicut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodo, quid sibi ab alijs fiat, ita promittendo ordinat, quid ipse pro alio facere debeat. Sed promissio, quæ ab homine fit, homini non potest fieri, nisi per verba, vel quæcunque exteriora signa: Deo autem potest fieri promissio, per solam interiorem cogitationem; quia vt dicitur 1 Reg. 16. Homines vident ea, quæ parent,* 2

sed

sed Deus intuetur cor. Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora, vel ad suiipsius excitationem, vel etiam ad alios contestandum, vt non solum desistat à fractione voti propter timorem Dei, sed etiam propter reuerentiam hominum. Promissio autem procedit ex proposito faciendi: propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ. Sic ergo ad votum tria ex necessitate requiruntur. Primo quidem deliberatio; secundo propositum voluntatis; tertio promissio in qua perficitur ratio voti. Ita S. Thomas.

3 Vbi quidem certum est, ad valorem voti requiri, tũ deliberationem aliquam; tum etiam promissionem. Sed dubitatur primo, an ad valorem & essentiam voti etiam requiratur voluntas sese obligandi. Negant Sotus l. 7. de Iust. q. 1. a. 2. Aragonius hic a. 1. & Lopez part. 1. Instit. cap. 42. qui putant, votũ valere absq; ꝓposito & voluntate se obligandi.

Sed contraria sententia est vera & communis, apud S. Thomam loco cit. & art. 3. ad 2. & 3. Richardum in 4 d. 38. a. 3. q. 3. Bonauenturam d. 38. a. 1. q. 1. Antoninum part. 2. tit. 11. cap. 2. Maiorem ead. d. q. 2. & Nauarrum in man. cap. 12. n. 24. & 27. & habetur ex cap. *Literarum* de voto & voti redempt. Ratio est; quia obligatio intrinsece includitur in promissione; adeo vt siquis voluntate se obligãdi plane careat, nõvere, sed fictè solũ ꝓmittat.

Secundo dubitatur, an ad valorem voti etiam requiratur propositum rem promissam exequendi. 4 Respondeo, quia communiter obligare se non intendit, qui propositum exequendi non habet, ideo S. Thomas cit. a. 1. propositum, rei scilicet promissæ exequendæ, non solum promittendi, vt explicauit Caietanus, ad voti substantiam requisiuisse videtur: licet absolute fieri possit, & sæpe, inter homines præsertim, reipsa accidat, promissionem sine ꝓposito exequendi rem promissam consistere.

Quo casu etiam, votum erit validum, vt ex cõmuniori tradunt Caietanus & Aragonius hic a. 1. Nauarrus man. cap. 12. n. 27. Toletus lib. 4. cap. 17. Lopez cap. 44. Graffius cap. 24. n. 13. etsi contrarium sentiat Valentia loco cit. & quæst. 7. pun. 4. §. 3. Ratio est; quia obligatio voti non oritur ex proposito rem faciendi, sed ex promissione, & decreto obligandi; quod sine proposito exequendi stare posse, manifestum est, quidquid dixerit Valentia. Hoc interim certum est, per accidens, ratione scandali, obligari posse etiam ficte vouentem ad votum implendum, vt in simili, de ficta promissione homini facta alibi diximus.

5 Tertio dubitatur, an & qualis deliberatio requiratur ad votum. Respondetur I. Ad valorem voti sufficit & requiritur ea deliberatio, quæ sufficit ad peccandum mortaliter; modo non sit tantum virtualis; vt si quis in ebrietate, vel ex consuetudine iurandi, subito voueat, se profecturum Romam, si cum aliquo v. g. ludat &c.

Primum, nempe talem deliberationẽ sufficere, ex cõmuni docent Paludanus in 4. d. 38 q. 1. Sotus, & Caietanus loc. cit. Nauarrus man. c. 12. n. 26. Gregorius de Valentia loc. cit. alijq; recentiores, contra Canonistas quosdam, nescio quam maturã & diuturnã deliberationem requirentes. Ratio est; quia talis deliberatio est in suo genere perfecta, & per se in omni materia sufficiens, ad se obligandum.

Minor autem deliberatio non sufficit; quia Deus non acceptat promissionem, nisi plene deliberatã. Quodsi deliberatio ad valorem quidem sufficiens sit, sed immaturior, communiter peccatur venialiter, propter quandam irreuerentiam, vt cum Caietano docet Valentia loc. cit.

Secundum, non sufficere deliberationem virtũalem, tradunt Aragonius hic a. 1. Angles in flor. 4. p. 2. q. de voto art. 1. & Sanchez l. 1. de matr. d. 8. n. 21. Ratio est, quia talis non est vera deliberatio, qualis ad gratuitam obligationem contrahendam merito requiritur. 6

Falsum est autem, quod vniuersim tradit Angelus V. *Votum*, eum quẽ statim post votum editum pœnitet, deliberationẽ ad valorem voti sufficientem non habuisse. Hoc melius, quod dicit Valentia loc. cit. dubitantẽ statim post votum, an voluerit se obligare, probabiliter cogitare posse, sibi non fuisse animum vouendi, vt mox in simili dicetur.

Respondetur II. In dubio an deliberatio fuerit sufficiens, consultissimum est, petere, dispensationẽ voti leuiter editi; quãuis valde probabile sit, in dubio an quis vouerit, neminẽ teneri voto; sicut nec si dubitet, an cum vouit, compos fuerit rationis; vel an sit obligatus. Priorem partẽ cum S. Thoma q. 88. a. 10. tradit cõmunis Doctorum sententia. quia hæc ipsa est ratio quædam dispensandi, vt inferius dicetur. 7

Posteriorem partẽ tradunt Sotus l. 7. q. 3. a. 2. Lopez c. 45. Graffius cap. 32. Sa V. *Votum*, & communiter recentiores. Ratio est; quia in dubio, an quis sit obligatus aliqua lege, vel præcepto, melior est conditio possidentis suam libertatem, vt generatim docuimus citat. tom. 2. disp. 2. p. 6. dub. 4. etsi nonnulli oppositum docuerint ibidem.

Respondetur III. Ad eandem deliberationẽ spectat, vt quis sine vi, & metu voueat; quia votum ex metu cadente in constantem virum, extrinsecus iniuste ad votum extorquendum iniecto, nullum est. Ita ex certa & cõmuni sententia tradunt Glossa in cap. *Præsens* 20. q. 3. Angelus V. *Metus*, n. 8. & 15. Nauarrus man. c. 22. n. 51. Gregorius de Valentia q. 6. pun. 4. & habetur Cap. *Perlatum*, de ijs, quæ vi metusue, quidquid dixerint Syluester V. *metus*, alijq; nonnulli. Ratio est; quia æquũ est, vt gratuita promissio, præsertim Deo facta, spontanea, ac non per iniuriam extorta sit; ne quasi approbator iniuriæ esse videatur: præsertim quia talis promissio etiam homini facta, est irrita, aut saltem pro arbitrio promittentis reuocari potest, vt ex communi docet Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 6. & dictum supra disp. 4. q. 6. n. 325. 8

Et quamuis Panormitanus in cap. *sicut nobis*, de regularibus, & Sotus lib. 7. de iust. q. 2. a. 1. dixerint, metũ illum naturali iure votũ irritum reddere; verius tamẽ est, id solum fieri humano iure, vt docent Aragonius q. 88. a. 3. & Lessius cap. 40. dub. 1. n. 8. & in simili, de contractu per metũ, ab alio, quam contrahente altero, iniectum inito, suo loco superius dictum disp. 4. q. 7. dub. 1. vbi plures citauimus.

Ex quibus etiam colligitur, metu leui etiã iniuste incusso votum non irritari, vt habet cõmunis, quidquid glossa, Angelus, Nauarrus loc. cit. aliiq; non- 9

nulli in contrarium dixerint; quorum tamen sententia in foro conscientiæ probabilis est.

Qui verò reclamat, se vi & metu religionem fuisse ingressum, non est audiendus, nisi intra quinquennium à professione, coram superiore causam deduxerit. Habitū prius dimittens, apostatæ pœnis subiacet, iuxta Concilium Tridentinum sess. 25. c. 19. de regul. At si vis & metus, aliaue reclamandi impedimenta, per quinquennium, vel vltra perdurent, etiã ius reclamandi perdurabit, vt recte Azor l. 12. c. 4. q. 10. Quis autē sit metus cadens in constantē virū quis leuis, explicatur suo loco de matrimonio.

10 Quod ad secundã huius dubitationis partē, nempe materiam voti attinet, intelligitur eo nomine res seu actio, quæ voto promittitur. Et certum est, ex cōmuni Doctorū sententia, iuxta S. Thomã q. 88. a. 2. op⁹ promissum, seu materiã voti, tribus conditionibus præditam esse debere, ad hoc, vt votū valeat.

11 Prima, vt sit in nostra libera potestate; neq; absolute nimirum & physice necessaria, nec impossibilis. Hinc votum de nunquam peccando, aut de non peccando venialiter, non obligat; nec ita quidem, vt quis teneatur vitare venialia, quantum potest; at vero cætera vota de rebus præceptis, & in specie de non peccando mortaliter valent.

Addunt recte Sa V. *votum*, Lopez c. 43. Sanchez lib. 1. de mat. d. 50. n. 6. votum de re impossibili non obligare, etiamsi postea fiat possibilis; nempe quia pro eo tempore, quo voto promissa est, fuit inepta materia voti, ipsumq; adeo votum irritum fecit: & quòd *initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere*, vt dicitur ff. de diuer. regulis Iuris.

12 Secunda conditio est, vt sit opus bonum, accipiendo late opus bonū, etiam pro omissione operis mali. Hinc votum de re indifferente, nisi ob circūstantias sit bona, & desinat esse indifferens, non obligat, v. g. non locuturum, aut lusurum cum aliquo qui tibi molestiam intulit; aut non comesturum carnes assas, si carnes alio modo coctas velis edere: multo minus obligat votum de re, aut secundum se, aut ratione circumstantiæ mala. Et quidem votum de peccato mortali mortale est, & de veniali veniale, vt recte cum alijs docent Gregorius de Valentia q. 6 pun 2. & Sa loco cit. tum quia reuerentiæ Deo debitæ aduersatur: tum quia votum includit propositum rei voto promissæ exequendæ.

13 Si autem ipse actus vouendi solum ob aliquam circumstantiam sit malus, res autem, quæ vouetur bona, tunc votum non est inualidum, nisi ea ipsa circumstantia mala referatur ad Deum, tanquam nimirum ab eo impetranda, accipienda &c. quo casu, poterit esse etiam mortalis blasphemia. Hinc votum Religionis factum ex vana gloria; ; aut vt eo voto concepto, deinceps ante religionis ingressum, velut iam de salute securus, leuiter & libere viuas; vel in gratiarum actionem pro filio ex adulterio suscepto, non est inualidum.

Sed si res ipsa, quæ vouetur, in finem malum ordinetur; aut si quis voueat aliquid, vt consequatur quod non licet v. g. victoriam iniustã, furtum, adulterium; aut in gratiarum actionem pro malo, v. g. ꝓ victoria iniusta, votū non obligat; vt ex cōmuni docent Sa, & Valentia loc. cit. Vbi sine causa Azor l. 12. c. 5. q. 10. excipit votū religionis, quasi validū sit etiamsi vana gloria sit finis ipsi⁹ ingressus religionis.

Tertia conditio est, vt opus voto promissum nō impediat maius bonum, atq; adeo nec adimat homini facultatem maioris boni. Hinc vota de rebus illis, quæ diuinis consilijs opponuntur negatiue, v. g. de non seruanda castitate, paupertate, obedientia, de non ingrediendo Religionem, de nihil vouendo, de nulla fideiussione suscipienda, &c. & probabiliter etiam de non suscipiendo officio Reipub. vtili & necessario, tuoque statui conuenienti, iuxta Azorium lib. 11. c. 5. q. 1. & c. 14. q. 6. & Philiarchum p. 2. l. 3. c. 15. &c. non obligant; vti nec de illis, quæ contrariè eis sic opponuntur, vt facultatem seruandi consilia adimant; quale est votum de contrahendo matrimonio; nisi cui in aliquo casu vel debitus, vel propter maximam difficultatem seruandi Castitatem, in qua quis sæpius lapsus est, magis expediens videretur status coniugalis; ita vt secundum dictum Apostoli, melius illi sit *nubere, quam vri*, vt ex communi docent Caietanus hic quæst. 88. a. 2. Nauarrus man. cap. 12. num. 43. Sa. & Valentia locis cit. contra Sotum de iust. lib. 7. q. 1. a. 3. & Aragonium a. 2. 14 15

Aliæ vero res, quæ contrarie quidem consilijs Euangelicis opponuntur, sed facultatem ea obseruandi non adimunt, licite & valide vouentur, v. g. de seruiendo Hospitali, de peregrinando, &c. possunt enim hęc vota omnia commutari in vota Religionis, vt dicetur dub. 5. Nec tamen per se loquendo, est mortale, rem indifferentem, aut diuinis consilijs contrariam vouere: quia irreuerentia erga Deum, quæ committitur, grauis non est.

DVBIVM II.

Quinam vouere possint; & de varia vouentium conditione.

S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 8. & 9.

16 EOs, qui sui iuris satisque maturi iudicij sunt vouere posse, nullum est dubium. Sed quæstio est de ijs, qui aut sui iuris non sunt, aut nec dum plenū rationis vsum habent.

Et quod ad primos attinet, supponendum est, quosdam esse subditos superiori solum quoad rem voto promissam. Ita filij puberes subijciuntur Patri: Matri autem non nisi post mortē Patris; si ipsa Tutrix sit, aut certe non sit alius Curator, secundum quosdam, apud Sa V. *Votum*. Ita etiam serui dominis & ex probabiliore, vxor marito subijcitur, vt docent Nauarrus man. c. 12. n. 65. & Gregorius de Valentia q. 6. pun. 6. & satis patet ex cap. *Manifestū*, & Cap. *Noluit* 33. q. 3. contra Sotum lib. 7. de Iustitia q. 3. a. 1. plus asserentem. Idque etiam ex parte de marito (quoad debitum coniugale) aduersus vxorem dicendum est, vt suo loco de matrimonio patebit.

17 Alij sunt subditi etiam quoad ipsam voluntatē, siue actum promittendi. Ita impuberes, nempe mas ante 14. & fœmina ante 12. annum subijciuntur Parentibus, Patri scilicet, & post eius mortem Matri, si Tutrix sit (& secundum aliquos, etiamsi non sit) item Tutori, Curatori, & domino. Ita Religiosi, seu Moniales subijciuntur superioribus, & Pontifici; non ita huic alij non religiosi.

Hoc

18 Hoc posito, vt ad propositam quæstionem respondeamus, quatuor in rebus conueniunt vota subditorum primo & secundo modo. Primo enim vtrique licite possunt vouere, etiam sine consensu superiorum, sub tacita tamen, vel expressa cõditione, si superior consenserit, vt omnes concedunt, cũ S. Thoma q. 88. a. 8. Quod si conditionem hanc, (etiam inquantum alioqui superiori subijciuntur) excludant, tunc votum est illicitum, & nullum, ob inconuenientiam & defectum seu vouentis, seu materiæ, quæ vouetur. Exemplũ habetur in cap. *Quidam* & cap. *Placet* de conuers. cong. vbi professio facta sine consensu coniugis, declaratur prorsus irrita.

19 Secundo, neutrius votum sine consensu superioris, (in ijs, in quibus ipsi subijciuntur) aut positiue consentientis, aut saltem re comperta non repugnãtis, est firmum; nempe quia alioqui irritari potest, vt dicetur, & expresse docet S. Thomas q. 88. a. 8. ad 3. Si tamen materia non sit prohibita aut præiudicialis, sufficit consensus negatiuus superioris etiam ignorãtis, vt docet Caietanus ibidem a. 8. Sotus lib. 7. de Iust. q. 3. a. 1. & Angles part. 2. de voto a. 7. diffic. 2. etsi negent Richardus d. 38. a. 4. q. 1. Maior q. 4. Angelus V. *Votum* 2. n. 3. Rosella n. 14. & Valentia q. 6. pun. 6. Ratio est; quia sicut subditi habent sufficienten libertatem ad hæc facienda, ita etiam vbi superior non resistit, habent sufficientem libertatem obligandi se ad eadem facienda; quando hoc ipsis nulla lege prohibetur, vt expresse etiam docet S. Thomas a. 12. ad 2.

20 Tertio, neutrius votum est prorsus nullum & irritum, licite semel sub illa tacita conditione editũ, priusquam à superiore irritetur; etiamsi alioqui res sit per regulam prohibita. Valet enim, & obligat sub conditione, si superior consenserit; & tenetur subditus vterque petere consensum superioris, vt omnes fatentur: idque ex probabiliori, etiam detecto voto; siquidem alias, licet superior, nescius voti, facultatem deneget, non erit ideo Religiosus à voto exequendo, nec ad tempus quidem exemptus, vt contra Caietanum a. 8. & Nauarrum cap. 12. num. 65. verius docent Angles a. 7. diffic. 2. & Valentia punct. 6. qui solum dicit, id esse tutius. Hoc certum, à voti vinculo subditum non solui, nisi de eo certior factus superior contradixerit.

21 Quarto, vtriusque votum potest à superiore irritari, ex quacunque causa; ita saltem vt subditus pro eo tempore, quo eidem superiori subiectus manet, non teneatur ad executionem voti, vt ex certa & communi docent Syluester V. *Votum* 3. Nauarrus cap. 12. n. 69. Valentia loc. cit. quanquam Sotus lib. 7. de Iust. q. 3. a. 1. putet, esse peccatum saltem veniale, si superior absque rationabili causa votum inferioris irritet. Excipitur votum religiosi, transeundi ad religionem seueriorem, quod à superiore irritari non potest, iuxta cap. *Licet*, de Regularibus.

22 In his ergo conueniunt vtrorumque vota; sed in alijs pluribus discrepant. Primò enim subditi primo modo possunt multa vota, de rebus scilicet ad superiores nullo modo spectantibus, sine eorum præiudicio, valide & absolute edere, etiam ijs non consentientibus: subditi autem etiam quoad voluntatem, & actum vouendi, quales sunt Religiosi, & impuberes, nullum omninò votum absolute validum, sine consensu superioris, edere possunt; nec de rebus quidem iam aliunde præceptis; quod non sit in potestate prælati, vt recte docent Sotus loc. cit. Nauarrus n. 65. & Valentia loc. cit. contra Caietanum a. 8. Hinc parentes puberis vota personalia, sibi non præiudicantia, imò & realia de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus, irritare non possunt, vt ex communi docet Sa V. *Votum*, & in simili de eleemosyna dictum disp. 2. q. 5. dub. 2. At vero vota Nouitij licet à Prælato irritari nequeant, possunt tamen ab eo suspendi & differri, quando tempore Nouitiatus commode seruari non possunt, vt docent Nauarrus man. cap. 12. num. 76. Sa V. *Votum*, & Azor lib. 11. cap. 17.

23 Vnde colliges, tametsi neuter coniugum omnimodam castitatem sine alterius consensu vouere possit, vt constat ex cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, de conuers. coniug. nec maritus, se nunquam petiturum debitum, cum hoc votum præiudicet vxori, vt recte Sotus lib. 7. de Iust quæst. 3. artic. 1. potest tamen vterque etiam sine alterius consensu, vouere, nunquam exacturum, in suam duntaxat gratiam, vt recte docent Sylueſter V. *Votum* 5. q. 2. & Valentia cit. p. 6. & pluribus dicetur de matrim. tom. 4.

24 Eadem ratione, potest quoque vir vxoris vota, de rebus pertinentibus ad domesticam administrationem, irritare; non vicissim mulier viri; cum in illis vir sit caput mulieris 1. Cor. 11. non mulier viri. Vota vxoris de rebus, quarum ipsa plenam administrationem habet, v. g. de danda eleemosyna ex paraphernalibus, & alia eiusmodi, quæ viro nihil præiudicant, non potest vir irritare, vt cum Nauarro ex probabiliore docet Valentia loco cit. & colligitur ex cit. cap. *Placet*, de conuers. coniug. quamuis Sotus putet, simpliciter omnia vota vxoris à viro irritari posse, non minus quam vota Religiosi à superiore, ex falso fundamento superius reiecto num. 16.

25 Secundo, potest Votum Religiosi à Prælato, sicut & impuberis à parentibus irritari, etiam cum superioris consensu factum; atque etiam post concessam semel facultatem exequendi votum; at votum vxoris de omnimoda continentia, vel alterius subditi priore modo, etiam de re alioquin pertinẽte ad ius superioris, semel ex consensu superioris editum, non potest irritari. Primum contra Richardum in 4. d. 38. a. 4. q. 3. quem sequitur Angles loc. cit. docent Caietanus cit. a. 8. Sotus, & Valentia locis citatis: nimirum quia illis (nullius quasi proprij iuris, aut dominij in rebus à superioris voluntate dependentibus, capacibus) censetur concessa solum facultas dependenter ab arbitrio Superioris. Secundum cum Richardo docet Angles ex communi; & de illo vxoris voto habetur cap. *Manifestum*, 33. q. 5.

26 Tertio, Votum Religiosi, vel impuberis, semel à superiore, vel parente irritatum, non conualescit, quamuis subditus ille tandem liberetur à potestate Superioris; at votum subditi solum quoad rem promissam, ex probabiliore, videtur conualescere, si subditus tandem, quoad eam rem, à potestate Superioris liberatus, fiat sui iuris.

Ita cum distinctione docet Valentia cit. pun. 6. post Rosellam V. *Votum* 2. n. 13. contra Paludanum d. 38. q. 4. a. 2. absolutè affirmantem, vota irritata postea reuiuiscere: item contra Caietanum & Aragonium art. 8. Angelum V. Votum 3. n. 13. Syluestrum V. *Votum* 4. n. 2. Nauarrum man cap. 12. n. 66. Lopez c. 48. & Graffium cap. 29. n. 5. qui absolutè & indistinctè negant, vota irritata reuiuiscere: quæ sententia probabilis, & tuta est.

Sed nostræ sententiæ ratio est; quia votum subditi priori modo, etiam secundum se, & quoad ipsum actum & voluntatem vouentis, dependebat à superiore; votum autem subditi posteriori modo, solum quoad materiam voti, & rem promissam; quæ proinde vbi superioris potestati desinit esse subiecta, idonea fit voti materia, si modo ad eam vouentis intentio extendebatur.

27 Quod tamen intelligendum est, si votum à subdito quoad rem promissam, fuerit licitum, & sub tacita scilicet, vel expressa conditione illa editum, si superior consenserit, vel non impediuerit; neque adeo ipso facto prorsus nullum & irritum fuerit. Tale enim votum nunquam conualescit, vt aperte habetur in cit. cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, vbi professio à coniuge, sine alterius consensu illicite edita, prorsus irrita declaratur; ita vt sic professus, nec mortua quidem coniuge, teneatur Religionem ingredi: obligatur tamen ad non exigendum sui gratia debitum, & ad seruandam castitatem post mortem coniugis; quia vouens quoad hanc rem erat sui iuris, nec præiudicabat alteri, vt superius dictum.

28 Vnde colligitur, filium puberem, si voueat eleemosynam, factum sui iuris teneri ad eam faciendam; etiamsi parens id votum semel irritârit: nisi eleemosynam statim, & in eo ipso statu subiectionis faciendam vouerit; tunc enim quia tota materia voti in solidum est parentis potestati subiecta, censendum est votum semel irritatum nunquam conualescere; quo sensu imprimis locuti videntur authores superius citati numero 26.

29 Et quamuis complures, speciatim Antoninus part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 6. Syluester V. *Votum* 2. num. 6. Bartholomæus Medina lib. 1. Instit. cap. 14. §. 7. alijque tradant, à parentibus irritari solum posse vota filiorum, qui annum 25. non transcenderunt; rectius tamen Viualdus in Candelab. n 92. & Sanchez lib. 6. de matrim. d. 93. n. 10. id extendunt ad vniuersum tempus, quo filij sub potestate parentum viuunt; ob rationis paritatem.

30 Neque vero potest parens votum nuncupatum à pubere filio irritare, postquam hic eius potestate egressus fuit: an vero possit irritare filij iam emancipati votum non solenne, ab impubere editum, controuertitur. Affirmant Caietanus hic quæst. 89. art. 5. Gregorius de Valentia pun. 6. Nauarrus man. cap. 12. num. 71. Lopez 48. Azor cap. 17. quæst. 7. Negant probabilius Sotus lib. 7. quæst. 3. art. 2. Aragonius quæst. 88. art. 9. Angles flor. art. 7, diffic. 12. Quia tunc Parens nullam amplius in eum potestatem habet; quauis antea habuerit.

31 Quod vero attinet ad eos, qui plenum vsum rationis non habent, vt sunt ebrij, amentes, pueri &c notandum est, eos, qualescunque sint, si aut nullum, aut non plenum rationis vsum habent, ità vt mortaliter peccare possint, valide non posse vouere: pueri impuberes, si doli capaces sint, possunt quidem, vt ex dictis patet, quantum in se est, vouere; sed eorum votum quodlibet, ante pubertatem editum, potest irritari à parentibus, etiam post adeptam pubertatem, vt de ijsdem & de votis Religiosorum superius dictum.

At verò post pubertatis annos edita non possunt irritari, si aut personalia sint, vt est votum orationis, &c. aut ita mixta, vt per se primo sint personalia, vt est votum propinquæ peregrinationis, vt docent Nauarrus num. 68. & 70. & Valentia loc. cit. & colligitur ex dictis.

Votum porro solenne in Religione pueri olim 32
facere non poterant, ante decimum quartum annum, puellæ ante duodecimum, ex cap. *Non solum*, de voto & voti redempt. in 6. Iam verò iure nouo, neutri, ante annum decimum sextum perfectè completum: si fecerint, nullam penitus ea vota obligationem inducunt, ex Concilio Tridentino sess. 25 cap. 15. de Regular. Si verò puer, doli capax, ante eam ætatem, sacro ordine initietur, tenebitur voto solenni continentiæ ordini annexo; quia quoad hoc nihil in Concilio Tridentino innouatum est.

Ex quibus colligitur, votum simpliciter & ab- 33
solute validum esse, quatuor his conditionibus concurrentibus. Prima ex parte ipsius voti vt sit verum votum; habens tres illas requisitas conditiones, de quibus supra dub. 1. Secunda ex parte promittentis, vt sit factum ab eo, qui vouere poterat. Tertia ex parte materiæ, vt sit de re licita & conuenienti; esto alioqui votum ex parte circumstantiarum sit illicitum, nempe factum ob vanam gloriâ, aut minus consulto editum, vt dictum cit. dub. 1. Quarta ex parte consequentium circumstantiarũ, vt quis non sit aliunde iam liberatus ab obligatione voti, vt partim ex dictis constat, partim dicetur dub. 5. & 6.

Harum conditione aliqua deficiente, etiamsi quis postea votum ratificet, falso putans, se voto teneri, alias non confirmaturus, non ideo voto tenetur, vt recte & ex communi docent Syluester V. *matrimonium* 4. n. 10. Caietanus 2. 2. q. 189. a. 5. Nauarrus cap. 12. n. 7. & Sa V. *Votum*.

DVBIVM III.

Quænam generatim sit obligatio voti.

S. Thomas 2. 2. q. 88. a. 3. & 4.

CIrca obligationem voti duo generatim certa 34
sunt. Primum; votum, si validum sit, obligare sub peccato, & quidem mortali, ex suo genere, vt cum Sancto Thoma quæstione 88. articulo 3. docent omnes, iuxta illud Deuteron. 23. v. 21. *Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Et

Et Eccles. 5. v. 3. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quodcunq; voueris redde. Multoq; melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere.*

35 Nec obstat, quod violatio simplicis promissionis homini factæ per se non est peccatum mortale; quia vt indicat S. Thomas a. 3. ad 1. homo eodem genere vinculi multo strictius obligatur Deo, quã homini, *Deo enim*, inquit, *maxime obligamur: & ita votum ei factum est maxime obligatorium.* Accedit quod promissio Deo facta, non est nuda & simplex promissio, sed quasi stipulatio quædam, promitto vt facias, aut vicissim promittas: quæ etiam promissio inter homines grauem obligationem inducit.

36 Est autem idem peccati genus, nolle exequi votum, & pœnitere de exequutione voti; at de ipso voto edito pœnitere, per se quidem, & vniuersim non est peccatum, vt cum alijs rectè docet Valentia quæst. 6. punct. 3. Sed per accidens, ratione periculi grauis violandi votum, potest aliquando etiam esse mortale; veniale autem est, ratione tepiditatis communiter adiunctæ; de quo plura in materia de charitate q. 6. dub. 1. de acedia.

Sed & votum factum, vt aliquid à Deo impetres, obligat, etiamsi non impetres; nisi sub conditione vouisses, nempe, si impetraueris, vt ex communi recte docent Maior dist. 38. quæst. 1. Nauarrus cap. 12. n. 43. & Sa V. *votum.*

37 Secundo certum est, voti violationem posse esse veniale peccatum, non solum ratione indeliberationis, seu naturalis, & inuoluntariæ obliuionis, vel inaduertentiæ; sed etiam ob paruitatem materiæ, vt habet communis Doctorum sententia; idque etiamsi paruum quippiam sit integra & totalis materia uoti, vt contra Caietanum quæst. 89. art 7. & Toletum lib. 4. Instit. cap. 17. recte tradunt Sotus lib. 7. de Iustit. quæst. 2. art. 1. Nauarrus Manual. cap. 12. num. 40. Valentia q. 6. pun. 4. Angles in flor. quæst. de voto art. 2. diffic. 1. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 28. Vt si quis semel omittat Pater & Aue ex voto promissum.

38 Quanquam probabilius videtur, non ideo à mortali excusari eum, qui vouens, se quotidie recitaturum Pater & Aue, nunquam recitat per annum. Est enim hæc vna quædam vnius voti materia, eaque grandis, vt recte docuit Valentia loco cit. licet eam culpam solum venialem esse, tradant Sotus lib. 7. quæst. 2. art. 1. Aragonius quæst. 88. art. 3. & Angles art. 2. diffic. 2. quæ sententia non est improbabilis.

Aliud esset, si quis plura vota rerum eiusmodi paruarum violaret: nunquam enim videtur id futurum mortale, licet omnia illa simul sumpta magnam quantitatem facerent: quia nunquã ideo violatur grauis promissio. In particulari vero æstimatio grauis materiæ à prudentis arbitratu pendet: nec immerito Sanchez lib. 1. de matrimon. disput. 5. num. 25. vnam coronam B. Virginis pro graui materia habet, licet aliqui laxius arbitrentur.

39 Tertio certum est, obligationem voti plurimum pendere ab intentione vouentis, vt cum S. Thoma quæst. 88. art. 3. ad 2. & 3. docent omnes, quia actio agentis non operatur vltra intentionem illius, inquit Nauarrus; & cum tota obligatio voti ex libera vouentis voluntate ortum habeat, necesse est, etiam quantitatem obligandi, saltem ex parte obiecti, seu materiæ, à vouentis intentione pendere.

Itaque à voto liberat grauis admodum deceptio: 40
vt si quis voueat peregrinationẽ ad terram sanctam, persuasus, eam non longe distare, vt tradunt Lopez cap. 50. Sa V. *Votum*, Sanchez lib. 1. de matrim. d. 64. n. 4. Ita etiam si quis post votum peregrinationis Lauretanæ, magnã rei familiaris iacturam inopiamque adierit, quam si præsciuisset, in votum nunquam consensisset, ad id explendum non tenebitur.

Eadem ratione, qui singulis diebus Sabbati vouit ieiunium, si prudenter credat, ita se affectum fuisse, vt si in mentem veniisset, nonnunquam festa celebriora in sabbatum incidere, ea excepisset, non tenebitur in ijs festis ieiunare, quamuis inter vouendum de ijs expresse nihil cogitarit.

Similiter an virginitatem vouens, eâ amissa, 41
teneatur ad seruandam castitatem (quod absolute quidem asserit Sanctus Thomas cit. art. 3. ad 2. nimirum quia ea communiter solet esse vouentis intentio) itemque an vouens certam eleemosynam, si denuo temere iuret, obligetur solum pro prima vice, an quoties iurat, itidem ex actuali, aut virtuali voluntate ac intentione vouentis diiudicandum est.

Alias communiter siquis vouit, se aliquid facturum, si forte peccauerit, intelligitur id de prima duntaxat vice, nisi expresse intenderit se obligare ad id faciendum toties, quoties peccauerit, vt docet Sa V. *Votum.*

Denique is, qui vouit monasterij ingressum, *si* 42
intentio eius fuit, se obligare ad religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quasi magis sibi congruentem, tenetur, si non potest ibi recipi, aliam religionem intrare. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum, propter specialem complacentiam huius religionis, vel loci, non tenetur alibi religionem intrare, si eum illi recipere nolunt, vt ait S. Thomas art. 3. ad 2.

Neque tamen est in potestate vouentis, vt se 43
pro libito obliget, sub mortali, vel veniali: obligat enim votum, pro quantitate materiæ, vt ex veriori sententia, etiam de legibus suo loco dictum tomo 2. disp. 5. q. 6. dub. 5. quicquid nonnulli in contrariũ dixerint. Hinc violatio voti de vitando aliquo peccato veniali, aut de obseruanda lege obligante sub veniali, est peccatum solum veniale, vt recte Sotus l. 7. quæstione 2. articulo 1. & Sa V. *Votum.*

Cæterum violatio voti, per se loquendo, non est 44
nisi vnicum specie peccatum; quamuis per accidẽs possint esse plura, si res voto promissa, fuit etiam ante ex alterius virtutis obligatione præcepta, vt ex communi recte docet Valentia punct. 4. & in simili suo loco de legibus dictum quæst. 6. dub. 5. quicquid in contrarium dixerint Henriquez lib. 5. cap. 21. §. 5. & Sanchez lib. 1. de matrimon. d. 5. num. 21. & d. 9. num. 6.

Hæc

Hæc vero cum generatim certa sint, vt dictum; Dubium est primò an quis aliquando teneatur ad votum, quod ipse non fecit. Respondeo sequentibus pronuntiatis. I. Filij, quamdiu hæredes non sunt, non tenentur votis Parentum, nisi ipsi sponte se se obligent. Ita communis.

45 II. Vota personalia & mixta, quæ primario personalia sunt v. g. de peregrinando, ad hæredes non transeunt: vota autem realia (quæ rem concernunt) transeunt ad hæredes, vt alia onera realia. Ita ex communi Paludanus d. 38. q. 3. a. 3. Lopez cap. 45. Angles art. 2. diffic. 13. Neque tamen ideo hæres mortui parentis, vel testatoris vota negligens, religionem violat, sed iustitiam, seu fidelitatem, vt recte docent Azor. cap. 15. quæst. 15. & Suarez tom. 3. d. 88. sect. 5.

46 III. Quando ciues communi consensu vouerunt, quotannis certum diem festum, posteri quidem eorum voti vinculo proprie non tenentur: attamen fieri potest, vt ad idem festum celebrandum teneãtur ratione pacti, statuti, aut legitimæ consuetudinis; quia votum est personale vinculum ipsius vouentis; quod per se ad alios non pertinet.

47 IV. Quod attinet ad eum, qui ingreditur religionem, omnia eius vota personalia professione extinguuntur; realia vero debita etsi transeunt in monasterium, iuxta vires acceptæ hæreditatis; excipienda tamen videntur votiua debita; quia hæc per religionem itidem extinguuntur, vt recte docet Sa V. *Votum*; licet aliqui negent. Nouitius autem excusatur ab executione voti personalis, nõ autẽ realis.

48 Dubium est secundò, de circumstãtijs in exequutione voti obseruandis, quantitate scilicet, qualitate, tempore, & loco. Respondeo primò, si vouens ipsemet determinauit aliquas conuenientes circumstantias, tum vouens eas in exequutione seruare debebit. Patet secundũ omnes; quia voti obligatio ex parte materiæ pendet ex voluntate vouentis.

49 Respondetur secundò, si nullas determinauit, tũc quoad locum, qualitatem, & quantitatem rei, sufficiet quiuis locus, & qualitas, & quantitas, quæ satis sit, ad hoc, vt prudentum iudicio, quis vere censeatur opus promissum exequi, faciendo opus in tali loco, & cum tali quantitate, vel qualitate, spectata etiam ipsius personæ circumstantia, & intentione saltem virtuali. Ita ex communi docet Valentia quæst. 6. punct. 4. post Maiorem d. 38. quæst. 3. Itaque qui absolute vouit dare eleemosynam, satisfaciet dando quancunque veram eleemosynam: qui vouit frumentum, si det qualecunque frumentum, modo bonum sit: qui vouit generatim ingressum religionis, satisfaciet, si ingrediatur qualemcunque religionem, modo non sit penitus collapsa.

50 Respondetur tertiò, quantum ad tempus, debere vouentem (nisi alia fuerit eius intentio) primo quoque tempore, quo prudentum iudicio, sine suo notabili incommodo, videatur posse, votum exequi, vt cum S. Thoma a. 3. ad 3. docent Syluester v. *Votum* 2. n. 3. Valentia, & alij locis citatis, & patet cit. Deuter. 23. v. 21. & Eccles. 5. v. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.* Non tamen in mora est, qui exspectat maiorem oportunitatem breui futuram, vt recte Syluester loco cit.

Quod si quis vouit singulis diebus dare pauperi eleemosynam, si hodie non det, debet cras illud addere; non item, si omittat orationem dominicam, quam in singulos dies recitandam vouerat, vt bene docent Sotus lib. 7. de Iust. q. 2. art. 1. Aragonius q. 88. a. 3. Angles flor. a. 2. diffic. 2. Sa V. *Votum*. Ratio est; quia hæc videtur communis vouentium intentio; quæ si alia esset, eidem standum erit, vt in tertio certo dictum.

Atque ad hunc modum etiam S. Thomas art. 3. ad 3. quantum ad circumstantiam temporis, ad intentionem vouentis recurrit: *Obligatio voti ex propria voluntate & intentione causatur. Et ideo si in intentione & voluntate vouentis est, obligare se ad statim soluendum, tenetur statim soluere. Si autem ad certum tempus vel sub certa conditione, non statim tenetur soluere. Sed nec debet tardare, vltra quam intendit se obligare*, &c. Plura de obligatione voti, in certis materijs, alibi suis locis, præsertim de matrimonio docemus, & dicentur etiam nonnulla inferius dub. 5. 51

DVBIVM IV.

Quotuplex sit votum: speciatim in quo consistat votum solenne; & qua ratione à voto simplici differat.

S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 7.

VOtum varijs modis diuidi potest. 1. ex parte vouentis in *expressum*, de quo ferè loquimur; & *implicitum*, quod in aliquo actu vouentis implicitè continetur, vti Castitatis votum in susceptione maiorum ordinum, &c. ex communi. 2. ex parte temporis, pro quo obligat, in *temporale* & *perpetuum*. 3. ex parte modi, quo editur, in *priuatum* & *publicum*. 52

Quarto ex parte materiæ, in *reale*, *personale*, & *mixtum*. Reale directè rem ipsam concernit, non personam; vt eleemosynam, quam licet vouenti etiam per alium facere. Personale ipsam personæ vouentis executionem postulat, vt votum ieiunij, orationis &c. mixtum tam personæ functionem, quam rei impensam postulat, vt sit in voto peregrinationis.

Quintò ex parte eiusdem materiæ, siue ex parte propositi ipsius vouentis, in *absolutum* & *conditionatum*; quod non obligat nisi impleta conditione, vt in sponsalibus, & alijs promissis conditionatis accidit, de quibus plura suo loco de matrimonio.

Sextò verò votum præcipuè diuiditur in votum *simplex* & *solemne*; vbi præcipuè controuertitur, in quo propriè differat votum solenne à simplici; seu in quo consistat *solennitas* voti. Et potest quidem votum solemne, secundum etymon vocis, dici omne votum, cui solennis quidam ritus, modus, seu formula adhibita est, adeoque etiam votum publicum, quod solemni tempore, ac hominum concursu celebratum fit; quo modo Basilius in regulis fusius disputatis, nomen hoc vsurpasse videtur apud Vasquez 3. part. tom. 2. disp. 165. n 98. 53

Sed

Sed apud Theologos & Iuristas votum solemne, quâ contra simplex diuiditur, speciali ratione, dicitur votum illud, quod præter certam solemnitatẽ, matrimonium postea contractum dirimit, vt videre est c. *Rursus*, c. *Meminimus*, & c. *Insinuante*, Qui Clerici vel vouentes, & c. *Quod votũ*, de voto & voti Redempt. in 6. Vbi duo eiusmodi solennia vota recensentur, nempe per susceptionẽ sacri ordinis, & professionẽ religionis approbatæ emissa. Eadem diuisio voti simplicis & solemnis, quanquã alijs paulo verbis habetur apud Magist. l. 4. d. 38. vbi votũ aliud *facit cõmune*, quod in baptismo omnes edunt, aliud *singulare*. Hoc rursus diuidit in priuatũ & solemne: *priuatũ*, inquit, *est in abscondito factũ, quod violare est peccatũ; solenne verò in conspectu Ecclesiæ factũ, quod violare est peccatũ & scandalũ*. Et addit: *dirimi matrimoniũ subsequens hoc, non illo*. In eundẽ sensum Hugo Vict. l. 2. de sacr. p. 12. distinxisse videtur votũ *occultũ* & *publicũ*, iuxta declarationẽ, quã habet S. Th. 4. sen. q. 1. a. 2. quæstiũc. 2. licet interim nec Hugo, nec Aug. in Ps. 75. vbi quasdã voti diuisiones cõmemorat, nec alij antiquiores, voti solennis in dicto sensu mentionẽ fecisse videãtur, vt videre est apud Mich. Medin l. 4. de continentia c. 23, & Vasquez n. 92.

Neq; id mirũ est, quando & matrimonij irritatio voto solenni annexa, non ita vetus est: adeo vt etiã Hier Platus l. 2. de bono status relig. c. 21. cũ dixisset, Monachos olim nonnisi implicitũ votũ, postea explicitũ quidem, sed non solenne vouisse, subiungat; primũ tempore Innoc. II. ante annos ferè 500. statutũ, vt matrimonia à religiosis contracta nulla essent; cum ante semper prò validis haberentur; de qua tamen re inferius agetur pluribus n. 70.

Hoc posito, de natura voti solennis tres potissimũ sunt sententiæ. I. est, solennitatẽ illã consistere in quadã vouentis benedictione. Ita S. Th. hic q. 88. a. 7. vbi ait: *Solennitas voti attenditur secundũ aliquid spirituale quod ad Deũ pertineat; id est secundũ aliquã spiritualẽ benedictionẽ vel consecrationẽ, quæ ex institutione Apostolorũ, adhibetur in professione certæ regulæ, secundo gradu, post sacri ordinis susceptionẽ, vt dicit Dionys. 2. c. Eccles. hier.* II. sent. est, votũ solenne consistere in traditione actuali dominij sui ipsius in manus Dei, & eorũ qui vices ipsius gerunt; ita vt votũ simplex sit nuda promissio, instar sponsaliũ; sed solenne sit traditio de præsenti, instar matrimonij. Ita Sotus l. 7. de Iust. q. 2. a. 5. Pet. Sotus, lect. 5. de matr. Val. hic d. 6. q. 6. pnn. 5. Couar. 4. par. decretal. part. 2. c. 7. §. 4. n. 7. Viguer. Instit. c. 16. §. 7. Henriq. l. 12. de matr. c. 5. n. 2. & c. 14. Arag. 2. 2. q. 88. a. 7. & recent. Thomistæ cõmuniter, alijq; quãplurimi, apud Sanchez t. 2. de matr. d. 27. n. 7. & fauet S. Th. quodl. 3. a. 18. & in 4. d. 38. q. 1. a. 2. & quidam alij antiquiores ead. dist. 38. Huc etiã reuocari potest eorũ sententia, q. vt refert Azor, dicunt, votũ solenne etiã sua natura esse ꝑpetuũ, simplex vero posse q.dẽ tale esse, nõ tamen necessario esse; quoniã sæpe multa vouemus ad tempus. III. sent. & comm. vt videbimus, est, voti solemnitatẽ consistere in aliquo, quod sit iuris positiui tantũ, quale nonnulli dicunt esse ipsammet denominationẽ extrinsecã ab ipsa Ecclesię constitutione, decernẽtis, ꝑ votũ solenne dirimi matrimoniũ subsequẽs, nõ autẽ ꝑ simplex. Significat Caiet. 2. 2. cit q. 88. a. 7. & sentiunt plures inferius citandi.

54

55

56

57

Assertio I. Votũ solenne, seu solennitas ipsius vniuersim nõ consistit in benedictione vouentis. Est nunc certa, & patet; quia in quibusdam ordinibus, nulla talis benedictio reperitur, vt in Societate nostra, atq; etiã in ordine Prædicatorũ, vt inquit Caietanus, vbi solæ vestes benedicuntur, & quidem post ꝓfessionẽ & solenne votũ iam factũ, licet olim forma legitima profitentiũ contineretur eiusmodi benedictione, quę seu mediate, seu imẽdiate fieret circa vouentẽ; quo modo recte ac cõueniẽter nostræ sententiæ S. Thomã, sua tempora solũ respicientẽ, interpretatus est Caietanus cit. q. 88. art. 7. 58

Assertio II. Votũ solenne non consistit etiã in traditione illa suiipsius. Videtur certa. Quia traditio illa reperitur etiam in quibusdã, qui votũ solenne non ediderunt, vt de religiosis Societatis, etiam non solenniter professis, patet ex bulla Greg. XIII. quæ incipit *Ascendente*, vbi expresse definitur, vota simplicia in Societate nostra post bienniũ emittentes, per ea ipsa, se Societati (adeoq; Deo) *dedicare atque actu tradere*; eosdemq; *vere ac proprie Religiosos esse*, non secus ac professos cuiuscunque religionis. Quod etiã agnoscit Valentia; qui tamẽ ex hoc ipso colligere debuisset, assignatã à se voti solẽnis rationẽ nec vniuersalẽ, nec adeo verã esse. Accedit, quod in c. *Rursus* Qui Clerici vel vouẽtes, dicitur, simplex votũ *apud Deum non minus obligare*, quã solenne. Omitto, quod vt pluribus probat Suar. t. 2. de Rel. c. 14. n. 12. traditio nõ est differẽtia ꝑ se cõtrahens votũ 59

Nec obstat, quod in Societate nostra, vota simplicia fiant aliquo modo dependenter à voluntate superioris, qui illa potest, non quidem pro libito, sed tamẽ ex causa rationabili reuocare & relaxare, vt ex Constitutionibus patet. Hinc enim assignari quidẽ potest aliqua differentia traditionis, ex parte acceptantis; sed quæ tamen perfectioni ipsius traditionis, ex parte vouentis, nihil derogat; cũ ex eius parte sit planè absoluta & perpetua, adeoq; irreuocabilis traditio, etiã sub Apostasiæ nota, ac pœnis sancita, vt patet ex bullâ illa Greg. XIII. & propria bullâ Pij V. cõtra Apostatas, quæ incipit *Æquũ*, & Constitutionibus; id quod ad perfectionẽ verę & religiosę traditionis satis est. Quid enim donationi perfectæ decedit, quod eã donatarius potest reuocare, & donum rursum priori domino restituere? Quid perfectę seruituti deest, quod dominus potest seruum suum emancipare? Eodem ergo modo ad perfectionẽ traditionis nil interest, quod possit à superiore denuò ex causa reuocari & irritari. 60

Ass. III. Voti solemnitas etiã non consistit in perpetuitate voti. Ita cõmunis. Probatur. Quia vel perpetuũ dicitur votũ, quod nulla penit⁹ dispẽsatione possit dissolui; & talis perpetuitas nec solemni quidẽ voto cõuenit, vt inferius dicetur. Vel cõsistit in hoc, quod quantũ est ex parte vouentis, ad nullũ certum tẽpus obligatio voti cõtracta sit, sed potius ex se perpetua sit; & talis ꝑpetuitas cõuenit etiã tũ votis simplicib⁹ nostræ Societatis, vt dictũ; tũ voto simplici castitatis, etiã in seculo emisso; vt ꝓinde minimè verũ sit, votũ solemne per se esse perpetuũ, votũ simplex nõ nisi per accidens. Vel tertio perpetuitas hæc intelligitur vt nõ fiat sub cõditione, saltẽ tacita, qua votũ pendeat à volũtate hominis acceptantis; & ne sic q.dẽ vniuersim distinguitur votũ solẽne à simpli- 61

ci; quan-

quandoquidem certè obligatio voti simplicis Castitatis, in seculo emissi, à nulla eiusmodi conditione pendet. &c.

62 ASSERTIO IV. Non consistit etiam in illa denominatione extrinseca, ab effectu illo irritationis matrimonij. Est certa. Probatur. Tum quia hoc posterius est voto solenni, & eius quidam effectus, ex cit. cap. *Quod votum*, de voto, & voti redempt. in 6. Tum quia irritatio matrimonij conuenit etiã votis simplicibus Societatis nostræ, ex citata bulla Gregorij XIII.

63 ASSERTIO V. Voti solennitas nititur solum Iure positiuo Ecclesiastico; adeoq; ex iuris positiui tantum, non naturalis decreto, nec ex ipsa præcise rei natura desumpta est. Ita Canonistæ omnes, cum glossa in cap. *Rursus*. Qui Clerici vel vouentes, S. Thomas, Caietanus, Aragonius hic cit. q. 88. a. 7. item Scotus 4. dist. 38. q. 1. Michaël Medina lib. 4. cap. 38. Suarez tom. 2. de relig. loc. cit. & 3. part. tom. 2. disp. 6. sect. 3. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 6. quæst. 1. Sanchez loc. cit. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 14. Bellarminus lib. 1. de matrim. cap. 21. Vasquez disp. 165. cap. 2. & apud eundem Abulensis, Aluarus Pelagius, Ledesma, Antonius Corduba.

Patet satis expresse, ex cit. cap. Quod votum, vbi dicitur: *Nos igitur attendentes, quod voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuẽta*. Gregorius XIII. in cit. bulla *Ascendente*, reprehendens quosdam societatis nostræ obtrectatores: *Non considerantes*, inquit, *voti solennitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse*. Accedit quod ante Cælestinum III. cap. *Rursus*, Qui Clerici vel vouentes, & Alexandrũ III. cap. *Insinuante*, & cap. *Meminimus*, eodem titulo, non est in Ecclesia audita distinctio voti simplicis & solennis, vt cum Medina supra notarunt Vasquez n. 92. & Sanchez loc. cit.

64 ASSERTIO VI. Voti solennitas consistit in certa quadam & solenni forma, ab Ecclesia præscripta seu approbata, eius voti scilicet, in quo fit traditio ipsius personæ vouentis vndique absoluta & perpetua ad obsequium Dei: ac proinde votum solenne est id, in quo fit absoluta & perpetua traditio personæ vouentis ad obsequium Dei per noui status assumptionem, facta sub certa forma ab Ecclesia præscripta.

Ita docent Scotus loc. cit. & Canonistæ communiter omnes, cum Glossa in cit. cap. *Rursus*. quibus, vt in re præcipuè ad Canones pertinente meritò authoritatis plurimum est tribuendum. Eandem sententiam ex instituto tuentur Michaël Medina loc. cit. Vasquez cap. 8. Azor. loc. cit. quæstione 1. & 2. qui etiam ex antiquioribus Theologis citat Heruæum, Henricum, & Paludanum, &c.

65 Probatur assertio primò ex cit. cap. *Quod votum*, vbi disertè dicit Pontifex votum *solennizari*, seu quod idem est, solenne reddi, *per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem tacitam* (cuius exemplum ex Concilio Toletano IV. can. 49. refert Vasquez n. 46.) *vel expressam alicuius religionis approbatæ*. &c. vtique tanquam per ipsam solennitatem, seu formulam solennem vouendi; licet alioqui forma hæc sit variabilis, vt notauit etiam S. Thomas 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. & Michaël Medina lib. 4. cap. 23. vbi probat, olim à quibusdam virginibus, etiam per veli sacrati susceptionem, extra Religionem, votum solenne fuisse editum.

Secundò; Omnium contractuum, testamentorum, & ipsius matrimonij solennitas consistit in forma legitima, quæ pro solenni ex decreto legum habetur. Tertiò; quia non consistit in vllo alio, vt ex dictis patet. Quartò; quia ita optimè cohærent omnia, quæ de vtroque voto in Canonibus passim habentur: ac in eundem fere sensum conciliari possunt dicta varia Doctorum, vt expresse etiam videre est apud Azor, Vasquez, & Caietanum locis citatis.

Qui rectè etiam notauit, votum solenne & simplex, propriè loquendo, essentialiter non differre, sed tantum accidentaliter; tum ratione formæ, quæ voto extrinseca est; tum per respectum ad subiectum, nempe ipsum vouentem, qui in voto simplici ordinariè habilis manet ad matrimonium; secus in solenni; quicquid Aragonius etiam ex hoc diuersitatem essentialem faciat; quod etiam à Valentia rectè negatur.

Cur autem solennitas, de qua loquimur, non 66
competat voto, nisi in quo fiat absoluta & perpetua traditio personæ vouentis, ratio est; quia, vt inquit Sanctus Thomas cit. quæst. 88. art. 7. *Solennitates non consueuerunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei, Non enim solennitas nuptialis adhibetur, nisi in celebratione matrimonij, quando vterq; coniugum sui corporis potestatem alteri tradit.* Et ibidem respons. ad 2. *Particularibus actibus*, inquit, *non consueuit solennitas adhiberi, sed assumptioni noui status*. &c.

Atque ex dictis colligitur primo voti solennita- 67
tem non requirere vnam quandam certam & determinatam formulam vouendi; sed ad eam generatim sufficere eam, quam Ecclesia præscripsit & determinauit, vel etiam in posterum determinabit, supposita, ex parte ipsius voti, absoluta & perpetua traditione ad obsequium Dei; adeo vt quamuis iam quidem ea solennitas non reperiatur, nisi in professione Religiosi status, & susceptione ordinis sacri, posset tamen etiam, ex Ecclesiæ voluntate, transcribi voto absoluto & perpetuo castitatis etiam in seculo emisso, si Ecclesia tales personas inhabilitare vellet ad matrimonium contrahendum. Sicut etiam in Societate nostra, quoad modum & formulam vouendi, non maior interuenit solennitas in solennibus votis professorum, quam in publicis, ac simplicibus votis Coadiutorum seu spiritualium, seu temporalium. Ita etiam in contractu matrimoniali, non certa aliqua & inuariabilis contrahendi ratio ac modus præscriptus est; sed is vniuersim sufficit, supposita absoluta personarum traditione, quam Ecclesia determinauerit.

Colligitur secundò, per votum solenne irritari 68
matrimonium iure solum Ecclesiastico, non autem naturali; vt rectè docet Vasquez loc. cit. cap. 6 & 7. Azor. cit. lib. 12. cap. 6. Lessius cap. 41. dub. 8. n. 71. Sanchez, & alii citati; etsi contrarium docuerint S. Thomas 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. Bonauentura, Sotus ead. dist. 38. Valentia, Aragonius, alijsque Thomistæ locis citatis.

Ratio

In iure contractus quidam cum fictione aliqua validi reputantur ad quosdam effectus. n. 323. Contractus tripliciter potest esse nullus, à n. 361. Ille contractus non est facilè damnandus, qui frequens & Reipublicæ vtilis est. ib. Contractus illiciti tantum ratione loci, temporis, per se non sunt irriti. D. 4. q. 6. dub. 13. n. 361. An contractus merè ciuiles ob defectũ solennitatum, sint in conscientia nulli à n. 364. Debita personalia ex iusto contractu non soluenda ante illa, quæ ex delicto. n. 421. Contractus quid latè, & quid strictè. D. 4. q. 7. n. 1. Perficitur cõsensu, verbis seu signis externis, re, scriptura &c. n. 2. Contractus varij, expliciti, impliciti, nominati, innominati, bonæ fidei; stricti iuris onerosi, gratuiti, nudi, vestiti. n. 3. 4. 5. Contractus substantia consistit in consensu & voluntate, D. 4. q. 6 n. 329. Ex contractibus innominatis qualis oriatur obligatio. D. 4. q 7. n. 3. Contractus nudi naturalem patiunt obligationẽ, quidam etiam ciuilem; iurati verò in vtroq; foro pariunt obligationem. ibid. n. 6. Contractus per se inualidi, sed iurati quãdo valeant. n. 6. 7. seqq. Exempla plura eorum contractuum. n. 10. Error in substantia rei contractum irritat iure naturæ. n. 11. Contractus valet si neq; dolus det causam, neq; si error sit in substãtia rei. n. 12. Contractus est irritus, si alter contrahens expresè mente secũ excipiat de quocunq; defectu, qui deinde in re cõperiatur. n. 14. A contractu recedere potest in conscientia, qui quocunq; modo deceptus, vel metu adductus fuit. n. 16. & seqq. Contractus rescissio non semper arguit valorem contractus. n. 17. Dolus in cõtractu bonę fidei ex Iuristarũ mente qd obsit. n. 19. Dolũ tamen faciens contractũ rescindere nequit. n. 20. Cõtractus num irritetur ob dolũ tertij. n. 21. Neq; ille contractus irritus est, in quẽ quidẽ dolus incidit, sed nõ causauit. n. 22. Ex eo contractu quando fructus etiã restituendi. n. 24. Contractus emptionis & venditionis quomodo vitiẽtur ex pretio. à n. 25. Cõtractus quo ob dilatam solutionẽ emptor cogitur ad reuendendũ parata pecunia & minori nõ est tutus n. 52. Cõtractus varijs circũstantijs vitiãtur. à n 68, ratione personæ ementis, vendentis, loci, temporis, modi & ipsius rei. ibid. Ex contractu vsurario, qui bona fide habitus est iustus, potes tantũ lucri retinere, quantũ ex alio contractu licito lucratus esses; nisi constet mutuatarium tantũ vi mutui auctarium dare voluisse. 98. Cõtractus quidam innominatus quo 5. dantur per 100. quomodo sit illicitus n. 218. seq. & qui licitus esse possit. n. 221. seq. per modũ societatis n. 222. per modũ census. 223. Contractuũ licitorũ formalæ in Synodo Brixinẽsi editæ ad tollendum lucrum quinarium. ib. n. 226. Cõtractus turbato Reipubl. statu, moneta, mercib⁹ variatis, tolerabiles fuere, qui secundum vsum à magistratu non improbatum initi. n. 246. Contractus dubij, & tanta inęqualitate partium initi post mutatam monetam, transactione sunt cõponendi. n. 261. Ratione ætatis claudicant pupillorum contractus. D. 4 q. 7. n. 286, vide *emptio*, *venditio*, *pretium*, *census*, *metus*, &c.

Contrapassum.

Non potest in omnibus commutationib⁹ & distributionibus constitui, nec idem esse, quod iustũ. D. 4. q. 2. n. 66. & seqq. Qua ratione tamen fieri ea possit æqualitas. n. 69.

Contumelia.

Contumelioſis verbis, puocatus, & occidens qd debeat. D. 4. q. 6. n. 102. & seqq. Pro contumelia occisi, percussi &c. quomodo satisfaciendum. n. 108. Contumeliæ genus stuprum. n. 128. Pro ea satisfaciendum. n. 131. 134. Contumelias verbales non licet morte, aut atrocib⁹ verberibus repellere. D. 4. q. 8. n. 73. Verbis & authoritate Magistratus comprimi satis possunt. ibid. Quid sit contumelia, & quomodo verbis & factis in alterius contemptũ fiat. D 4. q. 8 n. 132. Per contumeliam quidem defectus culpæ repręsentãtur, sed cõprehendit etiam conuitium. & improperium ib. n. 133. Est peccatũ mortale grauius infamia, excusatur tamen à mortali ob indeliberationẽ & leuitatem materiæ, & inter pueros, fœminas, & viles personas, si absit scandalum, nec adeo grauiter sit læsiua. n. 134. Item si contumelioſa verba dantur ad correptionem. ibid.

Conuenticula.

Conuenticula clandestina vtriusq; sexus obscænorum tactuum, ludorum &c. seminaria sunt lagarum, D. 4. q. 5. n. 123. & seqq.

Cooperans.

Cooperantes efficaciter & iniustè ad rem aliquã accipiendam, tenẽtur restituere, & in solidũ, in defectu aliorum. D 4. q. 6. n. 391. seqq. Quo ordine id teneantur principales & minus principales. n. 396. seqq. & æqualiter cooperantes. n. 404.

Correctio fraterna.

Quid sit & quomodo differat à Iuridica. D. 2. q. 5. n. 72. Est in præcepto sed affirmatiuo, quod non semper obligat. à n. 73. Quibus circunstantijs sub peccato mortali obliget. à n. 76. Nimirum primo, vt nõ sit obfutura, saluo tamẽ publici cõcionatoris officio. n. 77. & 83. secundò, vt peccatũ nondum sit emendatũ. n. 78. tertiò, vt sit cognitum. n. 79. Quid si dubium sit. ib. An etiam teneatur peccator corrigere peccãtem. n. 80. An & quis timor nocumenti excuset à correctione. n. 81. Parentes indiscrete suos famulos aut liberos corripientes peccãt. n. 84. Quorum tamẽ peccatũ seu turbatio quãdoq; recte negligitur. n. 85. Si dubitetur an pfutura sit correctio, rectè adhibetur, modo non constet aut dubitetur obfuturam. n. 86. Quæ cõmoditas corripiendi expectanda. n. 88. Et an liceat lapsum pmittere vt lapsus feruentius resurgat. n. 89. An & qua ratione inferior superiorẽ, etiam Papam corrigere possit. n. 90. 91. 92. Cõmuniter Prælatorum vitia nõ sunt pro concione arguenda 92. Quæ inadvertẽtia vel timor aut bona fides omittentẽ correptionem à mortali excuset. n. 93. 94. 95. Ordo fraternę correptionis cadit sub præceptum, & qd vniuersim requirat. n. 96. Præceptum id est naturale, & in omni peccatorũ genere locũ habet. n. 98. Nisi peccatum sit publicè notorium. n. 99. aut pernitioſum cõmunitati. 100. vel etiam priuatis. 102. aut sua natura contagioſum. n. 101. aut nisi peccans ipse iuri suo renunciauit. n. 103. Multarum religionũ statuta iubent peccatũ quam primũ Prælatis denunciare. n. 105. Potest etiam in cęteris religionibus simile statutũ condi. n. 109. Alias obligat ordo correctionis etiam inter religioſos. n. 106. Nec cessio illa iuris vltra proprios terminos extendenda. n. 107. Qua

secluſa regulariter peccatũ religioſi nõ eſt ſuperiori denunciandũ, ſi ſecreta monitione ſatis corrigi poſſit. n. 109. Sed poſt ſecretã admonitionẽ fruſtra adhibitam, regulariter licet peccata religioſi ſuperiori denunciare. ibid. Secus autẽ eſt de laicis. ib. Superior tamen vel Prælatus, non poteſt peccatũ ita denunciatũ publicè euulgare aut punire. n. 110, Etſi poſſit excõmunicationẽ ob recidiuã minitari. ibid. An & quando Prælatus curabit vt denuntiatũ crimẽ ſeruato iuris ordine iuridicè deferatur aut publicetur. n. 111.

Corpus.

Corpus noſtrũ & amici eſt obiectũ charitatis. *D.* 2. q. 3. n. 4 Corporis caſtigatio ſeruit ad ordinatum eiuſdẽ amorẽ. ib. n. 5. Corpus & vita noſtra ponẽda ꝓ ſalute ſpirituali ꝓximi in extrema neceſſitate. ib. n. 59. & 60. Ex ordine Charitatis plus diligendus ꝓximus, quã corpus ꝓpriũ. *D.* 2 q. 4. n. 75 Corporis tria bona, & quomodo ea impedianrur occiſione, verberatione, & incarceratione. *D.* 4. q. 8. n. 103. Corpori illatæ iuiuriæ ſunt eo grauiores, quo perſonæ nobis propinquiores. n. 105.

Credere.

Credere prout eſt actus fidei, eſt aſſentiri ob auctoritatẽ ſeu teſtificationẽ dicẽtis. *D.* 1. q. 7. n. 7. Prout eſt actus fidei diuinę, eſt aſſenſus firmus intellectꝰ, Diuina reuelatione obſcura nixus. ib. n. 8. Credere Deũ dicit habitudinẽ intellectus ad obiectum fidei materiale: credere Deo dicit habitudinẽ ad obiectũ formale Quo: Credere in Deũ habitudinẽ actus imperati à voluntate, & relati in Deũ velut vltimũ finẽ. ib. n. 10. Credere Deũ inuoluit credere Deo, non contra n. 11. Credere in Deũ inuoluit quoq; credere Deũ & Deo ibid. Credere in Deũ eſt actus directè elicitus ab intellectu abſolutè vnus, connotans plures. ibid. Ad credendũ in Deũ nõ regritur actus Charitatis. ſufficit imperfectior motus volũtatis vel ſpei, vel habitus voluntatis fidei reſpondentis n, 15. 16. Per voculã, in aliquẽ credere, ordinariè, at nõ ſemp ac neceſſario ſignificatur relatio ad vltimũ finẽ, adeoq; etiã de creaturis hoc dictũ reperitur in ſcriptura. *D.* 1. q. 7. n. 17. Credens ſupernaturaliter, certus redditur non tã ꝓpoſitione externa, quã diuina reuelatione & interno lumine fidei non poſſe eſſe falſum quod credit. *D.* 1. q. 2. dub. 5. n. 134.

Creditor.

Creditor, depoſitarius, vſuarius habent ius in re imperfectũ. *D.* 4. q. 1. n. 7 Ei debitũ quãdo transmittendũ ſumptibus debitoris, & cui res tranſmiſſa peat. *D.* 4. q. 6. n. 387. & ſeqq. Quo ordine ijs reſtituendũ, ſi non poſſit omnibus. à n. 412. Creditoribus priuilegiatis ante alios, & hypothecarijs ante Chirographarios. n, 414. 418, Creditoribus hypothecarijs ſatisfaciendũ q tempore priores. ib. n, 416. 419. Chirographarij fere ſunt pares. ibid. n. eod. Perſonalibus in exigendo debito diligentiorib⁹ ante alios ſoluendũ. ib. n. 420. Creditori pauperi poteſt & debet in graui neceſſitate ante alios ſatisfieri, ibid. In creditoris & debitoris neceſſitate quando reſtituẽdũ. à n. 429. Eius condonatio liberat à reſtitutione exceptis tribus caſibus. n. 438. Creditoris excõmunicatio quando liberet à reſtitutione. ib. n. 445.

Crimen & Criminalis actio.

Etſi ea per ſe licita ſit contra inimicũ reconciliatum, eſt tamen diſſuadenda. *D.* 2. q. 3. dub. 1. n. 11. Crimen mixti fori in vtroq; qũ punitur. *D.* 4 q. 4 n. 93. V. *exceptio.*

Crudelitas.

Quale vitium ſit crudelitas, & qua ratione à ſæuitia differat. *D.* 3. q. 3. n. 176. Sæuitia continetur ſub beſtialitate. n. 177.

Crux.

Eius imago & ſignum deuotè vſurpatum valet contra veneficia. *D.* 4. q. 5. n. 117. ſeq. Cum eadem abrenunciandum diabolo. ib. n. 135. Crux Chriſti, vide *Adoratio.*

Culpa.

Culpa apud Theologos venialis & mortalis. *D.* 4. q 6. n. 32. & 33. Culpa pro defectu diligentiæ apud Iuriſtas quadruplex. ib. Culpa latiſſima ſiue dolus eſt, cum ex intentione datur damnũ. ibid. Quid culpa latior, leuis & leuiſſima. n. 34. Culpa à Iuriſtis dicta leuis aut leuiſſima, poteſt eſſe mortalis, & lata, imò etiam latiſſima ob inadnertentiam poteſt eſſe nulla. ib. Ex culpa lata ſeu mortali præter intentionem damnificans tenetur in foro conſcientiæ reſtituere. n. 40. & ſeq. Ex qua culpa teneris de damno præter intentionem dato, ratione depoſiti, pignoris, commodati. n. 50. & ſeqq. Probabile eſt ſine mortali te non obligari ad reſtitutionem. ib. & 54. Sine mortali, etiam ratone officij non teneris de damno ſecuto ex probabili. ex probabiliori teneris n. 55. ſeqq. In culpa damni dubia, ex ꝓbabiliori nemo de damno tenetur. n. 62. Ex qua culpa & qb. conditionibus reſtituere debeat is, qui poteſt ac debet bonũ proximi curare. *D.* 4. q. 6. d. 2. à n. 70. Sua culpa depauperatus debitor an teneatur reſtituere cũ periculo amittendi ſtat⁹. *D.* 4. q. 6. n. 431. & 436. Cenſuarius abſq; pacto aſſecurationis non tenetur ſoluere penſionem, ſi res cenſualis abſq; ſua culpa pereat aut ſterileſcat. *D.* 4. q. 7. n. 121. Sic ſi abſq; culpa res conducta impediatur, idẽ dico de cõductore. 158. ſeq. Nemo ex ſua culpa comodũ ſentire debet. n. 267. Damnũ ſi quis ſua culpa ſentit, ſibi debet non alijs imputare. ibid. Culpa homicidij inuoluntarij quomodo imputetur vel non imputetur. *D.* 4. q. 8. n. 87.

Curator.

Curatela virtualis quaſi contractus, & officiũ ad curanda bona minorũ. *D.* 4. q. 7. n. 269. A curatela qui repellantur & excuſentur n. 275. 276. Curator iuramentũ præſtet de ꝓmouendis bonis minorũ, & fideiuſſorẽ det, & damna præſtet. n. 277. Curatoris poteſtas circa bona, cauſas, & perſonas minorũ educandas & defendendas. à n. 280. Et circa bonorum alienationẽ. à n. 283. itẽ circa lites, præſertim in iudicio, vbi inualida ſunt quæ minor agit contra ſuũ cõmodũ abſq; curatoris autoritate. n. 287. Ex ꝓbabiliore tamẽ ſine facultate ſui curatoris poteſt quædam ludo perdere & lucrari minorennis. *D.* 4. q. 6. n. 309. 310. Curatores acceptantes ſolutionẽ veterũ debitorũ in vili moneta anni 1620. tenentur ad damna ſuis. *D.* 4 q. 7. n. 240. Quis curator, & quod eius officiũ ex inſtituto. *D.* 4. q. 7. à n. 269. & ſeqq. Differt à tutore; quod poſt pubertatis annos vſq; ad 25. expletũ detur, n. 270. Curator maxime datur reb⁹ minoris, nec datur inuito, niſi furioſo aut prodigo &c. n. 271. Hinc dandus eſt etiã maiorennibus prodigis, &c. 274.

Curioſitas.

Curioſitatis vitium ſtudioſitati oppoſitum quaſi,

Ie sit, & quot modis contingat. Disp. 3. q. 3. n. 208. Quomodo accidat in cognitione sensitiua. n. 209.

Custos.

Custodes ciuisatum, siluarum, fluminum negligentes deferre transgressores, non tenentur ad multam. D. 4 q. 6. n. 83. Ad damna tamen enata tenentur. n. 84.

D.

Dæmones.

Dæmones & damnati non sunt obiectum Charitatis. D. 2. q. 2. dub. 3. n. 85. nisi tantum secundũ esse naturæ spectati q. 3. dub. 1. n. 4. Dæmone suggerente possunt plures sagæ conspirare in damnationem innocentium. D. 4. q. 5. n. 38. Ab eo illudẽte p somnia &c. quomodo decipiantur ib. n. 43. Et varijs personis repręsentatis Christi & B. Virginis. n. 45. Eas personas naturali virtute repræsentare potest, ibid. Nec per se immediatè, nec per sagas sine Dei permissu nocere potest, spiritualiter aut corporaliter. n. 113. Ad consuetudinem cũ Dæmone quomodo homines inducantur. à n. 123. & 127. Quomodo eos liceat adiurare. D. 5. q. 5. n. 42.

Damnatus.

In Angelis & hominibus damnatis non est fides infusa. D. 1. q. 9. n. 73. 34. 75. Est tamen aliqua naturalis & acquisita. n. 76.

Damnum.

Damnum iniuste illatum est titulus restitutionis. D. 4. q. 6. n. 28. Damnum non auertens quod ex officio debes, restitues. ib. Id commissione & omissione fieri damnum potest. num. 32. seq. Damni compensatio ex triplici obligatione oritur. n. 35. Damnum sine omni culpa datum non teneris compensare, nisi ex pacto assecurationis. n. 37. Damnificans scienter & iniuste teneris ad omnia damna, etsi tibi res sine omni vtilitate perierit. n. 38. Damnificans pro iure & re tua seruanda, nil teneris, ibid. Damnificans etiam grauiter præter intentionem, ratione nudi delicti, non teneris ad restitutionem in foro conscientiæ sub mortali. n. 40, 43. 45. 46. & quid speculatiue dici possit. n 41. Damnificans etiam ratione solius delicti nec sub veniali obligaris compensare, si tantum venialiter deliquisti. ib. n. 47. Damnum optans casu euenire hosti, &c. etsi eueniat, non tenetur de illo, si debitam diligentiam adhibuit ne eueniret. n. 48. Damnum compẽsandum ratione contractus & assecurationis, & detentionis longioris, & inconcessæ vsurpationis. n. 49. Item damnificans præter intentionem depositum, pignus, commodatum ex qua culpa. n. 50. seqq. Si ratione officij non caues damnum ex probabili sub mortali non teneris de illo, nisi negligentia mortalis fuerit; ex probabiliore tamen teneris. n. 55. seqq. Damnum faciens impediendo à bono consequendo quid, & quando restituet. n. 65. seqq. Item negligens procurare bonũ fisci, proximi. &c. n. 70. seqq. Damna ex philtro, veneficio &c. secuta compensanda. 87. seqq. Damnum religioni & seducto compensare debet, qui alium vi ac fraude à religione abstrahit. 93. seqq. Damnum ex duello &c. quis luat. à n. 100. item ex mutilatione, iniusto homicidio. à n. 105. Damnum irreparabile seu permanens ex probabiliore cõpensandũ. 109. seqq. Damna violatæ virginitatis compensanda à n. 128. Damna ex infamia 151. Ex iniuria læsi honoris quãuis secrete & priuatim. n. 156. Damna ex pluralitate beneficiorum ib. D. 4. q. 6 dub. 7. n. 195. & 208. Damnificans bona immobilia Clericus, male administrans, & expendens quid restituat. à n. 211. Damnificans diminutis mensuris & ponderibus mortaliter peccat, & de damno tenetur. 279. Damna falsatæ monetæ. à n 330. Ex lignatione & pabulatione, à n. 347. Ex venatione & aucupio. à n. 349. Damnificantes iussione, consilio, cooperatione &c. tenentur restituere, & in defectu aliorum quisq; in solidum. 391. seqq. Damnificantes in procuranda solutione debitorum contra leges & consuetudines peccant, & de damno tenentur. ib. D. 4. q. 1. n. 423. Damnum in propria persona, libertate, rebus &c. accipiendum excusat à restitutione. ib. n. 433. Ad damnum tenetur vendens rem vitiosam, nec monens cupientem scire. 56 seqq. Damna quomodo compensanda in re censuali. n. 121. in re conducta, ob sterilitatem, incendium ratione pensionis à n. 158. In contractu societatis damnum æqualiter ad socios peruenit, 206. Qui damnum dedit, damni culpam præstare debet. 241. Damnũ in furto spectandũ si domino sit datũ notabile. D. 4. q. 8. n. 107. Ad damna auertenda licet furioso gladium, prodigo pecunias, ebrioso vinum, lusori aleas, hæretico libros &c. auferre. n. 124. Non tamen quoduis damnum ex possessione consequens dat ius alteri rem possessori auferendi. n. 125.

Dauid Paræus.

Eius ad sacram scripturam agnoscendam criteria refutantur. D. 1. q. 5. d. 1. n. 18. Accusat Colloquistas Ratisponenses Lutheranos ob male concessam de scripturis Canonicis traditionem. D. 1. q. 5. n. 142. seq.

Debitor & debitum.

Debitum legale & morale quid. D. 4. q 1. n. 108. & seqq. Debitum politicum diuiditur in naturale & ciuile. n. 128. Debitum coniugum, filij & patris, serui & domini inter ipsos constituit ius simpl. citer. D. 4 q. 2. n. 11. & 12. Debitum proximo ratione existimationis in priuato iudicio. D. 4. q. 3. n. 3. seq. Cum debitorum damno nõ potest fieri condonatio compẽsationis alicuius pecuniariæ. D. 4. q. 6. n. 116. Debita realia transeunt ad hæredes. n. 152. Debitor iniustus suis sumptibus domino absenti rem alienã mittat; iustus in loco vbi accepit restituat. D. 4. q. 6. n. 387. Debitor quando suo creditori & non creditori creditoris satisfaciat. n. 390. In debitis incertis ex Papæ vel Episcopi facultate applicantur aliqua pijs causis, alia ex rationabili domino permittũtur. n. 440. Debita certa ante incerta restituẽda. n. 413. itm debita realia ante personalia. n. 414.

Decimæ.

Decimas exigendi ius non potest à laico præscribi. D. 4. q. 1. n. 96. Eas autem non soluendi potest præscribi quadraginta annis. ibid. An & quo iure soluendæ sint decimæ. D. 5. q. 3. n. 23. Etsi lex de soluendis decimis penitus abrogari non possit, potest tamen limitari multis modis, n. 29. & seq. Ex quibusnam rebus tam prædiales, quam personales sint soluendæ decimæ. n. 32. & 33. Quibus & à quibus sint soluendæ. n. 34. & seq. Iure communi

causa decimarum spectat ad iudicem Ecclesiasticũ. in particularibus autem casibus, quorũ præcipuè quinque, ad magistratũ ciuilem pertinere nonnulli volunt.n.39.& 40. Probabilius est, quotiescunq; causa decimarũ agitur,eius decisionem ad iudicem Ecclesiasticum pertinere, nisi post solutionem iam factam furto essent ablatæ. *D.*5.q.3.n.41. & seqq.

Defensio. Vide *Aduocatus*, *Iniusor*, *Innocens*.

Definitio.

Definitio in causa fidei ritè ab eo facta,qui ab vniuersa Ecclesia habetur pro legitimo Pontifice, tanquam infallibilis est recipienda. *D.*1.q.4.n.160. Definiendi circa fidem auctoritas infallibilis soli Petro & successoribus collata est. ib. n.307.

Delectatio.

Delectationes spirituales non indigent propria virtute moderante. *D.*3.q.3.n.4. Delectationum sensibilium moderatio ad varias pertinet virtutes. ib.n.4.& 5.

Delictum.

Ratione delicti quomodo obliget restitutio ad damnũ præstandũ variæ sententiæ. *D.*4.q.6.n.39. Ratione delicti sine culpa lata nemo obligatur ad damnũ præstandũ.n.40.43.44.eadẽ est ratio quasi delicti.n 46. Ratione solius delicti nec sub veniali obligat restitutio damni. 47.

Delrius.

Eius cautela in processu contra sagas. *D.*4.q.5.n. 12. Eius dictũ excussum;num Deus innocentẽ plecti inter sagas permittat.ib.n.16. Eiusdem quoque sententia examinata vtrũ ad denuntiationẽ plurium complicũ sagarũ procedi possit contra denunciatã personã. à n.20. maxime n.24. seqq. Quod iudex post latam sententiam non soleat aut debeat audire prudenter informantem confessarium de innocentia.n.97. Vid. *Sagæ*. Denuntiatio & Denuntiator. Vide *Iuridica Denuntiatio*.

Depositum.

Ex qua damnificatione obligetur depositarius. *D.* 4.q.6.n.50 52.53. Res deposita est restituenda domino si vrgeat,etsi ea sit abusurus. *D.*4.q.6.n.379. Ex depositonon licet sibi priuatim restituere.n.411. Deposita primo loco restituenda.n.412. Est contractus re perfectus. *D.*4.q.7.n.2. Quid depositum. ib.n.229.Pro eius custodia licitè pretiũ exigitur.ib. Illo depositarius vti non potest de iure cõmuni. ib.

Derisio.

Derisio est qua alteri iniuste malum erubescentiæ cum irreuerentia infertur. *D.*4.q.8.n.153. Verbis facta est simplex derisio,signis est subsannatio, estq; mortale peccatum distinctum à contumelia, eaque grauior; in Deum est blasphemia,in sanctos irreligiositas,eius pœna.n.154. Veniale esse potest, vel etiam nullum, si moderatæ correptionis causa fiat. Ibidem.

Desperatio.

Quid sit. *D.*2.q.1.n.68. Est peccatum in Spiritũ sanctum minus quidem odio Dei, periculosius autem,& aliquo modo maius infidelitate.n.69. Desperatio vna virtualis,altera formalis;per hanc tollitur Spei habitus,non per illam.n.70.71.72. Desiderium quo quis desiderat perpetuo carere visione Dei, tollit habitum Spei.n.72. Cui damnatio sua reuelata absolutè esset,is sperare beatitudinem non posset nec deberet,sed nec desperare. n.73 74.

Detractio.

Per se est mortale peccatum contra iustitiã,grauius furto,leuius homicidio,adulterio& contumelia. *D.*4.q.8.n.135. Et hoc vitio specialiter totum genus humanũ periclitatur.ib. Si crimen iam notũ narras,nec asseuerantius affirmas, non detrahis.ib. A mortali excusat paruitas materiæ,imperfectio actus, & ratione indeliberationis ipsa etiam leuitas & loquacitas. n.136. Materia grauis est ille etiam venialis & naturalis defectus, qui ratione personæ est grauiter probrosus.n.137. Quomodo in detractione à mortali non excusẽt materiæ leuitas. 1.qui occultum & infame crimen notæ personæ alteri fidissimo sub secreto temerè narrat. 2. nec qui auditum crimen simpliciter narrat alijs,si putauit credituros. n.139. 140. nec qui infamem de magno, de alio minore infamat.n.141. nec qui narrato crimine actam pœnitentiam addit;nec qui aliquid laudat,& alium in eodem grauiter culpat ib. nec qui talia in locis remotioribus euulgat, quo fama non peruenisset.n.142.nec qui sopitum crimen reuocat à n.138.

Deuotio.

Deuotio quid & qualis sit actus. *D.*5.q 1.n.55. Deuotio licet causaliter sit vniuersalis, formaliter tamen & secundum se est actus specialis.n.56.Deuotio est actus proprius Religionis, & ab ea immediate elicitus.n. 57. Discrimen inter actum deuotionis & Charitatis.n.58. Deuotio & charitas se inuicem generant & conseruant.n.59. Deuotionis alia est causa externa,alia interna.num.61. Quare maior nonnunquam sit in simplicioribus deuotio, quam sit in intelligentioribus. n.64. Deuotionis effectus duplex est, primarius & secundarius.n.65. Deuotionis lachrymæ semper sunt dulces, siue ex tristitiæ, siue lætitiæ affectu oriantur. Deuotio in oratione, Vide *Horæ Canonicæ*.

Deus.

Devm esse & remuneratorem esse supernaturalem, explicitè creditu necessarium semper fuit necessitate medij. *D.*1.q.7.n.35. In omni statu necessariam fuisse necessitate medij fidem Dei liberatoris,probabile est. *D.*1.q.7.n.42. Devm esse summum bonum necessario necessitate præcepti credendum in omni statu.ib.n.56 Devm esse legislatorem, vindicem, præmiatorẽ credendum necessitate medij & præcepti.ib. Quadruplex est hominis cum Deo coniunctio. Vide V. *Homo*.

Devs vt est nostra beatitudo supernaturalis, est obiectum Spei virtutis Theologicæ. *D.*2.q.1.n.6.7. 23. Cuius virtutis sit omnia referre ad honorem Dei. *D.*2.q.2.n.25. Devs absolutum habet rerum omnium dominium. *D.*4.q.1.n.35. An damnare potuisset hominem non peccantem,ib. Eius speciali auctoritate facta quarundam rerum diuisio.n.70. Inter Devm & homines est ius secundum quid. n. 115.& q.2.n 8.& seqq. Inter Devm & hominem benè operantem & promerentem quale sit iustum. ib.n.9. Est in Deo bona opera remunerante iustitia propriè dicta tum cõmutatiua,tũ distributiua.ib.n.9.

Inter

Inter Deum Patrem & Filium non est vera Iustitia, est tamen inter Deum & Christum, vt hominem ib. n. 10. Deum non permissurum, vt innocentes quædam personæ cum nocentibus sagis à publico magistratu infamentur & enecentur, vanum principium & axioma. D. 4. quæst. 5. num. 13. seqq. Deo satisfacere ob iniuriã illatã possumus, sed non restituere. D. 4. q. 6. n. 5. Dei subsañatio est blasphemia. D. 4. q. 8. n. 154. Delectatio de Deo in appetitu sensitiuo quomodo existat. D. 2. q. 2. n. 84. A Deo charitas physice producitur. n. 121. seq. Determinatũ gradum gratiæ & gloriæ prædestinat, & necessaria gratiæ auxilia ad ꝓficiendũ, non tamẽ talia, quæ ad quemuis altissimũ gradũ necessaria. n. 131. Devs sicut est vera principalis efficiens causa gratiæ, ita solus per modum principij physici positiua actione potest gratiam & Charitatem destruere. n. 166. In Devm vt finem nostrum duplicitẽ tendimus, primo in quantum volumus gloriam Dei, secundo in quantum nos eadem frui volumus. D. 5. q. 1. n. 100.

Dignitas & Dignus.

Dignitas ad beneficiũ non ponit ius ad rem, vel in re. D. 4. q. 6. n. 20. Dignioribus prętermissis in distributione beneficiorum & bonorum communium non facienda restitutio. n. 18. seqq. Dignis iniuste impeditis restituendum. n. 69. Prætermissio digniore dans beneficium maxime curatum minus digno peccat mortaliter. D. 4. q. 8. n. 14. Si tamen exiguus excessus & dignitas est, & nullum scandalum, non est mortale. n. 15. Dignitas hæc sumitur non ex persona sola, sed ab aptitudine officij, & ab potentia nobilitate, &c. à n. 16. Dilectio, Diligere. Vid. *Amor, Charitas.*

Discretio Spirituum.

Gratia discretionis Spirituum in occultis cordiũ cognoscẽdis occupata, de motione boni & mali Spiritus iudicat. D. 1. q. 7. n. 152. Potest fieri hæc discretio lumine inferiori, quam sit propheticum; & tum essentialiter ab ea differt. Discretio Spirituũ quatenus cognoscit occulta cordium, non est habitus; secus est si sermo sit de experimentali, aut ex regulis cõparata notitia discernendi Spiritus. n. 160.

Discursus.

Non interuenit in credendo; sed in applicando obiectum fidei. D. 1. q. 5. n: 167.

Dispensatio.

Inualide ad beneficium promotus in petenda dispensatione exprimat vitium intrusionis. D. 4. q. 6. n. 167. 168. Ex dispensatione Papæ ob rationabilem causam possunt haberi plura etiam Episcopalia beneficia. 199. Episcopus dispensare in ijsdem non potest. n. 200. Ex probabili potest Episcopus dispensare ad plura simplicia compatibilia. ibid. Dispensari cum clericis non potest, vt testentur ad profanos vsus ex bonis Ecclesiasticis à n. 244. & 249. Ex Papæ tamen dispensatione ob rationabilem causam potest ad licitũ & honestũ vsum aliquid de Ecclesiasticis bonis transferri. 244. & 251. In irregularitate ex casuali homicidio dispensat Episcopus; in homicidio iniusto vix Papa. D. 4. q. 8. n. 49. Pontifex ex rationabili causa in quocunq; voto dispensare potest, ibid. In quibus possit dispensare Episcopus. n. 85. & seq. Prælati Religionum exemptarum, Confessarij quoq; regulares, qui gaudent priuilegijs Mendicantium; habent æquale ius dispensandi cum Episcopo circa omnia vota, excepto vno. n. 91. 92. Quicunque habet potestatem dispensandi, habet etiam ius commutandi, non tamẽ è contra. n. 93. Vid. *Votum.*

Disputare.

Disputare cum infidelibus & hæreticis. Vide V. *Infidelis* & V. *Hæreticus.*

Distributio.

Præcipuus actus Iustitiæ distributiuæ est in rectore reipublicæ, atque etiam in priuato. D. 4. q. 2. num. 5. Distributiones quotidianæ non spectant ad bona quasi patrimonialia. D. 4. q. 6. n. 255.

Diuinatio.

Quid & quotũplex sit. D. 5. q. 7. n. 4. 5. 6. Est ex suo genere peccatum mortale, & quid si ioco fiat. n. 7. Naturalis Astrologia licita est. ibidem. Diuinatio ex sortibus quando illicita. n. 18. 19 Somniorum obseruantia quomodo licita vel illicita. num. 14. 21. 23.

Dolus.

Dolus incidens tantum in contractum non dans causam non irritat illum. num. 12. & 22. Si dolus absit, res curiosæ venduntur tanti quanti possunt num. 34. Quale vitium & qnantum peccatum, & quomodo à fraude distinguatur. D. 3. q. 1. n. 57. Ex præsumptione doli irritatur contractus. n. 362. Dolo aut fraude consulens ad damnum faciendum secundo loco restituere tenetur. n. 398. Dolus non dans causam contractui neque errorem in substantia rei causans nil obest contractui. D. 4. q. 7. n. 12. Si dolus det causam contractui alter ab eo in conscientia potest recedere. n. 16. Dolus & metus in iure censentur paria: dolum faciens stare cõtractu debet. 20. Dolus tertij non irritat per se contractum. n. 21. Datur tamẽ actio contra dolosum, ibidem.

Dominium.

Dominium iurisdictionis & proprietatis quid sit. D. 4. q. 1. n. 8. 9. 10. 11. Dominium iurisdictionis diuinum & humanum seu creatum. ib. n. 9. Ecclesiasticum, & positiuum seu temporale. ibid. n. 9. 10. Item dominium merum & mixtum. n. 10. Aliud *altum* seu *superius*, *bassum*, seu, inferius. n. 11. Altum diuiditur in democratiam, obligarchiam, aristocratiam, & monarchiam ib. Dominium iurisdictionis tantum, non proprietatis fuisset in statu innocentiæ. n. 69. Dominium bonorum mobilium & vasorum Ecclesiasticorum non est penes clericos. D. 4. q. 6. n. 211. seqq. Dominium proprietatis perfectũ, plenũ, directum, & imperfectum vtile, non plenum quid. D. 4. q. 1. num. 12. 13. 14. Potest ab vsu separari n. 21. 22. & seq. Dominij fundamentum est liberum arbitrium ib. n. 33. Non per charitatem aut fidem. n. 34. Dominij subiectum est substantia intelligens mediante arbitrio. n. 35. Dominium Dei. ib. Angelorum. n. 36. Animarum separatarum. ib. Hominis. 37. Infantium & amentium. ib. Seruorum. n. 38. Religiosorum. n. 39. Libertatis, famæ, honoris, habituum habet homo. n. 47. Bonorum immobilium Ecclesiæ dominium

ad DEVM spectat n.49 Dominiũ tribus modis acquiritur & transfertur.n.52.57.63.65.& seqq.Dominiũ gemmarũ & thesaurorũ inuentorũ cuius sit. ib.Dominiorum diuisio iure gentium,& varijs modis facta.n 69. Dominium filij in bona castrensia, aduentitia &c. quale.D.4.q.2.n.15.16. Dominij translationẽ in acceptis muneribus pro iustitia aut gratia apud sedem Apostolicam prohibet Extrauagans.D.4 q.6.n.295. Dominium ferarum prohibere Princeps nisi ex graui causa non potest.n.355. 358. Ex dominij translatione prohibita contractus irritatur.n.362. Dominium vsuræ non acquirit vsurario,nisi per accidens D.4.q.7.n.93. nec rei vsurariæ venditæ in alium transfertur dominium Dominium directum & vtile in locatione,emphyteusi & feudo.D.4.q.7.n.157.seq. Dominium vtile redit ad dominum, si vasallus committat crimen læsæ Maiestatis. n.177. Dominium dotis vtile non directum habet maritus,D 4.q.8.n.130.

Donatio & condonatio.

Promissio iurata donationis etiam prodigæ, per se loquendo implenda.D.1.q.9.n.112. Gratis & liberè donata accipere illicitũ ministris iustitiæ,non tamẽ restituenda ante sententiã.292. Donatio metu graui ab intrinseco incusso facta non valet. D.4. q.6.n.317. An per metum iniustum & leuem facta valeat. ib.n.318. Donationes inualidæ ex prohibita dominij translatione.ib.362. Dono accipiens rẽ furtiuam,eandem restituet.401.Quid requiratur ad validam donationem & promissionem. D.6.q.2.dub.2.à n.48.

Dos.

Dos vxoris inter debita soluenda præfertur tantum hypothecæ tacitæ. *D.* 4. quæst.6. num. 417. Dotalis pignoris fructus. Vir dotem vxoris distrahens restituet.*D.*4.q.8.n.130.

Dubium.

Peccatum dubitationis circa res fidei est simpliciter in intellectu. *D.*1.q.8.n.22. In dubio rei alienæ quomodo præscribatur.*D.*4.q.1 n.80. Dubiũ de bonitate proximi ex leuibus coniecturis est veniale.*D* 4.q.3.n.13. Quid propriè illud dubium.n. 15.& 27.In dubio etiam rationabili de proximi bonitate non licet finaliter consistere, sed dubio deposito ex alijs principijs rem in meliorem partem interpretari oportet.n.26.& seqq. In dubio melior est conditio possidentis.n.29. Dubium temerariũ, non est per se peccatum mortale.n.46. In dubio tali neq; licet suspendere assensum.n.63. In dubio peiorem partem licet & oportet supponere ob cautelam propriam & alienam. n.57. Item circa promotiones hominum ignotorum.n.64. Dubia in meliorem partem negatiuè interpretari quomodo accipiendũ.n.59.61.69. In culpa dubia de damno facto fauendum est reo. *D.*4.q.6.n.61.62. Dubius prudenter num fuerit causa damni, non tenetur restituere. ibid. In dubio nemo damnandus aut puniendus. *D.*4.q.8.n 34.

Duellum.

Quid sit,& quando licitum. *D.*2.q.6.n.90 An licite ad duellum inter se committendum damnentur milites ob commissam culpam.n.90, Pœnæ illiciti duelli, eidemq; auxiliantium. n.41.seq. Non tamen idcirco incurruntur à subito rixantibus. numero 92. Ex duello quando restituendum, *D.*4. q.6.à n.100. V. *homicida.*

Dulia.

Dulia cur distincta sit à Religione,cum tamen amor amicitiæ erga proximum supernaturalis non distinguatur à Charitate Theologica. *D.*2.q.2.n. 58.& 60. Dulia est virtus specialis,qua seruus dominum suum veneratur,nec continet alias sub se species, sed ipsa subiecta est obseruantiæ. *D.*6.q.1. n.16. Generalior est illa Dulia,quæ pro obiecto habet quamcunq; excellentiam,& sub se continet pietatem, obseruantiam,& duliam stricte sumptã, ac hyperduliam.n.17.& 18. Omissio sola honoris ac reuerentiæ non constituit mortale,nisi accedat contemptus, n.18.

Durandus.

Eius sententia discussa, sentientis: Quasdam naturales scientias certiores esse Fide. *D.*1.q.6.n.53. Esse fidem in beatis. ib.n.69. & Angelis ac hominibus damnatis n.74. Non fuisse fidem in ijs, qui reuelationem immediate à Deo acceperunt. n.78. Hæreticos retinere habitum fidei supernaturalis.n. 80. Credere in Deum formaliter & in recto esse actum Charitatis. *D.*1.q.7.n.13. Fidem & Spem non esse strictè virtutes. *D.*2.q.1.n.2. Charitatem habere terminum. *D.*2.q.2.n.128. Eius actus remissos non mereri augmentum charitatis. n.134.& 138. Spem solum versari circa certitudinem formalem. quæst.1.num.4. Deum non rectè amari amore concupiscentiæ.numer.16.Obiectum timoris filialis esse pœnam damni, seruilis pœnam sensus. n.54.

Ecclesia.

Ecclesiæ vocabulum quid significet. *D.*1.q.3. dub.2.n.44.& seqq. Ecclesia quid sit,ib.n.47. An successu temporis nouos aliquos fidei articulos credat Ecclesia,quos Apostoli non credebant.*D.*1.q.1. n.211.& seqq Quo sensu in scripturta dicatur tota pulchra. *D.*1.q 3.n.63. Ecclesia quo pacto Vna. ib. n.67 Sancta. n.70 ratione temporum & locorum Catholica.74.75. Nomen hoc ipsi proprium.79. Est quoq; Apostolica,à n.82.& dub.4.n.195.Ordinata. n.84. Visibilis.à n.85. Infallibilis. n. 90.Ad salutem necessaria. n.95. Vrum primum nascens Ecclesia Christi fuerit Catholica.*D.*1.q.3.dub.3.n. 97.Nititur Ecclesia auctoritate visibilis capitis tanquam infallibili regulæ credendi. ibid.n.110. Ab Ecclesiæ fide & iudicio pertinaciter dissentiens est hæreticus.ibid.n.114.Ecclesia in Lege naturæ sine Scriptura per traditiones gubernabatur. *D.*1.q.5. num.125. An rectè dici possit in Symbolo Apostolico: Credo in sanctam Ecclesiam. *D.*1.quæst.1. num.230.

Ecclesiæ veræ, Notæ & proprietates.

Proprietates Ecclesiæ quæ sint. *D.*1.q.3.à n.67. Veræ Ecclesiæ notæ quæ sint.ibid.n.105.Ad veræ Ecclesiæ notas quæ conditiones requirantur. *D.*1. q.3.n.97. Non sunt infallibiles veræ Ecclesiæ notæ sincera verbi prædicatio & Sacramentorum legiti-

mus vsus. ibid. Sed notæ Ecclesiæ sunt. 1. sanctitas. D. 1. quæst. 3 num. 114. 2. Constans & non interrupta duratio à tempore Christi & Apostolorum vsque ad finem mundi. à num. 153. 3. Vniuersalitas ratione locorum. à num. 187. 4. Esse Apostolicam, & habere continuatam ab Apostolis Pastorum seriem. D. 1. quæst. 3. dub. 4. n. 195. Item habere Pastores legitime à Deo vocatos. à n. 198. Præterea esse visibilem, & quid hoc nomine significetur, & spectabilem esse. D. 1. q. 3. n. 213. Eo spectat splendor miraculorum. n. 214. Ecclesia miraculorum splendore destituta vera Christi Ecclesia non est à n. 216. vsque ad n. 221.

Ecclesiæ Infallibilitas, auctoritas seu potestas in condendis, dijudicandis, infidelibus puniendis, ac quæ membra eiusdem.

Ecclesia firmamentum veritatis errare non potest in rebus ad communem religionem pertinentibus. D. 1. q. 4. n. 160. & 168 Ecclesia est infallibilis fidei regula, etiam ipsa scriptura notior & vniuersalior, in quam assensus fidei vltimate resoluitur, vel tanquam in motiuum credibilitatis inter humana summum, vel tanquam in regulam (quoad nos) certo discernendi reuelata Diuinitus à non reuelatis D. 1. q. 5. n. 173. Ecclesia Romana, etiam vt particularis Ecclesia est, in fide errare non potest, nec tota à fide deficere. D. 1. q. 4. n. 276. Quo pacto non erret, nec errare possit Ecclesia, sanctos & reliquias sanctorum venerando. ibid. n. 294. Ecclesia condere potest symbolum fidei. ibid. n. 236. Ecclesiæ traditio non sufficit ad dijudicandas quasuis fidei controuersias absque alio iudice. D. 1. q. 3. n. 35. Ecclesia est index controuersiarũ fidei. n. 37. Eius auctoritas in causis fidei infallibilis. ibid. n. 40. Necessaria moraliter iuxta ordinariam Dei legem. ibid. n. 42. 43. Auctoritas suprema iudicandi de rebus fidei, supremum Ecclesiæ regimen non est immediate in toto cœtu fidelium. D. 1. q. 4. n. 2. Nec penes Magistratum politicum. ibid. à n. 13. Sed penes Ecclesiæ præpositos & rectores à n. 32. Ecclesiæ summum regimen in veteri testamento ad vnum aliquem summum Sacerdotem pertinebat. D. 1. q. 4. n. 70. Ecclesiæ regimen est monarchicum. n. 75. Ecclesia in dubijs fidei quæstionibus tenetur acquiescere definitioni Romani Pontificis. D. 1. q. 4. n. 245. & 246. Nullum est absque auctoritate Ecclesiæ documentum sufficiens ad discernendam scripturam sacram à non sacra. D. 1. q. 5. n. 10. Ecclesiam non posse de nouo librum quempiam in Canonem recipere, probabilius. ib. n. 56. Ecclesiæ auctoritas non creditur ex scriptura, sed ex communibus fidei motiuis. ib. n. 187. Qua ratione per scripturam Ecclesia, & vicissim scriptura per Ecclesiam absque vitioso circulo probetur. ibid. n. 186. 187. 188. 189 Omnes sub peccato mortali tenentur saltẽ quoad specificationem actus, omnia quæ Ecclesia credenda proponit, explicite credere. D. 1. q. 7. n. 75. Nec sufficit præcipuos fidei articulos solum credere velle. n. eod. Est in Ecclesia potestas hæreticos priuandi bonorum temporalium dominio & iurisdictione. D. 1. q. 8. n. 123. Ecclesia iure vindicatiuæ iustitiæ, tam corporali quam spirituali gladio animaduertere potest in eos qui sibi vel absolute, vel saltem ratione illatæ iniuriæ subiecti sunt. D. 1. q 9. num. 23. Ecclesia non potest vi compellere infideles Christianis temporaliter non subiectos ad seruandam legem naturæ, nisi infideles illi iniurij sint in Ecclesiam, aut alios innocentes. D. 1. q. 9. num. 37. Ecclesia potestatem habet in actu primo infidelium potestate eximendi fideles. num. 47. etsi eam non exerceat nisi in infideles Christianis ptincipibus subiectos. n. 50. Inhibere potest communicationem politicam cum infidelibus. Vide. V. *Infideles*. De fide certum est in Ecclesia non tantum esse iustos & prædestinatos, sed etiam peccatores & reprobos D. 1. q. 3 n. 48. vsq; ad n. 52. Vt quis simpliciter in Ecclesia esse dicatur, quatuor requisita. D. 1. q. 3. n. 57. Extra Ecclesiam non esse veram fidem, Sacramenta, Pastores, salutem, quo sensu intelligendum. n. 58. Qua ratione, qui in Ecclesia propriè non est, capitis locum habere possit. ib. n. 59. Credere quod credit Ecclesia, simplicibus necessarium necessitate præcepti. D. 1. q. 7. n. 57.

Editio.

Editio scripturæ Hebræa & Græca mendosæ sunt hodie, nec illa vt olim authenticæ, vt cæteris omnibus præferendæ sint. D. 1. q. 5. n. 66. De vulgata psalterij editione præclarum iudicium Conradi Pellicani Zuingliani. n. 76 Qua mente quibusq; de causis S. Hieronymus quasdam lectiones vulgatæ nostræ editionis mutandas censuerit. 93.

Educatio.

Bona sublatis prauis consuetudinibus iurandi, &c. valet ad extirpanda sagarum seminaria. D. 4. quæst. 5. num. 37. Educatio pupillorum ad quem spectet. D. 4. q. 8. n. 280.

Electio.

Electio Simoniaca Ponificic sit ne valida. D. 1. quæst. 4. num. 164. Nulla electio noctu facta valet. D. 4. quæst. 4. num. 67. Eam irritare aut probare possunt non vocati, qui tamen vocandi erant. ibid. n. 68.

Eleemosyna.

Eleemosyna immediate & formaliter actus misericordiæ est. D. 2. quæst. 4. num. 4. & ex instituto eadem disput. quæst. 5. dub. 1. numero 1. mediate & imperatiue potest actus esse charitatis, religionis, pœnitentiæ. quæst. 5. dub. 1. num. 1. Eleemosyna duplex, corporalis & spiritualis, & quæuis alios septem actus continet ibidem. Inter eos actus esse *sepelire mortuos*, bonumque opus esse probatur contra sectarios, itemque sub mortali debitum. ibid. num. 2. Eleemosynæ vtilitas ex scripturis asseritur, vt quod sit remissio peccati, gratiæ conseruatio &c. num. 3. sed suo sensu. num. 5. & 6. Vim maxime promerendi habet, si ex charitate procedat, aut ad orandum pro te accipientem moueat. num. 4. Eleemosyna per se & immediate gratiã & remissionẽ peccatorũ non confert nec ex opere operato, nec ab operantis. n. 5.

Præceptum Eleemosynæ.

Eleemosyna facienda pro loco & tempore ex præcepto affirmatiuo tam naturali quam diuino sub mortali. D. 2. q. 5. n. 7. & 8. Sub motiuo tamen certo vt fiat, non obligat. Et si præcepti finis (subleuatio miseriæ) intrinsecus obtinetur, est eleemosyna etiam data ex vana gloria. n. 8. In extrema necessitate cuiusq; priuati teneris ad eleemosynam ex superfluis vitæ & status; & ex superfluis ad statum in eadem necessitate Reipubl. seu necessariæ personæ & vtilis. ib. n. 9. Ex necessarijs status iuuandus quiuis proximus in extrema necessitate, & respubl. in magna, ni aliud obstet, n. 10. In extrema necessitate non solum quisq; sibi sumere licite potest necessaria, sed etiam alius pro eodem potest sumere, si propria non habeat. n. 11. Non idcirco medicinæ pretiosissimæ, aut lytrum maximum pro captiuo præstandum. ib. Quandoq; in necessitate grauissima infamiæ, status &c. de pertinentib. ad statum alius iuuandus, si absque notabili fieret iactura. n. 12. In quotidianis necessitatibus de superfluis sub mortali quandoq; subueniendum. 13. In alijs particularibus casibus non dare eleemosynam si potes, est veniale. Mortale autem si statuis in communibus necessitatibus pauperum nullam dare eleemosynam. n. 15. Eleemosynarum largitio non impedit honestas donationes, aut sumptus etiam in ornatū templi. n. 17. Ecclesiastici strictius obligantur præcepto eleemosynæ, maxime Episcopi, & Pastores animarū. D. 2. q. 5. n. 18. Vide *Episcopus*, *Ecclesiasticus*.

Quæ causæ excusent ab eleemosynarum largitione. D. 2 q. 5. n. 19. An, & quibus casibus sufficiat pauperibus seu indigentibus mutuum dare. n. 20. An & qua ratione de rebus alienis, alijsue debitis aut etiam illicite partis liceat eleemosynas facere. n. 21. 22. Maritatæ, filijfamilias, & religiosi, famuli & ancillæ qua ratione dare possint eleemosynam. n. 23. & seqq. De bonis communibus qua ratione liceat facere eleemosynam. n. 28. Dispensator eleemosynæ etiam sibi ipsi egenti facere potest eleemosynam. nu. 29. Eleemosynæ superfluæ non laudabiles. 30. Melius est eleemosynas erogare dum viuis, quam erogandas legare post mortē. 31. Non expedit mendicantes anxie examinare de moribus & vitæ conditione. n. 32. & seqq. Imo egenorum eiusmodi scrutinia absurda & periculosa sunt. à n. 36. Magistratus tamen est, viros probos huic examini suis locis destinare. n. 38. Abutentibus eleemosyna non est largienda. 39. Iustane aut expediens sit lex, qua cauetur, ne quis pauperum publice mendicet. 41. Rectene quibusdam locis externi pauperes arceantur ab ingressu oppidorū, & mendicatione à n. 46. & seqq. Quid de hac re scripserit S. Ambrosius. 51. Certe vagi & validi mendici meritò à mendicatione arcentur. 53. Sed nec alij peregrini mendici sine discretione & præuio examine admittendi. 58. Modo in extrema, vel quasi extrema necessitate subsidium necessarium non denegetur. 59. Qua cautione seruata leges peregrinos mendicos excludentes non videntur vndequaque improbandæ. à n. 60. Quomodo ea mendicitas anteuertenda vel auertenda. n. 68. Eleemosynæ debitum est morale, aliquando legale. D. 4 q. 1. n. 111. Eleemosynas singulares non teneris dare ignoto multum se commendanti. ib. D. 4. q. 3. n. 64. Eleemosynarij Ecclesiasticorum bonorum sunt Clerici. ib. q. 6. n. 218. & 237. seq. Eleemosynam negatam in graui necessitate non licet surripere. n. 407.

Emptio, Emptor.

Emptio vi extorta est irrita. D. 4. q. 6. n. 320. Emptio & venditio est contractus stricte acceptus. D. 4. q. 7. n. 1. Si emptor mente secum excipiens de quocunq; defectu, deinde eum comperiat, emptio nulla est. n. 14. Res & fructus rei ad emptorem spectant peracto contractu & translato dominio, & ob dilatam solutionem non potest ijs priuari. D. 4. q. 8. n. 49. Licitè emitur res communi pretio in qua tamen aliquid pretiosum latet ignotum domino, cuius dominiū nunquam censetur accepisse. n. 66. Illicita tamen emptio est & restitutioni obnoxia, si gemma pretiosa pro vili emitur ab ignorante, etiam ex ignorantia condonante defectum pretij. Licita autem est si vterq; ignoret & de pretio conueniat. n. 67. In emendo agro, censu &c. non est opus vt pretium respondeat omnibus fructibus percipiendis. ib. n. 120. Emptiones & venditiones factæ anno 1620. quomodo iustæ. n. 247. Empta & nondum soluta primo loco restituenda. Disp. 4. q 6. n. 412. 418.

Epijkia.

Quid sit. D. 6. q. 2. n. 55. Est pars subiectiua Iustitiæ legalis accidentaria tantum. n 55. Interpretatio legis contra verba legis in casu dubio ad principem pertinet, in re manifesta non item. n. 68. & seq.

Episcopi.

Episcopi Apostolorum sunt successores in potestate & officio pastorali, non in dignitate Apostolatus. D. 1. q. 4. n. 83. Non omnes Episcopi Ecclesiarum, quas Petrus fundauit, sunt eius in primatu successores, sed ij qui successerunt in ea cathedra, quam ipse per se vsque ad mortem tenuit. D. 1. q. 4. n. 146. Episcopi in extrema necessitate spirituali subditorum, si spes probabilis sit iuuandi, tenentur iuuare cum vitæ propriæ periculo. D. 2. q. 3. n. 6. Idem tenentur in graui tantum necessitate, si spes saltem sit certa. n. 64. Tempore pestis alij curam committere licet; fugere tamen non licet. n. 65. Tenentur etiam in subditorum necessitates inquirere. n. 67. Episcopi Germaniæ tanquam Principes iudicant etiam temporales causas. n. 33. Vltra duos summum aut tres menses non potest abesse ab Ecclesia. D. 4. q. 6. n. 189. Electus & potitus administratione, & consecratus amittit omnia beneficia alia. n. 197. Ex dispensatione Papæ potest habere plura beneficia Episcopalia. num. 199. Potest conferre tertium beneficium, si priora duo non sufficiant. n. 198. An etiam possit dispensare, vt plura incompatibilia, & simplicia aliquis habeat. n. 200. Vtrum Episcopi sint domini prouentuum Ecclesiasticorum fusè. à n. 215. Magis tenentur ad eleemosynas ex superfluis quam sæculares diuites. n. 237. & 243. Eorum testamenta qualia esse debeant à n. 244. De suis prouentibus non possunt testari nisi ex dispensatione Papæ. ib. Bona Ecclesiæ consanguineis dans restituet Ecclesiæ. n. 380. Episcopo visitanti & præter necessaria iniustè

acci-

accipienti incumbit restitutio. n. 438. Debita incerta potest condonare debitori aliqua parte in pias causas applicata. n. 440. Quid obseruet in alienatione bonorum Ecclesiæ. D 4. q 7. n. 181. seq. An & qua ratione liceat appetere vel recusare Episcopatum. D. 6. q. 2. n. 50. Episcopo non est prohibitum aliquid habere proprium. n. 62. de bonis Eccles. seqq. Religiosus in Episcopum electus an & qua ratione absoluatur ab Ordinis sui regulis ac institutis. D. 6. q. 2. n. 79. Obligatus manet voto paupertatis, nec capax est dominij. n. 81. An testari possit. n. 82. quoniam relinquere Episcopatum. 83. seqq. Quandonã Episcopo cæteriſq; Pastoribꝰ à suo grege liceat abesse. n. 88. In quo constat tota ratio Episcopalis functionis. n. 90. Vid. *Status*.

Error.

An possit Deus in intellectu humano producere actum vel habitum erroris. D. 1. quæst. 1. n 151. Cur Deo repugnet errorem in homine directè causare. ib. n. 154. Error Waldensium, Wicleffi, Hussij, circa fundamentum dominij damnatus. D. 4. q. 1. n. 34. Errorem pernicioſum docens eum debet seducto detegere. D. 4. q. 6 n. 87. Error in substantia rei irritat contractum iure naturæ D. 4. q. 7. n. 11. Error non contra substantiam rei nihil officit contractui, si dolus non dedit causam. n. 12. Qualiscunq; sit error, à contractu in conscientia potest recedere deceptus. n. 16.

SS. Eucharistia.

An distinctè poni debuerit inter articulos Symboli Apostolici. D. 1. q. 1. n. 226. Non est danda ægris morbo & violenta suspicione laborantibus extra mortis articulum. D. 4. q. 5. n. 6. Si suspicio sufficienter sit purgata non est neganda. n. 107. Iisdem in mortis articulo etiam violenta suspicione laborantibus, & crimen negantibus non est neganda, sicuti nec alijs reis. n. 108. SS. Eucharistia nemini in mortis articulo neganda, nisi aperte impœnitenti. ibid. Ad eum non admittitur vsurarius. D. 4. q. 7. n. 106.

Euidentia.

Quid sit, & quomodo fidei repugnet. D. 1. q 1. n. 40. vsque ad 73.

Eustochia.

Est naturalis intellectus perfectio, inter partes integrales Prudentiæ. D. 4. q. 3. n. 6.

Eutrapelia.

Est specialis virtus modestiæ subiecta, quæ recreationem moderatur. D. 3. q. 3. n. 213, Sapientis est interdum remittere aciem mentis. ibid. Quænam obseruanda in ea mentis relaxatione. n. 214. Contra eam peccatur tam per excessum, quam per defectum. n. 215. Qua ratione ludis seu recreationibus mortaliter peccetur. n. 216.

Excommunicatus, Excommunicatio.

Hæretici & apostatæ incurrunt ipso facto, de iure Ecclesiastico excommunicationem maiorem reseruatam in Bulla Cœnę Domini. D. 1. q. 8. n. 107. Excommunicationem eandem incurrunt hæreticorum receptores, fautores, defensores, eorum libros tenentes, aut legentes. ibid. n. 110. Nominatim excommunicatos superiores, subditi, dum absque suo damno possunt, vitare tenentur, cæteros non tenentur, sed possunt. n. 121. Communicare cum excommunicatis hodie per se illicitum non est, nisi in duobus casibus, videlicet nominatim denunciatis & notoris clericorum percussoribus. D. 1. q. 9. n. 132. Excommunicatus & denunciatus iudex quando peccet mortaliter, & inualide iudicet. D. 4. q. 4. n. 20. Occulte excommunicatus saltem valide iudicat, sed ex probabiliori peccat. n. 22. Contra eum tamen datur exceptio. n. 23. Excommunicatus est laicus iudicium vsurpans in clericum. n. 28. Excommunicatus est incapax omnis beneficij. n. 61.

Exceptio, Exceptus.

In iure non datur exceptio, vt elidatur actio, quæ alioqui valida erat. D. 4. q. 6. n. 32. & n. 323. In crimine excepto non est opus semiplena probatione ad interrogandum reum. D. 4. q. 4. n. 72. seq. 76. 79. In eo potest interrogari reus de complicibus. n. 86. eorum testimonia qui admittantur. & Disp. 4. quæst. 5. num. 26. Quæ crimina dicantur excepta. D. 4. q. 5. n. 1. In ijs non tenetur iudex communi iudiciorum ordine procedere. n. 2. 5. sed qui naturali, & singularibus statutis præscribitur. n. 6. plura à n. 62. In his criminibus iudici non est à tortura inchoandum absque legitimis indicijs. n. 29. Reo in his non est negandus aduocatus. n. 73. 76. 78. Quorundã taliũ criminum iudicium non finitur morte. n. 111. In ijs quæ sunt iuris naturalis non est discrimen exceptorum & non exceptorum, nisi notorij nimis. n. 79.

Executor.

Executor operis in damno faciendo quo ordine restituere teneatur. ib. n. 398. seq. Executor testamenti, vide *Testamentum*.

Exemptus.

Exemptus quis sit à iudice loci. D. 4. q. 4. n. 26. Potest tamen puniri ab Ordinario loci peccans in re non exempta. n. 27. In exemptorum bonis alienandis quæ autoritas Superioris intercedat. D. 4. q. 7. n. 185.

Expensæ.

Expensæ funeris moderatæ & pro testamento, inuentario, custodia supellectilis &c. soluendæ ante debita realia. D. 4. q. 6. n. 414.

Extasis.

Est simplex quidam è sui potestate excessus; raptus vero violenta ab sensibus alienatio. D. 1. q. 7. n. 152. An fieri possit naturaliter. Ibidem.

F.

Fœmina.

Ob periculum famæ excusatur adultera succedente spurio in hæreditatem, ne reuelet crimen aut restituat, si aliter nequeat. D. 4. q. 6. n. 442.

De fœminarum tutela, curatela, annis infantiæ &c. D. 4. q. 8. à n. 269. Vide *Minorennis, pupillus, Tutor* &c.

Falsitas.

Repugnat Deo, non minus quàm iniquitas. D. 1. q. 1. n. 134. & seqq. Falsitas obiecti an impedit certitudinem ex parte subiecti, & firmitatem assensus. D. 1. q. 2. n. 131.

Falsum. Falsare.

Falsum docens ad quid teneatur. D. 4. q. 6. n. 87. Falso infamans ad quid teneatur ib. n. 141. Falsare monetam crimen læsæ maiestatis. ib. n. 330. Qui anno 1622. & seq. monetas vilioris materiæ contra leges imperij cuderunt primi, & imperium tot damnis affecerunt sine iusta causa, ab restitutione non excusantur: qui coacti sunt post seruare se indemnes, noua itidem cudenda moneta, excusantur n. 331.

Fama.

Quid fama, eiusque detractio quale peccatum. D. 4. q. 8. n. 135. Eius dominium habet homo. D. 4. q. 1. n. 47. Quando grauiter lædatur. D. 4. q. 3. n. 18. & q. 8. à n. 135. Famæ religiosorum in inquisitione quomodo consulendum. D. 4. q. 4. n. 88. Fama publica cum quibusdam signis quomodo sufficiat ad procedendū contra sagas. q. 5. n. 53. seq. Fama læsa quando restituenda. D. 4. q. 6. n. 140. seqq. Quomodo læsa per mendacium infimæ sortis hominibus. n. 141. 142. Verum dicendo sed iniuste. n. 143. & tantum apud auditores. 146. apud alios, etiamsi alij negligant, aut id præuideri potuit non tamen cum periculo vitæ ordinarie. 148. ex probabiliori etiam pecunia est compensanda. n. 151. & eius damna etiam hæredibus. n. 152. Famæ restitutionem sibi compensare licet ex debito pecuniario. ibid. Famæ restitutionem infamatus condonare potest, si fiat absque iniuria aliorum. n. 154. Aut in pari infamatione alter alteri. n. 155. Famæ iactura quandoque excusat à restitutione. D. 4. q. 6. n. 433. 436. 442. Ea necessaria etiam perfectis ob virtutis exercitationem. n. 148. eam negligere ob spirituale bonum, vitam propriam, aut alienam, ob vitanda tormenta quando peccetur ibid. num. 148. seq.

Famuli.

Famuli permouentes vsurarium & cooperantes ad vsuram, tenentur restituere in solidum. Alij tantum rationes scribentes excusantur. D. 4. q. 7. n. 103. Famuli non possunt vti clandestina compensatione nisi certum sit deberi ex iustitia, & mercedem esse infra mercedis iustæ gradum infimum, ib. n. 164. & quæst. 6. à n. 406. Quid si ex misericordia permittantur laborare, aut domini arbitrio permissa mercede. D. 4. q. 7. n. 164.

Fatuitas.

Negatiuè opposita sapientiæ, dicit totalem spiritualis sensus privationem. D. 2. q. 4. n. 55.

Fera.

Feras mansuefactas etiam procul domo abeuntes sed consuetudinem redeundi seruantes capiens restituat. D. 4. q. 6. n. 350. Quando censeantur consuetudinem redeundi perdere. ib. Suam retinentes feritatem licite capiuntur. ib. Quæ censeantur captæ & inclusæ. n. 351. Contra iustam prohibitionem liberas feras capere est contra iustitiam, & restitutioni & pœnæ obnoxium. n. 355. Si prohibeatur earum acquiri dominium sunt restituendæ. ibid. Vnam alteramue capere non censetur damnosum. ibid. fera illaqueata & ab alio capta cuius sit. n. 356.

Festum.

In festis quando sententia valida & inualida. D. 4. q. 4. n. 3. 10. 93. 94. Festis diebus per se non obligat præceptum amoris diuini eliciendi, D. 2. q. 4. 4. n. 81. Obseruatio festi diei in quo consistat, D. 5. q. 6. n. 2. Multum pendet ex consuetudine. n. 5. Diei dominici obseruatio ex Apostolica traditione descendit. n. 3. Quo tempore dies festus incipiat aut finiatur. n. 6. Quænam proprie opera seruilia, à quibus abstinendum. n. 7. 8. Etiam à quibusdam alijs operibus abstinendum. n. 9. & D. 4. q. 7. n. 71. Nonnunquam tamen excusantur certis causis. n. 10. 13.

Feudum.

Si feudum in pignus detur domino directo, eius fructus potest percipere, sorte integra. D. 4. q. 7 n. 81. certis tamen conditionibus. n. 82. seq. Differt à censu & Emphyteusi. n. 115. Quid feudum ibid. & ex instituto ead. quæst. 7. n. 172. Vnde dictum, quid significet, quomodo ab Emphyteusi differat. ib. Feudatarius seu Vasallus, qui feudum accipit, si plures ab vno accipiunt varijs nominibus appellātur, pares Curiæ, Conuasalli, pares Curtis &c. ibid. Feudum aliud proprium & improprium: nouum, vetus: nobile, ignobile, seu plebeium & Burgense; nobile, regale & non regale, ligium & non ligium, Francum, non francum: Ecclesiasticum & seculare. n. 174. Conditiones fere eædem quæ Emphyteutæ, & iuramentum quale, & inuestitura. n. 175. seq. Feudum amittitur non præstito obsequio, & alienatione absque domini voluntate. n. 175. & non petita inuestitura ab hæredibus, n. 179. Eius variæ obligationes. n. 176. Ipsi feudatario obligatur dominus priuandus per superiorem nisi præstet Vasallo debita. 177. Dare in feudū etiam potest fœmina, & rusticus; & pro eo inuestiri seruus, procurator, & acquiri etiam ab intestato potest. n. 180. Quomodo in feudum dari possint etiam bona Ecclesiastica. n. 181. seq.

Fides.

Fidei controuersiæ à Romana Ecclesia antiquitus definitæ. D. 1. q. 4. n. 131. Fides potest à charitate seiuncta existere. D. 1. q. 6. n. 33. & seq. An fides possit esse causa falsi assensus. D. 1. q. 1. n. 147. Fidei Mysteria an & quo sensu homines Christo viciniores plenius cognouerint. D. 1. q. 1. n. 207. & seqq. Fides Christiana naturæ legi consentanea. D. 1. q. 2. n. 73. Fides inter virtutes supernaturales ordine naturæ est prima. D. 1. q. 6. n. 44. Fides in quo differat à Lumine gloriæ. D. 1. q. 1. n. 51. In quo à Prophetia. ibid. n. 45. & 51. Gratia gratis data quæ fides dicitur consistit, non in Fide miraculorum, non in firmitudine adhęsionis fidei aut professionis Constantia; sed in facultate proponendi res fidei, infra tamen sermonē sapientiæ & scientiæ D. 1. q. 7. n. 137. 138. 139. Quod est contra fidem, id est, Conscientiam, peccatum est. D. 1. q. 8. n. 66. Nomine fidei Apostolus non intelligit fiduciam, vt malesectarij volunt. D. 1. q. 6. n. 6. Fdei definitio D. 1. q. 6. n. 4. Fides quomodo substantia rerum sperandarum. D. 1. q. 1. n. 180. Fides duplex inuoluit iudicium, vnum quo acceptat obiectum tanquam credibile, alterum quo ei assentitur tanquam

vero. Vtriusq; diuersa resolutio. D. 1. q. 5. n. 168. Fides vna implicita, altera expl. Vtraque quid sit. D. 1. q. 7 n. 21. Duobus iterum modis implicite aliquid credi potest. n. 22.

Fidei Actus.

Fidei actus liber tam quoad exercitium, quam quoad specificationem. D. 1. q. 1. n. 44. Fidei actus stare potest cum euidentia attestantis. D. 1. q. 1. num. 167. Fidei assensus stare potest cum euidentia abstractiua (etiam intrinseca) & intuitiua eiusdem veritatis, simul in eodem subiecto. Ibid. à num. 169. vsque ad num. 180. An id etiam possit in eodem instanti. ibid. num. 175. An possit etiam cum visione beatifica. num. 176. Actus Diuinæ fidei internus, semper & necessario bonus est, nec deprauari siniſtra intentione potest. D. 1. q. 7. dub. 3. n. 92.

Fidei Certitudo, Euidentia, Infallibilitas, Veritas, Falsitas, &c.

Fides certior scientia naturali, non vero visione beatifica. D. 1. quæst. 1. n. 179. Fides certitudine adhæsionis secundum quid inferior est habitibus naturalibus euidentibus, non vero simpliciter. D. 1. quæst. 6. num. 50. Fidei assensus, etiam vt in nobis est, certior est quibusuis actibus naturalibus certis & euidentibus. D. 1. quæst. 6. num. 53. Fides non potest esse euidens respectu obiecti D. 1. quæst. 1. num. 158. Fides non pendet ab euidente cognitione veritatis creditæ. ibid. num. 163. Fides Christiana euidenter credibilis ob externa motiua probatur nouem argumentis. D. 1. quæst. 2. num. 72. Fides diuina infallibilis ex triplici capite. D. 1. quæst. 1. num. 140. Fides infallibilis non esset, si Deus mentiri posset. ibid. num. 137. Ea fides vera, cuius auctor est CHRISTVS Dominus. D. 1. quæst. 2. num. 72. Fidei diuinæ non potest subesse falsum. D. 1. quæst 2. n. 123. An successu temporis falsa fides credibilior reddi quam vera. hæcque proinde prudenter deseri possit. ibid. n. 137. 138.

Fidei Infusio, Augmentum, Intensio seu Perfectio, & amissio.

Fides est Virtus per se infusa. D. 1. quæst. 6. dub. 2. num. 31. Fides adultis sine gratia infundi, & in ijs augeri potest. num. 41. Fides charitatis accessione, quasi per formam extrinsecam perficitur. num. 43. Fides potest in vno maior esse quam in alio. D. 1. quæstione 6. numero 85. Potest etiam augeri in eodem homine, quoad obiectum materiale, subiectum, intensionem assensus, deuotionem voluntatis. num. 86. Fidem diuinam amittunt hæretici, & pertinaciter discredentes vnam aliquam veritatem reuelatam, Secus qui inaduertenter & citra pertinaciam dissentit. D. 1. quæst. 6. dub. 4. num. 80. Retinent tamen fidem humanam & acquisitam earum veritatum, quas credunt. num. 84. Erroneum est dicere, habitum fidei amitti posse sine peccato. D. 1. quæstione 2. dub. 2. n. 30.

Fidei Obiectum, materiale & formale, &c.

Fidei diuinæ obiectum materiale complexum & incomplexum, quod. D. 1. quæst. 1. num. 12. Fidei obiectum totale Communitatis, Ens Deum aliquo modo respiciens. ibidem num. 18. Obiectum totale attributionis DEVS. num. 19. Obiectum formale Quod, Deus vt Deus. num. 27 Obiectum formale Quo est Prima Veritas aliquid reuelans. ibidem. num. 31. & seqq. An ad fidem sufficiat reuelatio non tantum publica, sed etiam priuata. n. 61 fidei obiecta q necessaria & infallibilia. D. 1. q. 1. d. 5 n. 142. Fidei obiectum euidens secundum credibilitatem. Tale esse cognoscitur non per fidem, sed per habitum scientiæ moralis aut prudentiæ. dub. 6. num. 160. Fidei præcipua obiecta nec naturali, nec supernaturali lumine euidenter à nobis cognoscuntur in hac vita. ibidem num. 162. Fides cur non possit versari circa obiectum materialiter malum. D. 1. quæst. 1. dub. 5. num. 128. Fides nullo principio naturali per se nititur. D. 1. quæst. 6 dub. 3. num. 49. Fides non nititur propositioni Ecclesiæ tanquam rationi formali credendi, sed tanquam conditioni obiectum applicanti. D. 1. quæstione 2. num. 9.

Fidei Subiectum, Indicia & regulæ.

Fidei habitus est in intellectu vt in subiecto, præsupponens tamen piam motionem voluntatis ad credendum, neque sufficit non contradicere. D. 1. quæst 6. numero 8. 9. Fides non fuit in Christo etiam viatore, nec est in cæteris beatis siue quoad actum siue quoad habitum. D. 1. quæst. 6. dub. 4. num. 69. Fides infusa non est in beatis & damnatis angelis & hominibus Ibidem. Est tamen aliqua naturalis & acquisita. num. 76. Fidei capaces sunt omnes puri viatores, eamque reipsa habuere B. Virgo, Apostoli, habentque omnes iusti etiam animæ in purgatorio. D. 1. quæst. 6. num. 78. 79. Fidem supernaturalem te habere non constat certitudine fidei secluſa speciali reuelatione. num. 87. Nec idipsum constat experimento proprio. num. 88. Potest tamen à singulis haberi eius rei notitia probabilis & moraliter certa. num. 90. Fidei regulæ septem infallibiles enumerantur. D. 1. quæstione quinta num. 2.

Fidei Necessitas, meritum, eiusdemque aut profitendæ obligatio aut dissimulandæ licentia an & quæsit.

Fides mere naturalis in adultis ad salutem non sufficit, Neque etiam fides separatim concepta de obiectis naturalibus per se est ad salutem necessaria. D. 1. quæst. 7. num. 24. Verus aliquis actus Diuinæ fidei, quouis tempore fuit, & nunc est necessitate medij adultis ad vtramque salutem necessarius. numero 27. Hic actus omnibus necessarius necessitate medij super-

naturalis esse debet ex triplici capite: principij, medij, & obiecti ibid. n. 28. Erroneum est dicere, saluari posse de lege Dei ordinaria, eum, qui cognoscens legem naturæ faciat quod potest, dummodo inuincibiliter obiecta supernaturalia ignoret. D. 1. q. 7. n. 30. Vide V. Deus, Christus, Incarnatio, Trinitas. Fides implicita rerum aliarum præter SS. Trinitatem & Christum non fuit necessaria necessitate medij. n. 41. Fidei actus non modo quoad exercitium sed etiam quoad specificationem liber, meritorius esse potest ex vtroque capite. D. 1. q. 7. n. 81. Primus fidei actus, adeoque prima etiam credendi voluntas meritoria esse potest, & informari ab actu charitatis sibi coniuncto. ibid. n. 83. Cum fides dicitur fundamentū meriti, includitur etiā voluntas credendi, cuius proinde fundamenti aliud fundamentū requirendū non est. 84. Intrinsece malum est aut profiteri fidem falsam, aut negare veram. D. 1. q. 7. n. 96. Præceptum affirmatiuum fidei exterius profitendæ obligat etiam cum vitæ periculo, quando alioqui honor Deo debitus, aut vtilitas debita sibi aut proximo subtraheretur. ib. n. 112. 113. 114. Extra hos casus licitum est fidem dissimulare abstinendo à rebus veram fidē significantibus, aut assumendo etiam religionis signa indifferentia. n. 115. Fidei professio repetita valet contra diabolū & veneficia. D. 4. q. 5. n. 136. Religionē falsam simulare nullo casu licet, agendo id, quod natura sua, vel omnium gentium vsu falsi cultus rationem habet. D. 1. q. 7. n. 99. Libertas credendi, per se loquendo, & quoad fieri potest, non permittenda, neque promittenda est. D. 1. q. 9. dub. 3. à num. 65. vsque ad 94. Fides Hæreticis seruanda. Vide V. Pactum. V. Pontifex. Religio.

Fidei resolutio.

Fides cum discursiua non sit, non resoluitur vt conclusio in sua principia, sed vt actus in suam causam. D. 1. q. 5. n. 167. Fidei assensus siue actus in duplicem suam causam resolui potest, efficientem & obiectiuam. n. 169. Fidei assensus secundum se & quatenus abstrahit à motiuis & medijs applicantibus obiectum, vltimate resoluitur in primam veritatem obscure reuelantem, tanquam rationem formalem obiectiuam, ibid. n. 172. Actus credendi resoluitur in authoritatem Ecclesiæ, vel tanquā summum motiuum & rationem credibilitatis, vel tanquam infallibilem regulam (quoad nos) certo cognoscendi diuinam reuelationem, adeoque discernendi reuelata à non reuelatis. D. 1. q. 5. n. 173. & 181. Fides non resoluitur in principia euidentia lumine naturali, & cum obscura sit, non potest habere principia euidentia. ibid. n. 179. Nec resoluitur in aliquid humana fide creditum. n. 180. In resolutione fidei qua ratione euitetur vitiosus circulus. Ibidem.

Fidei propositio.

Quomodo diuersa sit propositio obiecti fidei & aliorum habituum. D. 1. q. 2. n. 2. Propositio fidei non est reuelatio Diuina, sed conditio eam applicans credenti. ib. n. 9. & seq. Publica & priuata quid sint, & quomodo inter se differant. ibid. n. 14. Priuata singulis necessaria. ibid. n. 15. Propositio sufficiens ad posse credere fide diuina, debet rem propositam euidenter credibilem facere & ita quidem vt oppositum secundum rectam rationem plane reddatur incredibile. D. 1. q. 2. dub. 2. toto. Sufficit euidentia quædā practica, cui non sit coniuncta hic & nunc moraliter facultas formidandi. ibid. n. 27. Propositio sufficiens ad posse credere, est etiam sufficiens ad debere credere. ibid. n. 31. Propositio hæretica, erronea, suspecta, seditiosa, male sonans, scandalosa, temeraria quæ dicatur. D. 1. q. 8. n. 97. Prima doctrinæ reuelatæ propositio immediate à Deo facta. D. 1. q. 2. n. 48. Ita fieri quoque alijs etiamnum potest, at ordinarie non solet. ibid. n. 44. & 45. Ordinaria Dei lege fit hominibus per homines, ibid. n. 46. & 47. Non est necesse priuatim proponentem fidem, esse infallibilis auctoritatis, sed est necesse eum certo persuadere, falsum non esse quod proponit. ib. n. 49. & seqq.

Fides Ciuilis.

Num bona fides requiratur ad acquirendum dominium in commixtione rei alienæ cum propria. D. 4. q. 1. num. 65. Bona fides requiritur ad præscriptionem. ibidem n. 79. 80. & n. 83. 85. Fide mala res acquisitæ & possessæ quomodo præscribantur. n. 100. & seq. Fide etiam bona habens alienum, titulo rei acceptæ tenetur restituere. D. 4. q. 6. n. 28. Bonæ fidei debitor cum mutatione status non tenetur restituere, etsi creditor mutare debeat n. 430. Bonæ fidei contractus qui dicatur. D. 4. q. 7. n. 4. An valeant dolo initi. 19. Vide *Vsura*. Alleganti suam turpitudinem nulla debetur fides. D. 4. q. 6. dub. 14. n. 443.

Fidei commissum.

Fidei commissum vniuersale & particulare quomodo differat à legato & donatione. D. 4. q. 8. n. 299. Fideicommissum etiam solo nutu factum valet. n. 302. In fideicommissariam transit hæredis extranei institutio per codicillarem clausulam dubij testamenti. n. 305. Fideicommissaria substitutio indirecta potest codicillo fieri. n. 316. Qui casus excipiantur. ibid.

Fideiussio.

Est alienæ obligationis in se susceptio. D. 4. q. 7. n. 228. Non valet autem hæc obligatio, si debitoris pariter inualida est, ib. Fide iubere possunt, qui possunt principaliter obligari. ibid. Singuli tenentur in solidum, si plures, & nulla facta est exceptio ib.

Fidelitas.

Fidelitas est in distributione bonorum cōmunium conferre ea dignioribus. D. 4. q. 6. n. 20. & seqq. Fidelitatem qualem iurent feudatarij. D. 4. q. 7. n. 176. Vid. *Veritas.*

Filius.

Inter Filium & Patrem est ius secundum quid, D. 4. q. 1. n. 113. 116. 117. Inter Filium & Patrē qualis iustitia. D. 4. q. 2. n. 10. & n. 70. seq. Quo respectu sit inter illos ius simpliciter. D. 4. q. 2. n. 12. Filius potest habere proprium peculium. ibid. n. 13. Filius habet quadruplicis generis bona castrensia, & quasi castrensia, aduentitia & profectitia. ib. n. 14. Non tamen par dominium. n. 15. 16.

Quid filijs occisi debeat homicida. D. 4. q. 6. à n. 115. Filijs libera manet potestas quoad statum vitæ eligendum. Inuiti castrati pro seruitio cantus Ecclesiastici non possunt, & ex veriori nec consentientes. Disp. 4. quæst. 8. n. 101. Respectu filij aliquid accipientis, quomodo pater censeatur non inuitus. ibid. n. 118. 120. & 127. Mortaliter tamen peccat filius cum obligatione restitutionis, accipiens rem notabilem. ib. num. 128. Filius quando curator esse patris possit. ib. n. 274.

Finis.

Habitualis relatio ad finem malum non inficit opus per se bonum. Disp. 1. quæst. 8. num. 80. Non est necesse, opus per se bonum, quod non refertur ad DEVM, habere creaturam pro vltimo fine simpliciter, adeoq; esse malum. Disp. 1. q. 8. num. 80. Secus sentiendum de opere medio seu indifferenti. ibid.

Fiscus, Fiscalis.

Actio fisci præscribitur quinquennio. D. 4. q. 1. n. 99. Res fisci centum annis. ibid. Præscriptio interrumpitur sola citatione. n. 83. Fisci bonum non tenetur procurare reus confessione criminis. Disp. 4. quæst. 6. num. 76. Fisci damnum ex impunitate scelerum. ib. num. 71. Quid reus, testis, iudex, Fiscalis officium negligens fisco teneatur. à n. 76. Eius priuilegiatum debitum. n. 418.

Fortitudo.

Fortitudo qualis sit virtus. Disp. 3. quæst. 2. n. 1. Non omnes qui fortia agunt, etiam fortiter agunt. num. 3. Fortitudo est virtus specialis & cardinalis. num. 5. & 7. Fortitudo est circa timorem & audaciam; & mediate circa pericula & labores. n. 9. & 10. magis tamen circa timorem quam audaciam. num. 11. An fortis sit etiam dolere & tristari. num. 13. Fortitudo maxime enitet in periculis, & euentibus repentinis. num. 15. Fortis etiam iram moderatam adhibet. num. 16. Fortitudo præstat temperantiæ, sed cedit prudentiæ ac iustitiæ. num. 17. Donum fortitudinis in quo consistat. n. 20. Actus forttitudinis. numero 21. Præcipuus actus est martyrium. num. 23. Vide *Martyrium.* Fortitudo qua ratione differat à patientia. n. 26. Fortitudinis præcepta affirmatiua quæ. numero 35. Fortitudinis præcepta negatiua quæ. num. 38. Vitia fortitudini opposita, num. 40. seqq. Fortitudo etiam vna speciè infima virtus. num. 47. Qua ratione Aristoteles quinque eius species numerare videatur. 48. Partes fortitudinis quatuor, Magnanimitas, magnificentia, patientia, & perseuearntia. num. 49. & 51. Duplex actus fortitudinis, aggredi & sustinere. num. 50.

Fraus.

Fraus alterius contrahentis dans causam pacto vel contrahenti, eum euertit. Disp. 1. q. 9. n. 119. Fraus nemini patrocinari debet, Regula Iuris. n. 126. Fraudibus ditatus tenetur restituere cum mutatione status nisi excuset infamia. Disp. 4. quæst. 6. num. 431.

Fructus.

Fructus rei venditæ ob dilationem solutionis quando possint percipi à venditore.

Fucatio.

Fucatio mulierum an & quando peccatum. D. 3. q. 7. n. 221.

Furiosus.

Furiosis qui curatores dandi. Disp. 4. quæst. 8. num. 274.

Furtum, Fur.

Res furtiuæ quanto tempore præscribantur. Disp. 4. quæst. 1. num. 101. Restituere debet fur, etiamsi res sine vtilitate perierit. D. 4. q. 6. n. 30. Furtum notabilis quantitatis sub mortali, furtum paruum sub veniali restituendum. numero 256. Ex furto excessus ille restituendus sub mortali, qui ex non mortali facit mortale. num. 257. Res furtiua adhuc extans restituenda est integrè etiamsi apud dominum priorem peritura fuerit. Ibidem. Res furtiua extans apud furem etiam in meliori statu restituenda subductis expensis. numero 260. Res non extans aut vitiata compensanda domino sicut ipse eam consumpturus aut alienaturus erat. num. 261. Compensanda domino damna inde emergentia & lucra cessantia. numero 262. Fructus rei mixti restituendi deductis expensis, num. 263. 264. Furtum restituendum etiam ab hæredibus, sed pro viribus hæreditatis. num. 267. seqq. Furtum facit mortale & obligans ad restitutionem qui modica successiuè furans peruenit ad magnam quantitatem. num. 269. 276. Iudices ob parua furta etiam frequentata mortis supplicium non facile inferant. num. 274. Etiam ob furta parua pœnitentibus iniungenda restitutio, cauendo tamen turbationem conscientiarum. num. 279. Grauiter peccant, nec absoluendi, qui nolunt desistere à paruis furtis & continuatis in opificijs, mercimonijs. u. 281. Præter inaduertentiam & bonam fidem alię circumstantiæ de modo acceptionis, rei substantia, interuallo, personis, damno, intentione fraudulenta, notandæ. n. 280. Quomodo parua furta faciant mortale. n. 281. Cum singuli simul communicato consilio furantur parum, peccant mortaliter cum onere restitutionis quisq; in solidum. n. 282. Secus si non communicato consilio & opera id faciat. n. 285. Nisi furtū sit rei notabilis ac mortale, non incurritur censura ob imperatam & neglectam restitutionem. num. 287. Furtiuâ compensatione repeti ludo perdita non possunt. num. 307. A furto excusantur moderatè lignantes & pabulantes. Disp. 4. quæst. 6. num. 346. Domino non furi res ablata restituenda est. num. 377. Fur suis sumptibus rem alienam domino absenti mittat. Disp. 4. quæst. 6. num. 387. Ad quem res furtiua multorum opera ablata peruenit, ante omnes restituet, si inde est factus ditior. num. 401. Furi quoad restitutionem comparatur vsurarius. Disp. 4. q. 7. n. 96. Fures iustè à magistratu priuantur vita. D. 4. q. 8. num. 28. Fures nocturni quomodo à priuatis occidi possint. num. 69. 70. Furtum est alienæ rei occulta & iniusta acceptio. ibid. n. 106. In furto notabilis quantitas æstimanda ex damno quod fit domino, & rei ablatæ iustè æstimatæ pretio. ib. num 107. Habenda etiam ratio locorum, temporum, damni secuti &c. num. 108. 112. seqq.

Quantitas ad peccatum mortale, furti sufficiens alia est absoluta, alia respectiua. num. 109. Aliorum nimia laxitas, aliorum nimus rigor. num. 111. Medij statuunt octo vel decem baiios, item tres aut quatuor vel medium florenum, vnum regalem vel duos. num. 112. Personæ conjunctæ si verè per furtum & ab inuitis quoad substantiam accipiunt, in eadem quantitate, qua alij, peccant mortaliter, proprie & per se loquendo. num. 120. Furtum vnius adiectione oboli fieri mortale non est absurdum. num. 122. Vnde dicatur furtum fieri domino rationabiliter inuito. num. 123. & 127. 1. si est inuitus quoad rem, & quoad modũ rei ablatæ. ibid. 2. si ius habet ad rem retinendam. ibid. 3. si serio & cum damno auferatur ibid. Excusant ab iniustitia furti iocus, pœna, auersio damni. num. 124. (peccatur tamen grauiter si læsus putetur blasphematurus ibid.) Excusat etiam extrema necessitas, non grauis. n. 126. Compensatio rei debitæ positis ponendis. n. 127. Præsumptio illa; si peteretur, quod clam tollitur, non inuitè daretur : non est probanda. num. 127.

G.

Gabellæ.

Gabellæ sunt omnis generis pẽsitationes publicę seu exactiones. Disp. 4. quæst. 6. n. 336. Gabellæ iustæ ex conscientia sunt soluendæ, & defraudatæ restituendæ. num. 337. Gabellas iniustas defraudantes nil restituere, sed princeps & exactores tenentur. num. 341. Gabellæ dubiæ an possint sine peccato exigi, vti sine peccato fraudari. ibid. Quatuor conditiones ad gabellas imponendas. & quibus rebus imponendæ. à num. 342. Cessante vetere causa impositæ gabellæ exactio non potest produci. num. 343. Item non secuta causa ob quam imposita est gabella, obligat restitutio. ibid. A gabellis non debet aliqui eximi, ne alij plus grauentur. num. 345. Gabellas ab Ecclesiasticis exigens quomodo peccet. num. 346.

Gabriel Vasquez.

Sententiæ eius expensæ. Fidem niti posse reuelatione, cuius habeatur euidentia in attestante. Disp. 1. quæst. 1. num. 43. Non dari veram demonstrationem aut euidentiam, quæ solum nititur principijs extrinsecis. Disp. 1. quæst. 1. n. 47. Fidei assensum niti discursu. à n. 72. vsque ad 75. Fidem non posse stare cum quauis euidentia naturali. num. 166. Spem non versari circa bona acquirenda à nobis ipsis. Disp. 2. quæst. 1. num. 10. Obiectum Spei esse Deum, non qui speratur, sed à quo. ibid. Rationem ardui esse rationem formalem obiectiuam Spei. Disp. 2. quæst. 1. num. 20. Amorem & gaudium de nostra beatitudine non esse actus supernaturales quoad substantiam. n. 28. Nos nõ teneri corripere reprobũ vt talem cognitum. n. 75. Non dari amorem amicitiæ erga Deum vt auctorem naturæ. Disp. 2. quæst. 2. à n. 28. vsque ad 51. Sententia illius excussa; non esse iustitiam simpliciter inter patrem & filium nisi emancipatum. Disp. 4. quæst. 2. num. 17. Omnes virtutes morales, eam iustitiam versari circa actiones & passiones. num. 33. Contra Vasquez probatur, amorem Dei naturalem non esse super omnia. Disp. 2. quæst. 3. dub. 3. num. 36. 37. Imagines non esse obiectum cultus seu adorationis ratione interni affectus ac submissionis, sed solum ratione signi exterioris. Disp. 5. quæst. 2. n. 141.

Gens, Gentiles.

Gentium ius spectat ad ius positiuum humanũ. Disp. 4. quæst. 1. nnm. 126. seq. Beneficio rationis naturalis Gentiles cognoscere potuerunt saltem à toto genere, Deum vt auctorem rerum naturalium, non vero rerum supernaturalium, ideoque quoad hoc inuincibilis ignorantia in illis locum habere potuit, non vero quoad illud. Disp. 1. q. 8. num. 18.

Gloria vana.

Magnanimitati opposita quale & quantum peccatum. Disp. 3. quæst. 2. n. 69. & 71. Gloriam quatenus appetere liceat. num. 70. Vana gloria duobus modis est peccatum mortale. num. 71. Est vitium capitale. num. 73.

Gratia.

Gratia Dei præueniens ad salutem necessaria necessitate medij. Disp. 1. quæst. 7. num. 20. Gratiæ gratis datæ quæ dicantur num. 127. Sunt numero nouem. n. 130. Si quæ aliæ sunt (velut potestas consecrandi, regendi) ad diuisionem ministrationum pertinent non gratiarum. num. 133. Quædam ex his gratijs ex natura sua habitus esse possunt. num. 156. Quædam, vti est gratia virtutum & sanitatum, habitus esse non possunt. num. 157. Minima gratia resistere potest cuicunque cupiditati & mereri vitam æternam. Disp. 2. quæst. 2. num. 5. Gratiæ sanctificãtis habitus vna cum charitatis habitu etsi maneat idem specie & numero in patria, qui fuit in via, accipit tamen maiorem intensionem, æqualem amori visionis. Disp 2. quæst. 2. num. 112. 115. seqq. Eius gratiæ augmentum quouis actu etiam remisso meretur iustus. num. 138. Per gratiam & charitatem Deo grati & amici reddimur, & magis grati & amici per intensiorem gratiam & charitatem. n. 141. Gratia sanctificans semper cum charitate intenditur, neque actus charitatis eliciti videntur æqualis cum illa perfectionis, & dignitatis. num. 146. Gratia amittitur ac destruitur ex integro quouis mortali. num. 161. & eo peccato speciali quadam ratione effectiuè moraliter ob moralem repugnantiam, non solum meritoriè expellitur. num. 165. Gratia velle carere sine peccato, omni casu est illicitum. Disp. 2. quæst. 3. num. 54 Gratia non deficit in necessarijs. Disp. 2. quæst. 4. num. 46. Gratiæ dominium habet homo. Disp. 4. quæstione 1. numero 47.

Gratitudo.

Ex gratitudinis debito, plus diligendus benefactor, quam cui tu benefacis. Disp. 2. quæst. 3. numero 80. Gratitudo est specialis virtus. Disp. 6. quæst. 1. num. 38. Innocens an magis Deo obstrictus quam nocens iustificatus. num. 39. Ad quid obliget gratitudo. num. 40. 41. 42.

Gregorius de Valentia.

Eius sententiæ discussæ. D.1.q.1.n.39. sentientis: In damnatis esse fidem infusam, non esse improbabile. D.1.q.6.n.74. Dubios in fide incurrere excommunicationem, D.1.q.8.n.109.

Augmentum charitatis non statim conferri ad actus remissos. D.2.q.2.n.135.140.

Charitatem effectiuè expelli per peccatum mortale. ib.n.162.

Gula.

Quale, quotuplex & quantum sit peccatum. D.3.q.3.n.37. Est vitium capitale. n.39.

Quinque species gulæ. n.40. Diuiditur in commessationem & ebrietatem. n.45. Vide *Ebrietas & Temperantia.*

Gulielmus Ockam.

Non rectè docet spem non esse distinctum quid à fide, & charitate, sed aggregatum ex vtroque. D.2.q.1.n.20.

H.

Habitus.

Habitum vitiosum an possit DEVS solus in homine producere. D.1.q.1.n.155.

Species habitus tollitur sublata eius ratione formali obiectiua. D.1.q.6.n.82. Habitus per se infusi amittuntur per vnum actum. num.83.161. Habitus supernaturales non dantur solum ad facile, sed ad simpliciter operandum. D.2.q.1.n.3.

Habituum specifica distinctio desumitur ex diuersitate specifica actuum. D.2.q.2.n.94.

Eorundem habituum intensionem non superant actus supernaturales in patria eliciti. n.102. Habitus omnes possunt augeri. n.124.

Et ex probabili habitus naturales effectiuè aut dispositiuè augentur per actus etiam remissos. n.144. Habitus vitiosos augent venialia. n.157.

Habitus supernaturales à solo DEO tanquam à causa efficiente producuntur. D.2.q.2.n.121.

Ad supernaturalem dispositionem præuiam, cuius DEVS est causa, secundario charitas infunditur. n.122. Supernaturales habitus statim augentur meritoriè ab actibus intensioribus. n.139.

Supernaturalia bona, gratiam &c. DEVS non subtrahit homini nisi per modum pœnæ supponentis peccatum. n.150.

Habituum dominium habet homo. D.4.quæst.1.num.47.

Hæres.

Hæredibus defuncti quid homicida pro honore &c. teneatur. D.4.q.6.à n.112. Quæ damna compenset ijsdem. n.118. seq. & n.124. Ad eosdem transeunt iura actualia & realia testatoris. nu.118. itemque debita realia. n.152. & q.6.n.267.

Hæredes occisi quid teneantur. n.126.

Hæredes homicidæ quid teneantur. n.eod.

Hæredes infamantis, hæredibus infamati quæ damna debent compensare. n.152.

Hæredes furis etiam puniti debent restituere. 267. Hæredes necessarios non potest testator fraudare. n.362. Hæredes vsurarij pro rata parte debent restituere. D.4.q.7.num.104. Hæredes vasalli amittunt feudum, nisi intra annum petant eius inuestituram. 179. Ab hæredis institutione dicitur intrinsece testamentum. D.4.q.7.n.296.

Codicillo ei hæreditas auferri non potest, nisi crimen notatum probetur. n.298. Hæredes ab intestato soluant legata ad pias causas sine testibus probata. n.307. Illegitimi etiam in defectu aliorum possunt instituii. n.311. Hæredis necessarij legitima fideicommisso non potest grauari. n.316. Hæredes grauati donationibus mortis causa &c. quantum liceat illis detrahere. n.319.

Hæresis, Hæreticus.

Hæretici malè negant assensum veritatis diuinitus reuelatæ esse fidem iustificantem. D.1.q.1.n.8. Sitne hæreticus priuatæ reuelationi dissentiens D.1.q.1.n.65. Credantne hæretici Diuina fide veritates fidei propter Diuinam reuelationem. D.1.q.1.n.104. Hæresiarchæ & hæretici etiam in hac vita puniti. D.1.q.2.n.102. Hæreticorum honorificæ de Romana Ecclesia sententiæ. ib. n.104. & seq. Hæretici omnes prouocant ad Scripturam. D.1.q.3.n.20. Habeantne hæretici gratiam interpretandi scripturas. ib. n.30. & seq. An & quomodo hæretici ad Ecclesiam pertineant. D.1.q.3. n.52. Hæresis etiam est vnus error pertinaciter defensus. ib.n.100.114. Hæretici ex communibus argumentis seu notis Ecclesiæ conuincendi magis, quam discussione fidei doctrinæ. n.104.

Hæreticorum proprium est nullum habere posse firmum in credendo consensum. ib.n.111.

Hæreticorum discordiæ nascuntur ob defectum capitis in terra visibilis. ib. n.112.

Dogmata sectariorum sanctitati contraria. num.138. Apud sectarios nulla Sanctitas. n.132.

Hanc proprietatem nulli sectariorum cœtui conuenire probatur ex ipsorummet scriptis n.161.

Sectæ nostri temporis nouæ sunt, nec ratione durationis catholicæ. D.1.q.3.à n.165. ad 178. Hæretici pręcones à Deo missi immediatè non sunt. D.1.q.3. à n.201. nec mediatè à n.206.

Hæreses à Romana Ecclesia damnari antiquitus consueuerunt. ib. D.1.q 4.n.132. seqq.

Hæretici vti veteres ita & moderni Traditiones reijciunt. Ib. quæst.5. num.96. & seqq.

Hæretici vitioso circulo Scripturam per internum spiritum, & spiritum illum per scripturam & verbum Dei probare nituntur. ib.n.192.

Non est dicendum hæreticum certius adhærere errori, quam catholicum veritati, sed pertinacius.

Hæretici non habent fidem infusam, sed acquisitam. Vide V. *Fides.*

Hæreticorum conuentus, templa, conciones adire vbi id non fit in professionem hæresis aut alioqui in contumeliam fidei aut cum scandalo, per se illicitum non est. D.1.q.7.n.124.

Non est intrinsecè malum adesse hæreticorum nuptijs, baptismo, sepulturæ &c. in baptismo etiam ab hæretico collato esse patrinum.

Non tamen licet patrinum hæreticum pro baptizato catholico ascisere. D.1.q.7.n.125.

Hæresis Iudaismo & paganismo deterior ratione modi quo repugnant fidei, extensiuè verò & ratione obiectorum materialiũ paganismus vtraque deterior. D.1.q.8.n.39.40.

Hæresis est error pertinax fidei catholicæ manifestè contrarius, in eo qui Christi fidem aliquando susceperit. Disp. 1. quæst. 8. num. 82. Ad hæresim etiam pertinet dubitatio cum reflexo iudicio, rem aliquam fidei esse incertam. num. 84. Hæresis opponitur præcepto fidei affirmatiuo & negatiuo. num. 83. Pertinacia hæresim constituens in quo consistat. ib. num. 91. 92. Ad hæresim iuxta phrasin fori Ecclesiastici vlterius requiritur vt quis directam habeat voluntatem contradicendi Ecclesiæ Catholicæ quam sibi vt regulam fidei sufficienter propositam norit, aut studio contradicendi nolit aduertere. num. 94. Hæresis & hæretica propositio differunt. ib. num. 97. Ad hæresim non essentialiter requiritur baptismum suscepisse, sed ad hoc vt hæreticus subiaceat pœnis Ecclesiasticis. num. 100. De hæresi ad tempus toleranda in necessitate rectè pacta ineuntur. Vide v. *Religio*. Hæreticus non est qui de errore suo monitus non acquiescit viris doctis, si se submittit Ecclesiæ Catholicæ, licet alioqui contra fidem peccare possit, si res talis ad quam explicitè credendam tenebatur. ibid. n. 101. Pœnæ hæreticorum est Excommunicatio maior, eaque reseruata in bulla Cœnæ Domini. Disp. 1. quæst. 8. num. 10. Eam non incurrit, qui exterius tantũ hæresim &c. nullo externo signo prodidit. ibid. Hæc pœna est iuris non Diuini, sed Ecclesiastici, & ipso facto incurritur. ibid. Hæretici etiam Apostolorũ temporibus vt excommunicati vitabantur. n. 108. Hæreticorum receptores, defensores, fautores, & qui eorum liberos hæresim continentes aut de religione tractantes legunt, tenent, imprimunt incurrunt eandem excommunicetionem in bulla Cœnæ reseruatam. num. 110 Hæretici, eorumque filij & nepotes incurrunt Irregularitatem, ijs locis exceptis, vbi hæresis notam infamiæ non habet. num. 111. & seq. In hac Irregularitate solus Pontifex dispensat, si hæresis fueris notoria; si verò occulta Episcopus. num. 114. Iure beneficij Ecclesiastici priuantur ipso facto hæretici, possessione vero non nisi post sententiam iudicis num. 115. Hæretici incurrunt priuationem dominij bonorum temporalium, tamen fisco tradere ante sententiam iudicis non tenentur. Disp. 1. quæst. 8. num. 116. 117. Sed retinent plenum eorum vsum & dispositionem. num. 118. Contractus circa bona hæreticorum cum ipsis initos in Germania non irritos reddi consuetudo obtinuit. num. 119. 120. Hæretici & Apostatæ incurrunt infamiam, sed in Germania quoad hæreticos toleratos non est in vsu. num. 126. Heretici morte plectuntur à Magistratu politico ex mandato Ecclesiæ, ideoque pœnis eximere non potest magistratus ciuilis hæreticum brachio seculari traditum. num. 120. Pœna mortis vbi recepta est afficiuntur hæretici non tantum relapsi, sed cæteri etiam qui post admonitionem pertinaces sunt. num. 129. De fide hæreticis seruanda, vide V. *Pactum* & V. *Pontifex*. Communicatione politica communicare cum hæreticis, per se illicitum non est, nisi nominatim denunciatis. Disput. 1. quæst. 9. num. 132. Viro sufficienter docto, & publicè & priuatim cum hæreticis de rebus fidei ad ædificationem audientium disputare licet. Disp. 1. quæst. 9. dub. 5. Hæretici bona possidens quanto tempore præscribat. Disp. 4. quæst. 1. numero 99. Hæresis crimen exceptum. Disp. 4. quæst. 5. n. 1. & iunctum veneficio. n. 4 Iudicium post mortem non finitur. n. 111. Ad bonorum confiscationem & memoriæ condemnationem quot annis post mortem liceat contra hæreticũ procedere. ib. Tamen ante sententiam & excutionem bona retinere, administrare & alienare potest. D. 4. q. 6. n. 179. & 158. Vt hæredicus puniendus qui pertinaciter vsuras defendit. D. 4. q. 7. n. 76.

Hastiludia.

Quænam sint licita, aut illicita. Disp. 2. quæst. 6. num. 93.

Historici.

Quomodo aliena vitia scribere caueant, præsertim si occulta, & probrosa viuentibus. Disp. 4. quæst. 8. num. 147.

Homicida.

Quam homicidà grauius peccet ille, qui alium ex odio DEI ad peccatum inducit. Disp. 4. quæst. 6. num. 91. Homicida quis ad restitutionem teneatur. n. 110. & 117. Nil restituet, si conuentum, vt quisque damnum ferat; aut si prouocatus lædat; aut duo mutuo se prouocantes. num. 101. vti etiam vir nobilis aut militaris prouocatus cum moderamine debito lædens. num. 102. Talis verò excedens moderamen debitum notabiliter, & occidens ad damnum tenetur. num. 103. Pari damno pugnantes ad nihil tenentur. num. 104. Homicida iniustus tenetur ad damna emergentia & lucra cessantia. num. 105. 106. Ex probabiliore etiam aliquid pro vita restituet. num. 109. seqq. Num se bello offerat; aut pœna talionis satisfaciat; aut spiritualibus suffragijs occisum iuuet. n. 112. 113. Quid hæredibus defuncti, filijs, vxori tenetur. à n. 188. Si eis directè intenderit nocere, quid. num. 122. Homicidij reus quomodo sit qui fere iam ante lethaliter vulneratum leui ictu occidit. num. 284. 285. Aut vnum homicidium quomodo pluribus percutientibus imputetur. ibidem. Homicidiæ seu assassini etiam tenentur de damnis occisi, & hæredum eius, mercedem tamen operis non tenentur restituere. num. 299. Homicida sui voluntarius non patitur iniustum. Disp. 4 quæst. 8. num. 7. Contra DEVM tamen & charitatem sui atque Rempub. grauissimum peccatum committit. ibid. num. 8. & 9. Vt vetus homicida peccat, & tenetur restituere maritus, aut pater occidens adulterum cum filia vel coniuge etiam deprehensum in flagranti. ib. num. 40. seqq. Quando homicidium inducat irregularitatem Vid. *Irregularitas*.

Homo Humanus.

Primus homo in primo creationis suæ instanti cognouit euidenter quædam naturalia obiecta DEVM præcipuè concernentia, quæ nos non nisi fide cognoscimus. D. 1. q 6. n. 61. Homo coniungitur Deo quadrupliciter; per Fidem, per obedientiam, per statum clericalem, per statum religiosum. D. 1. q. 8. n. 105. Homo naturaliter magis inclinatur ad amandum DEVM naturæ factorem, quam seipsum. D. 2. q. 3. n. 45.

Homo per liberum arbitrium fit dominus rerum. *D.*4.q.1.n.33. Homo habet dominium suorum actuum, rerumq; corporalium. ib.n.37.40 & quale illud. ibid. Alterius etiam hominis vt mancipij & serui, non tamen perfectum habet dominium. n.43. Non habet dominium membrorum & vitæ. n.45. Habet dominium libertatis, famæ, honoris, gratiæ & habituum. n.47. Inter hominem & DEVM non est ius seu iustitia simpliciter. *D.*4.q.1.n.115. & q.2.n.8 & seq. Quomodo tamen sit ratione meritorum. n.9. Homo liber vendi non potest. *D.*4.q.7.n.55. Nisi in extrema necessitate, cum quis se & pater filium potest vendere. ibid.

Honestas, seu bonum honestum.

Quid sit & qua ratione ad virtutem pertineat. *D.*3.q.3.n.27. Honestum & spirituale decorum sunt idem. n.28. Honestum, delectabile & vtile, quamuis subiecto eadem sint, ratione tamen differunt. n.29. Honestas qua ratione sit pars integralis temperantiæ. n.30.

Honor.

Cuius virtutis propriè sit, omnia referre ad honorem Dei. *D.*2.q.2.n.25. Honor quo absolutè colimus Sanctos propter se, vt sic non respicit excellentiam increatam Dei. ib.num.60. Honor non est bonum per se expetibile. *D.*3.q.2.n.68. Honor læso per se itemque familiæ, aut etiam defuncto restituendus. *D.*4.q.6.num.108,115. Modi quibus honor lædatur & restituatur. num.156. Honor est verum bonum hominis obligans ad restitutionem. *D.*4.quæst.6.num.156. Quomodo veniæ petitione etiam nobili restituendus. n.157. Superiores non tenentur petere veniam. num.158. Pro ipsa iniuria nil per se restituendum, ante iudicis sententiam. num.160. In honorum distributione & honore deferendo quæ acceptio personarum locum habere possit. *D.*4. quæst.8. num.20.21. Honor defertur virtuti per se; tunc etiam dignitati, senectuti, diuitijs ob reipub. vtilitatem. n.21. Pro honore, virtute, honestate &c. à prudente vita merito exponitur. *D.*4.quæst.8.num.70. & inuasori eripitur. num.73. Honor tamen non adeo verbali contumelia, aut alapa vel baculi percussione læditur, vt liceat etiam morte vlcisci. ib. & seq. Pro honore alterius innocentis licitè interficitur iniustus inuasor. num.80. Honor quomodo lædatur contumelia. à num.132.

Horæ Canonicæ.

Quid, & quænam sint horæ Canonicæ, quæ earum partes & confirmationes. *D.*5.quæst.1. num.129. A quibus recitandæ. num.137. Episcopus non potest ordinandis imponere obligationem perpetuam vel diuturnam recitandi certum orationis pensum. ibid. Omne beneficium Ecclesiasticum siue curatum illud, siue simplex tantum, aut præstimoniale, vel quæcunque alia præbenda, obligat ad horas Canon. num 138. Capellaniæ collatitiæ etiam obligant, non item priuatæ. num.139. Coadiutores ac Cooperatores ratione coadiutoriæ suæ non tenentur recitare officium Canon. n.140. Tenuitas beneficij ex probabiliori non eximit ab officio. num.141.

Quinam titulus aut beneficium ad obligandum sit sufficiens. num.142. Religiosi Choro adstricti obligantur omnes ad horas Canon. non item Conuersi & Nouitij num.143. Quænam omissio aut negligentia in recitandis horis Can. ad mort. peccatum sufficiat. num.145. & seq. Psalmi Graduales, & si quæ alia horis subiungenda iuxta formam noui Breuiarij &c. sine peccato omittuntur. num.148. Nisi peculiaris lex & consuetudo aliud velit. ibid. Horæ in Choro dicendæ sunt iuxta Bullam Pij V. Breuiario præfixam, priuatim tamen cæteris paribus possunt dici iuxta Breuiarium Rom. n.149. Non licet sine rationabili causa Breuiarij vnius officium cum altero eiusdem Breuiarij commutare. num.15. Quæ deuotio ad diuinum officium requiratur, & qualis attentio. num.151. & seq. Distractio voluntaria per notabilem partem mortale constituit cum onere repetendi. num.154. Scrupulosis tamen consultius est non repetere, nisi certo constet de distractione. num.155. Interruptio absque rationabili causa facit venialem irreuerentiam. n.156. Ordinis peruersio sine causa rationabili venialis est. n.157. Horæ Canon. sunt distincte & integrè recitandæ. num.159. Quo loco sint recitandæ. num.160. & seq. & quo tempore. n.163. & seq. Causæ impedientes ab horis Can. quænam censeantur esse legitimæ. n.171. & seq. Legitime excusatus ab Officio &c. non tenetur audire alios, vel meditari, aut alias preces vel alium substituere. n.176. Nisi onus hoc peculiariter Beneficio sit adiunctum. n.178. Quænam omissio Offic. Canon. restitutionem importet vide Restitutio.

Hospitale.

Eius bona immobilia quanto tempore præscribantur, *D.*4.q.1.n.90.

Humilitas.

Humilitas qualis sit virtus. *D.*3.quæst.3. num.179. Quodnam eius officium. num.181. Humilitatis descriptio. num.182. Specialis eiusdem honestas. numer.184. Qua ratione quisque se alteri submittere debeat. numer.185. Humilitas multis virtutibus excellentior. num.187. Humilitatis gradus. n.190. Humilitas est virtus specialis. Vide *Superbia.*

Hypotheca.

Hypothecaria actio extinguitur. *D.*4.quæst.1 num.97. Hypotheca datur ad assecurandum debitum, quod soluendum ante debita personalia. *D.*4.quæst.6.num.414. Hypothecarijs creditoribus satisfaciendum ante alios tempore posteriores n.416. Hypotheca est rei immobilis, differt à pignore, vna vniuersalis, alia particularis. eius effectus. *D.*4.quæst.7.num.230. Hypothecata sunt minori omnia bona Tutoris & curatoris. *D.*4.q.7.num.278.

I.

Iactantia.

Est mendacium, quo quis seipsum verbis effert vltra verum aut meritum. Disp.6. quæst.2.num.19.20. Quando sit peccatum mortale, quando veniale. Ibidem.

Idololatria.

Quid sit. D. 5. q. 6. n. 2, Quinam directe vel indirecte creaturæ cultū diuinū censeantur tribuere Ibid Idololatria duplex est, interior, vel exterior. n. 3. Non committitur in consueto imaginum aut Sanctorum cultu. Vid. *Adoratio. Imago.*

Ignorantia.

Tunc solum peccatum est, quando præcessit, aut saltem potuit ex intentione præcedere suspicio obigationis sciendi. D. 1. quæst. 8. num. 15. Datur inuincibilis ignorantia veri Dei. Ibidem. Ignorantia infidelium, etiam voluntaria voluntate primi parentis, non est peccatum originale. num. 16. Quæ ignorantia excuset possidentes hæreticorum bona. Disp. 4. quæst. 1. num. 99. Ignorantiæ iustæ causa quando conferat maioribus priuilegium restitutionis in integrum. numer. 106. Ignorantia iuris & facti deobligat à restitutione. n. 428.

Illegitimi.

Illegitimi naturales quomodo hæredes instituantur, si desint legitimi, aut quantum bonorum illis cedat. Disp. 4 quæst. 7. num. 311.

Imagines aliæq; res sacræ.

Ex fide constat sacras imagines, reliquias, aliaque monumenta sacra esse honore afficienda. *D.* 5. q. 5. n. 62. Idque ipso iure naturali, partim ex traditione Ecclesiastica constat. n. 72. Imagines Dei ac SS. Trinitatis recte fiunt. ibid. n. 73. Etiam recte adorari dicuntur. n. 79. & seq. Quid de contrario canone Concilij Elibertini sentiendum. n. 79. Quid de libris Carolinis sentiendum. n. 85. Falso affingitur Concilio Francofordiensi interdictum cultus imaginum. n. 87. & seq. Ita etiam similis liber Parisiensis Synodi nomine editus spurius & supposititicius. n. 92. & seq. Quo pacto scriptura olim vsum imaginum vetuerit. ibidem. 97. vsque ad 111. Per imagines aliasque res sacras colitur ipsum exemplar. *D.* 5. q. 2. n. 111. Cultus imaginum est respectiuus. Ibid. n. 112. Sunt quidam actus adorationis, qui etsi coram imaginibus exerceantur, simpliciter tamen ad exemplar referantur. ibid. n. 117. Quælibet imago potest considerari tripliciter. ibid. n. 123. & 155. Cur S. Thomas duplicem tantum imaginis considerationem statuat. *D.* 5. quæst. 2. num. 125. Iuxta varias imaginum considerationes quatuor distinguuntur modi eadem colendi vel de iure, vel de facto. ibid. num. 126. Eodem referuntur illi ipsi modi quos Bellarm. recenset. ibid. n. 129. Recte asseritur contra Catholicorum quorundam opinionem imagines, ac reliquias Sanctorum aliasque res sacras proprijssime, respectiue licet, adorari ac coli. ibid. num. 132. & seq. Tam externa signa, quam affectus interni adorationis ad imagines & reliquias SS. proprie deriuari possunt vel vt ad obiectū materiale totale, vel vt ad partem materialis obiecti. Disp. 5. quæst. 2. n. 143. & seq. Imago quatenus per se colitur absque suo connotato, non colitur eodem cultu cum prototypo, nisi ratione habitus. ibid. 156. Imagines, aliæque res sacræ quatenus ipso actu sunt signa, eodem numero cultu adorationis simul cum exemplari afficiuntur. ibid. 157.

Dupliciter imago simul vna cum prototypo potest honorari. ibid. num. 158. & seq. Etsi eodem cultu & exemplar & imago colantur, differunt tamen quod illud se habeat per modum obiecti formalis Quod principale, hoc tantum per accidens. ibidem num. 169. Imagines non coluntur proprie cultu latriæ, dicuntur tamen ex latria coli, seu adoratione latriæ. Disp. 5. quæst. 2. num. 172. Certa est doctrina Crucem Christi, & alias Sanctorum reliquias per se ac formaliter, absque suo exemplari directe posse coliet adorari. ibid. num. 175. & seq. Reliquiæ aliæque res sacræ, etsi non habeant sanctitatem physicam, habent tamen moralem ratione habitudinis suæ, quam habent ad prototypa. ibid. num. 199.

Imagines quoque formaliter & per se coli possunt non adorato directe prototypo. ibid numer. 202. & seq. Colitur ergo vel imago per se, ita vt exemplar sit tantum ratio colendi, vel per se formaliter colitur prototypum, & imago repræsentatiua tantum per accidens, vel vtrumque simul vno eodemque actu. ibid. n. 207. & seq.

Honor quo imagines aliæque res sacræ coluntur, semper est minor ipsius exemplaris honore, num. 209. Imago rationem suam formalem seu excellentiam exemplaris extrinsece, prototypum vero intrinsece participat. num. 210.

S. Thomas vocabulo hyperduliæ & duliæ sæpe omnem cultum extra veram latriam subintelligit. ibidem. In concilijs aperte nihil definitum fuit, vnone, an pluribus modis colendæ sint imagines, quod modus ad fidem non spectaret. num. 212. Quo sensu S. Basilius intellexerit, vnam esse tantum glorificationem imaginis. num. 196. Etiam irrationalis creatura capax est tam exterioris cultus, quam interioris submissionis. numero 214. Cultus imaginum non est idololatricus, neque interim etiam est latriæ perfectæ. num. 215. Species Eucharisticæ aliaque signa sacramentalia, item verba scripturæ sacræ eodem coluntur cultu quo imagines. non item conceptus seu verbum mentis Christum, aliasque res sacras repræsentans. n. 216. Cæteræ creaturæ nihil in se sacri continentes non possunt religioso aliquo cultu affici. num. 217.

Immobilia.

Immobilium possessio quomodo amittatur. *D.* 4 quæst. 1. num. 31.

Immobilium bonorum Ecclesiæ dominium ad Deum spectat propriè, administratio ad prælatos. ib. & *D.* 4 q. 6. n. 211.

Eorum præscriptio quantum temporis requirat. num. 90.

Immobilium nomine quæ intelligantur. numero 91.

Immobilia bona priuatorum quanto tempore præscribantur. ib. n. 88.

In rebus immobilibus non possunt contrahere pupilli & minores. *D.* 4. q. 6. n. 310.

Immobilia bona minorum & pupillorum quomodo à Tutorib. & curatoribus administranda. *D.* 4 q. 8. n. 282.

Imperator.

Imperatores tanto magis minusue felices fuêre, quanto magis minusue Catholici. Disp. 1. quæst. 2. num. 99. Qua potestate vel auctoritate Imperatores in concilijs quandoque conuocandis & celebrandis vsi fuerint. Disp. 1. quæst. 4. à n. 26. Imperator dans feudum nobile non propterea nobilitat vasallum, nisi animum nobilitandi habeat. Disp. 4. quæst. 7. num. 174.

Impœnitentia.

Impœnitemtia finalis est deliberatum propositum nunquam pœnitendi, remitti potest sed difficulter. Disp. 1. quæst. 8. num. 149.

Improperium.

Improperium est, quo defectus minorationis siue indigentiæ obijcitur. D. 4. q. 8. n. 133.

Imprudentia.

Imprudentia vitium Prudentiæ oppositum, quando sit speciale peccatum. D. 3. q. 1. n. 62. Quomodo omnis peccator sit imprudens. n. 63.

Impudicitia,

Impudicitia nõ est diuersa species luxuriæ. Disp. 3. quæst. 3. num. 145. Vide V. *Luxuria.*

Inaduertentia.

Inaduertentia & indeliberatio duplex, extrinseca & intrinseca, insuspcione & iudicio temerario excusat à mortali. Disp. 4. quæst. 3. num. 40. 41. Etiam in culpa latissima. Disp. 4. quæst. 6. num. 34. Damnum ex inaduertentia factum à quo luendum sit speculatiuè. num. 40. seqq.

Indeliberatio,

Indeliberatio in omni genere peccati excusare potest à mortali. Disp. 1. quæst. 8. num. 24.

Indicium.

Indicia leuia dubitationis, suspicionis, & iudicij temerarij quæ censeantur. Disp. 4. quæst. 3. n. 20. Indicia grauiora requiruntur ad assensum firmiorem. ibid. & seqq. Indicia requisita ad suspicionem. num. 25. Indicia si sunt dubia in vtramque partem, tamen benè de proximo sentiendum. num. 53. Ex indicijs leuibus nulla concipienda priuatim dubitatio. num. 68. Si indicia accedant ad denunciationem, interrogari potest reus & alij. num. 73. Si indicia sint expressa, potest reus interrogari. num. 83. De indicijs in criminibus exceptis & denunciationibus complicum plura. Disp. 4 quæst. 5. à n. 20. Indicia dubia non possunt rem facere indubitatam. num. 25. 29.

Indignatio, Vide *Nemesis.*

Indiuidua.

Indiuidua eiusdem speciei secundum rationem indiuiduam possunt esse perfectiora ex probabili Disp. 2. quæst. 2. num. 120.

Infamia.

Quid sit & quomodo requiratur ad inquisitionem specialem criminis non excepti. Disput. 4. quæstione 4. numero 76. An debeat ea probari per iuratos. num. 77. Quomodo liceat absque præcedente infamia procedere. num. 80. 82. 83. In criminibus exceptis non requiritur. Disput. 4. q. 5. n. 3. Infamia non creanda innocentib. 8. 10. Infamiam contra sit vsurarius. D. 4. q. 8. n. 133.

Infamator.

Infamator restituet, nisi fama ab alio sit restituta, Disp. 4. quæst. 6. num. 140. Infamator mentitus falsum fateatur etiam cum iuramento si opus fuerit, nisi auctoritas impediat. num. 141. Infamator verum iniustè dicendo laude & honore &c. compenset. n. 143. Quando apud suos tantum auditores debeat restituere. num. 146. & apud alios. ibid. num. 147. Quando hoc facere debet cum vitæ periculo. num. 148. Solus is, non hæredes, restituet. num. 152. Infamatorem audiens & iuuans, peccat mortaliter, & tenetur restituere, num. 153. Infamatores duo quid sibi inuicem debeant, aut possint. num. 115.

Infantes.

Infantes hæreticorum baptizati pertinent ad Ecclesiam catholicam. Disp. 1, quæst. 3. num. 146. Infantis nõ baptizati quanta habenda cura. Disp. 4. quæst. 8. dub. 4. num. 57. seqq.

Infidelis.

Infideles post prudentem veræ fidei inquisitionem, adhuc dubij ad Dei opem per preces recurrere debent. Disp. 1. quæst. 8. num. 12. Infideles habent auxilia gratiæ sufficientia, quibus legem naturæ aliquo modo implere, & peccata vitare possint. ib. num. 60. Infideles per actus moraliter bonos acquirere possunt habitus virtutum moralium num. 62. Infideles vt plurimum malè moraliter operantur. ibid. & num. 76. quo sensu intelligendi sunt SS. Patres cum dicunt omnia infidelium opera esse peccata. num. 77. & Concil. Arausicanũ. num. 78. Infideles qui fidem Christianam nunquam susceperunt, nullo modo sunt compellendi ad fidem, etsi principibus Christianis temporaliter subiecti sint. Disp. 1. quæst. 9. num. 1. Etsi infideles Iudæi titulo infidelitatis præcisè expelli non possint ad cauendam perturbationem & contumeliam fidei. num. 9. Infideles coerceri possunt, ne fidei prædicationem impediant. Disp. 1. quæst. 9. n. 11. Probabilius est, non licere cogere infideles subditos ad audiendam prædicationem Euangelij. num. 10. Infideles qui actuali Baptismi susceptione veram fidem professi sunt, vt sunt hæretici & apostatæ mortis etiam pœna plecti & reuocari possunt iure communi. num. 13. & seqq. Infidelis qui Sacramentorum vera vel ficta, spontanea tamen susceptione, veram fidem professus est, eodem iure cogi ad fidem poterit. Disp. 1. quæst. 9. n. 22. & seqq. Infidelium hæreticorum & Iudæorum superstitiosi ritus tolerari possunt ab Ecclesia, ob maius malum auertendum, vel asserendum maius bonum. ibid. n. 31. 32. Ecclesia nõ potest vi compellere infideles ad seruandam etiam legem naturæ, nisi infideles illi in Ecclesiam aut alios innocentes iniurioſi sint. ib. n. 37. Infideles, non debent de nouo fidelibus cum potestate præfici. n. 42. Sed antea habitum dominium in subditos non eo ipso amittunt, quod isti ad veram fidem conuertuntur. D. 1. q. 9. n 44. Ecclesia nihilominus potestatem habet in actu primo eorum infidelium potestate eximendi fideles. n. 47. etsi eam non exerceat nisi in infideles Christianis Principibus subiectos. ibid. num. 50. An secluſa iniuria & fidei periculo, fideles infidelium dominio iure eximi possint. num. 53. & 54

Communicatio cum infidelibus, qui veram fidem nunquam susceperunt, nec diuino, nec naturali, nec Ecclesiastico iure inhibetur secluso speciali delicto. D. 1. q. 9. num. 134. In certis casibus videlicet in pœnam delicti infidelium ob vitandam fidei contumeliam vel peruersionis periculum, ab Ecclesia merito prohibetur communicatio cum infidelibus. ibidem. num. 135. 136. Circa casus habenda ratio praxis & consuetudinis & sensus fidelium. num. 137. Dare aut vendere infidelibus res per se ad superstitionem ordinatas non licet. ibidem num. 141. Licet tamen in necessitate illis vendere ea, quibus ad superstitionem abusuri sciuntur. D. 1. quæst. 9. numero 143. 144. 145. 146. Disputare publice & priuatim de rebus fidei cum infidelibus, & licet & quandoque necessarium est, ad audientium ædificationem. D. 1, q. 9. d. 5.

Infidelitas.

Repugnat Deo. D. 1. q. 1. n. 154. Opponitur interno actui Fidei. D. 1. q. 8. n. 1. Infidelitatis nomine intelligitur carentia actus & habitus fidei in subiecto apto & quæuis positiua repugnantia mentis cum assensu fidei, cuiusmodi est non tantum dissensus fidei, vel assensus oppositi, sed etiam dubitatio & voluntas non credendi, vel credendi oppositum rebus fidei. D. 1. q. 8. n. 3. Infidelitas directe vel indirecte voluntaria est peccatum. D. 1. q. 8. à n. 4. vsque ad 10. Ab infidelitatis peccato excusantur, quibus sufficienter proposita non est fides, quique post diligentem veritatis inquisitionem motiua ad prudenter credendum sufficientia non deprehenderunt. num. 18. Diligentis inquisitionis modus non idem in omnibus infidelibus. n. 11. Infidelitatis peccatum quod est dissentire rebus fidei sufficienter propositis, est in intellectu tanquam in subiecto proprio & immediato, in voluntate vero tanquam principio vniuersali omnis peccati. n. 20. Sicut etiam peccatum dubitantis in fide. num. 21. sed eius qui nollet credere v. g. Deum esse nisi de eo haberet demonstrationem, peccatum est simpliciter in voluntate. num. 23. Infidelitas grauius peccatum est ijs, quæ committuntur contra virtutes morales, & Desperatione. ibid. num. 25. 27. Infidelitatis peccatum ratione ignorantiæ si tamen affectata non sit, excusat reliqua peccata. num. 28. & 29. Species infidelitatis non distinguuntur ex diuersitate errorum pugnantium cum fide. n. 30. Tres sunt species infidelitatis, Paganismus, Iudaismus, hæresis. n. 31. Amissa per peccatum infidelitatis fide, spes quoq; & charitas cũ omnibus habitibus infusis amittuntur. D. 2. q. 1. n. 62.

Iniuria.

Iniurię compensatio est proprie satisfactio D. 4. q. 6. n. 3. Iniuriæ compensatio fit per reconciliationem & culpæ remissionem. ibid. num. 4. Ob iniuriam factam satisfactio non proprie restitutio datur. n. 5. Omnis qui per propriam & formalem iniuriam proximo nocumentũ facit, tenetur ad restitutionem. n. 28. & ad omnia damna præstanda n. 38. Iniuriam non facit vtens iure suo. ibidem, Per se iniuriam non facit, qui sine fraude ac vi, alium à consecutione boni impedit, ad quod nullum ius habebat. num. 64. Quomodo iniuriam faciat religioni abstrahens vi ac fraude religiosum. 93. seqq. Per iniuriam lædens alium in corpore, tenetur ad restitutionem. n. 100 seqq. Iniuria violatæ virginis. 131. seqq. Iniuria violati honoris & famæ. num. 140. seqq. Pro iniuria honoris per se nihil restituendum ante sententiam. n. 160.

Iniustum.

Iniustum legale tunc est, si leges vna cum nocumento reipublicæ violantur. D. 4. q. 8. n. 4. Iniustum facit & iniustus dicitur, qui ex electione & habitu voluntatis facit, non qui ignoranter & materialiter facit. num. 5. 6. Materiale iniustum est per se ipsa rei inæqualitas ibidem. Iniuste pati neque est vndequaque voluntarium. n. 6. 7. Vide *Iustitia.*

Innocens.

In statu Innocentiæ non fuisset dominium proprietatis, sed tantum iurisdictionis. D. 4. quæst. 1. num. 69. Innocentis ab accusatione, carcere & morte liberandi media. D. 4. q. 4. num. 48. Vide *Iudex.* Innocens damnatus vel damnandus ex carcere tenetur fugere si potest. num. 101. Innocens si effringat, ad nullum damnum tenetur. num. 102. Innocens vi se potest contra ministrũ Iustitiæ defendere. num. 105. Innocentibus non creandum periculum in processu sagarum. D. 4. q. 5. n. 7. 8. Innocentes sæpe DEI permissu tam legitimè quam illegitimè damnari posse. num. 13. seq. & num. 85. seqq. Qua ratione iuuandus innocens tum à Confessario num. 95. tum à iudice ex Carolina Constitutione num. 98. Innocentem denuntiatum reus per retractationem liberare compellendus. num. 103. seq. Innocentem iniuste oppressum si cupiat quisque potest ab iniusta vi liberare. D. 4. q. 8. n. 37. Innocentem directe occidere non licet, nisi DEO iubente. 53. Innocens potest & debet pro salute reipub. tyranno petenti eã vastaturo se tradere. n. 54. Nolens potest cogi & inuitus tyranno dari, vel vt contumax & nocens à Reipubl. puniri. n. 55. Vt te ab iniusto inuasore liberes vel eum conficias, non potes directa occisione tendere in innocentem. 56. Per accidens potest iñocens occidi si non separatim, nec directa actione occidatur, & ex probabili videtur posse separatim innocens occidi; si aliter hostem effugere nequeas &c. num. 57. & in bello quomodo per accidens occidantur innocentes. D. 2. q. 6. n. 67. & in seruitutem redigantur. num. 68. & spolientur seqq. Pro innocentis etiam alterius vita, fortuna, honore, eastitate licite interficitur inuasor iniustus D. 4. q. 8. n. 80. *V. bellum.*

Inquisitio Iuridica.

Inquisitiõ iuridica quadruplex, generalis & specialis simpliciter; specialis qua crimen, generalis qua personam, specialis qua personam. & generalis qua crimẽ, D. 4. q. 4. n. 71. Vide *Iuridica inquisitio.*

Intellectus.

Adhæsio intellectus quantumuis firma absque respectu ad obiectum proportionatum, non est dicenda certitudo, sed pertinacia seu vana credulitas. D. 1. q. 6. n. 59. Donum intellectus respondet Fidei Diuinæ. D. 1. q. 6. n. 93. 94.

Dono intellectus opponitur cæcitas & hebetudo mentis voluntaria, quarum illa est voluntaria inconsiderantia rerum spiritualium à peccato auocantium, & ex luxuria potissimum oritur; hæc est stupiditas mentis in penetrandis rebus spiritualibus, & ex gula nascitur. D. 1. q. 8. n. 2.

Intellectus positiuo actu debet reijcere dubium exortum de bonitate proximi. D. 4. q. 3. num. 66. Vid. *Iudicium, Suspicio.*

Interdictus.

Interdictus sciens aut scire debens impedimentum an inualide promouetur ad beneficium. D. 4. q. 6. n. 172.

Intimiditas.

Intimiditas fortitudini opposita quale & quantum sit peccatum. D. 3. q. 2. n. 44.

Insensibilitas.

Insensibilitas temperantiæ opposita quale & quantum peccatum. D. 3 q. 3. n. 8.

Intrusio, Intrusus.

Intrusio est Pontifici reseruata. D. 4. q. 6. n. 167.

Intrusione laborans non potest officium beneficio additum exercere. ib. In dispensatione petenda sigillatim explicanda. n. 168.

Inuentio, Inuentor.

Inuentor quomodo acquirat dominium. D. 4. q. 1. n. 52. & seqq. Inuenta in loco publico, religioso, sacro, & per magiam qui diuidenda. ib. Casu inuenta & domino ignorato pauperibus danda. D. 4. q. 6. n. 85. Inuentum ex probabili potest retineri donec dominus prodeat ib.

Inuidia.

Inuidia Charitati opposita, quid sit, & vnde oriatur, quasque filias habeat. D. 2. q. 6. n. 7.

Quomodo ab Inuidia distinguantur Zelus siue æmulatio, Nemesis siue indignatio, & tristitia de bono alieno nobis noxio. ib. n. 8.

Ioannes Gerson.

Eius sententiæ discussæ: in beatis esse fidem. D. 1. q. 6. n. 69. Non posse dari hoc tempore ignorantiam inuincibilem rerum fidei. D. 1. q. 8. n. 13.

Ira & iracundia.

Iracundia mansuetudini opposita quantũ peccatum. D. 3. q. 3. n. 166 Non est omnis, ira vitiosa. n. 177. Species iræ seu modi diuersi iracundiæ. n. 169. Alia distinctio iræ à Christo designata. n. 170. Ira vitium capitale, eiusque filiæ. n. 172. Vitium iracundiæ per defectum oppositum. n. 174.

Vide *Crudelitas.*

Ironia.

Qua ratione, & qualis sit species mendacij. D. 6. q. 2. n. 21.

Irregularitas.

Irregularitatem à solo Pontifice dispensabilem incurrunt hæretici notorij, eorum filij & nepotes, vbi hæresis coniuncta est cum infamia. D. 1. q. 8. n. 111. 114. Qui bello irregulares fiãt. D. 2. q. 6. n. 85.

Quodnam sit hac in re discrimen inter bellum iustum & iniustum. ib.

Sciens aut scire debens an inualidè ad beneficiũ promouetur D. 4. q. 6. n 172. seqq.

Irregularis non fit, qui pro sui, proximi, rerum suarum & proximi defensione, cum moderamine &c. licite occidit inuasorem iniustum. D. 4. q. 8. num. 87. Inforo externo irregularis censetur, qui opus ob periculum homicidij prohibitum faciendo occidit. num 92. Nullus censetur irregularis, si multi lapides iaciendo occidant, dum de nullo constat. ibid. Irregularis est, qui sibi partem digiti vel membri abscindit. num. 79. Fit etiam irrregularis cui priores digiti vnius manus amputarentur, non cui vnus digitus amputaretur. numero. 98. Irregularitas & Excommunicatio Sixti V. contra procurrantes illicite abortum etiam non animati fœtus est reuocata ad terminos iuris communis. num. 93. In irregularitate ex casuali homicidio & facto in sui defensione imoderata dispensat Episcopus, in volito & iniusto solus Papa. n. 94. Irregularitas ex mutilatione eadẽ, quæ ex homicidio; nisi quod non sit reseruata. num. 96. Irregularitas non contrahitur nisi ob culpam ab ijs qui non sunt publicæ iustitiæ ministri. D. 4. q. 8. num. 88.

Irregularitas non contrahitur ob homicidium prorsus casuale & inuoluntarium, quod ratione homicidij culpa caret. & ex tali opere etiam illicito accidit, quod ob periculum homicidij non est probibitum. n. 89 90.

Irregularitas quoque non incurritur ob venialem negligentiam in homicidio casuali. n. 91.

Iubens Iussio.

Iussione iniuste cooperans, ob quam res aliena accepta, tenetur ad restitutionem, nisi ante factum reuocauit suam iussionem. D. 4. q. 5. n. 92. in defectu aliorum in solidum n. 396.

Iudæi.

Iudæorum Rabbinorum infanda deliria. D. 1. q. 2. n. 75. Motiua fidei contra Iudeos. Ibid.

Iudex fidei.

Contrauersiarum fidei iudex est Ecclesia. Disp. 1. q. 3. d. 1. n. 37. Quis generatim Iudex dicatur. ibid. q. 3. dub. 1. n. Iudex conotruersiarum necessarius est in Ecclesia. n. 4. Eius conditiones. n. 5. Christus supremus Ecclesiæ Iudex. n. 6. Iudex ordinarius controuersiarum fidei non est priuata inspiratio, nec Deus quatenus illas immittit. ibid. n. 12. 13. 14. Neque scriptura, vel Deus per scripturam loquens. ibid. à n. 15. Esse absque iudice & capite, signum est, non esse veram Ecclesiam. n. 34.

Iudex forensis.

Eius officium inter Christianos licitum probatur. D. 4. q. 4. n. 1. 2. Eius conditiones n. 3. & 6. Eius sententia quando inualida & nulla à num. 4. Iudex etiam supremus tenetur ad iuris ordinem seruandum. n. 10. 36. Iudici tyranno quando obtemperandum. num. 13. & 14. Iudex seu ciuilis seu Ecclesiastic⁹ in pec. mort. valide ꝓfert sententiã n. 15. Et per se nec mortaliter nec venialiter peccat in peccato iudicans. n. 16. & 17.

Potest tamen peccare etiam mortaliter in scandaloso peccato iudicans. n. 19.

Iudex excommunicatus, denunciatus, & notorius percussor Clerici inualide iudicat, & peccat mortaliter n. 20. Si alio migret, peccat quidem, sed valide iudicat. 21.

Contra iudicem excommunicatum datur exceptio 23. Iudex secularis non potest ius dicere in Ecclesia; neque Clericis nisi in trib. casibus. num. 28. 29. Iudex in propria causa esse non potest habens superiorem. 34.

Vide *Clericus & Ecclesiasticus.*

Potest Iudex supremus ex causa in lege dispensare, sine damno alterius num. 38. Iudex quinque casib. potest recedere à litera legis scriptæ à num. 39. Iudex num teneatur secundum allegata & probata iudicare à n. 42. Ex scientia priuata non potest damnare, qui probatus est innocens. n. 47. Quib. medijs possit eripere innocentem qui probatus est nocens à n. 48. Iudex nec ad absoluendum vti debet scientia priuata, sed publica etiam ad damnandum innocentem. n. 51. Vtrum in damnando innocente detrectare officium iudicis debeat cum periculo vitæ, & muneris perdendi. num. 50. 53. Iudex in iudicando triplici via procedit, accusationis, denunciationis iuridicæ & inquisitionis n. 71. Quando reum aut testes legitime possit interrogare. n. 72. 83. Iudicis officium sufficit ad generalem inquisitionem in crimine notorio. n. 74. An debeat significare iudex interrogatis, quod non teneantur occultum malefactorem pandere; n. 75. In speciali inquisitione criminis non excepti, quomodo se gerat. n. 76. & in notorio iuris, criminibus exceptis, homicidio, submersione vectorum. num. 78. 79. Iudices non semper damnandi si non iuxta solennitates iuris procedant. n. 80. seqq. Iudex non potest procedere ad specialē inquisitionē ob delationem sibi vt priuato factam. n. 82. Iudex solus sciens crimē potest solum generalē inquisitionē habere; si alij viderint, iuridicē eos citare potest. n. 84. Reo det locum se defendendi etiam in crimine notorio, & excepto. n. 85. De complice non licet interrogare nisi in crimine excepto, & graui damno tertij. n. 86. Quando de iteratis criminibus. n. 87. Eius peccata reliqua omissionis & commissionis. n. 89. seq. vt iudicans sine potestate, protrahens causas, non prouidens captiuis, remittens pœnas, aut non procedens contra reos. n. 89. seq. Cōmissionis peccata in ferendo sententiam iniustam. n. 91. In sententijs dijudicandis & sequendis quid faciat ib. & n. 92. & num. 128. Potest in parib. causis diuersam sententiam probabilem sequi, si id sine scandalo fiat. ibid. Peccat si punit ex illegitima confessione aut testimonio. n. 93. aut non procedens legitima forma iuris, aut die festo. n. 93. 94.

Facilior sit ad absoluendum quam damnandum. n. 119. Testes iudicet à numero, dignitate, concordia, constantia, dictorum. ibid. num. 120. 121.

Pauperi in necessitate aduocatū assignet. n. 125. idem minorib. debet dare tutores vel curatores. D. 4. q. 7. n. 272. aliquando etiam maiorib. furiosis, prodigis. num. 274. Ipse vero excusatur à tutela & curatela. num. 276. Ipsius decreto quomodo minorum bona alienari possint. à numero 282.

De officio iudicis in criminibus exceptis.

In criminibus exceptis non tenetur Iudex communi iudiciorum ordine. D. 4. quæst. 5. num. 2. 5. tenetur tamen ordine, qui naturali æquitati, & singularibus statutis conueniat. num. 6. itemque vt sequatur interpretationem securiorem. n. 28.

Num admittere possit denunciationes plurimū infamium ad inquirendum & torquendum. n. 33.

Ipsius est iudicare quomodo elidantur aliorum infamium denuntiationes contra honestæ personę bonam famam. n. 34. 50. & seqq.

In processu sagarum quantum iudicis arbitrio permittendum. ibid. num. 62. & seqq. adeo vt eius arbitrio paucissima sint permittenda. n. 74. & 83. Incommoda inde sequentia ex imperitia, inscitia, & nimio vindictæ Zelo, à num. 74.

Scandala ex tam diuersis processibus. n. 74.

Circa informationem extraiudicialem de innocentia damnati quid iudex faciat post latam sententiam. num. 95. seq. & ex Carolina constitutione melius explicata. n. 98.

Peccat mortaliter negans reo nondum damnato & in carcere mortuo Ecclesiasticam sepulturam. n. 100. Potest tamen causam contra mortuū prosequi, damnare, exhumare, ossa comburere. num. 111. Quales iudices contra sagas & earum seminaria eradicanda constituendi. num. 126. Eis Theologus attribuendus. 127.

Syndicos habeant, & denuntiatores omnium indiciorum. n. 129.

De Iudicis obligatione circa restitutionem & munera &c.

Iudex de damno præter intentionem dato tenetur, si ex lata eius culpa accidit. D. 4. q. 6. n. 56. Nec in culpa dubia damni præter intentionem dati contra reum pronunciet. n. 62.

Negligens in ferenda sententia contra reum tenetur ad damnum partis, & fisci, ex probabili. n. 80. Ob parua furta etiam frequentata ne puniat capite egenos, vbi adhuc de mortali est dubium. ib. 274. Iudex cum mortali accipit, & sub mortali tenetur restituere quod ob rem ex iustitia iudicandam accipit. à num. 288. Habenti ius probabilius causam adiudicet; in pari cogat ad transactionem; n. 290. Gratis datum, & receptum non tenetur ante sententiam restituere. num. 294. Titulo etiam amicitiæ, nobilitatis &c. datum non tenetur repellere. n. 295. Iudici delegato accipienti aliqua iniuste non potest condonari à dante restitutio. ib. 438. Vsurarijs adiudicans vsuras tenetur restituere, & est excommunicatus. D. 4. q. 7. num. 101. Iudex & testes innocenti machinantes in iudicio mortem, in foro conscientiæ licitè ab innocente occiduntur ratione iniustæ aggressionis. D. 4. q. 8. n. 83.

Iudicis sententia.

Quæ iusta & valida, & contra inualida & iniusta. D. 4 q. 4. n. 4. 5. in foro externo & interno. n. 7. 8. Sententia continens intolerabilem errorē quæ. ib. n. 8. Quando sententiæ etiam inualidæ & iniustæ obtemperandum in foro conscientiæ. n. 9. Sententia lata contra accidentalem tantum iuris ordinem valet. n. 10. In sententia rei iudicatæ iniusta quando restituendum. n. 11. Quomodo sententia lata contra iuris ordinem non sit nulla. ib. Sententia Pastoris siue iusta siue iniusta quare timenda. n. 12. Sententiæ tyranni quatenus obtemperandum & non. n. 13. Sententia excommunicati vtrum valeat. n. 70.

& seqq. sententiam minus probabilem sequens iudex peccat. n. 91. Ob iniustam vel dubiam sententiam ter licet reo appellare. n. 100. Sententia fundata in confessione extorta per torturam non sufficientibus præuijs indicijs etiam accedente ratificatione est nulla. D. 4. q. 5. n. 19. Contractus per sententiam iudicis irritatus est nullus. D. 4. q. 6 n. 363. Iudicis sententia liberat à restitutione ib. n. 440. Sententia inualida in collatione beneficiorũ vide Beneficium.

Iudicium publicum.

Iudicium dispositiue est actus iustitiæ, & elicitiue est actus prudentiæ. D. 4. quæst. 3. num. 1. 4. 5. Eius primaria significatio est, quod sit determinatio iusti. num. 2. Quod cum à iudice fit publica autoritate per antonomasiam tale dicitur. n. 3 & spectat tum ad Ethicam, tum ad prudentiam gubernatiuam, tum ad iustitiam. num. 5. Iudicium Christianis esse licitum probatur contra Anabaptistas & Waldenses. D. 4. q. 4. n. 1. Ad id quatuor requiruntur conditiones num. 3. Est validum etiam in defectu sinceri affectus & intentionis. n. 4. 5. Inualidum est in defectu legitimæ autoritatis, & iustitiæ rei iudicatæ. ibid. & ob interuersum substantialem iuris ordinem. num. 4. & 6. & ob iudicis denuntiati excommunicationem. n. 20. Validum est iudicium seu ciuile seu Ecclesiasticum in peccato mortali latum. n. 15. Iudicium regulariter secundum leges scriptas ferendum. n. 36. & secundum probabiliorem sententiam. n. 128. Iudicio capitali non adsit presbyter. D. 4. q. 5. n. 128. Quando in genere veneficij sit inualidum iudicium ibid. q. 5. num. 6. In iudicijs quomodo sit acceptio personarum. D. 4. q. 8. n. 25.

Iudicium priuatum, & præsertim temerarium.

Iudicium ad intellectum pertinet. D. 2. q. 4. n. 40. 41. eius rectitudo duplex. n. 41. Iudicium de singulis rebus ex diuinis regulis ferre &c. est donum sapientiæ. D. 2. q. 4. n. 41. 42. 48. 49. Duplici modo iudicium dicitur quatenus à priuato fit. D. 4 q. 3. n. 3. seqq. Iudiciũ de particulari facto videtur per Eustochiam elici ibid. n. 6. Vt tamen alteri per bonam existimationem reddit quod debet, est actus iustitiæ. ibidem. 6. Iudicium de improbitate alterius etiam verum non est actus iustitiæ. n. 7. nisi ex officio eliciatur. ibid. Iudicium temerarium quid sit, & quam illicitum. D. 4. q. 3. n. 8. 15. Qualem iniuriam faciat. n. 9. Causæ ex quibus oritur temerarium hoc iudicium. n. 11. Gradus quibus crescit eius malitia vsque ad mortale. n. 13. 31. Iudicium interius quomodo se habeat ad exterius. n. 14. 16. & quomodo perfectam iniuriam contineat. n. 16. Tria requiruntur vt sit mortale. n. 17. Iudicium temerarium potest esse mortale in materia veniali, & veniale in materia mortali. 18. 19. Eius materia grauis censetur cũ notabiliter, & iniurioſe proximi existimatio læditur. n. 18. 19. Indicia leuia ad iudicandum temere quæ censeantur. num. 20. ad iudicandum grauiora requiruntur quam ad suspicandum. ibidem. & ad iudicium firmum requiruntur indicia moralem certitudinem facientia n. 22. seqq.

In iudicio priuato & suspicione quæ certitudo haberi possit, saltem ex parte subiecti. num. 32. In tali iudicio duplex inaduertentia n. 40 Primaria & intrinseca inaduertentia est quæ excuset à mortali, cum quis non aduertit se ex insufficientibus indicijs iudicare. ibid. Iudicium temerariũ vt sic non est directe voluntarium, nec habet explicitam cognitionem temeritatis. ibidem. Iudicium de improbitate proximi factum ex sufficientibus indicijs est tamen veniale, si excuset honestus finis, aut vtilitas, aut necessitas. n. 49. In iudicio priuato de probitate proximi seu noti seu ignoti dubia in meliorem partem sunt interpretanda. n. 51. 57. 60. & seqq. In eo iudicio etiam speculatiue falso, tamen sibi & proximo homo prodest. n. 53. Cautelæ tamen gratia licet supponere deterius n. 57. 64.

Iuridica denunciatio & denunciator.

Denunciatio vna cum accusatione & inquisitione est via ad processum iuris. D. 4. q. 4. n. 71. Denuntianti non incumbit probatio ibid. Ex denuntiatione tantum generalis potest institui inquisitio. n. 74. Cuilibet licet denunciare. n. 98. Denuntiationes fagarũ complicum non sufficiunt ad damnandã aliam denuntiatam, & non confessam. D. 4. q. 5. n. 17. & 24. contraria sententia à n. 20. Denuntiationes etiam plurium fagarum non sufficiunt ad capiendas, torquendas vel damnandas personas bonæ famæ a n. 23. etiam complicum, maxime n. 31. Vna denunciatio non est legitimum indicium ad torturam num, 29.

Neque vnius denunciatio etiam per iuramentum & torturam firmata sufficit ad denunciatam torquendam numero 29. Denunciationes infamium personarum contra honestas quomodo euidanter. n. 29. 32 seqq. & 48. Quam periculosæ eæ denunciationes. n. 30. 39. 40. Post pœnitentiam quomodo disponendi rei ad denunciationem complicum. n. 57.

Iuridica inquisitio.

Est itidem via ad processum iuris. D. 4. q. 4. n. 71. Ea est quadruplex; generalis & specialis simpliciter, specialis qua crimen, generalis qua personam, specialis qua personam, & generalis qua crimen. ibid. Inquisitio generalis institui potest ex sola denuntiatione. n. 73. in crimine notorio sufficit ad generalem inquisitionem ipsum officium iudicis n. 74. In speciali inquisitione requiritur infamia. n. 76. Quomodo absque infamia æquiualentibus alijs indicijs possit procedi. n. 82. Inquisitio generalis sola fieri debet, si iudex solus crimen nouit. n. 84. In religiosorum inquisitione quid obseruandum. n. 88. In criminum exceptorum inquisitione non requiritur infamia. D. 4 q. 5. n. 3.

Iuridicus processus.

Triplici via instituitur. D. 4. q. 4. n 71. Quotuplex ad eum institui possit inquisitio. ibid. & seqq. vide supra Quando testes possint interrogari iuridice, ipseque reus præcedente infamia. n. 72. 76. 77. & sine infamia n. 82. 83. Quid liceat in criminibus exceptis, atque alijs. n. 79. Processus institutus præter iuris solennitates non semper damnandus. num. 80. seq. Qualis processus seruandus in crimine veneficij. D. 4. quæst. 5. num. 6. Quomodo is moderandus n. 11. 12.

Ad eum processum contra sagas instituendum sex generalia principia. D.4.q.5. dub.1.à n.2.3. In eo processu tam legitimo, quam illegitimo, fieri potest, vt Dei permissu innocentes damnentur. à n. 13.& 85.seq.Iuris processus legitimus & discretus est remedium sagas extirpandi. n.126.

Iurisdictio.

Iurisdictio non amittitur ob peccatum.D.4.q.4. n.15.16. Amittitur autem ob excomunicationē. n.20. Iurisdictio tribus modis acquiritur.n.24.ex officio ordinaria.2.ex commissione delegata.3.ex litigantium subiectione arbitraria. ibid.

Iuris ordo.

Substantialis est qui ad valorem sententiæ omnino est necessarius.D.4.q.4.n.4.& 5. & in quib.requiratur.ib.& seqq. Ordo iuris accidentalis,cum in quibusdam ceremonijs est defectus.Ib.n.10.

Iuramentum.

Quid sit & quotuplex.D.5.q.5.n.1. & seqq. Per se non est illicitum.n.6.7. Per accidens varie illicitum.n.8. Et quidem assertorium mortaliter.n.9. 10. Sine animo iurandi non consistit, sed bene sine animo obligandi,aut non exequendi.n.12.13. Iuramentum promissorium rei malæ non obligat, & quale sit peccatum.n.14.15.21. Vi extortum obligat.non fraude.n.17. An obliget hæredes.num.19. Quibus modis relaxetur.n.20.

Ius.

Quomodo à Theologo & in quem finem tractetur de iure.D.4.q.1.n.1 Eius duplex significatio & tractatio. num.2. Eius dicitur quasi *Iustum*.num.3. & 107. ab hoc primario significato,alia analogica octo deducuntur.n.3. Ius seu potestas & competentia ad rem est quid prius,quam rem esse iustam. n.4. Ius seu legitima potestas est denominatio motalis extrinseca.n.5. Iure suo vtens nulli facit iniuriam.D 4.q.8.n.57. ita prægnans mater potest sumere medicinam,si matris & fœtus non baptizandi par sit periculum ib.n.62. sic demoliens vicinas ædes ne suæ incendio pereant, non facit iniuriā &c. Ius bonæ existimationis omnes habent.D.4.quæst. 3.n.3. & 6.

Iuris diuisiones.

Ius acceptum pro legitima potestate diuiditur primo in ius in re, & ius ad rem.D.4. quæst.1.d.1. n.5. Ius hoc vtrumque quomodo acquiratur. ibid. n.6. Ius in re perfectum & imperfectum quibus competat.num.7.seqq. Ius in re habet ille à quo vsurarius aliquid accipit, & per commixtionem suum facit, quamdiu cumulus extat. D 4.q.47.n. 94. Ius ad rem æquialet iuri in re, obligans ad restitutionem,D.4.q.6.n.14.seqq.Æquialet etiam ipsi rei deductis expensis, & periculo.D.4.q.7. n. 46. Ius ad rem seu ad beneficium & officium non dat dignitas personæ, nisi alius accedat titulus. D. 4.q.6.n.20. seqq. Nec fiscus habet ius ad rem seu bona rei negantis crimen,nec in bona testis non testificantis, ante sententiam.ib.n.76. Ex probabili tamen ius ad rem seu bona iudicis & fiscalis non fungentis suo munere habet fiscus.n.80 seqq. Nec religio ad bona religiosi habet ius absque voluntate & transcriptione illius.n.99.

Ius ad alimentum habent occisi vxori & filij ab homicida alendi.n.119. Ius vt est obiectum iustitiæ, atque idem quod iustum stricte & late sumptum, aliud est morale, aliud legale.D.4. q.1. dub. 7.n.107. 2. diuiditur in ius seu iustum legale simpliciter, seu politicum,& in ius secundum quid. n.112. Ius simpliciter tres habet conditiones. ibid. Ius legale secundum quid conuenit iuri herili,paterno, oeconomico. num.113. itemque iuri inter Deum & hominem.n.115.ad idem spectat ius obseruantiæ inter magistrum & discipulum.num.116. 3. diuiditur ius simpliciter seu politicum in legitimum & æquum, seu commune & particulare.n. 119.& quid sint hæc iura,& quos obligent.ib. Ius particulare duplex æqualitatis arithmeticæ & geometricæ.n.120. Et certa quadam acceptione ius diuinum reuocatur ad ius naturale & positiuum. n.125. Ius gentium reuocatur ad ius positiuum seu legitimum.n.126. Diuidi etiam vniuersim potest ius in naturale & positiuum n.127.Ius positiuum iterum in diuinum & humanum.ibid.Ius humanū sumptum pro iusto,seu pro lege,diuidi potest in ius gentium ciuile, & canonicum.ib. n.127. Iuri naturali nulla derogari consuetudine, aut dispensatione humana potest.D 4.q.6.n.250. Ius naturale moderatæ defensionis non amittunt Clerici & Religiosi.D.4.q.8 num.76. Iure gentium introducta dominiorum diuisio.D.4.q.1.n.69.Iure canonico derogatur ciuili. D.4.q.7. n.75. Ius habitationis quid differat ab vsuarij, & vsufructuarij.D.4.q.1.n. 19. Quid ius seruitutis.n.20. Quanto tempore præscribatur ius patronatus, ius exigendi,aut non soluendi decimas, indicendi vectigalia &c. D.4.q. 1.n.94.seqq.

Iustitia in genere.

Tripliciter accipitur iustitia.D.4.q.2.num.1. Est peculiaris virtus hominem rectè ordinans ad alterū. ibid. Iustitiæ subiectum & actus primarius, n.3.& 7. Iustitia in genere continens debitum legale est duplex.n.6.Iustitia particularis, vna est commutatiua,alia distributiua.ibid. Inter quos possit esse Iustitia. ibid. n.7.& seqq. Inter Deum & hominem qualis iustitia.n.8.& seq. Inter Deum & Christum,& inter hunc erga seipsum.n.10. Inter virum & vxorem.n.11. Inter patrem & filium.n.12. Dominum & seruum.ibid. Iustitiæ virtutes annexæ siue potentiales partes, quæ à perfecta alteritate & æqualitate deficiunt.D.5.q.1.à n.3.

Iustitia Commutatiua, & vitia opposita.

Eius obiectum est ius simpliciter.D.4.q.1.num. 112.& 120. eius tres conditiones.n.112. Eam violat homo peccator erga Deum. D.4.q.2.n.8. Est species essentialis iustitiæ particularis.n.48. Vnde eius origo & nomen deducatur.ibid.& seq. Quomodo in ea seruetur medium rei & arithmetica æqualitas.n.53.& seqq. Quomodo in ea attendatur etiam ad conditionem personæ.n.56.Differt à Distributiua ratione materiæ propinquæ non remotæ.n.58. Non potest in ea ex contrapasso iustum constitui. num.66.& seqq. Qua ratione tamen æqualitas talis constituatur, vt contrapassum idem sit quod iustum.n.69. Eius solius actus est restitutio,D.4.q.6.n.2.& ex eius violatione oritur.n.11.

Eam violat cum obligatione restitutionis iniquus Principis distributor. D. 4. q. 3. n. 26. & seq. Quomodo eam violet impediens alium à consecutione boni. ibidem. num. 63. & seqq. Et negligentes officiales, item iudex, reus, testis, fiscalis, telonarius, ratione boni proximo ex iustitia procurandi num. 72. & seqq. Iustitiæ Commutatiuæ opposita est iniustitia & alia vitia, vt homicidium, mutilatio, verberatio, furtum, rapina, detractio, contumelia. D. 4. q. 8. dub. 1. n. 2. seqq.

Iustitia Distributiua, & vitia opposita.

Vnde constituatur. D. 4. quæst. 1. num. 120. 121. & quæst. 2. num. 48. Est species essentialis Iustitiæ particularis. D. 4. q. 2. num. 48. & seqq. Vnde nomem desumat, ibidem. Eius actus est distributio. n. 50. Est præcipue in Rectore Reipub. atque etiam in priuato. ibid. num. eod. Quale eius debitum. ibid. n. 51. In ea non tantum personarũ dignitas, sed etiam merita obseruanda. n. 52. Quomodo item medium, & Geometrica æqualitas. ibid. n. 53. 54. & seq. Secundum varia regimina aristocratiæ &c. varie distribuntur honores. ibid. n. 57. Quando ex eius violatione oriatur restitutionis obligatio. D. 4. q. 6. num. 15. In beneficiorum seu bonorum communium distributione in dignos prætermissis dignioribus non oritur obligatio restitutionis. num. 18. & seqq. Si indigni eligantur prætermissis dignioribus, restitutio facienda est communitati, quæ patitur damnum. n. 23. In distributione bonorum suorum quomodo Princeps peccare possit. num. 25. Distributor iniquus loco Principis cui restituat. num. 26. & seqq. Distributiuæ Iustitiæ oppositum vitium, acceptio personarum. D. 4. q. 8. n. 1. 2. & à num. 12. Collatio beneficij contra iustitiam distributiuam valet. *D.* 4. q. 4. n. 69.

Iustitia legalis.

Iustitia legalis est distincta & specialis virtus. D. 4. quæst. 2. num. 18. Causaliter dicitur vniuersalis Iustitia. ibid. num 19. Est proprie dicta iustitia, ibid. num. 20. & seqq. Est eiusdem speciei in Principe & subditis. num. 26. Neque essentialiter differt ab Epijkia. num. 28. Circa omnium virtutum moralium actus imperando versatur. D. 4. quæstione 2. num. 46. Quælibet virtus quatenus à iustitia legali ordinatur ad bonum commune dicitur legalis iustitia. ibid. Iustitia legalis violatur à reo, & in eum iudex & respublica tantum ius iustitiæ legalis habet, quæ non obligat ad restitutionem. num. 75. Ad iustitiam etiam legalem spectat certa ratione actus iustitiæ vindicatiuæ. num. 79. Ex eius violatione non oritur per se necessitas restitutionis. D. 4. quæstione 6. num. 12.

Eius vitia per omnem etiam materiam vagantur sicut ipsa non habet propriam materiam. D. 4. q. 8. num. 2.

Ei aduersatur sui occisio. D. 4. quæstione 8. num. 52.

Iustitia Oeconomica.

Est iustitia tantum secundum quid, inter virum & vxorem, patrem & filium, dominum & seruum. D. 4. quæst. 2. num. 60. seqq. An sit virtus specialis, & distincta species iustitiæ. ibidem num. 73.

Iustitia vindicatiua.

Quid sit. D. 4. quæst. 2. num. 73. & seq. Est pars potentialis Iustitiæ, non iustitia proprie dicta. num. 74. nec species distincta iustitiæ commutatiuæ. num. 80. Actus tamen iustitiæ vindicatiuæ ex officio debito à iudice exercitus spectat etiam ad iustitiam legalem. n. 79. 80.

Iustum.

Iustum non in omnibus est idem quod contrapassum. *D.* 4. q. 2. num. 66. seqq.

L.

Laici.

Laici præscribere possunt bona Ecclesiastica, non tamen res sacras. D. 4. quæst. 1. num. 75. Laici non possunt præscribere ius patronatus Ecclesiæ liberæ. num. 94. Laicus iudicans clericum excommunicatur. D. 4. quæstione 4. n. 28. Laico in tribus casibus iudicare licet clericum. n. 29. 30.

Laudemium.

Laudemium quod dicatur. D. 4. quæst. 7. n. 166. Laudemium quantum esse debeat. num. 170. Soluendum à nouo emphyteuta. numero 169. In eo soluendo quæ obseruanda. numero 171.

Legatum.

Legatum quid, & quomodo differat à testamento, codicillo & vniuersali cõmisso. D. 4. q. 7. num. 299. Legatum etiam nutu factum valet. ibidem num. 302. Legata pia in testamento profano, & legata profana in testamento ad pias causas sub duobus testibus valent. *D.* 4. quæst. 6. n. 370. Legatum potest repudiare Prælatus Ecclesiæ absque violata lege de non alienandis. D. 4. q. 7. num. 188.

Legitima.

Legitima quæ hæredibus necessario instituendis semper salua manet, quæ sit iure communi, D. 4. q. 7. n. 318.

Legitimus.

Legitimi tutores sunt, mater, auia, consanguinei, &c. D. 4. q. 7. num. 272. Legitimi descendentes necessario sunt instituendi hæredes. n. 311. Quantum cum ijs de bonis paternis participent illegitimi. ib. seqq.

Lex.

Leges pœnales non obligant ad executionem ante sententiam iudicis. D. 1. q. 8. n. 117. Ratione legis iustum diuiditur in ius naturale & positiuum. D. 4. quæst. 1. num. 113. seq. Leges scriptæ aut declarant ius naturale, aut nouum condunt. D. 4. quæst. 4. num. 36. A legibus scriptis quando liceat recedere. ibid. casus quinque referuntur. num. 39. Leges humanæ cum vitæ periculo obligare non censentur. n. 40. Leges contra damnificantes alterum præter intentionem videntur pœnales, nec obligare ante sententiam iudicis. D. 4. q. 6. num. 46.

Legum interpres optimus est sensus hominum & praxis num. 348.

Lessius.

Lessij opinio discussa de cambio Bissuntino. D. 4. q. 7. à n. 145. Itemque de modo colendi imagines. D. 5. q. 2. num. 142. & 173.

Libertas & liberum arbitrium.

Liberum arbitrium Lutherus modo negat, modo asserit. D. 1. q. 3. n. 118. Libertas arbitri credenda necessario in omni statu. D. 1. q. 7. numj 57. Libertas Religionũ. Vide V. *Religio* & V. *Fides.* Libertatis dominium habet homo. D. 4. q. 1. n. 47.

Lignatio. & Ligna.

Lignationem moderatam pauperum dissimulare possunt custodes syluarum qui alias tenentur ad damna compensanda. D. 4. quæst. 6. num. 84. 85. Item moderate sine damno notabili, & grauiter egentes ex aliena sylua lignantes ex probabili saltem à mortali & restitutione excusantur. num. 347. Alias ligna cædens in aliena seu priuati seu Communitatis alicuius sylua peccat vt fur & tenetur restituere. ibid. In communitatis suę sylua cædens tempore & mensura prohibita peccat venialiter, & post sententiam tenetur ad multam post sententiam num. 348.

Eadem ratio incolarum diuersarum communitatum habentium syluas. ibid.

Linguarum donum.

Gratia linguarum est facultas & peritia loquendi varijs diuersisque linguis. D. 1. q. 7. n. 140. Donum linguarum probabile est non fuisse distinctum à speciebus intelligibilibus vocum, earumque significationis, siue à Deo nouiter collatis, siue certo modo ordinatis. num. 156.

Locatio.

Locatio est contractus rerum traditione perfectus D. 4. q. 7. n. 2. Est vnus cum conductione contractus. ibid. num 157. Locans equum an possit duplex stipendium accipere, si pro reditu alteri locet n. 162. Locatio Ecclesiasticarum rerum ad longum tempus prohibita. 190. Locatio exspirat morte locantis. num. 192. Locatio iuris Bauarici dicta dominici fauoris habenda pro precaria num. 196.

Locatio & conductio mercenariorum & aliorum quomodo instituenda fuerit anno 1620. mutata moneta & pretio rerum, ne nimia inæqualitas esset. à num 249.

Locus.

Loci Theologici siue fidei Regulæ infallibiles enumerantur, D. 1. q. 5. n. 2. Ratione loci quomodo acquiratur iurisdictio in delinquentem. D. 4. q. 4. n. 26.

Lucrum.

Lucra cessantia ratione occisi quomodo æstimanda, vt æqualitas seruetur. D. 4. quæst. 6. num. 106. seq. Sunt ab homicida præstanda. num. 118. seq. 124. Itemque à fure & malæ fidei possessore. à num. 262. Lucrum ex ludo prohibito ante sententiam non est restituendum. n. 306. Ob lucrum cessans res carius vendi potest. D. 4. q. 7. n. 36. seq. Conditiones in hoc pacto lucri cessantis n. 37. 38. Hoc pactum non adeo suadendum. numero 341. Quomodo lucrum etiam retineri possit ex contractu vsurario bona fide inito. D. 4. quæst. 7. num. 99. seq. Quomodo lucrum haberi possit ex cambio. 151. seqq. Lucrum in contractu Societatis quomodo diuidendum. 203. De lucro contractus quinarij. à n. 218.

Ludus.

Ludo etiam prohibito sine vi ac fraude acquisita ante sententiam non sunt restituenda. D. 4. quæst. 6. num. 306. Perdita ludo repeti iudicio possunt, non furtiua compensatione. n. 306. 307. Ludens & oppignorata fide promittens solutionem, in conscientia tenetur. n. 308. nisi condonatio aut sententia iudicis liberet. ibid. Ludo acquisita à stultis, infantibus, religiosis, pupillis, minoribus restituenda. num. 309. Ludo honesto minutum quid exponere possunt religiosi, pupilli, minores ibid. Ex probabiliori possunt ludo perdere & lucrari alia etiam minores & pupilli absque suorum authoritate. num. 310. 311. Ludo lucrari non plus potest quam perdere saltem vno iactu. n. 312. Fraude & sine voluntate soluendi ludens, simulans imperitiam, peccat & tenetur ad restitutionem ibidem. n. 313

Lumen fidei, gloriæ.

Lumen fidei an sit obiectum fidei formale *quo* D. 1. quæst. 1. à n. 53. vsque ad 59. Lumen fidei tum actuale tum habituale, præter motiua externa ad fidei credibilitatem confert. Habituale intelligitur respectu fidelium. D. 1. q. 2. num. 60. 61. 62. Lumen fidei est causa efficiens immediata in quã assensus fidei vltimo resoluitur. D. 1. q. 5. n 170 Lumen gloriæ non est ratio credendi D. 1. quæst. 1. num. 42. Lumen gloriæ habet moralem quandam repugnantiam cum actu fidei. D. 1. q. 6. n. 70.

Luxuria.

Luxuria est speciale vitium & capitale castitati oppositum. D. 3. q. 3. n. 135. Filiæ luxuriæ. num. 137. Alij effectus luxuriæ. num. 141. Sex species luxuriæ. num. 142. His addenda est septima species sacrilegium species luxuriæ in confessione distincte explicandæ, & in quo singulæ consistant, præsertim loquendo de stupro & raptu. numero 46. seq.

M.

Magnanimitas.

Vno sensu pars integralis fortitudinis; alio sensu propria & specialis virtus. D. 3. q. 2. n. 51. & 53. 62. Magnanimitas proprie est circa magnos honores. n. 54. Datur tamen etiam specialis virtus circa mediocres honores, iuxta S. Thomam. num. 56. Contrarium tamen verius. num. 57. Dispositiones corporis in magnanimo ab Aristotele requisitæ. n. 58. Magnanimitas non pugnat cum humilitate. num. 59. Explicantur proprietates in speciem vitiosæ ab Aristotele magnanimitati tributæ. num. 60. Ad magnanimitatem spectat fiducia. num. 63. Ad magnanimitatem etiam conferunt bona fortunæ. num. 64.

Vitia quatuor magnanimitati opposita. numero 65.

Magnificentia.

Vno quodam sensu pars integralis fortitudinis; alio sensu virtus specialis. D.3.q.2.n.51.&77.& 80. Magnificentiæ materia sunt tum opera externa magnifica, tum sumptus ijs impendendi. n. 79. Magnificentiæ duo vitia opponuntur n.81.

Datur specialis virtus Magnificentiæ circa operationes, distincta ab ea quæ est circa passiones. num.81.

Maledictio.

Maledictio materialis & facta sub ratione boni non est peccatum per se: facta autem sub ratione mali est mortale, & grauior infamia. D.4.q.8.n. 155. A mortali excusat leuitas materiæ, & in aduertentia in subita ira, aut defectus consensus, sed non voluntaria consuetudo. Ibidem.

Creaturis irrationabilibus secundum se maledicere est otiosum, vt sunt Dei, blasphemia est; sicut brutis vt seruiunt homini, maledicere est ipsi homini imprecari. n.157. Maledicere v.g. diei vt est relatiuus ad bonum humanum, optando diem illum fuisse infaustum, vel non natum ipso illo die, est mortale per se, maledicere autem respectu ad mala humana, nec repugnare velle diuinæ ordinationi non est peccatum.ib.

Maledictio partim est contra charitatem, si viâ iusta malum alicui optetur; partim etiam contra iustitiam, si viâ iniusta.n.159.

Maleficium.

Maleficium maleficio illicitum soluere. D.4. quæst.5.n.122.

Maritus.

Maritus adulterum cum vxore deprehensum occidens peccat mortaliter & tenetur ad restitutionem. D.4.q.8 n.40.41. Potest tamen si absit vindicta, occidere adulterum & vxorem vt publicus iustitiæ minister traditos à iudice. n.42.

Maritus dotis tantum vtile habet dominium. D.4.q.8.n.130. Hinc si dotem aut propter nuptias donata distrahat, tenetur ad restitutionem. item si bona communia vtriusque dissipet, vt si ludo perdere solitus, & ab vxore inhibitus non desistat.ibidem.

Martinus Lutherus.

Male damnat timorem seruilem bonum. D.2. q.1.n.56. Qualis fuerit propheta. D.1.q.2.à n. 86. vsque ad 109. Lutherus inconstans in doctrina fidei. D.1.q.3.n.118. Lutherus liberum arbitrium modò negat, modò asserit. ib.n.eod.

Lutherus de communione sub vtraq; specie sibi contrarius.ib.n.119.

Lutherus fatetur in Papatu esse & fuisse sanctos. D.1.quæst.3.n.124.

Lutheri quædam pronunciata sanctitati fidei contraria. D.1.q.3.à n.140.

De Luthero elogia. num.145.

Lutherus ab Imperatoribus damnatus.ib.n.80.

Martyrium.

Martyrium quid sit. Disp.3.quæst.2.n.34.

Est actus fortitudinis. D.3.q.2.n.22.& 24.

Infantes qua ratione sunt martyres.n.22.

Quid de fœminis, quæ se præcipitarunt ob tuendam pudicitiam sentiendum. n.23.

Actus Martyrij qua ratione ad diuersas virtutes pertineat. n.25. Martyrium inter actus externos virtutum est perfectissimus.n.27.

Nemo se sponte, & sine causa in martyrium ingerere debet.n.29. Ad martyrium requiritur mors propter Christum exantlata.n.30.

Sufficiunt tamen etiam vulnera mortifera.ib.

B. Virgo non propriè fuit martyr.ibid.

Ad martyrium sufficit mors propter quodcunq; opus virtutis tolerata.n.31.

Veritas naturalium scientiarum morte contestata non est sufficiens causa martyrij.n.33.

Mater.

Mater vult magis amare quam amari. D.2.q.4. n.6. Quo ordine ipsa amanda. q.3.n.83. Mater prægnans & periclitans de vita propria nũ possit sumere medicinam corporalem cum periculo abortus. D. 4.q.8.à n.58. Vide *Abortus.* Mater potest esse, si velit, esse tutrix filij legitima. D.4.q.8.n.272.

Matri an succedant ex æquo cum legitimis illegitimi.num.311.

Matrimonium.

Promissio mutua matrimonij obligat etiam inscijs parentibus, & non sine culpa facta. Disp.1. q.9.n.112.

Medium.

Medium rei & medium rationis, sunt obiecta virtutum. D.4.q.2.n.43.

Medium iustitiæ est ius & æquum.ibid.

Medium quomodo seruetur in iustitia commutatiua & distributiua. n.53.seq.

Membrum.

Membrum est ea pars, quæ proprium in corpore habet officium, hinc vnus digitus excluditur. D.4. q.8.n.97. Præcipuam membri partem abscindens fit irregularis. n.98. Pro tuenda vita licet membrum abscindere, sed nemo tenetur, & vix etiam religiosus cogi posset n.99. Ex probabili ad mortem imminentem effugiendam licet ligato pedem abscindere: non tamen licet parentibus filios castrare, vt seruiant cantui Ecclesiastico.n.101.

Certum est filios cogi non posse. ibid.

Nec pro castitate seruanda licet.n.102.

Mendacium.

Mentiri intrinsecè malum est. D.1.q.1.n.51.

Mentiri Deus etiam de absoluta potentia non potest. ibid.à n.133 vsque ad 140. Mendaciũ testis in iudicio quando mortale. D.4.q.4.num.124.

Mendacio alium infamans fateatur falsitatem etiam cum iuramento.n.141. Viri tamen graues aliter tenuibus compensent.ib.

Merces.

Ad aliquid faciendum vel non faciendum, quod ante ex iustitia debuit, mercedem accipiens, debet restituere. D.4.q.6.n.288.seqq.&q.7.n.162.

Mercedem accipere iudicem iure prohibitum. n.q.6.290. Mercedem accipiens pro eo, quod non ex iustitia debitum, non est restitutioni obnoxius. n.291. Nec si extraordinaria adhibeatur diligentia n.293. Nec si gratis datum aliquid & acceptum sit à Iudice n.294. Item datum ratione amicitiæ &c. aliquid potest accipi. n.295. de quibus statuta particularia consulenda.

Hinc & parochi accipientes aliquid præter ſtipendium excuſantur, ſi non ſordide exigatur, n. 295. Datum ab redimente vexationem, nec licitè nec validè accipitur. n. 297.

Eſculenta & poculenta à quouis iudice poſſe accipi communis aſſerit. ib. Sed ſtatuta particularia videnda.

Merces ſeu donum acceptum pro actione mala non obligat ad reſtitutionem ante iudicis ſententiam, n. 298. 299. 300. 301.

Meritum.

Non omnis actus meritorius ſupponit actum fidei. D. 1. q. 7. n. 84. Meritum fidei non minuitur per motiua neceſſaria ad fidei credibilitatem. D. 1. q. 7. n. 86. Meritum fidei non collitur nec minuitur à cognitione rei credendæ habente ſe ad fidem concomitanter, ſiue alias antecedat fidem, ſiue ſubſequatur. D. 1. q. 7. n. 87.

Meritum fidei conſiſtere poteſt in ſola animi præparatione. ib.

Humanæ rationes qua ratione minuant meritum fidei. D. 1. q. 7. num. 89. 90. Ad meritum plus bonum quam difficile. D. 2. q. 4. n. 14.

Metus.

Metu tormentorum num reus falſum crimen ſibi aut alij impoſitum retractet. D. 4. q. 4 n. 99.

Metu grauiſſimæ pœnæ ſi reus crimen aut teſtis neget teſtimonium non tenetur ad damnum partium vel fiſci. D. 4. q. 6. n. 78.

Metu reuerentiali adductam violans an teneatur. n. 134. Inducto per vim aut metum ad ludendum reſtituet. n.

Si abfuit metus cadens in conſtantem virum, etiam contrarium probabile eſt. ibid.

Ex iure naturali nullus contractus ex metu factus eſt irritus. n. 315.

Ob metum tamen cadentem in conſtantem virum contractus reſcinditur. n. 317. non tamen ob metum iuſtum. ibid.

In foro conſcientiæ quocunque metu iniuſto etiam leui extortum & acceptum reſtituendum eſt. nu. 318. In iure valet contractus leui metu extortus, ita vt in foro non detur actio. num. 325. Ex metu reuerentiali iniuſtè incuſſo acceptum & extortum eſt reſtituendum. n. 326.

Accepta per contractus iniuſto metu extortos, ſed abſque culpâ contrahentis, num ſint reſtituenda. ibid.

Miles.

Dum & miles conductus ad defenſionem reipub. pro ea vitam ponat. D. 2. q. 3. n. 70.

Miles mercedem turpem ſoluere non tenetur, ſoluta licitè retinetur. D. 4 q 6. n. 301.

Militis terminus amplior petendi feudi inueſtituram. D. 4. q. 7. n. 149.

Miles cum ſui interitu poteſt cauſare ruinam hoſtilis turris, nauim concremare qua pereat, vt hoſtem effugiat &c. ex probabili. D. 4. q. 8. à n. 50.

Miles pro defenſione honoris poteſt vim vi repellere, nec tenetur fugere. D. 4. q. 8. n. 78.

Codicillo hæredem poteſt inſtituere. n. 298.

Item ſub duobus teſtibus & quibuſcunque ſignis in prælio. n. 303. Vide *Bellum.*

Miniſter publicæ Iuſtitiæ.

Quando ex priuata ſcientia debeat infirmare ſententiam contra innocentem latam, detrectare executionē & officium. D. 4. q. 4. n. 54. Poteſt aliquid accipere præter ſtipendium, ſi illud non ſit iuſtum. n. 292. vel ratione laboris ſingularis. n. 293. vel gratis datum. n. 294. vel etiam alio titulo datum. num. 295.

Minorennis.

Minorennis quis dicatur. D. 4. quæſt. 1. n. 88. horum immobilia bona quanto tempore præſcribantur. ibid. numero. 23. ſeqq. gaudent priuilegio reſtitutionis in integrum num. 104. & q 7. 23. Minorennis vtrum pro actu turpi poſſit aliquid exponere. D. 4 quæſt. 6. num. 301. Ex communi pro ludo abſque facultate curatoris non poteſt niſi minutum aliquid exponere. aut caſtrenſia vel quaſi caſtrenſia. numero 309. Ex probabilio. ri poteſt lucro perdere & lucrari. numero. 310. Eius priuilegiatum debitum, num. 418. Eiuſdem contractus iuratus dat actionem, etſi iure ciuili irritus. D. 4. quæſt. 7. num. 9. Eius amplior terminus petendi inueſtituram feudi à domino. num. 179. Quibus cauſis dentur ijs tutores vel curatores à iudice. n. 272. Bona tutorum & curatorum ſunt ipſis hypothecata, quocunque peruenium. n. 278. Quam poteſtatem habeant curatores in minorennes educandos, alendos &c. atque bona illorum. 280. ſeq. Sine decreto iudicis non poteſt renunciare legatis &c. num. 285. Si non habeat curatorem, valide alienat in rebus quæ non indigent iudice. numero 287. Etiam per iudicem læſus habet ius reſtitutionis in integrum. ib.

Minorum Ordo.

Minorum ordo vſum non dominium bonorum & oblationum habet. D. 4. q. 1. n. 23. Non poſſunt, qui ex hoc Ordine ſunt, hæredes inſtitui, Diſp. 4. q. 7. num. 310.

Miraculum

Miraculorum gratia ſignum veræ fidei. D. 1. q. 2. n. 80. 81. 82. Miraculum præter cauſam principalem Deum poteſt etiam habere cauſam inſtrumentalem phyſicam & moralem: illud contingit in miris patratis per humanitatem Chriſti: hoc per cæteras res & perſonas ſanctas. D. 1 q. 7. n. 154. Nulla videtur eſſe poſſibilis qualitas creata connaturalis potentiæ ad miracula patranda. D. 1. q. 7. nu. 157.

Miſericordia.

Miſericordiæ opera valent contra præſtigias. D. 4. q. 5. n. 122. In diuites immiſericordes graues minæ. D. 2. q. 5. n. 7. 14. Miſericordia eſt virtus diſtincta à charitate, eius actus eleemoſyna quomodo ſub beneficientia comprehendatur. D. 2. q 4 n. 4. & ex inſtituto. dub. 2. nu. 25. Opera miſericordiæ ſpiritualia & corporalia ad actus externos charitatis ſpectant. ibidem. Eius obiectum & motiuum proprium eſt miſeria ſubleuanda alterius, cui in natura communicamus. ibidem & ſeqq. Eſt virtus moralis, eius tamen principalis actus eſt motus appetitus intellectiui ſuper malo alterius. n. 26.

Senes, sapientes, debiles, timidi, sunt magis misericordes; non ita sibi beati, superbi, iracundi, contumeliosi. n. 27. 28. Misericordia in hominibus non est tam magna virtus, quam charitas & religio. n. 29. 30. 32. Sed est potissima inter virtutes, quæ ad proximum ordinantur. n. 32. Eius actus potest esse magis necessarius quam religionis. ibid. Vide *Eleemosyna*.

Mobilia bona.

Mobilium bonorum præscriptio quantum requirat temporis D. 4. q. 1. n. 68. seqq.

Etiam eorum quæ sunt Ecclesiæ Romanæ. n. 87.

Modus.

Modus dilectionis non cadit sub illa præcepta, quæ dantur de actibus virtutum. D. 2. q. 4. n. 61. & 70. Cadit tamen modus ille sub præceptum, caritatis erga DEVM. n. 70. & proximum. n. 73. Et modus triplex intelligendus est. n. 74. Modus qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit itidem sub præceptum. n. 75.

Monachi, Monasterium.

Monasterij bona immobilia quanto tempore præscribantur. D. 4. quæst. 1. num. 10.

In eius causa monachi aduocare possunt. Disp. 4. quæst. 4. num. 126. Monachis vetita negotiatio. D. 4. q. 7. n. 69. V. *religio*.

Moneta, Monetarius.

Monetario ob falsam monetam etiam damnum compensandum. D. 4. quæst. 6. num. 330.

Monetario abradens monetam, restituere debet si sciatur. n. 333.

Monetæ abrasæ incommoda. ibid.

Monetæ anno 1620. mutatæ incommoda. à n. 231. Varij eius temporis contractus quomodo liciti vel illiciti. D. 4. q. 7. n. 234 & seqq.

Mons.

Mons pietatis quomodo iustè instituatur, & aliquid vltra sortem ex mutuo accipiatur. D. 4. q. 7. n. 84.

Mora.

Si mutuatarius vilis pecuniæ in mora fuit restituendi, & tamen cum commodo creditoris, tenetur postea ob damnum bonæ monetæ tantum soluere quantū vilis antea soluisset. D. 4. q. 7. à n. 232. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri. D. 4. q. 7. n. 264.

Mora sua cuilibet est nociua. n. 267.

Vna solutionis oblatio moram debitoris in conscientia purgat. n. 266.

Mors.

In mortis articulo neque sagis neque alijs reis neganda Eucharistia. D. 4. q 5. n. 8.

Quid agendum cum vsurario. D. 4. q. 7. n. 106. & 109. Pro morte euitanda quomodo liceat pedem abscindere, oculum eruere, &c. D. 4. quæst. 8. num. 100. In mortis instante intercipitur facultas operandi, vt idem actus numero non possit esse in via & patria, nisi ex priuilegio id B. Virgini sit datum. D. 2. q 2. n. 118, 119.

Motiua.

Præter proponentem fidem necessaria sunt quædam motiua externa, quibus credibile reddatur aliquid à Deo esse reuelatum. D. 1. q. 2. n. 52.

Eiusmodi motiua tam ad conseruandam, quam ad concipiendam fidem, necessaria. ib. n. 53.

Non ijs omnes, sed alij alijs ducuntur. n. 54.

Motiuorum fidei varia ratio. n. 63. seq.

Mulier.

Mulier à testimonio ferendo repellitur, nisi in criminibus exceptis. D. 4. q. 4. n. 123.

Gaudent etiam priuilegio restitutionis. D. 4. q. 7. n. 24. Pro marito fideiubere non possunt mulieres. D. 4. q. 7. n. 228.

Pro mulieris innocentis castitate defendenda potest ab alio occidi inuasor. D. 4. q. 8. n. 80.

Si tamen taceat, aut languide repugnet quasi consentiens, non potest inuasor occidi. ib. V. *bellum*.

Multa.

Ad multam pecuniariam quando non teneatur reus & testis. D. 4. q. 6. n. 76. 77. 78.

Item iudex, fiscalis, telonarius. n. 80. 81. 82.

Item custodes ciuitatum, syluarum, fluminum, & æstimatores venalium rerum. n. 83. seq.

Ad damna tamen communitatis tenentur. 84.

Municipalia iura.

Municipalia iura spectanda circa Emphyteusin. D. 4. q 7. n. 170. Vide *Bauarica iura*.

Mutilator.

Mutilator iniustus tenetur ad damna emergentia. D. 4. q. 6. n. 105. & ad lucra cessantia. n. 106. 107. Item ad honorem restituendum. n. 108. & 115. Ex probabiliore restituet etiam aliquid pro deformitate membri. 109.

Mutilator læso restituet, per accidens alijs. n. 114. Mutilator incurrit irregularitatem. D. 4. q. 8. n. 96. Mutilator dicitur qui membrum truncat. n 97. Quando liceat mutilare se membro, & quando non. à n. 99. Vide *Membrum*.

Mutuum.

Mutuum non est reddendum vrgenti in suum nocumentum. D. 4. q. 6. num. 379. Mutuum est contractus stricte acceptus. D. 4. q. 7. n. 1. Mutuum rei traditione perficitur num. 2. differt à commodato & precatio. ibid. Vitium mutui vsura num. 72. seq. Mutuum translatione dominij distinguitur à locato & conducto num. 76. Nullus in eo, vi præcise mutui, titulus dari potest accipiendi actuarij. ibid.

Alij tituli ex mutuo lucrandi. n. 78.

Item condonatione superioris potestatis, sicut Iudæi à gentibus acceperunt. n. 79.

Potest etiam accipi modicum auctarium ob laborem mutuandi, scribendi, numerandi, &c. n. 84. Ex mutuo montis pietatis quomodo licitè plus accipiatur. ibid. & ex obligatione mutuandi. Itemque obligatio non exigendi debitum ante dictum terminum ex vtcunque tolerabili sententia quorundam. n. 85.

Potest etiam accipi aliquid vltra sortem, si pecunia tantum detur ad vsum quo non consumatur, neque transferatur dominium. n. 87.

Vi mutui non licet alia etiam pretio æstimabilia exigere, vti esset obligatio apud te molendi, remutuandi, abs te emendi, licet iusto pretio. n. 88.

vel procurandi beneficium Ecclesiasticum, n. 89. vel remittendi debitum restitutionis. ibid.

Donum accipi potest non tamen deduci in pactum. n. 90. Mutuans in certa mensura frumentum, quomodo possit æqualem vel etiam maiorem recipere, n 91. seq. Mutuum dans & bona fide auctarium tanquam libenter datum accipiens si resciat vi mutui datum restituat. Ibidem. n. 98.

Mutuum vetus ante annum 1620. quomodo soluendum ne inequalitas & iniquitas existat ob vilitatem monetæ, à n. 231. Mutuans in vili moneta non potuit paciscì de restituendo mutuo post reuocatum priorem monetæ valorem. num. 254. Qui autem in mora fuit per accidens ratione damni &c. quandoque tenetur soluere tot florenos in moneta bona quantum in vili accepit num 256. Ab iniustitia potest etiam excusare condonatio multum lucrantis mutuatâ pecunia. n. 257. Si vtrinque par periculum fuit præuisum, potuit in pactum deduci alterius vel lucrum vel detrimentum. ibid.

Mutuum dans non nisi post biennium restituendum cum intentione melioris monetæ per se loquendo vsuram committit. n. 259. Si incerta fuisset melioratio monetæ, & titulus donationis, damni &c. in pactum fuisset deductus, iustus fuisset contractus. n. 261. In dubio est suadenda transactio. ibid.

N.

Natura, naturalis.

Vnio siue similitudo in natura proprietas amicitiæ. D. 2. q. 2. n 13. Naturalis amor Dei imperfectus. D. 2. q. 3. à n. 36. Natura quantum à gratia & charitate perficiatur. n. 46. 49. An ex solius naturæ viribus possit DEVS diligi super omnia vt auctor naturæ. ibid.

Naturaliter inclinatur homo ad magis Deum quam se amandum. n. 45. Naturalis inclinatio per se non est mala, nec ad malum. n. 46.

Contra naturam est omne peccatum. ibid.

In ordine amoris magis diligendi qui sunt coniunctiores secundum naturam. n. 77. 78. Naturale iustum quid. D. 4 q. 1, n. 123. Naturale debitum quid. n. 128. Naturalia bona animi. D. 2. q. 6 n. 86. In ijs nocens ad quid teneatur. n. 87. seqq.

Naturali hominis perfectioni non commensuratur gratia & charitas, sicut in angelis fit. Disp. 2. quæst. 2. num. 122. seq.

Nauarrus.

Dicens nullam legem sub mortali obligare quæ statuat pœnam temporalem refutatur. D. 4. quæst. 6. num. 339.

Naufragium.

Res naufragorum etiam remotas à naufragio capiens restituet, ni à dominis sint derelictæ. Disp. 4. q. 6. n. 349.

Necessitas.

Vna medij, alia præcepti; quid vtraque sit. D. 1. q. 7 n. 20. Quod necessarium est necessitate medij, est quoque necessarium necessitate præcepti. D. 1. q. 7. n. 54. Necessaria ad rectè viuendum in omni statu necessario necessitate præcepti credenda, & cognoscenda fuerunt. n. 55. 59. & 72. In extrema necessitate spirituali proximi, si sit spes certa iuuandi, etiam vita ponenda, vt iuuetur. D. 2. q. 3. n. 60. In graui & priuata necessitate non quidem tanta est obligatio iuuandi cum dispendio bonorum temporalium. n. 63. Animarum curam habentes obligantur etiam cum vitæ periculo. num. 64. seqq. In necessitate consanguineorum & spiritualiter coniunctorum quis ordo seruandus, à n. 75. Extremaaut grauis ex cusat à debiti redditione. n. 79. D. 4. q. 4. & D. 4. q6. n. 429. Et reum à confessione criminis. ibid. Res in necessitate extrema destructa deobligat à restitutione. ibid, n. 104. & q. 6. num. 38. Necessitate præcepti non medij est necessaria restitutio. D. 4 q. 6. num. 7.

Quomodo necessaria ad statum & vitam clericalem intelligenda. n. 254. In graui necessitate non licet eleemosynam surripere vt in extrema licet. n 407. Et diues in tali necessitate sua retinens vel tuens nulli facit iniuriam. ibid. In eadem necessitate potest vel debet præferri creditor pauper ratione soluendi alijs debitoribus n. 422.

Quæ ex necessitate aut sub hasta venduntur, vilius emuntur. *D.* 4. q. 7. num. 29. In extrema necessitate potest pater Filium vendere n. 55,

In graui proximorum necessitate alienari possunt res Ecclesiæ. n. 184.

Negligentia, Negligens.

Negligentia restitutionis continuat vnum peccatum. n. 425. Si tamen post pœnitentiam renouetur fit aliud & nouum. n. 426. Diuturnitas negligentiæ in confessione explicanda. n. 427.

Negotiatio.

Negotiatio est prohibita clericis in maioribus & monachis. D. 4. q. 7. n. 69.
Illicita item ratione loci, temporis, modi, finis &c. seqq. Vide *Contractio, Emptio &c.*

Nemesis.

An & quando sit peccatum. D. 2. q. 6. n. 9.

Notæ Ecclesiæ.

Notæ veræ Ecclesiæ tres requirunt conditiones, & quas. D. 1. q. 3. n. 97. Sincera verbi DEI prædicatio & legitimus Sacramentorum vsus non sunt sufficientes Ecclesiæ notæ. n. 97. & seqq. Notæ veræ Ecclesiæ quæ sint. n. 105. Nota veræ Ecclesiæ est esse vnam vnitate & consensu fidei. D. 1. q. 3. num. 109. Nota veræ Ecclesiæ est esse sanctam. n. 123. Esse perpetuam & non interruptam à tempore Christi & Apostolorum, vsque ad finem mundi, à n. 153. Vid. *Ecclesia.*

Notarius.

Notarius seu Tabellio ad Testamenta nuncupatiua vtilis. D. 4. q. 7. n. 301.

Notorius.

Notorius percussor clerici iudex peccat mortaliter iudicando, & inualide iudicat. D. 4. q. 4. n. 20. seq. alias notorie excommunicatus peccat quidem sed validè iudicat. num. 22. In crimine etiam notorio audiendus reus. n. 85.

Nuncius.

Nuncius obligatus vni & stipendium ex iustitia accipiens non potest ab alijs tantundem accipere. D. 4. q. 7. n. 162.

Obseruantia.

Qualis virtus, & ad quos spectet. Disp. 4. quæst. 1. num. 116. 117.

Occidere.

Occidere licet animalia, sine causa tamen doloribus conficere non licet. Disp. 4. quæst. 8. n. 26. Item malefactores publica auctoritate & iuris ordine vel causa iustæ defensionis. n. 28. Promiscue occidendi inuentos noxios fieri potest potestas à magistratu ob certas causas; id tamen non semper licet. num. 43. Positiua & directa actio sui occisiua nisi mandate Deo illicita est. numero 46. Indirecta vero occisio qua quis abstinet à sui conseruatione quandoque est licita. num. 47. Iuste damnatus ad haustum veneni, videtur posse id sumere. Disp. 4. quæst. 8. num. 49. & 51. Quamuis etiam contraria sententia non damnanda. n. 48. Certum est reum non teneri in seipso exequi sententiam occisionis. num. 51. Ad nocumentum hosti inferendum, potest ignis in puluerem tormētarium cum tui interitu conijci, & naues propriæ concremari, quibus pereas, ne in manus hostium venias, &c. ex probabili. num. 50. 51. Occidere innocentem per accidens quomodo liceat. à n. 53. vide *Innocens.* Naufrago iam tabulam possidenti non potes eripere. num. 57. Quomodo licet inuadere inuasorem iniustum bonorum, Castitatis, honoris, &c. à n. 64. vide *Inuasor.* vid. *Homicidium.*

Odium.

Odium Charitati oppositum duplex, abominationis, & inimicitiæ. Disp. 2. q. 6 n. 1. Odium peccatorum qua tales sunt non est malum. num. 2. Nec etiam malum velle proximo sub ratione boni maioris. num. 3. 4. Odium Dei grauius peccatum est infidelitate. Disp. 1. quæst. 8. num. 26. Odium sagarum erga genus humanum. Disp. 4. quæst. 5. num. 48. seq. Odium accusatoris aut testis probatum aut præsumptum eneruat eius testimonium. num. 49. Ex odio Dei aut proximi ad peccatum inducens grauius peccat quam homicida. Disp. 4. q. 6. n. 91. Ex odio priuato in iusto bello hostem occidens nil tenetur restituere. num. 100. Vtrum ob odium deponendum accipi possit merces. ib. num. 291. Odium est actus etiam charitatis in fuga oppositi mali consistens, prout peccatum est malum quoddam Dei, Disputat. 2. quæstione 4. numero 2.

Officium, Officiales.

Officia charitatis. Vide *Actus Charitatis, Beneficentia.* Ex officio bonum alterius procurandum aut damnum auertendum negligens tenetur restituere. D. 4 q. 6 n. 28. & num. 70. seqq. Ratione officij compensare tenentur damnum factum Prælati, Cōfessarij, Custodes, Pastores. num. 35. & omittens impedire damnum. num. 39. Quæ damna sequantur negligentem officialem, num. 71. Tres conditiones eorum, quibus sub onere restitutionis incumbit officium procurandi boni alieni. n. 72. Officialis conductus per se tenetur præstare officiū. num. 188. Datum propter officium restitutioni obnoxium est, si negligatur officium. num. 192. Ex officio obligatus impedire damnum proximi, nec impediens, tenetur ad restitutionem. n. 382. Officiales Principum colligentes pecuniam in veteri moneta, post tempore rationum non potuerunt substituere vilem monetam. D. 4. q. 7. n. 244. An possit sibi officialis clam compensare stipendiū. quæst. 7. num. 164. & fuse. quæst. 6. à num. 406. In officiorum tam Ecclesiasticorum quam secularium quomodo contingat acceptio personarum, & peccatum mortale. Disp. 4. quæst. 8. num. 20. Officia sunt communia Reipublicæ bona, non propria Principis, nec pro ijs quidquam soluendum. num. 22. Officiorum venditio pestis reipublicæ. num. 23. Potest tamen aliunde licere ea venditio. num. 24.

Opinio.

Opinio trifariam sumpta, & qua ratione cūm scientia stare possit. Disp. 1. quæst. 1. num. 185. 186. Vide *Iudicium temerarium.*

Oratio I.

Modum legitimè DEVM orandi tenentur ex præcepto scire fideles. D. 1. q. 7. n. 72. Oratione vinci potest etiam tentatio, vt non sub præcepto elicienda sit contritio. D. 2. q. 4. n. 83. Ex amore etiam solitarius tenetur orare pro salute aliorum. num. 86. Et si desit particularis necessitas, orandum pro communibus. ibid. n eod. Oratio Dominica docet amandum omnem hominem. num. 87.

Oratio II.

Oratio est actus intellectus. Disp. 5. q. 1. n. 67. à Religione immediatè imperatus. n. 74. Oratio aliqua ratione conuenit cum imperio, differunt tamen inter se. num. 69. Oratio, vtpote rationis actus, nec Deo, nec brutis, sed soli creaturæ rationali competit. n. 71. Oratio est actus non tantum honestus & virtuosus, sed etiam vtilis & necessarius. n. 72. Oratio non immutat diuinam dispositionem, sed impetrat id, quod Deus per orationem disposuit implendum. num. 73. Quamuis oratio ex imperio impetrandi nascatur, non tamen ideo vel ad spem, vel ad charitatem pertinebit. num. 75. Oratio peccatoris tum à spe, tum ab habitu Religionis acquisito proficiscitur. ibid. Oratio post Deuotionem est præcipuus Religionis actus ex suo genere. num. 76. Deus solus oratione inuocādus est. Disp. 5. quæst. 1. num. 77. Sancti recte inuocantur vt nostri apud Deum Intercessores. n 79. Quinam ex nostri æui sectarijs inuocationem sanctorum negarint. ibid. SS. reipsa pro nobis orant in Cœlo. n. 85. quod Vigilantius impiè negauit. num. 86. Oratio Sanctrum in Cælo licet non habeat rationē meriti, est tamē impetratoria. num. 817 Potest fieri vt oratio inferior alicuis sancti sit efficacior quam superioris. num. 88. Sancti in purgatorio adhuc constituti, nec à nobis inuocandi sunt, nec orare pro nobis solent. num. 90. Oppositum sensit Ioan: Medina alijque ibidem citati. numero 91. Sancti in limbo etsi olim fuerint subinde inuocati, ordinarie tamen id factum non est, nec censentur inuocandi ordinariè. numero 94.

Bona tam spiritualia quam temporalia recte à Deo postulantur; modo debita ratione. num. 93. & seq. Non tantum pro nobis ipsis, sed alijs, inimicis quoque orandum est. num. 96. Tam pro iustis quam peccatoribus orandum est. num. 97. & seq. Ea quæ à nobis postulanda sunt, in precatione Dominica, velut oratione perfectissima compendiosè exprimuntur. num. 100. Qualis esse debeat oratio efficax. num. 106. & seq. Sine intermissione orare quid sit. ibid. Ad bonitatem orationis requiruntur aliarum quoque virtutum actus inprimis fidei, spei & humilitatis. num. 109. Orationis efficatia supponit has 4. Conditiones, 1. vt quis pro se petat. 2. Necessaria ad salutem. 3. Perseuetanter, & piè. num. 110. & seq. Etsi ad impetrationem non sit necessarium subiectum gratum, est tamen necessarium ad meritum de condigno. num. 115. Quo pacto peccatoris oratio possit esse pia. num. 117. Quotuplex sit Oratio. n. 120. Alia eiusdem orationis diuisio secundum Apostolum. num. 122. Quo loco, tempore, & gestu corporis sit orandum, an quouis loco, situ corporis saltem priuatim orare sit licitum. num. 123. & seq. An, & quandonam iure naturali obliget orationis præceptum. num. 126. Quid, & quænam sint Horæ Canonicæ Vide *Horæ Canonicæ*.

Ordo.

Ordinis inferioris bona ex non improbabili non sunt restituenda cum iactura boni ordinis superioris. Disp. 4. quæst. 6. num. 435.

Oues,

Grex ouium ad modum societatis quomodo pastori tradendus cum vtriusq; partis commodo. Disp. 4. quæst. 6. num. 215.

P.

Pabulatio.

In alieno pabulans inuito domino peccat mortaliter & restituere tenetur, nisi moderate & ex necessitate præsumpto consensu. Disp. 4. quæst. 6. num. 347. In communitatis suæ pascuis pabulans tempore & mensura illicita, peccat venialiter, & post sententiam tenetur ad multam. num. 348. Si damnum notabile fecit compenset. ibid.

Pactum.

Pactum quod licitum est facere, non semper licitum est faciendum promittere. D. 1. q. 9. n. 98. Pacta de toleranda hæresi, in necessitate licita. Vide V. *Religio*. In huiusmodi pactis summus Pontifex consulendus. ibid. num. 101. Pactum non redditur irritum sola imprudentia & inconsideratione alterius contrahentis. num. 112. Pacta cum hæreticis etiam imprudenter inita, seruanda sunt Principi, donec à superiore irritentur. num. 104. & 112. Etiamsi reipublicæ incommodent num. 114. 116. Etsi cum subditis rebellibus inita. num. 117. 118. Etsi per manifestum vim extorta. num. 120. Secus si per fraudem alterius contrahentis extorta sint. num. 119. Pacta inferioris superiori præiudicari non possunt. num. 123. An & quando Summus Pontifex ea irrita reddere possit. Vide *Summus Pontifex*. Pacta quomodo transferant dominium. D. 4. q. 1. n. 57. Pactum duorum latè contractus dicitur. D. 4. q. 7. n. 1. Pacta sunt contractus alij etiam sine traditione rei. n. 3. Varie diuiduntur. n. 3. Vide v. *Contractus*.

Pædobaptismus.

Ex sola scriptura non euincitur, sed traditione tenetur. D. 1. q. 5. n. 112.

Palpo.

Palpo est qui laudando & adulando ad iniustam acceptionem inducit, & tenetur ad restitutionem etiam totius damni, in defectu aliorum, si verè & efficaciter causa fuit. D. 4. q. 6. n. 392. 393. 396.

Pares Curiæ.

Pares curiæ, pares domus &c. dicuntur plures vasalli vnius domini. D. 4. q. 7. n. 72. Et coram illis inuestiri debet nouus vasallus. n. 178.

Parochus.

Quomodo excusetur si præter stipendium aliquid accipiat in particularibus ministerijs, si tamē non sordide exigatur præsertim à pauperibus. D. 4. q. 6. n. 296.

Pars.

Pars tertia bonorum paternorum diuiditur in quatuor filios vel pauciores, illaque est legitima eorum iure communi. D. 4. q. 7. n. 318. Itidem tertia pars bonorum est legitima respectu ascendentium. ibid. Pars quarta Trebellianica, Falcidia. Vide *Quarta*.

Participans.

Participātes in scelere & damno, singuli tenentur de toto damno in defectu aliorum, sed certo ordine. D. 4. q. 6. n. 391. 396. seqq.

Passiones.

Ad passiones tollendas ordinantur virtutes. D. 2. q. 4. n. 61. Quomodo sint materia virtutum moralium. D. 4. q. 2. n. 33. seqq.

Pater, Parentes.

Inter parentem & filium quale ius. D. 4. q. 1. n. 113. seqq. & q. 2. n. 12. Parentibus occisi quid teneatur homicida. Disp. 4. q. 6. n. 119. & seq. Parentes absque sua culpa de damno à filio dato non tenentur. n. 127. Quid parentibus violatæ filiæ restituendum. à n. 128. 134. Pater in extrema necessitate potest filium vendere. D. 4. q. 7. n. 55. Pater adulterum cū filia deprehensum in flagranti occidens est homicida & tenetur ad restitutionem. D. 4. q. 8. n. 40. 442. In parentes facta subsannatio est impietas, eiusque pœna, n. 153. & maledictionis. n. 155. Pater quando dandus curator filio etiam coniugato. D. 4. q. 7. n. 274. Pater debet spurio alimenta, & filiæ etiam dotem dare. n. 312. Quo ordine diligendus, & diligat. D. 2. q. 3. à n. 75.

Patronatus.

Ius Patronatus censetur inter bona immobilia Ecclesiæ. D. 4 q. 1. n. 91. Quanto tempore contra id ius præscribatur. n. 95.

SS. Patres.

Non sufficiunt eorum scripta ad controuersias fidei diiudicandas, absq; alio iudice. D. 1. q. 3. n. 35. Patres censuerunt hæreticos ex notis Ecclesiæ conuincendos. ib. n. 105. SS. Patres asserunt Vnitatem, Sanctitatē & Vniuersalitatem Ecclesiæ. à n. 111.

SS. PP. primatum Ecclesiæ S. Petro asserunt. D. 1. q. 5. n. 54. & 69. Primatum decernunt Romano Pontifici. n. 112. Aiunt Romanam cathedram in causa fidei definienda esse auctoritatis infallibilis. n. 345. Ecclesiasticas traditiones tuentur. Disp. 1. quæst. n. 116. Quo sensu dicant SS. Patres Scripturam sufficienter continere quæ ad religionem pertinent. n. 153.

S Paulus.

S. Paulus à Christo immediate Apostolatus dignitatem & ordinem acepit. Disp. 1. quæst. 4. n. 89. Quo sensu voluerit esse anathema pro fratribus. D. 2. q. 3. n. 55.

Pauperes.

Pauperes ex Ecclesiastiasticis bonis alendi, & ijs restituendum. D. 4. q. 6. à n. 215. Item ignorato domino rei alienæ & inuentæ. à n. 381. & 385. Item in defectu hæredum domino mortuo. n. 386. Aut si domino transmitti nequeat. n. 388. Pauper creditor in graui necessitare potest vel etiã debet præferri alijs. n 422. Pauperibus restituenda debita incerta. n. 440. *paupertas* V. *Votum.*

Pax, Pacificus.

Pax quæ duplicem vnionem dicit appetituum in diuersis hominibus & in vno homine appetitus sensitiui & intellectiui, non est distincta virtus. D. 2. q. 4. n. 20, 21. Stare pax potest cum aliqua rebellione carnis, & dissensione opinionum inter amicos & doctores. ibid. Omnia appetunt pacem, peccatoribus tamen pax esse non potest. num. 25. De pace actu charitatis præceptum datur. num. 65. Quibus actibus virtutum ad pacem sapientia perducat. num. 53.

Peccator.

Quo pacto peccatores dici possint Christi & filij Dei. D. 1. q. 3. n. 63. An habeant aut habere possint in Ecclesia iurisdictionem. n. 51. Sunt in Ecclesia. Vid. *Ecclesia.*

Peccatum Originale.

Peccatum otiginalis remedium pro fœminis Israëlitarum in scriptura non erat expressum, sed traditione acceptum. D. 1. q. 5. n. 106. Peccatum origionale necessario credendum in omni statu. D. 1. q. 7. n. 57. Non quælibet priuatio debitæ perfectionis volunturia voluntate primi parentis est peccarum originale, sed illa quæ est priuatio charitatis & gratiæ, in qua consistit auersio habitualis à Deo. D. 1. q. 8. n. 16.

Peccatum.

Peccatum quodlibet in ea potentia tanquam in subiecto inest, quæ est proximum principium eliciens actum immanentem peccati, seu etiam cui immediatè inest priuatio rectitudinis peccato oppositæ. D. 1. q. 8. n. 20. Peccata infidelium leuiora sunt, quam fidelium. n. 28. Peccatum in Spiritũ sanctum quid sit. ib. n. 146. Ad peccatum inducens saltem ex charitate tenetur seductum reducere. D. 4. q. 6. n. 81. 96.

Peccatum veniale.

Peccatũ veniale non diminuit charitatẽ, nec eidem aduersatur. D. 2. q. 2. n. 150. sed. Potest cum quauis intensione charitatis consistere. n. 156 Non tamẽ eo tempor diligi potest Deus super omnia simpliciter & positiue, quæ Deus non sunt. n. 156. Extrinsecè tamen & ex parte actus rectè dicitur diminui charitas per venialia, seu feruor charitatis. n. 155. Alia quæ sequuntur ex veniali. ibid. Reddunt indignum specialibus gratiæ auxilijs, & habitus vitiosos augent, & indirecte ad mortale disponunt. n. 156. seq. Veniale esse potest inter pueros obleuitatem materiæ, non resalutare, alloqui inimicum. D. 2. q. 3. n. 13. Obstat perfectioni diuini amoris, qui non omnia quæ sunt extra Deum refert in Deum. n. 34. 35. In nullo casu licet vel veniale facere pro salute proximi aut totius mundi. n. 53.

Peccatum mortale.

Peccato mortali quouis goatia & caritas amittitur. D. 2. q. 2. n. 161. Eo cutem non, ppriè physice effectiuè expellitur, n. 162. Speciali tamen ratione ob moralem repugnant iam cum gratia effectiue moraliter non solum meritoriè gratiam expellit. n. 165. Peccati mortalis malitia consistit in eo quod Deus æstimatiue non plus diligatur quam creaturæ D. 2. q. 3. n. 40. Id solum repugnat Dei amori super omnia constituens vltimum finem in creatura. n. 33 In peccatum inducens ex odio Dei grauius peccat homicida. n. 91. Non grauius peccat ex alia causa eu inducens. ib. Si virtute præditum seducis peccas fure ac prædone grauius. ibid. Ob peccatum tantum mortale contrahitur irregularitas ex delicto. D. 4. q. 8. à n. 89.

Peccatum mortale vnde in furto æstimandum. num. 107.

Peculatus.

Peculatus est rei communis ablatio. Disp. 4. q. 8. num. 106.

Pecunia.

Pecunia præsens plus valet quam absens cæteris paribus. D. 4. q. 7. n. 153. Pecunia vt merces quædam est, & alia pecunia eiusdem pretij pulchrior, rarior, lucrum ferre potest. n. 154. Item pecunia aurea permutata cum argentea ob meliores vsus. n. 155. In contractu societatis plus valet opera quam pecunia. n. 202. Pecunia noua & cusa post annum 1620. non potuerunt ad æqualitatem & iuste solui debita vetera. n. 234. Vide *Moneta.*

Pensio.

Pensionũ ius & praxis ex consuetudine pendet. D. 4. q. 6. n. 210. Pensiones ex censibus quales, D. 4. q. 7. n. 112. seqq. & n. 118. Pensionibus omnibus non debet æquale esse pretiũ, nisi forte tantũ annua emeretur, cum non pensiones sed ius ad illas ematur. n. 120. Pensio quomodo remittenda, vel minuenda, si res patiatur damnum. n. 121, & 158. seqq. Pensio an augenda si casu magna vbertas contingat. n. 160. Pensionem non soluens conductor potest expelli. n. 165. 168,

Periurium.

Periurium mortale etiam ioco admittitur, & voluntaria iurandi consuetudiue, non item si lapsus aut consuetudo voluntaria non sint. D. 5. q. 8. n. 4.

Qui frangit iuramentum promissioriũ, ipso iure infamis est, non item qui frangit assertorium. num. 5.

Priuatim exigere iuramentum ab eo quem constat esse falso iuraturum, mortale est, ordine vero iuris exigere etiam sub periculo periurij nullum est peccatum, num. 6.

Persona.

Personæ dignitas attenditur in distributiua iustitia. D. 4. q. 2. n. 56. Pro vario regimine variè spectatur, n. 57.

S. Petrus.

S. Petrus Vicarius fuit Christi, Apostolorum & Ecclesiæ in terris visibile caput. D. 1. q. 4. num. 46. & 85. seqq. Prærogatiuæ Petri præ alijs Apostolis. n. 71. Petrus successorem habet in officio summi pastoris, n. 77. Petrus in quibus rebus cæteris Apostolis superior. D. 1. q. 4. n. 85. Petrus Romanam Ecclesiam fundauit, ac per se constanter tenuit. D. 1. q. 4. n. 143.

Vox [Petra] ad S. Petrum refertur in illo Matthæi 16. Tu es Petrus & super hanc Petram, &c. D. 1. q. 4. à n. 47.

Piccarditæ.

Piccarditarum peculiaria dogmata. D. 1. q. 3. num. 169.

Pietas.

Pietas inter Patrem & Filium specialis virtus. D. 4. q. 2. n. 72. seq. & D. 6. q. 1. n. 9. Quid sit pietas quodque eius officium. D. 6. q. 1. n. 2. & seq. Pietatis est & parentibus patriæque ac simul etiam ciuibus succurrere. n. 5. Ita cultus parentum debet attemperari, vt à diuino non impediat vel abstrahat. n. 7. Aliter charitas, aliter Iustitia, aliter etiam Pietas proximo, patriæ, ac parentibus succurrit. ibid. Alia est pietas, quæ donum Spiritus S. dicitur quæ & à pietatis virtute & religione distinguitur, eidemque particulares Beatitudines respondent. D. 6. q. 2. n. 63. & 65.

Pignus.

Pignus est contractus traditione perfectus. D. 4. q. 7. n. 2. Pignora non possunt in mutuantem transire. n. 8. Quibus casibus eius fructus in sortem non computentur. ib. n. 80. 81. & seqq.

Piscari, Piscatio.

Piscari contra prohibitionem est iniustum, & restitutioni & pœnæ post sententiam obnoxium. D. 4. q. 6. n. 355. Pisces nassa concluſi an sunt eximentis. ibid. 356.

Pœna, Pœnalis.

Pœna vsurarij. D. 4. q. 7. à n. 105. Pœnæ Simoniacæ. Vide *Simonia*. Pœnales leges. Vide *Lex*.

Pœnitentia.

Pœnitentia vel formalis vel virtualis adultis peccatoribus necessaria est ad salutem necessitate medij & præcepti. D. 1. q. 7. n. 20. Pœnitentia in omni statu necessaria fuit lapso necessitate medij. D. 1. q. 7. n. 43. Pœnitentia includit cognitionem peccatorum & ipsius Dei liberatoris à peccatis. ib.

Non est peccatum nec falsæ religionis professio, in articulo mortis absque scandalo absolutionem accipere à sacerdote hæretico, si alius haberi non possit. D. 1. q. 7. n. 105.

Pœnitentia virtus quoad secundarios actus suos, auersionem scilicet à peccato, gratiarum actionem ob remissum peccatum, &c. potest esse in beatis. D. 2. q. 1. n. 43.

Pœnitentia spectat ad iustitiam commutatiuam. D. 4. q. 2. n. 76.

Quid de pœnitentium sagarum denuntiationibus tenendum. D. 4. q. 5. n. 52. Quomodo post pœnitentiam disponendæ ad denunciationes. n. 57. seqq. & 131. Pœnitentibus in carcere mortuis non neganda Ecclesiastica sepultura. n. 109. Pœnitentibus sagis venia promittenda, & de impunitate fides seruanda. n. 132. Supplicium capitis quomodo in pœnitentiam publicam aliquando posset mutari n. 133. Pœnitentia post maledictũ & alia peccata non excusat à mortali. q. 8. n. 148. 156.

Politicum.

Politicum ius quid. D. 4. q. 1. n. 112. Quænam eius conditiones ibid. Eiusdem diuisiones n. 119. & seqq. Prima diuisio in ius legitimum & æquum, seu commune & peculiare, & quid vtrumque ibid. Secunda diuisio Iusti politici in iustum naturale & legitimum seu positiuum. n. 123. Et quid vtrumque ibid. & seqq. Tertia Iusti politici diuisio in debitum naturale & ciuile, num. 128.

Pontifex.

Pontificis definitio non spectat ad obiectum fidei, sed ad eius propositionem. D. 1. q. 1. n. 38.

Qua fide credamus hunc vel illum in individuo esse verum & legitimum Pontificem. ibidem. num. 146. 163. & seq. Pontifex condere potest symbolum fidei. D. 1. q. 1. n. 236.

Pontifex Romanus potestatem supremam regendi Ecclesiam non ab hominibus, sed immediatè à Deo accipit. D. 1. q. 4. n. 157. Suppolita tamen electione Ecclesiæ tanquam conditione.

Definitio fidei ritè facta ab eo qui ab vniuersa Ecclesia pro summo Pontifice habetur, tanquam infallibilis est recipienda. ib. n. 160.

Summus Pontifex deponere potest Pontificatum. D. 1. q. 4. n. 171.

Summus Pontifex in perpetuam amentiam incidens excidit ea potestate ipso iure Diuino. n. 171. Summus Pontifex ab Ecclesia vel Concilio deponi non potest. n. 173. Palam tamen hæreticus, ipso facto, ipsoque iure Diuino excidit sua potestate. num. 174. Pontifex hæreticus, si tempestiuè resipiscat, ex tacito consensu Ecclesiæ redit in suam dignitatem. n. 175. Pontifex dubius, de cuius legitima electione non constat, suum ius resignare debet, alioqui eo abdicato iure alius eligitur. D. 1. q. 4. n. Pontifex non habet superiorem in terris. n. 173. Pontifex in approbatione Religionum non potest errare speculatiuo iudicio erroneo. D. 1. q. 4. n. 284. Pontifex in Canonizatione Sanctorum errare non potest. ibid n. 290.

Asserere summum Pontificem esse Antichristũ repugnat S. scripturæ. D. 1. q. 4. n. 182.

Repugnat SS. Patribus. ib. à n. 202. vsq; ad 209.

Iniuria est aduersus Romanum Imperatorem, & omnes Principes Catholicos n. 209.

Aduersus Christi quoque Ecclesiam. n. 222.

Nec in Romano Imperio publico consensu tolerata. ib. n. 224. Neque cum Lutheranorum Religione cohæret. n. 225.

Pontifex vt Doctor priuatus errare potest. Disp. 1. q. 4. n. 236. & n. 238. Etiam vt Pontifex in particularibus quæstionibus facti diiudicandis n. 210. An posset velle priuatam suam hæresim publica auctoritate Ecclesiæ obtrudere. n. 241. Pontifex in causa fidei vnà cum Concilio generali aliquid definiens & credendum proponens errare non potest. n. 242. Imo & sine Concilio. num. 248. Rationes inuestigandi num Pontifex publica auctoritate aliquid credendum definiat. à num. 260. Pontifex non eo ipso censetur aliquid definire publica auctoritate, quando referri curat in Ius canonicum, nisi aliunde id constet. n. 269. Pontifex errare non potest, quoad substantiam præcepti, præcipiendo aliquid vel prohibendo in materia morum toti Ecclesiæ. D. 1. q. 4. n. 279. Potest autem errare quoad circumstantias temporis, modi n. 82. Summus Pontifex non quidem omni casu dissoluere potest pacta cum hæreticis inita, sed quando absque suo consensu, & in Ecclesiæ præiudicium essent inita. D. 1. q. 9. n. 121. & seqq. Etiam iurata, si per vim iniustam extorta sint. n. 125. Quomodo & quibus in causis se iudicandum alteri & sententiam latam reuocare possit. Disp. 4. quæst. 4. n. 25. Habet potestatem indirectam quoad bona temporalia in vniuersa Ecclesia. n. 32. 133. Ad eum tantum licet appellare Religiosis. ibid. n. 100. Cuius legitima electio eo ipso tollit omnem inhabilitatem. D. 4. q. 6. n. 176. Potest dispensare ad plura curata beneficia etiam Episcopalia. n. 199. Sine eius licentia non possunt exigi gabellæ ab Ecclesiasticis. n. 346. Sine rationabili causa dispensans in debitis incertis non reddit tutum in conscientia dispensatum. num. 440.

Positiuum.

Positiuum ius & naturale. Disp. 4. q. 1. n. 124. Quid sit. n. 124. Diuiditur in diuinum & humanum. n. 127.

Possessio.

Possessio quid sit. Disp. 4. quæst. 1. num. 25. Eius definitio explicatur. num. 25. & 26. Ab illa reijcitur iniusta possessio. ibid. Possessio naturalis & ciuilis quid. n. 28. Perfectissima est vtraque coniuncta. n. 29. Tribus modis ea acquiritur. num. 30. Tribus item perditur. num. 31. Professionis tria priuilegia. num. 32. Eam armis tueri & repetere licet. ibid. Possessio est necessaria conditio ad præscriptionem & qualis, quo titulo, qua ignorantia iuris, num. 76. 77. 78. Per possessionem triennalem bonæ fidei reualidatur titulus beneficij inualide acquisiti. Disp. 4. quæst. 6. num. 169.

Potio.

Potionem ad calefaciendum necessariam licet sumere etsi per accidens sequatur ebrietas vel pollutio. Disp. 4. quæst. 8. num. 57.

Potentia.

Potentia Dei ordinaria quæ. Disp. 1. quæst. 1. num. 132.

Præceptum.

In statu legis naturæ an fuere præcepta positiua de actibus solum externis. Disp. 1. quæst. 7. n. 56. Modus dilectionis non cadit sub præceptum nisi in precepto charitatis. D. 2. q. 4. n. 61. dupliciter potest impleri, imperfectè & perfectè. D. 2. q. 4. n. 76 Vide *Charitatis præceptum.* Præcepta Decalogi conuenienter sunt tradita, ac Iustitiæ subordinantur. Disp. 6. quæst. 2. num. 67. 68. In prima tabula ponuntur ea præcepta, quibus homo recte ordinatur ad DEVM: in secunda, quibus ordinatur ad proximum. num. 68. seq. Quæ directe in tabulis non ponuntur pro diuersitate materiæ suæ eodem indirecte reuocantur. num. 68. & seq.

Prædestinatio.

Prædestinatio ad vltimam salutem necessaria necessitate medij. Disp. 1. quæst. 7. n. 20.

Prædicatio.

Prædicatio verbi DEI non est sufficiens veræ Ecclesiæ nota. Disp. 1. quæst. 3, num. 97. Eadem non est sufficiens legitime missi pastoris. ibid. num. 185.

Prælati.

Vide, *Episcopi, Clerici, Beneficium, Religiosi, Correctio fraterna, Status &c.*

Præscriptio.

Præscriptio quid sit. Disp. 4. quæst. 1. n. 71. Ea requirit quatuor conditiones. num. 73. & seqq. 76. 75. 82. Interrumpitur. num. 81. & seqq. dormit. n. 84. Præscriptibilitas quibus bonis conueniat. num. 74. & seq. Quantum temporis requiratur ad singulas. à n. 85. Ad præscriptionem extraordinariam spectant res malæ fidei. num. 85. Quanto tempore præscribantur res illæ. num. 100 & seqq. Præscriptionis legitimæ effectus. n. 103. Contra legem naturalem & diuinam de bonis superfluis Ecclesiasticis in non pias causas erogandis præscribi non potest. Disp. 4. q. 6. num. 244. 250.

Præsumptio.

Præsumptio quid sit. Disp. 2. quæ. 1. num. 76. Est peccatum in Spiritum S. læditque iustitiam DEI, adeoque leuius desperatione, quæ lædit misericordiam. ib. Præsumptio opponitur magnanimitati, nisi sit de bonis supernaturalibus, tunc enim etiam fidei repugnat. num. 77. Præsumptio quinque modis contingit. num. 77. & 78. Præsumptio virtualis vna, altera formalis, hæc tollit Spei habitum, non illa. num. 80.

Preces, Precario.

Preces quotidianæ & publicæ instituendæ ad extirpanda sagarum seminaria. Disp. 4. quæst. 5. n 137 Precibus importunis & blanditijs adducens & violans virginem quando teneatur compensare damna. Disp. 4. quæst. 6. num. 154. Precario empta vilius emuntur. Disp. 4, quæst. 7. num. 29. Precarium differt à mutuo & comodato. num. 73.

Pretium.

Pretiũ iustũ est, quod lege positiua vel prudentũ iudicio taxatum. Disput. 4, quæst. 7. num. 219.

Pretio æstimabilis est odij depositio ob difficultatem & mortificationem. Disp. 4. quæst. 6. num. 291. Item damnum alterius gratia susceptum. q. 7. n. 37. Item actio etiam iniusta. n. 298. Pretium actionis turpis promissum in conscientia est soluendum. num. 303. Ratione pretij quomodo vitientur cõtractus. Disp. 4. q. 7. à n. 25. Obligat ad restitutionem fraudatum pretium etiam non infra dimidium. ibid. n. eod. Pretium iustum est, quod est æquale rei tunc cum traditur. n. 26. Duplex est pretium, legitimum & naturale, hoc iterum triplex, rigidum, moderatum & infimum. num. 27. Pretium variatur ex præstantia rei naturali, & vsu, copia, inopia &c. num. 28. Quæ precario, sub hasta &c. venduntur, vilius emuntur. num. 29. Quæ sub auctione empta vel vendita sunt, absque fraude non obligant ad restitutionem. n. 30. Pretium augeri potest ob labores officij, industriam, periculum &c. an etiam ob affectum. num. 31. 32. Pretio taxato potest vendere rem qui nullo eam labore cõparauit. n. 31. Pretia varijs titulis augẽtur præter taxam. n. 33. Pretio non consueto venduntur res curiosæ varie. n. 34. Limitatur. seq. Ob damnum emergens & lucrum cessans amplius accipi & in pactum deduci potest. n. 36. Quomodo augeri possit ob pœnam conuentionalem. n. 44. Augeri vel minui pretium ob anticipatam vel dilatam solutionem nequit. n. 45. Nec in emendis debitis. n. 46. Neque in pacto retrouenditionis. n. 50. Ita etiam minuendum, cum grauatur emptor onere reuenditionis ob dilatam solutionem. n. 52. Pretium census quod iustum habeatur. Disp 4. q. 7. n. 118. seq. Id pretium non debet æquare omnes pensiones, nisi forte tantum ad annum emeretur. num. 120.

Primatus.

Primatum Ecclesiæ S. Petro Christus contulit. Disp. 1. quæst. 4. à n. 46. Primatum Petri negant Lutherus, Caluinus, & cæteri huius temporis hæretici. num. 77.

Princeps.

Princeps non est dominus vitæ subditorum, nec seruorum. D. 4. q. 1. n. 46. Eius auctoritate possunt transferri dominia. num. 63. Cum titulo ius indicendi vectigalia præscribit quadraginta annis. ib. In principe iustitia legalis est eiusdem speciei cum ea, quæ in subditis. Disp. 4 quæst. 2. num. 26 & 79. Principis etiam sententia est iniusta contra præceptum iuris lata. D 4. q. 4. n. 10. Princeps potest dispensare in legibus scriptis ex causa, sine damno alterius. num. 38. Princeps saluo bono communi potest remittere pœnam. num. 90. Princeps in illimitatam licentiam iudicum procedentium contra veneficia, certas leges statuat. D. 4q. 5. à n. 74. maxime. n. 81. 82. Princeps quid faciat ad extirpanda veneficia, sagarum seminaria. à n. 123. Potest princeps peccare sine obligatione restitutionis, in distributione suorum bonorum, exclusis quibusdam. Disp. 4. quæst. 6. num. 25. Principis designatus distributor qui peccet & cui faciat restitutionem. num. 26. Princeps imponens gabellas iniustas, restituat. num. 341. Princeps in prohibenda venatione ne prohibeat captarum ferarum dominium, omnium animalium venationem, & a agris defensionem; nec pœnis atrocibus facile nocentes plectat. num. 359. seqq. Princeps gaudet priuilegio restitutionis in integrum. Disp. 4. quæst. 7 num. 24. Adiudicans vsuras tenetur restituere, & est excommunicatus. num. 101. Officia non sunt bona Principis propria, sed communia Reipublicæ, & in ijs distribuendis pro acceptione personarum peccare potest grauiter. Disp. 4. quæst. 8. num. 22. Boni communis procuratio in tollendis malefactoribus pertinet ad Principem. num. 29. Testamentum coram Principe factum valet siue alia solennitate. q. 7. num. 303. V. *bellum.*

Prodigalitas.

Opponitur liberalitati per excessum, estq; ex suo genere peccatum veniale tantum. Disp. 6. quæst. 2. num. 46. & minus auaritia ibidem.

Promissio.

Mutua matrimonij promissio. Vide V. *Matrimonium.* Promissio donationis. Vide V. *Donatio.* Promissio merè interna non dat ius alteri. Disp. 4. quæst. 1. n. 58. Nec obligat promittentem. n. 59. Promissio non acceptata in foro externo regulariter non obligat. num. 58. Promissio etiam merè interna Deo & Sanctis facta, & acceptatur & obligat. num. 59. Promissio stipulatione firmata parit ciuilem obligationem. ibid. item acceptata. ibid. & num. 60. Eam rationabiliter non implens qui venialiter, qui mortaliter peccet. num. 61. 62. Promissiones etiam fictæ violatis puellis seruandæ. Disp. 4. quæst. 6. num. 128. 133. 136. 137. etsi per se non obligent. num. 36. Promissio pretij turpis post factum soluenda in conscientia. num. 303. Promissiones & contractus leui metu extorti quomodo non ligent. num. 326. Promissio iniusto metu cum iuramento facta ligat. num. 327. Promissio num seruanda excommunicato. n. 445. Promissio & donatio est contractus latè acceptus. Disp. 4. quæst. 7. num. 1. Pollicitatio iurata per se est seruanda, sed non acceptata non parit actionem. ib. num. 6. Promissio simplex ex metu tyranno facta, non obligat. Disp. 4. quæst. 8. n. 37. Quænam promissiones iure positiuo inualidæ sint. Disp. 6. quæst. 2. n. 48. Quonam pacto promissio seu donatio facta absenti acceptetur. num. 49. Post defunctum etiam donatorem valide acceptabitur res, modo tradatur ab eo qui ante mortem potestatem accepit. ibid. An & quinam pro absente promissionem acceptare & stipulari possint. num. 50. Qui & quantum quisque possit donare, & quænam donationes reuocari possint. num. 51. & 52. Quænam donationes iuris positiui constitutione propter excessum sunt irritæ. num. 53. Res donatæ etiam traditæ inter viuos reuocari possunt, tum ob ingratitudinem, donatarij, tum ob prolem susceptam, vel inofficiosam donationem. num. 53.

Propheta, Prophetia.

Prophetia ob euidentiam quã habet reuelans, differt à fide. D. 1. q. 1. n. 45. & q. 7. n. 143. Prophetiæ donum, veræ religionis signum. D. 1. q. 2. n. 83. Altior gradus Prophetiæ videtur esse, audire verba, quam videre res significantes veritatem. D. 1. q. 7. n. 148. Propheticum lumen, ea quidem ratione qua prophetis communicari solet, quoad ipsum iudicium, non potest esse habituale; licet species & phantasmata extraordinarie indita habitualiter in ijs permanserint. n. 159. 158. Gratiam prophetiæ permanenter multi habuerunt, & habere etiamnum possunt, nõ quod ea vti pro arbitrio possint, sed quod Deus illos frequenter illustrando ad hoc munus quodammodo vocauerit. n. 161. In prophetis non fuit imminutum meritum fidei per euidentiam reuelantis. D. 1. q. 7. n. 88. Prophetia non tantum ad futura, sed etiam ad præterita & præsentia, certo quodam lumine diuinæ reuelationis notificata, extenditur. D. 1. q. 7. n. 142. Prophetæ dupliciter à Deo instruuntur, per expressam reuelationem, & per instinctum occultum. n. 145. Ad perfectam prophetiã pertinet probe cognoscere visiones, & earum sensum. 145. Prophetiæ modus præcipue triplex. 1. per obiectum externum. 2. per internam imaginationem. 3. per simplicem illustrationem intellectus. n. 147.

Prouocans, Prouocatus.

Prouocans ad duellum, si lædat, ad nil tenetur, quamuis peccet mortaliter. D. 4. q. 6. n. 101. Duo se mutuo prouocantes & lædentes ad nil tenentur ib. & pari damno pugnantes. n. 104. Prouocans nec in iudicio petere nec accipere compensationem potest. ibid. Prouocatus nobilis aut vir militaris, in loco tantũ vltro comparens, & post inuasus lædens ad nil tenetur. n. 102.

Prudentia.

Qualis sit virtus, & in qua potentia. D. 3. q. 1. n. 1. Est virtus simpliciter. n. 2. & 12. Quodnam sit officium Prudentiæ. n. 3. Non præstituit finẽ virtutibus moralibus sed solum ea quæ sunt ad finem. ib. & n. 40. Cuius proinde est inuentio medij in virtutibus moralibus. n. 4. Propriũ est Prudentiæ præcipere. n. 5. Ad prudentiam spectat solicitudo, itemque recte consiliari, iudicare & præcipere. n. 6. Spectat ad Principem simul & subditos. n. 8. Prudentia perfecta est in iustis. n. 9. Nec à natura nobis inest. 10. Consistit non in sola cognitione, sed dispositiue etiam in appetitu. n. 11. Definitio prudentiæ. n. 12. Obiectum seu materia Prudentiæ. n. 13. Actus Prudentiæ non solum imperium, sed etiam recta consultatio & iudicium. n. 14. 15. Partes integrales Prudentiæ. n. 18. & 32. Partes subiectiuæ eiusdem. n. 20. Partes potentiales n. 21. & 33. Prudentia alia naturalis, alia infusa. n. 23. Infusæ Prudentiæ regula quæ sit. n. 26. Prudentia alia Monastica, alia cõmunis. n. 28. Communis quatuor species habet. ib. Prudentia politica stricte accepta, ppriè spectat ad ciues priuatos, non ad subordinatos magistratus. n. 28. Regnatiua Prudentia quid sit n. 29. An etiam detur distincta species Prudentiæ pro particularibus quibusque communitatibus Reipubl. ib. Prudentia particularis est vna specie infima virtus, nec multiplicatur pro numero virtutum moralium. n. 30. Eubulia, Synesis & Gnome non sunt habitus à Prudentia distincti, sed eiusdem actus. 34. Quo sensu Aristoteles Synesin & Gnomen acceperit. n. 35. 37. Anchinia siue sagacitas, quomodo se habeat ad prudẽtiam. n. 38. Prudentia ordine naturæ prior est cæteris virtutibus moralibus. n. 39. An prudentia sit prior natura etiam virtutibus Theologicis. n. 42. Prudentia nobilior est virtutibus moralibus, non autem Theologicis. 42. Quonam habitu dirigantur Fides & Spes in homine peccatore. n. 44. Præcepta affirmatiua Prudentiæ quæ & qualia. n. 45. & seq. Præcepta negatiua eiusdem. n. 50. Vitia prudentiæ per defectum opposita, quæ & quando distinctum peccatum constituant. n. 50. & 53. Vitia prudentiæ per excessum opposita. 55. Prudentia carnis quid sit, & quantum peccatum. ib.

Pupillus.

Pupilli bona præscribi non possunt. D 4. q. 1. n. 74. 89. Pupillus potest trahere ad iudicem Ecclesiasticum suum reum. D. 4. q. 4. num. 31. Vide *Tutor*. Pupillus quis dicitur. n. 309. 310. A pupillis ludo acquisita restituenda. ib. n. eod. Minutum tamen quid exponere honesto ludo possunt. ib. Possunt ex probabiliori aliquos contractus inire, ijsq; stare tenentur. n. 310. Gaudent tamen priuilegio restitutionis in integrum. ibid. Possunt retinere per ludum acquisita sine Tutoris auctoritate. n 311. Eius contractus cũ damno irriti absque tutoris auctoritate. n. 362.

Quarta.

Quartam Trebellianicam potest hæres detrahere in fidecommissaria substitutione. D. 4. q. 7. n. 16. Quartam Falcidiam licet detrahere hæredibus grauatis per legata &c. n. 319.

R.

Rapina.

Rapina est ablatio rei alienæ iniusta & violenta. D. 4. q. 8. n. 10. Est à furto specie distincta, & pro rei quantitate mortalis. ib.

Raptus.

Raptus est, quo aliquis præter naturæ ordinem abstrahitur à rerum sensibilium apprehensione. D. 1. q. 7. n. 149. Tripliciter fieri potest, vi naturæ, vi dæmonum, virtute diuina. ib. Etsi habeat causam ex parte appetitus, formaliter tamen ad solam cognoscitiuam potentiam pertinet. n 150. Differt ab extasi, quod raptus sit violenta alienatio sui; illa simplex quidam excessus extra sui potestatem. n. 157.

Redditus Ecclesiastici.

Vide *Beneficium Ecclesiasticum, Beneficiatus, Clericus, Episcopus.*

Regula.

Regula seu norma in communi quid sit. D. 1. q. 3. d. 1. n. 3. Verbum Dei certa fidei regula. ib. n. 6. Regulæ Sectariorum variæ refelluntur, dignoscendi sacram scripturam à non sacra. D. 1. q. 5. d. 1. Regulæ quatuor ad discernendas legitimas traditiones. ib. dub. 3. n. 161.

Regulæ fidei infallibiles septem enumerantur. D. 1. q. 5. dub. 1. n. 2.

Religio, seu fides.

Libertas religionum per se loquendo, & quoad fieri potest nec approbanda, nec permittenda, nec promittēda. D. 1. q. 9. d. 3. à n. 65. Libertas religionū quarūuis & perpetua à Catholico principe in sua ditione moraliter vix vnquam pacto aut iuramento licite concedi potest n. 94. Maior requiritur causa ad hoc, vt permissio falsæ religionis pacto firmetur, quam vt simpliciter permittatur. n. 97. Pacta de toleranda falsa religione ad certum tempus recte ineuntur. n. 99. In eiusmodi pactis Sum. Pontifex consulēdus. n. 101.

Religio, Religiosus.

Cum statu religionis vniuersim non pugnat etiam directum dominium D. 4. q. 1. n. 31. Religionū quarundam priuilegia circa præscriptionē immobilium. n. 90. 91. A religione alium vi ac fraude abducens fraudem amoliri, seductum ex iustitia, vel alium reducere, damnum religioni & seducto compensare quomodo debeat. D. 4. q. 6. d. 3. à n. 92. Religioni se tradere non tenetur seductor, si reuocare nequeat seductum. n. 97. Religionis ingressus debet esse liber, nec pro pœnitentia imponitur. ibid. A religione abducens nouitium, & ad hue secularem, imo etiam professum sed absque vi aut fraude, ad nil tenetur. 98. 99. Religiones approbatæ laudabiliter non relaxant ob priuatum bonum regulas de corporis asperitatibus. D. 4. q. 8. n. 48. Religiosi vsum non dominiū bonorum habent. D. 4. q. 1. n. 22. 69. Professi cuiusque religionis approbatæ non habent dominiū particulare rerū temporaliū. ib. n. 39. In loco religioso dimidium inuenti thesauri Prælato cedit. n. 55. Religiosi exempti. D. 4. q. 4. n. 26. In religiosorum inquisitione quid obseruādum. n. 88. Religiosis nō licet appellare nisi ad Papam. n. 100. In quibus causis aduocare possint. 126. In eos solum ius obedientiæ non iustitiæ habent Prælati D. 4. q. 6. n. 99. Religiosus voluntarie seductus, & desertor tenetur ex religione & obedientia, non ex iustitia redire. ibid. Religiosi minutulum quid ludo honesto exponere possunt, ex superiorum consensu. D. 4. q. 6. n. 309. atque ob actionem turpem tantundem à pellice potest retineri. 301. Religionem ingredi non licet, si creditoribus satisfieri breui possit; alias licet cessione bonorum. n. 444. Non renuntiant iuri naturali moderatæ defensionis. D. 4. q. 8. n. 76. Iidem ius honoris & famæ etsi non amiserint, & sæpe interfit vt illa defendātur, ex charitate tamē fugere & iniuria & morte tolerata proximū ædificare debēt. n. 78. 79. Religiosus in casu saltem extraordinario posset cogi à superiore vt permitteret sibi membrum, pro salute corporis amputari. n. 99. Erga religiosos quoad bona clam accepta possunt esse tam liberales superiores, quam est pater honestæ conditionis erga filium. Disp. 4. quæst. 8. num. 131.

Merito tamen hæc cauere, & inuitum superiorem censere debet ex vitæ instituto religiosus ibid.

Religio III. vt est virtus & status.

Religio qualis sit virtus. D. 5. q. 1. n. 13. Religionis obiectum materiale duplex est, propinquū & remotum n. 14. quorum vtrūq; peculiarē suā rationem formalem habet n. 16 Ad obiectum materiale Religionis spectat etiam cultus Sanctorū, hic tamen nonnunquam ad Duliam refertur. n. 20. Etsi non eodem cultu afficiamus Deum & hominē ob excellētiā supernaturalē eidē insitā, amamus tamen vtrumq; eadē charitate ob excellētiā dictā. n. 21. Cult⁹ Dei duplex est ali⁹ extern⁹, alius internus. Cultus hominis absq; actu externo esse non potest. n. 28. Quid sit cultus ille, qui per Religionem Deo offertur, & ab honore quomodo differat. n. 25. Religio & sāctitas nō differūt inter se essentialiter. n. 38. Religio quid sit. n. 45. Religio inter virtutes morales est perfectissima. n. 46. Religionem à pietate, obseruantia, humilitate, & gratitudine non distingui probabile est, probabilius tamen distinguitur à gratitudine sicut & ab obedientia & iustitia erga Deū n. 40. & seq. Religio est virtus moralis, ac pars potentialis Iustitiæ n. 31. quæ licet reddat debitum, non tamen reddit æquale. n. 4. Religio est virtus specialis à cæteris omnibus distincta. n. 32. & seq. Religio est vna specie infima. n. 35. Neque diuersitas obiectorum, neque actuum etiam diuersitas impediūt hanc infimam Religionis specificationem. n. 36. & seq. Religionis actus alij sunt immediate per se, alij mediate eliciti & quasi imperati. n. 48. Religionis actus imperati alij sunt externi, alij interni, n. 49. & seq. Religioni & charitati præ omnibus alijs virtutibus conuenit aliarum virtutum actus imperare n. 52. Religionis actus vniuersim sunt vndecim. n. 54 Religio consistit essentialiter in tribus cōmunibus votis paupertate, castitate, & obediētia. D. 6. q. 3. n. 95. Peccatores per se loquēdo non sunt arcendi ab ingressu religionis. D. 6. q. 3. n. 125. Quænam ad ingressum religionis ætas requiratur n. 129. Obsequium parentū eorumque necessitas non debet morari cōmuniter religionis ingressum. 33. Conditio seruitutis, æs alienum, ac nonnunquam obligatio rationū impediunt ab ingressu religionis. n. 135. & seq. An spōsis & cōiugibus, vel post consummatum matrimoniū liceat intrare religionē. n. 140. Tā Archidiaconis, quam parochis curatis cōsentiente Episcopo, vel irrationabiliter dissentiente, licet ingredi religionem, non item Episcopo inconsulto Pontifice. n. 141. An Clericus ingressus religionem teneatur resignare beneficium suum ante professionē, & quo interim fructus pertineant. ibid. Qualis & quanta ad religionis ingressum requiratur deliberatio. n. 143. & seq. An sit laudabile alios ad Religionis ingressum inducere. n. 155. sine legitima causa ab vna religione transire ad aliam non est laudabile. n. 159.

Quænam censeantur esse causæ legitimæ 160. Licet hodie Canonicis Regularibus transire ad Monachos petita tamen ad id prius licentia. num. 162.

Qui olim vouit religionem arctiorem, interim

professus in remissiori, non tenetur exire. 163. Quilibet regularis de cõmuni iure potest transire ad arctiorem religionem, siquidem ibidem etiam seruetur illa arctior disciplina. 164. An quis etiã nolens possit expelli è religione & quibus de causis n. 165. Post vota solennia eijcere inuitum est actus iniustitiæ, non item post simplicia, ib. Eiectus an obligetur adhuc votis suis, teneaturque aliam religionem intrare ibidem. *Religiosus* vide status.

Renuntiatio.

Qui ante ingressum Religionis absque eiusdem intuitu vult disponere, non est quod præter communes leges & consuetudines aliud obseruet. D. 6. q. 3. n. 167. Nouitij dispositio aut renuntiatio quænam censeatur esse valida. num. 168. & seq. Nouitijs & Religiosis Societatis Iesu ante professionem solennem semper licitum est disponere. 170. Quiuis Nouitius ante professionem licite testamentum facit, quod & post professionem valet, & ab eodem reuocari nequit. 171. & 172. Quonam tempore Legatarij extranei Religiosorum adire possint hæreditates. n. 173. Etsi renunciatio legitimæ, aut successionis, citra iuramentum sit irrita iure ciuili, tamen si fiat absque fraude, iuxta præscriptum Con. Trid. est licita & valida n. 174. Qui renuntiat hæreditati simul etiam renuntiat legitimę, si tamen ea deinde deuoluatur ad fratrem &c. recuperatur ius successionis. n. 175. Nec ætas minor renuntiationi obstat, modo doli sit capax. ib. Quo pacto, & quando ista renuntiatio seu pactum de nõ succedendo exspiret. n. 176. Per professionem ac renuntiationem filij, ipsum quoque monasterium amittit ius in bona renuntiata. n. 178. Ingressurus religionẽ ante omnia tenetur æri alieno de suo satisfacere. 179. Sicut parentes ingressuri religionem, tenentur descendentib. relinquere legitimam, ita etiam liberi ingressuri ad idem obligantur. n. 180. Ab ingressuris religionem extra ea quæ debita sunt, omnia oportet distribuere pauperibus n. 181. quo titulo etiam continentur cognati, egentes, monasteria tenuiter fundata; non item opulentiora. ibid. Bonorum dispositio facta à candidatis religionum non est irrita, neque mortaliter illicita, etsi non fiat in pios vsus. 189. Omnia bona religiosi ante professionem sunt monasterij, quamdiu aliter non dispositum fuerit, n. 190. 191. Quænam feuda ad monasteria transire possint? 192. Sunt quædam monasteria ex peculiari priuilegio nullius successionis capacia. 194. Statutum si quod fieret, ne quis ingressurus religionem sua secum transferret, adeoque propinquis etiam minime indigis transcriberet, nullo pacto foret licitum. n. 195. An peccent parentes vel cognati, qui vel vi, vel fraude impediunt liberam religiosi dispositionem, & num restitutioni sint obnoxij. num. 196. Peccant etiam grauissime parentes, qui filijs religiosis legitimam negant. n. 197. Neque pietati consonum est filijs religiosis absque legitima causa minorem hæreditatis partem assignare, vel ad resignandam hæreditatem totam, vel eius partem vi absque fraude adigere. 199. Candidatus societatis ante ingressum nouitiatus libere ac valide potest donare ac renuntiare. n. 202. Renuntiationes & donationes cum conditione regressus ad eadem bona in candidatis societatis simpliciter sunt irritæ, quanquam si absolutæ forent, validæ essent. n. 204. Societatis Candidati atque Nouitij, imo eiusdem Religiosi, etiam ante vota solemnia, iuxta peculiare Societatis institutum, testari non possunt. n. 205. Et tamen testamẽtum à Nouitio etiã inciso superiore factum, validum, quoad reuocetur à superiore, qui semper reuocandi potestatem habet extra articulum mortis, n. 205. & 206. Etsi tam Nouitij, quam Religiosi Societatis aliquamdiu bonorum suorũ dominium retineant, de ijs tamen absque superioris facultate & consensu, Nouitij quidem valide, non tamen licite, cæteri neque licite, neq; valide disponere possunt. ib. Religiosi Societatis ante vota solennia capaces sunt & dominij rerũ temporalium, & successionis hæreditariæ, legatorumque, de quibus etiam pro arbitrio superioris disponere possunt. 208. Tam professi quam condiutores formati omnino dominij, ac iuris temporalis rerum tam mobilium quam immobilium penitus sunt incapaces. n. 209. Nulla religio, neq; domus aut Collegium Societatis post solenia suorum vota, quando nulla præcessit dispositio, eorũ bonis succedere potest. n. 210. Est etiam præ cæteris religionib. hoc societati peculiare, vt neque eius professi aut coadiutores formati, nec ipsa societas eorum loco à quoquã hæres scribi possit. n. 211. Possunt tamen & Ecclesiæ societatis, & collegia domusque professæ, nõ quidem intuitu personarum, sed per se hæredes scribi & ex asse succedere. n. 214. Possunt etiã professis ac Religiosis Societatis bona quædam temporalia ita legari, vt post mortem testatoris non ipsi, sed religio, vel locus vbi habitant, succedat. n. 214. Possunt quidem religiosi etiam professi, itemque collegia ac domus probationis societatis in communi habere possessionem, imo ex quorundam opinione etiam dominium rerum mobil. ac immobilium, domus tamẽ professa omnis possessionis rerum immobilium est incapax. n. 215. *Represaliæ.*

Quid & quando licitæ sint. D. 2. q. 6. n. 73. Iis vti non licet contra psonas & bona Ecclesiastica. ib.

Res.

Verba non habent aliam significationem, nisi ad quam ex hominum imitatione determinata sunt; res vero certos ex natura sua vsus habent, quos præter hominum accidentariam institutionem significant. D. 1. q. 7. d. 5. n. 111. Res vsu consumptibiles, & quomodo earum vsus à dominio separari possit. D. 4. q. 1. n. 21. 22. Re quinam contractus perficiantur. D. 4. q. 7. n. 2.

Residentia vide *beneficiatus.*

Respublica.

Bene ordinata respubl. præter leges scriptas exigit alium iudicem visibilem. D. 1. q. 3. d. 1. n. 15. & seq. Non habet dominium in vitam subditorũ. D. 4. q. 1. n. 46. habet tamẽ ius ciuẽ pernitiosum

nitiosum perimendi. ib. Id enim eius pax requirit. D. 4. q. 8. n. 28. eius damna ex negligentia officialium & impunitate scelerum. D. 4. q. 6. n. 71. Eius autoritate possunt transferri rerum dominia. ib. n. 63. & q. 6. n. 361. & q. 7. n. 79. In contractibus nō aperte iniustis potest supplere quod deest D. 4. q. 6. n. 361. & q. 7. n. 83. Eius condonatione vel suppletione potest ex mutuo nō vi mutui aliquid amplius accipi. D. 4. q. 7. n. 79. seq. & 83. Reipub. contractus vtiles nō facile dānandi, nisi apertus sit error. ib. n. 83. Communi consilio sibi prospicere potest de capite, in eū ius regendi deferre; si abutatur, vt cōtra tyrannū se defendere, eum deponere, & punire potest. q. 8. n. 33. Contra eundem ius belli vindicatiui habet. à n. 34. Pro bono Reipb. communi debet quisque vitam ponere. n. 53. Nolens potest cogi, & inuitus tradi à Republ. vel vt contumax etiam occidi. n. 55. Quid dux, miles, priuatus debeat reipubl. vide *charitas*. Respubl. gaudet priuilegio restitutionis in integrum. D. 4. q. 1. n. 105.

Restitutio.

Restitutionis in integrum priuilegio qui gaudeant. D. 4. q. 1. à n. 104. & ex institutō. D. 4. q. 7. à n. 23. Quid restitutio. D. 4. q. 6. n. 1. Significat actum quo damnum in bonis quibuscunq; proximo iniuste factum reficitur. ib. & n. 4. Est actus solius iustitiæ commutatiuæ. n. 2. & eius tantum violatione oritur. n. 11. & 14. Differt à satisfactione num. 34. & ab eleemosyna. 10. Est necessaria tantum necessitate præcepti non medij. 7. Illius præceptum est negatiuum. 8. 9. Non oritur per se ex violatione iustitiæ legalis. 12. Quando oriatur ex violatione iustitiæ distributiuæ. 15. item ex stipulatione præuia principis. 25. 27. Quomodo obliget restitutio in collatione beneficiorum, & bonorum communium. D. 4. q. 6. à n. 15. & is cui per sententiam iniustam ex parte rei iudicatæ res est adiudicata. D. 4. q. 4. n. 11. Iudex cum damno partium causas protrahens. ib. n. 90. Aduocatus dans causam damno ob patrocinium causæ iniquæ. ib. n. 127. vel improbe extorquens stipendium n. 130. Restitutionis strictæ duo generatim tituli. D. 4. q. 6. n. 28. seq. ad eam tenetur omnis habens alienum, domino rationabiliter inuito, , sed diuerso modo. ib. Ratione damni tripliciter obligaris. 35. Ex intentione sola lædendi non oritur. n. 36. Neq; ex nocumento dato quod ne daretur, omnis diligentia fuit adhibita, ni pactum assecurationis liget 37. Damnificans scienter & iniuste, tenetur ad omnia damna, etsi res perierit. 39. Practice in foro conscientiæ ad restitutionem nō teneris ratione delicti damnificans præter intentionem, nisi ex culpa lata seu mortali n. 40. 43. 45. 49. Ratione contractus damna præter intentionem data compensanda sub mortali ob pactum assecurationis, aut longiorem moram, aut vsurpationem inconcessam rei commodatæ. 49. Quæ culpa restitutionem inducat in deposito, pignore, commodato. 50. sententia iudicis damnatus præstare damnum debes. n. 56. & in dubio compensationem facere. 60. seqq. ad restitutionē in dubia culpa nemo damnandus in foro externo. 62. à consecutione boni impediens iniuste & ex odio restituat. 63. non tenetur si absque fraude impedit eum qui nullum ius in re, nec ad rē habet. 64. Si ius ad rem habebat per vim aut fraudem impediens à bono consequendo in solidum restituat. 65. 66. Si consecutio non erat certa, p ratione certitudinis restituendum. 68. Nil restituendum si absq; vi impedias à nondum legato aut nondum collato. 69. Quid restituat negligens procurare bonum proximi, parochus, iudex, custos, fiscalis, reus, testis. 70. seq. Telonarij, fluminum, syluarum custodes. n. 82. seqq. Quid restituat nocens in bonis animi per veneficia, philtra, doctrinam malam. 86. seq. ad peccatum inducēs ad quid obligetur à n. 89. & religiosum vi ac fraude seducens quid teneatur à 92. Quid homicida, mutilator, restituat. D. 4. q. 6. n. 100. & pro damno irreparabili à n. 109. Lædens vel occidens etiam ex priuato odio sed bello iusto, ad nil tenetur. n. 100. Lædens item consentientem, saltem tacite. n. 101. & quomodo prouocans & prouocatus deobligentur à restitutione ib. Quid restituendum pro virgine, aut nupta violata à n. 128. Quid pro honore & fama. à n. 140. Quib. titulis, & cui restituendum ratione beneficiorū Ecclesiasticorum à n. 161. Quid beneficiatus destruens bona immobilia &c. ib. n. 211. Restitutio rei furtiuæ à n. 256. Accipiens aliquid tanquā mercedem vt quid faciat vel nō faciat, quod ex iustitia facere vel non facere tenetur. 288. seq. Quid restituendum ob actionē malam & turpē à n. 298. Restituenda ex ludo à n. 306. vide *Ludus*. Restituenda ob donationes & contractus metu factos. à. n. 315. Vide *metus*. Ob falsatam monetam, literas, testamenta à n. 330. Ob gabellas defraudatas &c. à n. 336. Ob illicitam *lignationem & pabulationem* à n. 347. Ob venationē, piscationē, aucupium, columbaria à n. 349. Ob contractus illegitimos. à n. 361. Restitutionis circumstantię à n. 373. In vsu consumptibilibus æquiualens, in alijs idē numero reddendū. n. 375. Non plus accepto restituendū, nisi per accidens, in pœnam & post sententiā iudicis. n. 376. Cui res accepta reddenda n. 377. Vrgenti in suū detrimentū potest differri restitutio. n. 379. Dissipanti bona Ecclesiastica nō sunt restituenda 380. Si dñus rei alienę ignoretur quando in pios vsus expendenda. 381. seq. Inuenta domini ignoti, nō necessario pauperib. eroganda. 385. Domino mortuo restituendū hæredibus. 386. Absenti transmittenda sumptibus iniusti acceptoris. 387. Quomodo & à quo restituendum damnum coniunctis operis factū à n. 391. 1. ab eo qui alienum quoquo modo habet 391. vel adquē res furtiua peruenit. 401. 2. ab socijs participantibus &c. non impedientibus. 392. seqq. Principali restituenti alij æque principales obligantur, at minus principales ad nil tenentur. 402. 404 in defectu aliorum, tenentur in solidū quisq; reliquorum n. 396. & 404. Quibus conditionibus liceat sibi restituere. à 406. Quomodo restituendū creditoribus si omnibus nō possit. à n. 412 1. restituēda ea quæ extant, & eadē numero reddenda, deposita, pignora, locata, empta nō soluta. 412. quomodo debita realia à num. 413.

personalia à n. 419. Vbi restituere etiam obligantur nō seruantes ordinem & consuetudinem restitutionis. 423. Restitutionis omissio est vnū peccatum, nisi pœnitentia, vel longo tempore interrumpatur, idque in confessione explicandum. 426. seq. Causæ excusantes à restitutione à n. 428. ignorantia iuris & facti. n. 428. impotentia restituendi; extrema necessitas, periculum infamiæ, & mutandi status, nisi tua culpa sis depauperatus. n. 430 seqq. periculum mortis & infamiæ. n. 442. Damnum creditoris. 437. vel eius consensus, ib. exceptis tribus casibus. n. 438. à restitutione liberat etiam dispositio supremæ potestatis & sententia iudicis; Papæ & Episcopi in debitis incertis condonatio ex rationabili causa. n. 440. Itē præscriptio & vsucapio. 441. ad eandem non obligat res in extrema necessitate destructa. D. 4. q. 4 n. 104. Cessio bonorum non omnino tollit restitutionis obligationē. q. 6 n. 441. Restitutio quando differatur ob excommunicationem creditoris. 445.

Reuelatio.

Reuelatio diuina obiectum fidei formale *Quo.* D. 1. q. 1. n. 3. seqq. Reuelatio diuina comprehendit primo conceptum diuinæ mentis, secundario vero eius signa. n. 37. Reuelatio vt est ratio credendi, obscura est, tum ratione rei reuelatæ, tum reuelantis. à n. 40. vsque ad 53. An reuelatio diuina prout significat obiectum formale fidei, comprehendat non solum reuelationes factas Ecclesiæ, sed etiam priuatis. n. 59. Priuatæ reuelationi dissentiens pertinaciter essentialem malitiam hæresis contrahit, tamen secundum phrasin fori Ecclesiastici hæreticus non dicitur. D. 1. q. 1. n. 6. & q. 8. num. 163. In omni assensu fidei diuinæ, quo credimus obiectum reuelatum, simul & eodem assensu fide diuina credimus etiam ipsam reuelationem tanquam rationem credendi obiectum per modum medij cogniti. ib. dub. 4 toto. Reuelatio infallibilis non esset; si Deus falsum dicere posset. n. 137. Reuelatio existimata diuina non facit fidem diuinam n. 149. Sine noua reuelatione non est nouus fidei articulus. n. 214.

Reus.

Sine rei citatione & audientia inualidum est iudicium. D. 4. q. 4 n. 5. Ad eum iuridice interrogandum sufficit semiplena probatio. n. 72. Ex sola denunciatione non potest interrogari reus, nisi alia sint indicia. 73. Nec tenetur se prodere requisitus per viam generalis inquisitionis etiam sub excomunicationis comminatione &c. neque alij eum occultum tenentur pandere. n. 74. Quomodo ex notorio iuris, seu eius confessione contra eum procedi possit. n. 78. Quando possit interrogari & torqueri ex indicijs expressis &c. n. 83. Reus debet audiri, etiam in crimine notorio, & plene probato. n. 85. Quando iure possit interrogari & is respondere de cōplice. 86. aut de pluribus criminibus. 87. Reus non legitime interrogatus, aut de hoc dubitans non tenetur crimen fateri. 95. Legitime interrogatus tenetur crimen fateri sub peccato mortali, & cum periculo mortis, ex veriori; non tamen improbabile contrarium, si spes sit euadendi. num. 96.

Negatum crimen tenetur fateri dum durat processus, sed non eo absoluto. ibid. Reus inique interrogatus non videtur peccare per se, reuelando crimen occultum, vel socios. 98. Reus ob sententiam dubiam aut iniustam triplici conditione ter potest appellare. n. 100. Damnatus vel damnandus ad mortem, triremes, aut carceres perpetuos, ex carcere aufugere potest. n. 101. 101. Innocens debet, si potest fugere. ibid. In graui metu pœnæ corporalis carceres & vincula licet ipsi effringere. 103. nec ad restitutionem damni sic videtur obligatus. 104. Sine vi potest se excutere à ministro iustitiæ. num. 106. Damnatus ad inediam potest oblatum cibum accipere, non tamen tenetur; n. 107. & alij cibum possunt offerre, nec tamen tenentur. ibid. Venenum sumere non tenetur; ex probabili potest. num. 108. Hoc non potest, vt sui occidendi animo sumat. 109. Pro reo standum, si testes pares numerō & dignitate stent pro eodem. nu. 119. Reo fauendum potius, si partium iura sint obscura. D. 4. q. 5. n. 28. & 54. q. 6. n. 61. 126. Non est vltra tertiam vicem torquendus etiam ex grauissimis indicijs. q. 5. n. 70. Confessionem suam edat ex tortura demissus. ib. 71. Danda ei copia indiciorum & processus informatiui cum aduocato. n. 73. seqq. Reo suam confessionem retractanti quid faciendum, à n. 88. de eodem Carolina Constitutio. n. 98. Iam damnatus non tenetur reuocare crimen sibi impositum metu torturæ. n. 100. & 110. seq. si tamen spes certa esset euadendi, teneretur. nu. 102. Ad innocentem falso denunciatum liberandum compellendus est reuocare. n. 103. seq. Reo in carcere mortuō ante latam sententiam, non est neganda sepultura. n. 109. 110. Iniuste negans crimen non tenetur ad multam fisco soluendam. ibid. n. 76. sed tamen ad damnum aduersario præstandum tenetur. 77. nisi ex metu pœnæ grauissimæ excusetur. 78.

Rustici.

Gaudeantne priuilegio restitutionis in integrum. D. 4. q. 7. n. 24. Possunt dare in feudum. ib. n. 180. Quando illis satisfaciendum à principe, si militem in hybernis &c. alant. D. 2. q. 6. num. 61. Rusticanorum vtriusque sexus turpia conuenticula, ludi, choreæ, tactus, denudationes, fagarum sunt seminaria. D. 4. quæst. 5. num. 123. & 125.

Sacerdos.

Summi quoque Sacerdotes veteris testamenti quamdiu illud in vigore fuit, in decretis ad religionem pertinentibus fuere infallibiles. D. 1. q 4. n. 272.

Sacerdos nōn peccat contra professionem religionis, mutando habitum, & tonsuram, vel interroganti negando se esse sacerdotem. D. 1. q. 7. n. 121.

Sacramenta.

Sacramentorum legitimus vsus non est sufficiens veræ Ecclesiæ nota. D.1.q.3.n.97. Sacramentorum substantiam & rationem ex præcepto fideles scire tenentur in lege Euangelica. D.1. qu. 9. numero 72.

Sacrificium.

Quid proprie per sacrificium intelligatur. D.5. q.3.n.2. Sacrificium in genere est quasi compositum quoddam artificiale seu morale, ex ratione signi veluti forma, & actione externa quasi materia. num.3. Materiale sacrificij includit aliquid sensibile, externum & quodammodo permanens, item actionem qua ea res Deo offertur. nu.5. Debet autem oblatio esse sensibilis, immediate Deo facta, & immutatiua ac consecratiua rei quæ offertur. n.6. & seq. Sacrificium debet fieri à competente ministro n.10. Sacrificij institutio non est iuris naturalis proprie loquendo, naturæ tamen admodum conueniens. n.11. Sacrificium diuidi potest, 1. ratione originis. 2. ratione materiæ. 3. ratione actionis oblatiuæ & finis. 4. deniq; ratione rei oblatæ & ipsius etiam oblationis, num. 12. seq.

Sacrilegium.

Sacrilegium est violatio rei sacræ qua sacra est, fit comissione, vel omissione iuxta diuersitatem obiectorum tripliciter, vel violatione personę sacræ, vel violatione rei sacræ, vel deniq; loci sacri. D.5.q.8.n.7. & seq. Quænam censeantur loca sacra, vnde non possunt extrahi transfugæ. nu.14. Hac immunitate quinam gaudeant, qui non. n.16. Quicunq; iudex per vim extractum à se vel alio è loco sacro, condemnat, restitutionis fit reus. n.18. An & quinam sacrilegi ipso facto sint excommunicati. n.19. Omne sacrilegium est peccatum mortale nisi excusetur aut indeliberatione, aut paruitate materiæ. n.20.

Sagæ.

Sagarum nefanda crimina, & contagio morte punienda. D.4.q.5.n.45. Quinam cum ijs processus instituend⁹ & moderandus. n.2. seqq. n.11.12. Suspectis & lapsis dandus locus & facultas se purgandi, nec pro iam conuictis habendæ. numero 17. & 24. Earum denunciationes solæ non sufficiunt ad damnandam aliam denunciatam. ibid. Multo minus ad torquendas vel damnandas personas bonæ famæ. à n.23. maxime n.31. Illarum denunciationes quomodo elidantur. nu.32.33. 37.40.41. Per somnia & translationes phantasticas deluduntur. n.43. Sagæ pœnitentes denunciare debent. n.44. & 131. Earum reuocatio in extremis quid valeat. n.53. Contra sagas procedendi signa etiam sine denunciationibus. n.55. Quomodo disponendæ sagæ post confessionē suorum criminum vt complices denuncient. num.57. Eis danda copia indiciorum & aduocatus. nu.73.76. 77.78. Non statim vt captæ sunt, torturis subijciendæ. n.80. Consulendum in hoc negotio Christianæ & naturali modestiæ. n.81. Earum reuocationi de persona innocente denunciata quomodo credendum. n.89. seqq. Quomodo sibi & alijs falsa imposita crimina reuocent. n.100. seq.

Sagis laborantibus violenta suspicione, nec tamen conuictis aut confessis extra periculum mortis non est danda SS. Eucharistia. nu.106. Si vrgeat periculum mortis in carcere, nec SS. Eucharistia neganda. n.108. nec mortuæ sepultura Ecclesiastica. n.109.110. Sagarum iudicium non finitur morte, sed post mortem potest iudex cœptam causam prosequi, & legitime damnatarum ossa exhumare & comburere. n.111. Ad earum maleficia auertenda valet confessio. SS. Missa, S. Crux &c. à nu.114. Sagas extirpandi remedia à n.123. Sagarum seminaria sunt obscæna vtriusque sexus conuenticula. n.123.124. turpes contactus, complexus, denudationes in choreis, ludis, turpe quoddam chorearum genus. nu.125. Sagis pœnitentibus venia & reconciliatio promittenda, & seruanda fides etiam post atrocia facta. nu-mero 132. Nonnunquam expedit, loco suplicij capitalis, ad publicam pœnitentiam aliquam admittere n.133.

Salutare, Resalutare.

Salutare & resalutare inimicum potest esse necessarium, ita vt id omittere possit esse mortale. D.2.q.3.n.12.

Sancti.

Sancti à Pontifice canonizati necessario pro talibus habendi & colendi sunt. D.1.q.4.nu.289. Sanctorum reliquiæ, imagines, inuocatio valent contra præstigias. D.4.q.5.nu.121. An licitum sit Sanctos inuocare. Vide *Adoratio. Imago.*

Sanctitas vitæ fidelium, veræ fidei argumentū. D.1.q.2.n.91. Nullos habere sanctos non potest nisi falsæ Ecclesiæ conuenire. D.1.q3.n.131. Sanctitatis defectus apud sectarios probatur. D.1.q.9. n.132. subsannatio in sanctos facta est irreligiositas. D.4.q.8.n.153. Sanctis maledicere pro vt Deus in illis habitat, est blasphemia. n.117.

Sanitas.

Gratia gratis data quæ dicitur, sanitatum, dicit potestatem patrandi miracula in ordine ad salutem corporum, & ita materialiter tantum differt à Gratia virtutum.

Sapientia.

Sapientia quæ datur ob priuatam vtilitatem non intrat in animam maleuolam, Sap.1. Sed ea quę datur ad salutem publicam aliorum. D.1.q.4. n.274. Donum sapientiæ perficit intellectum ad recte credendum & agendum per causas altissimas & diuinas. D.1.q.6.n.94. Gratia quæ dicitur sermo Sapientiæ, diuina cognoscit & externo sermone tractat per causas superiores & rationes diuinas, eoq; differt à sermone scientiæ. Disp.1.q.7. n.134. & 36. Sapientia est donum Spiritus S. quo de Deo, rebusque omnibus secundum diuinas regulas iudicatur. D.2.q.4. n.36. Ad eam spectat vt Deus altissima causa cognoscatur, & omnia ordinentur ex interna cum eo coniunctione n.37. Speculatiua est & practica, vt nō solum speculetur diuina sed practice per regulas diuinas dirigat actus humanos. n.38.39. Excellentior est quam Sapientia virtus intellectualis, per quandam vnionem attingens Deum quod fit per charitatem, & ad plura se extendit n.39.

Per-

Per eam amaritudo in hac vita vertitur in dulcedinem. n. 40. 44. Eius subiectum, formaliter est in intellectu, charitatem velut causam supponit in voluntate, per quam habet illam connaturalitatem ad res diuinas, ex qua habet esse donum Spiritus Sancti. n. 41. 42. Hoc donum non est in peccatoribus sed in omnibus gratiam & charitatem habentibus, secundum diuersum tamen gradum. num. 46 47. Sapientiæ donum est distinctum ab acquisita sapientia, fide, dono intellectus, scientiæ & Charitate, ei tamen respondet. n. 48. 49. 50. Eidem sapientiæ septima beatitudo Pacificorum respondet. n. 51. Vnde tribuatur Sapientiæ, quod sit pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia &c. n. 52. Initium sapientię timor Domini est, quod sapientia primo omnium remoueat mala. n. 52. Sapientiæ diuinæ opponitur triplex Sapientia, animalis, terrena, diabolica. D. 2. q. 4. n. 54. Sapientes ad bonum & malum. ib. Sapientia terrena est, quæ pro vltimo fine habet bonum terrenum, animalis bonum corporis; diabolica aliquam excellentiam vanam. ib. n. 54.

Satisfactio.

Satisfactio quid & quomodo differat à restitutione. D. 4. q. 6. num. 3. 4. Per illam Deo satisfit. num. 5.

Scandalum.

Quid & quotuplex. *D.* 2. q. 6. n. 95. Scandalum passiuum non est speciale peccatum sed actiuum, & quidem ex suo genere mortale. n. 96. Nec ad id requiritur directa intentio ruinæ spiritualis. n. 96. Excusat tamen à mortali tum indeliberatio tum paruitas materiæ. n. 97. Non semper habet adiunctam specialē malitiam eius peccati, ad quod proximus inducitur, nisi directe sit intentum. num. 98 Scandalum non cadit in viros perfectos. n. 99. An & quando liceat rem per se non malam, at non sine peccato exercendam, ab alio petere, suadere, præcipere. n. 101. An & qua ratione liceat propter maius peccatum vitandum, inducere ad minus. n. 102. Qua ratione liceat per accidens aut remote malo cooperari. n. 103. An à peccato excusentur metu mortis remigantes in nauibus Turcarum, aut eis arma ministrantes. n. 104. Admouere scalam, aut res latentes prodere furi; aut ferre amatoriam epistolam amicæ, aut vendere arma, aleas, pigmenta ijsdem abusuris n. 104. & seq. An & quale peccatum sit aliquem à bono indebito impedire. 106. Non solum omnes actiones malæ, sed etiam mali speciem habentes propter scandalum omittendæ. n. 107. nisi forte in casu extraordinario magnæ vtilitatis vel necessitatis. n. 108. Ob scandalum vitandum non sunt omittenda bona spiritualia necessaria; nec etiam cætera, si scandalum sit Pharisaicum n. 109. & seq. Si scandalum sit infirmorum, reddenda est ratio facti, quæ si contemnatur, contemni etiam poterit scandalum. n. 112. Quænam bona necessario ob scandalum prætermittenda. 113. Etiam præstat nonnunquam ob scandalum tacere verum. n. 114. Consilia Euangelica qua ratione ob scandalum prætermittenda. n. 115. Qua ratione bona temporalia propter scandalum dimittenda. n. 116.

Bona communia Ecclesię rectoribus commissa communiter propter scandalum non dimittenda. ib. 117. Sæpe tamen expedit Prælatis ad tempus dissimulare, vel etiam condonare, aut condonationem procurare. n. 118. & seqq. An & qua ratione possit nonnunquam aliquod præceptum positiuum negligi ob vitandum scandalum. n. 120. Et quid in cæteris actionibus obseruandum.

Scientia.

Actus scientiæ solum quoad exercitium liber est & meritorius. D. 1. q. 7. num. 81. Gratia quæ dicitur sermo scientiæ, tum ad cognitionem, tum ad explicationem externam rerum fidei pertinet. ibidem. num. 134. Differt à sermone sapientiæ, quod hic Diuina tractet ex superioribus causis, ille ab inferioribus & creatis. n. 136. Dono scientiæ opponitur ignorantia. D. 1. quæstione 8. num. 2.

Scotus.

Scoti sententiæ discussæ: dum asserit, fidem Diuinam resolui in aliquid fide humana creditum. D. 1. quæst. 5. n. 180. Præter habitum fidei in intellectu credentis nullum alium poni in voluntate. D. 1. q. 6. n. 9. 10. Habitum fidei non esse certum certitudine obiectiua. D. 1. quæst. 6 n. 47. Omnem habentem fidem certum esse se habere fidem. *D.* 1. q. 6. n. 87. Infideles subiectos Christianis ad fidem compellendos. D. 1. q. 9. n. 1. Habitum spei non distingui à fide & Charitate, esse probabile. D. 2. q. 1. n. 20. Habitum spei naturalem dici posse virtutem Theologicam. n. 21. Eiusdem sententia refutatur, qua dicit, non licere malefactores in scriptura non expressos occidere. D. 4. q. 8. n. 8.

Scriptura sacra.

Scriptura S. non est ordinarius iudex controuersiarum fidei. D. 1. q. 3. à n. 15. vsque ad n. 35. Quædam controuersa scriptura iudice definiri nequeunt. ib. n. 19. Scriptura per se sola non satis damnat hæreticos ibid. n. 20. Scriptura difficilis & obscura. n. 23. Quo sensu nihilominus dicatur lex Domini lumen oculorum. n. 32. Scripturæ vocabulo intelligimus Verbum Dei Spiritu sancto dictante & inspirante conscriptum ab homine. D. 1. q. 5. n. 4. Nefas est, scripturam vel minimi erroris arguere, profecti à scriptore sacro. D. 1. q. 5. n. 8. Scriptura sacra continetur omnibus & solis ijs libris quos Ecclesia in Canonem recipit. ib n. 10. Referuntur variæ regulæ dignoscendi scripturam sacram a profana. ib. vide. v. *Canonicus.* omnes & soli & toti illi libri sacri & Canonici sunt, quos Concilium Trid. exhibet sess. 14. D. 1. q. 5. n. 39. Recensentur libri Canonici. ibid. Scripturæ textus editio. vide v. *Biblia.* Scriptura traditiones asserit & commendat. n. 98. Scriptura non ideo propriè conscripta est, vt esset norma & comprehensio fidei, sed vt esset commonitoriū ad conseruandam fidem prædicatione acceptam. n. 145. Quo duplici sensu scriptura sufficienter contineat, quæ ad religionem pertinent. n. 153. Scriptura S. infallibilis fidei regula; qua tamen notior & vniuersalior est Ecclesia, vtpote ipsam scripturam eiusque sensum, multa insuper non scripta patefaciens. n. 175.

Scriptura non tantum creditur ex auctoritate Ecclesiæ sed ex communibus fidei motiuis. n. 187.

Secretum.

Ex probabili potest re9 metu grauis torturę secreto alienum crimen sibi commissum prodere. D. 4. q. 4. n. 98. Secretum contra commune bonum non obligat. ib. n. 110. 117.

Senex, Senectus.

Senes ex longa experientia suspicioſi. D. 4. q. 3. n. 11. Senectuti defertur honor tanquam ordinem habenti ad virtutem. q. 8. n. 21.

Sepultura.

Sepultura Ecclesiastica non est neganda pœnitentibus absolutis. D. 4. q. 5. n. 109. V. *eleemosyna.*

Sub excommunicatione ad eam non potest admitti vsurarius manifestus. D 4. q. 7. n. 107.

Serui, Seruitus.

Serui de iure non habent dominium. D. 4. q. 1. num. 38. & num. 116. Inter seruum & dominum ius est legale secundum quid. num. 116. Est etiam ius simpliciter. D. 4. quæst. 2. num. 12. & num. 73. In seruorum vitam non habet dominium Princeps, Respublica, Dominus. num. 46. ratio ibid. Seruitutis duplex significatum. D. 4 quæst. 1. num. 20. Est genus quasi ad vsum, & ad vsum fructum, ibid. Seruitutes variæ, affirmatiua, continua, personalis, vrbana. ibid.

Simonia.

Simoniaca electio Summi Pontificis an valida. Vide *Electio* Per Simoniam accepta restituenda ante sententiam. D. 4. q. 6. num. 298. 304. & quidem pauperibus. num. 389. Ob Simoniam non possunt vendi spiritualia. D. 4. quæst. 7. num. 55.

Simonia à Simone Mago dicta est peccatum Religioni oppositum, quo spirituale quidpiam vel spirituali annexum emitur, aut venditur. D. 5. quæst. 8. num. 21. Per spirituale intelligitur vel id quod per essentiam est tale, vel causaliter vel effectiue, vel quod rei spirituali est annexum antecedenter, concomitanter, aut consequenter. num. 22. Simonia est ex genere suo peccatum mortale, nisi excusetur ab ignorantia aut inaduertentia num. 26. Quotuplex sit Simonia. num. 27. & seq. Potuit ante Christi aduentum vera Simonia committi ab ijs qui secundum legem naturæ viuebant extra Synagogam. num. 33. Potuit etiam committi ab Idololatris ante Christum, non item post eius aduentum. num. 34. 35.

Officium vel operam docendi vendere non est simonia, neque ex S. script. euinci potest. num. 36. & seq. Quonam pacto pretium pro virtutum actib. accipere sit simoniacum. num. 40. & seq.

Pro omissione actus spiritualis dare vel accipere aliquid propriè non est simoniacum. n. 43.

Quæ per se pretio æstimabilia, etsi rebus sacris sint annexa, absque simonia possunt commutari, alioqui non possunt. num. 44. & seqq.

Beneficium Ecclesiasticum tria complectitur, Titulum, 2. ius percipiendi fructus, 3. fructū ipsum. num 51. Officium Ecclesiasticum iure naturali citra simoniam vendi non potest, etsi possit vendi fructus eius, imo etiam ius percipiendi fructus & conduci & elocari potest. n. 51. & 52.

Ius percipiendi fructus officio debitos, vel personis ob titulum spiritualem, ne iure quidem naturali potest emi aut vendi. numero 55. & 56. quod quoad simplicia beneficia bene negat Nau. num. 54. Varie tamen à Pontifice circa beneficia dispensari potest, concedendo scil. fructum absque titulo, etiam cum iure percipiendi eos fructus. num. 55. Potest quæuis pensio spiritualis absque simonia redimi. num. 57.

An simoniacum sit rem spiritualem cum temporali commutare. num. 58. 64.

Permutatio rerum spiritualium intuitu temporalium, quæ annexa sunt, simoniaca est tam positiuo quam naturali iure. num 59. & 60.

Permutatio beneficiorum quo pacto sit licita, num. 61. Quo pacto incurratur simonia. n. 63.

Potest Episcopo impendi officium spe alicuius beneficij titulo gratitudinis. num. 69.

Nec illæ etiam donationes sunt simoniacæ quæ fiunt Ecclesiæ sub onere recompensationis alicuius spiritualis. n. 70. Licet etiam pecunia velut motiuo quodam ad actus virtutum prouocare. n. 71.

Beneficium precibus aut motiuo consanguinitatis indultum non est simoniacum, licitum etiam est alia spiritualia ex metu conferre. n. 73. 74.

Licet etiam pacisci de retributione temporali modo caueat scandalum, & temporale non exigatur tanquam pretium rei spiritualis. n. 76.

An sit simonia temporali aliquo munere redimere vexationem, qua quis impeditur à consecutione beneficij aut alterius boni spiritualis. n. 77. & seq. Simonia mentalis nullam pœnam iuris incurrit. num. 84.

Conuentionalis obligat ad restituendum quidquid acquisitum est, temporale quidem etiam ante sententiam iudicis ei à quo *acceptum, spirituale* verò superiori præter pœnam pro arbitrio iudicis determinandam. num. 85. & seq.

Realis quoque simonia obligat ad restituendum quidquid simoniacè acceptum est (deductis tamen expensis) spirituale quidem prælato, si possit tamen restitui, temporale & quidem ante sententiam iudicis, ei qui dedit, post sententiam verò Ecclesiæ vel pauperib. n. 89. & seq.

Tenetur is quoque restituere qui bona licet fide, ab eo tamen qui simoniace dedit, accepit, sine fructibus tamen. n. 92.

Quinam simoniaci incurrant Excommunicationem. n. 93. Quænam pœnæ simoniæ confidentiali in beneficio à Pio V. sint determinatæ. n. 96. Simonia in electione Papæ, vel examinandis pro Parochijs admissa priuat ipso iure, facitque inhabilem ad alia, vsu tamen receptum est, vt ante sententiam iudicis non dimittant. n. 67. & seq.

Potest Papa circa omnes simoniæ pœnas dispensare. n. 99.

Simplicitas. Vide *Veritas.*

Societas.

Societatis contractus quid, & quomodo ineatur. D. 4. quæst. 7. num. 200. Quibus conditionibus ineundus, & vt in eo plus valeat opera quam pecunia. num. 201. seqq.

Et sortis etiam pecuniariæ sit particeps, qui operam contulit. n. 203. seqq.

Quo-

Quomodo damnum æqualiter ad ſocios perueniat aut vnum tantum. num. 206. Expenſæ item ſint communes. num. 207. Ei contractui poſſunt addi contractus alij inter eoſdem ſocios, iuri naturali & humano non contrarij, vt pactum aſſecurationis & capitalis, certis tamē conditionibus. n. 208. ſeqq. vbi fuſe cōmoda eius contractus. Societatis contractus implicita vel explicita intentione iniri poteſt ab illis, q̄ contractu innominato dant 5. pro 100. n. 222. Societatis titulo an potuit in vili moneta ſumma 1000. florenorum dari lucroſo negotiatori anno 1620. &c. qui & lucrum & capitale in bona moneta redderet. n. 258.

Societas IESV.

Eius Profeſſi, Coadiutores formati ſpirituales & temporales non habent dominium particulare rerum temporalium. D. 4. q. 1. n. 39. Eius bona immobilia præſcribi non poſſunt niſi annis ſexaginta. num. 91. In bonis alienandis non requititur tractatio capitularis. D. 4. q. 7. n. 185. & diſp. 6. ex inſtituto, &c.

Solennitas.

Solennitates iuris omiſſæ vtrum irritent contractum. D. 4 q. 6. à n. 364. Sine ſolennitate quidem contractus ſuper abalienatione bonorum Eccleſiaſticorum facti tenent in conſcientia. D. 4. quæſt. 7. num. 189. ſeq. Solennitates teſtamenti. D. 4. quæſtione 7. numero 300. ſeqq. Vide *Teſtamentum*,

Somnium, Vide Diuinatio.

Spes.

Spes virtus Theologica definitur. D. 2. quæſt. 1. num. 2. Speramus etiam bona naturalia quatenus ad Deum ducunt. D. 2. quæſt. 1. num. 5. Spes ſecundum actum principalem non eſt ſimplex amor, ſed efficax voluntas conſequendi Deum num. 6. Spes tendit in Deum vt ſummum bonum noſtrum, charitas in Deum vt ſummum bonum abſolute num. 7. & D. 2. quæſt. 2. num. 10. Datur aliquis ſpei actus, quo nihil efficaciter obtinendum appetitur. num. 13. Ratio ardui, non eſt ratio formalis obiectiua Spei, ſicut nec nullius alterius proſecutionis. D. 2. quæſt. 1. num. 20. Habitus ſpei naturalis & acquiſitus de Deo vt eſt bonum ſupernaturale, nec perfecta virtus eſt, nec virtus eſt Theologica. num. 21. Actus à virtute ſpei eliciti, præter intentionem finis, & electionem mediorum, ſunt etiam alij, & proſecutionis quidem, amor concupiſcentiæ, deſiderium, gaudium de bono; fugæ vero odium & abominatio, timor, & dolor de malo oppoſito. n. 22. & ſeqq. Spes etiam in hac vita quodammodo beatos facit. num. 24. Sperare alteri ſupernaturalem poteſt beatitudinem etiam peccator, quia amor ad ſpem ſupernaturalem prærequiſitus non eſt actus charitatis. D. 2. q. 1. n. 30. 31. Spes ordine naturæ poſterior eſt fide, prior charitate. n. 32. Spes in ratione virtutis perfectior eſt habitu fidei. numero 33. Spei ſubiectum proximum, voluntas. D. 2. q. 1. n. 35. Spes ſupponit in intellectu iudicium de poſſibilitate beatitudinis. n. 36. 38. Spes certa. n. 39. Spes eſt in iuſtis & iniuſtis viatoribus non in damnatis, nec in beatis. ſaltem quoad id quod imperfectum in Spe eſt, videlicet carentiam & expectationem proprię beatitudinis, qua ratione etiam non fuit in Chriſto. n. 40. 41. 42. 43. Nec actus nec habitus ſpei metaphyſice loquendo, repugnat ſtatui beatorum num. 49. Spes non amittitur per peccatum contra præceptum ſpei affirmatiuum. n. 82. A miſſa per infidelitatem fide, ſpes quoque cum cæteris habitibus infuſis amittitur. ibid.

Spiritualia.

Ratione ſpiritualium bonorum & temporalium quis ordo charitatis ad ſe & proximum. D. 2. quæſt. 3. à n. 50. Vide *Charitas*. Quomodo ſpiritualia bona proximi anteferenda temporalib. proprijs. n. 59. Spiritualium bonorū dominium habet homo. D. 4. q. 1. n. 47. & ſeq. Non poſſunt vendi. D. 4. q. 7. n. 55. Spirituale bonum v. g. infantis non baptizati & ab fugiente equite conculcandi præferendum vitæ corporali. D. 4 q. 8. n. 57.

Spurius.

Spurius adeptus bona fide hæreditatem non tenetur cedere, nec credere matri etiam iuranti. D. 4. q. 6. n. 443. Qui ſint ſpurij. D. 4. q. 7. n. 12. Nil poſſunt à paternis bonis vel ex teſtamento, ſeu promiſſione, neque ab hærede, niſi liberaliter datum accipere, ibid. Matri etiam carenti legitimo nō poteſt ſuccedere, poteſt tamē retinere dona, donec priuetur ibid. Alimenta illis debentur à matre per triennium, poſt à patre. Spuriæ quoque loco alimenti etiam dos debet dari. ibid,

Status.

In ſtatu Innocentiæ nulla fuiſſet dominiorum diuiſio. D. 4. q. 1. n. 69.

Cum mutatione ſtatus non tenetur reſtituere bonæ fidei debitor. D. 4. q. 6. n. 430.

Niſi ſua culpa & fraudibus eum obtinuiſſet, & ſine infamia mutare poſſet. n. 431.

Quæ tamen infamia non excuſaret vilem hominem obligatum ad magnam ſummam. n. 434. Nec cum iniuſte & malis artibus parta ſunt, etſi mendicitatem omnino incurrat, niſi infamia excuſet. n. 436.

Honeſto alias viuens ſtatu poteſt ſeruare, quæ ad illum ſunt neceſſaria. ibid. Cedere bonis abſque culpa coactus poteſt abſcondere quantitatem neceſſariam ad ſtatum. n. 441.

Status vniuerſim diuiditur in Eccleſiaſticum & Laicum, qui iterum varie ſubdiuiduntur. D. 6. q. 3. n. 7. Quomodo inter ſe differant perfectio & ſtatus perfectionis. num. 19. ſeq. Epiſcopi & Religioſi ſunt in ſtatu perfectionis, ſed non eodem modo. 21. 24. 28.

Prælati cæteri & Curati ſeu Presbyteri, itemque Clerici non ſunt in ſtatu perfectionis. num. 25. 26.

Etſi ex ſe ſtatus religioſus præcedat presbyteratum &c. poſterior tamen eſt ille religioſorum ſtatus, qui curam animarum non habet. numero. 30. Quoniam ordine ſtatus religioſi ſecundum ordinem perfectionis ſibi ſuccedant. num. 34. Perfectio ſtatus religioſi vnde metienda. numero 36 Etſi vita ſolitaria cæteris paribus perfectior ſit cœnobiticâ, eſt tamen periculoſior numero 44.

Statuta,

Statuta rerum publicarum non facilè condemnanda, si videantur iniqua. *D.*4.q.1.n.64. & quæst. 6.n.361.

Sterilitas.

Si res censualis sterilescat, pensio remittenda. *D.*4.q.7.n.121. Item si res conducta, pro ratione damni.n.158.seq. Quæ censeatur sterilitas.n.160.

Stipendium.

Stipendium parochorum ad animas in spirituali necessitate iuuandas obligat etiam cum periculo. *D.*2.q.3.n.60.62.64.seqq. Idem obligat, ducem, militem ad vitam pro communitate in necessitate ponendam.n.70. Stipendia à duobus non potest accipere vni ex iustitia obligatus. *D.*4.q.7.n.62. Neque sibi licet compensare clandestina compensatione, nisi esset infra infimum iustæ mercedis gradum n.164. & fuse q.6.à n.406. Stipendium Tutoris n.293.

Stipulatio.

Ex ea oritur ius ad rem, & obligatio restitutionis. *D.*4.q.6.n.25.27. Contractus ille verbis perficitur. *D* 4 q.7.n.2. Vide *Promissio.*

Studiosus.

An à studiosis exigendæ gabellæ, standum consuetudine. *D.*4.q.6.n.346.

Stuprum.

Stuprum est genus contumeliæ, quomodo compensandum. *D.*4. q 6.n.129. Virgini consentienti stuprum faciens nil tenetur nisi prolem alere. ibid. num.128.130. Stupro fraude violata aut ducenda, aut damna compensanda.num.130.131.seq. Blanditijs adductæ & iam ante violatæ quid teneatur. numer.134.135. Quid ei teneatur ratione promissi matrimonij. num.136. seq. Quid ligatus voto castitatis & religionis. n.138. Stuprum dicitur etsi volente parente filia corrumpitur. *D.*4. q.8.n.9.

Subditi.

Subditi accusare non prohibentur, nisi infames, & ex odio. *D* 4.q.4.n.11.

Subsannatio.

Subsannatio est derisio factis exercita, grauior contumelia; in Deum facta est blasphemia, in sanctos irreligiositas, in parentes impietas. *D.*4. q.8. num.153.

Substitutio.

Substitutio cum vnus loco alterius hæres instituitur est directa & indirecta, & quæuis adhuc est sextuplex, & quid singulæ sint. *D.*4.quæst. 7. num. 314.seqq. Si substitutus sit pia causa non potest hæres detrahere quartam partem. num.316. Quis ordo in substitutione compendiosa. numero 317.

Superstitio.

Quid sit. *D.* 5. q.7. n.1. Species superstitionis sunt Idololatria, superstitiosa diuinatio, & vanæ obseruantiæ.ibid.

Suspicio.

Suspicio quid, quam illicita, vnde orta. *D.* 4. quæst. 3.num.8. 9.seqq. & n.32.35. Quæ indicia requirantur ad suspicionem non temerariam. num.25. Suspicio per se & regulariter etiam in materia graui non est peccatum mortale. num. 31. & seqq. vbi etiam natura suspicionis explicatur. Neque etiam in peccato morali videtur esse mortale peccatum, secluso odio & prauo affectu.numero 39. 44. Suspicio per accidens ex prauo affectu, & in materia grauissima potest esse mortale. num.37.44. In suspicione duplex potest esse indeliberatio.num.40. Primaria & intrinseca indeliberatio est cum quis non aduertit se ex insufficientibus indicijs rapi in suspicionem, & hoc excusat à mortali. ibid. Suspicio temeraria vt sic directe non potest esse voluntaria. ibidem. Suspicio in re graui prodita apud suspectum, grauem contumeliam continet, & est mortalis.num. 42. Suspicio ex sufficientibus indicijs absque honesto fine & causa vtilitatis est illicita & venialis. num.49. Suspicione violenta laborantib. reis sagis num SS.sacramenta administranda, & sepultura concedenda. *D.*4.q.5. à n.106.

Susurratio.

Susurratio est amicitiæ inter duos dissolutio facta per detractionem vel per aliam narrationem, est mortalis, aut venialis ob leuitatem materiæ aut indeliberationem. *D.*4.q.8.n.152.

Symbolum.

Symbolum Apostolorum quot contineat articulos. *D.*1.q.1. d.8.n.219.seqq. Symbolū Apostol, an sit scriptura Canonica. ibid. num.225. Cur ita appellatum.num.229. An in Symbolo rectè etiam dici possit, Credo in Sanctam Ecclesiam &c.num. 230. Symbolum Nicænum. numer.231. & seq. Symbolum Athanasij. num.234. Symbolum de nuo potest condere Pontifex & Ecclesia.num.236. Symbolum Apostol. sicut & orationem Dominicam sub præscripta verborum formula memoriter tenere necesse est. *D.*1,q.7. n.73.

Syndici.

Syndici constituantur ad denuncianda omnia magiæ, & veneficiorum indicia. Disp.4. quæst. 5. num,129.

T.

Talio.

Talionis pœnam omnibus iuste irrogari Pythagoricorum & Rhadamanti sententia. Disp. 4. quæst.2.num.66.

Talio statuitur accusatori, qui in probatione accusationis ex malitia susceptæ deficit. Disp.4. quæst.4. num.115.

Talionis pœna occisor non satisfacit parti læsæ. Disp.4. quæst.6.num.113.

Temerarium iudicium. Vide *Suspicio, Iudicium &c.*

Temporalia bona.

Temporalia bona quomodo ex charitate salutis spiritualis proximi vel eius bonis temporalibus postponenda. *D.*2.quæst.3. à n.59. & à num.69. Vide *Proximus, Episcopus, Caritas, Communitas.*

Tempus.

Tempus legitimum est necessaria conditio ad præscriptionem. D.4.q.2.n.82.83. Quantum requiratur pro singulis præscriptionibus. n.85. seq. Tempore immemoriali sine titulo præscribitur ius patronatus. n.94. exigendi aut non soluendi decimas. n 96. ius indicendi vectigalia. n.98. Prior tempore prior iure in soluēdis hypothecarijs creditoribus valet. D.4.q.6.n.416.

Tentatio Dei.

Tentatio Dei est species irreligiositatis, vitium oppositum religioni per defectū, quo quis temere explorat diuinam potentiam. D.5.q.8.num.1. Est peccatum mortale ex genere suo, & interdum veniale vel ob indeliberationem actus, vel ob materiæ leuitatem. n. 2. sibi autem vel proximo necessitatis, vel vtilitatis causa quiduis petere humiliter à Deo charitatis est & religionis, non temeritatis. n.2.

Testamentum.

Testamentum dolo mutare curans tenetur ad restitutionem. D.4.q.6.n.65. Testamenta Episcoporum, Clericorum debent esse pro pauperibus & pijs causis. n.233.238. seq. & fusè à n.244. Nec præscribi nec dispensari valide potest, si non ad honestum & per se licitum vsum ex particulari causa impetraretur dispensatio n.251. Incomoda ex testamentis clericorum in vsus profanos legantium. nu.250. Testamenta clericorum in profanos vsus odiosa magis quam donationes inter viuos, quæ tamen habentur illicitæ. n252. Testamenta falsare, lacerare, obligat ad restitutionem. n.332. Testamenta minus solemnia ad pias causas cum duobus testibus in vtroq; foro valent. n.368. seq. Eiusmodi vero testes in foro cōscientię necessarij non sunt. nu. 370. Testamentarij tutores qui testamento vel codicillo patris pro filio relicti. D.4.q.7.n.272. Quid testamentum, vnde dictum. ib.n.294. Conuenit cum cæteris vltimis voluntatibus, & ab ijsdem differt, quod sit hæredis directa institutio. n.295.296. Testamentum aliud in scriptis seu clausum, aliud nuncupatiuum: ad prius quales septem testes requirantur qui subscribant & subsignent. ib.n.300. Excipitur testamentū coram rege & c. militis. n. 303. Ad testamentū nuncupatiuū itidem septē testes necessarij, & notarius vel octauus testis. n. 301. Vtrumq; debet esse absolutū, alias nullū etiam quoad priora coram testibus dicta. n. 302. Quædam valent sine solennitatibus vt coram rege, militis testamentum inter liberos & descendentes. n.303. Testamenta dubij valoris per codicillarem clausulam transeunt in codicillum n.305. Quis effectus eius codicilli. ib. Testamentariæ solemnitates etiam iure canonico receptæ sunt, etsi subditis Ecclesiarum & clericis tres vel duæ personæ cum parocho sufficiant, vel quatuor testes tantum. nu.306. Testamentorum solenitates ad pias causas & naturalem obligationem in foro conscientiæ. 307. Varia genera hominum testari prohibita. n.308.

Testari subgraui obligatione per se nemo tenetur sed ad cauendas lites. n.309.

Impedientes testamentum aut eius mutationem peccant & bonis ijs priuantur. ib.

Testis, Testimonium.

Testis facit semiplenam probationem. D.4.q.4. n.73. debet esse distinctus ab accusatore & denunciatore. ibid. Vt testis iuridice interrogari possit, requritur publica infamia. n. 76. Quomodo absq; publica infamia ex alijs causis & indicijs possit ad specialem inquisitionem testium procedi. nu. 82. Testari quluis tenetur ex præcepto vel charitate. n.116. Testari licet etiam de crimine occulto & sibi sub iuramento secreto cōmisso, vbi maior obligatio erga rempublicam vel innocentem. numero 117. Duo testes sufficiunt omni exceptione maiores: in particularibus quibusdam causis plures requiruntur. n.118. & D.4.q.5.n.27.308. Testes singulares quanti faciendi. nu. 119. 120. 121. A testimonio ferendo qui repellantur. num. 123. Testis quomodo mentiendo peccet mortaliter aut venialiter. n.124. Vnus testis in occultis non facit indicium ad torturā nec plures ad condemnādum, nisi sit omni exceptione maior, vel adiuuetur alijs adminiculis. D.4.q.5.n.24. seqq. maxime n.29. Testis infamis est inhabilis ad faciendum indicium absq; alijs adiumentis etiā in exceptis criminibus à n.29. Testis & accusatoris præsumptū odiū elidit eius indicium. n 49. Testis iniuste recusans testimonium, aut falsum testificans, non tenetur ad multā fisco soluendā. D.4.q.6.num.75. Tenetur tamen ad damnū parti prēstandum. n.77. nisi metu incomodi excusetur. n.78.79.

Theologia, Theologus.

Theologia in quo à fide differat. D.1.q.1.n.72. Theologum contra veneficia quid scire oporteat. D.4.q.5.n.112. Theologus iudicibus contra sagas procedentibus attribuendus, & quod eius officium. n.127. Torturæ interesse non debet. n. 128. Vtrum Theologia propretio doceri possit. D.5.q.8. à n 36.

Thesauri.

Thesauri qui sint inuentoris. D.4.q.1.num.53. seqq.

S. Thomas.

Eius sententia discussa, an fides esse possit cum euidentia. D.2.q.6.n.166. Explicatur eius sententia dicētis fidem informē non esse virtutē. D.1.q.6. nu.29. Quo sensu dicat hæreticos non statim sed post primam & secundam correptionem ab Ecclesia damnari. D.4.q.8.n.108. Spem non esse in beatis. D.2.q.1.n.44. Timorem seruilem bonum esse quoad substantiam, malum quoad seruilitatem. n.58. Timorem seruilē nō esse in beatis. n.65. Quo sensu dicat obiectum charitatis esse bonum diuinum vt est beatitudinis obiectum. D.2.qu.2. nu.9. Quo sensu dicat eundem actum quoad substantiam posse esse naturalem & supernaturalem. ib.n.77.

Timor.

Timor in genere est fuga mali possibilis futuri contrarij bono amato. D.2.q.1 n.51. Nascitur ex amore n. eod. Timor triplex, Filialis, seruilis, mūdanus. nu.53. Timor filialis est quo timemus malum culpæ & offensam Dei, propter ipsamet DEI bonitatem. nu. 54. Est actus charitatis ib. Seruilis est quo timemus malum pœnæ, & Deum quatenus eius causa est. nu.55. Seruilis timor duplex, bonus & malus, & quid vterq;. n.55. seq. Timor seruilis bonus initium Sapientiæ effectiue. numero 57. 63. Timor mundanus quis dicatur. 59.

Crescente charitate minuitur timor seruilis quoad actus exercitium. n. 64. Timor, donum spiritus S. habitus est à reliquis virtutibus distinctus, quo reddimur facile mobiles ad timendum Deum. n. 62. An in beatis & quomodo maneat timor tam seruilis quam filialis. n. 65. 66. Qua ratione ex timore proueniat paupertas spiritus quæ est prima beatitudo. n. 67. *Tituli.*

Quibus titulis transferatur dominium. D. 4. q. 7. n. 52. 57. 63. 65' & seqq. Quibus præscribatur. n. 76. Etiam in bonis mobilibus Ecclesiæ. nu. 86. & minorenium. 88. Quo titulo præscribatur beneficium. nu. 92. Sine titulo sed tempore immemoriali præscribitur ius patronatus. n. 94. Ius exigendi decimas, vel non soluendi. n. 96. Ius indicendi vectigalia. n. 98. Titulum coloratum habentis iudicis acta sunt valida. D. 4. q. 4. nu. 21. Tituli generales duo restitutionis. D 4. q. 6. n. 28. seqq. Titulus contractus quando obliget sub mortali ad restitutionem damni. n. 49. Quasi titulo laborum potest beneficiatus inualide tenens beneficium fructus percipere. n. 163. Titulo reualidato cũ beneficio possunt retineri etiam fructus percepti. n. 166. Titulus quomodo reualidetur, & ad quem reualidatio spectet. nu. 167. Tituli ob quos pretia non æqua in emptionibus excusantur. D. 4. qu. 7. à n. 33. Tituli ex mutuo licite lucrandi. n. 78.

Tortura.

Ad torturam rei maiora requiruntur indicia, quam ad simplicem interrogationem. D. 4. q. 4. n. 83. & q. 5. n 45. Torturæ metu graui ex probabili potest reꝰ crimen alienum occultum prodere n. q. 4. 98. Ex probabili non peccat mortaliter si magna vi tormentorum reus falsum imponat alij. n. 99. Falsum tamen crimen si sine metu torturæ potest retractare, tenetur reus. ib. Torturam q. 5. adhibere iam legitime sceleris conuicto non licet. n. 17. Per torturam sufficientem purgantur indicia & denuntiationes, & plenę probationes. n. 18. & num. 107. Per torturam expressa confessio non præuijs sufficientibus indicijs est nulla etiam accedente ratifactione. ib. n. 19. A tortura non est incipiendum etiã in atrocissimis criminibus absque legitimis indicijs. n. 29. Ad torturam personæ alias honestę non sufficiunt solum etiam plurium sagarum denunciationes. n. 31. seqq. Tortura vna licita est contra retractantem, si non alia accedant indicia. 69. Aut priora sint grauissima. n. 70 Non in tortura acceptetur rei cõfessio. n. 71. Sufficit etiam metus torturæ. n. 71. Non statim capto ante sui defensionem adhibenda. num. 80. Metu torturæ graui non tenetur reus sub mortali negare in extremis crimẽ, quod sibi imposuit. n. 100. seq. *Traditio.*

Ecclesiæ traditio non sufficit ad fidei controuersias omnes diiudicandas, absq; alio iudice absoluto. D. 1. q. 3. n. 35. Traditionis vocabulo intelligitur doctrina ad religionẽ spectans, nec in scriptura aperte tradita nec ex sola Scriptura euidenter deducta. D. 1. q. 5. nu. 96. Traditio dicitur verbum Dei, non ea modo, quæ à Christo, sed & quæ ab Apostolis nutu spiritus S. profecta in materia religionis. num. eod Esse in Ecclesia verbum Dei non scriptum siue traditiones, probatur. Disp. 1. q. 5. nu. 98. Vide V. *scriptura* V. *Israelita* Exempla traditionis veteris testamenti recensentur ib. à nu. 100. Traditionum noui testamenti à n. 111. Traditione nititur scripturę authoritas. ib. n. 126. Traditiones diuinæ non scriptæ, & doctrina diuina Christi in Euangelio contenta eiusdem sunt auctoritatis, sicut & doctrina scripta & non scripta Apostolorum & Ecclesię, respectiue ib. n. 156.

Tributum.

Quid & quare soluendum. D. 4. q. 6 n. 336. Vide V. *Gabellæ.* *SS. Trinitas.*

Mysterium SS. Trinitatis explicite credere in lege naturæ & Mosaica, necessarium non fuit necessitate medij. D. 1. q. 7. n. 38. Fides implicita SS. Trinitatis in omni statu semper est & fuit necessaria necessitate medij ad vtramq; salutem. n. 40. Explicitam fidem SS. Trinitatis necessariam non esse necessitate medij post Euangelium promulgatum, probabile: contrariũ tamen probabilius. n. 44. Mysterium SS Trinitatis explicite credere tenebantur necessitate præcepti in lege naturæ & Moysi Maiores, non minores. 60. In lege etiam Euangelica ab hoc mysterio explicite credendo excusari possunt multi per inuincibilem ignorantiam, etsi per se ad hoc, tempore hoc teneantur necessitate præcepti. n. 63. SS. Trinitas imagorecte permissa. Vide *Imago* *Turpe.*

Pro actione mala quacunq; licet iniusta non est restituendum in foro conscientiæ ante iudicis sententiam, vel confessarij præceptum; excepta simonia & incapacitate dãtis & recipiẽtis. D. 4. q. 6. n. 298. Hinc excusantur assassini. n. 299. Meretrices quoq; seu publicę seu occultę etsi blanditijs elicuerint & consuetis mendacijs. num. 300. 301. Tenentur tamen restituere accepta abreligiosis & minorenibus & per fraudem. ib. Aliæ virgines, coniugatæ, moniales non quidem dantibus, sed quibus subsunt dare tenentur accepta ex turpi quæstu, sed sine nota. n. 302. Pretium promissum pro turpi actione pòst in conscientia soluendum. n. 303. Accepta ob turpem causam & per se restitutioni obnoxia ante sententiã restituenda. n. 304 Turpitudinem suam alleganti nulla debetur fides etiam iuranti. 443. *Tutela, Tutor.*

Cum moderamine debito se defendens nulli facit iniuriam. D. 4. q. 6. n. 38. nec tenetur restituere. n. 100. sicut & in duello prouocatus. n. 102. Excedens notabiliter moderamẽ & occidens, lædẽs &c. tenetur restituere. n. 103. Tutela virtualis quasi contractus & officiũ ad bona minorũ curãda. D. 4. q. 7. n. 269. Tutelam miserabiliũ personarum potest suscipere Episcopus, clericus eandem & insuper legitimam. n. 275. Tutela varie finitur. n. 289. seq. Tutor ex qua culpa ratione officij teneatur ad damna inconsulto data bonis sui clientis compensanda. D. 4. q. 6. n. 55. seqq. sine eius auctoritate non potest pupillus ludo perdere & lucrari. n. 309. 330. Tutores pro pupillo vsuras exercentes tenentur in solidum restituere. D. 4. q. 7. n. 120. Tutores año 1620. acceptantes veterum debitorum solutionem in vili monera tenẽtur ad damna pupillis. nu. 240. Et aduersus ipsos dabitur pupillis restitutio in integrum. num. 241. Quis tutor & vnde dictꝰ, eiusq; officiũ ex instituto.

D.4.q.8.à n. 269. seqq. Is conuenit solum impuberi & differt à curatore hoc & alijs modis quod detur etiam inuito, & detur maxime personæ, cuius educationem curet. nu. 270. Tutorum tria sunt genera, testamentarij, legitimi, datiui. n. 272. Legitimi tutores esse possunt mater, auia, consanguinei. ib. Datiui possunt etiã à iudice cogi. n. 273. Qui tutores esse non possint. n. 275. Qui à tutela excusentur. n. 276. Tutores iurare debent se recte munere functuros. n. 277 nisi ipsi bona imobilia habeant quæ omnia sunt hypothecata minori, sub fide iussore rem minoris saluam præstent. numero 278. Triplex est eorum potestas in personas, res & causas minorum n. 280. & seq. Bona ita administret, vt ea augeat vel damnũ præstet. n. 282. seq. Qua ratione emere vel alienare licet ex bonis minoris & 284. seq. Si plures sint, eorum consensus requiritur, rationes singulis añis dandæ, damnum is præstare debet cuius ex negligentia factum est. n. 288. Ob dolum remotus est infamis. n. 292. Tutor re bene gesta præmio dignus, quod pro ratione bonorũ est varũi. 293.

Tyrannus.

Tyrañi sententiæ etiam iustæ in conscientia necessaria non est obtemperandũ. D.4.q.4.n.13. Si tantum in modo gubernandi peccet, ei est obtemperandam etiam in conscientia. n. 14. Ob vitandum tamen scandalum tumultus est necessarium obtemperare, præsertim si iam sit in pacifica possessione. nu. 14. Ob eundem modum regendi quamdiu potestate legitime non priuatur, non licet priuato tyrañum occidere. D.4.q.8.n.32. Ei cõmunitati, quæ superiorem non habet, licet ex communi consilio tyrañum potestate compescere, & pro meritis punire, sicut & priuatis iniuste inuasis cum moderamine, se defendere contra inuasorem. nu. 33. Potest contra eum Respublica bellum gerere, & eundem per priuatum occidere certis conditionibus. à n. 34.

V.

Vasa.

Vasorum Ecclesiasticorum dominium non est penes clericos. D.4.q.6.n.212.

Vasallus.

Vasallus idem quod feudatarius. D.4.q.7. numero 172.

Vectigal.

Vectigalia indicendi ius quanto tempore præscribat Princeps. D.4.q.1.nu.98 Quibus rebus & conditionibus possit imponi & solui. Disp 4.q.6. à n. 336. Vide *Gabellæ.*

Venatio.

Venari contra prohibitionem feras liberas cum damno est iniustum & pœnæ post sententiã obnoxium. D.4.q.6.n.355. Nec dominium feræ captæ acquiris si Princeps prohibeat. n, 356. Venari liberum est ex consuetudine n. 357. Ad venationem iuste prohibendam requiritur auctoritas & iusta causa. num. eod. In ipsa prohibitione quis modus seruandus. Vide *Feræ, Custodes, multa.*

Venditio, Venditor.

Venditor ante alios creditores soluendus, cuius res adhuc extat nondum soluta ab emptore. D.4.q.7.n.28. Rerum pretium taxandum ex ipsarum præstantia, vsu &c. n. eod. Precario & ex necessitate vendita minoris sunt. ibid. Omnis etiam non mercator potest vendere taxato pretio & lucrari. num. 31. Vendi res ob aliquos titulos carius potest. n. 33. non tamen carius quam nunc valet etsi alio tempore sit plus valitura, num. 38. Vendens rem fructiferam, si percipiat fructus ante solutionem, sed rei translato dominio, debet eorum pretium in sortem computare. nu. 48. In pacto retrouenditionis minuendum pretium & in redemptione non est augendum per se. nu. 51. Vendens magno pretio, & statim reemens viliori illicite facit. nu. 52. Vendere currenti pretio potes, etsi scias id diminutum iri. n. 53. Venditio ex materia dupliciter fit illicita. n. 55. Si materia sit prohibita. ib. Venditor sciens vitia, & non pandens emptori cupienti, tenetur ad damna. nu. 57. Tenetur etiã ad partem pretij, si emptor adhuc sed minoris empturus erat. ib. Non peccat per se mortaliter qui se non offert ad contractum rescindendũ, si nulla fuit inæqualitas. n. 58. Si absq; dolo & nil interrogatus taces vitium emptori, quiex multis eligit sibi mercem vitiosam, non peccas contra iustitiam. n. 59. Neq; peccat venditor, si protestetur se nolle teneri de vitio sibi ignoto. nu. 61. In aperto vitio, si non supra dimidium iusti pretij es deceptus, non datur actio. n. 62. Nec teneris vitia non adeo noxia aperire, si emptor non interroget n. 63. Venditio iniusta non est, si vitium nec absolutæ, nec cõditionatæ emptoris intentioni aduersetur, sed perfectioni materialiter tantũ ab emptore volitæ. nu. 65. Vendere non licet personæ, quæ putatur abusura re empta. n. 68. Aliæ circumstantiæ, quibus redditur illicita negotiatio, vt ratione festi, loci sacri, &c. à n. 70. Vendi res emphiteutica quomodo possit. n. 169. Qualis venditio in simonia. D.6.q.8.n.23. Venditio officiorum illicita & pestilens Reipublicæ. D.4.q.8.n.23.

Veneficium.

Veneficij crimen est exceptum. D.4.q.5.nu.1. Pro eo inquirendo iudicãdoq; generalia sex principia, à n. 2. vsq; ad n. 19. In eo iudex non tenetur seruare cõmunem iudiciorum ordinem. n. 2.5. Ei grauissima alia crimina iuncta. n. 4.5. Veneficium inter excepta crimina est exceptissimum, & peculiari indigens processu. n. 62. Etiam post mortem contra veneficas procedi, & quot añis licet. n. 111. 4. Veneficia quomodo auertenda. n. 113. seq. Eorum seminaria quomodo extirpanda. nu. 123. Veneficio nocens qui restituat. D.4.q.6. n.87.

Venenum.

Reus ad id damnatus non tenetur sumere; licite posse probabile est. D.4.q.4.n.108.

Verbum Dei.

Verbum Dei certa regula fidei. D.1.q.3.n.7. Diuiditur in scriptum & non scriptum. D.1.q.5.n.2.

Veritas.

Prima veritas vltimatũ obiectum formale fidei diuinæ. D.1.q.2.n.17. Veritas seu veracitas vt specialis virtus moralis in voluntate sita, qua quis in verbis factisq; verum amat dicere & facere. Disp. 6. q.2.nu.1. Quo pacto fides aliæq; virtutes intellectuales ab hac veritate speciali differant, & quale habeant medium. n. 2. & 3. Simplicitas duplicitati opposita ad veritatem spectat, à qua non nisi ratione distinguitur n. 4.

Virgo.

Virgini violatæ non tenetur parens augere dotem. D. 4. q. 6. nu. 130. Per vim violata aut ducenda, aut damna omnia compensanda. num. 131. 132. Nisi violatio nil obfuerit. num. 133. Virgini precibus adductæ, & iam ante violatæ quid debeatur. n. 134. seq. Promissum matrimonium, & alia pacta puellæ seruanda. n. 128. 133. 136. A matrimonio tamen duo excusant casus. nu. 137. Vtrum excuset votum. n. 138. Virginem sponte consentientem, & obligationē post remittentem violans ad nil tenetur. n. 139.

Virtus.

Nulla virtus intellectualis potest tendere in falsum. D. 1. q. 1. n. 124. Quælibet virtus perficit mentem in ordine ad proprium obiectum, moralis ad bonum, intellectualis ad verum. num. 125. Nulla virtus fallitur circa obiectum suum formale. nu. 126. Virtus moralis cur possit versari circa obiectum materialiter malum, non vero fides circa materialiter falsum. n. 128. De ratione virtutis Theologicæ est. vt attingat Deum vt obiectum *Quod*. D. 2. q. 1. n. 12. Virtus intellectualis non tam specificatur ab obiecto *Quod*, quam *Quo*; appetitiua contrario modo se habet. n. 13. Virtus Theologica non est nisi infusa. nu. 21. Eiusdem virtutis est bonum aliquod prosequi, & malū contrarium fugere. n. 26. & q. 4. n. 3. Virtutes absq; charitate perfectæ esse possunt, quoad substantiam, non tamen quoad statum Christianæ virtutis. D. 2. qu. 2. n. 26. Ratio virtutis magis consistit in bono quam in difficili. D. 3. q. 2. n. 19. Virtus quanto est altior, ad tāto plura se extēdit. 38. Virtuti absolutæ & integræ nullus honor dignus tribui potest. D. 4 q. 1. n. 116. Medium virtutis obiectum est eiusdē formale. D 4. q. 2. n. 43.

Vis.

Vis nemini debet patrocinari. D. 1. q. 9. nu. 126. & D. 4. q. 6. n. 432. Vim iniustam inferens tenetur læsum suæ restituere libertati; quod si nolit, tum aut læsus ipse (nisi iuramentum obstet) aut in hoc casu superior id poterit. D. 1. q. 9. num. 126. Vi aut fraude te impediens à bono consequendo quid restituat. D 4. q. 6. nu. 64. seqq. sine vi ac fraude ad peccatum inducens non tenetur ex iustitia emēdationem procurare. n. 90. Ex probabiliori etiam neq; si vi aut metu ac fraude induxit, sed tunc vim tenetur amoliri. n. 91. Vi ac fraude alium à religione abstrahens tenetur fraudem amoliri. n. 92. Damnum quoq; seducto & religioni præstare. n. 93. Insuper seductum ex iustitia vel alium ad religionem adducere. n. 95. Sine vi ac fraude seducens ad nil tenetur. n. 98. 99. Vi ac fraude impregnans aliam ex iustitia tenetur prolem alere. nu. 128. & ad cūpensationem omniū damnorū. n. 131. Sine vi ac fraude, tamē cum mendacijs extorquēs multa meretrix non tenetur restituere. nu. 301. Vi inducens ad ludendum, & lucrans restituet. n. 314. Vi metuq; causa facta carent robore firmitatis. n. 331. Vi cogens inter cooperatores facti damni in eo restituendo est primus. n. 398. seq. Vi non licet sibi ipsi debitum priuatim restituere. n. 410. limitatur. ib. Vim vi quomodo & quibus conditionibus liceat repellere, etiam occidendo tam pro vita quam castitate & pudicitia & bonis externis. D. 4 q. 8. n. 64. & n. 85.

Visio.

Certitudo visionis beatificæ, vti etiam scientiæ per se infusæ, simpliciter maior est certitudine fidei. D. 1. q. 6. n. 57. Vide *Lumen gloriæ*. Visio est causa amoris etiam maioris in patria. D. 2. q. 2. n. 105. 115. Ex eiusdem visionis beatificæ vi prouenit dilectionis immutabilitas & impeccabilitas. n. 120.

Vita.

Vita ponenda in necessitate spirituali proximi. D. 2. q. 3. n. 60. Vitæ & membrorum dominus homo non est, neq; princeps, nec respublica. D. 4. q. 1. n. 45. ratio ib. Quando cum vitæ periculo fama est restituenda. D. 4. q. 6. nu. 148. 149. Ad eius conseruationem est præceptum affirmatiuum nō obligans pro omni tempore, nec ad pretiosa media, nec prohibens discretam corporis asperitatē. D. 4. q. 8. n. 47. seq. De vita seruanda innocentis vel negligenda à nu. 53. Vide *Innocens, occidere*. Ad vitam prægnantis seruandam non licet directe fœtū animati abortus. D. 4. q. 8. n. 58. seqq. Vitam negligere quomodo liceat se infamantiad euitanda grauia tormenta. D. 4 q. 8. n. 149.

Vitium.

Vitium in re empta irritat contractum, si emptor expresse contra id excipiat, etiam tacite tantum. D. 4. q 7. nu. 14. seq. & 57 Rei venditæ duo vitia ob quæ illicita venditio à n. 55. Secluso damno & periculo possunt taceri vitia. nu. 63. Emptio est nulla si notabile vitium tacetur, quod sciens emptor non emisset. n. 64. Vide *Venditio*.

Vltimus finis.

Vide *Finis, Voluntas.*

Vocatio.

Ad nouam fidem inferendam mundo nemo potest esse legitime vocatus, secundum statum Ecclesiæ reipsa à Deo institute. *D. 1. q. 3. num. 204.* & 206. Vocatio ordinaria & mediata non sufficit ad nouam fidem mundo inferendam. n. 206.

Voluntas.

Vnio voluntatum effectus amicitiæ. Disp. 2. q. 2. n. 14. Voluntas est proximum subiectum charitatis. n. 83. Voluntas naturaliter ab ratione inclinatur ad Deum super omnia diligendum. D. 2. qu 3. n. 46. Absoluta voluntate velle carere gratia, charitate & beatitudine pro spirituali bono proximi omni casu illicitum. nu. 54. seq. Voluntas tamen conditionata (si Deo placeret) non est illicita numero 56. In voluntate situs est amor amicitiæ, primari⁹ act⁹ charitatis & fons cæterorū. D. 2. q. 4. n. 2. Velle bonū alicui varie accidit, nec semper dicitamare illū. ib. n. 5. Voluntas est principium omnium spiritualium motuum, eaq; intelligitur cum dicitur, Deus diligendus ex toto corde &c. ib. n. 67. Volenti scienti non fit iniuria. D. 4. q. 6. n. 90. 98. 101. & q. 8. n. 6. Voluntarium est simpliciter, quidquid metu factum. D. 4. q. 6. num. 315 Voluntarium homicidium in sua causa quid D. 4. q. 8 n. 87. Voluntates vltimæ quæ & vnde dicantur D. 4. q. 7. à num. 294. & seqq. In ijs sufficiunt quinque testes etiam non rogati, nec masculi qui subscribant, si fiant scripto. n. 304. Vltimæ voluntates reliquæ excepto testamento valent sub testium tantum quinque subscriptione. &c. numero 304.

Votum.

Votum est religiosa promissio rei conuenientis Deo facta·D·5.q.4.n·1. Ad votum tria requiruntur deliberatio, propositum, & promissio. nu. 2. Ad essentiam & valorem voti requiritur etiam voluntas se se obligandi·n.3. Qualis ad votum requiratur deliberatio. n·5. & 6. Qui dubitat an deliberatio, vel iudicium ad votum fuerit sufficiens, tutissime petet dispensationem, quamuis probabile sit voti non esse reum.n.7. Votum non stat cum metu non cadente in virum constantem. n.8. & seq. Materia voti tria exigit·1.vt sit in libera nostra potestate. 2·vt sit opus bonum, ea scilicet parte qua Deum vt finem respicit, esto ob aliquam circumstantiam actus sit melius. 3.vt non sit in præiudicium maioris boni.n.14. Duplicis generis dantur subditi, alij secundum rem quæ vouetur; alij etiam quoad ipsam voluntatem: vtriq; licite vouent sub tacita vel expressa conditione si superior consenserit. num. 16. Votum subditi absq; consensu superioris vel formali vel interpretatiuo firmum esse non potest, est tamen firmũ quoad à superiore irritatur. n·19. Subditi votum à superiore irritatum tam diu manet irritum, quamdiu subditus est.n.21. si vero subditus sit etiam quoad voluntatem, nunquam reualescit etiam cessante subiectione·num.26. Subditus quoad rem potest quiduis vouere etiam absq; consensu superioris, si res non sit in præiudicium superioris: subditus vero quoad rem nil potest absq; consensu.nu. 22. Votum religiosi & impuberis etiam cum consensu factũ potest irritari à prælato vel parente: subditi vero quoad rẽ post consensum superioris nõ potest.n. 25. Secundum veriorem sententiã nõ tantum eorum vota irritari à parentib. possunt, qui 25·annum nondum transcenderunt, sed quorumq; filiorum quamdiu sub potestate parentum sunt constitut·n.29 An parens possit irritare votum non solemne filij sui iam emancipati ab impubere editum? nu·30·quoduis votum ante pubertatem editum à parentibus irritari potest, etiam post pubertatem: non item ea, quæ post pubertatem edita sunt·n·31. Quo ætatis licitum sit edere votum solẽne n.32. Quidnam voti valorem requiratur·nu·33. Votum validum obligat sub mortali ex genere suo, potest tamẽ eius transgressio interdum etiam esse venialis·nu·34. & 37. Votum impetratorium obligat, etsi non sequatur effectus, nisi forte sub conditione sit factum. n.36. Obligatio voti plurimum pendet ab intentione vouentis.n·39. Non tamen pro libitu se vouens obligare potest, vel sub mortali, vel veniali, votum enim pro qualitate materiæ obligat·n.43. Votum in peccati pœnam factum num.41. Si quis post votum Religionis non admittatur ad religionem, ad quid teneatur.n.42. An quis teneatur ad votum quod ipse non fecit ibid. & seq. Omnia vota personalia per professionem cessant, à quorum tamen executione etiam Nouitius excusatur. Realia transeunt ad monasterium, exceptis votiuis debitis.n.47. Quænam in executione voti seruandæ sint circumstantiæ, maxime ab ijs qui inter vouendum nullas determinarunt·num. 48. & seq. Votum varie diuiditur. nu· 51. Quo pacto votum solẽne distinguatur à simplici, & in quo solemnitas ea consistat.nu. 52. & seq. 67. Votum solemne non nisi accidentaliter differt à simplici.n.65. Solemnitas includit absolutam & perpetuam traditionem. num.66. Per votum solemne Matrimonium irritatur, non item per simplex, atq; id iure tantum Ecclesiastico, non naturali.n. 68. & seq. Ad religionis essentiam non requiruntur vota solemnia. nu.71. & seq. Potest obligatio voti tolli vel irritatione legitima, vel interpretatione Epijkię, aut commutatione, vel denique dispensatione.n.73. & 80. seq. Omnis circumstantia, quæ si votum antecessisset, materiam voti inhabilem reddidisset, ea voto quoq; (etiam ex culpa) superueniens tollit obligationem voti, vel ex toto, vel ex parte.n·73. Qui vouit vnum principaliter, alterum accessorie liberatus ab vno, censetur etiam liber ab altero n·47. Votum Virginitatis etiam post transgressionem obligat. Non item qui post votum Ordinis aut Religionis repulsam est passus aut dimissus, obligatur ad castitatem. n. 75. & 76. Votum quoduis potest auctoritate propria commutari in melius, nõ perinde in æquale. Quod si res dubia est, superioris iudicio standum erit.n.80. & seq. Quinam dispensare possint vide Dispensatio. Paupertatis votum excludit omnem proprietatem & superflua non admittit. D.6.q.3. n.99. Quid sit proprietatis incapacem esse, & quæ censeantur superflua ib. Circa paupertatis transgressionem excusat à mortale & materiæ leuitas, & tacitus superioris consensus de quacunque re, esto modus forte rem accipiendi displiceat.n.103. Alia in alijs Religionibus paupertatis est obseruatio, in bene ordinatis semper est strictior.n.106. De minutis furtis, & leuioribꝰ paupertatis transgressionibus idem est iudicium.ib. Administratio reditũ secũdum Tridentinum rectissime est penes superiores aut officiales cœnobij.n.108. Non licet Religioso, neq; de licentia etiam superioris quicquam ex ijs quæ priuata frugalitate collegit, in pios vsus erogare.n·109. A monasterio victum, aliunde accipere vestitum non est satis cõgruum Tridentino·n. 110. Quidnam Religiosus beneficiarius possit circa beneficij sui fructus. ib. Castitatis votum est abstinentia à matrimonio eiusq; vsu, & integram animi, corporisque proprietatem exigit. D.6.q·3. num.111. Transgressor voti duplicem contrahit malitiam sacrilegij, & violatæ pudicitiæ. ib. Obedientia, votum præcipuum, tam ad regulas quam ad ea quæ à superioribus congruenter regulis præcipiuntur obligat. D.6.q.3.n.112. Circa Obedientiam delinquitur aut mortaliter, aut venialiter pro ratione obiecti vel mortaliter vel venialiter mali, contemptus tamen semper facit mortale.nu.113. Regulæ quæ veram rationem præcepti non habent, non obligant sub vllo peccato si absit contemptus aut negligentia.n.114. In dubio num superior potestatem habeat imperandi, parendum est: si vero de superiore dubitetur legitimus ne sit, nec ne, melior erit conditio possidentis. n.114.

Vsura, Vsurarius.

Vsura lucrativa, compensatoria & palliata quomodo contingat in venditione rei fructiferæ,

& fru-

& fruitione fructuum. Disp. 4. q. 7. num. 48. 49. & 74. Stricte sumitur pro contractu quo ex vi mutui præcise auctarium vltra sortem velut ex iustitia per vsum mutuatæ rei debitæ exigitur. n. 74. Vsura stricte accepta est omni iure prohibita. nu. 75. 76. Vsura late sumpta vel acceptio auctarij non est mala in se. n. 77. Vsura est, vi mutui aliquas obligationes imponere mutuatario pretio æstimabiles. n. 88. seqq. Vsuræ dominium non acquirit vsurarius nisi per comixtionem: etsi alias res pecunia vsurarias comparatas facit suas, n. 93. Ab vsurario rem vsurariam emens non bona fide, irritū contractum facit, & pecuniæ dominiū vsurarius non accipit. n. 94 Ab eod. nullæ res licite accipiuntur, quarum dominium non habet. nu. 95. Vsurarius acceptam vi mutui vsuram, eius fructus & damna alteri data debet restituere. D. 4. q. 7. n 96. Vsura crassa esset mutuare in vili moneta cum pacto restituendi primum reuocato pristino valore pecuniæ. D. 4. q. 7. à n. 253 Reddat quodipse bona fide accepit, sed postea intellexit vi mutui datum. n 98 Vsura quomodo accidat in contractu iñominato quinq; pro centum & quomodo cauenda. D. 4. q. 7. n. 225. Vsurariū contractū re, opinione sua iustū faciens tantū potest lucri seruare, quantum alio lucratus esset, nisi constet mutuatarium præcise vi mutui voluisse dare auctarium. nu. 99. Omnes alij qui sunt causa efficax vsurarum accipiendarum, non repetendarum, in solidum tenētur restituere, vti principes, Iudices, Vsurarij procuratores, aduocati, Tabelliones, tutores &c. n. 101. 102. Famuli vsurario proxime cooperantes, permouentes, factores &c. tenenturin solidum restituere, alij excusantur n. 103. Eiusdem hęredes pro rata parte debent restituere. n. 104. 105. seqq. Pœnæ vsurarij manifesti vel infamia vel irregularitas. Non admittitur ad SS. Eucharistiam, ad oblationes, nec ad confessionem Sacramentalem. &c. n. 108.

Vxor.

Vxor in ordine charitatis postponenda parenti, ex probabili tamen extra necessitatem extremam magis illi quam matri subueniendum. D. 2. q. 3. n. 83. Inter vxorē & virū esse potest ius etiam simpliciter. D. 4. q. 1. n. 114. & q. 2. n. 11. & nu. 71. Vxori defuncti quid homicida teneatur. D. 4. q. 6. à num. 118. Inter vxorem & maritum donatio est inualida. n. 362. Vxor vsurarij cum liberis & familia licite ab eo accipit quæ pertinent ad sui statum D. 4. q. 7. n. 95. Vide *maritus*.

Vxor viro prodigo potest auferre pecunias & in necessitatē familiæ expendere. D. 4. q. 8. n. 124. Peccat mortaliter cum obligatione restitutionis si rationabiliter inuito marito rem notabilem accipit. n. 128. Res parua non censetur furtū, aut magna, si fiat in licitā eleemosynā. ib. Vxori restituat vir si dotem aut donata aut communia bona dissipet. n. 130. Vxor idonei Curatoris munus suscipit, si vir rebus præesse nequeat, Disp. 4. q. 8. numero 274.

Menda sic emenda.

Colum. 5. v. 4. leg. *fides*. 17. v. 21. *non illa*. Ibidem v. 46. *qua ratione*. 40. v. 39. *nullo modo*, 44. v. 7. à fin. *conflictis miraculis*, adde, *aut nouis ac falsis reuelationibus fidem propagare nituntur. ido. merito*. 47. v. vlt. *eadem illa*, 50. v. 2. à fin. *ad claram*, 57 v. 2. *[illegible] ritate in claritatem*. 98. v. 2. à fin. *per eam*, add. *talis interpretatio, quatum. [illegible] obiecti* leg. *subiecti*, 122. v. 6. *tota* leg. *sola*. 133. v. 34. *pugnans*, leg. *purgans*. 140. v. 27 *mortalitatem*. 157. v. 44. *nam* add. *adequet* 163. v. 9. à fin. *Quanta*. 164. v. 47 *istos intuemini*. 172. v. 28. *manifestam*. 177. v. vlt. & 189. v. 33. *a quo*. 195. v. 4. à fin. 201. v. 5. *humiliter* 203. v. 1. *minuntur*. 237. v. 12. *Matth*. 16. 229. v. 8. à fin. *simulq;*. 232. v. 21. *primatu*. 237. v. 36. celebrem, à. 253 v. 42. Deo. Ibidem v. 4. à fin. 1. Ioan. 2. 256. v. 1. talia. Ibidem v. 6. à fin. *celebranie?* 271. v. 34. *quicquid sit*. 274. v. 31. add. *Vid. etiam tom. 4. D. 8. q. 5. n. 70.* 275. v. 27 *edictum*. 290. v. 16. *potestate*. Ibidem v. 50. *incompetenter*. 296. vers. 22. *quia*. 297 v. 18. *& nihil*. 309. v. 11. à fin *huius tempore [illegible] 22.* v. 1. *nemo iure*. 325. v. 37. *Prædicantes*. 326. v. 1. *mentio*. 338. v. 10. *[illegible] negeanda*. 340. v 1. *Commendarit*. 341. v. 16. *nisi ineptissime [illegible] 7.* v. 26. *velut*. 361. v 15. à fin. *habeat*. 363. v. 30. *ex [illegible] cedenas*. 367. v. 41. *habitudo mutua*. 375. v. 14. *certe tamen*. 379. v. 34. *acquisita*. 380. v. 14. *dictam fidem [illegible] medij*. 388. v. 18 *prophetiam*. 416. v. 16. à fin. *delicta*. 435. v. 14. *prophetauerunt*. [illegible] vlt. *attinet*. [illegible] *dor. non intelligitur*. 443. v. 40. *equalis enim*. 451. v. 44. *quia*. 452. v. 15. à fin. *tom. 2*. 463. v. 13. à fin. *in speciem*. 479. [illegible] 4. add. (*eos certe, qui ipsi temp[illegible] oraliter subijciuntur*) 485. v. 1. dele, *sicut*. 520. v. 20. *petentis*. 524. v. 22 *Concluſio*. 525. v. 22. *non defecerunt*. 526. v. 4. à fin. dele, *&* 541. v. 20. à fin. *fontem*. 556. v. 8. à fin. *consequendam*. 562. v. 12. *tam obiectum Cui, quam obiectum quod*. 567. v. 1. *tom. 2*. 580. v. 19. à fin. *Hurtadus*. 582. v. 16. à fin. *idem*, leg. *diuersum*. 584. v. 21. à f. *naturalis*. 590 v. 16. à f. *claritatem*. 598 v. 16. à f. *maior*. 602. v. 1. *finitam*. 605. v. 1. *augmentum*. 651. v. 25. *illius*. 694. v. 3. *asper*. lb. v. 14. *potest*. 727. v. 5. à f. *fidem*. 750. v. 6. à f. *appetitui*. 819. v. 7. *olim* 822. v. 8 à f. *puerperæ*. 830. v. 10. *vitiosus*. 831. v. 21. à f. *oriri*. 834. v. 13. *ciuiles*. 842. v. 1. *Dub. VIII*. 844. v. 13. *proprie*. 845. v. 3. *materiæ*. 847. v. 32. *diutius*. 850. v. 17. *Dub. IX*. 856. v 16. *auersionem*. 859. vers. 10. *Dub. X*. 861. v. 9. *gressus*. 868. v. 17. *emphyteusi*. 876. v 31. *domini*. 891. v. 21. à f. *meliori* 901. v. 18. *esse*. Ibid. v. 29. *communitatis*. 916. v. 8. à f. *Reipub*. 919. v. 2. *eo inuito*. v. 3. *& iniuriam*. 925. v. 13. à f. *ampliata*. 928. v. 7. à f. *fit*. 933. v. 36. *extrinsecus*. 963. v. 33. *condemnati*. 978. v. 12. *perturbatione*. 981. v. 4. *modo*. 992. v. 29. à f. *admitti*. lb. 24. à f. *plurium*. 996. v. 4. *alias* 1003. v. 24. à f. *donec*. 1005. v 31. *ac*. 1037. v. 29. à f. *fit*. 1040. v. 16. *Scot. 4. d. 15. q. 2. a. 4*. lb. v. 29. *Sotus*. lb. 31. *Val. q. 6*. 1071. v. 25 *fructus*. 1100 v. 19. *extorta*. 1109. v. 27. à f. *priuatum*. 1120. v. 25. *falsa*. 1122. v. 13. *non restituturum*. 1190. v. 27 *patebit*. Add. *Consentit hu Scoti a epti*. 41. 1193. v. 5. à fin. *apparebit*. 1206. v. 39. *respectu*, add. *extranei statim erit notabilis respectu*. 1262. v. 10. *cognitionibus*. 1266. v. 16. *patrem* 1268. v. 10. *dum diem*. 1276. v. 38. *varie* 1277. v. 40. *quotuplex sit cultus*. 1279. v. 23. *hyperduliam* 1309. v. 36 *debita*. 1327. v. 12. *Alios* 1332. v. 14. *certe*. 1333. v. 2. à fin. *falsum*. 1340. v. 21. *nec* leg. *ac* 1354. vers. 5. *at vero*. 1361. v. 16. dele, *tam*. 1361. v. 45. *posterior*. lb. v. 49. *prioris*. 1365. v. 4. à fin. *Barlaam*. 1385. v. 24. *propter se*. 1451. v. 8. *dispensandi*. 1462. v. 10. à fin. *iurans*. 1464. v. 15. *q. 4*. 1466. v. 25. dele. *iuratum*. 1474. v. 2. à fin. dele, *ad* 3. 1472. post. v. vlt. adde, *vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica. De*. 1502. v. 46. *et agrammaton*. 1505. v. 38. *rationabilis*. 1522. v. 24. *&* ad. *Sotus*, 1523 v. 26. *q*. 100. 1558. v. 15. *plures*, ad. *quos citauimus*. 1560. v. 8. à fin. & lb. v. 5. à fin. *asserit*. 1561 v. 43. *&*, 1562. v. 39. dele, *&*. 1568. v. *halens*. 1585. v 14. à fin. *statu*. 1586. v. 5. *vt quæ*. 1593. v. 46. dele, 1. 1609. v 16. à fin *facile*. 1610. v. 14. *ex contemptu*. 1612. v 22. *cap*. 1. 1620. v. 25. *quidam*. 1624. v. 45, *vtramq; partem*. 1635. v. 39. *vota*, Cætera leuiora, speciatim quæ circa numerum dubiorum in inscript. Colum. 834. & aliquot seqq. acciderunt, prudens lector per se facile corriget.

FINIS.

Collegii Societ. Iesu Paderborna

De Fide et Hist.

TANNER

Tomus Stus

Th
424a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN